BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
G
6
NAPOLI

LVI
7.
—12

B. 141.1.17.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

JAC. AUG.

THUANI

HISTORIARUM

SUI TEMPORIS

LIBRI CXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

JAC. AUGUSTI

THUANI

HISTORIARUM

SUI TEMPORIS

TOMUS PRIMUS.

LIB. I.	—	XXIV.
CIↃIↃXLVI.	—	CIↃIↃLX.
HEN. II.	—	FRAN. II.




LONDINI

Excudi curavit SAMUEL BUCKLEY

MDCCXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE

MAGNAE BRITANNIAE REGI,

GEORGIO II.

HENRICO quarto Galliarum regi Hiſtoriam ſuam dicavit Thuanus, quod magnum illum principem iis ornatum virtutibus perſpexerit, quae regiis honoribus digniſſimum, muneribus officiiſque ex omni parte parem redderent; et ad ſolium divini numinis auſpiciis evectum exiſtimarit, ut rem Gallorum publicam ex turbata et diſtracta pacatam florentemque faceret. Cum vero ea-

† dem

Digitized by Google

dem mihi perſuaſio penitus inſederit de tuis, Rex inclytiſſime, virtutibus; cum videam univerſam imperii tui rationem ad Britannici orbis felicitatem comparandam, tuendam, augendam, dirigi et deſtinari; tuamque Domum illuſtriſſimam ad hoc tantum dignitatis faſtigium a ſummo rerum divinarum humanarumque moderatore eum maxime in finem evocatam crediderim, ut gentis noſtrae ex graviſſimis periculis ereptae ſaluti, commodis, gloriae, in poſterum certius conſuleretur: haec mea de te tuaque, Rex clementiſſime, Domo perſuaſio fecit, ut novam hanc Thuaneae Hiſtoriae editionem, ſumma fide curaque, qua fieri potuit, maxima recenſitam, tuo nomini auguſto ea, qua par eſt, veneratione inſcribere haud veritus ſim. Tanta certe eſt operis hujus praeſtantia, ſive amplitudinem argumenti, ſive tractandi rationem ſpectes, tanta ejus fama atque celebritas, ut regio patrocinio, ſi quod aliud ſcriptum, inprimis dignum videatur.

Hujus quidem hiſtoriae ſcriptor, qui ad arcana regis admiſſus fuit, et eximium in republica magiſtratum geſſit, in ſua ad illum praefatione conſilia etiam admiſcuit; quod in mei ordinis hominibus minime ferendum: hanc mihi ſi provinciam ſumerem, vaniſſimae temeritatis eſſet, omniumque reprehenſionem merito incurrerem. Verum percommode accidit, ut quod in me tam ineptum et temerarium videretur, re ipſa inutile prorſus foret et ſupervacaneum; cum Britannia tua illa te conſilia praeclare et feliciter indies exequentem intueatur, quae ille Henrico ſuo tantopere ſuadet; praecipue vero eximium illud de ſacrorum libertate concedenda, quam ille cauſam tam copioſe et graviter perorat, ac ſi ſalus reipublicae in illo uno verteretur. Quod enim Thuanus prolixe et diſerte laudat, tu, Rex optime, toto animo jam praeceperas, cum fidem

Digitized by Google

ſidem cogi non poſſe, a teneris fuerit tibi perſpectiſſimum. Nec quidquam ſane et civium animis conciliandis, et ut debitum regibus obſequium ab omnibus exhibeatur, hoc conſilio ſalubrius aut potentius excogitari potuit. Sed et aliis illis commodis, quae Thuano ſolum in votis erant, caetera illa felicitate, quam ille ex magni regis aequitate, prudentia, fortitudine Gallis ſuis auguratur, populus Britannus tuo ſub imperio placide pleneque fruitur. Quod et ipſi gratiſſimis animis ſe probe noſſe iterum atque iterum oſtenderunt. Quoties nempe illis ſeſe obtulit occaſio (obtulit vero ſaepiſſime) publice teſtandi eam, qua in te ſunt, fidem et pietatem, ‘ Te principem eſſe beni-‘ gniſſimum, vereque patriae patrem ; te in conſiliis tuis ‘ non pro imperio agere, ſed legum praeſcriptis obtem-‘ perare, regiamque poteſtatem ad ipſorum jura tam ſacra ‘ quam civilia tuenda unice exercere ; te denique illorum ‘ ſalutem, opes, commoda, reſque proſperas, ſummam tibi ‘ gloriam ducere’, laeti, frequentes, unanimes, ſuffragiis ſuis palam praedicarunt. Haec fere verba ſunt, hae voces, quae civium imis pectoribus erumpunt, quoties ſuam tuo ſub imperio felicitatem celebrant. Quam, te ſoſpite, perpetuam fore anni regni tui jam exacti fidem illis certiſſimam fecerunt : cum praeclarae illae virtutes, quae ſummo bono publico in te elucent, non aliunde arceſſitae, ſed innatae videantur ; eaque animi vis inſita ſit, ut non tam aliorum conſiliis, quam tuae ipſius indoli debeatur, quod in regiis muneribus obeundis talem te tantumque dederis.

Haec iis abunde conſtant, quibus praeclaras animi tui dotes penitius perſpicere conceſſum eſt. Viri illi ampliſſimi, quibus munerum ratione quotidie facilis ad te aditus patet, utcunque aliis de rebus in diverſa abierint, uno omnes ore in his conſentiunt. Illi, ea te animi

magnitudine

magnitudine praeditum, ut dolos omnes, omnes diſſimulandi artes, cum indignatione deteſteris: tibi medullitus *incoctum generoſo pectus honeſto:* eo te permotum in omnibus ex aequo et bono agere, Britannicaeque gentis felicitati ſemper ſolicitum invigilare: ad publica negotia adeo arrectum, ut, quidquid literarum a tuis apud gentes exteras legatis miſſum fuerit, id omne ad te primum deferatur; nullaque momenti alicujus tuo nomine mandata remitti velis, quae non ipſe prius perpenderis: in ſingulis, denique arduis negotiis, ſi externa ſint, quid ſalus reipublicae, et imperii dignitas, et rationes foederum exigant, diligenter te et ſapienter diſpicere; ſin de domeſticis agatur, ante omnia ,quid leges praecipiant ſedulo exquirere, ne quid regni Britannici conſtitutio a majoribus accepta, ne quid privatorum jura detrimenti capiant.

Ex hoc animo tot virtutibus regiis penitus imbuto, quaſi ex perenni fonte, profluxerunt magna illa, quibus cum publice tum privatim fruimur, beneficia; et porro profluent, cum animus tibi non poſſit non ſemper idem eſſe, ac fuit. Neque vero militares tuas virtutes ſilentio praeterire fas eſt, cum a fortitudine tua adeo nihil libertati Britannicae metuendum ſit, ut ejus maximum ſit praeſidium et tutamen. Cum norint exteri quid marte non minus quam conſilio poſſis, qui nupero bello tanta cum gloria ad ALDENARDAM militaveris, non temere laceſſent fortitudinem illam, quae, cum pravae ambitionis prorſus expers ſit, neminem quidem prius atque ultro laedet; ſed nec ſegniter nec lente aget, ſi ad injurias a republica propulſandas, regnique tui dignitatem tuendam et vindicandam, ad arma juſta deveniendum fuerit.

His tot tantiſque commodis ingens cumulus acceſſit, quod conjux tibi divinitus obtigerit illuſtriſſima, egregiis admodum

Digitized by Google

admodum tum animi tum corporis dotibus ornata; quae forma, inceſſu, ſermone, reginae perſonam maximo cum decore ſuſtinet: quae tanta morum comitate adeuntes excipit, ut omnes in amorem ſui atque admirationem rapiat: quae ea denique eſt prudentia, ut, te in exteris agente, partes ſibi demandatas tam praeclare impleat, ut vix te abeſſe ſentiamus. Nihil certe Britannis tuis gratius et acceptius eſſe potuit, quam quod iis temporibus ſummam rerum adminiſtrationem ei traderes, quae tam pulchre te repraeſentat; quo ſimul, quam paterno ſis in ſubditos animo, quamque impenſe ipſam aeſtimes, grati perſentiſcimus.

INTER privatas quidem ejus virtutes primo in loco memoranda eſt, qua gratiſſimis officiis amantiſſimam ſe uxorem praeſtat; cujus mutuo te ſenſu tangi, qui proxime ad te accedunt, laeti ſemper obſervant. Cura autem ſtudiumque pientiſſimae juxta ac prudentiſſimae matris in illa tam conſpicua elucent, ut omnibus non modo ſupremi ordinis, ſed cujuſvis etiam conditionis feminis, optimum exemplum, quod imitentur, praebeat. Porro iis animi facultatibus imbuta eſt, ea rerum cognitione, cum ex omnis generis libris parta, tum hominum ingenio et eruditione praeſtantium colloquiis adaucta; politiſſimis denique aularum moribus ita eſt exculta; ut ad liberorum educationem recte inſtituendam nulla unquam Princeps vel natura melius comparata, vel cultura inſtructior fuiſſe videatur. Et quod majorem longe ad teneros jam animos rite formandos vim habet, ipſa illis exemplo praeit, et ad omnia quae laude digna ſunt, ad omnes mores arteſque, qui regios natales decent, perdiſcendos, eandem ſemper ipſa vitae rationem egregie ſervans, mirabiliter accendit atque inflammat; et quo nihil bonis

Digitized by Google

omnibus optabilius eſſe poterat, ad ſuam ipſius effigiem ſenſim, dum adoleſcunt, fingit, et fingendo perficit. Cum his igitur eximiis et utiliſſimis virtutibus CAROLINA, reginarum optima, cumulatiſſime ornetur, inter publica commoda merito ſecundum ſibi locum vindicat.

QUO autem felicitas haec, qua te rege fruimur, firma et numeris omnibus perfecta reddatur, ecce numeroſa et pulcherrima ſoboles in conſpectum prodit. Hinc enim fore ut ingentia imperii tui beneficia in ultimam poſteritatem propagentur, atque integra ſerventur, certiſſima nobis ſpes eſt. Cujus rei omen fauſtiſſimum jam nunc ex eo capimus, quod illuſtriſſimi Principis Arauſionenſis precibus generoſe pariter ac prudenter annuens, filiam natu maximam, regiam virginem regiiſque thalamis adprime dignam, uxorem illi deſtinaris. Cum et ipſe ex Aloiſia magni illius Gulielmi primi Arauſionenſis filia ortum ducas, et Domus tua lege a Gulielmo tertio, magno illo reipublicae noſtrae jam periturae ſoſpitatore, cum omnium regni Ordinum conſenſu lata, ad imperium Britannicum evecta ſit; nullum hoc illuſtrius magni gratique animi indicium dare poteras, quam quod principem ex hac nobiliſſima heroum gente tibi in generum accipere non dedigneris. Hae felices nuptiae te ad omnes illas rationes, quibus et religio reformata et Europae libertas optime conſerventur, animum attentiſſime advertere plane monſtrant. Memorabile illud Thuani de illuſtriſſima hac Arauſionenſi familia judicium, quod ante annos centum et viginti tulit, vaticinium merito cenſeri poſſit; cum intra unius ſaeculi ſpatium in eadem glorioſa religionis et libertatis cauſa, contra praepotentem dominationem primo Domus Auſtriacae, dein Borboniae, tuenda, idque iis temporibus, cum opibus copiiſque maxime florerent,

rent, bis ſplendide fuerit adimpletum. Verba ejus ita ſe habent: ‘ Anno MDCVI Dillinburgi deceſſit VIII Eid. Oćt. ‘ Joannes Naſſovius, Gulielmi Arauſionenſis frater, ad‘ modum numeroſa ſobole tantae familiae firmandae re‘ liƈta; quam Deus ſummae hodie in orbe Chriſtiano ‘ potentiae, ne magnitudine ſua plus juſto inſoleſceret, ‘ videtur oppoſuiſſe[1]’. Quod breve quidem, ſed nobile praeconium, omnes dicendi laudes longiſſime exuperat.

CONSILIORUM tuorum idem uſque tenor, rationeſque in republica adminiſtranda, quas ſumma animi cum firmitate et conſtantia haƈtenus ſecutus es, clariſſime oſtendunt te ſemper ob oculos habere magnam iſtam rerum Britannicarum inſtaurationem Gulielmi tertii duƈtu et auſpiciis feliciter perfeƈtam, legemque regiam, qua tibi jus imperii acquiſitum, et religioni reformatae in his terris conſervandae ſanƈtiſſime proviſum eſt. Nec fieri poteſt, quin omnes, qui ditioni tuae ſubditi ſunt, arƈtiſſimo amoris fideique nexu tibi devinƈtos ſemper habiturus ſis, ſi quam tu imperando, eandem illi parendo regulam ſibi ponent. Ea rerum converſio, quidquid Britannicae conſtitutionis nomen meretur, nobis in integrum reſtituit: illamque omnibus, quibus poteris, modis tueri ac conſervare, tui muneris eſſe nemo te melius novit, qui non tam verbis quam rebus ipſis imperium, quod optimo jure tenes, hac lege tibi concreditum palam profiteris. Quapropter omnes, qui religionem reformatam vere ampleƈtuntur, perſpeƈtumque habent quibus rationibus jura ſua primum vindicata, deinceps confirmata ſint, ſe una eademque tecum cauſa conjunƈtos cenſeant neceſſe eſt. Si communes igitur utriſque inimici eo dementiae et deſperationis unquam proceſſerint, ut tibi imperium, illis jura legibus

[1] Tom. VI. pag. 374. hujus edit.

legibus ſancita, vel aperta vi, vel ſecretis molitionibus eripere conentur, male iis ceſſurum, propitio numine, confidimus; bonoſque omnes, quibus purior religio, quibus legitima libertas, quibus ſalus reipublicae, quibus juſtum denique atque aequum imperium cordi eſt, ſemper fore paratiſſimos, ſummo vitae ac fortunarum diſcrimine, ad tutandum ac defendendum Regem, familia antiquiſſima, dignitate Electorali apud Germanos ob virtutes ſuas aucta, et ad ſolium Britannicum frequentibus regni comitiis ſaepius adſcita, prognatum, quique ipſe regiis dotibus egregie exornatus eſt, et regni habenas ad legum praeſcripta pie et prudenter moderatur. In horum numero cenſeri honori ſibi ducet,

VII. Kal. Jan.
A. D. MDCCXXXIII

Majeſtati tuae

omni fide et obſequio

devinctiſſimus,

S. Buckley.

Digitized by Google

The Names of the SUBSCRIBERS *to this Edition of* THUANUS.

IN GREAT BRITAIN.

The King, large Paper.
The Queen, large Paper.
His Royal Highneſs the Prince of *Wales*, large Paper.
His Royal Highneſs the Duke, large Paper.

A

His Grace the Duke of St. *Albans*.
His Grace the Duke of *Ancaſter*.
His Grace the Duke of *Argyll* and *Greenwich*, large Paper.
The Right Hon. the Earl of *Abercorn*.
The Right Hon. the Lord *Abergavenny*.
The Right Hon. the Lord *Aſhburnham*.
The Rev. Dr. *J. Adams*, Maſter of *Sidney* College in *Cambridge*, large Paper.
John Aiſlabie, Eſq;
The Rev. Mr. *George Alanſon*.
Anthony Allen, Eſq; Maſter in Chancery.
Joſeph Aiſton, Eſq;
The Hon. Col. *John Armſtrong*, Surveyor-General of his Majeſty's Ordnance.
Richard Arundel, Eſq;
Sir *John Aſtley*.

B

His Grace the Duke of *Beaufort*, large Paper.
His Grace the Duke of *Bedford*.
His Grace the Duke of *Bolton*.
His Grace the Duke of *Bridgewater*.
The Right Hon. the Marqueſs of *Beaumont*, large Paper.
The Right Hon the Earl of *Buchan*.
The Right Hon. the Earl of *Burlington*, large Paper.
His Excellency Count *Bothmer*.
The Right Hon. the Lord *Bathurſt*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Bangor*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Briſtol*.
Mr. *Cornelius Backer*, large Paper.
The Rev. Mr. *George Baker*, A. M. Prebendary of *Exeter*.
The Rev. Dr. *Sam. Baker*, Reſidentiary of *S. Paul's*.
John Anthony Balaguier, Eſq;
Richard Banner, Eſq;
The Rev. Dr. *Francis Barnard*, Rector of St. *Bartholomew* behind the Exchange, *London*.
William Baſill, Eſq; of *Gray's-Inn*.
Mr. *Tho. Bayley*, Fellow of *Exeter* College, *Oxford*.
Sir *Robert Baylis*.
Sir *Edmund Bacon* of *Gillingham*.
Thomas Sclater Bacon, Eſq;
Sir *Henry Bedingfield*.
William Benſon, Eſq;
Michael Biddulph, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
Dr. *Birch*, M. D. large Paper.
Martin Bladen, Eſq;
The Rev. Dr. *Bland*, Dean of *Durham*.
Thomas Bootle, Eſq;
The Rev. Dr. *Borlace*, Vicar of *Madderne* and *Penzance* in *Cornwall*.
Sir *Philip Boteler*.
The Hon. Brigadier General *Du Bourgay*.
Mr. *Bouſſier*.
The Rev. Mr. *William Bowles*, Fellow of *Wincheſter* College.
Thomas Brian, Eſq;
Sir *Orlando Bridgeman*.
Orlando Bridgeman, Eſq; of *Combs*, large Paper.
The Rev. Mr. *John Bridgen*, M. A. Divinity Profeſſor in *Greſham* College.
The Rev. Dr. *Ralph Bridges*, of *Southweald*, *Eſſex*.
Dr. *Broxholme*, M. D.
Thomas Burnet, of the *Middle Temple*, Eſq;
Mr. *Joſeph Button*, of *Newcaſtle*, Bookſeller.
Robert Buxton, Eſq; Fellow Commoner of *Clare-hall* in *Cambridge*, large Paper.

C

His Grace the Lord Archbiſhop of *Canterbury*.
His Grace the Duke of *Chandos*, large Paper.
His Excellency the Earl of *Cheſterfield*.
The Right Hon. the Earl of *Cholmondeley*.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Cobham*.
The Right Hon. the Lord *Carteret*, large Paper.
The Right Hon. the Lord *Charles Cavendiſh*.
The Right Hon. the Lord *Clinton*.
The Right Hon. the Lord *Cornbury*.
The Right Hon. the Lord *Cornwallis*.
The Right Hon. the Lord *Craven*.
The Right Rev. the late Lord Biſhop of *Chicheſter*, large Paper.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Chicheſter*.
The Hon. Mr. Baron *Carter*.
In the Univerſity of *Cambridge* the following Colleges ſubſcribed for their reſpective Libraries, *viz.*

— Emanuel,	— Pembroke,
— Caius,	— Peter-houſe,
— Chriſt's,	— Queen's,
— Corpus Chriſti,	— Sidney,
— Jeſus,	— Trinity,
— St. John,	— Trinity-Hall.
— King's,	

John Campbell, Eſq;
Walter Carey, Eſq;
The Hon. *Edward Carteret*, Eſq;
The Hon. *Robert Carteret*, Eſq;
Mr. *Peter Cavalier*.
The Rev. Mr. *Samuel Chandler*.
Sir *John Cheſhire*, his Majeſty's Serjeant at Law.
James Chetham, Eſq; of *Smedley*.

Walter

Walter Chetwynd, Eſq;
George Clarke, of *Oxford*, Eſq; large Paper.
William Clayton, Eſq;
Thomas Clutterbuck, Eſq;
The Rev. Dr. *Tho. Cockman*, Maſter of *Univerſity* College, *Oxford*, large Paper.
John Cocks, Eſq;
Edward Collingwood, of *Newcaſtle*, Eſq; large Paper.
The Rev. Mr. *Edward Collins*, A. M. Vicar of *Breage* in *Cornwall*.
The Hon. *George Compton*, Eſq;
John Conduit, Eſq;
The Rev. Dr. *Conybeare*, Fellow of *Exeter* College, *Oxford*.
Anthony Corbiere, Eſq;
Mr. *William Copley* of *Briſtol*, Bookſeller.
Sir *Clement Cottrell*, large Paper.
Dr. *William Cottrell*, Dean of *Raphoe*, large Paper.
John Couraud, Eſq;
Anthony Cracherode, Eſq; large Paper.
Dr. *Crowe*, M. D.
Sir *John Hynde Cotton*, large Paper.
William Cowper, Eſq;
Sir *Nath. Curzon*.

D

His Grace the Duke of *Devonſhire*, large Paper.
His Grace the Duke of *Dorſet*, Lord Lieutenant of *Ireland*, large Paper.
The Right Hon. the Earl of *Dunmore*.
The Right Hon. the Earl of *Dyſart*.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Deerhurſt*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of St. *David's*.
The Right Rev. the late Lord Biſhop of *Durham*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Durham*, large Paper.
The Hon. Mr. Juſtice *Denton*.
The Hon. Society of Doctors of the Civil Law in *Doctors Commons*, for their Library, large Paper.
Charles Delafaye, Eſq; large Paper.
Peter Delme, Eſq;
The Rev. Dr. *John Denne*, Archdeacon of *Rocheſter*.
Francis Dickins, Eſq; one of the Benchers of the *Middle Temple*.
George Doddington, Eſq;
The Hon. Major General *James Dormer*, large Paper.
Anthony Duncombe, Eſq;

E

The Right Hon. the Earl of *Exeter*, large Paper.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Ely*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Exeter*.
The Right Hon. Sir *Robert Eyre*, Lord Chief Juſtice of the Court of Common Pleas.
Richard Edgcumbe, Eſq;
Sir *Richard Ellys*.
Giles Erle, Eſq;
Sir *John Evelyn*, Bart.
Sir *John Eyles*.
Sir *Joſeph Eyles*.
Gyles Eyre, Eſq; Serjeant at Law.

F

The Right Hon. the Lord Viſcount *Falmouth*.
The Right Hon. the Earl of *Findlater*.
The Right Hon. the Lord *Fitz-Walter*.
The Right Hon. the Lord *Foley*, large Paper.
The Hon. Mr. Juſtice *Forteſcue*.
Mr. *Everard Fawkener*.
Nicholas Fazakerly, of the *Inner-Temple*, Eſq;
Robert Fenwick, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
Dr. *Domenico Ferrari*, large Paper.
The Hon. *John Finch*, Eſq; of *Aylesford*.
The Hon. *William Finch*, Eſq; large Paper.
The Rev. Dr. *Charles Fleetwood*, large Paper.
Richard Foley, of *Lincoln's-Inn*, Eſq; one of the Prothonotaries of the Court of *Common-Pleas*.
Martin Folkes, Eſq;
Duncan Forbes, Eſq; Lord Advocate for *Scotland*.
Alexander Forreſter, of the *Inner-Temple*, Eſq;
William Forteſcue, Eſq;
Sir *Andrew Fountaine*, large Paper.
Mr. *Abraham Fowler*, Goldſmith, large Paper.
Dr. *Frewin*, *Camden* Profeſſor of Hiſtory in *Oxford*.
The Rev. Mr. *John Furſman*, Subdean and Canon Reſidentiary of St. *Peter* in *Exeter*.

G

His Grace the Duke of *Grafton*.
The Right Hon. the Earl of *Grantham*.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Gage*.
The Right Hon. the Lord *Gower*.
The Right Hon. the Lord *Grimſtone*.
Roger Gale, Eſq;
James Garland, Eſq; large Paper.
The Rev. Dr. *William Geekie*.
The Rev. Dr. *Gooch*, Maſter of *Caius* College in *Cambridge*.
Thomas Gordon, Eſq;
The Rev. Mr. *Brampton Gurdon*, A. M. Archdeacon of *Sudbury*.
Capt. *Gaydukens*, of the Hon. Brig. General *Du Bourgay*'s Regiment.

H

The Right Hon. the Marqueſs of *Hartington*.
The Right Hon. the Earl of *Halifax*.
The Right Hon. the Earl of *Harborough*.
The Right Hon. the Earl of *Hartford*.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Hatton*.
The Right Hon. the Lord *Hardwicke*, Lord Chief Juſtice of *England*.

The

The Right Hon. the Lord *Harrington*, one of his Majeſty's Principal Secretaries of State, large Paper.
His Excellency Baron *Hattorf.*
The Rev. Dr. *John Hall.*
The Rev. Dr. *Jonathan Hall.*
William Hamilton, of *Lincoln's Inn*, Eſq;
Mr. *Gavin Hamilton.*
John Hanbury, Eſq;
Sir *Thomas Hanmer*, Bart.
Edward Harriſon, Eſq; large Paper.
Richard Haſſel, of *Lincoln's-Inn*, Eſq; large Paper.
John Hedges, Eſq; Treaſurer to his Royal Highneſs the Prince of *Wales.*
Robert Hoblyn, Eſq; Gentleman-Commoner of *C. C. C. Oxford*, large Paper.
The Rev. Dr. *Samuel Holcombe*, Prebendary of *Canterbury.*
Jacob Houblon, Eſq; of *Corpus Chriſti* College in *Cambridge.*
Hugh Howard, Eſq;
Dr. *Halſe*, M. D.

I

The Right Hon. the Earl of *Ilay*, large Paper.
The Right Hon. the Earl of *Inchiquin.*
The Right Hon. Sir *Joſeph Jekyl*, Maſter of the Rolls.
Robert Jacombe, Eſq;
Samuel Ibbetſon, Eſq;
John Idel, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
Dr. *Samuel Jebb*, M. D. large Paper.
Charles Jennens, Eſq;
James Joye, Eſq; large Paper.

K

His Grace the Duke of *Kent.*
The Right Hon. the Lord *King.*
Benj. Keene, Eſq; his Majeſty's Miniſter Plenipotentiary in *Spain.*
Henry Kelſal, Eſq;
Abell Kettelbey, Eſq; one of the Benchers of the *Middle Temple*, F. R. S. large Paper.
John Knight, Eſq; of *Goſfield-Hall* in *Eſſex.*

L

The Right Hon. the Earl of *Limerick.*
The Right Hon. the Earl of *Litchfield.*
The Right Hon the Earl of *Loudoun.*
The Right Hon. the Lord Viſcount *Lonſdale.*
The Right Rev. the Lord Biſhop of *London*, large Paper.
The Hno. Mr. Juſtice *Lee.*
Mr. *James Leake* of *Bath*, Bookſeller.
Heneage Legge, Eſq;
Iſaac Leheup, Eſq;
The Honourable Society of *Lincoln's-Inn*, for their Library, large Paper.
John Lingard, Eſq;
The Rev. Dr. *Samuel Liſle*, Archdeacon of *Canterbury.*
Mr. *Liſter.*
The Hon. *Anthony Lowther*, Eſq;
Sir *Thomas Lowther*, large Paper.
Thomas Lutwyche, Eſq; one of his Majeſty's Council at Law.

M

His Grace the Duke of *Mancheſter*, large Paper.
His Grace the Duke of *Marlborough.*
His Grace the Duke of *Montroſe.*
The Right Hon. the Earl of *Macclesfield*, large Paper.
The Right Hon. the Earl of *Marchmont.*
His Excellency the Count *de Montijo*, Ambaſſadour from *Spain.*
The Right Hon. the Lord Viſcount *Micklethwaite.*
The Right Hon. the Lord *Malton*, large Paper.
The Right Hoo. the Lord *Maſham.*
The Right Hon. the Lord *Milſington.*
The Right Hoo. the Lord *Monſon.*
M. le Marquis *de Montandre.*
For the publick Library at *Mancheſter*, founded by *Humphrey Chetham*, Eſq;
Mr. *John Markham.*
Henry Maſterman, Eſq;
Dr. *Mead*, M. D. large Paper.
Samuel Mead, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
Charles Meine, Eſq;
The Honourable Society of the *Middle Temple*, for their Library, large Paper.
Robert Middleton, of *Chirk Caſtle*, Eſq;
Henry Montague, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
His Excellency Col. *John Montgomery*, Governour of *New York.*
Thomas Moſtyn, Eſq; large Paper.

N

His Grace the Duke of *Newcaſtle*, one of his Majeſty's Principal Secretaries of State, large Paper.
The Right Hon. the Earl of *Northampton.*
John Neale, Eſq;
Sir *Michael Newton*, Knt. of the *Bath*, large Paper.
The Rev. the Dean and Chapter of *Norwich.*

O

The Right Hon. the Earl of *Orkney.*
The Right Hon. the Earl of *Oxford*, large Paper.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Oſſulſtone.*
The Right Hon. the Lord *Onſlow.*
The Right Hon. *Arthur Onſlow*, Eſq; Speaker of the Hon. Houſe of Commons.
Robert Ord, of *Lincoln's-Inn*, Eſq; large Paper.
The Rev. Dr. *Osbaldeſton*, Dean of *York.*
Sir *George Oxenden.*

In

In the Univerſity of *Oxford*, the following Colleges ſubſcribed, for their reſpective Libraries, *viz.*

— All-Souls, — Magdalen,
— Balliol, — Merton,
— Brazen-Noſe, large Paper, — New-College,
— Chriſt-Church, — Oriel,
— Corpus-Chriſti, — Queen's,
— Exeter, — Trinity,
— Jeſus, — Univerſity,
— St. John's, — Wadham.

P

The Right Hon. the Earl of *Pembroke*, large Paper.
The Right Hon the Earl of *Plimouth*.
The Right Hon. the Earl of *Pomfret*, large Paper.
The Right Hon. the Lord *Percival*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Peterborough*.
Sir *Thomas Pengelly*.
The Hon. Mr. Juſtice *Probyn*.
John Page, Eſq;
Dr. *William Palgrave*, M. D.
Mr. *William Pate*, Woollen-Draper.
The Rev. Dr. *Peake*, Fellow of St. *John's* College in *Cambridge*.
The Right Hon. *Henry Pelham*, Eſq; Pay-Maſter General of all His Majeſty's Forces, large Paper.
James Pelham, Eſq; Secretary to his Royal Highneſs the Prince of *Wales*.
Thomas Pelham, Eſq; Secretary of the *Britiſh* Embaſſy at the Court of *France*.
Dr. *Pellet*, M. D.
Micajah Perry, Eſq;
John Plumtree, Eſq;
Dr. *Plumptre*, M. D.
Alexander Pope, Eſq; large Paper.
Richard Powis, Eſq;
Mr. *N. Prevoſt*, Bookſeller, 4 Copies.
Stephen Poyntz, Eſq; Governour to his Royal Highneſs the Duke.
Edmond Prideaux, Eſq;
Daniel Pulteney, Eſq;

R

His Grace the Duke of *Roxburghe*, large Paper.
His Grace the Duke of *Rutland*, large Paper.
The Right Hon. the Earl of *Rothes*.
The Right Hon. the Lord *Romney*.
The Right Hon. the Lord *Raymond*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Rocheſter*.
The Right Hon. the Lord Chief Baron *Reynolds*.
The Hon Mr. Juſtice *Reeve*.
The Rev. Mr. *Robertſhaw*, Rector of *Agmondiſham* in *Buckinghamſhire*.
Tho. Robinſon, Eſq; His Majeſty's Miniſter at the Court of *Vienna*.
The Hon. *Charles Roſs*, Eſq;
John Rudd, Eſq;
John Rudge, Eſq;
Dudley Ryder, Eſq; His Majeſty's Sollicitor-General.

S

The Right Hon. the Earl of *Scarbrough*.
The Right Hon. the Earl of *Scarſdale*.
The Right Hon. the Earl of *Selkirk*.
The Right Hon. the Earl of *Shaftsbury*.
The Right Hon. the Earl of *Strafford*.
The Right Hon. the Earl of *Suſſex*.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Shannon*.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Salisbury*, large Paper.
James Samſon, Eſq; of *Caryfitz Spaun* in *Somerſetſhire*.
Samuel Sandys, Eſq;
The Rev. Dr. *John Savage*.
Dr. *Exton Sayer*.
Sir *Luke Schaub*.
The Hon. *John Scrope*, Eſq;
John Selwyn, Eſq;
Sir *James Shephard*, one of his Majeſty's Serjeants at Law.
Edward Simpſon, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
Sion College Library.
Matthew Skinner, Eſq; Serjeant at Law, Recorder of the City of *Oxford*.
Sir *Hans Sloane*, Bart.
William Sloper, Eſq;
Mr. *John Smith* of *Great S. Helens*.
Sir *Edward Smyth*, Bart.
Stephen Soame, of *Little Thurlow* in *Suffolk*, Eſq;
Sir *Conrad Sprengell*, large Paper.
Charles Stanhope, Eſq;
Temple Stanyan, Eſq;
The Rev. Dr. *Stillingfleet*, Dean of *Worceſter*.
Alexander Strahan, Eſq;
Mr *George Strahan*, Bookſeller, 2 Copies.
John Strange, of the *Middle Temple*, Eſq;
The Rev. Mr. *John Sturges*, Prebendary of *Wincheſter*.
The Right Hon. Sir *Robert Sutton*.
The Rev. Mr. *John Swinton*, A. M. of *Knutsford*.

T

The Right Hon. the Earl of *Thanet*.
The Right Hon. the Lord *Trevor*.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Townſhend*, large Paper.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Torrington*.
The Right Hon. the Lord *Talbot* Lord High Chancellor of *Great Britain*.
The Right Hon. *James* Baron *Tyrawly* and *Killmaine*, Privy-Counſellor in *Ireland*, Colonel of the Royal Regiment of Fuziliers, Aide de Camp to His Majeſty, and Envoy Extraordinary at the Court of *Portugal*.
The Right Hon. the Lord *Tyrconnel*, large Paper.
The Rev. Dr. *Tanner*.
Joſeph Taylor, Eſq;
William Taylor, of the *Inner Temple*, Eſq;

The

Digitized by Google

The Rev. Dr. *Thiſtlethwaite*, Warden of *Wadham* College, *Oxford*, large Paper.
Mr. *de Thoms*, Envoyé Extraordinaire de *Saxe-Gothe* auprés de S. M. *Britannique*.
The Hon. Mr. Baron *Thomſon*.
Chriſtopher Tilſon, Eſq;
George Tilſon, Eſq;
Mr. *Jacob Tonſon*, Bookſeller, 5 Copies.
Richard Topham, Eſq;
Thomas Tower, Eſq;
The Hon. *Thomas Townſhend*, Eſq; large Paper.
William Trumbull, Eſq; large Paper.
Sir *Charles Turner*.
Sir *Thomas Twiſden*, Bart. of *Bradbourn* in *Kent*.

V

The Right Hon. the Lord Viſcount *Vane*.
The Hon. *Henry Vane*, Eſq;
The Hon. *John Verney*, Eſq; one of his Majeſty's Council at Law, one of his Juſtices in *South-Wales*, and Attorney-General to her Majeſty.

W

The Right Hon. the Earl of *Weſtmorland*.
The Right Hon. the Lord Viſcount *Weymouth*, large Paper.
The Right Hon. the Earl *Waldegrave*, his Majeſty's Miniſter at the Court of *France*.
The Right Hon. the Lord *Wilmington*, Preſident of the Council, large Paper.
The Right Rev. the Lord Biſhop of *Wincheſter*.
The Right Hon. Sir *Robert Walpole*, Chancellor of the Exchequer, large Paper.
The Right Hon. *Horatio Walpole*, Eſq; Cofferer of his Majeſty's Houſhold.
Edward Walpole, Eſq; 2 Copies.
The Dean and Chapter of *Weſtminſter*, for the Library of that Church.
The Hon. Lieutenant-General *George Wade*.
William Ward, LL. D. Judge of the Prerogative Court at *York*.
Dr. *Wadſworth*, M. D.
Spicer Weldon, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
Gilbert Weſt, Eſq;
John Weſt, Eſq;
Edward Weſton, Eſq;
John Willes, Eſq; his Majeſty's Attorney-General.
William Peer Williams, Eſq;
Sir *William Willis*.
John Wilſon, of *Lincoln's-Inn*, Eſq;
Thomas Winnington, Eſq;
John Wiſeman of the *Middle Temple*, Eſq;
Joſiah Woollaſton, Eſq; large Paper.
Henry Worſley, Eſq;
Sir *Robert Worſley*.
The Hon. *Edward Wortley Montague*, Eſq;
Thomas Winne, Eſq;
The Rev. Dr. *Samuel Wright*.
William Wright, Eſq;
Sir *William Wyndham*.
Thomas Wyndham, Eſq;

Y

His Grace the Lord Archbiſhop of *York*.
Sir *William Yonge*.
The Dean and Chapter of *York*, for their Library, large Paper.

In IRELAND.

A

The Right Hon. *Joſhua* Lord Viſcount *Allen*.
His Grace *Hugh* Lord Archbiſhop of *Armagh*, large Paper.
The Rev. Mr. *Alex. Alcock*, Dean of *Liſmore*.

B

The Rev. Dr. *Richard Baldwin*, Provoſt of the Univerſity in *Dublin*.
The Hon. *Francis Bernard*, Eſq; one of the Juſtices of the Common Pleas in *Ireland*, large Paper.

C

His Grace *Timothy*, late Lord Archbiſhop of *Caſhell*.
His Grace *Theophilus* Archbiſhop of *Caſhell*.
The Right Rev. *John* Lord Biſhop of *Clogher*, now Lord Biſhop of *Dromore*.
The Right Rev. *Henry* late Lord Biſhop of *Cloyn*.
The Right Hon. Dr. *Marmaduke Coghil*, one of the Commiſſioners of the Revenue in *Ireland*, *&c.* large Paper.
The Right Hon. *William Conolly*, Eſq; large Paper.
The Hon. *Tho. Coote*, Eſq;

D

The Right Rev. *Henry* Lord Biſhop of *Derry*.
The Right Hon. *Thomas Dalton*, Eſq; Lord Chief Baron of the Exchequer in *Ireland*.
The Rev. Dr. *Patrick Delany*, Chancellor of *Chriſt-Church*, *Dublin*.
The Univerſity of *Dublin*, large Paper.
The Rev. Mr. *Robert Duggat*, Chantor of St. *Patrick's*, *Dublin*.

E

The Right Rev. *Robert* Lord Biſhop of *Elphin*.

F

The Right Hon. *George* Lord *Forbes*.
James Forth, Eſq;

G

The Right Hon. Sir *Ralph Gore*, Bart. large Paper.

Luke

Luke Gardiner, Eſq; Deputy Receiver-General in *Ireland*, large Paper.
The Rev. Dr. *Claudius Gilbert*, Vice-Provoſt of the Univerſity in *Dublin*.
Dr. *James Grattan*, M. D.

H

The Hon. *William Harriſon*, Eſq; one of the Commiſſioners of his Majeſty's Revenue in *Ireland*.
The Rev. Mr. *Michael Hartlib*.

I

Robert Jocelyn, Eſq; his Majeſty's Attorney-General of *Ireland*.

K

The Right Hon. *Robert* Earl of *Kildare*.
The Right Rev. *Joſiah* Lord Biſhop of *Kilmore* and *Ardagh*.

L

The Right Rev. *William* Lord Biſhop of *Limerick*.
The Hon. Sir *John St. Leger*, one of the Barons of the Exchequer in *Ireland*.
William Lingen, Eſq;

M

The Right Hon. *Chaworth* Earl of *Meath*.
The Right Hon. *Charles* Earl of *Montrath*.
The Right Rev. *Ralph* late Lord Biſhop of *Meath*.
The Lord Chief Baron *Marlay*.
The Hon. *Thomas Medlycott*, Eſq;

P

John Putland, Eſq;

R

The Right Rev. *Nicholas* Lord Biſhop of *Rapho*.
The Right Hon. *James Reynolds*, Eſq; Lord Chief Juſtice of the Common Pleas in *Ireland*.
The Right Hon. *John Rogerſon*, Eſq; Lord Chief Juſtice of the King's Bench in *Ireland*.

S

The Right Hon. *Henry* Lord *Santry*.
The Right Hon. *Thomas* Lord *Southwell*.
Henry Singleton, Eſq; his Majeſty's Prime Serjeant at Law of *Ireland*.
The Rev. Mr. *William Smyth*, Dean of *Ardfert*.
The Rev. Dr. *Jonathan Swift*, Dean of St. *Patrick's*, *Dublin*.
The Rev. Dr. *Edward Synge*, Lord Biſhop of *Cloyn*.

T

The Right Hon. *Charles* Lord *Tullamoore*, large Paper.
The Right Hon. Sir *Thomas Taylor*, Bart. large Paper.
The Right Hon. *Richard Tighe*, Eſq;
Dr. *Thomas Trotter*, LL. D. Vicar-General of the Dioceſe of *Dublin*.

W

The Right Rev. *Thomas* Lord Biſhop of *Waterford* and *Liſmore*, large Paper.
The Right Hon. *Thomas Wyndham*, Eſq; Lord High Chancellor of *Ireland*, &c.
The Rev. Mr. *James Ward*, Dean of *Cloyn*.
The Hon. *Michael Ward*, Eſq; one of the Juſtices of the King's Bench in *Ireland*.
The Right Hon. Lieutenant-General *Owen Wynne*.

Les Noms des Souſcripteurs, dans les Pais etrangers, pour cet Ouvrage.

En France.

Le Roy, grand Papier.

A

M. le Marquis d'*Aubaye*.
M. l'Abbé d'*Auvergne*, Archevêque de *Vienne*.
Monſeigneur d'*Agueſſeau*, Chancelier de *France*, grand Papier.
M. *Amelot de Chaillou*, Intendant des Finances.
M. *Arnaud*, Prieur de *Cantenac en Medoc* prés *Bordeaux*.

B

M. *Bouhier*, Preſident à Mortier au Parlement de *Dijon*, grand Papier.
Meſſ. *Burriſh* & *Ribaud* de *Rouen*.

Pour la Bibliotheque du Roy à *Paris*, 2 Exempl. grand Papier.

C

M. *Carpentier*, Auditeur des Comptes.
M. *Pierre de Clairambault*, Genealogiſte des Ordres de ſa Majeſté.
M. *Conſtantine*, Seig. de la Lorie en Anjou, grand Papier.
John Cotton, Eſq; of *Angers*, large Paper.
M. le Prince *Croye*.

D

M. le Marquis *Doulede*.
M. le Marquis *Delafaille*.
M. *Delafaille*, grand Papier.

M.

F

M. l'Abbé *Francieres*, Docteur de *Sorbonne*.

G

M. *Gandouin*, Libraire de Paris, grand Papier.
—— ditto Papier ordinaire.
M. *Gaſque de la Lande*, grand Papier.
M. *Du Gatz*, Prevôt des Merchands à Lyon.
M. *Guerin* l'ainé Libraire de Paris, grand Papier, 2 Exemplaires.
——— ditto Papier ordinaire.

H

M. le Marquis de St. *Hilaire*.
M. *Henin*, Maitre d'Hôtel de S. M.
M. *Hozier*.

L

M. *Lancelot*, ancien Secretaire du Roy.
M. *Leonard*, Conſeiller au Châtelet de *Paris*.

M

M. le Preſident *Maſcrany* de *Paris*.

N

M. le Comte de *Norville*.

O

M. l'Abbé d'*Olivet*.

P

M. Pecquet.
Le Rev. Pere *Prevôt*, Bibliothecaire de St. *Genevieve*.
Monſeigneur de *Pontcarré*, premier Preſident du Parlement de *Rouen*.

R

M. L'Achevêque de *Rouen*, grand Papier.
M. *Rouillé*, Intendant du Commerce.

S

M. l'Abbé *Salmon*, Bibliothecaire de *Sorbonne*.
M. l'Abbé *Salyer*, grand Papier.

T

M. l'Abbé *Targnier*, à la Bibliotheque du Roy à *Paris*.
M. du *Theil*.
M. l'Abbé de *Thou*, grand Papier.
M. de la *Tourette* à *Lyon*.

à VENISE.

B

The Right Hon. *Guſtavus* Viſcount *Boyne*, large Paper.
Noel Brown, Eſq; large Paper.
Sir *John Buckworth*, Bart. large Paper.

C

Edward Coke, Eſq; large Paper.

L

Sig. *Marco Laroſe*, grand Papier.

M

Sir *William Morrice*, Bart. large Paper.
Petrus Antonius Michellotti Tridentinus, Med. Pro. grand Papier.

P

D. *Hermolaus Piſani*, Patritius Venetus, Senatorii ordinis.

R

D. *Joannes Baptiſta Recanati*, Nob. Venet.

S

Mr. *Joſeph Smith*, large Paper.
Mr. *Owen Swiney*, large Paper.

V

D. *Tryphon Vrachien*, J. U. D. Sereniſ. Reip. Venet. a Conſultis.

Z

Carolus Zenbio, S. R. I. comes, Patritius Venetus Senatorii ordinis, grand Papier.

En DANNEMARC, ALLEMAGNE, & HOLLANDE.

Le Roy de *Dannemarc*, grand Papier.

A

S. E. M. d'*Alvenſleben*, Conſeiller privé d'Etat du Roy à Hanovre.

B

M. *Henry Erneſt de Bertry*, Reſident à Amſterdam de S. A. R. de Pologne & Lithuanie & Electeur de Saxe, grand Papier.
M. le Baron *van Bremer*, grand Papier.

M.

M. le Baron de *Bulow*, Conſeiller privé de ſa Majeſté le Roy de *Pruſſe*, Chevalier de l'Ordre de St. *Jean de Jeruſalem*.

M. *Burckhard*, Conſeiller de la Cour de *Bronſvic Wolfenbuttel*.

Pour la Bibliotheque de l'Empereur.

C

Le Comte de *Cerbellon* Chambelan de Sa. Maj. Imperiale & Catholique.

M. de *Chavigni*, grand Papier.

M. le Baron de *Cramm* Envoyé extraordinaire du Duc de Blankenbourg à la Cour de Ruſſie.

D

S. E. M. le Comte de *Dehn*, Miniſtre d'Etat privé de *Bronſvic Wolfenbuttel*.

M. le Baron de *Dehn*, Conſeiller privé d'Etat de *Bronſvic Wolfenbuttel*.

Juſtus Chriſtoph Dithmar, Profeſſor Jur. Nat. et Gent. et Hiſtor. in Acad. Regia Viadrina.

G

M. le Chevalier *Garelli*, Premier Medecin de S. M. Imperiale & Cath. & Prefect de la Bibliotheque de ſa dite Maj.

Meſſ. *Gompertz* & *Reitlinger*.

Jo. Grammius, Ling. Græc. Profeſſor in Acad. *Haunienſi*, &c. chart. mag.

M. *Gruber*, Conſeiller de la Cour & Bibliothecaire du Roy à *Hanovre*, pour la Bibliotheque de S. M. grand Papier.

H

S. E. le General Comte de *Hamilton*.

I

S. E. M. le Baron d'*In* & *Cnyphauſen*, Preſident des Conſeils de S. M. le Roy de *Pruſſe*, Chevalier Commandeur de l'Ordre de St. *Jean de Jeruſalem*.

L

Le Prince *Joſeph Wenceſlaus de Lichtenſtein*.

S. E. Monſ. de *Lowenorn* Conſeiller privé du Roy de *Dannemarc*.

S. A. Sereniſſime et Reverendiſſime Monſeigneur l'Evêque de *Lubeck*, Duc de *Sleſwick-Holſtein*, &c. grand Papier.

M

J. C. Meiſner, Libraire à *Wolfenbuttel*, 2 Exempl.

Pierre Mortier, Libraire à *Amſterdam*, 2 Exempl.

S. E. M. de *Munchauſen*.

P

S. A. R. grand Papier.

S. E. le Comte de *Plelo*, Ambaſſadeur de ſa Maj. très Chrêtien à la Cour de *Dannemarc*, grand Papier.

S. E. le Sieur de *Pleſſe*, Miniſtre du Conſeil privé & Surintendant des Finances de S. M. *Danoiſe*.

M. le Doćteur *Parninger*, Medecin de la Cour de S. M. l'Imperatrice *Amelie*.

R

M. *Auguſt Levin von Rhetz*.

S

S. A. S. le Prince *Eugene de Savoye*, grand Papier.

S. E. M. le Comte de *Sinzendorf*, Chancelier de la Cour, & Miniſtre de Conference de S. Maj. Imperiale & Cath. grand Papier.

M. *Jean Chriſtoph*. Baron de *Schleinitz*, Miniſtre d'Etat privé, & Preſident du Conſeil de Guerre de S. A. S. le Duc de *Bronſvic Wolfenbuttel*, demeurant à *Bronſvic*.

Johann Friederich Baron de *Stain*.

M. le Baron *Starck*, Mareſchal de la Cour de S. A. S. le Duc de *Sleſwick Holſtein*.

M. de *Sauveterre*, chargé des Affaires de *France* à la Cour de *Pruſſe*.

M. *Jo. Julius Surland*, Sindic à *Hambourg*.

M. *Carl. Wilhelm van Schwartzwold* à *Dantzig*.

T

M. *Titley*, Reſident de S. M. Britannique à la Cour de *Dannemarc*.

M. *F. Truchſes*, Hereditaire Comte de *Waldbourg*, & Lieutenant-Coll. au Service de ſa Maj. *Pruſſienne*.

W

M. le Comte de *Windiſchgratz*, grand Papier.

M. de *Wedderkop*, Miniſtre d'Etat de S. A. S. le Duc de *Wolfenbuttel*.

M. de *Wedderkop*, Chevalier de St. *Alexandre*, Conſeiller Provincial, et Grand Maitre Hereditaire des Poſtes de S. A. S. le Duc de *Sleſwick Holſtein*.

Sir *Cyrill Wich*, Bart. his Majeſty's Envoy at *Hambourg*.


M. *Wille*, Symmiſta *Nicolaitanus Hamburgi*.

Meſſ. *Wetſtein* & *Smith*, Libraires d'*Amſterdam*, pluſieurs Exemplaires.

Z

M. *Jean Baptiſte Marc*, Baron de *Zuana*, Seigneur de *Beneſchau* & d'*Orded*, Conſeiller de la Chambre des Finances de S. M. Imp. & Cath.

Digitized by Google



ERUDITISSIMO VIRO

RICHARDO MEADO,

MEDICO REGIO.

CONFECTA tandem, et in lucem jam exitura, nova *Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum ſui temporis* editione, reſtat duntaxat ut rationem illius, quibuſque adminiculis in ea emendanda, illuſtranda, atque abſolvenda, uti licuit, breviter exponam. De his enim cl. Buckleius adeo fuſe et exquiſite diſſeruit, in tribus tibi inſcriptis epiſtolis jam editis, et huic editioni praefigendis, ut pauciſſima ſane mihi adjicienda ſuperſint. Ea autem, qualiacunque ſint, tu, quaſi jure tuo, a me depoſcas, cujus hortatu, impulſu, et auſpiciis, haec primo ſuſcepta, et demum adornata fuit editio.

ANNO Chriſti MDCCXXII, cum in Galliam me contuliſſem, per aliquot annos apud gentem humanitate in exteros, benevolentia in eruditos, et facili in omnes comitate, prae aliis inſignem commoraturus; ut inertiae peſtem, quam odio ſemper habui, fugerem, tempuſque ſtudiis mihi ipſi non inutilibus, nec literato orbi forſan ingratis, impenderem, exquirere viſum eſt, quaenam rei literariae ferax iſta regio ſuppeditare poſſet adjumenta, quibus egregia Thuani hiſtoria, quam in honore et deliciis ſemper habui, ab infinitis paene mendis Genevenſes aliaſque editiones vitiantibus vindicata, iiſque reſtitutis et in loca ſua tandem poſtliminio receptis, quae ad invidiam magnatum evitandam olim rejecta eſſent, auctior et explicatior jam prodiret; opuſque omnibus utile majori eſſet omnibus emolumento.

SPE citius deprehendi multa, quae coeptis meis faventia hiſce uſibus commode inſervirent. Conſilium mihi initio erat novam editionem Latinam adornare: cum Anglia vero idoneum lectorum numerum haud ſuppeditaret, nec in Gallia ad eam imprimendam privilegium obtinendi ſpes effulgeret ulla, tanti operis ſumptibus ſuſtinendis impar a propoſito deflectere coactus fui; et quo plures inter populares meos operis fautores haberem, illud e Latino ſermone in Anglicum vertere conſtitui. Dum in eo ſtudio animum occopatum haberem, Lutetiam venit Edvardus Southwellus, apud Hibernos a ſecretis regiis, vir ſingulari candore, humanitate, benevolentia, bonarum literarum amore, ingeniique venuſtate praeſtans. Is mihi forte obvius de hac re ſermonem inſtituit, tandemque petiit, ut, quae collectanea Thuani immortali operi ſive emendando, ſive ſupplendo, ſive denique explicando, inſervitura jam feceram, aut in poſterum facturum me ſperabam, ſcripto exponerem, quo certius et fidelius rem omnem referret ſibi conjunctiſſimo Georgio Clarke, celeberrimae academiae Oxonienſis in comitiis Britannicis delegato digniſſimo, viro rerum uſu, prudentia, ſolertiaque ingenii non mediocribus literis exculti inter noſtrates claro, cunctiſque ob publica eaque ampliſſima munera ſumma cum petitiae, diligentiae, nec non rarae in hoc aevo integritatis laude geſta, venerabili. Id, ut tanti viri, cui et ipſe plurimum debui, votis obſequerer, laetus feci in epiſtola quadam Rotomagi, quo uno vel altero die poſt colloquium ſuper ea re habitum me contuleram, pridie nonas Novembres A. C. MDCCXXIII data, et Southwello mox in Angliam reverſuro, Lutetiae tamen adhuc haerenti, inſcripta; qua etiam difficultates, quae me a tam exoptato conſilio hactenus deterruerant, plane expoſui. Hac cum Georgio et tecum, vir eruditiſſime, communicata, vos ex propenſo veſtro in literas literatoſque amore ac ſtudio conſilium approbantes, quae coepto adverſari videbantur, feliciter ſuperaſtis; et Samuelem Buckleium, virum honeſtum, diligentem, in literis humanioribus bene verſatum, tantique operis ſumptibus parem, ad rem periculoſae plenam aleae tentandam, et hujus editionis onus in ſe ſuſcipiendum excitaſtis. Facta inter eum et meipſum, vobis intervenientibus arbitris, conventione, inveſtigationibus neceſſariis ſummam adhibere diligentiam ſtatui, omneſque animi nervos intendere, ut editio ſuſcepta optimum Thuani foetum, quantum fieri poſſet, perfectum, omnibuſque numeris abſolutum exhiberet. Feliciter autem mihi evenit, quod in his inveſtigationibus tuis adjutus fuerim conſiliis; feliciter etiam, quod Galliam laborum meorum theatrum habuerim, ubi *Philippi* nomine notus, per ſex continuos annos miram tam nobilium quam literatorum, qui in illo regno frequentiſſimi florent, in omnibus, quae eruditionem et ſcientiam promoveant, impertiendis facilitatem, ac in peregrinum hominem benevolentiam, millies ſum expertus. Tot igitur tantaque officia gratiſſimo animo ſemper recolam, omnemque occaſionem pro facultatis tenuitate rependendi inter ſummas vitae felicitates collocabo.

MEDICAM autem priorum editionum erroribus corrigendis, omiſſiſque et caſtratis ſupplendis, manum admovere volenti, autographa aliaque manuſcripta operis exemplaria conſulere neceſſe duxi. Quorum tamen non niſi duo, alterum in ampliſſima Chriſtianiſſimi regis, alterum in reverendorum patrum Oratorii apud S. Maglorii ſeminarium bibliotheca Pariſiis adſervata invenire licuit. Aequum certe erat alia expectare, aut apud Jac. Aug. Thuanum auctoris noſtri nepotem, doctrina, probitate, ingenio, morum ſuavitate, et veri rectique ſtudio, tanti nominis non indignum haeredem; aut in Marchionis Seignelaii, magni illius Colberti tot ampliſſimis muneribus in aula Gallica rara fide, integritate, et ſolertia olim functi

(qui

Digitized by Google

(qui Thuani manuſcriptos codices pretio plus ſatis vili comparaverat) nepotis bibliotheca inſtructiſſima; indagine vero facta, fruſtra fui. Relatu quidem accepi aliud in ſereniſſimi regis Sardiniae, vel cujuſdam juxta Auguſtam Taurinorum monaſterii bibliotheca, etiamnum extare; ſed re per quoſdam literatos, qui illic verſati erant, penitus explorata, rumorem iſtum antea incertum, tandem plane falſum cognovi. Neque ex diligenti apud Francofurtum ad Moenum, Genevam, et in aliis locis facta inquiſitione, ulla alia Thuani operis manuſcripta alicubi terrarum ſupereſſe comperi.

Ex Pariſienſibus manuſcriptis illud, quod *regium* vocamus, a Petro Puteano in regia bibliotheca repoſitum cuſtoditur, ex pluribus, licet imperfectum, in folio conſtans voluminibus. Quorum priora duo, ipſius Thuani manu exarata, rerum geſtarum narrationem ab hiſtoriarum initio ad belli Ditmarſici exitum continua ſerie deductam exhibent, ſecundo in haec verba, *auctoritate Caeſarea firmavit*, deſinente; quae lector in hujus editionis tomo I, ad finem quarti capitis lib. XXII p. 744, facile inveniet. Eandem librorum diviſionem, quam Patiſſoniana editio anno MDCIV typis excuſa, hic codex adhibet; eique, haud paucis exceptis, quae auctor illa tempeſtate premere conſultius duxit, adeo conſtanter conſentit, ut editio iſta hinc facta videatur. Ad initium primi voluminis haec verba in vacua pagina leguntur, *Donum, v. ampl. Jac. Aug. Thuani die ultima an.* MDCXII *P. Dupuy*; et in ultima ejuſdem voluminis pagina, *αὐτόγραφον ill. v. Jac. Aug. Thuani*: quo autem tempore exarata fuerint neutiquam apparet. At in prima ſecundi voluminis pagina verbis Gallicis notatum eſt, *feu monſ. le preſident de Thou* Petro Puteano eodem die ejuſdem anni MDCXII illud donaſſe, quod, nomine ſuo adſcripto, Puteanus ipſe teſtatus eſt. Cum poſterior itaque haec nota poſt mortem Thuani manifeſto exarata fuerit, eo demum tempore, quo duo iſta volumina una cum reliquis, quae mox deſcribenda venient, in bibliothecam regiam deponebantur, fuiſſe appoſitam veriſimile videtur. Haec duo volumina nihil amplius ex primis octoginta hiſtoriarum libris ab ipſo Thuano, dum viveret, publicatis, quam duos et viginti jam memoratos, in ſe complectuntur. A vigeſimo igitur ſecundo libro uſque ad finem octogeſimi in hoc codice apparet hiatus. Proximum, hoc eſt tertium, volumen a libro octogeſimo primo, vel hiſtoriae continuatione poſt Thuani demum exceſſum in lucem emiſſa, initium habet, quem duo alia, quartum ſcilicet quintumque, recto ordine inſequuntur, et hiſtoriae filum uſque ad libri centeſimi vigeſimi ſexti finem haud intermiſſa ſerie pertexunt. Haec tria volumina non Thuani, ſed Sammarthanorum fratrum manu exarata ſunt, quorum opera in autographo ſuo pulcherrime juxta et accuratiſſime deſcribendo uſus eſt; quod certe aliis, minus auctori neceſſitudine conjunctis, minuſve ipſius ſcribendi figurae literaſque formandi modo aſſuetis, perquam difficile fuiſſet. Sextum volumen, quod ad librum centeſimum trigeſimum octavum progreditur, totumque opus claudit, Thuani ipſius manum iterum exhibet. Utinam autem hoc volumen characteribus tam perſpicuis, ac reliqua, effulſiſſet: licet enim primum et ſecundum hujus codicis volumina ſupradicta ſatis lectu ſint facilia; ſchedae tamen, quae hos duodenos poſteriores hiſtoriarum libros, a CXXVII ſcilicet ad CXXXVIII, deſcriptos habent, tam minuta et parum diſtincta manu exaratae ſunt (quod et in Thuani epiſtolarum, quas conſervavit, exemplaribus animadverti) ut abſque ſumma oculorum intentione, ac in locis paene infinitis ſine conſpicillorum ope, eas legere plane ſit impoſſibile: unde factum eſt, ut harum collatio vix celerius quam cryptographiae ſolutio procederet. Hae ſchedae non compactae ſunt, ſed disjunctae remanent, rerumque geſtarum narrationem adeo turbato ordine prima facie

facie exhibuere, ut codicem mancum noo immerito ſuſpicarer; poſt repertas vero lectiones integrum comperi. Rerum autem ab anno MDCI ad annum MDCVII ſeriem complectuntur, ſigniſque quamplurimis loca, quibus ea, quae auctori placuit hiſtoriae corpori jam compoſito denuo adjicere, inſeri oportuit, deſignaotibus ſcatent. Summamque certe adhibuit curam amanuenſis, quicunque fuerit, qui ea exſcripſit ut prelo ſubjicerentur, cum haec omnia additamenta in editionibus Genevenſibus ſuo quaeque loco, dictiſque ſignis congruenti, inſerta legantur, uno tantum excepto, quo de ſcriptis in controverſia inter Paulum V pontificem maximum et rempublicam Venetam utrinque publicatis auctor fuſius diſſerit, quod in iſtis editionibus omiſſum huic reſtituitur. Non levis autem momenti aeſtimandum eſt hoc autographi volumen, caecis licet characteribus, et ordine prima facie confuſo exaratum; cum unicus hic reſtet manuſcriptus codex, qui duodecim poſtremos Thuani hiſtoriarum libros repraeſentat. Porro in ſexto hoc, de quo agimus, volumine ſchedae commentariorum de vita Thuani injectae occurrunt, ab ipſo quoque Thuano conſcriptae. His ſex voluminibus duo alia ſunt adjuncta; quorum alterum Thuani vitam, fratrum Sammarthanorum manu exaratam, alterum hiſtoriarum epitomas ad libri centeſimi vigeſimi ſexti uſque finem continet. Utrum autem hic codex, cum in regia bibliotheca primum collocabatur, libros iſtos intermedios a vigeſimo tertio ad octogeſimum, qui, ut ſupra monui, jam deſunt, habuiſſet, necne, rem diligenti inveſtigatione digniſſimam exiſtimans, nihil laboris peperci, quo veritatem invenirem. Amicos igitur et neceſſarios ubique gentium, num quid ipſi de ea re aut legiſſent, aut ab aliis, quibuſcum verſabantur, unquam accepiſſent, primum percuntatus ſum. Cum nihil autem omnino ea ratione proficere potuiſſem, num in privatorum ſcriniis, an in monaſteriorum bibliothecis alicubi adhuc laterent, quantum licuit, perquirere incepi, ſed ne minima quidem eorum veſtigia uſpiam conſequi potui. Et profecto manifeſta ſunt indicia, quibus hunc manuſcriptum codicem haud majori integritate, quam hodie comparet, in regiam bibliothecam olim poſitum fuiſſe, ut credar, facile quis adduci poſſit. Octo enim volumina eodem ordine, quo ſupra deſcripſimus, manu plane diverſa in dorſo bis numerata ſunt. Priores numeri a 527 ad 534, poſteriores vero a 9598 ad 9605, continuata ſerie procedunt. Haec duplex oumerandi ratio duobus catalogis magno temporis intervallo confectis, in quibus codices manuſcripti ad certas claſſes vel capita pro argumentorum diverſitate redigebantur, accommodata fuit. Catalogus quidem iſte, quo minor numerus horum octo voluminum fuit expreſſus, hodie non extat; iis tamen temporibus ſine dubio conficiebatur, quibus manuſcriptorum numerus in regia bibliotheca haud ita magnus fuit, quod Puteani aetati recte convenit. Tantae autem eis acceſſiones ſequentibus temporibus ſunt factae, ut anno MOCLXXXII, quo anno novus catalogus, ut dorſum oſtendit, contexebatur, his octo voluminibus in propria ſua claſſe iterum diſpoſitis, numeri majores, hoc eſt a 9598 ad 9605, in dorſo eorum adjicerentur, quibus etiam in eo catalogo, qui manuſcriptorum codicum in regia bibliotheca eſt oviſſimus, jam notata conſpiciuntur.

ALTERUM, quod inveni, manuſcriptum exemplar in bibliotheca Maglorienſi adſervatur, Sammarthanorum fratrum manu exaratum. Horum alter filium habuit Abelem Ludovicum, S. Oratorii per Galliam congregationis praepoſitum generalem; quo A. C. MDCXCVII mortuo, hic inter alios manuſcriptos codices in ſuae religionis patrum ſeminarium Maglorienſe habitantium manus, ſive legataria donatione, ſive uſucapione tranſiit. Undecim complectitur volumina in folio, quae omnia ſocietatis illius, ob pietatem minime fucatam cum rara eruditione

conjunctam

conjunctam vere venerabilis, humanitate, et R. P. le Brun, viri ſincero, candido, et aperto ingenio, qui egregia in rebus ſacris ac recondita doctrina, et aequabili irreprehenſibilis vitae tenore, omnium amorem et admirationem, dum in vivis degeret, promeruit, amicitia mihi liberali manu ſuppeditata ſunt, ut domi ea inter et impreſſos codices diſcrepantias commodius notarem. Codex hic in libris hiſtoriae diſtribuendis eundem, quem Patiſſoniana editio, tenet ordinem, et ab eo, qui in Genevenſibus uſurpatur, plane diverſum, ad librum uſque octogeſimum primum; ubi Genevenſem divisionem adhibere incipit, perque omnia inde ſecuta retinet, in codicis ſcilicet corpore, nam in margine librorum diviſio a lib. LVIII ad impreſſorum normam exigitur. Hunc ex autographo Thuani, opere nondum omnibus ſuis numeris expleto, nec in eum, quo denuo prodiit, ordinem redacto, deſumptum facile cenſeo. In primo enim volumine quamplurima de rebus Marochenſibus et Africanis, quae in hujus editionis tom. I lib. VII occurrunt, deque Turcicis, Anglicis, Germanicis, et Italicis, in aliis ejuſdem tomi libris quaedam penitus omiſſa ſunt; alia minus fuſe, nec juſto ordine narrata; alia denique in foliis a reliquo volumine ſeparatis, et nonnunquam in alia volumina perperam rejectis, exſcripta; elogia item virorum illuſtrium et eruditorum non ſuo quaeque loco, ſed ad calcem voluminis appoſita. Hi tamen defectus non adeo gravis momenti eſſe videntur, cum autographon res ad annum uſque MDLIX geſtas complectens adhuc extet; majoris autem ſunt, qui inde, illo deficiente, in hoc codice occurrunt. Res enim Italicae, Belgicae, et Germanicae, quae in hujus editionis lib. xxii c. v, vi, vii, et viii, res Italicae, Hiſpanicae, ac Etruſcae, quae in ejuſdem editionis lib. xxiii c. xiii, xiv, xviii, et xix, quae etiam a c. xvi lib. xxv, et c. xii lib. xxvi, ad utriuſque finem leguntur, in hoc codice plane deſiderantur; ſive forſan poſt hoc a Sammarthanis fratribus exſcriptum exemplar ab auctore eſſent additae, ſive ab iis in foliis ſeparatis ſcriptae, et quodam caſu denuo diſtractae. A libri autem xxvii et Caroli IX regni initio ad anni MDCI et lib. cxxvi uſque finem, codex hic Sammarthanus hiſtoriam nobis ſatis perfectam, et continua ſerie deductam, exhibet. Demptis enim elogiis, et quibuſdam narrationibus ad res Anglicanas plerumque ſpectantibus, quas auctor poſtea a Camdeno hauſit, iiſque tam numero paucis quam ratione tractandi brevibus, quae inter variantes lectiones ſuo ordine per hanc editionem in ima pagina notantur, nihil, quod in editionibus Genevenſibus legitur, omiſſum reperi; plurima vero addita, quae etiam in ſuo loco repoſui. Quae tamen habet cum impreſſis communia, non eodem ſemper ordine diſpoſita videntur; cum enim Thuanus, hoc jam deſcripto codice, in melius mutavit, in impreſſis ea attribuens ſingulis annis, quae in manuſcriptis de rebus externis quandoque per biennium continenti ſerie narrantur. Nec ordo tantum, ſed ſtylus etiam variat, ſenſu tamen in omnibus eodem: quod praecipue adverti in rebus Scoticis, ubi primum Buchanani verba (quae manuſcriptum adhuc retinet) religioſe uſurpaverat, poſtea vero in impreſſis alia ſubſtituit; item in virorum urbiumque nominibus, quae, licet pro *Colinius*, *Andinus*, *Valentia Segalaunorum*, *Meulantum*, et id genus aliis in Genevenſi editione uſurpatis, manuſcriptum habeat *Caſtellonaeus*, *Andegavenſis*, *Valentia Cavarum*, *Medulanum*, non re, ſed voce ſolum diſſident. Haec centies repetita, et ab auctore noſtro, quod cuique de ſuo licuit, in recognito et excuſo opere mutata, ut nullius plane momenti, nec quidquam niſi moleſtiam et faſtidium lectori datura, prorſus neglexi: quidquid tamen vel minimam aut in ſenſu, aut in dicendi vi diverſitatem arguit, diligenter notavi, et inter variantes lectiones congeſſi. In ſeptem prioribus hujus manuſcripti voluminibus octoginta priores hiſtoriarum libros complexis,

plurima quidem in foliis ſeparatis, ſignis inſerendi loca deſignantibus affixis, exſcripta, pauciora vero multo in reliquis, qui a lib. LXXXI excipiunt, habentur; et ex his nonnulla Thuani ipſius manu exarata, vacuis etiam paginis in codicis corpore ad haec deſcribenda relictis. Vereor certe ne nimis frivolum videatur addere, quod in his ad ſummam paginam, qua paragraphus quiſque amplior incipit, quaedam apponantur notae, diem, ut opinor, quo auctor res geſtas in eo traditas conſcribere inſtituit, et forte non intermiſſa opera confecit, deſignantes; quae ex illius autographo in apographum Sammarthanum ſunt deſcriptae. Si his notis ulla ſit adhibenda fides, Thuanus lib. LXXXI kalendis Octobr. MDCI, lib. CXIII idibus Mart. MDCV, et lib. CXVIII pridie idus Sextil. eodem anno incepit; quo etiam anno opus ad libri CXXVI et anni MDCI finem perduxiſſe argumentis minime in dubium revocandis liquet. Nec ulterius codex hic Sammarthanus progreditur; adeo ut nullum prorſus duodecim poſteriorum hiſtoriae librorum extet manuſcriptum, niſi quod ab auctore exaratum, ut ſuperius dixi, in bibliotheca regia adhuc adſervatur.

His, ſcilicet regio et Sammarthano, codicibus cum prioribus editionibus diligenter collatis, et variantibus lectionibus huic ad imam paginam inſertis, ut ne ullam quidem loca iſtis ſubtracta ſupplendi rationem omitterem, ad duos alios libellos manuſcriptos recurri, eoſque deſcripſi. Horum alter a R. P. Jacobo le Long memoratus, pro titulo, *Detracta vel mutata in hiſtoriis illuſtris viri Jacobi Auguſti Thuani, ex ejus autographo editioni Genevenſi reſtituta,* habet; quem inter regiae bibliothecae manuſcripta a cl. Boivino diu, ſed fruſtra, quaeſitum cl. Targnius, vir antiqua morum diſciplina et multiplici doctrina praeſtans, cuique ipſe multis nominibus plurimum debeo, moleſta ſatis indagine facta, inter impreſſos codices illic tandem invenit, et mecum, qua pollet humanitate, communicavit. Alter, cui titulus Gallico ſermone, ſenſu tamen haud diverſo, expreſſus, *Les Omiſſions & Retranchemens dans l'Hiſtoire de Monſieur le Preſident de Thou,* inter Sammarthanos codices manuſcriptos in bibliotheca Maglorienſi conſervatur: uterque forſan a manuſcriptis hiſtoriae codicibus deſumptus fuit, at ex inſcitia, vel incuria amanuenſis, mire vitioſus, erroribus quoad voces plenus, quoad ſenſum locis quibuſdam inexplicabilis, ideoque mihi prorſus inutilis. Haec eadem vitia, ut id obiter notem, quod cl. Buckleius fuſius explicuit, in *Thuano reſtituto* cum manuſcripto regio accurate a me collato inveni. Nec ulla profecto ſive in hoc, ſive in aliis duobus libellis jam dictis, ſive denique in ora nitidiſſimi exemplaris Genevae impreſſi, quod in eminentiſſimi cardinalis Roani, magni animi principis, et literatorum Maecenatis munificentiſſimi, bibliotheca nunc extat, et plurima ex omiſſis deſcripta habet, occurrunt loca; quae non in Petri Puteani et Nicolai Rigaltii emendationibus longe accuratius deſcripta leguntur.

Hi Thuano ſumma neceſſitudine conjuncti, quibus operis ſui hiſtorici editionem paratam emittendi curam teſtamento commiſit, muneris ſibi a defuncto amico mandati memores, opere Genevae A. C. MDCXX edito, ſingulos iſtius editionis tomos ſeorſum perlegerunt, et quae in ea omiſſa fuerant, et poſteritati tradenda volnere, loca ſedulo notaverunt: Rigaltius partim in ſuo exemplari, partim in libello ſeparato, qui ſub titulo *Addenda vel delenda in hiſtoria Thuani* in S. Genovefae canonicorum bibliotheca, quibus Car. Mauritius Tellerius archiepiſcopus Remenſis ſuam inſtructiſſimam legavit, repoſitus manet; Puteanus vero in alio ejuſdem editionis exemplari in bibliotheca regia Pariſienſi adhuc conſervato, in cujus ora, aut in foliis eidem inſutis, aut denique in operis contextu, non ſolum omiſſa

ſupplevit,

ſupplevit, ſed et errores in vocibus ac literis typographicos ſumma cura emendavit. Haec duo ſupplementa, a viris magni in republica literaria nominis, et Thuani autographum paratamque editionem penes ſe habentibus, concinnata, fere in omnibus inter ſe conſentiunt: nec aliter ſane diſſident, niſi quod Puteanus Thuani vitae libris aliquas emendationes inſeruit, quod Rigaltius non fecit; atque hic contra eidem vitae introductionem praefixit, et quaedam de Henrico Guiſio duce adjecit, quae in Puteani exemplari deſiderantur. Horum lectiones notis *MSS. Put. et Rig.* pariter ac duorum, quae adhuc reſtant, hiſtoriae manuſcriptorum, de quibus ſupra dixi, *MSS. Reg. et Samm.* inſignitas, inter variantes repoſui, ut quandocunque ſingula ſive ſileant, ſive, alias inter ſe diſſideant, lector conjectu oculi facile deprehendat.

THUANUS noſter ſummo veritatis amore ardens, ne in rerum externarum narratione quidquam animadverſione dignum ſibi excidiſſet, quod minus recte et accurate poſteris traderetur; cum hiſtoriae ſuae volumen primum apud viduam Patiſſonii Lutetiae anno MDCIV impreſſum, velut reliqui operis ſpecimen, edidiſſet, ejus exemplaria quibuſdam principibus, omnibuſque ſibi ſive fama, ſive epiſtolarum commercio, ſive alias notis per Europam eruditis miſit, enixe rogans, ut quidquid in eo caſtigatione indigens animadverterent, hujus ſe per epiſtolas certiorem facerent: quod et libertate preci tam honeſtae congruenti praeſtiterunt. Has epiſtolas non levis eſſe momenti ad errores, ſi qui irrepſiſſent, corrigendos, defectus ſupplendos, et quaecunque minus perſpicue et diſtincte enarrata eſſent, illuſtranda exiſtimans; eas ſedulo inveſtigavi, et tandem voti compos reperi. Duo harum volumina in bibliothecae Puteaneae catalogo memorantur, ut etiam a R. P. Jacobo le Long in ſua *Bibliotheca Galliae Hiſtorica*, ſub titulis, *Avis, Cenſures, & Lettres originales ſur l'Hiſtoire du Preſident de Thou*; et, *Lettres, Memoires, & Obſervations ſur cette Hiſtoire*: quorum alterum numero 409, alterum numero 632 deſignari, et utrumque inter Puteani manuſcriptos codices conſervari, affirmat; licet non ex voluminum ipſorum conſpectu, ſed ex ſolo bibliothecae catalogo, eum, quae tradit, hauſiſſe perſuaſum habeam. Horum prius, ſcilicet num. 409, in cognitoris regii * bibliotheca adhuc extat, qui Puteani manuſcripta nullo non pretio digna, de ejus haeredibus a Joanne Jacobo Charonio Menarſio curiae Pariſienſis praeſide primum empta, de hujus vidua ingenti pecunia ſibi comparavit. Hujus voluminis exemplar penes ſe habuit Joannes Renatus Longolius Maiſonius ejuſdem curiae praeſes jam defunctus, quod rogatu Andreae Ramſaii Lazaraei equitis, viri felicitate ingenii vario literarum genere exculti, et ſcribendi facultate, quod ſcripta ejus teſtantur, morumque ſuavitate, ac animi candore praeſtantis, mihique ob innumera amicitiae officia ſedulo praeſtita chariſſimi, rara et pluſquam Gallica humanitate mihi, nihil tale cogitanti, impertivit. Hoc exemplar ad ſuum archetypum in Puteani bibliotheca repoſitum exegi. Eruditorum epiſtolae cum notis et animadverſionibus annexis in hoc volumine comprehenſae, interque alias eae, quae ad ſententiam in Thuani hiſtorias Romae latam ſpectant, omnes ad archetypi rationem exactae, in ſeptimo hujus editionis tomo exhibentur; una cum iis, quas complectitur alterum volumen in Puteaneae bibliothecae catalogo et a Jacobo le Long ſub num. 632 memoratum, de quo jam dicere progredior.

HOC inveni apud Nicolaum Petrum Camuſium Poncarreum, ſenatus Rotomagenſis primarium praeſidem, virum ob charitatem in patriam, humanitatem in omnes, et munus ampliſſimum per quamplurimos annos ſumma cum doctrinae, prudentiae, gravitatis, ac integritatis laude geſtum, illuſtriſſimum; qui id mecum benigne communicavit, copiamque exſcribendi fecit. Eundem ac num. 632 in bibliothecae

* *M. Joly de Fleury.*

bibliothecae Puteaneae catalogo praefert titulum, *Lettres, Memoires, & Obſervations ſur l'Hiſtoire de M. le Preſident de Thou.*

PLUS tamen, quam omnes alii eruditi, ad errores, qui, invito auctore, tam copioſo operi irrepſerant, emendandos contulit ipſe Petrus Puteanus. Is enim operi perpetuo intentus, et regiis diplomatibus, libriſque optimis evolvendis aſſidue occupatus, ex ſua paene infinita eruditione hos, ſiquis alius, et deprehendere et corrigere valuit. In uno Genevenſis editionis A. C. MDCXX exemplari omiſſa loca ex Thuani autographo ſuppleverat, et typographicos errores correxerat: quod, ut ſuperius dixi, bibliothecae regiae donavit. In altero ad oram paginae auctoris lapſus caſtigare, nominumque locorum et virorum expoſitiones adjicere conſtituit; quod et de die in diem fecit, donec ad perfectionis gradum, quo hodie conſpicitur, pervenit exemplar, Thuani familiae uſui deſtinatum. Hoc Jac. Aug. Thuanus auctoris nepos pro ſingulari ſua humanitate mihi impertivit; indeque deſumpſi emendationes, quae in hac editione inter notas ad imam paginam, Puteani nomine affixo, paſſim ſuo loco diſpoſitae videntur. Dolendum ſane eſt ſecundum hujus exemplaris tomum periiſſe, ita ut quatuor tantum penes hunc illuſtriſſimum virum hodie remaneant. Secundus iſte Achilli Harlaeo, ſenatus Pariſienſis olim praeſidi primario, mutuo datus fuerat, ut accepi, nec unquam redditus. Quapropter inter Chriſtiani Lud. Momorantii Lucemburgi Tingtienſis principis, ſtirpis nobilitate et ſua militari gloria illuſtris, qui Achillis neptem et haeredem uxorem duxerat, libros in Bellomontii caſtro forte deliteſcere ſuſpicatus, ſpe tantum inveniendi theſaurum ductus eo me contuli: ſed, indagine facta, fruſtra fui. Nec feliciorem habuere exitum perquiſitiones, quas feci in Germani Lud. Chauvelini procancellarii, et RR. PP. Jeſuitarum. in Ludovici magni collegio bibliothecis; licet illi ſuos manuſcriptos, his vero impreſſos codices Harlaeus legaverat. Et profecto nuſquam gentium diligentiſſima inquiſitione vel minimum hujus ſecundi tomi offendere valui indicium; quem non niſi unum ex pluribus, adeoque minus aeſtimatum, prorſus periiſſe autumo.

QUASDAM etiam emendationes, praeſertim in rerum Anglicarum narrationibus, ſed raras, ipſe adjeci, quae inter notas litera *C.* vel prorſus nulla diſtinctae, ſuo ordine diſpoſitae, ad extremam paginam exhibentur; plures vero, at levioris momenti, lector inter interpretationes paſſim inveniet. Pauci certe ante Thuani tempora titulis et diplomatibus antiquis evolvendis operam dederant; unde in rebus genealogicis, pleriſque fama potius quam ſcientia notis, multi in rerum geſtarum commentarios illi ab amicis ſubminiſtratos, ac inde in illius hiſtoriam illapſi ſunt errores. Hos accurata RR. PP. Anſelmi, Angeli, Simpliciani, item Imhoffi, aliorumque opera genealogica deinde edita detegendi juxta atque corrigendi facultatem ſuppeditarunt. Quas vero hac in re emendationes duxi neceſſarias, in perſonae aut familiae memoratae nominis interpretatione feci; arbitratus utique nequaquam me decere tanti nominis auctorem majore pompa caſtigare, cum hac ratione lectorem ab errore liberare, et hiſtoricae veritati ſatisfacere poſſem.

OMNIUM vero, quae Thuani hiſtoriarum editionibus deerant, nihil tam gravis momenti, nihil in nova adornanda aut magis fuit neceſſarium, aut factu difficilius, quam nominum propriorum, quae in iis occurrunt, expoſitio. Thuanus de more a ſui ſeculi eruditis uſurpato locis antiqua, quibus Caeſarum Romanorum tempore nota fuere, nomina per ſuae hiſtoriae libros indidit; antiquis vero deficientibus, horum appellationes, uti etiam hominum, ac munerum publicorum, Latine vertit, et pro vernaculis Romana, ſenſum, ſi forte vernacula admiſerint, vel poteſtatis aliquid utriſque commune, exprimentia ſubſtituit. Cum autem Romanae reipub-

licae

Digitized by Google

licae munera a Gallicis, et aliis Europaeis hodiernis plane eſſent diverſa; cum antiqua locorum nomina ſaepius nec ſono recentiora referant, nec lectoribus pleriſque ſatis ſint nota, nec de iis eruditi ipſi ſemper inter ſe concordent; cum denique pauciſſimi varias Europae linguas ita calleant, ut per voces Latinas, vernacularum ſenſum exprimentes, verum loci aut perſonae nomen facile deprehendere valeant: haec nomina Romano veſtita ritu, ſi non lectorem prorſus fugerint, ſaltem ei moleſtiam hactenus crearunt. Hinc factum eſt ut Thuani immortale opus, res graves, illuſtres, arduas perſpicue juxta et eleganter enarrans, recto ordine, judicio ſummo, candore incorrupto, perpetuoque veritatis ſtudio concinnatum, minus lectu jucundum evaſerit, rariuſque in nobilium ac eruditorum manibus ea de cauſa verſatum fuerit. Hiſtoriis editis, hoc incommodum mox patuit, ſed facilius erat malum deprehendere, quam remedium adhibere. Hoc tamen ſuſcepit Petrus Puteanus, et ſive ut eruditorum per omnes Europae regiones votis in hac re obſequeretur, ſive ut operi Gallice vertendo facilitatem afferret, ad oram exemplaris Genevae anno MDCXXVI partimque MDCXXX excuſi, dignitatum, hominum, ac locorum expoſitiones indies appoſuit. Ex his Jacobus Puteanus Petri frater, S. Salvatoris prior, *Indicem Thuani* deinceps compoſuit, et regio imprimendi privilegio XII kalendas Decemb. MDCXXXIII impetrato, librum anno ſequenti Genevae edendum curavit; ideoque Fr. Fulgentius, cum exemplar ſibi Venetias miſſum VIII idus Jun. eodem anno accepiſſet, in epiſtola ſua, qua donum illud agnoſcit, Venetiis XIV kalendas Sextil. ſequentes data, *Indicem* utrique fratrum, tanquam commune opus, attribuit. Jacobum ex Petri codice Genevenſi ſuperius memorato nominum propriorum expoſitiones, et quadringentas circiter contextus hiſtoriarum emendationes, quae inde ad verbum deſcriptae in *Indice Thuani* leguntur, deſumpſiſſe, ex utriuſque collatione luce clarius liquet: eas vero ex iſto codice nondum abſoluto, nec ad perfectionis gradum, quo hodie penes Jac. Aug. Thuanum auctoris noſtri nepotem extat, provecto, deſcripſiſſe, ex innumeris tam emendationibus quam expoſitionibus in *Indice* omiſſis, quae tamen in eo codice hodie apparent, pariter conſtat. Hic *Index* adeo deſideratus, et avide ab eruditis, cum primum in lucem prodiit, exceptus, malo levamen quidem, non tamen remedium attulit. Cum enim ad eum perpetuo fere recurrere ſit neceſſe, eoque pacto multum inſumatur temporis, narrationis abrumpatur filum, lectionis reprimatur curſus, animique attentio a rerum geſtarum contemplatione ad locum aut virum, de quo agitur, inveſtigandum revocetur; cum etiam, eodem nomine Latino multis hominibus, qui vernaculis plane diverſis deſignantur, accommodato, animus poſt tam moleſtam operam, pluſque ſatis temporis abſumptum, in expoſitione adhuc ſuſpenſus pendeat; cum denique munerum ac dignitatum omnia, virorumque quamplurima, nomina prorſus ſint omiſſa, nec ulla expoſitione enucleata: hinc factum eſt, ut *Index* iſte minus aptus ac utilis, quam prae ſe tulerit ſpes de eo prima facie concepta, tandem evaſerit; nec ulla reſtitit hoc obſcuritatis incommodum amovendi ratio, niſi nomina vernacula ad imam paginam, qua Latina occurrunt, ſignis idoneis diſtincta apponendo, quod in hac editione fecimus. Eximiae ſane in hac re utilitatis fuit exemplar penes Jac. Aug. Thuanum. In hujus enim margine nominum propriorum, quae in operis contextu leguntur, expoſitiones, plerumque ex adverſo, quandoque tamen confuſo ſatis ordine, utpote per intervalla, ſua ipſius manu exaratas, P. Puteanus appoſuit. Et Puteanus certe, qui

auctoris ſententiam penitus ſcivit, per multos annos ſumma neceſſitudine illi conjunctus, omnibuſque illius et hiſtoriae monumentis egregie munitus, veras ac certiſſimae auctoritatis expoſitiones, ſi quis alius, exhibere potuit. Orthographia quidem ejuſdem nominis vernaculi in diverſis locis plane diverſa eſt, nunc antiquo, nunc recentiori ritu inſtructa; quam tamen, a Puteano nempe adhibitam, nec ab Anſelmo aliiſque noſtri temporis genealogis rejectam, mutare mihi religio fuit. Secundo autem tomo hujus exemplaris jamdudum amiſſo, et in iis, qui reſtant, multis nominibus propriis, ſive nimio eorum concurſu, operae intermiſſione, aut loci in ora paginae defectu, nulla expoſitione dilucidatis; multi laboris opus adhuc reſtitit. Nec facile eſt percipere, quam immanem operam, quot, quantaſque perquiſitiones ad ea ſupplenda, quae deerant, neceſſarias eſſe invenerim. In Anglicanis certe rebus, quibus a teneris annis exercitatus ſui, parum difficultatis expectavi. Anglorum tamen nomina a Gallis diverſo a noſtro ritu pronunciata (Gallica item orthographia ſono aptata) et deinde Latina inflectione detorta, adeo ſpiſſa caligine involuta nonnunquam delituere; ut Rymeri collectaneis, omnibuſque noſtrae hiſtoriae ſcriptoribus tam Anglis quam exteris fruſtra evolutis, ad archiva publica in turri Londinenſi, ſanctiore conſiſtorio, et chartophylacio regio recondita, non raro coactus ſim recurrere; nec niſi poſt ſedulum plurium hebdomadum examen difficultatem enodare, deque vero *Boncorpii, Florae arcis, Ottoni reguli*, et aliorum nomine vernaculo pro certo ſtatuere potui.

DUM ſecundum tomum amiſſum ubique inveſtigarem, inter Harlaeanos codices ſeorſum ab aliis in RR. PP. Jeſuitarum bibliotheca adſervatos, quoddam exemplar Genevenſe reperi nonnullis nominum propriorum expoſitionibus ad oram paginae appoſitis illuſtratum. Hae autem numero pauciores, nec ſatis certi auctoris, nulli fere uſui inſervierunt. Majoris momenti erat alterum, olim eminentiſſimi cardinalis Radeſiani, deinde Gul. Lloydii nuper Vigornienſis epiſcopi exemplar, Genevae anno MDCXX editum, P. Puteani notis et expoſitionibus, ſi non propria (cui tamen haud eſt abſimilis) at ſaltem Jacobi fratris, aut certe cujuſdam, quo Petrus velut amanuenſi ſaepiſſime uſus eſt, manu exaratis ditatum. Hinc excerptae ſunt notae, quae per ſecundi tomi Genevenſis libros, in ſecundo vero et tertio hujus editionis tomis, diſperſae, ſigno *Put.* affixo, leguntur. Cum vero nominum propriorum expoſitiones, quas a Petri jam memorato exemplari inchoato, ſed nondum abſoluto (quod de *Indice Thuani* ſuperius dixi) deſcriptas fuiſſe mihi ex collatione conſtitit, non ſatis idoneo numero in hoc codice Lloydiano ſuppetant, has ſumma, qua oportuit, cura perficiendi opus ſane laborioſiſſimum aggredi compulſus, in eo hac ratione proceſſi: Auctores ad epitomarum calcem memoratos, ex quibus Thuanus operis ſui capita deſumpſit, omneſque alias, quas potui, illius aevi hiſtorias rerumque geſtarum narrationes particulares, quarum pleraſque auctorem, dum ſuas adornaret, ante oculos habuiſſe per indicia haud dubia comperi, prece vel pretio comparandas, ne minimis quidem praetermiſſis libellis, evolvi: perlectis etiam RR. PP. Anſelmi, Angeli, et Simpliciani, Imhoffi item, Reuſneri, Reineccii, et aliorum operibus genealogicis, omnium in iis memoratorum, qui intra Thuani hiſtoriae tempus floruere, illuſtrium virorum nomina excerpſi, eiſdemque in ordinem literarum redactis, indicem huic uſui apprime accommodatum concinnavi: opus ſane grandis laboris, faſtidii, et moleſtiae, quod tamen abſolutum multo grandiori me exemit, difficultates, quibus enodandis totos dies antea inſumpſi, uno fere momento dilucidans. Hac ratione, his auxiliis fretus, non ſolum quae deerant in aliis hiſtoriae tomis ſupplevi; ſed

eorum

eorum etiam, quae in ſecundi libris a vigeſimo ſeptimo ad ſeptimi et quinquageſimi uſque finem reperiuntur, nominum propriorum expoſitiones elaboravi. Quas cum in me recipere ſit neceſſe, non ab re erit, ut lectorem moneam me, ſumma adhibita cautione, proceſſiſſe; nec ullam, niſi auctoritate prius ſerio perpenſa, certiſque argumentis fultam, appoſuiſſe. Sin autem ingentis operae curaeque exquiſitae, quas in his enucleandis adhibui, conſcius, nominum propriorum, quae in libris hiſce leguntur, expoſitiones, non minoribus licet, quam quae in reliquis occurrunt, difficultatibus implicitas (utpote in quibus bellorum Galliae inteſtinorum initia enarrantur, et infinitus paene nobilium, nec antea nec ab alio memoratorum, occurrit numerus) haud minus tamen accuratas et perfectas eſſe, affirmare auſim; hoc mihi condonatum iri ſpero, praeſertim cum ita ſe rem habere, collatione facta, quiſque per ſe facile percipere poſſit.

Quod ad nomina propria Latina, ſive plane diverſa, eundem tamen virum deſignantia, ut *Entragius, Interamnas*; ſive varia orthographia donata, uti *Janlius, Jenlius, Jenliſius, Genlius, Genliſius*; nihil in contextu operis innovavi, niſi in Anglicis, Scoticis, et Hibernicis, quae nimium a Thuano detorta inter variantes lectiones rejicienda, aliaque ex Camdeno potiſſimum et Buchanano vernaculis convenientia magis, et eruditis jamdiu familiaria, ſufficienda, et editioni apud Anglos impreſſae ſatis apte inſerenda, duxi.

His de Thuani hiſtoria monitis, pauca de *Vitae ſuae* libris ſubjiciam. Horum duo manuſcripti codices in bibliotheca regia Pariſienſi extant; alter Thuani ipſius, alter Sammarthanorum manu exaratus. Hic tamen a Thuano deinde recognitus, quaedam habet ab ipſo propria manu quibuſdam locis inſerta; quae cum non extent in altero codice, quocum alias egregie conſentit, ſatis evincunt hunc non eſſe niſi illius apographum. Ad hujus normam excuſae ſunt Genevenſes *Vitae* editiones, quae omnia a Thuano addita habent, nec ab eo diſſident niſi in perpaucis locis, quorum ſive immutandi ſive prorſus omittendi ratio plane conſtat. Has tamen variantes lectiones cum emendationibus, quas P. Puteanus magis ad caſtigandum ſtylum, quam ulla alia de cauſa, ſuo exemplari Genevenſi in regia bibliotheca repoſito ſubtexuit, in hac habes editione. Habes etiam *Thuani hiſtoriarum ad Henrici* IV *Galliae regis exceſſum continuationem*, in tribus libris a Nicolao Rigaltio concinnatum. Habes denique Thuani *De Juliodunenſi pacificatione*, cujus ipſe pars magna fuit, epiſtolam e manuſcripto Sammarthano in bibliotheca Maglorienſi deſcriptam; alteram Petro Jaoino ſenatus Divionenſis principi inſcriptam, aliaſque ejuſdem epiſtolas; item Nicolai Fabri *Praefationem in Hiſtoriam concilii Tridentini* a Thuano ſcriptam; Petri etiam Puteani duas apologias, alteram pro Jac. Aug. Thuani hiſtoria; alteram pro Franciſci Auguſti filii ejus memoria, ſub titulo, *Memoires & Inſtructions pour ſervir à juſtifier l'innocence de Meſſire François Auguſte de Thou*: quorum ſcriptorum alia licet olim impreſſa, multo tamen jam caſtigatiora; alia vero hactenus in manuſcriptis deliteſcentia, atque inde nunc demum eruta, in lucem prodeunt. De his autem ceteriſque tam eruditorum epiſtolis, quam aliis monumentis, in ſeptimo hujus editionis tomo excuſis (ut taceam nomina, quae, haud impetrata venia, memorare mihi non eſt integrum) ſufficiat, fide mea interpoſita, affirmare, ea omnia aut ex autographis ipſis, aut ex certiſſimae auctoritatis apographis exſcripta eſſe, ſummaque fide edita.

Plura

PLURA addere, cl. Buckleii epiſtolis nunc in Latinum ſermonem converſis, plane ſupervacaneum eſt. Deſino itaque, et rogo ut hanc epiſtolam accipere non graveris, tibi Thuani ratione certe debitam; oblatam vero ab illo, qui pro tot in rempublicam literariam meritis, tot in ſe collatis beneficiis, ſemper erit,

Ex Interioris Templi aedibus,
XVII *kalendas Quintiles*
A. C. MDCCXXXIII.

vir eruditiſſime,

tui obſervantiſſimus,

THOMAS CARTE.

TRES

Digitized by Google

TRES EPISTOLAE

DE

Nova THUANI hiſtoriae editione paranda atque adornanda conſcriptae.

LECTORI S.

TRES epiſtolae ſequentes, haud parvis intervallis ſcriptae, primum Anglice, dein duae priores etiam Gallice, evulgatae ſunt. In iis autem quaecunque notatu digna ſcriptore de Thuano et hiſtorico ejus opere perquirenti occurrerint, plane ſunt expoſita. Sed quia nonnulla dubie primum, prout tunc apparebant, tradita, in clariſſima deincepe luce conſtituta ſunt, et pro certis accepta; non deerunt forſan, qui conſultius eum feciſſe exiſtiment, ſi compendio operae has tres epiſtolas in unam continuatam narrationem redegiſſet. Veruntamen cum ſemel atque iterum hac forma multorum approbatione exceptae ſint; maluit ex eo, quod hactenus placuerat, de eruditorum judicio in poſterum conjecturam capere, quam, facie ſcriptionis novata, iis diſplicendi periculum ſubire. Huc accedit, quod plerique homines non tantum verum audire amant; ſed quibus etiam rationibus in rebus perveſtigandis, quaſi per gradus, in lucem veritatis tandem ſit perventum, ſibi enarrari cupiunt. Dum ſingula autem recenſebantur, alia emendare, alia adjicere, nonnulla etiam aut explicare, aut confirmare, omnino neceſſe eſſe videbatur. Vale.

EPISTOLA PRIMA.

Eruditiſſimo viro, RICHARDO MEADO, GEORGII SECUNDI Magnae Britanniae regis Medico celeberrimo,

SAMUEL BUCKLEIUS S.P.D.

AMPLIUS jam triennium eſt, ex quo vir eruditus, Thomas Cartius, qui in Gallia aliquamdiu verſatus erat, conſilium ſuum de Thuani hiſtoria ex Latino in Anglicum ſermonem vertenda cum amicis hic communicavit. Ut hoc autem conſilium caperet, eum induxerunt tum ſcripti quidam codices, quos in bibliothecis aliquot Lutetiae et alibi viderat, ac deſcribendi copiam nactus erat; tum ſpes etiam, quas de pluribus porro inveniendis conceperat: quorum ope tot tantaeque acceſſiones, explicationes, et emendationes ſuppeditarentur; unde nova egregii illius operis editio, longe auctior et utilior, quam ulla hactenus in lucem emiſſa, adornari poſſet. Epiſtolam quandam mihi oſtendere dignatus es, in qua vir ille eruditus de hoc argumento copioſe ſcripſerat; et in ſermone deinceps ſuper ea re habito in illa te eſſe opinione dixiſti, ut collectanea, quae aut tunc feciſſet, aut in poſterum faceret, ad perfectam editionem Latine conficiendam ante omnia adhiberi conveniret. Pretio igitur haud exiguo ab eo comparare propoſui, atque editionem ejuſmodi his adjumentis ſuſcipere. Hoc cum tu, pro ſingulari tuo ſtudio in bonis literis earumque cultoribus adjuvandis, ei ſignificare in te recepiſſes; is, audita et ac-

cepta conditione, ex illo tempore in eis colligendis mihique tranſmittendis, quae inſtituto operi inſervire poſſent, ſtudioſe occupatus fuit. Statuit etiam in epiſtola ad te ſcripta, quibuſcum in Gallia viris illuſtribus, quorum bibliothecas aliquid, quod ſibi eſſet uſui, ſuppeditaturas ſperabat, ipſe ſit verſatus; et quo ſucceſſu tantam operam et laborem inſumpſerit, plene et accurate enarrare: quod ut omnes etiam intelligant, non ab re erit eam epiſtolam una cum hiſtoria publicari. Interim vero quid hactenus noſtrum fuerit conſilium, et quibus rationibus in praeclaro hoc opere edendo uti ſtatuam, paucis tibi explicare conabor.

In primis igitur omnes Thuani editiones typis excuſas colligere inſtitui; quarum pleraeque adeo ſunt rarae, ut in illis partim inter noſtrates, partimque apud exteros, conquirendis multum temporis et pecuniae impenderim: quas ut jam ſigillatim deſcribam, mihi omnino neceſſarium videtur. Quanquam enim Joh. Pet. Tirius in *Thuani Voluminum Hiſtoricorum Recenſione* [1] hanc provinciam laudabili ſane propoſito ſuſceperit; quae tamen ab eo ſunt tradita, adeo imperfecta, confuſa, et partim etiam falſa inveni, ut in multis expectationi meae parum ſatisfecerint. Liber, etſi non ubique obvius, in doctorum adhuc manibus verſatur; et ni loci quidam maximi, ut videntur, momenti recte accipiantur, lectores conturbare, et in errores aliquot ducere poſſint, quibus de inſtituta noſtra editione perperam dijudicent.

Prima ullius partis Thuani hiſtoriae editio Lutetiae, apud viduam Mamerti Patiſſonii, anno MDCIV in folio excuſa fuit, hoc titulo, *Hiſtoriarum ſui temporis pars prima*; quae, in octodecim libros diviſa, res geſtas ab anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto ad ſexageſimum, ordine temporum traditas, complectitur. Volumen hoc Titii obſervationem effugerat, quod mirari ſubit, cum nec liber ipſe inter rariores numerari debeat, utpote qui in multis bibliothecis occurrit; et a Colomeſio nominatim laudetur in ſua *Bibliotheque choiſie*, quae anno MDCLXXXII, hoc eſt, triennium ante Titii *Recenſionem*, primum edita fuit, ubi ita ſcribit: *Quelque edition, que l'on ait de l'hiſtoire de M. de Thou, il faut y joindre les dixhuit premiers livres imprimez chez Patiſſon, à cauſe de certains endroits, qui ne ſe rencontrent point dans les autres editions* [2]. Tirius autem, qui hoc volumen nunquam viderat, *Hiſtoriae*, inquit, *Thuaneae primum Pariſiis prodiere* (1) *in octava, ut officinae vocant: pars prima, ejuſque tomus alter,* A. MDCIV: *tomi ſecundi pars I et II,* A. MDCVI: *pars III,* A. MDCVIII. *Editio alia* (2) *item Pariſiis evulgata, ſed in folio, et tomis tribus; quorum primus et ſecundus* A. MDCVI *ac partim* A. MDCVII, *tertius* A. MDCIX *exiit* [3].

Verum quidem eſt eodem anno MDCIV primam iſtam partem, quae, ut jam dixi, apud viduam Patiſſonii in folio edita fuerat, duobus etiam tomis in octavo, eundem et librorum et annorum numerum complexis, Lutetiae *apud fratres Ambroſium et Hieronymum Drouartium*, ut titulus prae ſe fert, excuſam iterum prodiiſſe. Utrique harum editionum idem privilegium Thuano hiſtoriam ſuam evulgandi conceſſum praefigitur, dat. *pridie eid. Octobris* A. S. MDCIII. Exemplar autem iſtorum tomorum in octavo penes me eſt, *apud viduam Mamerti Patiſſonii*, ut ex titulo apparet, excuſum; haec tamen plane eadem eſt editio, atque illa, quae fratrum Drouartiorum nomen exhibet. Duos igitur hos tomos apud viduam Patiſſonii revera fuiſſe impreſſos, totamque editionem nomen ejus primum tuliſſe; poſtea vero fratres Drouartios, exemplaribus ab ea comparatis, titulum detraxiſſe, atque alium ſuo nomine inſignitum appoſuiſſe, veriſimile videtur: id quod in aliis etiam libris haud raro a bibliopolis fieri ſolitum ſatis notum eſt. Hoc, ut ut per ſe levis ſit momenti, ne quis tamen in Thuani editionibus recenſendis hinc forſan aberraret, operae pretium obſervare exiſtimavi.

Quanquam autem tam inſcriptio, quam edendi privilegium, utriuſque harum editionum eundem praeferant annum; duo tamen ſunt, unde Patiſſonianam illam in folio priorem fuiſſe ſatis manifeſto conſtat. Alterum eſt, quod errata hujus editionis (quorum nonnulla ex ſententiis prorſus immutandis conſtant) ab auctore praefationi vel epiſtolae ſuae ad regem Henricum ſubjecta, in proxima editione, ut ipſe promittit, corrigenda, in Drouartiana ſuo quaeque loco accurate ſunt correcta: alterum,

[1] Edita fuit Gedani anno MDCLXXXV in quarto. [2] Pag. 400. [3] Recenſ. p. 1.

rum, quod in fine prioris tomi Drouartiani mira de lapide Indico legitur narratio, quae in Patiſſoniano volumine non comparet. Verba ita ſe habent:

Pag. 453. l. 3. *poſt* exſolvit *adde,*

Dum rex Bononiae eſſet, allatus eſt ad eum ex India orientali ab homine incognito, ſed, ut apparebat, moribus barbaro, lapis ſtupenda ſpecie et natura, videlicet lumine et fulgore mirabiliter coruſcantibus, quique totus veluti ardens incredibili ſplendore micabat, et, jactis quoquo verſus radiis, ambientem aerem luce nullis fere oculis tolerabili latiſſime complebat. Erat et in eo mirabile, quod terrae impatientiſſimus, ſi cooperiretur, ſua ſponte et vi, facto impetu, confeſtim evolabat in ſublime; contineri vero includive ullo loco anguſto nulla hominum arte poterat, ſed ampla liberaque loca duntaxat amare videbatur. Summa in eo puritas, eximius nitor, nulla ſorde aut labe coinquinatus. Figurae ſpecies nulla et certa, ſed inconſtans et momento commutabilis; cumque eſſet aſpectu longe pulcherrimus, contrectari tamen ſeſe impune non patiebatur, et diutius contra adnitentibus aut obſtinatius cum eo agentibus incommodum afferebat; quod multi, multis ſpectantibus, ſunt experti. Si quid fortaſſis ex eo enixius conando detrahebatur, nam durus admodum non erat, nihilo minor fiebat. Hujus virtutem ac vim eſſe ad quamplurima cum utilem, tum praecipue regibus neceſſariam, aiebat hoſpes, qui miraculum oſtentabat, ſed quam revelaturus non eſſet, niſi ingenti pretio prius accepto. Haec, ut in literis Jo. Pipini, oculati rei teſtis, qui in familia A. Momorantii M. E. medicinam faciebat, ad Ant. Mizaldum, et ipſum inſignem medicum, pridie Aſcenſionis Bononia datis, perſcripta ſunt, ita trado, et amplius diſcutienda phyſiologis relinquo: nam veteribus, qui de rebus hujuſmodi ſcripſerunt, ſimilis lapis necne cognitus fuerit, nec Pipinus iis literis ſe ſcire dicit, nec ipſe affirmaverim.

Anno MDCVI hanc primam Thuani partem Drouartii quoque uno volumine in folio ediderunt: quae tamen editio a duabus prioribus in eo diſcrepat, quod octodecim libri, ex quibus illae conſtiterunt, hic in ſex et viginti diſtributi ſunt.

Huic primo volumini in folio alterum volumen ejuſdem formae adjectum fuit, apud Drouartios eodem anno MDCVI pariter excuſum. Hoc ſecundum volumen viginti tres libros, a ſeptimo et vigeſimo, unde, ut par erat, incipit, ad quadrageſimum nonum comprehendit, ſerie rerum uſque ad annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum ſecundum perducta.

Eodem anno MDCVI Drouartii hoc poſterius volumen, a ſe in folio jam editum, duobus etiam tomis in octavo publicarunt; idque eo conſilio, ut editionem in octavo, anno MDCIV emiſſam, perficerent. In hac autem editione priorem in folio catenus ſecuti ſunt, ut libros a vigeſimo ſeptimo numerare inceperint, nulla ratione habita octodecim librorum, in quos duo priores tomi in octavo fuerant diviſi; nova vero librorum diſtributione numerum, qui in ea quadrageſimo nono deſierat, ad primum et quinquageſimum auxerunt.

Sequenti anno MDCVII iidem Drouartii fratres tertium operis volumen, quo hiſtoria ad annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum quartum pertexta eſt, in folio vulgarunt. Hoc volumen, in quo, numeri librorum ſecundi voluminis in folio (quod, ut dixi, quadrageſimo nono concluſerant) nulla iterum ratione habita, novam diſtributionem tertii ac quarti tomi in octavo ſervarunt, ſex libros a quinquageſimo ſecundo ad ſeptimum et quinquageſimum continet.

Anno MDCVIII Drouartii, ut editionem in octavo alteri accommodarent, hos ſex libros ea forma prelo ſubjecerunt; recteque librorum ordinem hujus quinti tomi in octavo a quinquageſimo ſecundo ad quinquageſimum ſeptimum numerarunt.

Annos, quibus ſingulae partes utriuſque Drouartianae editionis, quarum altera in octavo, altera in folio excuſa erat, ad id tempus prodierunt, itemque mutationes in librorum numero factas, adeo diligenter adnotavi; ut hinc appareat mutationes iſtas, quae tantum negotium Titio faceſſerunt, neque parvam libri ejus partem efficiunt, tam levis eſſe momenti, cum nihil aut in temporum ſerie, aut in contextu rerum, ea de cauſa fuerit omiſſum.

Anno MDCIX Hieronymus Drouartius, cujus frater Ambroſius anno priori ultimum diem clauſerat, quartum volumen in folio edidit; quo tribus et viginti libris,

bris, hoc eſt, a quinquageſimo octavo ad octogeſimum, hiſtoriae filum uſque ad annum milleſimum quingenteſimum octogeſimum quartum auctor pertexuit.

Drouartius editionem ſuam in octavo hujus ultimi voluminis additione non perfecit. Veruntamen, ſive quod inaequales numeri quinque tomorum in octavo non divenditi (ſicut plerumque accidit, cum plures operis alicujus partes diverſis temporibus evulgatae ſunt) apud ſe remanerent, ſive alia quacunque cauſa in id conſilium adduceretur; editione certe in octavo neglecta, novam totius hiſtoriae, quatenus auctor eo tempore libris octoginta perduxerat, undecim tomis in duodecimo ſuſcepit. Titius, cum *Recenſionem* ſuam ſcribebat, hanc editionem in duodecimo nondum aſpexerat; in *Recenſionis* vero *Luſtratione* ita deſcribit: *Editio haec in forma duodecima eſt Pariſienſis tertia ac minima. De tertia illud commonendum eſt, eſſe eam omnino duabus illis prioribus longe praeponendam. Primum enim in hac libri omnes accuratiſſime diſtributi, rectiſſimeque numerati ſunt; quos in illis graviſſime aberraſſe obſervavimus. Deinde quae addi Thuanus, omittive, atque emendari in his* LXXX *libris tum voluit, in editione hac Pariſienſi tertia probe curata perſpicimus: neque id tantum in tomis duobus ultimis,* X *et* XI, *qui* A. MDCXIV, *verum etiam in* IX *prioribus, qui* A. MDCIX *excuſi. Exemplo id cognoſci luculentiſſimo poteſt: In parte quarta, ſeu tomo tertio operis, Lutetiae* A. MDCIX *in folio editi, initio praemittuntur addenda et corrigenda ſatis multa; quae ſane omnia in editione, quam hic commendamus, tertia ſummo ſtudio ac fide exactiſſime ſuppleta atque emendata inveniuntur* [1].

Cum diverſa autem librorum conſtitutio in Thuani hiſtoria novi et inſoliti quiddam in ſe habere exiſtimetur, rationes aliquot hujus rei ex praefatione ad lectorem editioni in duodecimo praefixa hic adferam; quarum illae ab auctore profectae eſſe videntur: *Nec eſt quod te conturbet, ſi librorum aliquot initia ſecus, ac primo fuerant, concepta reperias: quidni ſuper re ſua uti quiſque ſtatuerit, ita jus ſit? quanquam et haec mutatio ratione conſilioque non careat, nimirum ut eſſet opere in magno ubi ſubſiſtere ſaepius et reſpirare poſſes.* Quae ſequuntur, Drouartii fuiſſe primo aſpectu quiſquam conjiciat; quibus Francofurtenſes proſcindit, qui ſingulas Thuani partes, quae Pariſiis excuſae erant, commodiori ſcilicet ad uſum, quam antea, ratione, ut prae ſe ferebant, in fraudem ipſius recudiſſent. *Tum ut ſeſe lubentius ſupervacuis officiis abſtinerent, qui jam corporis hujuſce hiſtorici compagem apte decenterque cohaerentem capitum aut ſummarum commatis ſive paragraphis divellere, fruſtillatimque concerpere meditabantur; quin et politicas, ſi placet, ad paginarum marginem notas parturiebant. Fidem heic tuam, quiſquis es, lector, appello; apage Abderitica deliramenta; ſtet ſuus operi nitor, ſua hiſtoriae ſimplicitas, integra tibi quicquid volueris obſervandi, ſentiendi libertas.* Priuſquam autem praefationem iſtam dimittam, obſervare oportet, editionem hanc in duodecimo paulo ſupra *tertiam editionem, quam* auctor *pro archetypo eſſe velit, et vero jubeat*, nominari; unde nonnulli, re haud ſatis attente conſiderata, pro tertia editione recte etiam a Titio habitam fuiſſe autument. Sed ut volumen Patiſſonianum in folio tunc extitit, et etiamnum extat, licet Titius nunquam vidiſſet; ita editio in duodecimo, utcunque praefatio appellet, reapſe fuit quarta. Etenim quam operis ſui *tertiam* editionem Thuanus cenſeri voluerit, diſertis verbis ipſe nos docuit. Narrationem de lapide Indico in Patiſſoniano volumine non legi; deinceps vero a Thuano temere arreptam primo tomo Drouartianae editionis in octavo, quae alteram illam anno MDCIV ſequuta eſt, additam fuiſſe, ſupra obſervavi. Jam eidibus April. anno MDCVIII S. N. Thuanus literis, quas a Camdeno acceperat, reſponſum reddens, inter alia ei gratias agit, qui tam amice ipſum de fabella iſta admonuiſſet, cui adeo inconſulto fidem dederat; quod tamen antea ſe quoque animadvertiſſe certiorem facit. *Id jam*, inquit, *ex eo ipſo Fernelii loco, quem innuis, animadverteram; ut ex editione tertia primae partis ante annum publicata tibi conſtare poterit, in qua totum hoc omiſſum eſt* [2]. Editio, quam Thuanus hic *tertiam* rite appellat, ſine dubio Drouartiana eſt in folio, quae annis MDCVI et MDCVII tribus voluminibus edita fuit, et fabulam, de qua loquimur, non habet. Nam verbis illis, *ante annum publicata*, in epiſtola anno MDCVIII exarata ad proximam editionem in duodecimo indicandam uti non potuit, quippe quae anno demum

[1] Luſtrat. p. 31.

[2] Vid. Tom. VII. hujus edit. cap. V. p. 11.

mum ſequenti prelo ſubjiceretur. Pluribus de hac re egi, quam alioquin forſan neceſſarium fuiſſet; quod de alia Pariſienſi editione mentionem faciendi paulo poſt occaſio ſe offeret, quae in praefatione ad lectorem *quarta* nuncupatur. Drouartius ſane editionem in duodecimo *tertiam* ſuam recte ſatis appellare potuit, qui nullam unquam Patiſſoniani voluminis in ſuis editionibus rationem habuerit; et praeter ea, quae praefationi, ut diximus, commodi ſui gratia interra videntur, tertio volumini in folio, nonoque etiam tomo in duodecimo, admonitionem ſimilibus fere, atque in praefatione, de mala fide Francofurtenſis typographi querelis refertam praefixerit, quam nemo fere, ut opinor, cum primum legat, Thuano attribuet. Admonitio his verbis concipitur: *Quod harumce hiſtoriarum ſcriptor in operis limine nuper edici voluit, non placere ſibi miſerom ardelionum, qui in alienis ſcriptis ingenioſi videri cupiunt, ambitionem; id ipſum heic etiam iterandum venit, ob inofficioſiſſimam male feriati cujuſdam typographi ſedulitatem, qui ſuperioribus nundinis editos Francofurti ad Moenum praecedentes libros, minime ad poſtremam Pariſienſem editionem, quod ſaltem debuit, expreſſos, notis conſperſit ineptis et frivolis. Sane hominem, ut ab incepto deſiſteret, viri probi et graves in Germania paſſim hortati fuerant; quibus ille, ſi pudori, ſi otio conſuluiſſet, parere neceſſe habebat. Sed is fuit vervecei capitis ſtupor, ut prudentiſſimis monitis pervicaciter obſurduerit. Itaque, quando facta infecta fieri nequeunt, ſatis vindicata videbitur injuria, ſi nugatoris illius Marrucinitas, quaſi Marſyae cutis, ad ludibrium propoſita ceteros hujuſmodi nebulones abſterreat, et cispellat. Lutetiae Pariſior. prid. eid. Sextil.* MIƆCIX. Thuani autem editio penes me eſt, Offenbachi in folio excuſa, quae primos quinquaginta ſeptem libros comprehendit; atque alterum tomum, Francofurti anno MIƆCX editum, quo viginti tres libri proxime ſequentes uſque ad octogeſimum continentur, ſibi adjunctum habet. Huic poſteriori tomo typographi Francofurtenſis reſponſum admonitioni Pariſienſi praefixum eſt; quod non modo rei noviratis gratia, ſed quia ad propoſitum noſtrum nonnihil facere videatur, deſcribere hic non pigebit. *Quod auctor hujus operis olim edictum, et nuper iteratum voluit, non probare ſe nempe meam in recudendis ipſius libris, adjiciendiſque notis marginalibus, ſedulitatem: id in frontiſpicio hujus tomi modeſtiori reſponſione, hoc eſt, Germanica, diluendum fuit. Nam nec ego ulla ambitione ductus Thuani hiſtorias e typis Pariſienſibus tranſcripſi, ſed communis utilitatis promovendae ſtudio ſumptus illos feci. Nec notae marginales quidquam inferunt, quo vel mens auctoris vim patiatur, vel ſcriptionis genus deformetur. De quo ad virorum doctorum totius Germaniae judicia confidenter provoco: utpote quibus exemplum Francofurtenſe magis arridere vel inde conſtat, quod hoc illo vendibilius, et in officina mea crebrius expetitur. Tantum abeſt, ut viri probi et graves in Germania paſſim ab incepto me dehortati ſint. Quin potius manifeſtum ut ſit, Thuano, viro eximio et praeſtantiſſimo, unius typographi Pariſienſis (quem mea haec editio male habuit) virulentis ſuggeſtionibus obreptum eſſe. Eum itaque rogatum velim maximopere, ne, dum ipſius hiſtoriam viri docti in Germania (quorum teſtimonia ſatis magno numero, nullo etiam diſſuadente vel dehortante, penes me ſunt) ex officina mea impreſſoria flagitarunt indeſinenter, quorum votis ego tandem reſpondi, ob id innocenti mihi, et plane nil ſequius cogitanti, ſuccenſeat. Typographus vero, tantae impatientiae inſtigator, brevibus admonitus ſit, ne quod ipſe et ſuae gentis alii innumeri in recudendis noſtris libris jure, ut dixerunt, ſuo dudum factitarunt, id in me tantopere reprehendat; adeoque clarorum virorum indignationem et bilem concitare porro deſiſtat: alioquin juſtiſſima talionis lege virgulam cenſoriam acriorem et ſeveriorem a Germanis certo certius experturus. Francofurti ad Moenum, kal. Martiis* A. N. C. MIƆCX. Ex *Reſponſo* hic allato, quemadmodum *Notas* iſtas ſcriptor defenderit, vidiſti; qui ea tam in *Praefatione*, quam in *Admonitione* (quarum utramque ab ipſo Thuano profectam eſſe exiſtimavit) contra ſe dicta Pariſienſis typographi inſtigationibus attribuit.

NEQUEO tamen hic ſilentio praeterire, volumen quoddam epiſtolarum, hoc titulo inſignitum, *Virorum illuſtrium et doctorum ad Melchiorem Goldaſtum*

Epiſtolae, ex bibliotheca Henrici Guntheri Thulemarii editae [1], diu poſtquam hanc ad te epiſtolam ſcripſeram, ad manus meas perlatum fuiſſe; quod vir non minori humanitate, quam doctrina inſignis, Joannes Grammius, in academia Haunienſi Graecae linguae profeſſor regius, conſiſtorii aſſeſſor, et bibliothecae regiae praefectus, mihi tranſmittere dignatus eſt. Ex nonnullis autem in eo volumine epiſtolis hunc Goldaſtum, juriſconſultum, qui multis elaboratis et utilibus ſcriptis, ad hiſtoriam et conſtitutionem imperii Germanici praecipue ſpectantibus, haud obſcuri nominis eſt inter eruditos, Thuani hiſtoriae in Germania non modo editorem, ſed notarum etiam in margine ſcriptorem, fuiſſe manifeſto conſtat. Ceterum de notis ipſis, praeter ea ex praefatione et admonitione Pariſienſibus jam allata, Lingelſhemii judicium ex epiſtola, ad Thuanum XXVI Auguſti anno MDCX ſcripta, hic adjiciam. *Vidi*, inquit, *et percurri notas inſulſi hominis (ne gravius de eo, qui mihi familiariter alioqui notus) in tuum divinum opus. Indignatus ſum me ne unicum quidem reperiſſe, quod operae pretium videretur* [2]. Res haec per ſe admodum levis eſſe merito videri poſſet, et quam longius perſequeremur prorſus indigna; niſi ita accidiſſet, ut eodem tempore, quo Germanicae Thuani hiſtoriae editiones excudebantur, in aula Romana de primi voluminis cenſura ageretur. Quapropter licet notae ad marginem editionum iſtarum appoſitae plerumque innocentes ſint, nec *quidquam inferant, quo vel mens auctoris vim patiatur, vel ſcriptionis genus deformetur*; quaedam tamen verbis tam aſperis et odioſis conceptae ſunt, ut Thuanus inimicos ſuos graviorem ſententiam in ſe ferendi anſam inde arrepturos non immerito ſuſpicari poſſet.

Ita in libro primo hiſtoriae, ubi Thuanus Ludovicum XII *inaneis diras moribundi ſenis*, hoc eſt, papae Julii ſecundi, contempſiſſe dicit; nota ad marginem primae editionis Francofurtenſis *diras* iſtas *excommunicationem et bannum* interpretatur.

Et in eodem libro, quo Thuanus eundem Ludovicum regem verba, PERDAM BABYLONIS NOMEN, in nummum aureum percuſſiſſe tradit, nota editionis Offenbachi excuſae *Romam eſſe Babylonem* admonet lectores.

Item in libro tertio tam primae Francofurtenſis, quam Offenbachenſis editionis, ubi Thuanus *cardinalis Betoun, Sancti Andreae archiepiſcopi, caedem* verbis ſimplicibus narrat; in margine legitur, *Cardinalis Santandreani condigna caedes*. Veriſimile igitur videtur hac notarum aſperitate Thuanum non ſua quidem, ſed potius typographi perſona, ſtyloque damnum a Germanico typographo ſibi illatum ſtomachanti accommodato, et praefationem et admonitionem, ut ſcriberet, adductum fuiſſe; quibus notas iſtas marginales generatim potius, ut ſtolidas et inſulſas, damnare, quam nominatim aliquas improbare, conſultius putaret.

SIMILE fere editoris nimis officioſi exemplum, ut obiter id moneam, in *Hiſtoria Concilii Tridentini*, a R. P. Paulo conſcripta, invenimus; quam auctor nuda illa et ſimplici inſcriptione, *Hiſtoria del Concilio Tridentino*, ſine praefatione, ac nomine *Pietro Soave Polano* ſe occultans, ea de cauſa prudens evulgavit; ut homines cuicunque parti in rebus, quae ad religionem ſpectant, addicti, de iis, quae ſcripſiſſet, ſine ulla praejudicata mentis opinione inter legendum ſtatuere poſſent. Antonius autem de Dominis, archiepiſcopus Spalatenſis, qui Londini anno MDCXIX eam hiſtoriam in folio edendam curavit, modeſtae auctoris inſcriptioni illa jactantia verba adjunxit: *Nella quale ſi ſcoprono tutti gl'artificii della corte di Roma, per impedire che nè la verità di dogmi ſi paleſaſſe, nè la riforma del papato et della chieſa ſi trattaſſe.* Praefationem etiam regi noſtro Jacobo primo, qua in aulam Romanam acerrime invectus eſt, ſuo nomine inſcriptam addidit: nomine, inquam, eo tempore Romanae eccleſiae, quam reliquerat, haud minus odioſo; quam infami poſtea inter Proteſtantes, cum ad eam iterum rediit. Duorum illuſtrium virorum de hoc Spalatenſis facto judicium ex literis eorum ad Camdenum ſcriptis, et inter hujus epiſtolas cura Thomae Smithi S. T. D. editis, deſumptum hic ſubjiciam. Alterae ſunt Petri Puteani, dat. III id. Julii anno MDCXIX, quae hoc modo incipiunt: *Accepi una cum literis tuis hiſtoriam*

[1] Francof. MDCLXXXVIII, in quarto.

[2] Tota haec epiſtola Tom. VII. c. VI. p. 37. hujus editionis legi poteſt.

riam concilii Tridentini. Librum avide legi ſumma cum voluptate, et maximo cum fructu. Narratio dilucida, elegans, nec minus jucunda. Utinam, utinam abeſſet praefatio, et etiam pars ultima tituli. Praejudicia apud nos multum valent, omnia poſſunt [1]. Alteras miſit Peireskius, XV Julii eodem anno, in quibus haec ſunt verba: *J'ay receu l'Hiſtoire Tridentine. C'eſt une tres belle piece, & laquelle eſtoit capable d'un grand effet, & d'avoir un grand cours; ſi celuy, qui l'a fait imprimer, euſt peu ſe contenir dans la même moderation de l'autheur, & s'abſtenir non ſeulement de l'arraiſonnement qu'il a ajoute au titre, & des mots piquants & partiaux qu'il a entrelaſſe en l'indice des matieres; mais auſſi de ſon Epiſtre liminaire, & de ſon nom tout à fait; puis qu'il eſt deja ſi deſcrie parmy ceux, qui ne ſont pas de ſon avis, qu'il decreditera ce grand ouvrage icy, & l'empechera d'avoir cours, comme il euſt poſſible eu entre les mains des Catholiques mêmes, voire juſques dans l'Italie* [2]. Addam tantum, quod in editione ejuſdem hiſtoriae, Genevae anno MDCXXIX in quarto excuſa, quae *riveduta e corretta dall' autore* dicitur, ſimplex auctoris titulus ſine praefatione exhibetur, cum indice a Londinenſi plane diverſo. Quid autem Thuanus de recto editoris officio hujuſmodi occaſionibus ſenſerit, ipſe in legibus, quas de opera magiſtri Gulielmi Occam recudendo praeſcripſit, plane oſtendit [3].]

SED ut in viam redeam, unde declinavi: Thuanus poſthac in editione primi voluminis, Lutetiae apud Rob. Stephanum anno MDCXVIII in ſolio excuſa, ut etiam in exemplari totius operis, quod Lingelſhemio habere permiſit (de quibus infra pluribus ſuo loco agemus) ſingulis libris *Epitomen*, ut vocat, vel rerum ſummarium ipſe praefixit; in capita tamen, vel paragraphos, non diviſit. Hinc typographus Francofurtenſis in editione ſua, anno MDCXXV et partim XXVIII in ſolio evulgata, notis marginalibus expunctis, non tantum ea ſummaria cum paucis additamentis, ubi aliquid iis deeſſe putavit, ſingulis libris praefixit; ſed etiam ad normam eorum libros in paragraphos dividens, paragraphi cujuſque argumenta ipſis ſummarii, hoc eſt, auctoris, verbis in margine poſuit, ne ſcilicet *frivolas et politicas ad marginem notas pariendi* reprehenſionem iterum incurreret.

DE omnibus Thuani hiſtoriae editionibus, quae, dum ipſe vivebat, ſub cura ſua Pariſiis evulgatae erant, et quas ipſe agnovit, hactenus tractavi. Jam ad eas progrediar, quas eodem temporis ſpatio, hoc eſt, ante mortem auctoris, prelum Francofurtenſe emiſit.

PRIMA Francofurti editio ex duobus voluminibus in ſolio conſtat, quorum prius, ut obſervat Titius, primos ſeptem et quinquaginta hiſtoriae libros comprehendit, anno, quo excuderetur, non expreſſo, quem tamen MDCVIII fuiſſe conjicit [4]. Hoc volumen habeo, de quo ea, quae ſequuntur, notatu digna videri poſſint. Primo voluminis Patiſſoniani nullam omnino rationem habuit typographus. Deinde, Drouartiana editione in octavo cum altera in ſolio collata, ex utraque inter ſe conjuncta librorum numerum juſto et perpetuo ordine cohaerentium recte conſtituit; quod ex iis, quae de duabus iſtis editionibus ſupra dicta ſunt, difficile factu non fuiſſe manifeſtum eſt. In primis enim viginti ſex libris editionis in ſolio diviſionem ſecutus eſt, hinc ad primum et quinquageſimum librum tertii quartique tomi in octavo; dein vero ad quinquageſimum ſeptimum, quo abſolvitur, harum utrique editionum accommodavit. Denique praeter paragraphos, in quos ſinguli libri ſunt diſſecti, notaſque in margine collocatas, fabulam etiam de lapide Indico retinuit; quam Drouartios, ad finem primi tomi in octavo adjectam, in altera ſua in ſolio editione omiſiſſe ſupra demonſtravi. Quid in aliis rebus levioris momenti, ubi editiones Drouartianae a ſe invicem diſcrepant, praeſtiterit, inutili operae parcens accuratius exquirere ſuperſedebo. Certe unicus iſte locus de Indico lapide Drouartio typographum Germanicum criminandi anſam praebere potuit, quod *libri praecedentes*, hoc eſt, quinquaginta ſeptem, quos *ſuperioribus nundinis Francofurti ad Moenum* evulgaverat, *minime ad poſtremam Pariſienſem editionem, quod ſaltem debuit, expreſſi* eſſent: id quod in admonitione jam allata factum vidimus. Poſterius volumen ejuſdem Francofurtenſis editionis in ſolio anno MDCXVII excuſum fuiſſe cenſuit Titius,

[1] Vid. Tom. VII. cap. XI p. 59. hujus edit.
[2] Vid. Camd. Epiſt. p. 282.
[3] Vid. Tom VII. cap. VI. p. 39. hujus edit.
[4] Recenſ. pag. 10.

Titius [1], qui exemplar vidit, quod annum iſtum praeferebat; unum autem mihi jam prae manibus eſt, in quo annum MDCX non tantum titulus exhibet, ſed etiam, quod proxime ei ſubſequitur, ad Pariſienſem admonitionem reſponſum. Habeo quidem et aliud exemplar, quod cum Titii obſervatione convenit; utrumque tamen ejuſdem eſſe editionis inter ſe conferendo plane percipio, excepto, quod novam Inſcriptionem poſterius praefixam habeat, reſponſumque Francofurtenſe omittatur. Volumen hoc, quo reliqui viginti tres libri a quinquageſimo octavo ad octogeſimum comprehenduntur, hiſtoriam ad annum milleſimum quingenteſimum octogeſimum quartum perducit. Hanc temporum differentiam in titulis obſervare omnino neceſſarium fuit; quia cum poſterius volumen anno MDCX revera excuderetur, ſicut prius circa annum MDCVIII, neutrum ad Drouartii editionem in duodecimo, a Titio tantopere laudatam, exprimi potuit, quae anno MDCIX incepta ante annum MDCXIV non peracta fuit.

EDITIO etiam tribus tomis in octavo intra hoc tempus Francofurti excuſa fuit, quae inter ceteras penes me eſt. In primi tomi inſcriptione, quod et Titius notavit [2], annus omiſſus eſt; ſecundus vero et tertius annum MDCXIV oſtendunt. Hi tres tomi eundem numerum et diſtributionem librorum, ac duo Francofurtenſia volumina, jam dicta, In folio, praeferunt. Porro editio haec Patiſſoniani voluminis nullam habuit rationem; fabulam de lapide Indico retinuit, at non item notas ad marginem; quia typographus fortaſſis ab auctore, ut ipſe judicavit, Drouartii inſtigatione ea de cauſa reprehenſus, hanc editionem ad Pariſienſes in illa re magis conformari voluit, quae in ceteris, teſtante Titio, priorem in folio omnino ſecuta eſt.

QUOD de Thuani autem editione Offenbachi evulgata ſemel atque iterum ſupra mentionem fecerim; ne quid in variis ejus editionibus indagandis atque explicandis omiſiſſe videar, quod ad plenam hujus rei intelligentiam requiratur, editionem iſtam paucis hic deſcribere operae pretium exiſtimavi. Editio igitur Offenbachi impreſſa cum priori volumine primae Francofurtenſis editionis in folio tum forma, tum librorum etiam numero convenit; libros enim ſeptem et quinquaginta comprehendit, annum MIϽCIX in titulo exhibet, et fabulam de Indico lapide tradit.

FABULAM autem hanc de Indico lapide, quam typographus Francofurtenſis adeo diligenter retinuit, et de qua Titius in *Recenſione* ſua ſe non parum ſolicitum fuiſſe oſtendit, cum ait, *Pipinum, Thuano laudatum, ſi ſuis ipſe oculis vidit, ludere voluiſſe, vix credibile videri* [3], dimittere nequeo, priuſquam obſervaverim, Titium, ſi Fortunii Liceti liber *De Lapide Bononienſi* in manus unquam incidiſſet, epiſtolam a Petro et Jacobo Puteanis ad Licetum miſſam illic invenire potuiſſe; qua, cum certiorem illum fecerunt ipſas Pipini ad Mizaldum literas, inter ſchedas cognati ſui Thuani repertas, ad illum ſe miſiſſe, addunt, mirum ſibi videri, *quomodo illuſtriſſimus hiſtoriarum ſcriptor, vir et alias emunctiſſimae naris, ſibi tam facile imponi paſſus ſit. Sed agnitum errorem cito emendavit; nam haec mira de lapide illo Bononiae, regi noſtro Henrico II oblato, in omnibus editionibus Lutetiae cuſis omiſſa ſunt, praeterquam in una ſola, eaque valde manca, in cujus calce inter additamenta haec ſcripta reperiuntur; quae poſtea typographi Germani in omnes ſuas editiones, fruſtra reclamante auctore, tranſtulerunt* [4]. Liber iſte Liceti anno MDCXL editus fuit, diu ante Titii *Recenſionem*; quem ſi forte vidiſſet, ſcrupulum de fabulae auctoritate facile ipſi eximere potuiſſet. De Camdeni autem literis, quas antea laudavimus, aliter ſe res habuit, utpote quae ſexto demum anno poſt *Recenſionem* lucem aſpexerint.

THUANI editionem X vol. in *douze* Francofurti excuſam fuiſſe narrat Jacobus Le Long [5]. Verum ut is in Thuani editionibus enumerandis alibi fallitur, cum Drouartianam in octavo novem tomis comprehendi affirmet [6], quae ex quinque tantum conſtat, qui novem a ſe deſcriptis plane conveniunt; nec ulla praeterea quinque Francofurtenſium tomorum in octavo mentione facta, decem ſuos in duodecimo iis verbis deſcribat, quae editioni iſti, cum poſtea abſoluta fuit (ut mox videbimus)

[1] Recenſ. p. 10.
[2] Ibid. pag. 11.
[3] Pag. 25.
[4] Vid. Tom. noſtr. VII, cap. VIII. p. 30
[5] Bibliotheque Hiſtorique de la France, p. 440
[6] Ibid.

Digitized by Google

videbimus) per omnia congruunt: ita nequeo quin eum in hac re etiam lapſum fuiſſe, nullamque Francofurti editionem in duodecimo unquam extitiſſe, ſuſpicer; quando nec ipſe aut diligentiſſima hic apud noſtrates perquiſitione, aut amicorum ope in exteris regionibus aliquid de ea inaudire potuerim, neque Titius inter Francofurtenſes editiones commemoraverit.

Atque de Thuani editionibus, quae, eo vivente, excuſae fuerant, ut etiam de librorum numero et diviſionibus, una cum temporis ſpatio, quo res in illis tradítae gerebantur, ſatis, ut opinor, dictum fuit.

Thuanus autem de temporibus ad partes quaſdam hiſtoriae ſuae in lucem proferendas idoneis mentem haud ſemel mutaſſe videtur. Etenim poſtquam quinquaginta et unum libros, quibus hiſtoria ad annum milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimum ſecundum contexta eſt, ediderat, de reliquis in praeſens ſaltem premendis cogitaſſe, ex epiſtola illius ad virum ampliſſimum Georg. Mich. Lingelſhemium, electoris Palatini conſiliarium, xv kal. Sept. anno MDCVI ſcripta, diſcimus; in qua haec leguntur: *Habes noſtrarum hiſtoriarum ſecundam partem* [ſcil. LI libros.] *De reliquo opere non habeo, quod ſtatuam. Nam ſi reipublicae profuturum judices, perire illud dolendum eſt; et tamen certum eſt, ut ſunt tempora, id integrum ſine auctoris periculo et ſumma invidia, cui ſuſtinendae adverſus aulicos pares non ſumus, edi non poſſe; mutilatum autem edi, quam omnino premi, magis probroſum duco. Mihi in aliqua dignitate conſtituto multarum rerum multis reddenda ratio eſt, quos privatus poſſem contemnere. Itaque ferre amici aequo animo debent, ſi deſiderio eorum hac in parte protinus non ſatisfacio. Nam violentiores ſunt hodie magnatum aures, quam ut iis verum loquendo placere poſſim; et tamen non ad gratiam, cui nunquam ſervivi, ſed ad muneris neceſſitatem pertinet, ut eos potius placatos, quam iratos habeam*[1]. Huic epiſtolae Lingelſhemius eodem anno Heidelberga reſponſum dedit, ubi, et opere et auctore operis prius collaudatis, *Ceterum*, inquit, *cur reliqua adhuc premenda exiſtimes, rationes tuae mihi plene ſatisfaciunt: et ſufficit, ut ſaltem poſteritas frui poſſit theſauro iſto*[2]. Sequenti autem anno ſex alii libri prodiere, qui prioribus juncti ſeptem et quinquaginta confecerunt. Neque auctor noſter hic ſubſtitit; nam in epiſtola ad Camdenum, data eid. Apr. MDCVIII S. N. *Nova*, inquit, *editio noſtrarum hiſtoriarum ſub prelo eſt, cui* XXIII *libri accedent, ut omnino* LXXX *efficiantur. Reliqui* XLV, *qui ſuperant, alia tempora, alios mores poſtulant*[3]. Proinde hiſtoriam ſuam ad annum milleſimum ſexcenteſimum decimum, quo rex Henricus quartus Galliae occidebatur, Thuanum pertexere ſtatuiſſe, quam tamen haud ultra annum milleſimum ſexcenteſimum ſeptimum pertexuit, ex reſponſo ſuo epiſtolae a Camdeno acceptae, non. Quintil. anno MDCXV dato, liquet, in quo ita ſcribit: *Nos in eodem luctamur Aegeo, eadem nos maligna aſtra aſpiciunt, iidem aeſtus, eaedem procellae ſuſque deque in ſcopulos et brevia impellunt. Contemptu contumelias illatas ulciſcamur, ad poſteritatem ultro provocantes, ad quam potius, quam ad praeſens ſaeculum ſemper reſpexerunt, quicunque graviter et cum publica utilitate in ſcribenda hiſtoria laborarunt. Quae ſequuntur ad Eliſabethae μακαρίτιδος obitum, ut reliqua, quae ad me miſiſti, fac brevi a te habeamus; et ſi fieri poteſt, etiam sereniſſimi et optimi veſtri principis initia uſque ad annum hujus ſaeculi* X, *quo nobis ereptus Henricus magnus; nam ad eum uſque annum decrevi, ſi Deus vitam et otium dederit, annales noſtros, quos intermiſeram, ſuperſtite illo minime ultra perrecturus, continuata narratione perſequi, ut, cui vivo tantum Chriſtianus orbis debuit, etiam mortuo juſta perſolvantur. Ad quae non parum veſtra me juvabunt, quod et cum rebus noſtris conjuncta, et ad univerſae hiſtoriae ornamentum ea ſummopere pertineant. Scio te minime ab his ceſſare, et diligentia tua effici, ne rerum apud vos geſtarum memoria intercidat; quae ſi lucem publicam aſpicere nondum jubet is, qui jubere poteſt, at potes ea cum amicis communicare, ad gloriam ejus eadem fide univerſo operi inſerenda; quod ut facere velis, enixe te rogo*[4].

Ordo

[1] Tota epiſt. videatur Tom. VII. cap. VI. p. 32.
[2] Ibid. p. 33
[3] Vid. Tom. VII. cap. 5. p. 12
[4] Ibid p. 36

Ordo temporis jam poſtulat, ut de Thuani teſtamento, et quae deinde ſecuta ſunt, nonnulla dicamus. Teſtamentum autem, III eid. Quintil. anno MDCXVI conſcriptum, in hiſtoriae editione Genevenſi anno MDCXX publicatum fuit; quo liberis ſuis teſtator octo honeſtos et praeclaros viros tutores primum conſtituit, et adminiſtrationis bonorum curam iis committit, donec liberi adoleſcant: quod ideo tantum commemoravi, quia lucis aliquid loco ex Peireskii ad Camdenum epiſtola mox citando adferre poſſit. Deinde vero Petri Puteani et Nicolai Rigaltii honorifica mentione facta, quorum illum *cognatum ſuum, et multis nominibus ſibi charum*; hunc *in ſenatu advocatum, et regiae bibliothecae curatorem, virum doctiſſimum ac juxta probum* vocat; de hiſtoria ſua in hunc modum praeſcribit: *Hiſtoriarum mearum, quas ad Dei gloriam, et publicam utilitatem, ſine odio et gratia, Deum ipſum teſtor et homines, conſcripſi, paratam editionem, ſi ante quam ipſa edatur moriar, iiſdem committo; praecipioque ut ea in re Sammarthanorum fratrum, qui me in toto opere multum opera ſua et diligentia adjuverunt, conſilio utantur. Lucubrationes item omnes alias meas fidei eorundem Puteani et Rigaltii committo*[1]. Cum autem de hiſtoria ſua, ſi quid humanitus ſibi accideret, ad poſteros, prout ipſe perfecerat, conſervanda adeo diligenter teſtamento ſuo caviſſet; haud ita multo poſt Roberti Stephani tertii, ex ea gente oriundi, quae doctrina pariter ac typis elegantibus diu celebrata fuerat, ad accuratam editionem juxta exemplar, quod in teſtamento *parata editio* appellatur, imprimendam opera uti incepit: quae tamen editio adhuc ſub prelo erat, cum auctor ipſe anno MDCXVII fato conceſſit. Primum volumen in folio (nec ultra proceſſit Stephanus) anno ſequenti lucem aſpexit, ita inſcriptum: *Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum ſui temporis libri octoginta de centum quadraginta tribus. Editio quarta, auctior et caſtigatior.* Libros viginti ſex continet, omnes, ſi ſeptimi initium excipias, eodem modo diviſos, ac Drouartianae editionis in duodecimo, hiſtoria ad annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum perducta. Jacobus quidem Le Long inter Thuani editiones unam memorat x vol. in *douze*, Pariſiis anno MDCXIX libris octoginta excuſam, qua rerum geſtarum narratio uſque ad annum milleſimum quingenteſimum octogeſimum quartum tradita eſt[2]. Ceterum ut nuſquam gentium de tali editione diligenter inquirendo quidquam adhuc deprehendere potui, ita nec apud Titium invenio; ſin autem alicubi forſan deliteſcat, quod vix crediderim, eo tamen facilius carere poſſumus, quoniam, ut deſcriptio indicat, tam librorum, quam annorum, numero cum Drouartianis in folio ac duodecimo plane conveniat. Attamen poſt annum MDCXIX nullam omnino Thuani hiſtoriae partem in Gallia Latine editam fuiſſe certum eſt. Ex iis autem, quae ad id tempus Pariſiis prodierant, ſubſequens editio ab illa, quae proxime anteceſſerat, in nonnullis ſemper immutata fuit.

Ad Lingelſhemium ejuſque editionem jam venio; qui totam Thuani hiſtoriam ex codice, quem auctor ſibi, ut ait, habere permiſerat, Genevae anno MDCXX primus excudi curavit. In hac editione volumen illud Roberti Stephani per primos viginti ſex libros ſecutus eſt, ut ipſe in praefatione ſua agnoſcit. *Paulo ante*, inquit, *quam obiret auctor, juſſu ejus nova editio Lutetiae per Robertum Stephanum cudi coeperat, quae auctoris fato interrupta eſt, primo tantum volumine confecto, quod in hac editione bona fide repraeſentavimus. Neve quid deſiderari jure poſſit, hanc quoque tibi* [lector] *ex eodem volumine praefationem damus, etſi totius operis editioni non conſentiat.* De Stephani *praefatione*, hic memorata, Lingelſhemius ſuae totius operis editioni parum congruere tantum obſervat. Recte autem notavit Titius[3], ex praefatione Drouartianae editionis in duodecimo plurima non ſenſu tantum, ſed ipſiſſimis etiam verbis, in hanc fuiſſe tranſcripta. Sic inter alia cum illic dictum eſſet, *Auctor tertiam illam concinnavit editionem, locis aliquot inculcatam atque refectam; quam adeo ceteris poſthac uſpiam cudendis pro archetypo eſſe velit, et vero jubeat:* eadem verba hic repetita ſunt, voce ſolummodo *quartam* pro *tertiam* ſubſtituta. Tum ſumma admonitionis, de qua ſupra egimus, adjecta eſt: quam huic praefationi abſone prorſus inditam cenſet Titius, nec cum tempore, quo ſcripta fuit, cohaerere. Ad haec, licet annum

MDCXVII

[1] Vid. Tom. VII. cap. VII. p. 2. hujus edit.
[2] Biblioth. Hiſtor. de la France, p. 440.
[3] Luſtrat. p. 29, 30.

MDCXVII ad finem habeat adſcriptum, menſe tamen non adjecto, utrum vivo adhuc Thuano, qui menſe Maio ejuſdem anni diem obiit, compoſita fuerit, necne, ambiguum relinquitur. In ſumma, ex Drouartii editione in duodecimo temere deſumpta eſſe videtur, ideoque non mirum eſt *tertiam* in *quartam* ſcriptorem mutaviſſe; cum, ut ſatis jam demonſtratum fuit, ex mente Thuani *quintam* dicere debuiſſet. Sed de his hactenus.

JAM quibus rationibus Lingelſhemius adduceretur, ut ipſe potiſſimum Thuani hiſtoriae editionem in lucem proferret, cujus rei curam P. Puteano et N. Rigaltio auctor teſtamento commiſerat, ipſe in principio praefationis ſuae nos docuit. *Habes, inquit, lector, Jacobi Auguſti Thuani hiſtoriarum ſui temporis opus perductum uſque ad annum* MDCVII, *comprehenſum libris* CXXXVIII. *Prodierant antea libri* LXXX, *nunc auctiores; promuntur jam* LVIII, *qui lucem hactenus non viderunt. Summa omnium expectatione ſperabamus fore, ut, quibus auctor teſtamento curam editionis operis ſui incomparabilis injunxerat, Nicolaus Rigaltius et Petrus Puteanus, viri clariſſimi, deſiderio noſtro ſatisfacerent; ſed quod auctor quodammodo praeviderat fore, ut iniquitas temporum impedimento eſſet, id ipſum in cauſa eſſe deprehendi, cur illi editionem diutius premant prudentia publico detrimentoſa. Ne igitur bono generis humani elaboratum opus diutius lateret, ego, cui Thuanus ipſe lucubrationum ſuarum, paulo antequam excederet, deſcriptum ex autographo ſuo exemplar habere permiſerat, hoc amicitiae defuncti et utilitati publicae debere me exiſtimavi, ut, dum differunt illi, et meliora tempora expectant, clauſtra effringerem, et luci darem opus* [1]. In clariſſimi Peireskii ad Camdenum epiſtola, dat. XIV Oct. MDCXX, quaedam ab hoc loco non aliena occurrunt. *Nous venons d'apprendre, qu'on a imprime en Allemagne toute l'hiſtoire entiere de feu Monſieur de Thou, il me tard bien de voir ce que c'eſt. Cela m'a fait ſouvenir de la vôtre, & deſirer qu'elle puiſſe ſortir de vos mains pour le bien du public. Si celle de Monſieur de Thou ne ſe fuſt trouvée que chez lui, elle couroit fortune d'eſtre ſupprimée; car ſes executeurs teſtamentaires, tuteurs de ſes enfans, la vouloient faire mettre dans le feu pour des interêts particuliers. Monſieur Lingelſheim, à qui feu Monſieur de Thou en avoit confie une copie, a tout ſauvé. Pour l'honneur de Dieu ſongez à la vôtre, & ſi durant vôtre vie vous faites difficulté de la mettre ſous la preſſe, qu'il y en ait plus d'une copie, & qu'elles ne ſoient pas toutes de delà la mer.* Verba haec profero, quia celari jam nequeunt, cum epiſtola ipſa multis abhinc annis inter Camdeni epiſtolas edita fuerit [2]. Verum unde illud accepiſſet, quod de tutoribus, quos liberis ſuis Thuanus teſtamento dederat, hic refert Peireskius, vir alioquin prudentia et humanitate ſingulari praeditus, haud facile eſt conjectari. Rigaltius enim, teſtis locupletiſſimus, in vita Petri Puteani, anno MDCLII edita, diu poſt tutelam finitam, de Thuani liberis verba faciens ait: *His teſtamento ſuo pater tutores dignitate et probitate lectiſſimos providerat* [3].

QUOD Camdenum autem monet Peireskius, ut Thuani exemplum ſecutus hiſtoriam tutis manibus committeret; id Camdenus antea ſecum cogitaſſe, ex epiſtola illius ad Petrum Puteanum, dat. XIV. Aug. MDCXX, apparet [4], qua Puteano ſignificat ſe apud eum deponendi conſilium cepiſſe. Et ex aliis epiſtolis, ultro citroque inter eos miſſis [5], hoc a Camdeno deinceps factum fuiſſe conſtat. Rationes profecto, quibus ut ita faceret inducebatur, epiſtolae non explicant; ex vita tamen Camdeni colligi poſſunt, quam Britanniae ejus Anglicae editioni vir eruditiſſimus, Edmundus Gibſonus S. T. P. nunc epiſcopus Londinenſis, praefixit. Verba ita ſe habent: " Cum tomus prior Annalium reginae Eliſabethae, ad annum MDLXXXIX " a Camdeno concinnatus, magna doctorum approbatione undique exceptus eſſet, " ut opus inchoatum perficeret, amici eum urgere non deſtiterunt. Offenſiones " autem ex iis, quae de Maria Scotorum regina narraverat, concitatae, privataeque " nonnullorum ſimultates, majorum ſuorum famam nimia ſtyli acerbitate laeſam " quiritantium, apud animum ſtatuere eum fecerunt, ne tomus alter ante mortem " ipſius lucem videret. At quo minus communi poſthumorum operum fato ſubji-
" ceretur,

[1] Vid. Tom. VII. c. VIII. p. 1.
[2] Vid. Camd. Epiſt. p. 309.
[3] Vid. Tom. VII. c. XI. p. 46
[4] Vid. Tom. VII. cap. XI. p. 59.
[5] Ibid. p. 60.

“ cetetur, exemplar pulchre deſcriptum in manibus intimi amici ſui, Petri Puteani, “ deponendum curavit; autographo apud ſe retento, quod in bibliotheca Cotto- “ niana adhuc conſervatur. Hinc factum eſt, ut ea pars operis ante annum MDCXXV “ non prodierit,” quo anno VI kal. April. rex Jacobus primus diem ſupremum obiit: biennium ſcil. poſt mortem Camdeni. Ingenii morumque ſimilitudo inter Thuanum et Camdenum, ſicut etiam fati, quod ſcripta utriuſque ſuo tempore ſunt experta, ut haec obiter de Camdeno adjicerem permovit.

In iis, quae ſupra de volumine Roberti Stephani ſunt expoſita, numerum librorum, quem promittit inſcriptio, centum quadraginta tres eſſe obſervavi; cum Lingelſhemii editio ultra centum et triginta octo non proceſſerit. Liquet igitur Thuanum opus ſuum ab anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo ad decimum, quo rex Henricus quartus Galliae occiſus periit, perſequendi inſtituto ad ultimum perſtitiſſe; quo minus autem poſtremam hanc trium annorum partem, cui quinque libros deſtinaverat, perficere poſſet, mortem praeveniſſe.

In titulo Lingelſhemii editionis hiſtoria *ab anno* MDXLIII initium capere dicitur; quod poſterior Genevenſis, ut etiam ultima Francofurtenſis, editiones ſunt ſecutae. Boeclerus autem, et alii, quibus Titius conſentit [1], *ab anno* MDXLVI, hoc eſt, a libro ſecundo, potius incipere exiſtimarunt; cui in primo libro Thuanus, velut prolixe praefatus, viam aperuit. Et auctor quidem ipſe primum librum *praefationem* [2] diſertim appellat; quanquam profecto alias alio modo de hiſtoriae ſuae initio locutus ſit. Nam ſecundi libri ingreſſione, quaſi nondum incepiſſet, *Principium*, inquit, *mihi operis erit bellum Germanicum.* Et in epiſtola quadam ad Lipſium, anno MDXCIX ſcripta, *Nos in hiſtoria hujus temporis, quod publicis negotiis ſuffurari poſſumus, tempus impendimus. Ab anno hujus ſaeculi* XLVI, *hoc eſt, a bello Germanico, initium feci* [3]. Sed in alia epiſtola, ad Meurſium ſcribens anno MDCI, hiſtoriam *ab anno praeteriti ſaeculi* XLV, *hoc eſt, a belli Germanici primis initiis*, ſe incepiſſe dicit [4]. Quo igitur haec inter ſe conciliari poſſint, in poſteriori epiſtola ad propoſita et conſilia de bello Germanico a Caeſare anno MDXLV ſuſcepta, quae in ſecundo libro Thuanus expoſuit, atque hic *prima belli initia* appellare videtur, eum reſpexiſſe; in priori vero tempus, quo bellum jam eruperat, quod anno ſequenti evenit, in mente habuiſſe, exiſtimemus. Quod autem in praefatione ad lectorem Drouartianae editionis in duodecimo, ut etiam voluminis Stephaniei, dicitur, *Prima pars eſt principatus Henrici ſecundi ab anno* MDXLV; laxiori verborum ſenſu id intelligi oportet. Nam Henricus ſecundus anno demum MDXLVII patri Franciſco primo in regnum ſucceſſit, et auctor quidem ipſe in primi libri principio ſe *paulo ante exceſſum Franciſci primi* opus incepturum diſertim affirmat. Totius autem operis ſynopſin hic daturus, *in quinque partes ſive reges tribuere* proponit; atque in hunc finem, nulla ratione habita Franciſci primi, temporis ſpatium, quod mortem ejus praeceſſerat, cum filii principatu conjungit; quem iis, quae ad Meurſium ſcripſit, eatenus accommodat, ut *ab anno* MDXLV primae hujus partis initium ducat.

Cum de titulo Lingelſhemii editionis paulo ſupra mentionem fecerim, obſervare hic admoneor, titulum iſtum non a Thuano ſcriptum fuiſſe; editori vero poſt mortem ejus, amici dignitatis ſtudioſo, his verbis contexere placuiſſe: *Illuſtris viri, Jacobi Auguſti Thuani, regii in ſanctiore conſiſtorio conſiliarii, et in ſuprema regni Gallici curia praeſidis, Hiſtoriarum ſui temporis ab anno Domini* MDXLIII *uſque ad annum* MDCVII *Libri* CXXXVIII. Singulae autem editiones, quas auctor ipſe Pariſiis excudendas curaverat, brevem hanc nudamque inſcriptionem praefixam habuerunt: *Jacobi Auguſti Thuani Hiſtoriarum ſui temporis Libri*, quorum numerum deinde in nonnullis expreſſum legimus. Quapropter et nos quoque, quibus religio eſt a veſtigiis ejus diſcedere, eandem ſimplicem et inornatam verborum conceptionem in noſtrae editionis titulo ſequemur.

Jam ut praecipua eorum capita, quae hactenus expoſui, paucis complectar: poſtrema, ut dixi, primorum octoginta librorum editio ad annum MDLXXXIV Lutetiae, vivo

[1] Recenſ. pag. 3.
[2] Vid. prim. libr. Epit.
[3] Vid. Sylloge epiſt. edit. a Burm. vol. I. p. 407.
[4] Tota epiſt. videatur Tom. VII. c. VI. p. 25.

vivo auctore, evulgata Drouartii fuit in duodecimo, cujus duo ultimi tomi anno MDCXIV prodierunt: novam autem et perſectam totius hiſtoriae ſuae editionem, ad annum milleſimum ſexcenteſimum ſeptimum tunc perductae, Thuanus adornare inſtituit; quam ſi fato praeventus perficere non poſſet, curae P. Puteani et N. Rigaltii, quibus fratrum Sammarthanorum conſilio uti praecepit, committendam eſſe teſtamento caverat: nec diu ante mortem primum volumen, viginti ſex libros continens, prelo Roberti Stephani ſubjecit, quod anno MDCXVIII editum fuit: denique anno MDCXX Lingelſhemius volumen illud Stephani, quod cum exemplari in manibus ſuis conſentire invenit, una cum reliqua hiſtoria e ſuo exemplari, ac vita inſuper auctoris, Genevae excudi atque evulgari curavit. Hic igitur pedem figere, ac novae editionis noſtrae fundamenta jacere licebit.

IN primis itaque Genevenſem editionem, anno MDCXX excuſam, in operis contextu ſequemur; veteriſque ſcriptoris ritu hiſtoricum noſtrum tractantes, quaecunque per primos octoginta libros addita, omiſſa, aut immutata fuerint, ſive in ſententiis, ſive in vocibus ullius momenti, ex ſingulis Pariſienſibus editionibus, nimirum Patiſſoniana in ſolio, ac tribus Drouartianis in octavo, ſolio, et duodecimo collecta, more variantium lectionum ſeorſum in ima pagina collocabimus. Hac ratione cunctas eas editiones uno ſimul conſpectu exhibebimus, ut, quamcunque ex iis quacunque de cauſa lector ceteris praeponat, et dari ſibi potiſſimum cupiat, oculis ſemper habeat obverſam. Quanquam autem Genevenſem editionem, anno MDCXX vulgatam, in operis contextu recipere ſtatuamus, cum altera tamen anno MDCXXVI et partim XXX illic excuſa diligenter conſeremus; quandoquidem illa, cum primum lucem aſpexit, a Puteano et Rigaltio correcta fuit, quorum correctionibus haec auctior et emendatior deinceps prodiit. Quoties igitur hae duae Genevenſes editiones inter ſe diſcrepent, quidquid additum, omiſſum, aut aliter emendatum in poſteriori fuerit, inter variantes lectiones jam dictas collocabitur.

FRANCOFURTENSES autem editiones, quae, dum auctor ſupererat, prodierunt, nihil omnino ad noſtrum inſtitutum conferent. Etenim ſi ad Pariſienſes editiones, unde deſumptae erant, vere eſſent expreſſae, nihil aliud habere poſſent, quo ſe nobis commendarent. Nemo enim, ne typographus quidem ipſe, ut ex reſponſo ad Pariſienſem admonitionem liquet, quidquam amplius de iis unquam jactavit; quod ſi verum quidem eſſet, nihil adjumenti nobis praebere poſſent, cum ipſas Pariſienſes editiones habeamus. Sed nequaquam ſane tam bene cum iis actum fuit: nam, ut ſupra oſtendi, typographus Francofurtenſis, ſive data opera, ſive ex incuria, in utramque ſuam editionem, alteram in ſolio anno MDCVIII et partim X, alteram deinceps in octavo excuſam, fabulam de lapide Indico ex Drouartiana in octavo, anno MDCIV evulgata, inſeruit; quam Drouartius ex ſecunda ſua editione, anno MDCVI in ſolio publicata, ejecerat. Quemadmodum autem in aliis locis Francofurtenſes editiones ſe habeant, ubi, quoties Drouartianae in octavo et ſolio inter ſe diſcrepant, poſteriorem ſequi oportuit, diligentius inquirere, non eſſe operae, ut dixi, ex eo apparet; quia recte an ſecus hic actum fuerit, nihil ad nos, cum ad novam editionem noſtram nullius uſus omnino eſſe poſſint. Ceterum ne hic quidem ſeſe continuit typographus Francofurtenſis; ſed cum Lingelſhemii editio anno MDCXX Genevae prodiiſſet, poſteriorem operis partem a libro octogeſimo ad finem tertio volumine, ſimul cum vita Thuani, in ſolio excudens, prioribuſque ſuis voluminibus ejuſdem formae, quaſi Genevenſi editioni per omnia reſponderent, adjungens, pro Thuani hiſtoriae corpore perfecto callidius, quam honeſtius, extruſit. Neque aliter profecto ratione editionis ſuae in octavo ſe geſſit; quippe qui anno MDCXXI duos poſtremos tomos, ex eadem Genevenſi editione excuſos, tribus prioribus ſubnectens, quorum ſecundus et tertius anno MDCXIV prodierant, alterum quoque Thuani corpus confecerit. Incommoda autem, quae editiones iſtae male conſarcinatae ſecum tulerunt, uno atque altero exemplo manifeſta faciam.

QUAE in poſtrema parte trigeſimi quinti libri Genevenſis editionis Thuanus de Tridentino concilio fuſa narratione tradiderat, ea omnia in eodem libro Francofurtenſis editionis in octavo deeſſe, Abrahamus Wicfortius, auctor libri, qui inſcribitur *Thuanus Reſtitutus*, obſervavit [a]; quod et de priori in ſolio editione pari ratione

[a] Pag. 8

tione dicere licuiſſet. Nec aliter ſane fieri potuit; quod tomus ſecundus editionis in octavo, quo liber trigeſimus tertius continetur, anno MDCXIV in lucem prodiit, ex Pariſienſibus impreſſus, quarum ne una quidem ea de Tridentino concilio commemorat, utpote quae Genevenſi ea omnibus hiſtoriae editionibus primum debeantur. Attamen ſcriptorem hunc effugiſſe videtur, acta iſta concilii, cum primum convenerat; quae initio libri trigeſimi ſecundi Genevenſis editionis tradita ſunt, in eadem Francofurtenſi editione in octavo non comparere; atque adeo, quae in libro trigeſimo quinto Genevenſis editionis, jam dictae, de hac re ſcripta ſunt, in poſteriori ibidem loci editione plenius enarrari. Quod ſi Heideggero, ut in tranſitu dicam, cognitum fuiſſet, operae ſuae in Thuani *Hiſtoriam Concilii Tridentini* ad calcem librorum ſuorum, quorum alter *Anatome*, alter *Tumulus Conc. Tridentini* inſcriptus eſt, edendo ex ſcripto codice Tiguri reperto, parcere potuiſſet; quum codex iſte nihil in ſe habeat, quod in alterutra Genevenſium editionum non legitur.

IDEM quoque ex ſequenti exemplo plane apparebit. Thuanus octogeſimum hiſtoriae librum hoc Jani Gulielmii elogio concluſit: *Eodem menſe* [Junio A. MDLXXXIV] *Janus Gulielmius, adoleſcens cultiſſimi ingenii, Lubeca natus, Avarici Biturigum, quo ad magnum Cujacium audiendum profectus fuerat, contracto ex nimiis caloribus morbo, vix ſalutata urbe, deceſſit, cum nondum XXX vitae annum attigiſſet: eo magis deploranda morte, quod multa, et inter ea novam Ciceronis operum, ad mſs. exemplaria diligentiſſime collatorum, et amplius ſexcentis clauſulis ſuppletorum, editionem paratam haberet: quam et ego Lutetiae, dum is ad me familiariter ventitaret, vidi; hactenus magna rei literariae jactura aut diſperditam, aut ſuppreſſam.* Ita hunc locum Drouartianae editiones in folio et duodecimo dederunt; cui utraque Francofurtenſis, quae ſequuntur, adjecit. *Cujus* [Gulielmii] *familiaritate, dum Lutetiae eſſet, diu magna cum animi oblectatione uſus, hoc vere profiteri poſſum, me ſemper ab amiciſſimi juvenis colloquio meliorem ac doctiorem diſceſſiſſe; tanta erat in eo morum probitas, tantum in literis judicium, tanta in ſermocinando ſuavitas, ut alium vix meminerim (multos autem audivi) qui Latine ſimili cum facilitate et puritate loqueretur: ut omittam raram in poetica felicitatem, ſive Graeca verteret, ſive verſus ex ingenio faceret. Amicitiam, non tam aetatis ſimilitudine, quam ſtudiorum conſenſione contractam, immatura mors diremit; non tamen omnino ſolvit: cujus hoc qualecunque monumentum ad poſteritatem extare volui.* Tot tantaſque laudes Gulielmio hic adſcriptas, quibus ut memoria ejus dulcis et amabilis, ita mors praematura omnibus bonarum literarum ſtudioſis acerba et luctuoſa redditur, Thuanum, hominem laudatiſſimum, habuiſſe auctorem, non poſſumus non exoptare. Atque ita profecto Titius exiſtimaſſe videtur, quia in Francofurtenſibus editionibus invenerat; ideoque cum in *Recenſionem* ſuam partem poſteriorem tranſcripſit, ſolicitus ne periret, *Dabitur*, inquit, *nobis venia, ſi, ut extaret, dandam hic quoque operam duximus*[1]. Verum non pauca ſunt, quae a Thuano plane abjudicant. Primum enim in nulla Pariſienſi editione haec verba inveniuntur, ideoque nequaquam ex editionibus illic excuſis ortum habere potuerunt. Deinde Janus Gruterus, qui in Ciceronis editione Hamburgi anno MDCXVIII adornanda Gulielmii lectionibus uſus eſt, hoc inter alia ejus elogia operi praefixa, prout ipſi jam dedimus, ſine additamento Francofurtenſi poſuit. Grutero autem literarum commercium cum Thuano interceſſiſſe, ex epiſtola hujus de Gulielmio ad illum anno MDCXIII exarata ſpeciatim conſtat; quam initio editionis Hamburgenſis in vacua pagina deſcriptam ex bibliotheca tua, optimis et rariſſimis libris referta, mihi perbenigne ſuppeditaſti[2]. Praeterea Lingelſhemii editio, ex ipſo auctoris exemplari anno MDCXX excuſa, additamentum illud non agnoſcit; ubi tamen, quod notatu dignum eſt, quaedam de Bucholtzero tunc primum addita Gulielmii elogium proxime ſequuntur, ut vix fieri poſſet, quin Thuanus eo tempore Gulielmium ante oculos haberet. Denique in altera Genevenſi editione, anno MDCXXVI partimque XXX impreſſa, omiſſum eſt: ut etiam in noviſſima Francofurtenſi, anno MDCXXV et partim XXVIII ab eodem Kopffio excuſa, qui duas etiam priores editiones, in quibus legitur, excuderat; quod per ſe, ni fallor, additamentum illud mali commatis fuiſſe, nec ab auctore noſtro profectum, ſatis

[1] Pag. 20.

[2] Videatur haec epiſt. Tom. VII. cap. VI. p. 38.

Digitized by Google

ſatis manifeſto evincit. Antonius igitur Teiſſerius, qui e Thuano exſcripſit, et Gallica lingua edidit, *Les Eloges des hommes ſavans*, Gulielmii elogium ſine additamento tranſtulit; licet poſtea quidem ſupplementi loco adjecerit, auctorem laudans, memoriae, ut videtur, lapſu, *Thuanum de vita ſua* [1], cum in nulla Thuani vitae editione tale quidpiam inveniatur. Item Gerardus Stokkenius, auctor *Thuani Enucleati*; in quo opere quidquid ſive in laudem, ſive in vituperium, alicujus per totam Thuani hiſtoriam dictum fuerit, una collectum ſub cujuſque nomen ordine diſponere, vitamque inſuper Thuani in compendium redigere, inſtituit; Jani Gulielmii elogium ſine additamento, de quo agimus, inter alia dedit.

De ſingulis Thuani editionibus a primo Patiſſoniano volumine in folio, anno MDCIV excuſo, uſque ad Genevenſem, anno MDCXX vulgatam, hactenus ordine tractavimus. Duae igitur tantum conſiderandae reſtant, quarum utraque, tertia nimirum Francofurtenſis anno MDCXXV et partim XXVIII, ac poſterior Genevenſis anno MDCXXVI partimque XXX, in folio prodierunt.

Ex his autem Francofurtenſis (cujus duo priora volumina annum MDCXXV, tertium vero XXVIII exhibet) priorem Genevenſem per omnia repraeſentat, niſi quod ex Patiſſoniano volumine, jam dicto, quaedam inſerta habet, quae cum auctor ipſe in Drouartiorum et Stephani editionibus a ſe paratis omittenda curaſſet, in Genevenſi quoque eadem ratione ſunt omiſſa. Editio igitur haec Francofurtenſis nihil adjumenti nobis adferre poteſt, qui ex ipſo Patiſſoniano volumine variantes lectiones collegerimus. Tribus autem hujus editionis voluminibus etiam quartum adjectum fuit, ſpecioſo hoc titulo inſignitum: *Hiſtoriarum Thuani Continuatio, ſive Tomus quartus, ab anno* MDCVIII *uſque ad annum* MDCXVIII, *qua undecim annorum hiſtoria, totidem libris comprehenſa, ſuperioribus adtexitur.* Scriptor nomen ſuum celari voluit, de quo eo minus ſoliciti eſſe debemus, quod exemplum ad imitandum ſibi propoſitum parum feliciter expreſſerit.

Posterior editio Genevenſis quinque voluminibus comprehenſa (cujus primi LXXX libri annum MDCXXVI, reliqui vero LVIII annum MDCXXX praeferunt) a priori in eo tantum diſcrepat, quod non pauca emendanda, nonnulla etiam addenda, aut omittenda, Puteanus et Rigaltius ei, ut ſupra diximus, ſuppeditaverint.

Ad Lingelſhemii editionem, anno MDCXX Genevae editam, nunc revertor; quam cum ſingulis Pariſienſibus editionibus ad librum octogeſimum conferre, omneſque harum ab ea diſcrepantias adnotare, atque in ima pagina collocare, ut dictum fuit, proponimus. Ab hoc autem labore in reliqua hiſtoriae parte, nimirum a libro octogeſimo primo ad centeſimum trigeſimum octavum, quo Lingelſhemii editioni finis imponitur; ut etiam in ſex libris de vita Thuani, eodem tempore una cum hiſtoria editis, liberabimur: quoniam neque poſtremi quinquaginta octo libri hiſtoriae, neque commentarii de vita Thuani Pariſiis unquam prodierunt. Verum enimvero cum Lingelſhemii editionem tanquam fundamentum jacere, quo noſtra nitatur, ſtatuerimus; quae ſit ejus praeſtantia, ut paulo latius explicem, neceſſarium videtur.

Duo igitur perfecta hiſtoriae ſuae exemplaria Thuanum poſt ſe reliquiſſe, alterum, quod Lingelſhemio, paulo antequam exceſſit, habere permiſerat; alterum, quod P. Puteano et N. Rigaltio commiſerat ultima ſua voluntate: partim ex Lingelſhemii ad ſuam editionem praefatione, partimque ex teſtamento Thuani intelligimus. Veri autem ſimillimum videtur Lingelſhemium cum duobus illis Thuani amicis, quibuſcum is, dum ſinebant fata, ſumma neceſſitudine conjunctus plurimos annos vixerat, conſilium communicaſſe, priuſquam exemplar ſuum prelo ſubjiceret. Rigaltius in vita Petri Puteani, cum per quinquaginta annos Puteano ſe amico uſum fuiſſe dixit, de Thuano deinde loquens ita pergit: *Illius vero ſemiſaeculi annos octodecim ſibi vindicat Jacobus Auguſtus Thuanus, etenim tamdiu ego et Puteanus cum ipſo perpetua familiaritate conjunctiſſimi viximus. Summa illic opinandi, interrogandi, ac diſſerendi libertas; ſic tamen, ut honoris et modeſtiae magiſtra ſeveritas ubique praeeſſet: ſumma fides, ſummus candor, ſumma ſinceritas* [2]. Itaque nemini certe dubium eſſe poteſt, quin Lingelſhemius, qui Thuani teſtamentum, quo alterum exemplar eorum fidei commiſſum erat, editioni

[1] Tom. III. p. 313. Edit. de Leyde, 1715.

[2] Vid. Tom. VII. cap. XI. p. 45.

tioni ſuae ſubjiciendum curavit, illos per literas conſultaverit, ſententiamque de exemplari apud ſe edendo exquiſiverit. Atque rem ita ſe habuiſſe, ex ſuis ipſius verbis, quibus rationes, cur exemplaris curae eorum commiſſi editionem morarentur, ſignificat, ut credam, adducor. *Quod auctor*, inquit, *quodammodo praeviderat fore, ut iniquitas temporum impedimento eſſet, id ipſum in cauſa eſſe deprehendi, cur illi editionem diutius premant.* Nonne verbum *deprehendi* literarum commercium indicare videtur? et commercium illud, quod rerum in Gallia ſtatus ipſis facere non permitteret, id eos libenter interim a Lingelſhemio fieri velle? Nonne etiam voces *iniquitas temporum* inter alia ſignificent, Thuani operis excudendi privilegium, ſine quo librum aliquem apud Gallos publice divendi non licet, eos impetrare non potuiſſe? Certe qui in aula Gallica tunc temporis res adminiſtrabant, utrum tutoribus a Thuano conſtitutis, ut hiſtoriae exemplar perderent, perſuadere conarentur, necne (cujuſmodi aliquid ex Peireskii epiſtola ad Camdenum ante memorata ſuſpicari fas eſt) facile tamen impedire poterant, quo minus privilegio munitum excuderetur.

Ut Lingelſhemii igitur inſtitutum de Thuani hiſtoria edenda Puteanum et Rigaltium non noviſſe tantum, ſed etiam approbaſſe, omnino credibile videtur; ita cum in lucem ea prodierat editio, pro vera et germana habuiſſe jam demonſtrabo. Quo enim munus ſibi a defuncto amico injunctum praeſtarent, in primis ſingula operis volumina uterque ſeorſum perlegit; et in vocibus ac etiam literis plurima corrigenda; in locutionibus multa emendanda; in ſententiis quaedam mutanda, aut eradenda, ad exemplaris ſui marginem notavit: quae dum facerent, libertate auctoris teſtamento ipſis conceſſa ſe fideliter uti (ut mox apparebit) judicaſſe videntur. Errores in vocibus ac literis librarii, aut typographi ſaltem, incuria fere irrepſerant. In iis autem, quae emendarunt, mutarunt, aut eraſerunt, pro arbitrio egiſſe probabile eſt; qua in re tamen quanta cura et prudentia ſe geſſerint, ex noſtra editione, ubi maxime inſignia notabuntur, lector facile per ſe judicium feret.

Ceterum minime praeteriri debet, licet Thuani iſti amici eum poſterioris Genevenſis editionis typographo has emendationes et acceſſiones deinceps communicaverint; a nemine tamen, ſive nominato ſive innominato, cum ſibi quidquam ſuppeditatum vel minimo indicio uſquam ſignificaſſe; niſi quod in titulo poſterioribus LVIII libris praefixo hanc editionem *priore emendatiorem* eſſe moneat: contra autem quaecunque aut inſeruerit, aut emendaverit, nulla omnino typorum diſtinctione facta, reliquo orationis corpori paſſim admiſcuit. Hoc non tantum Titii et aliorum ingenia torſit, calamoſque exercuit; ſed omnium fere, qui in libris melioris notae comparandis operam poſuerint, animos perturbavit, quorum plurimi poſt ſumptus non exiguos ſingulas hujus utiliſſimae hiſtoriae editiones ab aliis diſcrepare invenientes, quae potiſſimum ceteris praeferri deberet, incerti haeſerunt. Rem ita revera ſe habuiſſe inſigni documento jam plane oſtendam. In Genevenſi editione, anno MDCXX publicata, quaedam de Franciſco Junio tradidit Thuanus; quae in ultima dein Francofurtenſi eodem modo expreſſa, ſed in poſteriori, quae has ſecuta eſt, Genevenſi haud parum immutata leguntur. Cum prima igitur ex his editionibus poſt mortem demum auctoris lucem aſpexerit, unde tantus hic diſſenſus evenire poſſet, Titius ſatis mirari nequit, et difficile explicatu putat[1]. Res autem ita ſe habuit: Anno MDCXXVII Joannes Gerardus Voſſius opus ſuum *De Hiſtoricis Latinis* edidit, in cujus praefatione queritur, Thuanum partim a Joſepho Scaligero, partim vero memoriae lapſu, in errorem ductum, ea, quae de Hugone Donello intellexerat, Franciſco Junio tribuendo, Junii famam, cujus filiam in matrimonio duxerat Voſſius, laeſiſſe. Quod memoriae igitur lapſu de hac re a Thuano excidiſſe plane apparuit, Puteanus vel Rigaltius in Genevenſi editione, cujus LVIII libri poſteriores ante annum MDCXXX lucem non viderunt, omittendum curavit. Ex iis autem, quae de ingenio et ſcriptis Junii dixerat Thuanus, nihil mutatum fuit, unde tamen praecipuam querendi anſam ceperat Voſſius; ideoque quidquid in ſoceri ſui defenſionem, ſive in praefatione jam dicta, ſive in epiſtolis ſuis ſcripſerit, opportuno loco noſtra editio exhibebit[2].

Veri autem ſimillimum videtur eandem in Gallia *temporum iniquitatem*, qua, ne exemplar ſibi commiſſum ipſi publicarent, cohibebantur, eos moviſſe, ut in iis etiam,

[1] Recenſ. pag. 22.

[2] Vid Tom. VII. cap. VIII. p. 11, et ſeq.

etiam, quae cum Genevenſi editore communicaſſent, ſua nomina celari neceſſarium ducerent. Quanta enim cura et induſtria per totum hoc negotium ſe occultaverint, unum atque alterum exemplum ſatis demonſtrabunt. Liber quintus *Commentariorum De Vita Thuani* ſequentibus verbis clauditur: *Sed rurſus ſtylum inhibeo, et veniam a lectore peto, ſi in tam juſtae cauſae defenſione pro viri innocentis dignitate longius et cum calore aliquo evagatus ſum, fecique, quod ille non feciſſet, nec factum vellet* [1]. Jam quiſquis commentarios illos uſque ad haec verba perlegerit, ab ipſo Thuano ſcriptos fuiſſe facile cenſebit. Attamen cum hic alienam manum ſe prodere ſuſpicandi locus eſſet, ne alterutri eorum opus illud tribueretur ſoliciti, in Genevenſi editione proxime dicta totam hanc ſententiam delendam eſſe curarunt. Porro quantopere ſibi caverint, ne ulli omnino rei ad Thuani hiſtoriam pertinenti ſe immiſcere viderentur, ex eo quoque manifeſtum eſt; quod, cum anno MDCXXXIII Jacobus Puteanus, Petri frater, *ſtudiorum comes aſſiduus, particeps conſiliorum, et adjutor laboris*, ſine quo nec *quidquam frater aggreſſus eſt unquam*, ut ſcribit Rigaltius [2], *Indicem nominum propriorum in Thuani hiſtoriis* confeciſſet, ad veri auctoris nomen celandum res ita inſtituta fuit, ut edendi privilegium cuidam Petro Beſſino concederetur, quod indicis illius editioni, anno ſequenti in quarto evulgatae, praefixum ejus nomen exhibet: quanquam, recte Menagio, Beſſinus iſte, qui fuit *valet de chambre de M. de Thou le conſeiller d'etat, ne ſçavoit point du tout de Latin* [3]. Proinde Rigaltius poſt mortem Puteani, quidquid ad Thuani hiſtoriam aut emendandam aut illuſtrandam contribuiſſent, pari ſilentio reticuit. Etenim in vita Puteani a ſe conſcripta de Thuani operibus fidei ipſorum commiſſis loquens, illa tantum habet: *Nobis ambobus ſuarum lucubrationum edendarum arbitrium teſtamento ſuo* Thuanus *mandaverat* [4]: quae autem mandaſſet, ipſos ullo modo efficienda curaſſe, ne uno quidem verbo ſignificat.

SED enim praeter ea, quae emendanda, mutanda, aut eradenda, ut dixi, Puteanus et Rigaltius ad codicum ſuorum marginem notaverant, in quibus ſemper fere inter ſe conſenſerunt, atque eorum ope poſteriorem Genevenſem editionem emendarunt; alia quoque neque numero, neque momento ſuo exigua (quorum nonnulla ex Patiſſoniano volumine deſumpta erant) aut in margine, aut in vacuis paginis eorundem codicum, ex compoſito adſcripſerunt, locis a ſe ibidem indicatis inſerenda. Haec autem nullo cum typographo ab iis unquam communicata erant, ideoque in nulla adhuc hiſtoriae editione apparuerunt, uno tantum excepto in poſterioris Genevenſis editionis libro XXXV, quo iis, quae in eodem libro prioris editionis ibidem excuſae de concilio Tridentino Thuanus ſcripſiſſet, facta eſt haud parva acceſſio [5]. Item alias operis emendationes poſt Genevenſem editionem, anno MDCXXX peractam, in margine librorum fecerunt, quarum nonnullas ſtatim exhibebimus. Eorum autem omnium, quae hactenus dicta ſunt, exemplaria tam a Puteani, quam Rigaltii, codicibus a Cartio deſcripta in manibus habeo.

ATQUE hinc ſane, ut de *Thuano Reſtituto* quaedam nunc dicam, admoneor. De operis hujuſce publicandi cauſa quae in praefatione declarantur, operae pretium ſit audire. *Cum nuper*, inquit, *in manus perveniſſet manuſcriptum exemplar locorum, quos hic damus; deinde et alterum, quod conſtabat ex ipſo autographo illuſtriſſimi Thuani deſcriptum; tum viri tum hiſtoriae dignitas poſtulare videbatur, has ejus non contemnendas lacinias quamprimum prelo ſubjicere, quo celeberrimum hocce opus non mutilum, ſed integrum habeatur.* Quis non haec, quae in eum finem evulgata eſſe dicuntur, *quo celeberrimum hocce opus integrum haberetur*, ultimae Francofurtenſi et poſteriori Genevenſi editionibus, Francofurtenſi in octavo, et Pariſienſi *veteri* in folio (qua non Patiſſonianam, ſed Drouartianam intelligit) quibuſcum editor mox ſe contuliſſe affirmat, adjuncta, omnes errores et defectus operis emendando ac ſupplendo perfectum reddituram facile crederet? Ita profecto ſcriptor iſte nobis perſuadere conatur; quantopere autem ſpes noſtras deceperit, cito apparebit. Prior codex hic memoratus ea, de quibus paulo ſupra mentionem feci, ex Puteani et Rigaltii mſs. collecta, comprehendiſſe videtur; quorum pleraque in neutra Genevenſi,

[1] Vid. Tom. VII cap. IV. p. 138.
[2] Ibid. c. XI. p. 44.
[3] Antibaillet, P. I. art. 23.
[4] Vid. Tom. VII. cap. XI. p. 46.
[5] Vid. Tom. II. p. 377. hujus edit.

venſi, nec in poſtrema Francofurtenſi, nec in ulla alia editione, quacum editor ea ſe contuliſſe ſcribit, conſpiciuntur, ut paginae e ſingulis editionibus ab eo citatae manifeſtum faciunt. Alter codex Thuani autographon eſſe potuit, quod in regia Pariſiis bibliotheca adhuc conſervatur, et inter alia ea habet, quae in Pariſioniano volumine primum edita, e ſequentibus editionibus auctor ſuſtulit. Horum autem utriuſque verba promiſcue adhibet, nulla diſtinctione facta, quae a collectaneis jam dictis, et quae ab auctore provenerint; quod ſtudioſo lectori ſine dubio gratiſſimum fuiſſet. Quo autem defectus et errores hujus libri perſpicua ratione oſtendam, non totum opus pererrans hallucinationes quaſdam paſſim excerpam; ſed ab initio re ducta, quae in paucis illic paginis occurrant, monſtrabo.

INITIUM capit a loco quodam inſerendo pag. 18. D. v. 7. primi hiſtoriae voluminis, Genevae anno MDCXX editi. At noſtra Puteani et Rigaltii collectaneorum exemplaria in paginis prioribus illa, quae ſequuntur, habent emendanda.

Pag. 7. D. v. 5. Poſt verba *Betancurium noſtratem* dele *Belgam*. Addit Puteanus: ſcribe *e Caletibus in Neuſtria oriundum*. Neutra harum emendationum aut in ultima Francofurtenſi, aut in poſteriori Genevenſi editione legitur[1].

Pag. 9. C. v. 9. Poſt verba *uſque ad* dele *Edmondum Plantagenetam Henrici*, et ſcribe *Joannem Plantagenetam Edvardi* III. In ultima Francofurtenſi editione hanc emendationem deeſſe, in poſteriori vero Genevenſi non item, editor obſervaſſe debuit[2].

Ead. pag. D. v. 2. Poſt verbum *Edvardi* dele II *regis* F. et ſcribe III *altero filio*. Hac emendatione ultima Francofurtenſis editio deſtituitur; habet poſterior Genevenſis, ſed mendoſe, cum duplici FF. pro *filio*[3].

Ibid. E. v. 1. Poſt verbum *Caroli* dele VII, et ſcribe VI. Poſterior Genevenſis editio hic recte ſe habet, ſed non ultima Francofurtenſis[4].

P. 10. A. v. 2. Poſt verbum *potitur* adde *fundavit*: haec Puteanus. Tota autem ſententia ita concipitur: *Hugonis Capeti, qui familiam regiam, quae feliciſſime ab eo tempore apud nos rerum potitur, fundavit, nepos.* Omiſſo verbo, perit omnino ſenſus loci; quod tamen ex utraque editione toties jam dicta excidit[5].

HAEC autem parvi ſunt momenti prae duobus illis locis, ne plures jam commemorem, quos, ut a Cartio inter alia ex Thuani autographo excerpta recepi, hic proferam. Ut in auctoris autem codice leguntur, paginis aliquot ante eam, unde initium habet *Thuanus Reſtitutus*, inſeri debent.

Pag. 10. F. v. 4. Poſt verba *in bonum vertat* adde: *Nec deſperandum eſt, quia qualiſcunque religionis ſylveſtria illa plantaria melioris doctrinae inſitione, Hiſpanorum jugo excuſſo, et libertate reddita, quaſi novellae, ſuaveis, et auctore Chriſto dignos, fructus aliquando producant. Ut ortus Hiſpanorum, ſic contra Gallorum occaſus, cauſas pariter religioni tribuo. Nam cum Chriſtiana pietas ab initio in Gallia ſemper floruerit, ut quam monſtris caruiſſe ſcripſerit Hieronymus, purioris doctrinae cultum hoc dicto in ea ſemper viguiſſe innuens; verendum erat, ne, creſcente in Italia potentia Gallorum, quibus tantas opes pontifices Romani debere ſe negare non poſſunt, una et potentia Romana in immenſam et orbi Chriſtiano intolerandam magnitudinem evaderet. Quod ab Hiſpanis minime metuendum fuit; quippe qui non tam pontificiae magnitudini inſerviunt, quam pontificii cultus praetextu id agunt, ut pontificia auctoritas, a Gallis in tantam evecta ſublimitatem, ipſorum commodis et ambitioſis conſiliis inſerviat: et, ſi mens non male augurat, pontifices Romani, ut olim in ultima direptione urbis, ſic et in amplae adeo et invidioſae potentiae diſſolutione, infeſtiſſimum Hiſpanum aliquando experturi ſunt. Nos certe Galli ſimplices nimis, quorum imprudentia factum eſt, ut dum plus juſto religionis cuſtodibus et miniſtris tribuitur, ipſi religioni male conſultum ſit. Nam nihil aeque, ſi verum amamus, religioni obeſt, quam nimiae opes, et immoderata unius potentia; quae ſi in monarchiis, ubi degenerare incipit, omnibus intolerabiles exiſtit; in domo Dei, ubi majore cum periculo peccatur, nullo modo ferri debet. Itaque ut in iis, quae vere ad religionem pertinent, nihil de poteſtate eccleſiaſtica, quam veneror et ſuſpicio, imminuendum aut delibandum cenſeam; ita pontificum Romanorum intereſſe exiſtimo, de poteſtate terrena, quam*

tot

[1] Vid. Tom. I. p. 10. hujus edit.
[2] Ibid. p. 12.
[3] Ibid.
[4] Ibid. p. 13.
[5] Ibid.

tat jam abhinc ſaeculis nimis avide conſectantur, multa reſecari; ipſis utique meo judicio majoribus futuris, ſi minores eſſe velint. Nam quorſum faſtus ille, et inſolentes tituli, et pluſquam regia majeſtas; niſi ut religio ſimplex, candida, et per ſe venerabilis, in invidiam, odium, et maledicentiam culpa miniſtrorum incurrat? Ut ſub novis ſubinde dominis nova quotidie monſtra, nova imperia, novi tyranni in Italia exoriantur? ut pace publica turbata, et omiſſo communi Chriſtiani nominis hoſte, orbis Chriſtianus armis concutiatur? Piget dicere, et tamen dicendum eſt, ex quo, abjectis clavibus, et relictis precibus ac lachrimis, quae ſola et vera ſunt arma ſacerdotum, ſumptum ſceptrum, tiara, gladius; ex ea cura paſtoralis negligi, diſciplina ſacra corrumpi, et corruptis moribus ipſa doctrina paulatim adulterari coepit. Tunc amiſſa concilia, hoc eſt, neglecta religioſorum cum Deo foedera, et inita nova foedera cum hominibus, ipſis ferme ſemper damnoſa, certe reipublicae Chriſtianae luctuoſa [1].

Pag. 11. A. V. 9. Poſt verbum *amplificaſſet* adde: *Nam quid portentoſius priſca vel noſtra aetas vidit vel audivit? Hominem ſacris devotum largitionibus in templum Dei invaſiſſe; ibi ferro, veneno, fraude tam diu impune graſſatum eſſe; ex nefando coitu ſuſceptos liberos, omni pudore exuto, auſum propalam filios appellare; inceſtibus, homicidiis, et latrociniis infamem familiam aluiſſe; inde vitia domeſtica in omnem Italiam ſparſiſſe; poſtremo Chriſtiani gregis paſtorem jurati Chriſtianorum hoſtis clandeſtino foedere ſtipendiarium fuiſſe! Et quidem haec ab omnibus, qui res illius temporis ſcripſerunt, memoriae prodita ſunt, etiam iis, qui pontificii nominis reverentia multa alioqui non tacenda ſilentio diſſimularunt. Sed omnem fidem ſuperat, quod Fr. Guicciardinus, vir fide, prudentia, et eloquentia cuivis ex antiquitate comparandus, nulli certe meo judicio poſthabendus, ſcripſit; non ſolum duos fratres, Franciſcum Candianum, et Caeſarem, qui poſtea veneficio noſtro Valentiae dux factus eſt, inceſto Lucretiae ſororis amore exarſiſſe (quod ob rivalitatem Candiano perniciem attulit) ſed etiam ipſum parentem tam perdite filiam deperiſſe, ut eam a marito priore ſtatim initio pontificatus, quaſi tanta adfinitate indigno, abduxerit; mox pudore victum Joanni Sfortiae Piſauri domino elocaviſſe; et poſtremo, cum ne quidem maritum rivalem pati poſſet, Joannem ad res venereas frigidum cauſatum, ſubornatis falſis teſtibus, contractum cum eo matrimonium diſſolviſſe. Quo nomine etiam a Jacobo Sannazario, viro bono, et eximio ſui temporis poeta, paſſim proſcinditur; et illo carmine praecipue, cujuſcunque tandem ſit, quo Lucretia filia, ſponſa, nurus Alexandri fuiſſe perhibetur. Mitto Aſtorem Manfredum, Faventiae dominum, eximia forma puerum, ſtupratum, et contra datam fidem poſtea necatum; tot illuſtres duces inde a filio Senegalliae, inde a patre Romae crudeliter occiſos; et venenum cardinalibus paratum ab ipſo Alexandro epotum, quae mors tali vita digniſſima fuit. Cum tali monſtro junctae adfinitatis contagia et piacula res noſtras infeciſſe, et optimi principis fortunam in praeceps dediſſe, merito exiſtimare poſſumus* [2].

AB iis autem, quae ſcriptor, de quo agimus, omiſit, ad errores quoſdam ex primis ejus paginis exhibendos jam procedam.

LOCUS, quo incipit, in utraque Genevenſi editione omiſſus eſt, ultima vero Francofurtenſis ex Patiſſoniano volumine ita exhibet: *Ferunt Clementem implacabili tunc in Gallos odia ardentem, vix poſt conſummatas nuptias ſibi adhuc credentem dixiſſe, ſibi abunde poenarum de Gallis ſumptum eſſe, cum provideret fore, ut ex illa face (ita patruelis filiam vocabat) magnum incendium olim in Gallia exoriretur* [3]. *Thuanus* autem *Reſtitutus* hic legit *magnum incendium experiretur* [4], quibus verbis clauditur periodus. Ubi omiſſio verborum *olim in Gallia* ſenſum periodi incertum, ac dubium relinquit: quibus additis, poſt *magnum incendium* verbum *exoriretur* aptius rem exprimit, quam *experiretur*; omiſſis vero, non *experiretur* ſed *experirentur* conſtructio poſtulare videtur, ut cum *Gallis* conveniat.

IN pagina tertia alia eſt et longior ſententia, quae cum Patiſſoniano volumini inſerta eſſet, et ex reliquis deinceps Pariſienſibus editionibus ſublata, in utraque etiam Genevenſi conſulto omiſſa fuit. Francofurtenſis autem editor, qui locis hujuſmodi ex volumine Patiſſoniano exſcriptis ultimam ſuam editionem locupletare

1 Vid. Tom. 1. p. 14. hujus edit.
2 Ibid. p. 15.
3 Ibid. p 25.
4 Pag. 1.

pietate ſuſceperit, in negligentiae reprehenſionem merito incurrit, quod hunc etiam inter alios non paucos praetermiſerit. Nec *Thuani* quidem *Reſtituti* editor recte exhibuit. In medio enim haec habet: *Janus denique Vitalis, poeta, Carolum cardinalem Andegavenſem, et regiam progeniem, ac maximum Andegavis gentis appellat* [1]. Vera autem lectio Patiſſoniani voluminis, et autographi, eſt *maximum Andegavae gentis honorem.*

Ex brevi hoc ſpecimine eorum, quae aut omiſerit, aut perperam dederit, *Thuani Reſtituti* editor, de toto opere quiſquam, ni fallor, facile judicium ferat.

Cum Thuani autographon in regia Pariſiis bibliotheca aſſervari haud ſemel antea dictum fuerit; quaeres forſan, num codex iſte *parata* ſit hiſtoriae *editio*, quam is typis evulgandam poſt ſe reliquerat? et ſi revera non ſit, quid de ea *parata editione* factum fuerit? Quod ad poſterius attinet, nihil dum certi habeo, quod reſpondeam. Paratam autem editionem ab autographo diverſum fuiſſe codicem, ex iis, quae ſupra memorata ſunt, plane evinci poteſt. Thuanus enim ait, *Hiſtoriarum mearum*, teſtamenti verba recito, *paratam editionem, ſi antequam ipſa edatur moriar, Puteano et Rigaltio committo.* Primum ejus volumen paulo ante exceſſum, anno MDCXVII, prelo ipſe ſubjecit; quod, cum ſequenti anno lucem aſpexiſſet, ſuo exemplari per omnia congruere invenit Lingelſhemius. Haec igitur pars operis effecta fuit, et extra Puteani et Rigaltii curam jam poſita. In excerptis autem ex primo volumine autographi, quae a Cartio accepi, loca quaedam inveniuntur, quae in volumine Pariſiis anno MDCXVIII edito fruſtra quaeres. Quapropter cum volumen illud Pariſienſe ultimam auctoris manum paulo ante mortem paſſum eſſet, et Lingelſhemii exemplari per omnia congrueret; autographon in regia bibliotheca repoſitum codicem eſſe ab eo diverſum, quem in teſtamento ſuo *paratam editionem* Thuanus appellat, manifeſto conſequitur.

[Cum hanc ad te epiſtolam ſcripſi, duos locos inſignes ex Thuani autographo inſerui, qui neque in Puteani et Rigaltii collectaneis, neque in *Thuano Reſtituto* inveniuntur. Eodemque tempore obſervavi, libri hujuſce editorem, qui in praefatione ex duobus mſs. codicibus, quorum alter ex autographo jam dicto excerptus eſſet, opus ſuum confeciſſe prae ſe fert, promiſcue illos adhibuiſſe, nulla diſtinctione facta, quae ex Puteani et Rigaltii collectaneis, et quae ex autographo deſumpta eſſent. Hoc igitur mente retinens, ut rem accurata inveſtigatione digniſſimam, et quam omnes ſtudioſi lectores explicari cuperent, Lutetiam deinde profectus Cartium rogavi, ut collectaneorum exemplaria, et autographon, quod in regia bibliotheca eſt, cum *Thuano Reſtituto* conferret. Is, re alacriter ſuſcepta, inter conferendum non tantum omnes *Thuani Reſtituti* locos, aut in ipſo autographo, aut in altero hiſtoriae exemplari, quod Thuani rogatu fratres Sammarthani ab eo pulchre deſcripſerant, invenit; ſed etiam eoſdem ipſos locos a Puteano et Rigaltio ex his duobus mſs. in collectanea ſua longe accuratius tranſcriptos fuiſſe plane deprehendit. Ita tandem feliciter repertum eſt locos iſtos non a Puteano et Rigaltio, ſed ab ipſo Thuano ortum habuiſſe, ipſique tribui debere, cujus verbis omnino ſunt concepta. In noſtra igitur editione ſingulos notabimus, num ab utroque mſ. regio ſcilicet et Sammarthano, an ab altero tantum deſumpti ſint.

Postquam autem Cartius codices jam memoratos contulerat, quaedam evenerunt, quae ut tecum nunc communicem, mihi omnino neceſſarium eſſe videtur. Illuſtr. profeſſor, et bibliothecarius regius, Jo. Grammius, mſ. omnium locorum, qui in *Thuano Reſtituto* continentur, Haunia perhumaniter mihi tranſmiſit; quem codicem *in illuſtriſſimi comitis Daneskiold de Samſoe defuncti bibliotheca* illic diu ante repoſitum fuiſſe, quam editor *Thuani Reſtituti* exemplar ſuum evulgaſſet, ſibi perſuaſum eſſe, per literas mihi confirmare dignatus eſt. Alterum etiam codicem, *Daneskioldiano per omnia parem, niſi quod recentior ſit, et tamen vix poſt annum* MDCLX *exaratus*, in regia bibliotheca Haunienſi adhuc conſervari nuntiavit. Item tertium id genus codicem in cathedrali eccleſia Hamburgenſi eſſe intelligens, ut qualis is eſſet ex certo et fide digniſſimo auctore acciperet, ad celeberr. et rev. virum, Jo. Chriſtophorum Wolfium, paſtorem Hamburgenſem, ea de re ſcripſit; qui mſ. hunc codicem cum Wieſortii editionis exemplari conferre haud gravatus, varietatibus quibuſdam levioribus, quas librarii imperitiae attribuit, exceptis, recte inter ſe conſentire invenit. Harum autem varietatum

[1] Vid. Tom. 1. p. 189. hujus edit.

Digitized by Google

rietatum exemplar ad illuſtrem profeſſorem miſit, qui mecum communicavit. Quartum codicem clariſſ. equitis Pii Nicolai Garellii, Caeſ. majeſt. Caroli VI medici primarii, et bibliothecae praefecti, beneficio Vindobona accepi. Et nuper etiam quintum vir quidam praeſtantiſſimus Lutetia mittendum mihi curavit; ipſiſſimum, ut ait, exemplar, quod olim cuidam ex majoribus ſuis Puteanus dono dederat.

Ex his igitur apparet omnes locos iſtos ab ipſo Thuano hiſtoriae ſuae mſ. fuiſſe inſertos; quorum nonnullos cum in Patiſſoniano volumine edidiſſet, in ſingulis deinceps exemplaribus dum ipſe inter vivos erat prelo ſubjectis, ut etiam in parata editione juſſu ſuo poſt mortem ſubjicienda, omittere placuit. Quanti autem Puteanus et Rigaltius eos aeſtimaverint, vel hinc intelligere poſſumus; quod non tantum inter emendationes ſuas in margine aut vacuis paginis codicum ſuorum typis impreſſorum adſcripſerunt, ſed in unum etiam corpus uterque ſeorſum collegerunt, et exemplar eorum in bibliotheca regia, cujus cura Rigaltio et poſtea Puteano committebatur, depoſuerunt: et licet defuncti ſui amici conſilio eatenus obſecuti ſint, ut illa, quae in parata ejus editione omiſſa eſſent, in hiſtoriae contextu edi noluerint; ſcripta tamen exemplaria cum neceſſariis ſuis communicare operae pretium duxerunt. Atque hinc non modo evenit, ut exemplaria ejuſmodi in bibliothecis aliquot hodie inveniantur; ſed ut Abrahamus etiam Wicfortius, in cujus manus duo eorum incidiſſent, alterum anno MDCLXIII, ſub titulo *Thuani Reſtituti*, parum accurate ediderit. Alterum ſolummodo edidiſſe dico, quod utrumque per omnia congruere invenerit. Hâc enim occaſione ad praefationem ejus oculos iterum convertens, verba diligentius perpendi, quae ita ſe habent: *Cum nuper in manus perveniſſet manuſcriptum exemplar locorum, quos hic damus, deinde et alterum, quod conſtabat ex ipſo autographo illuſtriſſimi Thuani deſcriptum; et eorum uterque dominus, humaniſſimus pariter et boni publici eximie ſtudioſus, haud gravate edi permiſiſſet.* Ex his verbis conjector, ſi quid diſcrepantiae inter codices iſtos inveniſſet, id, quod debuit, eum ſignificaturum fuiſſe. Imo ſi non hos tantum, ſed eos quoque Vindobonae, Pariſiis, et Hauniae contuliſſet, unum tantum edere potuiſſet, quod omnes inter ſe conveniant. Porro codicem in regia Pariſiis bibliotheca ſervatum, cujus exemplar nuper comparavi, hunc titulum ferre invenio: *Detracta vel mutata in Hiſtoriis illuſtris viri Jac. Aug. Thuani, ex ejus autographo editioni Genevenſi reſtituta.* Simili autem hujus codicis exemplari in *Thuano* ſuo *Reſtituto* uſum fuiſſe Wicfortium ex ſuis ipſius verbis perſuaſum habeo, cum ait: *Alterum exemplar mſ. conſtabat ex ipſo autographo Thuani deſcriptum.* Itaque non ipſum, ut apparet, autographon, quod in eadem regia bibliotheca conſervatur, evolvit; ſed collectaneis ex eo excerptis contentus fuit. Non potui hoc non obſervare, ne merita ſua laude Cartius fraudaretur, qui in ipſo autographo multa neque a Wicfortio, neque ab ullo alio ante ſe exſcripta, haud parvi momenti invenit. Cujus in hac re diligentiae ex duobus iſtis locis a Thuani mſſ. deſumptis, atque huic epiſtolae inſertis, ſpecimen exhibui. Unde etiam conſtat ſingula eorum, quae auctor in lucem prodire noluit, Puteanum et Rigaltium ex iis mſſ. non collegiſſe. Nec temere ab iis hoc factum credamus: conſilii ſui rationes, temporum, quibus vixerunt, rerumque ſuarum ſtatui congruentes, ſine dubio habuerunt. Attamen cum codices iſti manuſcripti, unde ſua hauſerunt, etiam nunc extent, et omnia, quae ab eodem fonte manant, ejuſdem ſint auctoritatis, ac ſenſa Thuani pariter exprimant; viri iſti eruditi, ex iis, quae collegerint, quo loco etiam reliqua aeſtimari oporteat, exemplo ſuo nos docuerunt. Haud parum igitur laudis Cartio debetur, qui poſt eorum meſſem tantum ſpicilegium fecerit. Tempus fortaſſis olim eventurum crederent, quo hoc ab aliquo fieret: cur enim tanta alioquin cura auctoris mſſ. conſervata eſſent, niſi ut poſteritas libero eorum uſu frueretur?]

Summa eorum, quae hactenus expoſui, huc redit: quod ex omnibus Thuani editionibus, quae ad hunc uſque diem in lucem prodierint, fieri non poteſt, ut perfectum operis corpus conficiatur. Neque minus hoc verum eſſe inveniet, qui *Thuanum Reſtitutum* iis adjiciat; cujus defectus et errores adeo numeroſi ſunt, ut ſi plures proferrem, vereor ne ut opera mea, ita et tua patientia, abuti merito viderer.

In noſtra autem editione, quam ad fidem Genevenſis anno MOCXX evulgatae date ſtatuimus, variantes lectiones ex ipſis Thuani mſſ. deſumptae ſeorſum a contextu operis, codiciſque nomine, cui debeantur, diſtinctae, una cum iis Puteani et Rigaltii notationibus atque emendationibus ad oram exemplarium ſuorum editorum adſcriptis, quibus non verba tantum, ſed etiam ſenſa auctoris immutata ſiut, in ima pagina collocabimus; ad ceteras enim eorum correctiones quod attinet, quibus librarii aut typographi lapſus occaſionem praebuiſſent, in operis contextum recipientur. Quanta ſit neceſſitas rem ita inſtituendi, uno exemplo manifeſtum reddam. Sub finem libri XLVI editionis Lingelſhemii haec verba leguntur: *Eodem tempore Anna Auſtria Maximiliani Caeſaris F. Philippo avunculo deſponſata, ad maritum in Hiſpaniam tendens e Zelandia ſolvit; ad quam per mare Britannicum deducendam Eliſabetha,* QUAE SIBI ILLIUS IMPERIUM, REBUS APUD NOS TURBATIS, ARROGABAT, *officioſe Carolum Howardum cum bellica claſſe et ſelecta nobilitate miſit, nondum renudato prorſus contra Philippum odio, et conſtantibus adhuc inter ipſam et familiam Auſtriacam continuis amicitiae officiis*[1]. Hunc locum Rigaltius in ſuis emendationibus deleverat; unde factum eſt, ut in poſteriore Genevenſi editione non compareat. In Rigaltii autem excuſationem dici poteſt, Thuanum in libro proxime ſequenti, ubi de eadem re tractat, haec habere: *Eliſabetha, Angliae regina, Carolum Howardum, maris praefectum, officioſe ad eam per mare Britannicum deducendam cum bellica*, et reliqua, quae ſupra leguntur: voce *mutuis* tantum pro *continuis* ſubſtituta[2]. Cum haec igitur ſententia ea in parte, quam majuſculis literis diſtinxi, ab iis differat, quae antea de eadem re dixerat Thuanus; Camdeni Annales Eliſabethae Rigaltius forſan conſuleret, qui ſequentia tantum verba de hoc facto ſcripſit: *Ad quam per mare Britannicum in Hiſpaniam deducendam Eliſabetha Carolum Howardum cum bellicoſa claſſe, et ſelectis nobilibus miſit, ſumma cum honoris et amoris in Auſtriacam familiam teſtificatione*[3]. Camdeni igitur ſilentio motus, ut, ea ſententiae parte omiſſa, reliqua, quae eodem ſenſu bis dicta erant, priore loco deleta, in poſteriore, quaſi magia commodo, ſolum retineret, haud abſurde quidem adduci potuit. Quod *maris* autem *praefectum* hic *Carolum Howardum* nuncupat Thuanus, id minus accurate factum ex Camdeno didiciſſet Rigaltius. Claſſi quidem ad Annam Auſtriam deducendam miſſae praefuit Carolus ille Howardus, baronis Howardi Effinghamii filius, anno MDLXX; maria vero praefectus anno demum MDLXXXV conſtitutus fuit. Nam ita Camdenus: *Ineunte hoc anno, diem obiit Edwardus Clintonus, maris praefectus ſive admirallus, comes Lincolniae. Succeſſit in dignitate Henricus filius, in maris praefectura Carolus Effinghamius, reginae camerarius*[4]. Quanquam autem Camdenus, quemadmodum ea occaſione ſe geſſit Howardus, ſilentio praeterierit, factum tamen cum per ſe, tum ob Thuani cenſuram, adeo inſigne fuiſſe videtur, ut rejici, aut oblivioni dari, nequaquam debeat. Rem tangit Hackluytius in epiſtola primo volumini *Nauticarum Expeditionum Anglicae Gentis* praefixa[5], quam eidem Carolo Howardo, ad comitis Nottinghamiae dignitatem tunc evecto, inſcripſit. Verba ejus ex noſtro ſermone in Latinum converſa ſic ſe habent: "Quum ſoror imperatoris, Hiſpani regis ſponſa, cum claſſe centum et triginta navium audacter et ſuperbe mare Britannicum tranſiret; tu cum decem tantum reginae noſtrae navibus bellicoſis pari arte ac virtute claſſem circumiens, vexilla ſubmittere, atque Anglicae reginae imperium agnoſcere, homines coëgiſti, dictumque illud poetarum principis, ut recte intelligerent, curaſti:

Non illi imperium pelagi ſaevumque tridentem,
Sed ſibi ſorte datum.

"Poſtquam autem officium praeſtiterant, reginae nomine exteram illam principem per mare noſtrum Britannicum tuto deduxiſti, ſummaque humanitate et honore eam proſecutus es. In arduo ac difficili hoc munere quam praeclare te geſſeris, tota Anglorum gens eo tempore obſervans, oculos ſuos in te convertere coepit." Thuani de egregio hoc facto cenſuram aliorum judicio relinquam. Nihil omnino

de

[1] Pag. 632, hujus autem edit. Tom II. p. 773.
[2] T. II. hujus edit. p. 780.
[3] Pag. 186. edit. Lond. ann MDCXV
[4] Ibid p. 389.
[5] Edit. ann. MDXCVIII, Lond.

de loci hujuſce omiſſione apud ***Thuanum Reſtitutum*** invenio, qui tamen inter alios ſine dubio reſtitui debuit.

QUANTAM igitur curam et diligentiam in nova editione noſtra paranda adhiberi neceſſe ſit, ex hoc brevi ſpecimine facile percipies. Et profecto quo majori attentione in Puteani et Rigaltii emendationes et collectanea quis inſpexerit, eo magis ſtudium eorum et accuratam diligentiam in praeſtantiſſimi amici opere recenſendo et expoliendo admirabitur. Nec aliter ſane in ea provincia exequenda gerere ſe potuerunt, qui tot annos ſumma et animorum et ſtudiorum conſenſione cum eo tranſegiſſent, ut ſequentibus verbis deſcribit Rigaltius. *Uberrimam nobis amicorum copiam praeſtabant frequentes apud Thuanum coitiones, ad quem ex omnibus urbis ordinibus et regni provinciis, atque etiam de nationibus exteris honeſtiſſimi ac ſtudioſiſſimi confluebant. Magna illic ſeges et materia noſcendi, quid in urbe, quid in ſenatu, quid in provinciis notabile contigerat, et quid novi de tranſmarinis aut tranſmontanis vela, remiges, curſores attulerant. Hoc vitae ſuaviſſimae honeſtiſſimaeque inſtituto Puteanus forte ſua contentus ſtudia ſic dividebat, ut otii partem veterum ſcriptorum commentariis evolvendis, partem chartis negotiorum publicorum diſpiciendis, interea vero amicorum officiis ultro citroque colendis, horas in dies ſingulos impenderet. Hanc ſibi diſciplinam formaverat ad exemplum Thuani, quem in primis obſervabat ; et viciſſim Thuanus cognati ſui moribus et conſuetudine oblectabatur. Ego quidem certe in utriuſque amicitia ſic eram, ut, quanto magis Puteanus me diligebat, quantoque magis ego Puteanum redamabam, tanto nos Thuanus ambos amabiliore vinculo conſtringeret. Sic annos egimus aliquam multos, noſtrique Thuani caſibus conſiliiſque ſive laetis ſive triſtibus individui, ſaepenumero etiam bonis et liquidis coeli tempeſtatibus in Villabonio ſuo ruſticanti adhaeſimus, ſemper invicem adoptatiſſimi comites. Hiſtorias Thuanus, horis ab ſenatu ſubſecivis, et nonnunquam poemata ; Puteanus obſervationes ad regni reique publicae negotia pertinentes condebat ; ego, quae veterum ſcriptorum, ſed praeſertim Chriſtianorum ſcitis illuſtrandis ac reſtituendis, olim profutura videbantur, componebam. Magna vero ſemper et prompta nobiſcum fuit communitas omnium quae notabilia quiſque legendo, ſcribendo, maxime autem audiendo perceperat. Et quamplurimum certe Thuanus, qua dignitate ſive auctoritate pollebat, multis quotidie procerum frequentatus, in communitatem conferebat ; nec ab eo diſceſſimus unquam niſi doctiores, aut meliores, ſic omnia caſtigabat examine ſapientiſſimo*[1]. Puteanus certe, qui Thuano cognationis vinculo conjunctus fuit, amorem et benevolentiam, qua patrem proſecutus erat, in liberos deinde tranſtulit. Ideoque cum filii ejus mortem cardinalis Richelius crudeliter effecerat, *Franciſci Thuani exitium*, ut ſcribit Rigaltius, *indigniſſime tulit, atque inter triſtiſſima ſua duxit. Juvenis minime ſontis memoriam, cognitione diſpuncta, purgari ac redintegrari debere, rem aequiſſimam non abſque injuria differri, magnis rationibus peculiari volumine*[2] *demonſtravit*[3].

DE ſingulis Thuani editionibus, et aliis etiam libris ad eas ſpectantibus, quae hactenus lucem aſpexerint, tractavi ; partem quoque apparatus ex ſcriptis codicibus, quem ad novam editionem exornandam acquiſiverim, ſimul cum uſu, ad quem deſtinetur, explicui : quapropter ad alia, quae a chartis non editis deſcripta ex Gallia accepi, ſimili modo exponenda jam procederem ; quae, cum per manus tuas ad me devenerint, quantum momenti ad inſtitutum noſtrum allatura ſint, ſatis intelligis. Sed quia Cartius in ſchedis quibuſdam mſs. illuſtriſſimi viri, et ampliſſimae inter Gallos dignitatis, evolvendis adhuc verſatur, inter quas multa ad Thuani hiſtoriam illuſtrandam haud parum utilia invenit, quae reſtant, in praeſentia differam ; et cum is finem perquirendi fecerit, alteram a me de hoc argumento epiſtolam primo quoque tempore expectes. Valeas interim, vir praeſtantiſſime, et, quod facis, operi noſtro inſtituto favere pergas. Dat. ipſis kalend. Januariis, A. D. MDCCXXVIII.

[1] Vid. Tom. VII. c. XI. p. 45, 46. hujus edit.
[2] Ibid. c. X. p. 6.
[3] Ibid. c. XI. p. 49.

EPISTOLA

EPISTOLA SECUNDA,

EIDEM.

EPISTOLAM tuo nomini, vir praeclariſſime, inſcriptam, in qua conſilium noſtrum de nova Thuani hiſtoriae editione adornanda atque evulganda aperui, ineunte hoc anno, publici juris feci. Quo autem melius de inſtituta noſtra ratione judicium ferres, omnibus praeclari illius operis editionibus, quae adhuc lucem viderint, enumeratis, quid ſingulae in ſe habeant, quemadmodum inter ſe diſcrepent, et in quem uſum quamque earum ſimul cum aliis quibuſdam penes me adjumentis deſtinaverim, ſatis, ut mihi videbatur, pro epiſtolae limitibus explicui. Ceterum de reliquo apparatu, qui tunc in manibus erat, una cum novis aliquot collectaneis, quae ex Gallia praecipue brevi expectabam, cum ad manus venirent, quid facere ſtatuerem, adeoque quantas acceſſiones, quantumque commodi, ad opus deſignatum allatura eſſent, per alteram epiſtolam me tibi, prima occaſione oblata, expoſiturum promiſi. Fidem igitur tunc datam optima, hoc eſt planiſſima, qua poſſim, ratione jam liberare conabor.

IN priori epiſtola primam ullius partis Thuani hiſtoriae editionem Lutetiae, apud viduam Mamerti Patiſſonii, anno MDCIV in folio editam fuiſſe oſtendi. Tum cunctas editiones, quae, vivo auctore, Lutetiae prodierant, commemorans inſequentem ab ea, quae proxime anteceſſerat, in locis quibuſdam ſemper mutatam fuiſſe obſervavi. Et Patiſſoniano quidem volumini multa ineſſe, quae in ſequentibus ejuſdem partis hiſtoriae editionibus ſunt omiſſa, pauci ignorant. In Drouartianis autem reliqui operis editionibus, hoc eſt, a libro vigeſimo ſexto, quo volumen illud abſolvitur, idem factitatum, ſic ut priores ea habeant, quae in poſterioribus non leguntur, res minus cognita eſt. Sed ita quidem eveniſſe unum exemplum, quod primum ſeſe offert, ſatis oſtendet. In libro XXVII [1] Drouartianae editionis in folio locus inſignis invenitur, qui poſtea deletus, nec in editionibus in octavo et duodecimo, neque in Lingelſhemii (ubi tamen, propter diverſam librorum diſtributionem in lib. XXVIII [2]. voces *inſtitutum eſſe* ſequi debuit) omnino comparet. Verba ſic ſe habent: *In ſacrificio itidem, quod ab imperitis ſacrificulis ac vitae perditae nebulonibus plerumque non ſine piorum offenſione proſtituatur ac venundetur, graviſſime peccari: multos etiam de eo ambigere, quippe qui non admittant, quod eccleſiaſtici affirmant, Chriſtum in eo offerri, nec aequo animo ferant pluris illos ſuum illud, quam Chriſti ſacrificium aeſtimare; ſed doctiores ſic cenſere, ſacrificium illud, quod a ſacerdotibus fit, tantum eſſe veri illius ſacrificii ſemel pro nobis a Chriſto peracti ſignum ac monumentum; et perperam facere imperitos presbyteros, qui male imperitam plebem imbuant, ut eos pro ſectariis habeat, qui aliter quam ipſi ſentiunt* [3]. Haec verba pars ſunt epiſtolae, a regina Catharina Medicea, tunc temporis Gallorum regnum adminiſtrante, ad papam Pium quartum de Proteſtantibus anno MDLXI ſcriptae. Quales autem criminationes eſſent, quibus Thuanus ab Henoticorum reliquiis, quae in aula Gallica tunc plurimum potuerunt, occulto petitus, ad locos hujuſmodi tanta auctoritate ſubnixos ex Pariſienſibus hiſtoriae ſuae editionibus delendos movebatur, lector hinc facile conjiciet. Rationes, quas mutationibus illis publice aſſignari viſum fuit, in praefatione Drouartianae editioni in duodecimo praefixa primum apparuerunt; unde in ſuam quoque praefationem Robertus Stephanus poſtea iiſdem prope verbis ad hunc modum tranſtulit: *Hujuſce operis auctorem non tantum orbis univerſi memorias cura poene ſupra modum anxia ſollicitare oportuit, verum etiam populorum externarumque gentium aures et judicia conſulere; ac ſciſcitari, num, diſcurrente multiplicis hiſtoriae filo, quaedam*

exotica

[1] Pag. 31.

[2] Pag. 40.

[3] Vid Tom II. p. 117. hujus edit.

exotica peregrino ſchemate obvoluta gravibus officiis occupatum, ac ſaepenumero aliud agere coactum, feſelliſſent; quae tamen, antequam opus ſuum poſteritati ſanciendum permitteret, ſagaciſſime requiri, ſuoque ordine digeri, haud inutile eſſe judicaret: nempe, quod olim eximium pingendi artificem factitaſſe narrant, unam et alteram editionem propoſuit, velut in pergula, tranſeuntibus, auſculaturus ſi quae forte retractanda vel acrius pervidenda notarentur. Etenim hiſtoria, ſicut pictura, bono quidem in lumine collocanda eſt; ſed tanto probanda, quanto ad propoſitum exemplar, id eſt, veritatem, accedit. Igitur inſrunitas eorum voculas, qui rigidum hiſtorici tenorem ab inanibus aretalogi fabulis differre noluerunt aut neſciverunt, vir intaminati candoris et incorruptae fidei pro nihilo duxit; quae vero ſapienter animadverſa ſunt ab viris in exiſtimando prudentibus (quales ipſe etiam atque etiam rogat, ut in publica ſcriptione caſtiganda vel locupletanda operam navare porro nec ambitioſe pergant) ſedulo collegit; iisque probatis ac penſitatis, quartam [quintam [1]] *concinnavit editionem, locis aliquot inculcatam atque refectam; quam adeo ceteris poſthac uſpiam cudendis pro archetypo eſſe velit, et vero jubeat; praeſertim quum a prioribus nihil variet, niſi qua locupletior auctiorque, aut qua etiam fortaſſe accuratior atque limatior* [2]. Nihil amplius de hac re uſpiam in Pariſienſibus editionibus dictum fuit. Has autem rationes in eis evulgatas non fictas, ſed veras fuiſſe, ex multis Thuani ipſius epiſtolis, ad multos diverſarum gentium viros eruditionis laude celeberrimos conſcriptis, eorumque ad illum reſponſis, nondum editis, conſtat; quibus conſilium et ſententiam eorum de hiſtoria ſua Thuanum non petiiſſe tantum, ſed etiam in multis ſecutum eſſe, extra omnem dubitationem ponitur.

INTER reliqua igitur editionis noſtrae commoda unum erit omnium ejuſmodi literarum, ſive jam editarum, ſive non editarum, quae de mutationibus vel emendationibus in Thuani hiſtoria factis loquantur, collectio ordine temporum diſpoſita.

VERUM aliae rationes fuerunt, in praefationibus jam dictis non memoratae, quibus Thuanus, ut mutationes quaſdam, eaſque maxime inſignes, in prima hiſtoriae ſuae parte faceret, adducebatur. Hoc breviter indicat Colomeſius, a quo volumen illud Patiſſonianum in folio diſerte laudari in priore epiſtola obſervavi. Verba ejus ita ſe habent: *Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum ſui temporis pars prima, Pariſ. apud Patiſſonium* MDCIV. *fol. Quelque édition que l'on ait de l'Hiſtoire de M. de Thou, il faut y joindre ces dix-huit premiers livres imprimez chez Patiſſon, à cauſe de certains endroits qui ne ſe rencontrent point dans les autres editions. Pour en donner quelque goût au Lecteur, j'en produirai ici un exemple. M. de Thou faiſant l'eloge d'Iſidore Clarius, Moine du Mont Caſſin, & enſuite Evêque de Foligni, qui mourut en reputation de ſainteté, dit,* que quadraginta horis ad deoſculationem patuit, quod minime voluiſſet. *Ces derniers mots,* quod minime voluiſſet, *ne ſe trouvent que dans l'edition de Patiſſon, qui pour de pareils traits ne fut pas fort bien reçûe à Rome. Voici ce que nous en apprend l'illuſtre Pierre du Puy (qui a eſté depuis Bibliothecaire de ſa Majeſté, conjointement avec M. de S. Sauveur ſon frere) dans une lettre à Scaliger, de Paris le 11 Janvier* MDCVII. '*La premiere partie de l'Hiſtoire de M. de Thou a eu 'mille traverſes à Rome de s'eſchapper de la cenſure. Mon frere* (c'eſt Chriſtophle 'du Puy, qui eſt mort Chartreux) *y a ſervi M. de Thou comme ſon devoir l'y obli- 'geoit. M. le Card. du Perron, avec lequel il eſt maintenant, a monſtré combien 'il eſtoit amy de M. de Thou, & qu'il l'affectionnoit grandement, ayant commandé 'à ce Scioppius de ſe taire, qui vouloit, au livre qu'il a fait contre vous, écrire 'contre le dit Seigneur Preſident, ſur ce qu'il loüe en ſon Hiſtoire pluſieurs grands 'Perſonnages, comme Phil. Melancthon, M. Caſaubon, & autres. Les Cardinaux 'Sforce & Seraphin ont auſſi fort defendu ce Livre* [3].' Ex Puteani autem literis ad Scaligerum hic citatis, quae inter Scaligeri epiſtolas a Revio publicatas integrae legi poſſunt [4], obſcuram tantum et imperfectam de hac re notionem Colomeſius concepiſſe

[1] Vid. ſupra, Ep. 1. p. 12.
[2] Vid. Tom. VII. hujus edit. c. VIII. p. 2.
[3] Bibliotheque choiſie, inter reliqua ejus opera, edit. Hamburg. MDCCIX. p. 400.
[4] Edit. Harderv. MDCXXIV.

conceptiſſe videtur; ideoque leviter tangens, Thuani hiſtoriam *pas ſort bien reçûe à Rome* ſolummodo ait, quod et leviſſimo pariter exemplo oſtendere ſatis habet. Sed alii loci multo graviores, longeque magis aulae Romanae ingrati et moleſti, in eadem editione occurrunt, qui in ſequentibus editionibus ſunt omiſſi.

Auctor libri, cui titulus eſt, *Mélanges d'Hiſtoire & de Litterature*, ſub nomine *De Vigneul-Marville* publicati, Colomeſio, quae ſcribit, omnino debuiſſe plane oſtendit, cum ait, *Chriſtophle du Puy rendit ſervice a Rome a M. de Thou, à l'occaſion de la premiere partie de ſon hiſtoire, que la congregation de l'Indice vouloit condamner, & ranger au nombre des livres heretiques*[1]. Eadem quoque in noviſſima *Lexici* Moretii editione leguntur[2], ab hoc auctore iterum accepta. Neque ullum ſcriptorem adhuc inveni, qui hanc rem magis explicare perſecutus ſit.

Multae autem penes me ſunt epiſtolae, ad Chriſtophorum Puteanum et alios ab ipſo Thuano exaratae, nec dum in lucem editae; in quibus praeter alia haud inutilia vera tam auctoris, quam operis eius, imago adeo plane et perſpicue nobis depicta eſt, ut excerpta ex iis, quae hic ſubiiciam, licet paulo longiora, tibi nequaquam tamen fore injucunda perſuaſum habeam.

Christophoro Puteano, XXIV Jan. MDCIV. *Je crois que Monſeigneur le cardinal* [Jouſa ſcil. quocum eo tempore vixit Puteanus] *aura reçû mon hiſtoire, & qu'il en aura baillé un exemplaire à Monſeigneur le cardinal d'Oſſat. Je ne doute point, qu'elle ne ſoit ſoigneuſement examinée, voire* uſque ad calumniam. *Je vous prie de recueillir diligemment ce que en apprendrez, & me le faire ſçavoir. Je vous prie d'aller ſaluer de ma part le cardinal d'Oſſat, & prendre garde à ce qu'il vous dira de mon hiſtoire. Je penſe bien qu'il m'en eſcrira, mais je ſerai bien aiſe de ſçavoir d'ailleurs ce qu'il vous en pourra dire en privé.*

Eidem, XXV Febr. MDCIV. *Je ne doute point, que l'on n'y retrouve fort à redire par delà, principalement és endroits où je parle des Papes Jules* II, *Paul* III, *& Jules* III, *ſur la fin du quatrieſme livre, & au commencement du ſuivant; & auſſi de la legation du cardinal Caraffe; & où il eſt fait mention de M. Charles Du Moulin. Mais j'ay eſcrit en France, & durant les troubles. Je vous prie de recueillir ſoigneuſement ce que vous en orrez dire; afin que s'il y a choſe en quoy je puiſſe ſatisfaire, la verité & la dignité de la France ſauve, aux eſprits de delà, je m'efforce de leur donner contentement en la prochaine edition, qui ſe commence deja. --Il y en a bien d'autres, qui pour autres reſpects m'ont voulu abimer par deça: mais ſa Majeſté m'a defendu juſques icy; & par l'approbation publique, qu'elle a faite de l'œuvre, a fait ceſſer les clameurs de beaucoup de malveuillans.*

Cardinali Jouſae, Febr. MDCIV. *Il y a deux endroits, que je n'ay eu loiſir de conſiderer qu'apres l'œuvre du tout imprimé: l'un ſur la fin du quatrieſme livre, & l'autre ſur le commencement du ſuivant, que je voudrois en eſtre retranchés; & de cette heure ce qui y eſt dict & eſcrit,* indictum et non ſcriptum volo, *touchant les Papes Paul* III *& Jules* III; *car encores que cela ſoit pris des eſcrits lors divulgués en Italie, toutesfois je reconnois que la memoire en doit eſtre ſobrement raffraiſchie pour la reverence du s. s. en laquelle j'ai tousjours veſcu & veux mourir, eſtimant que les mœurs ne nous doivent jamais empeſcher de rendre l'obeïſſance, que nous y devons pour la doctrine & la diſcipline. Cela ſoit dit, s'il vous plaiſt, non ſeulement pour ces deux lieux, mais pour autres auſſi, ſi aucuns ſe trouvent. J'eſpere en la prochaine edition, qui eſt ja ſur la preſſe, ſatisfaire à ce que l'on pourroit requerir en cela.*

Christophoro Puteano, III Apr. MDCIV. *La nouvelle de la mort de Monſeigneur le cardinal d'Oſſat* [qui menſis proxime elapſi initio fatis conceſſit] *eſt arrivée icy, laquelle a fort troublé cette cour. S. M. en a porté un grand regret, comme ayant perdu un ſerviteur & miniſtre tres digne. • En mon particulier, j'ay perdu un amy ſingulier. --Quant à* migravit ad meliorem vitam, *je ne me ſouviens pas de l'avoir dit de ſectaires manifeſtes, & faiſant profeſſion de la theologie: peutêtre que cela ſe pourra trouver être dit de quelque Allemand excellent es autres ſciences, & qui paraventure etoit Proteſtant, ce que je n'ay ſçû ni conſideré*

lorſque

[1] Tom. I. ed. Par. MDCCXXV. p. 254.

[2] Ed. in VI Vol. fol. MDCCXXV.

Digitized by Google

lorſque j'ai ainſi parlé de ſon decès. D'ailleurs la charité Chrêtienne nous oblige d'eſperer même de ceux, qui ne ſont hereſiarques, & qui nes de peres ſectaires penſent, en tant de lieux où ce mal a pris pied, en leur erreur faire leur ſalut. Je n'en parle en theologien, ains en homme qui a compaſſion de l'homme, & qui par les loix du tems, & du royaume, eſt obligé à vivre avec les hommes. —On travaille deja a la ſeconde edition de mon Hiſtoire; de laquelle je ne faudray a vous envoier la premiere partie, qui ſera en plus commode forme, c'eſt a dire en Octavo; il y aura quelque choſe de changé, ou plutôt adouci: car de dire autrement les choſes qu'elles ne ſont, ou diſſimuler lachement la verité, j'en ferois conſcience.

EIDEM, XIV Nov. MDCIV. *L'on s'offenſe de ce, qui eſt ecrit du conclave de Jules III. Sur ce je vous prie de prendre garde, que l'on ne s'arrête à la premiere edition in folio, de laquelle il y eut peu d'exemplaires imprimes, en mon abſence, ou occupé ailleurs, tellement que je ne pûs vaquer à les revoir, & que ce, qui fut lors imprimé dudit conclave, etoit en la copie tracé; mais les libraires ne laiſſerent de le mettre: & pour preuve de cela vous prendrez garde, qu'en la ſeconde edition il n'y a un ſeul mot dudit conclave, ains ſeulement eſt fait mention de l'indigne choix, qui fut fait du cardinal de Monte, choſe trop notoire non ſeulement à Rome, mais par tout le monde, pour pouvoir etre omiſe. Cela ſervira d'avertiſſement a celuy qui a charge de revoir le livre, de diſtinguer les deux editions, & s'attacher ſeulement à la ſeconde.* Quod Thuanus de Patiſſoniano volumine *en ſon abſence, ou occupé ailleurs*, typis impreſſo hic dicit, veriſſimum fuit. Nam praefationi ad regem Henricum quartum, quae poſt reliquum opus excuſa fuit, hanc lectori admonitionem ſubtexuit: *Haec te auctor ſcire vult, ipſo aut abſente, aut aliis negotiis occupato, hos libros magnam partem editos, ita ut eos recognoſcere non potuerit: itaque in nominibus et rebus ipſis, praeter operarum errata, alicubi peccatum eſſe, quae omnia corrigi et ſua et publicae utilitatis interſit; idque ut ab altera editione expectes, enixe rogat.* Sed redeo ad epiſtolam: *Quant à la preface,* [ſcil. ad Henricum quartum] *elle a eté faite pour tout l'œuvre; & pour ce que je ſçavois, que la façon moderée dont je parlois des Proteſtans ſeroit mal interpretée d'aucuns je me ſuis eſtendu des le commencement ſur ce ſujet, pour m'excuſer, & rendre raiſon du tout l'œuvre. ·Faites mettre en conſideration, que ceux de la maiſon de Bourbon tiennent cette Hiſtoire comme faite pour montrer la juſtice de leur cauſe, contre ceux qui ont voulu entreprendre contre eux & leur maiſon pour le paſſé: tellement que ſi l'on luy donne quelque atteinte, ils eſtimeront l'injure faite à eux; & que ceux qui s'en ſont plaint a tort par deçà, & n'ont rien obtenu, auront fait faire par Rome, par les ſupports & faveurs qu'ils y ont, tout ce qui s'en enſuivra. Ce qui renouvellera les playes anciennes, & fera croire a ceux de Bourbon, que leurs ennemis ont plus de credit a Rome qu'eux.*

EIDEM, X Febr. MDCV. De cardinale Seraphino loquens, ait: *Il conſiderera, s'il luy plait, en quel tems, & de quel tems j'ai eſcrit. J'ai eté toujours François, & ſerviteur des Rois & de ceux de la maiſon royale, & non jamais penſionaire ni partiſan d'autres. Tout ce qui leur a eté contraire, a eté contraire à mon affection. Avec perte de mes biens, & au hazard de ma vie, je les ay ſuivi aux armées, & par tout ailleurs, durant ces calamiteuſes guerres. Je n'ai pourtant rien donné a la grace, ni a la haine, en ecrivant l'hiſtoire; mais j'ay oſé plus librement dire la verité, & en conſerver la memoire a la poſterité, qu'un autre en craignant l'envie,* aut obnoxius, *n'eut voulu faire. Je ne doute point, que par delà je ne ſemble a beaucoup avoir trop librement, voire hardiment, eſcrit en certaines choſes; mais il a eté beſoin que pluſieurs par deçà aient eu cette même hardieſſe, & mêmes ſentiments de l'etat, pour conſerver l'etat & aider à le preſerver du peril, ou ceux qui nous etoient contraires l'avoient mis. Dieu enfin a jugé le different; & la juſtice de la cauſe qui commença à etre connue des lors, c'eſt à dire il y a XLV ans, a eté decidée & connue par l'heureux ſucces, qu'il a plu à Dieu donner a ceux qui ont ſuivi l'ordre & les loix du royaume.*

EIDEM, XX Sept. MDCV. *Je ne doute pas, qu'il n'y ait beaucoup à redire, & prendrai toujours de bonne part d'etre averti, comme je l'ai eté ja d'Angleterre & d'Allemagne; pourvû que ce ſoit ſans convice, & avec la même candeur que j'ai*

j'ai ecrit. Vous avez par delà meſſieurs les cardinaux Seraphin & du Perron, qui peuvent l'avoir lüe, auſquels vous pourrez addreſſer, ſi vous apprenez que le maitre du palais veuille paſſer plus avant que la liberte permiſe ès hiſtoires ne peut ſoufrir. Decreta, quibus libri ab inquiſitoribus damnati notabantur, hujus magiſtri palatii nomine prodire ſolebant.

EIDEM, XXIX Nov. MDCV. *Je crois avoir ſatisfait en partie à ce que m'ecriviez, & fait des ouvertures qui ſeront trouvées raiſonnables; apres leſquelles ſi on paſſe outre, je ſuis deliberé de me ſoucier auſſi peu de ce qui s'en enſuivra, que je me ſuis montré equitable pour eviter une injuſte cenſure.*

EIDEM, XII Febr. MDCVI. *Vous m'ecriviez que l'on ne toucheroit à la preface* (eam intelligit, quae ad regem Henricum ſcripta univerſo operi praefigitur) *ſeulement que l'on eſtimoit que prematurément ſe faiſoit en icelle mention de l'edit de pacification* (edictum vult Namnetenſe celeberrimum) *d'autant que le tems n'etoit encores venu en cette premiere partie d'en parler; à quoy je vous repond, que la preface etoit faite pour tout l'œuvre, & pour excuſer d'autres choſes, que je prevoiois que des cette premiere partie l'on pourroit reprendre; comme les eloges des hommes de lettres, & principalement des Allemands, deſquels la plus grande part ſont Proteſtans; mais ce n'eſt ce que je recommande en eux, ains ſeulement l'erudition ès autres lettres; ou bien ſi j'ai parle honorablement d'aucuns theologiens, comme Melancthon, dont l'on s'offenſe tant, ç'a eté pour remarquer ſa moderation telle, que les Catholiques mêmes l'ont reconnu propre pour une conference & reconciliation. —Il eſt bien aiſe à ceux qui ſont loing du peril de prononcer ſi hardiment en telles choſes, & blamer ceux qui embraſſent le repos, & le veulent perſuader à leurs concitoyens. Et cependant où eſt la charité? n'a-t-on point de pitie de* XL *années paſſées pleines de continuelles miſeres? n'a-t-on point d'horreur de la perte des Pays Bas advenue par cette obſtination forcenée? Nous pouvons etre ici bons Catholiques & obeïſſans, quant à la doctrine au* S. S. *ſans tenir cette ſanglante propoſition, qu'il faille par la force & par les armes etablir la religion. Voila pourquoy je ne me repentiray jamais d'en avoir dit en la place où je ſuis ce qui j'en ai touſjours dit; moins de ce que j'en ai ecrit. —Je ſuis reſolu d'attendre tout ce que l'on voudra en ordonner, avec une patience chrétienne, & ennemie de toute diviſion; mais qui ne cedera qu'à la raiſon.*

CARDINALI Perronio, XII Jun. MDCVI. *Je vous remercie tres humblement du temoignage qu'il vous a plû rendre de moi, & la vraye & juſte raiſon qu'il vous a plû auſſi apporter de ce que je parle ſi moderement d'aucuns dont le nom ne peut être entendu qu'avec offenſe au lieu où vous êtes. Il y a difference de la religion, & de la doctrine hors la religion. J'ay loue l'une, & paſſe legerement l'autre, de peur de violer les loix ſous leſquelles nous vivons en paix; leſquelles ſi tous ſont obliges de garder, & plus ceux qui ont eté emploies à les faire.* In edicto Namnetenſi conficiendo primas partes habuit Thuanus, de qua re in epiſtola ad cardinalem Sfortiam, XIV Julii MDCVIII data, hoc pacto ſcribit: *J'ai apprehendé que ce reſte du Roy Charles fuſt moins bien receu au lieu où vous eſtes, pour le ſubject des confuſions qui s'y voient. Mais il doit etre pardonne à ceux qui en ont ſenti ſi long temps depuis, & en ſentent encores le mal, d'en parler plus librement: mal, qui ne ſe peut guerir que par une longue ſuite d'annees en paix, & par le reſtabliſſement inviolable de la foi publique. Je n'en dirai rien d'avantage, encores que j'y ſois obligé, & pour la juſtification de ce que j'en ai eſcrit, & pour avoir eſte employe par* S. M. *au traicte de l'edict dernier, qui s'eſt faict pour ce regard; encores que pour eviter l'envie j'euſſe faict tout mon poſſible pour en eſtre excuſe. Vous, Monſeigneur, qui juges plus ſincerement de telles affaires, que ceux qui ſont nourris en la poudre des livres, me ſeres, s'il vous plaiſt, en cela protecteur, & empeſcheres par voſtre bonté ja de moi experimentee, que l'innocence ne ſoit opprimee de la calomnie, & ferez que la liberté demeure à ceux qui ſont obliges de dire la verité.*

HACTENUS quae ad rem noſtram facere videbantur, ex Thuani ad amicos ſuos epiſtolis excerpta dedimus; quod ſequitur autem ex cardinalis Perronii literis ad Thuanum, Roma XII Julii anno MDCVI ſcriptis, deſumptum eſt. *Je ne puis, que*

que je ne me ſente fort obligé à l'occaſion, qui m'a donné ſujet de vous ſervir au faict de voſtre livre, puiſque les remerciements, qu'il vous a pleu m'en rendre par voſtre lettre, ſont ſi honorables, qu'ils meritent eux meſmes mille remerciements. J'ai toute ma vie autant priſé & eſtimé vos vertus, que perſonne du monde; mais ceſte mienne eſtime, que je penſois eſtre au comble, et à la cime de ſa perfection, a eſté encore beaucoup augmentée par le luſtre, que j'ay recogneu, que vos écrits apportent à noſtre ſiecle. C'eſt pourquoy j'ay creu devoir d'autant plus ayder à procurer, que le public en jouiſſe pleinement & univerſellement. Ils ſont grandement honorez par tout: mais j'oſeray dire, & le diray veritablement, qu'ils le ſont plus en Italie de ceux, qui les ont veus, qu'en aucun autre lieu de l'Europe. Meſſieurs les cardinaux Aquaviva, Viſconti, Sforſe, & autres de ce college, qui ont l'eſprit elevé par deſſus la portée ordinaire des hommes, ne ſe peuvent laſſer de les louer, & celebrer, & de les mettre au premier rang, après Salluſte, Tacite, & autres anciennes lumieres de l'hiſtoire Latine. Et pourtant avez vous grand intereſt, que le vol de leur gloire ne ſoit point raccourcy, & que les copies s'en diſtribuent librement en ceſte province, qui eſt le plus reſonant & reſplendiſſant theatre du monde, & où ils ſont receus & deſirez avec tant d'applaudiſſement. C'eſt choſe, qui ſe fera ſans beaucoup de mutation. J'en ay parlé par diverſes fois au pape, luy repreſentant le merite de l'œuvre, & la condition du temps, où il a eſté eſcrit, aſçavoir, durant les derniers troubles, pendant leſquels ceux qui aimoient la conſervation de l'eſtat, & en apprehendoient la ruine, qui eſtoit toute proche & imminente, tendoient pluſtoſt à maintenir en union les eſprits, qui affectionnoient la defenſe commune de leur patrie, qu'à les aigrir & diviſer, par toucher lors ſeverement les ulceres de la religion. Sa ſaincteté m'a monſtré, d'en faire le cas qu'il convient, & de deſirer que l'on y procede, avec toute la douceur, reſpect, & diſcretion, dont ſont dignes les vertus & qualitez de l'œuvre, & de l'autheur. De maniere que je croy, que l'une des bonnes fortunes de voſtre livre aura eſté ce peu d'oppoſition, qu'il a trouvée au commencement: d'autant que ceſt obſtacle aura ſervy à le faire voir, eſtimer, & admirer par deçà, & à faire deſirer, comme l'on fait avec impatience, que le troiſieme tome ſorte bientoſt en lumiere. Per vocem *troiſieme* eam partem, quae duos primos Drouartiorum tomos in octavo ſecuta eſt, intelligit Perronius. Jam ad Thuani ipſius literas iterum revertar.

CHRISTOPHORO Puteano, XIV Aug. MDCVI. *Je vous prie de remercier M. le card. du Perron de la lettre qu'il m'a ecrite, en laquelle il ajoute à ceux, que m'aviez averti qui me faiſoient l'honneur de ne desfavoriſer mon travail, le cardinal Aquaviva. Je loue Dieu, ſi en un œuvre entrepris pour le public je n'ay pû plaire à tous, au moins que je n'aye deſplû à ceux deſquels la grandeur d'eſprit, conjointe à la ſplendeur de la race, peuvent mieux juger de telles choſes, que le commun des eſprits eleves en bas lieux, quelqu'erudition que par eſtude ils ayent acquiſe; c'eſt à ceux là que j'apelleray, quand les autres me condamneront. Mais la poſterite en donnera le jugement definitif.*

CARDINALI Perronio, XXII Aug. MDCVII. *Je n'ay point de paroles ſuffiſantes pour exprimer l'obligation que je vous ſens avoir, pour avoir voulu de telle affection prendre ma cauſe contre ceux, qui eſchauffoient l'affaire ſur des memoires envoyes de ce lieu; je laiſſe à voſtre prudence à examiner avec quelle charité & intention. --Mon innocence & ma conſcience me conſolent, & me fortifient contre tous ces artifices, apuyees ſur la bonne volonte de ceux, qui me connoiſſent au dedans, comme vous. Je reconnois, que le tems auquel j'ay eſcrit, & ma liberte naturelle, me peuvent avoir quelquefois emporté, mais ſans haine, dont j'appelle Dieu à teſmoin, & moins avec meſpris de ce que je dois venerer. Vous ſçavez, que je n'ay jamais vacillé en la religion de mes peres, c'eſt à dire en la Catholique, en laquelle je veux vivre & mourir; mais j'ay parle librement de ceux, qui ſe ſervoient de la religion pour en faire une cape à l'Eſpagnol, & couvrir leur ambition. Je ne pouvois louer les vertus, ſans noter par reflexion les vices. Je n'ay touché par cela, ni entendu en rien toucher la reverence du lieu & des perſonnes:* non loca, ſed mores ſcriptis vexavi. *—Toutesfois, d'autant que je dois plus à autruy qu'à moi-*

 même,

même, je ne refuſe d'être admoneſté & recevoir les avertiſſements, qu'il vous plaira en particulier me donner, afin qu'avec ce peu de mutation, que vous dites, l'œuvre puiſſe être leu par tout. Cependant j'ai pris la hardieſſe de vous envoyer quelques exemplaires de la ſeconde partie, pour les faire voir à qui des Meſſeigneurs les cardinaux vous trouverez à propos. Il s'y pourra trouver quelques particularites touchant nos droits, qui pourront deſplaire; & toutesfois eſcrivant l'hiſtoire du temps, je n'ai pû obmettre ces choſes publiques. —Vous, qui êtes né François, & avez tousjours ſuivi le parti François, excuſerez aiſement cela; mais je crains fort que ceux, qui ignorent nos droits & nos libertes, ne le prennent de ſi bonne part: c'eſt pourquoi j'implore derechef vôtre prudence & vôtre protection en ce fait, & ſemblables; vous ſuppliant de croire, que comme je n'ay rien eſcrit pour flater, auſſi n'ai-je eu intention de bleſſer ni offenſer perſonne.

Mense Septembri anno MDCVII cardinalis Perronius, Roma relicta, una cum Chriſtophoro Puteano, quem comitem habuit, Lutetiam rediit.

Partes tantum literarum hic protuli, quas cum integras edidero, ut facere inſtitui, una cum multis aliis de eodem argumento in praeſentia omiſſis, nullus dubito, quin plurima in iis ſcitu digniſſima facile ſis inventurus [1].

Petri Puteani epiſtola ad Joſ. Scaligerum, a Colomeſio citata, XI Jan. MDCVII data fuit, ut ſupra oſtendi; quo tempore, et per menſes aliquot proxime ſequentes, *que ſon frere avoit ſervi M. de Thou*, auctor epiſtolae vere affirmare poſſet. Diuturna autem iſta officia, quae cardinalis Perronius, Chriſtophorus Puteanus, et alii ex amicis eorum cardinales, in Thuani defenſionem ſtudioſe praeſtiterant, irrita tandem omnino fuiſſe apparet. Thuani enim hiſtoria anno MDCIX ab aula Romana ſententiam habuit damnatoriam, ut ipſe in epiſtola ad illuſtriſſimum praeſidem Jeanninum, prid kal. April. MDCXI ſcripta, cujus partem hic dabimus, plane ſignificavit. 'Publicata, *inquit*, prima parte [*hiſtoriae meae*] immane quam com-'moti ſunt plerique, ſive invidi, ſive factioſi, qui mox proceres quoſdam, qui per 'ſe in talibus rebus nihil vident, per calumnias artificioſe confictas, ut ſcis, in me 'concitaverunt, remque e veſtigio Romam detulerunt, et, auctore maligne exagi-'tato, facile pervicerunt, ut moroſi illi cenſores omnia mea ſiniſtre interpreta-'rentur, et praejudicio perſonae opus integrum, cujus ne tertiam quidem partem 'legerant, praecipitato ordine damnarent. —Rex cauſam meam initio quidem 'tuebatur, quamdiu proceres in aula infeſtos habui. Sed paulatim ipſe eorundem 'aſtu infractus eſt; cognitoque Romae per emiſſarios labare regem, poſt Oſſati et 'Serafini cardinalium mihi amiciſſimorum obitum, et illuſtriſſimi Perronii ex urbe 'diſceſſum, ictus poſtremo in me directus eſt, qui facile vitari potuit, ſi, qui cir-'ca regem erant, tantae injuriae ſenſum ad ſe ac regni dignitatem pertinere 'vel minima ſignificatione prae ſe tuliſſent. —Ita in aula omni ope deſtitutus, 'facile Romae oppreſſus ſum; ubi haec duo tela ſimul in me ab emiſſariis con-'jecta ſunt, edicti videlicet in Proteſtantium gratiam facti procuratum negotium; 'et uſurpata in propugnandis regni juribus ac ſcribenda hiſtoria libertas, coelo Ro-'mano hodie non ferenda: quae cenſuram illam in me decretam poſtremo matu-'raverunt [2].' Quanto autem candore et obſequio opus ſuum regis judicio permiſerit, quantaque integritate approbationem et patrocinium ejus conſecutus ſit, operae pretium erit audire. Cum pacem regno, et auctoritatem legibus reſtitutam, in praefatione ſua ei gratulatus ſit, vera animi ſenſa in hunc modum libere ac ſimpliciter aperit: 'Tibi perſuade mentem, et animum, et conſilium, et ſententiam 'civitatis in legibus poſitam eſſe: et ut corpora noſtra ſine mente; ſic civitatem ſine 'lege ſuis partibus, et nervis, ac ſanguine, et membris uti non poſſe: atque adeo 'magiſtratus et judices legum miniſtros et interpretes eſſe: denique nos omnes le-'gum ſervos eſſe, ut liberi eſſe poſſimus. Hujus libertatis, te rege, conſequendae ſpe 'fretus, ejuſdemque per te recuperatae poſtea beneficio uſus, in media rerum con-'fuſione, et poſt ſedatas turbas, hiſtoriam hujus aevi ſcripſi; cujus primam partem 'nunc publici juris facio, tuoque auguſtiſſimo nomini do, dedicoque, juſtiſſimis de 'cauſis, quae et me et rem ipſam ſpectant. Dignitatem meam a deceſſore tuo 'beatae

[1] Vid. Tom. VII. cap. 1. hujus ed. [2] Vid. Tom. VII. c. II. p. 4. et ſeqq.

‘ beatae memoriae principe inchoatam, a te in majus provectam, ingratus ſim ni meminerim. Cumque in caſtris et in aula aſſiduus eſſem, pleriſque magnis negotiis a te praepoſitus ſum, ex quorum tractatione magnam mihi multarum rerum, quae ad id, quod prae manibus eſt, requirebantur, notitiam comparavi: idque conſecutus ſum illuſtrium virorum, qui in aula conſenuerant, familiaritate, ut quae de rebus noſtris per libros ſparſim et incertis auctoribus vulgata fuerant, ad veritatis normam diligenter exigerem; in eoque ſtudium meum, quamdiu in tuo comitatu fui, inter publica negotia exercui, donec in hoc ergaſtulum forenſe me neceſſitas muneris compulit. Nec vero heri aut nudiuſtertius tibi notus ſum; jamque viginti duo anni elapſi ſunt, ex quo cum delegatis ex ampliſſimo ordine ſenatoribus in Aquitaniam a rege miſſus cum ad te profectus eſſem, ſummam erga me humanitatem ac benevolentiam tuam expertus ſum; ab eoque tempore fiduciam cepi, ingenii noſtri fructus, ſi qui olim a tenuitate ejus proficiſci poſſent, non omnino tibi ingratos futuros. Praeter hanc alia juſtior cauſa ſubeſt, cur tibi hanc hiſtoriam inſcribi oportuerit; quod videlicet periculoſae plenum opus aleae aggredienti praevalido adverſus malevolorum obtrectationes patrocinio opus erat, et peracri illo judicio tuo, quo res gerendas diſponis, ad examinandam rerum geſtarum veritatem: hujus cenſurae, ut debeo, ſtare decrevi, ſive ad cetera edenda auctor fueris, ſive ad hanc ipſam partem premendam; quae non tam editur, quam velut univerſi operis ſpecimen nunc tibi ſpectanda proponitur. Quicquid de ea ſtatueris, juſſeriſve, pro divinae vocis oraculo mihi erit.’

Eandem rem cum effectu ejus memorat Caſaubonus in epiſtola ad Lipſium, dat. Pariſiis XII kal. April. MDCIV. *Thuani*, inquit, *hiſtoria pauciſſimis exemplis edita fuit, non tam ut publicaretur, quam ut regi offerretur, voluntate illius caſura aut ſtatura. Neque enim ambitione impulſus vir ſummus ad eam ſcriptionem acceſſit. Itaque, velut periculi faciendi cauſa, edi ſuis ſumptibus pauca exemplaria curavit. Nunc, cum rex magnus patrocinium ſuum illi prolixe detulit, prelo iterum ſubjecta eſt a typographis*[1]. Proinde regem Thuani hiſtoriam approbaſſe mſſ. noſtra plane oſtendunt. Nam ita rex ipſe in epiſtola ad Bethunium, legatum ſuum tunc Romae commorantem, dat. IV Maii MDCIV. *Quand le Nonce m'a parlé, & fait plainte du livre du preſident de Thou, il a cogneu le deplaiſir que j'en ai reçeu, & comme j'ai commandé le cours & la vente d'iceluy, qui a eté faite*[2]. Quin et Villaregium, eo tempore regi a ſecretis epiſtolis, virum alioquin egregiis animi dotibus ornatum, inter *proceres in aula* fuiſſe, *quorum aſtu rex ipſe paulatim infractus eſt*, ut ait Thuanus, ex iiſdem mſſ. apparet; quem et in mente habuiſſe conjicio, cum ictum ab aula Romana in ſe directum facile vitari potuiſſe dicit, *ſi, qui circa regem erant, tantae injuriae ſenſum ad ſe ac regni dignitatem pertinere vel minima ſignificatione prae ſe tuliſſent*. In epiſtola enim ad Bethunium, legati officio tunc temporis Romae fungentem, dat. V Maii MDCV. ita ſcribit Villaregius: *Je croi que M. le preſident de Thou eſt marri d'avoir publié ſon livre, & qu'il ne s'y engageroit ſi avant, s'il eſtoit à recommencer: mais il faut manier ce fait doucement pour y apporter quelque rèmede, qui ne peut eſtre autre à mon avis, que d'en empeſcher la re-impreſſion; car pour l'amender & corriger, il faudroit changer une grande partie d'iceluy, choſe difficile de faire. Je lui en ai parlé par le commandement de ſa Majeſte. Il m'a aſſuré, qu'il ſera le premier à tenir la main qu'il ſoit enſeveli, & qu'il ne s'en parle plus: non qu'il eſtime avoir failli à l'hiſtoire, ne qu'il ſe veuïlle deſdire de ſes opinions en ce qui concerne la religion; mais parce qu'il ne veut faire choſe qui deſagrée à ſa Majeſté, & porte prejudice à ſon ſervice*[3]. Villaregius, ut vides, juſſu regis Thuanum ea de cauſa convenit, ut *empeſcher la re-impreſſion de ſon hiſtoire* ei perſuaderet: quod regi ſine dubio prius ſuggeſſerat. Hoc autem Villaregii conſilium fuiſſe ex Thuani reſponſo manifeſtum eſt, *qu'il ſera le premier à tenir la main qu'il ſoit enſeveli, & qu'il ne s'en parle plus*. Reſponſum hoc Thuano bene conveniebat, qui tantam fidem erga principem ſemper oſtenderat; nec aliud in ſe habet, quam quod paulo ſupra ex praefatione ad regem attulimus: cauſam quoque eandem utrobique aſſignat;

[1] Vid. Tom VII. cap VI. p. 4. hujus edit.
[2] Vid. Tom. VII. cap. II. p. 2.
[3] Vid. Tom. VII. cap. II. p. 4.

nat; *parce qu'il ne veut faire choſe qui deſagree à ſa Majeſte, & porte prejudice à ſon ſervice.* Interim hominis fuit, *qui n'eſtime avoir failli à l'hiſtoire, ne qui ſe veuille deſdire de ſes opinions en ce qui concerne la religion*, ubi et fides ſua et dignitas in diſcrimen adduci videbantur, tum per ſe, tum per amicos in aula, quantum potuit, curare, ne rex de hiſtoria, *comme faite pour montrer la juſtice de la cauſe de la maiſon de Bourbon*, opinionem minus, quam antehac, favorabilem acciperet.

Ceterum in auctoris noſtri laudem cedit, quod, manentibus his luctationibus, licet rex inter Henoticorum ac vere Gallorum partes adhuc dubius haereret, non deterrebatur, quo minus plures hiſtoriae ſuae libros ederet, idque priuſquam de prima parte aulae Romanae ſententiam intellexiſſet. Quanquam enim ex epiſtolis centuram pontificiam omnibus juſtis rationibus evitandi admodum ſtudioſus videatur; dum ea res tamen Romae agitabatur, in hiſtoria ſua apud Drouartios ad octogeſimum uſque librum excudenda forti animo perrexit: nam eo libro ultimum eorum volumen in folio, quod anno MDCIX evulgatum fuit, abſolvitur; quo anno Thuanus cauſam ſuam contra inimicos in Gallia haud diutius ſuſtinere potuit. Ex epiſtola ad praeſidem Jeanninum, quam ſupra citavimus, plagam ab aula Romana ſine regis permiſſu non inflictam fuiſſe manifeſtum eſt; quod ultra biennium *poſt diſceſſum cardinalis Perronii ex urbe*, hoc eſt, IX Novembris anno MDCIX, tandem evenit, quem diem decretum illud de hiſtoria Thuani damnanda adſcriptum habet. Subſtitit hic auctor noſter, neque ad hiſtoriam ſuam ultra librum octogeſimum evulgandam ante annum MDCXVII ſe accinxit. Rationem autem cur opus intermittere ſtatuit, non aulae Romanae terrorem fuiſſe, ſed populariun ſuorum ac praeſertim aulicorum mentes diſſociatas, ipſe in epiſtola ad cardinalem Sfortiam, XIV Jul. anno MDCVIII ſcripta, ſequentibus verbis nos docet: *J'adjouſterai* [aux LVII] *encore* XXIII *livres, qui vont juſques à l'annee* MDLXXXIV *incluſe, & juſques au commencement de nos guerres & confuſions enragées, qui ont peu s'en a fallu renverſe ceſt eſtat. Là il faudra arreſter le cours de l'impreſſion; & garder les* XLV *livres qui reſtent & pourſuivent l'hiſtoire juſques à l'année* MDCI, *ja du tout achevés il y a trois ans, pour un meilleur temps, auquel il ſoit plus libre de penſer ce que l'on veut, & d'eſcrire ce que l'on penſe*[1].

Inter chartas noſtras mſs. duae ſunt, quae Caracioli cenſuram, cui id negotii inquiſitorum congregatio Romae commiſerat, de prima parte Thuani hiſtoriae continent. Verba ita ſe habent:

Cenſura in Jacobi Thuani hiſtoriam, Pariſienſis editionis MDCIV.
Tomi primi errata.

Praefatio locis aliquantulis corrigenda, ubi nimirum in juſtam haereticorum punitionem invehitur, et libertatem conſcientiae concedendam ſignificat, atque conceſſam in regno Franciae laudat. Locis deinde tomi iſtius expungendis ordine exhibitis, quid de eo ſtatuat cenſor, generatim proponit. *De hoc autem libro, deque ejus auctore, hoc cenſeo, librum dignum eſſe qui penitus damnetur et aboleatur: quippe qui locos tam crebros et tam foede peſtilentes habeat, ut plane purgari non poſſit, quin hiſtoriae ſenſus mutilus, atque adeo inutilis reddatur. Auctorem ob immane odium, quod in Romanam ſedem ejuſque ſummos pontifices identidem oſtendit, videri Calviniſtam; atque ob id jure inter primae claſſis haereticos recenſendum.* *D. Anton. Caraciolus.*

Secundi tomi cenſura.

In hoc ſecundo tomo ſaepe mordentur ſummi pontifices; et laudantur haeretici non ſolum ob eruditionem, ſed ob pietatem; paſſim quoque ſectas haereticorum appellat auctor honorifico nomine religionis. Tum locis expungendis ordine ſubjectis, cenſoris judicium, ut antea, ſequitur. *Et de hoc ſecundo tomo idem judicium perfero, ac de primo: nam in hoc etiam tomo Thuanus concilium Tridentinum exagitat; ſummos pontifices identidem taxat; haereticos laudat, praecipue Condaeum, Navarrum, Momorantium, ſeditionis Gallicae auctores,*

[1] Vid. Tom. VII. cap. 1. p. 35. hujus edit.

auctores, et haereticorum principes fautores. Conſulantur interim illuſtriſſimi Perronius et Du Henry, qui, ut reor, auctorem hunc bene norunt, deque eo, an videlicet inter primae claſſis haereticos ſit recenſendus, optime judicabunt.

D. Anton. Caraciolus.

Neutri harum ſententiarum dies adſcriptus eſt, ex fine tamen poſterioris ante cardinalis Perronii Roma digreſſum latas fuiſſe probabile videtur. Notandum autem hic eſt, omnes iſtos locos, quos damnat Caraciolus, in duobus Drouartiorum tomis, anno MDCIV in octavo editis, inveniri; quam quidem alteram primae operis partis editionem aulae Romanae cenſuram facile effugituram Thuanum ex literarum ejus ad Puteanum excerptis, jam ſupra citatis, exiſtimaſſe liquet. Tam parum illic profuit *d'adoucir certains endroits*, dum ullus ipſi reſtaret ſcrupulus *de dire autrement les choſes qu'elles ne ſont, ou diſſimuler lachement la verite.* Ceterum facile demonſtrari poteſt, ea, quae duo iſti tomi a Patiſſoniana in folio editione habeant diverſa, Thuanum ſponte ſua feciſſe. Etenim ne unum quidem locorum, quos notavit Caraciolus, in ſequentibus editionibus omittere, aut mutare voluit; ex contrario autem non tantum in Drouartianis in folio ac duodecimo, ſed in Stephanica etiam, quam cum parata editione per omnia conſenſiſſe jam saepius dixi, integros retinuit. Hinc conſtat eum veritati firmiter adhaeſiſſe; et, dum liberam ſibi judicandi poteſtatem aſſeruit, haud minimam in hiſtoria ſua mutationem ad aulae Romanae arbitrium unquam feciſſe. Eidem quoque animi conſtantiae attribui debet, quod conditiones, qualeſcunque eſſent, de re componenda inter ſe et aulam Romanam propoſitas, ut ex P. Richomii Jeſuitae, Riberii, et cardinalis Rupiſulcaudii epiſtolis intelligimus[1], is accipere recuſaret. Quandoquidem autem lectoribus noſtris non minus utile quam jucundum ſit ea omnia, quae, ut ut Romanae aulae ingrata, Thuanus in prima operis parte revocare noluit, uno conſpectu intueri; quaecunque Caraciolus reprehendit, ſimul cum ejuſdem cenſura, in unum collecta exhibebimus[2]. [Ceterum, quod breviter hic admonere non ab re eſſe exiſtimavi, apud Jacobum Le Long, in *Bibliotheque* ejus *Hiſtorique de la France* ſub capite ſcriptorum, quae ad Thuani hiſtoriam ſpectant, memorata eſt *mſ. Cenſura in Jac. Aug. Thuani Hiſtoriam Pariſienſis editionis* MDCIV: de qua haec ſtatim ſubjicit: *Cette cenſure eſt conſervee dans la bibliotheque de M. le baron d'Hohendorff, colonel de l'Empereur*[3]. Caeſaream autem majeſt. baronis Hohendorffii bibliothecam comparaſſe, ſuaeque adjunxiſſe, res haud ignota eſt eruditis; rogatu igitur noſtro eques ornatiſſimus, Pius Nicolaus Garellius, in priore noſtra ad te epiſtola ob ſingularem benevolentiam nominatus, mſ. illius *Cenſurae* exemplar ad me nuper tranſmittere dignatus eſt, quo haud aliam, quam Caracioli, eſſe conferendo plane perſpexi.]

Observatione autem dignum videtur in magiſtri palatii decreto, IX die Novembris anno MDCIX Romae edito, quo Thuani hiſtoria damnata eſt, nullam cenſurae iſtius cauſam peculiarem adſignari; titulo tantum univerſi operis, *Jacobi Auguſti Thuani Hiſtoriae*, inter ceteros libros indici inſerto, qui, tanquam *pernicioſi*, in quacunque lingua editi, a *fidelibus* legi prohibentur. Totius operis condemnatio, cujus pars tantum lucem aſpexerat, titulo generali maculam inurendo, auctori occaſionem praebuit cenſoribus iſtis exprobrandi, *quod opus integrum, cujus ne tertiam quidem partem legerant, praecipitato ordine damnarunt.* Porro quae ex Thuani epiſtola ad Chriſtophorum Puteanum, XII Febr. anno MDCVI ſcripta, inter alias ſupra attulimus, in hunc modum incipiunt: *Vous m'ecriviez, que l'on ne toucheroit à la preface.* At in *Vita Thuani* ſub finem quinti libri, cauſis, quibus Henorici, aulae Romanae prorſus addicti, ad hiſtoriam Thuani damnandam movebantur, prius enumeratis, ſtatim additur: *Hinc Romae ſuggeſtum, ut indicta cauſa ſine conditione J. A. Thuani hiſtoriae cenſura notarentur, quarum tunc pars tantum edita fuerat, ſed cum praefatione illa, qua tantopere intra pectoris ſcrinium ringuntur, neque tamen fatentur*[4]. Damnando igitur totum opus praefationem quoque, quae neque ferri, neque convelli potuit,

una

[1] Vid. Tom. VII. cap. I. p. 39. hujus edit.

[2] Vid. Tom. VII. c. I. p. 44. et ſeqq. hujus edit.

[3] Pag. 440. n. 8538.

[4] Vid. Tom. VII. c. IV. p. 137. hujus edit.

una damnari proviſum fuit. Decretum de hac re Romae publicatum in noſtra editione integrum dabimus[1]. Et quia primi Thuanci operis libri octoginta, apud Drouartios in folio editi, Hiſpanica Inquiſitione ſimile fatum ſubierunt; quorum locos expungendos *Index Expurgatorius* anno MDCXII Madriti in folio excuſus, annoque MDCLXVII illic recuſus, ſigillatim deſcripſit; omnes iſtos locos, ut in eo leguntur, ſimul congeſtos exhibebimus[2].

ALTERUM igitur editionis noſtrae commodum erit literatum aliorumque ſcriptorum collectio, ordine temporum digeſta, quae de Thuani hiſtoriae cenſura Romae tractant. Atque rei hujuſce illuſtrationem me praecipue in animo habuiſſe fateor, cum in priori epiſtola Genevenſem editionem, anno MDCXX excuſam, in operis contextu ſequi; quaecunque autem omiſſa, aut immutata fuerint, ſive in ſententiis, ſive in vocibus ullius momenti, ex ſingulis Pariſienſibus editionibus, nimirum Patiſſoniana in folio, ac tribus Drouartianis in octavo, folio, et duodecimo collecta, in ima pagina collocare, me ſtatuiſſe dixi. Nequaquam enim dubitandum eſt quin ea, quae de hac re jam diximus, et de alia mox dicemus, editionis noſtrae lectores vel ad leviſſimas mutationes accurate obſervandas facile invitent.

THUANUS in prima ſua ad Chriſtophorum Puteanum epiſtola, quando volumen hiſtoriae Patiſſonianum ei Romam miſit, ait, *Qu'il ne doutoit point, qu'elle ne ſeroit ſoigneuſement examinée, voire uſque ad calumniam.* Fore enim, ut multos ac potentiſſimos inimicos hiſtoria ſua iis, quibus vixit, temporibus ſibi pareret, ſemper praeviderat; cujus rei cauſae ex eodem volumine colligi poſſunt, ubi ad finem eorum, quae de regis Henrici ſecundi imperio tradidit, ita ſcribit: 'Nunc, omiſſis majorum ac prioris aevi egregie bello et pace dictis ac 'factis, ad domeſtica mala atque adeo vitia noſtra, quae jam fere XL annos floren- 'tiſſimum hoc quondam regnum vexant ac diſtrahunt, devenimus: prius praefati, 'nos ex actis ipſis, et iis quae jam tum quidem recentibus adhuc odiis ſcripta ſunt, 'verum ad optimorum poſtea virorum fidem a nobis expenſa, citra livorem et amo- 'rem ſequentia perſcripturos; petita interim venia, ſi quorundam ambitio, ava- 'ritia, perfidia, fraudes, et perniciosa adverſus rempublicam conſilia, interdum 'perſtringentur[3].' Premere igitur, dum vitam ageret, ſtatuiſſe, atque edendi curam poſteris relinquere videtur. Cur autem conſilium iſtud mutaverit, epiſtolae ipſius nos docent. Ad Puteanum enim Romae commorantem ſcribens, XII Apr. MDCVI, de hiſtoria ſua haec habet: *Je crois que je vous ay dit ou eſcrit, que par force j'avois donné au public ce qui en étoit imprimé; d'autant qu'il y en avoit une copie en Allemagne à moi derobée* ab amanuenſi Germano incorrecte, *& que je craignois que l'on y imprimaſt*[4]. Et in alia epiſtola, ad praeſidem Jeanninum anno MDCXI exarata, de eadem re clarius et copioſius loquitur. 'In opere, *inquit*, multum 'progreſſus eram, cum ad me ex Germania reſcriptum eſt, extare primae partis 'exemplum, quod, ni praeverterem, injuſſu meo propediem ederetur. Quod cu- 'rioſitate amanuenſis Germani acciderat, qui cum meas ſchedas deſcriberet, illud 'ſibi clam deſcriptum in Germaniam ſecum aſportaverat. Id cum mihi ſumme 'cavendum putarem, per amicos ut exemplum reciperem ante omnia curavi; ſed 'eo tempore, quo jam ſemel iterumve a curioſis item deſcriptum illud fuiſſe vero 'ſimile fiebat. Itaque, nec ea cautione metu liberatus, tandem ipſe ſerio de edi- 'tione coactus ſum cogitare.' Prelo igitur hiſtoriam ſubjicere ipſe coactus, quo majorem operi auctoritatem conciliaret, ut fortem et magnanimum virum decuit, nomen celare noluit. Nam ſic in eadem epiſtola de ſe mox teſtatur: 'Nomen 'meum, quod, ſi licuiſſet, ſuppreſſum cupiebam, non ambitioſe apponi paſſus ſum; 'maluique gratiae in aula, fortunarum domi, et exiſtimationis foris, periculum fa- 'cere, quam committere, ut, quod ad publicam utilitatem et conſervandam rerum 'memoriam tanta cura ſcripſeram, praepoſtera ulla prudentia, fidem apud eos, qui 'nunc ſunt et poſt erunt, amitteret[5].' Idem quoque egregium animi propoſitum diu antea cardinali Sfortiae, in prima ad eum epiſtola, 1 Maii anno MDCVI ſcripta, declaraverat, dum aulae Romanae de hiſtoria ſua ſententiam adhuc manebat. *L'ambition,* inquit, *ne m'a pouſſée à cela; &, prevoiant l'envie que j'attirerois ſur moi,*

j'euſſe

[1] Vid. Tom. VII. cap. I. p. 35.
[2] Ibid. p. 63.
[3] Vid. Tom. I. p. 763. hujus edit.
[4] Vid. Tom. VII. cap. I. p. 15. hujus edit.
[5] Vid. Tom. VII. cap. II. p. 6. hujus edit.

j'euſſe volontiers ſupprimé mon nom, s'il euſt eſté loiſible: mais craignant que cela euſt rendu la choſe ſuſpecte, j'ai mieux aymé ſacrifier mon nom & ma fortune tout enſemble, que de faire rien en cela, qui euſt peu diminuer la foi & la creance de l'hiſtoire, puiſqu'elle eſtoit faite pour ſervir au public[1].

QUOD Thuanus animo praeſagierat, fortunarum damnum ſe facturum, ſi hiſtoriae ſuae nomen inſcriberet; id anno MDCXI tandem evenit. Achilles enim Harlaeus, qui Chriſtophori Thuani filiam, auctoris noſtri ſororem, in matrimonio duxerat, ſocerum jam defunctum anno MDLXXXII, ut princeps ſenatus Pariſienſis, excepit; ſicut auctor noſter deinceps anno MDXCV patruum, Auguſtinum Thuanum, in loco praeſidis infulati. Harlaeo autem anno MDCXI ſenectute jam confecto regina Maria Medicea, quemcunque vellet, in munus ſibi ſufficiendi veniam conceſſit, ſi modo hominem ipſa approbaret. Rem antea cum Thuano tranſegerat Harlaeus, cui non arctiori affinitatis, quam amicitiae, vinculo conjungebatur. Nemo igitur, qui diuturna et fida Thuani in regem officia, affinitatem cum Harlaeo, gradumque honoris ei propinquum (utpote qui praeſidis infulati munus jam ſedecim annos tenuiſſet) integritatem expertam, mentiſque ad majora exequenda dotes egregias, ſecum perpendit, dubitare potuit, quin is reginae ſententia omnibus praelatus, tanquam jure hereditario ad eam dignitatem eveheretur, quam pater et affinis tanta cum laude adminiſtraſſent, ſicut avus et patruus praeſidis infulati provinciam. Ex adverſo autem Henoticorum factio, quam Puteanus *les reſtes de la ligue* appellat, in aula tunc temporis adeo praevalebat, ut, Thuano artibus et poteſtate eorum rejecto, Verdunus, praeſes primarius curiae Toloſenſis, in Harlaei locum ſubſtitueretur. Hac repulſa accepta, Thuanus praeclaram illam epiſtolam ad praeſidem Jeanninum Latine exaravit, quam paulo ſupra laudavimus, et in idoneo noſtrae editionis loco integram proferemus[2]. In ea autem epiſtola hiſtoriae ſuae mentionem faciens, *Haec*, inquit, *inter criminationes, tanquam praecipua repulſae noſtrae cauſa, objicitur*. Villaregium quoque inimicum clam habuiſſe haud obſcure ſignificat: quod in memoriam mihi revocat, quae de horum utriuſque ingenio vitaeque inſtitutis diu antea obſervata erant, ut in Radulphi Winwodi, equeſtris dignitatis viri, *Commentariis* tradita ſunt. Illic enim Henrici Nevilli equitis epiſtolam, Pariſiis VII Aug. MDXCIX ad Cecilium baronem, reginae Eliſabethae a ſecretis, ſcriptam invenimus, in qua de Villaregii conſiliis haec leguntur: " Poſt adventum meum, " *inquit*, in hanc urbem Jeſuitae quidam Roma huc ſe contulerunt, ut de ſocietate " ſua in Galliam revocanda cum rege agerent, quod ſumma ope pontifex Romanus " efficere conatur. Legatus pontificius aditum iis ad regem paravit, qui cito iterum " dimittens manere juſſit, donec res ad concilium proponeretur. Cauſae eorum " plurimum favet Villaregius, nec minore ſtudio opponit curia Pariſienſis[3]." Atque ipſe Winwodus in epiſtola ad eundem Cecilium XVII Maii MDCI a ſe ſcripta inter alia haec habet: " Villaregii ſtudium in aulam Romanam regi ſuſpectum eſſe " creditur a multis, cujus commodis vel in rebus civilibus nimium ſemper addictus " fuiſſe putatur[4]." Ut filius igitur eo tempore Romam legatus mitteretur, fruſtra conatus eſt. Quod ſequitur autem ex alia Winwodi epiſtola, utrum in laudem ipſius, an Thuani magis vertat, penes te ſit judicium. Ad Cecilium enim XXVII Apr. MDCI ſcribens certiorem facit praeſidem Thuanum de re quadam, in epiſtola memorata, a ſe conventum; et quia menſe Februario proxime elapſo comes Eſſexiae, cum aliis quibuſdam conjurationis in reginam Eliſabetham damnatus, ſecuri percuſſus erat, de qua re falſi rumores ſpargebantur, haec ei dixiſſe: " Quandoquidem in hiſtoria ſcri- " benda adhuc verſeris, rem iſtam, ut revera fuit, a primo conjurationis indicio tibi ape- " rire paratus ſum. Eique confirmavi reginam vel minimam honoris maculam ulla vi " ſibi oblata tanto graviorem ducere, quanto fama, quam vita, diuturnior ſit fu- " tura; quippe quae vitam mortalem et caducam eſſe bene ſciat, cum regii nominis " memoria in aeternum ſit victura." Tum pergens Winwodus ait: " Conditio- " nem is accepit, in hiſtoria contexenda etiam tunc occupari faſſus, in qua de re- " gina, quoties ejus mentionem faciendi occaſio detur, tam ornate et honorifice ſe " dicturum promiſit (licet ei nec pareat, nec ullis ejus beneficiis auctus fuerit) " non ut praeclarae ejus virtutes merentur, ſed ut tenue ſuum ingenium in tam di- " vino

[1] Vid. Tom. VII. cap. I. p. 17.
[2] Vid. Tom. VII. c. II. p. 4.
[3] Tom. I. p. 86.
[4] Ibid. p. 327.

“ vino argumento eniti poſſit. Praeſes ille vir optimus eſt in hac urbe, omneſque “ tam doctrinae, quam probitatis laude ſuperat [1].” Diverſa Villaregii et Thuani conſilia in iis rebus, quae ad aulam Romanam ſpectabant, alio illuſtri exemplo demonſtrare poſſem; conſultationem intelligo, anno MDXCIX coram rege Henrico quarto habitam, de concilii Tridentini in Gallia receptione. Hac enim occaſione Villaregius pontificem Romanum in re tanti momenti devincire officioſiſſime ſtudebat; contra autem Thuanus regni Gallorum inſtituta tam ſtrenue defendebat, ut ne recipere conaretur regi perſuaſerit. Sed cum tota illorum diſceptatio in ſexto libro *Commentariorum De Vita Thuani* fuſe et copioſe exponatur, ubi Thuanum Villaregio ejuſque factioni notam inurere voluiſſe apertum eſt; de ea re hic plura dicere ſuperſedens ad alia pergam.

QUAE igitur in Thuani hiſtoria de Mariae Scotorum reginae vita et actionibus tradita regi noſtro Jacobo primo diſplicuere, jam proximo loco conſideranda ſe offerunt.

CUM primum rex Henricus quartus Galliae, cui hiſtoriam ſuam Thuanus dicaverat, opus ſe approbare ſignificavit; volumen Patiſſonianum ad Chriſtophorum Harlaeum, comitem Bellomontium, Achillis Harlaei principis ſenatus Pariſienſis filium, ac eo tempore regium in Anglia legatum, auctor miſit, ut regi traderetur, una cum epiſtola nondum edita, quam ea de cauſa hic integram dabo.

‘ Sereniſſ. Angliae, Scotiae, et Hiberniae Regi Jacobo.

‘ MIRUM tibi fortaſſe videbitur, ſereniſſ. rex, quod ſacras occupationes tuas
‘ homo ignotus hoc tempore interpellare auſus fuerim. Virtutum tuarum fama,
‘ quaſi novi ſolis fulgor exoriens, ſincera cum principe noſtro amicitia, arcta Franco-
‘ gallici et Anglo-ſcotici nominis hodie conjunctio, ſingularis tuus erga literas
‘ et literatos amor, et in omneis humanitas, aditum mihi ad M. T. patefecerunt,
‘ ſpemque dederunt, fore, ut hoc induſtriae noſtrae qualecunque munus, quod tibi
‘ per comitem Bellomontium oratorem regium proxima mihi cognatione con-
‘ junctum offeretur, benigne comiterque accipias. Id non inconſulto principe
‘ noſtro factum, immo ſuadente, ac jubente, atque inſuper addente, de tantis rebus
‘ ſcriptum opus, niſi ipſi a me dicatum eſſet, tibi inſcribi debuiſſe. In eo multa
‘ bene, plura ſecus, noſtrorum et tuorum facta; ſed et ſalutarium praeceptorum,
‘ quae tu aureis ad omnem aeternitatem literis exarando libro [2] conſignaſti, exem-
‘ pla reperies: atque haec apud te ſatis; cetera ex opere ipſo exercitatiſſimi ju-
‘ dicii prudentia, qua plurimum polles, obſervabis. D. O. M. oro, ut Chriſtianiſſ.
‘ regem ſuis, te tuis, ambos univerſo Chriſtiano orbi incolumeis quam diutiſſime
‘ conſervet; atque ut animos veſtros ad colendam amicitiam novis officiorum ac
‘ neceſſitudinum vinculis nuper devinxit, ſic voluntates ac ſtudia ad ſarciendam ec-
‘ cleſiae concordiam mutuo conſenſu conſpirare faciat; ne potius in firmanda pace
‘ de finibus tuendis, quam de ipſius gloria amplificanda, cogitaſſe videamini. Vale,
‘ ſereniſſ. rex, meque eadem, qua cunctos tui amanteis proſequeris, benevolentia
‘ complecti non dedignare. Lutetiae Pariſiorum, pridie kal. Januar. MDCIII.

T. M. devotiſſimus,

Jac. Aug. Thuanus.

HUIC epiſtolae rex ipſe brevi poſtea reſponſum dedit, quo Thuanum ſumma humanitate et benevolentia tractare dignatus eſt; verbiſque ampliſſimis opus collaudans, gratum ſibi et acceptum eſſe oſtendit. Sed totam epiſtolam lingua Gallica, qua ſcripta fuit, operae pretium erit deſcribere.

A Monſieur de Thou, Preſident au Parlement de Paris.

Monſieur le Preſident, Nous vous remercions tres affectueuſement des lettres que nous avez eſcrites, & du livre que nous avez envoie, dreſſe par voſtre labeur. Tant par l'offerte de celuy-cy, comme par le temoignage de celles-là, vous nous faites paroiſtre le reſpect & la bonne volonte, que vous nous portez; leſquels nous recueillons & recognoiſſons de pareille affection; & prenons en tres bonne part l'exhortation que d'un cœur rond nous avez voulu faire, d'embraſſer & nous employer à l'union de l'egliſe, par l'eclairciſſement & compoſition des differents qui regnent en la religion: à quoy nous vous pouvons aſſeurer, que nous ſommes

&

[1] Ibid p. 320.

[2] Cui titulus, *Baſilicon Doron.*

& ſerons touſjours de noſtre part non ſeulement diſpoſes, mais tres affectionés, & apporterons en toute occaſion à une ſi bonne œuvre tout ce qui dependra de nous: n'ayans jamais, Dieu mercie, eſté d'humeur ſectaire, ny reſtifs au bien de la Chreſtienté; & deſirerions que tous princes & potentats fuſſent touches d'une meſme inclination & deſir en ceſt endroit, que nous ſommes, pour acheminer & mener une œuvre ſi digne & importante à quelque bonne concluſion au ſoulas & repos univerſel de la Chreſtienté, & convertir unanimement nos differents contre l'ennemi commun. Pour voſtre livre, bien que nous n'ayons pas eu le loiſir de le recognoiſtre encores qu'à demi, & bien legerement, nous y avons toutesfois aſſez recognu voſtre ſuffiſance; & y avons gouſté du plaiſir & contentement, tant pour l'amour du ſtile, que de la matiere; ainſi que Monſieur l'Ambaſſadeur vous pourra teſmoigner, auquel nous avons ingenuement declare ſur la lecture d'iceluy le jugement que nous en faiſions; & n'y a rien qui nous ait plus contenté, que de vous y recognoiſtre ſi fidele obſervateur de ce que vous recommandez par vos lettres, d'avoir banni de vos eſcrits toute partialité, qui eſt le vice mortel & trop frequent de l'hiſtoire. Ce qui nous croiſſant l'envie de voir le reſte & ſuitte de ce bel œuvre de meſme fabrique, ſelon la promeſſe que vous faites de vous vouloir engager en ceſte peine, nous vous prions & ſommons auſſi d'adjouſter & parfaire ce contentement à la curioſité de vos amis; & de croire, Monſieur le Preſident, que perſonne ne ſera plus deſireux & diſpoſé à honorer & recognoiſtre vos vertus & vos merites, que ſera

Voſtre affectionné amy,

A noſtre palais de Weſtmeſtre, le 4me Mars, MDCIII. *Jaquet* R.

THUANO igitur in tanto ſavore apud regem noſtrum Jacobum aliquamdiu relicto, ad ea temporis ordine narranda, quae ex literarum commercio, quod ei cum Camdeno et Caſaubono interceſſit, de Maria praeſertim Scotorum regina colligere potuerim, jam proxime progrediar.

HUIC autem argumento, quod inter gentis noſtrae eruditos praecipue agitatur, merito deeſſe viderer, ſi rem in Camdeni dedecus diu jam ſama divulgatam ſilentio hic praetermitterem. Ex quo enim novam Thuani editionem me ſuſcepiſſe vulgo innotuit, homines doctrina rerumque cognitione celebres hanc in ſermonibus ſuis, non ut vanam prorſus, et cui nihil ſubeſſet veritatis, mihi ſaepius commemorarunt. Sin autem ex fama tantum pependerat, quid de ea ſtatuendum eſſet, omnino dubitarem; cum res ita traditae et acceptae tot mutationibus perpetuo fere ſunt obnoxiae, ut, quibus potiſſimum verbis conſignari debeant, in dubio prorſus relinquatur: ſed feliciter evenit, ut Gilbertus Burnetus, Sariſburienſis non ita pridem epiſcopus, qui dudum in vulgus edidit, hunc mihi ſcrupulum exemerit. Ceterum unde, aut a quo ortum duxerit, quod retulit; vel a quo alio ſcriptore ipſe hauſerit, nihil omnino adhuc indagare potui: ſi auctorem aliquem, quem ſecutus eſt, haberet, utinam ſane nominaſſet. Is autem in *Animadverſionibus* ſuis, quas *in Varillae Hiſtoriam Haereſium* Anglico ſermone ſcripſit, de Camdeno loquens haec habet: “ Hiſtoria ejus tanto judicio et verita- “ tis ſtudio ſcripta eſt, ut hiſtorici illius praeſtantiſſimi Thuani benevolentiae con- “ junctionem et amicitiam ſibi conciliaverit, qui poſt mortem auctoris ex ſcripto “ codice, quem ei miſerat, tomum poſteriorem edidit [1].” Et in *Defenſione Animadverſionum*, de Varilla verba faciens, ait: “ Negat is Camdenum poſteriorem “ hiſtoriae ſuae tomum mſ. Thuano miſiſſe, cujus rei curam in ſe ſuſcepiſſe infra “ praeſidis infulati dignitatem fuiſſet. Addit inſuper ſe ſando ſaepe accepiſſe, co- “ dicem iſtum a Camdeno in Puteani manus fuiſſe commiſſum, qui poſtea in lu- “ cem emiſit. Tum Thuanum reprehendit, tanquam omnia de Maria Scotorum “ regina minus ſincere tradiderit; cujus filium rex Jacobus ob hanc cauſam tam “ acerbe increpuit, ut in morbum, quo per tres menſes poſtea laboravit, eum “ conjecerit.” His reſpondet Burnetus: “ De Camdeni codice pluribus hic agere, “ quam alioquin neceſſarium duxiſſem, me cogit. Thuanus univerſam hiſtoriam “ ſcribere

[1] Edit. Amſt. MDCLXXXVI. p. 52.

" ſcribere proponens, cum viris eruditis per totam Europam, unde lucis aliquid
" ad opus deſtinatum ſe accepturum ſperaret, literarum commercium inſtituit, et
" praecipue cum Camdeno; in cujus tomo priori, ut primum evulgatus fuit,
" multa inveniens de Maria praeſertim Scotorum regina ab iis, quae per literas
" ſecum communicaſſet, haud parum diverſe tradita, de injuria graviter expoſtula-
" vit. Camdenus igitur rem totam aperiens, regem Jacobum recenſere voluiſſe;
" et in comitis Northamptoniae manus, cujus frater Norfolciae dux reginae iſtius
" cauſa ſecuri percuſſus erat, deinceps poſuiſſe; multa etiam deleta, ac multa
" mutata fuiſſe, indicavit. Hoc moleſte admodum tulit Camdenus; ideoque ne
" ſimile fatum tomus poſterior ſubiret, ex his terris ad magnum illum virum miſit,
" ut optima fide poſt mortem ſuam ederetur. Quod dixi [*de tomo ſcil. priori an-*
" *nalium Camdeni*] in Anglia bene notum eſt, eoque credibilius videtur, quod
" exteri hominis fidei tomum poſteriorem commiſerit. Non equidem credo prae-
" ſidem infulatum ad Cramoiſios vel Barbinos, celebres nimirum typographos,
" ut codicem venderet, aut preli errata corrigeret, ſe contuliſſe; ſin autem Pu-
" teanus, vir eximius et literis clarus, id negotii in ſe ſuſceperit, ut ad fidem
" ſcripti exemplaris ederetur, Thuanus haud infra dignitatem ſe geſſit, qui tam
" praeclaram hiſtoriam apud ſe deponi pateretur, et depoſitarii officio cumulate
" ſatisfecit, cum in manus cognati traderet. Verum quidem eſt regem Jacobum
" Thuani filio exprobraſſe, quod contumelias a Buchanano in matrem ſuam jactas
" pater ejus exſcripſiſſet; at tenello certe animo Thuanum hunc juniorem prae-
" ditum fuiſſe neceſſe eſt, ſi ea de cauſa in morbum trimeſtrem conjiceretur[1]." Se-
graeus autem ipſa verba, quibus rex Jacobus hac occaſione uſus eſt, nobis conſer-
vaſſe prae ſe fert. Quae de hac re ſcripſit, ita ſe habent: '*M. De Thou, étant allé*
'*en Angleterre, fit en ſorte d'être preſenté au Roi Jacques*, Quoi, *luy dit le Roi*,
' vous êtes le fils de ce pedant, qui a parlé ſi mal de ma mere, & vous oſez vous
' preſenter devant moi[2]?' De morbo autem Thuani, qui, ſi fides Varillae, hunc ſe-
cutus eſt, omnino ſilet Segraeus. Et criminationem et defenſionem Camdeni de-
dit nobis Burnetus, quarum utriuſque fidem in praeſentia apud eum relinquam.
Quod ſcribit autem Camdenum tomum poſteriorem annalium in Thuani manibus
depoſuiſſe; codicem iſtum non ad Thuanum, ſed Puteanum, a Camdeno miſſum
fuiſſe, idque anno demum MDCXX, hoc eſt, tribus annis poſt mortem Thuani, in
priore ad te epiſtola oſtendi.

AD Thuani autem cum Camdeno commercium epiſtolare jam veniam. Ami-
citiam cum Thuano primum iniit Camdenus Inſulani literis et commendatio-
ne, quem Smithus *virum doctiſſimum, linguaeque et antiquitatum Saxonicarum*
peritiſſimum, appellat[3]; idemque fuiſſe videtur, quem Antonius a Wood " Gu-
" lielmum Liſle, domo Wilburghamia in agro Cantabrigienſi, armigerum" nun-
cupat[4]. Prima epiſtola a Thuano ad Camdenum ſcripta inter *Camdeni et il-*
luſtrium virorum ad eum epiſtolas a Smitho editas legitur, cujus partem hic adſe-
ram. Data eſt IV eid. Feb. MDCV. ' Ago tibi gratias, vir doctiſſime, pro tanta
' humanitate, et egregia adeo mihi navata opera. Vix ſperaveram, ut rogatus a me
' faceres, quod ſola D. Inſulani, amiciſſimi mihi viri, commendatione feciſti. Quid
' enim ſum, ut ſeria tua ſtudia tantiſper remorer? Camdenum in meis legendis
' jacturam bonarum horarum feciſſe? Tanto hominem ſibi ignotum beneficio de-
' vinxiſſe? Verum age, quando ita officioſus eſſe voluiſti, pro humanitate me inhu-
' manum amicum experieris. Velim idem praeſtes in Scoticis, nam potes, quod
' in patria hiſtoria feciſti: nam vereor, ut aliqua in parte impegerim. Velim et
' ut mihi conſilium des, quomodo Scotica anni MDLXVI (nam pars ea noſtrarum
' hiſtoriarum jam ſub prelo eſt) citra offenſionem, et tamen vere, exequi poſſim.
' Heic haereo, jamdudum invidiam et odium noſtrorum in aliis expertus; nec com-
' mittere volo, ut imprudentiae apud vos arguar, aut quidquam denique feciſſe di-
' car, quo ſe laeſum is merito queri poſſit, qui me nuper literis ſuis dignatus, et ad
' cetera, quae pari candore et veritatis ſtudio ad annum MDXCVI perduxi, edenda
' hortatus eſt. Acerbius haec fortaſſe a Buchanano ſcripta, et audio diſcipulum
' praeceptori

[1] Edit. ibid. MDCLXXXVII. p. 57.
[2] Memoires Anecd. ed. Amſt. MDCCXXIII, p. 173.
[3] In Vit. Camd. p. 52.
[4] Athen. Oxon. Vol. I

‘ praeceptori ob id ſuccenſere; et tamen quia geſta ſunt, citra flagitium diſſimulari
‘ non poſſunt. Scribe, et amico conſilii inopi tuum ne denega. Innuere verbo
‘ potes, nec opus eſt, ut diſtinctius ſcribas. Quidquid ſcripſeris, non ſolum pro
‘ conſilio, ſed pro imperio erit. Proxima partis jam editae editione cognoſces,
‘ quanti, uti debeo, monita tua fecerim. In Hibernicis veſtris plane peregrinus
‘ ſum, nec dum qui viderit, aut fando quidquam de iis acceperit, adhuc conveni.
‘ Pauca de illis, ut ſcis, ſcripta; et praeter Stanihurſtum, et tabulas inſulae nuper
‘ editas, et quod in tua ad omne aevum victura Britannia adjeciſti, nihil habui,
‘ unde me inſtruere poſſem. Ultimum vero bellum qui ſcripſerit, adhuc vidi aut
‘ audivi neminem. Scire cupio de his, quae habes, et quae a tuis ſperare poſſum:
‘ de Tiroënae comite imprimis, cum quo vobis res fuit, qua gente, origine, qui-
‘ bus clientelis ſubnixus, quibus moribus et ingenio fuerit, ut tantum bellum ad-
‘ verſus ſereniſſimam reginam ſuſcipere in animum induxerit, et quibus tandem
‘ conditionibus cum eo fuerit deciſum. Doleo neminem adhuc apud vos extitiſſe,
‘ qui res geſtas tantae heroinae literis mandaverit. Sane ſi ſcribendi facultas et
‘ ingenium tam nobili argumento dignum mihi eſſet, ſi otium, et interior rerum
‘ veſtrarum notitia, ſi documenta idonea ad id ſuppeterent, non alium quam me
‘ praeconem habuiſſet. Sed vereor, ne id arrogantius tibi dictum videatur, quod
‘ potius eximio meo in eam affectui condonandum eſt.[1]’ Thuanus, ut videtur, in
hiſtoria reginae Eliſabethae ſcribenda Camdenum eo tempore occupari minime
ſuſpicatus eſt; licet in praefationis initio prioris tomi ***Annalium*** a G. Cecilio ba-
rone Burghleio, ſummo Angliae theſaurario, ante annum MDXCVII ad opus illud
ſuſcipiendum ſe incitatum fuiſſe Camdenus ipſe nos doceat. Mirum autem videri
poteſt, in tam diuturno literarum commercio nihil omnino de ea re ante annum
MDCXII Camdenum Thuano aperuiſſe, idque ut tum quidem faceret, caſu quodam,
non ex conſulto eveniſſe; ſicut mox apparebit.

SMITHUS in praefatione ſua dicit Camdeni ad epiſtolas Thuani reſponſa ſedulo,
ſed fruſtra, apud noſtrates ſe quaeſiviſſe; ideoque in bibliothecis Pariſienſibus adhuc
ſervari edoctum, per literas Thevenotum rogaſſe, ut exemplaria ad ſe mittere digna-
retur: utrum autem literae in via periiſſent, an, quod Galli tunc temporis cum gente
noſtra bellum gerebant, commercium ejuſmodi epiſtolare vix tutum fore vir pru-
dens exiſtimaret; nihil reſponſi ab eo ſe unquam accepiſſe[2]. In noſtris autem mſſ.
plura ſunt Camdeni ad Thuanum reſponſa, a primo quorum, dat. Londini XVI kal.
Maii MDCV, haec deſcripſi: ‘ Vehementer me angit et ſollicitat, vir cl. quod li-
‘ terae tuae et D. Inſulani ad me IV eid. Febr. datae, neſcio quo fato, vel cujus
‘ incuria, ante eid. Apriles non ſint redditae. —Interim haec, quae magnitudo
‘ et vis amoris juſſit, ſcribenda putavi. In Scoticis jam impreſſis quid praeſtare
‘ poſſum non video, omni tamen opera et ſtudio praeſto futurus ſum. Anno
‘ MDLXVI caute tibi incedendum eſt; inter comitem Moraviae, Hamiltonium, re-
‘ ginam, regem, et partium ſtudioſos, medio tutiſſime ibitur. Jacobus comes
‘ Moraviae frater nothus reginae, et Hamiltonius dux Caſtri Heraldi, regnum plane
‘ affectarunt; hic jure hereditario, utique cui avia filia fuit regis Jacobi II; ille
‘ elato animo neſcio quae ſponſalia inter patrem et matrem ſomnians, natalium de-
‘ fectum ſpecioſo reformatae religionis obtentu, ſuis virtutibus, et clientelis ſupplere
‘ ſperavit: uterque reginam e Gallia reducem in coelum tranſlatam libens lubenſ-
‘ que audiret, uterque ſua ſpe inflatus reginam a nuptiis arcere ſategit; ſed impri-
‘ mis nothus ille, qui malis artibus reginae abdicationi et exilio viam praeſtruxit,
‘ uſus Buchanano adminiſtro; archifollem ad rebellionem excitandam rex noſter
‘ ſubinde vocat, qui famoſis libellis reginam inſectatus quampluriına falſa affinxit;
‘ ut illi non temere credas in iis, quae ad Moravium et reginam ſpectant, in ce-
‘ teris fidem utcunque mereatur. Regina juvencula, et nova regnandi, rebus ſe-
‘ cundis luxuriavit; rex juvenis, nullo rerum uſu, credulus, pluma et folio levior,
‘ nec ipſe ſibi conſulere, nec bene monenti parere novit, et cui arcana tacere ad-
‘ modum grave. Unde et reginae gratia excidit, et partium ſtudioſi illum inſi-
‘ dioſiſſime tractarunt, et demum ſuſtulerunt. Regina noſtra Eliſabetha haec
‘ ſpectavit, et ſaepius Scotam commiſerata eſt; ſed minus, quod titulum et inſignia
‘ regni

[1] Vid. Tom. VII cap. V. p. 2. hujus edit.

[2] Vid. Praefat. Epiſt. Camd. praefix.

‘ regni Angliae uſurpaverat, et in eam pontificii apud nos ſpem repoſuerant om-
‘ nem. Haec, quae prudentiores et aequiores apud nos propius a vero abeſſe cre-
‘ dunt, verbo innuo; tu tuo utere judicio, et penicillo. In Hibernicis majorem
‘ lucem praebere fortaſſe potero [1].’ Quae igitur ad Tiroënae comitem, et alia
in Hibernia geſta, ſpectarunt, clare et perſpicue deinceps tractat.

Ex mutuis hiſce Thuani et Camdeni epiſtolis eos non diu poſt primae partis
Thuani hiſtoriae Patiſſonianam editionem in folio, ac Drouartianam in octavo,
per literas inter ſe noſci incepiſſe manifeſtum eſt. Veruntamen *pars ea hiſtoria-
rum*, qua res geſtae anno MDLXVI ſunt traditae, et quae, cum Thuanus epiſtolam
ſuam ſcripſit, adhuc *ſub prelo* erat, Drouartiorum ſecundo volumine in folio,
tertioque et quarto tomis in octavo, anno MDCVI evulgatis, comprehenſa fuit.
Eo autem anno alteram Camdeni epiſtolam, ipſis kal. Jul. Londini ſcriptam, in-
venio, quae inter alia haec habet: ‘ Menſe Junio jam praecipite, relicti fuerunt,
‘ v. c. apud vicinum, dum ſorte domo aberam, partis primae hiſtoriarum tuarum
‘ tomi duo, ampliore et meliore, quam qui vulgo proſtant, charta, bene compacti,
‘ et ad me Gallice inſcripti, ſed literae plane nullae. Unde vero eſſent, et cu-
‘ juſnam tam propenſae in me benevolentiae μνημόσυνα, ſubinde ſerio cogitavi, in-
‘ genium animumque verſavi, bibliopolas Gallos apud nos percontando nihil com-
‘ peri; adeo ut a tua fuiſſe humanitate animum jam induxerim meum, et tibi om-
‘ nino gratias, quantas poſſum maximas, agere, cui jure optimo debentur, cum a
‘ quocunque miſſi revera a te ſint, utique tui ingenii partus, et laboris fructus.
‘ Verum enimvero fieri poteſt, ut literae, quae comitabantur, interciderint; quod
‘ etiam male metuo, ne meis, quas ad te dederam ſuperiori anno, acciderit: tuae
‘ enim, quae datae fuerunt IIII eid. Febr. MDCV, incuria vel invaletudine D. Fontani
‘ ante eid. Apriles redditae non fuerunt. Quibus ſtatim reſpondi per tabellionem,
‘ et de rebus Scoticis et Hibernicis, quae petiiſti, ad annum MDLXVI paulo fuſius.
‘ An perlatae fuerint, dubitavi; cum, anno jam vertente et amplius, a te nihil plane
‘ literarum. Sin autem periiſſe intellexero, et tibi uſui fore, facile denuo deſcri-
‘ bantur, et damnum reſarciatur. Reliquas hiſtoriae tuae partes avidiſſime expecta-
‘ mus, ſupremam enim manum impoſuiſſe audivimus [2].’

Hae literae ad Thuani manus nondum pervenerant, cum pridie kal. Sextil. eo-
dem anno ſequentem epiſtolam ad Camdenum ſcripſit, quam integram hic dabo.
‘ Poſt longum ſilentium, v. doctiſſ. mitto ad te, ſive excuſationis loco, ſive ad purgan-
‘ dam moram, ſecundum hiſtoriarum noſtrarum tomum; ſed valde vereor, ut tem-
‘ peramentum illud, de quo monueras, in rerum Scoticarum narratione ubique
‘ ſervaverim. Rem in omnium ore poſitam omnino praeterire, quod libentiſſime
‘ feciſſem, ſi licuiſſet, magna me invidiam apud vos deprecandi moleſtia nunc le-
‘ vatum ſentirem. Verum in opere ſuſcepto, niſi officio deeſſe vellem, aeque mihi
‘ flagirioſum ſilentium, quam mendacium ipſum, fuit vitandum. Quod ſi igitur
‘ id ſcribi oportuit, quomodo aliter ſcribi potuerit, ſane non video. Nam cri-
‘ minis, quod ipſe palam admiſeris, culpam in alium ex ſuſpicione rejicere, quid
‘ aliud eſt, quam reo periclitanti per calumnioſas exceptiones patrocinium parare?
‘ In reo, in ancipitis cauſae defenſore, quippe omnis expediendae ſalutis honeſta
‘ ratio, id excuſationem fortaſſe mereat; at veritatem profeſſo, ut alium culpa li-
‘ beres, alium infamia onerare, nefas. Res ipſa loquitur. Nam demus, quod ab
‘ diverſa tradentibus jactatur, Moravium ambitione ardentem ſceletate regnum ap-
‘ petiiſſe (quod tamen conſtanter negant omnes fide digni Scoti, quoſcunque mihi
‘ alloqui contigit, etiam ii, quibus alioqui Moravius ob religionis cauſam ſumme
‘ inviſus erat; nam virum fuiſſe aiebant extra religionis cauſam ab omni ambitione,
‘ avaritia, et in quenquam injuria alienum, virtute, comitate, beneficentia, vitae
‘ innocentia, praeſtantem; et qui niſi fuiſſet, eos, qui tantopere mortuum exagi-
‘ tant, hodie minime rerum potituros fuiſſe) ſed demus illum, calcata omni divini
‘ humanique juris religione, tantum animo ſcelus concepiſſe, quo tandem conſul-
‘ tore et adjutore ad rem exequendam uſus eſt? Primum omnium conſtat nun-
‘ quam ullas capitaliores inimicitias, quam inter Moravium et Botuelium, exarſiſſe.
‘ At quis ſibi perſuadeat, inter tam infeſtos de tanto ſcelere, qualis in regem con-
‘ juratio

[1] Vid. Tom. VII. c. v. p. 3. hujus edit.

[2] Vid. Tom. VII. c. v. p. 5. hujus edit.

juratio fuit, conſilia agitari potuiſſe; aut ſperari, ut ſecretum, quod ad illam requirebatur, inter eos ſervaretur? Deinde, quis credat Moravium, tantas cum Botuelio inimicitias exercentem, poſt patratum ſcelus ſorori parricidae in virum ducendi auctorem fuiſſe? aut reginam tam ſupino ingenio fingi poſſe, ut ſratri infameis juxta et periculoſas nuptias ſuadenti aureis praebuerit? Denique, cur Moravius poſt haec omnia ſponte in Galliam ſeceſſit, ſi ex his turbis commodum aliquod ſperare praeſentia ſua potuit? aut cur poſtea revocatus tanta fide, rege infante, regnum adminiſtravit, et adverſus Hamiltonios imbecillam ejus aetatem tutatus eſt, ſi per regis calamitatem regni occupandi ſpem conceperat? Nam minus invidioſum et periculoſum illi erat cum Hamiltoniis, ſi rem perfeciſſent, perduellibus, de imperio decertare; quam ſororis filium, a matre regnique ordinibus tutelae ſuae commiſſum, opprimere. Poſtremo, quid aliud, quaeſo, in cauſa fuiſſe putas, cur Hamiltonii, qui tyrannidem adfectabant, in Moravii necem conſpiraverint; quam quod, ſuperſtite tam ſtrenuo regis infantis regnique vindice, de ſucceſſu deſperarent? Ex adverſo, apud animum tuum reputa familiarem plus, quam oportuit, reginae, etiam ante parricidium, cum Botuelio conſuetudinem; regis miſeri apertum poſt Rizii caedem odium, et ex eo contemptum; deinde poſt parricidium, annitente regina, feſtinatum de Botuelii, qui non ſolum facti ſuſpectus, ſed omnium opinione quaſi convictus habebatur, innocentia judicium; moxque diſſolutas turpiter Botuelii cum Gordonia uxore nuptias, ut alias mox turpiores contraheret. Nam raptum illum quis non rideat? aut non potius ex iis, quae memoravimus, neceſſario colligat, ingenii animi foeminam, niſi ſuopte ingenio et praeoccupata diu ante voluntate ad id fuiſſet inducta, nunquam tam facile in illas nuptias fuiſſe conſenſuram; aut eas poſtea tam artificioſis literis apud nos excuſaturam? Verum haec tecum, et ſemotis arbitris. Nam quenquam accuſare, aut ullius defenſionem ſuſcipere, neque his brevibus literis, neque toto opere noſtro inſtitui. Ab omni inſectatione et obtrectatione, ut mens, ſic ſtylus abeſt: et me plurima orationis lenitate molliviſſe, quae alii acerbius ſcripſerant, ipſa lectione comperies. Rem, ut ex Scotorum, qui interfuerant, ſermonibus didici, ita literis mandavi; et ad eorum fidem ſcripta a Buchanano expendi. De cetero, nigrum in candidum in cujuſquam gratiam convertere, neque animus ab initio fuit, neque nunc eſſe debuit. Itaque enixis precibus, quantum poſſum, pro jure amicitiae noſtrae a te contendo, ut quoties in aula veſtra inter proceres, et in amicorum colloquiis, de me, deque fide noſtra in ſcribenda hiſtoria mentio erit, toties horum argumentorum recorderis; efficiaſque, ut omnes intelligant me ſola muneris impoſiti neceſſitate coactum, quae de ea re ſcripſi, ſcripſiſſe; nam alioqui famae gloriaeque Anglo-ſcotici nominis ex animo favere, et haec ipſa, quae ſcripſi, ſepulta maluiſſe, niſi jam ante publica fama et aliorum ſcriptis innotuiſſent. Interim tibi ſummas gratias ago pro Hibernicarum rerum fragmento ad me miſſo, quod ſuo loco inſertum videbis. Et quoniam te tam officioſum expertus ſum, rogare non dubitabo, ut eandem diligentiam, quam antea non rogatus adhibuiſti, in his recenſendis adhibeas; et me per literas, quantum tibi a Britannia tua, quam avidiſſime expectamus, otii ſupererit, amice, ut feciſti, moneas. Vale[1].'

Quae *de rebus Scoticis* inter Thuanum et Camdenum hactenus per epiſtolas agitata erant, hoc eſt, ad menſem Auguſtum anno MDCVI, integra exhibui; quo tempore ſecundum Thuani hiſtoriae volumen in folio, ut etiam tertium et quartum tomos in octavo, quibus rerum geſtarum ſeries ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo ad ſeptuageſimum ſecundum perducta eſt, prelum Drouartiorum emiſit. Quae autem a Camdeno de iis rebus acceperat Thuanus, haud aliter ac privatam ejus ſententiam ſe intellexiſſe, in literis ſuis proxime allatis manifeſto oſtendit. Sed ad reliqua progredior.

Quod ſequitur itaque ex Camdeni ad Thuanum epiſtola, Londini XXII Novemb. anno MDCVI data, exſcriptum eſt. 'Britannia mea in lucem denuo prodiit, magna acceſſione adaucta, tabulis chorographicis illuſtrata, novoque colore, quamvis ille dilutior, adumbrata. —Habe igitur illam qualemcunque una cum his literulis;

[1] Vid. Camdeni Epiſt. a Smitho edit. p. 73.

‘ rulis; quique meae bibliothecae hiſtoriae tuae prudentiam intuliſti, ut hanc choro-
‘ graphiam loco aliquo in bibliotheca tua digneris, oro. Quid praeſtiterim tu et alii
‘ eruditi judicaveritis, quorum candida benignitas ſciat favere, ubi aliorum livor ne-
‘ ſciat ignoſcere. Scotiam, quia in ea peregrinus, leviter attigi, et ne Scotorum
‘ ſtudia et diligentiam anteveniſſe videtur; quibus expertus ſenſi nihil in hoc ge-
‘ nere placere poſſe, niſi Scotia Angliae (quod coeli ſolique natura negat) praepo-
‘ natur, aut ſaltem παραλληλίζηται. Hiberniam pleniore paſſu obambulavi, utique
‘ Angliae regno jamdiu ſubditam, et nobis magis exploratam. Rebellionem illam
‘ poſtremam comitis Tir-Oen, cujus mihi jam eſt e ſacri conſiſtorii ſcriniis notitia,
‘ deſcripſi, eamque adjunxi, ut habeas quod jam pridem expetiiſti. Utinam hoc
‘ ſcribendi genere me poſſis diſcipulum tuum agnoſcere, qui aſſidua tuae hiſtoriae
‘ lectione animum formare, et inde colorem ducere, ſtudui. Temperamentum in
‘ rerum Scoticarum narratione prudenter ſane ſervaſti, dum calamum ab omni in-
‘ ſectatione continueris. Rex tamen noſter, Buchanano inſenſiſſimus, Moravium
‘ noxae maxime damnat, ut maternae calamitatis fontem et fundum, idque a ſecre-
‘ torum eo aevo participibus edoctus, ut fertur: auctorque eſt, ut inaudio, cuidam,
‘ ut matris vitam deſcribat; quam tamen editurum haud facile credo. Tua fides
‘ in hiſtoria tantum abeſt ut apud noſtrates defenſione egeat, ut in hoc religionis
‘ diſſidio, uti ſincere candidam, admirentur et exoſculentur omnes; tuaque gravi-
‘ tas jejunas quorumcunque infringat calumnias et infames injurias. Perge igitur
‘ porro, quo coepiſti, pede, ut fidem cum integritate conjunctam et praeſentes et
‘ poſteri laudent [a].’

Huic Camdeni epiſtolae reſponſum dedit Thuanus eid Apr. MDCVIII, in quo, quae ad rem praeſentem faciunt, haec ſcribit: ‘ Has per manus D. Bongarſii accipies,
‘ viri mihi amiciſſimi, cujus nec opinata ad vos profectio effecit, ut in reſpon-
‘ dendo ad tuas Novembri praeterito datas ſim brevior. Eae mihi ſerius redditae
‘ fuerunt, quod excuſationis loco dico, ſi citius ad te non ſcripſerim. Ago gratias
‘ pro animadverſionibus in noſtras hiſtorias ad me miſſis, quae fidem faciunt te, le-
‘ gendis iis tempus impendere, inter tot meliores occupationes minime grave
‘ duxiſſe. —Ad tuam Britanniam venio, opus omni mea praedicatione majus, in
‘ quo fidem, diligentiam, judicium, et candorem ſimul licet admirari, quantum
‘ in nullo alio, qui ſimile opus aggreſſus ſit. In Hibernicis jam multum profeci,
‘ et porro me profecturum ſentio, ſi quando noviſſima noſtra edentur; quod per
‘ horum temporum, hoc eſt, hominum qui nunc ubique rerum potiuntur, iniqui-
‘ tatem vix ſpero. Utinam, quae veſtra ſunt, et ad univerſam Britanniam ſpectant,
‘ pari compendio et ſimplicitate ſcripſiſſes. Sic enim factum eſſet, ut tempera-
‘ mentum, quod in Scoticis a me quidam fortaſſe ſunt deſideraturi, tuis veſtigiis in-
‘ ſiſtens, facilius ſecutus eſſem; et in veſtrarium magnatum offenſionem, quam
‘ vitatam cupiebam, non incurriſſem. Sed cum neminem haberem praeter Bu-
‘ chananum, neceſſe mihi omnino fuit ſeriem illius tragicae narrationis, per alios,
‘ eoſque religioni Proteſtantium minime addictos, antea adprobatae, ab eo petere;
‘ ceterum omni inſectatione omiſſa. Quanquam valde vereor, ne vel ſola ac nuda
‘ mentione tam indignae caedis ii exacerbentur, qui adeo Buchanano infeſti ſunt.
‘ Ceterum ita ſibi potentiores perſuadere debent, ſi omnia ſibi licere putant, licere
‘ quoque omnibus de ipſorum dictis factiſque libere loqui et ſcribere. Et vere gene-
‘ roſe Maximilianus II imperator, cui cum literae Lazari Schuendii et Joannis Cra-
‘ tonis, qui in ejus comitatu in ſumma auctoritate erant, ab Auguſto Saxone ſeptem-
‘ viro interceptae, oſtenderentur, quibus illi mira libertate de ipſius moribus, ac to-
‘ tius aulae Caeſareae ingenio, loquebantur, penſitatis diu illis, hoc unum reſpondit:
‘ *Ut vivimus, ita de nobis praeſens ac futura aetas ſentit ac loquitur.* Nimirum dura
‘ eſt provincia, quam ſibi hiſtoriam ſcripturus imponit, ſi fide incorrupta officio
‘ defungi cupit; quippe qui lege hiſtoriae obligetur, non ſolum ut nihil falſi di-
‘ cat, ſed etiam ut verum audeat dicere. Verum haec miſſa facio, quae tute
‘ ſcis ipſe melius; et iterum pro miſſo ad me tam egregio munere gratias ago.
‘ Nova editio noſtrarum hiſtoriarum ſub prelo eſt, cui XXIII libri accedent, ut
‘ omnino LXXX efficiantur: reliqui XLV, qui ſuperant, alia tempora, alios mores
‘ poſtulant.

[a] Vid. Tom. VII. c. V. p. 9. hujus edit.

‘ poſtulant [1].’ Cum Thuanus hanc epiſtolam ſcripſit, hiſtoriae libros LVII, quibus ad annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum quartum perducta eſt, Drouartii in folio et octavo ediderant. Siquis autem hoc Thuani reſponſum cum proxima Camdeni epiſtola conſerat, facile percipiet Thuanum ad hoc uſque tempus nihil aliud *de rebus Scoticis* a Camdeno accepiſſe, praeter monita iſta generatim expreſſa, quae in prima Camdeni epiſtola leguntur, ubi *medio ire* ſuadet; quod Thuanus et hic, et in priori epiſtola, *temperamentum ſequi* vel *ſervare* interpretatur, atque Camdenum apertius ſcripſiſſe exoptat. Temperamenti autem illius, quod in rebus Mariae Scotorum reginae tradendis Thuanus ſervavit, et quod tantopere, ut vidimus, in eo laudat Camdenus, haud levia nobis documenta codex Sammarthanus exhibet; in quo multa ſunt a Buchanano deſcripta, quae Thuanus in hiſtoriae ſuae editionibus, a ſe Lutetiae publicatis, omiſit. Haec in noſtra editione, tanquam variantes lectiones, una cum ceteris mutationibus, quae in ſingulis Pariſienſibus editionibus factae ſunt, in imum paginae conjiciemus; quo Buchanani de iis rebus aſperitatem a Thuano haud parum mollitam fuiſſe lectoribus utrumque inter ſe conferendo facile apparebit. Quod ad libros autem XXIII attinet, quos Thuanus novae hiſtoriae ſuae editioni adjicere ſe ſtatuiſſe ait, ut omnino LXXX efficerentur, apud Drouartium anno MDCIX in folio prodierunt; qui eodem anno etiam novem tomos editionis in duodecimo, quibus res geſtae ad annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum octavum libris LXV traditae ſunt, edidit: ad quod uſque tempus rex Jacobus haud omnino ſe interpoſuiſſe videtur. Duo autem reliqui hujus editionis tomi, quibus hiſtoria ad annum octogeſimum quartum XV ultimis ex octoginta libris perducta eſt, anno demum MDCXIV lucem viderunt.

CAMDENO autem paulisper dimiſſo, ad Thuani cum Caſaubono commercium epiſtolare jam progrediar; ex quorum literis partim editis, partim non editis, ea ſolummodo, quae ad propoſitum noſtrum facere videantur, hic excerpam. Omnes enim literae, quarum teſtimonio in hac re utar, in noſtra Thuani editione integrae adducentur. Menſe Octobri anno MDCX in Angliam tranſiit Iſaacus Caſaubonus. Prima illius ad Thuanum epiſtola, poſtquam Londinum venerat, XV kal. Decemb. eodem anno data, inter editas [2] inveniri poteſt, in qua ita ſcribit: ‘ Ma-
‘ gnae Britanniae regem ut veni, ut vidi, et de rebus diverſis diſſerentem audivi, ma-
‘ jorem fama ſua inveni, et quotidie magis magiſque invenio. Crede mihi, am-
‘ pliſſime Thuane, nihil hodie ſol videt hoc principe humanius, nihil benignius,
‘ nihil literarum et omnis virtutis amantius. Adde eruditionem, quae vel in pri-
‘ vato homine ad verae laudis adeptionem poterat ſufficere; in rege autem tanto,
‘ hiſce praeſertim temporibus, magni, ſi quid judico, inſtar miraculi queat cenſeri.
‘ Quid nunc commemorem ingens illud ſtudium veri in omni re, et amorem om-
‘ nium, qui eodem ſtudio ducuntur? Quae quidem res ita tibi, praeſes illuſtriſſime,
‘ principem φιλαληθέστατον conciliavit, ut nulla de te mecum ſit frequentius adhuc
‘ locutus, quam de te, et tuis hiſtoriis. —Rex te amat, te unum in eo genere
‘ ſcriptionis probat, et ſolum regnare cum paucis veterum affirmat. Quid multa?
‘ audivi non ſemel dicentem, multis ſe Thuanum anteponere Tacitis.’

CASAUBONUS Thuano, dat. Lond. VI kal. Mart. MDCXI, inter editas. ‘ Quas
‘ ad me nuper ſcripſiſti, praeſes ampliſſime, eas ego ſereniſſimo potentiſſimoque regi
‘ oſtendi, et majeſtati ipſius legendas exhibui. —Placuit regi, veritatis amantiſ-
‘ ſimo, tuus ille, quem iis literis abunde teſtaris, ejuſdem veritatis amor. Placuit
‘ candor, quem profiteris, cum ſcribis, te, ſi quid male doctus narraſti ſecius, ubi
‘ melius doctus fueris, mutare et corrigere paratum eſſe. —Enimvero cum ita ſis
‘ ipſe animatus, iniquiſſimo fert animo rex, alioquin aequiſſimus, te in opere
‘ contexendo a certis hominibus deceptum, et extra veri regionem longe abductum,
‘ de glorioſiſſimi nominis regina, ſemper veneranda ſibi parente, ea perſaepe in li-
‘ teras retuliſſe, et quidem accurata diligentia κατὰ λεπτὸν commemoraſſe, quae
‘ ſcit ejus majeſtas, et ſcit certiſſime, falſa eſſe, atque ab illis excogitata, quos uni-
‘ verſa novit Scotia perduelli animo erga τὴν μακαρῖτιν fuiſſe; illi, dum vixit, qui-
‘ bus poterant cumque modis et rationibus incommodaſſe, ac tandem conſilia om-
‘ nia ſua, ſtudia, induſtriam, operam ad miſerandae bonis reginae perniciem retu-
‘ liſſe,

[1] Vid. Tom. VII. c. V. p. 11. hujus edit.

[2] Roterod. in folio, ann. MDCCIX.

liſſe. Poſtea enim quam ſemel in factiones Scotia fuit diviſa, dictu incredibile eſt, et memoratu horribile, quo furore pars ſereniſſimae reginae contraria, in ipſam et eos, qui illi adhaerebant, ſit graſſata. —Quid verbis opus? Reperti ſunt, qui dictis, ſcriptis, factis reginae ſereniſſimae, meliori certe fortuna digniſſimae, res, famam, nomen, poſtremo vitam appetere, laedere, opprimere, pietatis officium eſſe ducerent. Solet ſereniſſimus rex, cui cognomen OPTIMI ſui mores jure vindicant, de immanitate illorum temporum, et rerum omnium confuſione, multa narrare et mira. Nos plura et magis mira ab integerrimis viris ſaepe audivimus, qui, reformationem tum in Scotia inſtitutam cetera probantes, factioſorum ἄγη ſine horrore commemorare non queunt. Georgium Buchananum, virum inſignem literarum laude, ſed meliorem profecto poëtam quam ſubditum, factioſis conſenſiſſe, et de regina benigniſſima, hera ſua, atque ipſo regio nomine peſſime fuiſſe meritum, nemo poteſt ignorare, qui ſcripta hominis non ignoret. —Ut mirari non debeas, majeſtatem ejus ferre non poſſe, quod in reginae matris rebus exponendis Buchananum tanto ſtudio ſis ſecutus, et malevoli hominis maledicta calamo digna cenſueris. Neque vero eſt, quod exiſtimes, praeſes ampliſſime, id poſcere a te regem, ut in ſuam gratiam, vel tranſverſum, quod aiunt, digitum a vero diſcedas: hoc poſcit, et ſuo jure exigit ab omnibus rerum ſcriptoribus, ne falſae narrationes, a perfidis ſubditis immani auſu concinnatae, pro veris criminibus poſteritati obtrudantur. —Ut igitur tot calumniis ſemel reſpondeatur, aut potius quo memoria earum ex animis hominum deleatur, viſum eſt regi piiſſimo faciendum, ut accuratam, certam, et veriſſimam hiſtoriam rerum illarum curaret componendam, et ad te mittendam. Sperat enim majeſtas illius, non invitum factorum te, ut vera falſis ſecernas, certa incertis, mendaciis αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν. Sperat hoc, inquam, de te rex ſereniſſimus, atque adeo, ut id facias, a te contendit. Eſt in hac urbe nobilis eques [*in alia epiſtola, mox exhibenda,* Robertum Cottonum *appellat*] homo pereruditus rerum vetuſtarum, et omnis hiſtoriae, ſive priſcae ſive recentis, ſtudioſiſſimus; qui ex ipſis monumentis publicis, et epiſtolis duarum reginarum Angliae et Scotiae, veram eorum, quae geſta ſunt, hiſtoriam didicit, et jam regis juſſu eandem componit, digeritque in ordinem. Rex ipſe, quo nemo eſt hodie callentior iſtarum rerum, ſingula recenſet, atque ad exactiſſimam veritatis trutinam exigit, miſſurus ſtatim ad te, ut veram narrationem tuae hiſtoriae inſeras, falſam et calumniarum plenam rejicias. Neque autem verendum tibi eſt, ne propterea levitatis ullam apud bonos ſuſpicionem incurras. Laudabunt quinimo aequi et docti judices omnes, quod ubi veritas primum affulſit, καὶ τὰ ἴδια ἀναιρῶν, quod philoſophus ait, non ſis cunctatus. Exiſtimat rex ſereniſſimus e re futurum, ſi cum novam narrationem publicabis, lectorem feceris certiorem, quos olim, quos tunc, fueris ſecutus auctores.’

HUIC epiſtolae reſponſum Thuani Gallice ſcriptum invenio, dat. Pariſ. XXII Mart. MDCXI, ex mſ. *J'ay reçeu la voſtre du* XXIV *du paſſé. Vous m'avez aiſement perſuadé de faire le contenu en icelle au contentement de* S. M. *Car j'y eſtois fort diſpoſé. Il ne doit s'eſmouvoir, ſi n'ayant autre hiſtoire de ces triſtes & miſerables accidens, qui en perſonnes ſi illuſtres ne peuvent eſtre tenus ſecrets & cachés, que celle de celuy dont il ſe tient ſi grievement offenſé, & les autres n'en ayant parlé que confuſement, ſans expliquer les cauſes particulieres, j'ay ſuivy celuy, qui les avoit plus particulariſées; en quoy, s'il luy plaiſt y prendre de pres garde, il trouvera que j'ay beaucoup, & tant que j'ay pû, adoucy les choſes, & remis à la foy de celuy, duquel je les empruntois, les plus grieves. Je ſuis auſſi bien aiſe, que vous ſoyez ſouvenu de luy repreſenter, qu'en la grandeur terrible de ces accidens me trouvant perplex, j'ay communiqué & pris le conſeil d'aucuns Eſcoſſois anciens, qui s'eſtoient trouvez en ces entrefaites, meſmement des Catholiques, eſtimant leur foy en ce ſubject moins ſuſpecte.* S. M. *peut connoiſtre par cela, quelle religion & moderation j'ay apporté à cette partie d'hiſtoire, ayant touſjours craint & apprehendé, qu'elle ne s'en ſentit offenſée. Mais puiſque Dieu a voulu, qu'elle ait pris le conſeil que m'eſcrivez, qui eſt de m'envoyer de meilleures & plus certaines inſtructions de ces choſes, que celles que j'ay ſuivies, les ayant reçeues il connoiſtra, que n'ayant eu autre but en tout mon travail, que d'eſcrire les choſes*

Digitized by Google

choſes au vray & ſans haine ny grace, ſi toſt que cette verité, que j'ay par tout cherchee, me ſera repreſentée, je l'embraſſeray, & laiſſeray le faux & incertain pour le vray & l'aſſeuré. Mon hiſtoire a eſte expoſee au public du commencement, non tant comme un œuvre du tout achevé, ains pour recevoir en un ſi grand œuvre les jugemens de pluſieurs, & ſuivant iceus corriger, augmenter, changer, remettre ce, qui s'y trouveroit avoir de defaut par omiſſion ou mauvaiſe information des choſes. De cela pouvez vous aſſeurer ſa Majeſte, & qu'il n'y a perſonne aujourd'huy, qui favoriſe plus ſa gloire, & tout ce qui lui touche, que moi, comme je deſire luy teſmoigner en toutes les occaſions, qu'il peut attendre d'un bon François, & amateur de la verite, & de ſon nom.

CASAUBONUS Thuano, dat. Lond. IV non. Maias MDCXI, inter editas. ‘ Hiſtoriam, cujus ſpes eſt facta, ſcito quotidie conſcribi. Sed quum inſtituiſſet ‘ auctor brevem in tuam gratiam ὑπομνηματισμὸν, exiit opus grande, et fere juſta ‘ hiſtoria rerum Elizabethae: nihil ibi ſtudio partium datum. Urget rex propoſi- ‘ tum, ſed tempore eſt opus.’

THUANUS Caſaubono, dat. Pariſ. XVII Jun. MDCXI, ex mſ. *J'ay reçeu le* XIII *du preſent les memoires, que m'avez envoyé de la part du ſereniſſime Roy de la Grande Bretagne. J'euſſe deſire les avoir pû avoir lorſque premierement je me mis à eſcrire les choſes de* LXVII *&* LXVIII. *Mais eſtant deſtitué de toutes autres hiſtoires, horſmis celle, qui les a eſcrit avec tant d'aigreur, tout ce que je pûs, ce fuſt de les adoucir le plus que je pouvois, n'ayant autre conduicte neantmoins en cela, que le même hiſtoire. Vous eſtes teſmoin combien j'ay ſue & d'eſprit & de corps ſur ce ſubject, prevoyant ce qui en eſt arrivé. Je vous en ay parle ſouvent, & vous ay dict, comme je m'eſtois travaille de ſçavoir la verite des choſes par les Eſcoſſois Catholiques, qui à cauſe de la religion eſtoient icy refugiez. Je ne pouvois faire autre choſe. J'ay ſouvent deſire, que tout cela ſe pût paſſer par le ſilence. Mais les morts des grands, & les changemens qui en arrivent aux eſtats, ne permettent, que ſi grandes choſes paſſent par la loy de l'oubliance. Je prendray le loiſir de revoir ce que j'ay eſcrit, & l'accommoder autant que je pourray ſuivant les memoires. Mais j'ay beſoin de ce qui s'eſt paſſe depuis l'an* LXXII, *juſques où vont les memoires que m'avez envoyé, au moins juſques à la mort indigne mais genereuſe de la Reine Marie, & la mort auſſi du Conte de Morton. Car entre ce temps ſont arrivees pluſieurs choſes en Eſcoſſe, qui peuvent ſervir à ce que l'on deſire de moi; en quoi je n'obmettrai rien de ce qu'on peut attendre d'un homme de bien, & qui n'a recherché en tout ce grand travail que la gloire de la verité. C'eſt pourquoy je vous prie de faire, que le ſurplus me ſoit envoyé le pluſtoſt que faire ſe pourra. Car les affaires ſont enchaiſnees, & faut voir la ſuite ſur un même aſpect, pour en faire plus aſſeure & certain jugement. Quand j'auray le tout, je ſçauray bien faire mon profit des particularitez, pour ſans ſoupçon de faveur faire paroiſtre la verité telle que l'on deſire. Cela s'entend mieux par ceux, qui ont le jugement experimenté en telles affaires, qu'il ne ſe peut exprimer par lettres.*

CASAUBONUS Thuano, dat. Lond. V eid. Jul. MDCXI, S. N. inter epiſtolas editas. ‘ Sereniſſimus rex, audito accepiſſe te hiſtoriam a ſe miſſam, laetus eo nun- ‘ tio, juſſit ſerio tibi confirmare, omnia eſſe vera, quae decem illis libris con- ‘ tinentur. Cetera brevi promittit ſe miſſurum.’

CASAUBONUS Thuano, dat. Lond. pridie kal. Jan. MDCXI, ex mſ. ‘ Signi- ‘ ficatum mihi eſt, ſereniſſimum regem partem alteram hiſtoriae nuper inſtitutae ‘ ad tuam praeſtantiam mittere. Ego illam videre non potui; ſed conſtat mihi re- ‘ gem ipſum, quo nemo vivit hodie harum rerum peritior, omnia legiſſe, expen- ‘ diſſe, correxiſſe. Itaque ſi quid in humanis rebus poteſt eſſe certi, habes aucto- ‘ rem locupletem, cujus fidem ἀναμφισβητήτως ſequi poſſis. Optat ejus majeſtas, ‘ ut tuam hiſtoriam recenſeas, et quae ex iſta didiceris emendationis opus habere, ‘ emendes.’

CASAUBONUS Thuano, dat. Lond. IV kal. Mart. MDCXII, ex mſ. ‘ Juſſus ‘ ſum ante paucos dies a ſereniſſimo rege ad majeſtatem ipſius proficiſci, non alia ‘ de cauſa, quam ut ea cognoſcerem, quae de te ei Lutetia fuerunt ſignificata. Ille

Digitized by Google

‘ enim Anglus, qui hiſtoriae Cottonianae x libros nuper ad te detulit, literas mox
‘ ad D. Cottonum dedit, quibus haec narrabantur: non ſtatuiſſe te novam editio-
‘ nem librorum tuorum a te recognitorum, niſi poſt annos haud ſcio quam multos,
‘ publicare; quod multa adhuc priorum editionum penes typographum reſtarent
‘ exemplaria: tum autem multa in miſſa a rege hiſtoria invenire te, quorum
‘ fidem ſuſpectam haberes; eſſe enim Scotum neſcio quem, nomine Colvillum,
‘ qui in dubium pleraque vocaret; teque illi Scoto mirum quantum tribuere:
‘ quod ſi regis animo plane ſederet, id a te velle exigere, ut quae prius ſcripſiſti
‘ emendares ex hiſtoria Cottoniana, profiteri te, non aliter id poſſe abs te impe-
‘ trari, quam ſi rex ipſe hoc a te exegiſſet, et ſuamet ipſius manu auctor tibi cre-
‘ dendi illa ſcribendique fuiſſet. Addebat etiam ille Anglus, vix ac ne vix quidem
‘ perſuaderi tibi poſſe, comitem Morraeum, cujus in rebus Scoticis multa mentio,
‘ alium fuiſſe, quam virum probum et fidei ac prudentiae ſingularis, prout eſt a te
‘ deſcriptus. Haec quum ſereniſſimus rex ex Anglicis illius, quem indicavi, literis
‘ mihi recitaſſet, mirari ſe vehementer dixit, quid accidiſſet, cur priorem ſententiam
‘ mutares; ſe namque ideirco novam hiſtoriam curaſſe ſcribi, et ad te mitti, quia
‘ viſus eſſes id expetere, neque recuſare, quin veritatem rerum geſtarum certius
‘ edoctus tua corrigeres. Atque hic fidem meam rex appellabat, meminiſſe ju-
‘ bens, quoties hoc ego ipſius majeſtati partim mea ſponte, partim ex literis tuis
‘ confirmaſſem. Imprimis vero demiratur ſer. rex, plus apud te ponderis habere
‘ paucos rebelles, proditionis reos et maculoſos transfugas, quam ſuum teſtimo-
‘ nium et Scotici regni univerſi. Nihil enim, aiebat, ut verum prodi cupio, quod
‘ non ſit certae et exploratae fidei apud omnes Scotiae viros bonos et ſubditos fi-
‘ deles. Buchanani hiſtoriam et id genus narrationes non a ſe primo damnatas,
‘ ſed, juvene ſe et vix dum decimum quartum vel quintum annum agente, decreto
‘ parlamenti Scotici, uti vocavit, et hiſtoriam illam et libellum illum famoſum
‘ laeſae majeſtatis eſſe poſtulatos et damnatos; quod etiam ex eo poſſit intelligi,
‘ quia neque hiſtoria Buchanani, neque ſimilis ulla alia, in Scotia fuerit edita.
‘ Colvillis autem, et ceteris hoc genus perduellibus, ſuis et glorioſiſſimae memo-
‘ riae matris ſuae manifeſtis hoſtibus, fidem in iſtis rebus haberi, et quidem a te,
‘ tantae gravitatis et φιλαληθείας viro, id vero ſer. rex indigniſſimo fert animo, et
‘ inſignitam in eo ſibi fieri injuriam interpretatur. Morraei ingenium et mores non
‘ aeſtimat rex ex incertis rumoribus, aut frivolis conjecturis; ſed ex rebus geſtis,
‘ quarum veritas ſibi uni melius ſit comperta, quam cuiquam mortalium. Acta
‘ publica ſe cum cura inſpexiſſe, ſingula diligenter expendiſſe, nihil denique prae-
‘ termiſiſſe, quo certius ad veri ſaepe in abdito latitantis cubile perveniret. Poſtre-
‘ mo juſſit me regia majeſtas, quae a ſe audiſſem, tibi exponere; atque illud etiam
‘ addere, ſi a conventione priore ipſe reſilires, neque petitionis ſuae longe acquiſ-
‘ ſimae rationem habere velles, daturum ſe operam, ut veram ipſe hiſtoriam publi-
‘ cet, eademque opera et glorioſiſſimae principis matris ſuae honori conſulat, et
‘ de facta ſibi abs te injuria publico ſcripto tecum expoſtulet: quod tamen rex
‘ nunquam facturus, niſi admodum invitus et coactus, pro ea benevolentia qua te
‘ proſequitur, et honore quem tuis excellentiſſimis virtutibus habet; cujus ſui af-
‘ fectus tot teſtes habet, quot ſunt, qui de te ipſum audiverunt hactenus loquentem.
‘ Hanc ego optimi regis orationem excipiens, non dubitavi affirmare etiam atque
‘ etiam majeſtati ipſius, Anglum illum, cujus literas manibus tenebat, non eſſe
‘ ejus apud me fidei, ut plus illi tribuerem, quam perſpectae mihi et penitus ex-
‘ ploratae prudentiae tuae: fieri poſſe, ut parum ipſe tuam mentem cepiſſet, aut
‘ durius, quam par eſſet, tua verba eſſet interpretatus: fortaſſe etiam dictum illi
‘ aliquod excidiſſe, cujus gratia factum eſſet, ut tu ipſum minus familiari vultu ac-
‘ ciperes: hinc illas τραγῳδίας. Petii ad extremum a regis majeſtate, ut priuſ-
‘ quam priorem ſuam erga te benevolentiam immutaret, pateretur ut, poſtquam
‘ haec ipſe tibi ſignificaſſem, veritatem rei geſtae, et ſermones inter te et illum
‘ Anglum habitos, nobis exponeres: confidere me, atque adeo πεποιθότως ma-
‘ jeſtati ipſius ſpondere, in omnibus tuam illuſtrem dignitatem eſſe illi ſatisfactu-
‘ ram: nam de mora quidem propter exemplaria reliqua leve eſſe, quod objice-
‘ retur; tibi in editione hiſtoriarum tuarum nihil metu nihil ſeri, ad typographum

‘ ut

‘ ut lucrum ſic et damnum pertinere; non poſſe autem jure cogi typographum, ut ‘ ſuo ipſe ſibi jumento malum quaerat. Non negavit rex aequam eſſe et honeſtam ‘ orationem meam, ac ſtatim in ea reſponſione acquievit. De ceteris, tuam re- ‘ ſponſionem rex avide expectat; quam ut perſuadeo mihi fore aequam et juſtam, ‘ ſic aequiſſimo juſtiſſimoque principi non dubito fore acceptam.’

Huic epiſtolae Thuanus reſponſum dedit, Pariſ. xv Mart. MDCXII, ex mſ. *J'ay reçeu celle, que m'avez eſcrit du 26 du paſſé. L'Anglois mentionne en la voſtre n'a pas fait entendre de bonne foy, ſoit faute d'intelligence, ou autrement, au ſeigneur Cotton, ce que je luy ay dit. Car s'il l'euſt fait, le Ser. Roy de la Grande Bretagne n'euſt eu ſubject de vous dire ce, qu'il vous a chargé de m'eſcrire. Car cet Anglois m'eſtant venu trouver, aprez pluſieurs propos, que nous euſmes enſemble fort familierement, la concluſion fuſt, car je ne me ſouviens bonnement du ſurplus, que pour le deſir extreſme que j'avois de faire que S. M. fuſt contente de moy, je le priois de faire entendre au ſeigneur Cotton, que l'on m'euſt fait un ſingulier plaiſir de me preſcrire nommement ce, que l'on vouloit eſtre oſté, changé, & adjouſté ſur ce ſubject en mon hiſtoire: non que j'aye deſiré ou exigé, comme vous m'eſcrivez, qu'il a fait entendre, que de cela me fuſt eſcrit ni commandé par S. M. à quoy je n'ay jamais penſé; ains ſeulement j'ay deſiré parmi les occupations que j'ay, qui ne me permettent de vacquer maintenant à ceſte eſtude, comme autresfois, que je faſſe en cela ſoulage & inſtruit de façon, que je ne peuſſe tomber derechef en l'inconvenient où je me voi maintenant precipité contre ma volonté. Car vous m'eſtes teſmoin, comme j'ay touſjours dés le commencement craint, qu'en ce paſſage je ne peuſſe ſatisfaire à mon deſir au contentement de S. M. & n'y a choſe, qui m'ait tant travaillé l'eſprit en toute mon hiſtoire, que ce ſeul poinct. Quand à ce que vous m'eſcrivez touchant l'edition future, cela a eſté auſſi peu fidellement rapporté que le reſte. Car comme il me demanda, ſi je faiſois reimprimer mon hiſtoire; je lui reſpondis, que le libraire, à qui j'avois baillé le privilege, à mon jugement ne ſe laiſſeroit perſuader de la reimprimer ſitoſt; & qu'il y auroit aſſez de loiſir entre cy & là de faire la correction & mutation que l'on deſiroit. Quand à ce, que je lui dis de Colville, ce n'eſtoit en intention, qu'il le fiſt entendre par delà; & ne fuſt autre choſe, que deſireux de ſçavoir d'un homme, qui ne devoit vrayſemblablement favoriſer la memoire du comte de Morray, à cauſe de la haine de la religion, s'il eſtoit ſoubçonné en Eſcoſſe d'avoir participé au parricide, je le priay de me dire ce qu'il en ſçavoit, & je crois que deſlors je vous le dis. Cela ne meritoit d'eſtre reſcrit à S. M. Enfin, je ſuis en la meſme volonté, que j'ay touſjours eſté, de faire tout ce que je pourray pour le contentement de S. M. & pour le mieux faire j'ai deſiré non ſeulement d'être fourni de memoires par le dit ſeigneur Cotton; mais auſſi afin de n'y retourner à deux fois, que l'on me preſcrivit particulierement & fort diſtinctement, comme l'on vouloit que le tout fuſt eſcrit. Car il y a grand intereſt, comme vous ſçavez, en quels termes, en quel ordre, & avec quel jugement on eſcrit. Il m'eſt beſoin en cela d'eſtre conduict & aidé. C'eſt ce que j'ay dit & redit à l'Anglois, lequel ne l'a ou bien entendu, ou fidellement rapporté. Cela me fait vous prier de remonſtrer au Ser. Roy de la Grande Bretagne, que quand S. M. me voudra faire entendre quelque choſe de ſa part, ou qu'elle voudra ſçavoir quelque choſe de moy, qu'elle ſe ſerve de vous; & adjouſte pluſtoſt foy à ce qui luy ſera dit par vous, qu'à tout autre rapport qui luy pourra eſtre faict. Voila ce que je vous peus reſpondre ſur ce ſubject, bien faſché que ma bonne volonté ait eſté ſi mal interpretée & reçeue par S. M. que ſur tous les princes de Chreſtienté j'honore & affectionne comme je dois, luy ayant voué tout le ſervice, qu'il peut attendre d'un homme de bien.*

Thuanus Caſaubono, dat. Pariſ. VIII Maii MDCXII, ex mſ. *J'ay reçeu la voſtre du XIX du paſſé. —J'attendois ſur la lettre, que je vous ay eſcrite, quelque reſponſe de S. M. qui adoucit les rigoureuſes paroles que m'aviez fait entendre de ſa part. Elle devoit eſtre mieux informée de la verité, devant que s'aigrir de telle façon contre un homme de bien & plein de candeur par ſon teſmoignage meſme.*

Thuanus Caſaubono, dat. Pariſ. XXVII Maii MDCXII, ex mſ. *J'ay à reſpondre à deux de vos lettres du III & du XV de ce mois, par leſquelles je connois & avec*

avec indicible contentement, que le Roy de la Grande Bretagne a eſté mieux informé par vous de mon intention droite & affection tres humble à ſon ſervice, prenant de bonne part mes raiſons, qu'il n'avoit eſté par l'Anglois, mauvais interprete de mes paroles. Dont je vous remercie de toute affection, & vous ſupplie me conſerver touſjours en ſes bonnes graces, & faire que le reſte de la ſereniſſime Reine Eliſabeth me ſoit envoye: car ce, que j'en ay, ne vient que juſques à l'an LXXXII *du ſiecle paſſe.*

CASAUBONUS Thuano, dat. Lond. ipſis kal. Jul. MDCXII, inter epiſt. edit. ‘ Scripſi aliquoties ad te Cottonum ab urbe abeſſe, in contexenda hiſtoria occu- ‘ patum. Nuper quum mihi ſereniſſimus rex indicaſſet ipſum eſſe in urbe, memor ‘ tuorum mandatorum, ſtatim adii. Reſpondit ſe totum in eo eſſe, ut coeptam ‘ hiſtoriam abſolvat; quam ipſe Anglico ſermone componit, Camdenus Latinam ‘ facit [1].’

Ex ultima hac epiſtola manifeſtum eſt rem novam Thuano ſe nuntiare Caſaubonum exiſtimaſſe, cum menſe Julio anno MDCXII, hoc eſt, ſedecim menſes poſtquam ipſe a rege audiviſſet Cottonum ab eo in hiſtoria contexenda occupari, Camdenum quoque in eodem opere verſari ei indicaret. Et Caſaubonum quidem recte cogitaſſe, atque hoc revera Thuano prius inauditum fuiſſe, temporum pariter rerumque ordinem ſequens, ex iis, quae Camdenus ipſe de hac re ſcripſit, oſtendam. In poſtrema Thuani ad Camdenum epiſtola ſuperius allata, ipſis eid. Apr. anno MDCVIII ſcripta, novam hiſtoriarum ſuarum editionem, quae tunc ſub prelo erat, octogeſimo libro ſe abſolvere ſtatuiſſe, reliquis ad tempora meliora ſervatis, certiorem fecit. Ex eo autem tempore ad menſem Auguſtum anno MDCXII, ut nihil literarum ab alterutro ad alterum miſſum invenitur; ita ſequentis Camdeni epiſtolae initium commercium eorum epiſtolare per totum hoc ſpatium reapſe interruptum fuiſſe ſatis perſpicue indicat.

CAMDENUS Thuano, dat. Weſtmonaſt. x Aug. anno MDCXII, ex mſ. ‘ Laetiſſimus intellexi ex tuis ad communem noſtrum amicum D. Georgium Ca- ‘ rew literis, te poſteros et tui monumentum adhuc cogitare, id eſt, in ſuſcepto ‘ hiſtoriarum opere progredi, et functum illum Henrico veſtro maximo diem ſibi ‘ terminum conſtituiſſe. Acceperam enim jampridem a nonnullis, te ad ſumma in ‘ repub. munia evocatum, et hominum iniquitate, qui veritatem ferre non poſſunt, ‘ magis quam Rom. pontificis cenſura deterritum, omne ſcribendi conſilium om- ‘ nino abjeciſſe. Hinc certe diuturno ſilentio ego indulſi. Cum autem illis in li- ‘ teris innueris, multos te ad opus abſolvendum excitare, paucos opem conferre et ‘ errata docere; ignoſcas, ſi pro perpetuo meo in tuam ἀλήθειαν et in te ſtudio ‘ ego comiter in re tantilla, ſc. chorographica, oſtendam viam rectam, a qua ducto- ‘ ris tui et typographi incuria in libro LXX, pag. 374, te abduxit. [*Tunc plures ‘ emendationes proponit, quae ſuo loco dabuntur* [2].] Alia alibi erant, ſed a ty- ‘ pographis in propriis nominibus. Verum ea emendentur ex commentariis ‘ D. Cottoni, quos tibi ab anno, quo primus tuarum hiſtoriarum tomus primum ‘ prodierit, deſtinatos, ad tuas manus bono fato perveniſſe jam primus audio, et ex ‘ animo tacitus gaudeo. Antea enim tantum excerpta ex illis de rebus Scoticis ‘ regis juſſu ad te tranſmiſſa audivi. Illos (nec me compoſita fabulari exiſtimes) ‘ anno MDXCVI, auctore et ſuaſore Cecilio Burghleio, Angliae quaeſtore, inchoavi, ‘ qui ſua tabularia mihi aperuit; in quibus, etſi per annos diſpoſita, hiſtorica cum ‘ fiſcalibus et id genus aliis erant confuſiſſima. Multa tamen mihi inde adnotavi; ‘ mea ipſius ſcrinia excuſſi, qui, ut antiquitatis ſtudioſus, ita recentium non incurio- ‘ ſus, multa obſervavi, vidi, audivi praeſens, omnia edicta hinc inde collegi, parla- ‘ mentaria ſcita percurri; multa a viris qui rebus gerendis praefuerunt et interfue- ‘ runt accepi, ſed longe plurima e Roberti Cottoni bibliotheca, qui rei antiquariae ‘ et hiſtoricae ſupellectilem copioſiſſimam et lautiſſimam, ipſiſſima ſane principum ‘ legatorum autographa, documenta, conſultationes, et id genus cetera, magno ‘ pretio et felici induſtria ſibi comparavit. Ex his annales rerum Anglicarum et ‘ Hibernicarum, regnante Elizabetha, concinnare coepi; quos in Germania, nomine ‘ ſuppreſſo,

[1] Undecim epiſtolae inter Thuanum et Caſaubonum, hic proxime citatae, integrae legantur Tom. VII. c. V. p. 12 et ſeqq. hujus edit.

[2] Vid. Tom. VII. cap. V. p. 25. hujus edit.

Digitized by Google

‘ ſuppreſſo, imprimere, tibique inſcribere deſtinavi, ut tu inde, quae viſum, de-
‘ cerperes. Ecce autem cum vix prima lineamenta duxerim, needum ad finem per-
‘ venerim, comes Northamptonius mihi obvius rogavit, ut protinus Roberto Cot-
‘ tono impertirem, qui regi communicaret, regem enim percupere ut legeret.
‘ Dicto obtemperavi, et omnia, quae deſcripta habui, ne relecta quidem, ne-
‘ dum recognita, Cottono tradidi, et ſui juris arbitriique feci; et ſuo quidem
‘ merito, qui materiem, praecipue vero Scoticam, tam abunde convexit. Nec
‘ ego ſane laudi veliſico, qui, cum apud noſtros inertiae crimen effugerim, jam ſexa-
‘ genarius Deo vacare, et priore vita, ut inquit ille, frui, apud me ſtatui. Uſu enim
‘ haec tempora et hos mores calleo, at tu melius; meminique, quod veſter Arver-
‘ nus olim ſcripſit, et tu forte expertus, *Scriptionis hiſtoricae inchoatio invidia,*
‘ *continuatio labor, finis odium.* Ceterum utinam ad tuas manus limati perve-
‘ niſſent; in exemplari, quod nuper vidi, plurima obſervavi manca, mutila, hiulca,
‘ et verbula quaedam librarii audacia immutata. Quid de illis fiet, tu a rege edoctus
‘ optime noſti; totos ſcio in tuum opus non transferes, et multa credo omittes,
‘ quae noſtros ſcire juvet, et fortaſſe interſit. Quocunque ſidere nati ſunt, apprecor,
‘ quod abortivis et projectitiis ſolent parentes, ut ſint vitales. Sed haec tibi ſoli,
‘ et Sigalioni.’ Hanc epiſtolam dedi, ut a Camdeni autographo in Gallia conſer-
vato deſcripta fuit. Inter plurium autem Camdeni epiſtolarum prima lineamenta,
manu ipſius ſcripta, quorum uſum Joannes Anſtiſius armiger, garterius armorum rex,
pro magna ſua humanitate mihi conceſſit, hujus etiam ad Thuanum inveni, duabus
vocibus haud parvi ad rem noſtram momenti auctae, quae in Camdeni ipſius exem-
plari ad Thuanum poſtea miſſo deſiderantur. Hic enim, ut vidimus, generatim
tantum dicitur, *comes Northamptonius mihi obvius rogavit;* illic vero, *comes
Northamptonius mihi ante annum obvius rogavit;* ubi voces *ante annum* tem-
pus, quo regis voluntatem Northamptoniae comes Camdeno ſignificavit, ad in-
euntem ſaltem Auguſtum anno MDCXI revocare videntur. Nam eodem loquendi
modo praefationem prioris tomi annalium, anno MDCXV publicati, incipiens Cam-
denus, *Ante annos*, inquit, *octodecim Guilielmus Cecilius baro Burghleius, etc. pri-
mordia regni Elizabethae ſtilo hiſtorico contexere juſſit:* hoc eſt ante annum MDXCVII,
quem in hac ipſa epiſtola MDXCVI fuiſſe declarat. Veruntamen quod Camdenus de
conſilio ſuo Annales in Germania, ſuppreſſo nomine, imprimendi, et Thuano in-
ſcribendi, hic memorat, legi a te non potuiſſe, quin eodem tempore cum juſſu regio
non impeditum fuiſſe exoptaveris, perſuaſum habeo; quod et Thuanum ipſum
male habuiſſe ex inſequenti ejus reſponſo percipies.

THUANUS Camdeno, dat. Villabonio [*Thuani ſuburbano*] feriis Paſchal. anno
MDCXIII, inter epiſt. edit. ‘ Quod ſerius ad tuas reſpondeam, noli ſuccenſere.
‘ D. Caſaubonum, ut me apud te excuſaret, ſemel atque iterum per literas roga-
‘ vi, occaſionem ſcilicet opperiens, qua tibi per otium pro literis amantiſſimis et
‘ ſtudio erga me tuo gratias agerem. —— Alacritatem illam priſtinam in perſequenda
‘ hiſtoria noſtra, de qua laetari te dicis, multa, quae ab eo tempore inciderunt,
‘ valde imminuerunt; ſparſi de me a me meoque ingenio alieni apud vos rumo-
‘ res, et agitata ſuper ea re conſilia, quae benevolum antea optimi principis veſtri
‘ erga me animum non parum labefactarunt; tum quod ipſe extremis tuis addis.
‘ His acceſſit nunquam non mihi deplorandus viri ampliſſimi, Georgii Carew, im-
‘ maturus obitus, cujus in amicitia, cum magnum ornamentum, et ad ea quae pa-
‘ rabam non parvum ſubſidium, tum ad removendas calumnias ſummum mihi in
‘ aula veſtra praeſidium repoſitum putabam. —— Ad commentarios D. Cottoni
‘ quod attinet, ſcito duabus vicibus eos ad me juſſu sereniſſimi regis miſſos, qui res
‘ veſtras pertexunt uſque ad annum praeteriti ſaeculi LXXXII: nam reliqua uſque
‘ ad exceſſum μακαρίτιδος παμβασιλίσσης, quorum is, qui mihi ultimam partem at-
‘ tulit, ſpem certam fecerat, quodque unice cupiebam, ad me miſſa non ſunt.
‘ In iis te praecipuam partem vindicare tunc neſciebam, et habeo gratias pro tam
‘ honorifica in ea re in me voluntate, quae utinam ſuum ſortita eſſet effectum, ne-
‘ que ex occaſione, quam ſcribis, mutaſſet. Interim iis uſus ſum, et pleraque in
‘ jam editis ex illis ſupplevi, multa correxi, et ad annos ſuos revocavi; ſicuti ex
‘ proxima editione apparebit; in iis, quae ſuperſunt, idem facturus, ſi a D. Cot-

'tono commendatione tua impetrare poſſum, ut eodem candore, quo ſuperiora, 'mecum illa communicare non gravetur. Auget deſiderium, quod nunc ſciam 'ea a te profecta eſſe, hoc eſt, fide certa et accurata diligentia ſcripta, ut ut male 'a librario deſcriptas quod te obſervaſſe dicis, et ego itidem notavi, ſed ita, ut 'non auctori, quem tunc ignorabam, aut alium putabam, id imputandum exiſti-'marem.'

Camdenus Thuano, dat. Weſtmonaſt. xvii Jul. anno mdcxiii, ex mſ. 'Commodum interveni, cum honoratiſſimus baro Carew [*cui praenomen fuit Georgius; alius tamen ab illo fuit, qui infra in hac epiſtola, et in duabus proxime praecedentibus memoratur, vixitque ad annum* mdcxxix [1]] literas daturus eſſet ad 'Sammarthanos fratres. Ille, qua eſt comitate, rogavit, numquid literatum et 'ego in Gallias darem. Opportunitatem praeter ſpem oblatam avide arripui, ut, 'tumultuante licet calamo, te quam officioſiſſime ſalutarem, de poſtremis tuis literis 'et egregia tua erga me voluntate gratias agerem, et παῤῥησίαν cum ἀληθείᾳ tuam, 'mediis tranquillam in undis, tibi gratularer. De abalienato optimi regis animo, 'et conſiliis habitis, tunc primum quidem, et moeſtus, audivi. Scoto-gallum tamen, 'unumque et alterum Scotum, qui Buchanano infenſiores erant, in te etiam ini-'quiores perſenſi. Et nuperrime cum apud Cottonum egerim de tranſmittendis in-'choatis illis ad te annalibus, plane reſpondit, hoc regi non viſum eſſe. Wottonum 'ea P. Pauli ad te non mittere miror. Illum idem argumentum moliri haud facile 'credo, qui totus aulicatur, et honoribus velificatur. Polonica et Suecica Georgii 'Carew te accepiſſe ſpero: ſcio illum deſcribenda ſepoſuiſſe, ut ad te mitteret.'

Thuanum ſequor, et commercium ejus epiſtolare cum Caſaubono iterum reſumo. Thuanus Caſaubono, dat. Pariſ. xxiv Febr. anno mdcxiv, ex mſ. *Pour M. Cotton, j'ay prie M. l'Ambaſſadeur, qui eſt maintenant par delà, d'impetrer du Roy de la Grande Bretagne, qu'il m'envoye le ſurplus de ſes memoires, de quoy je vous ſupplie le vouloir ſolliciter, & en parler avec M. l'Ambaſſadeur, j'entends M. Edmond. Ce mal aviſe, que vous ſçavez, qui eſcrit ſi imprudemment par delà, eſt cauſe de ce mal entendu. Je penſois que ce que je vous avois eſcrit depuis, & que M. de Bouillon en avoit dit au roy, euſt efface ces mauvaiſes impreſſions. Mais à ce que je voy cela dure encore, & vous ſupplie partant de prendre occaſion d'en reparler à* s. m. *Je vous peus aſſeurer, que j'ay fait fort mon profit de ce qui m'a eſté ja envoyé, & j'ai inſere chacune piece en ſon lieu, comme il ſe verra par la premiere edition, laquelle, ſi elle a eſte retardee juſques icy, le retardement venant de la pareſſe & avarice des libraires ne me doit attirer l'indignation d'un ſi grand Prince, que j'honore, & à la gloire duquel & grandeur je favoriſe de tout mon cœur. Faites donc, s'il eſt poſſible, que ce reſte me ſoit envoyé, & vous ſervez de M. Camden en cette pourſuitte, auquel je baiſe les mains, n'ayant reçeu la lettre qu'il m'a eſcrite de Juillet dernier, que depuis trois ou quatre jours. Je baiſe auſſy les mains a M. Cotton, & le ſupplie de m'obliger de cette grace. J'ay envoye a M. Camden le* x *tome de nos hiſtoires* forma duodecima. *J'attends de luy ſa diligence accouſtumee* in Britannicis, *vous l'en ferez ſouvenir* [2]. Num Caſaubonus reſponſi aliquid hiſce literis ſcripſerit, necne, haud ſcio, qui kalend. Jul. hoc anno diem ſupremum obiit.

Ex epiſtolis ſupra allatis manifeſte apparet, ea, quae nuntius iſte, qui hiſtoriae Cottonianae partem Thuano tradiderat, de ſermone cum illo ſuper ea te habito retulit, regis Jacobi animum valde offendiſſe; malamque opinionem, quam de Thuano hinc concepit, nullis poſtea rationibus penitus removeri potuiſſe. Huic offenſioni, novaeque totius Thuani hiſtoriae editionis morae, quam conſulto differri rex forſan ſuſpicaretur, ſubitum ejus conſilium tribui poſſe exiſtimo, cum xxv Februar. anno mdcxv Cottono et Camdeno mandatum dedit, " Ut ea pars An-" gliae hiſtoriae (*mandati verba Latine recito*) Latino ſermone ſcripta, quam ipſe " perlegerat, hoc eſt, ab anno Domini noſtri mdlviii uſque ad finem anni " mdlxxxviii, ſtatim imprimi et publicari curarent [3]." Hanc partem, qua hiſtoria paulo

[1] De utroque videatur Anton. a Wood, Athen. Oxon. Tom. I. p. 529. edit. sec.

[2] Quatuor epiſtolas Camdeni et Thuani, hic citatas, integras dedimus Tom. VII. c. v. p. 28. et ſeqq. hujus edit.

[3] Vid. Praef. Hearn. Camd. Annal. praefix. p. vi.

Digitized by Google

paulo ultra matris ſuae obitum contexta eſt, ſuo propoſito ſatis reſpondere rex ju-
dicare potuit. Inter Camdeni autem epiſtolas manu ſua ſcriptas, quarum paulo ſu-
pra mentionem feci, tres ſunt, quae hanc rem tractant. Una ex his epiſtolis ne-
que diem, neque nomen hominis, ad quem ſcripta fuit, expreſſum habet; menſe
tamen Junio anno MDCXV ad Thomam Edmondum equeſtris dignitatis virum, eo
tempore in Gallia legatum, miſſam fuiſſe minime dubitandum eſt. In hujus enim
comitatu tunc erat Bellocaeus, ut Smithus eum appellat, qui in hac epiſtola, quae
Anglico ſermone exarata eſt, vocatur *Bellieu*, a quo inter Camdeni epiſtolas,
quas Smithus edidit, una Anglice etiam ſcripta (ubi auctor ſe *Beaulieu* nuncupat)
ad Camdenum ipſum, data x Julii MDCXV s. v. occurrit [1], in qua nonnulla ſunt,
quae ad hanc Camdeni epiſtolam, de qua nunc loquor, plane reſpiciunt. Cam-
deni autem epiſtola ita Latinis literis ſonat:

" Vir Honoratiſſime,

" CUM rex noſter ſereniſſimus, ineunte Martio, Cantabrigiam profecturus
" erat, tantum Annalium meorum, quantum ipſe evolverat, excudi *praeter ex-*
" *pectationem meam* mandavit: quo conſilio, niſi ex Gallia, ego plane neſcio; tu
" forſan ſcias. Debita autem mea erga te obſervantia, tuaque in me benevola
" animi affectio, exemplar tibi mittere coegerunt. Quod reſtat, oro ut Bello-
" caeus reliqua exemplaria eis, quibus ſunt inſcripta, per otium tradenda curet."
Voces *praeter expectationem meam* ſupra lineam adſcriptae apparent, ſtylo autem
tranſverſo inductae.

ALTERA epiſtola data eſt VIII Junii MDCXV, omiſſo nomine, cui ſit inſcripta;
Thuanum tamen fuiſſe ex ſententiis quibuſdam conjicio, cujus reſponſio ad exem-
plar triduo poſtea hinc deſcriptum, et ad ſe miſſum, inter Camdeni epiſtolas a
Smitho editas conſervata eſt [2]. Ea autem pars Camdeni epiſtolae, quae ad rem,
de qua agimus, ſpectat, his verbis concipitur: ' Habe a me Annales rerum noſtra-
' rum, regnante Elizabetha, ad annum MDLXXXIX, jam a prelo inerudito recentes,
' quos rex noſter ſereniſſ. ineunte Martio, juſſit quamprimum excudi; cujus con-
' ſilio, niſi fortean tuo, vel a te, plane neſcio. Hoc certum praevideo, eandem
' odii ſegetem, et infelix lolium, ex veritatis ſtudio, quae tibi luxuriant, jam mihi
' ſuccreſcere, et ex earundem quidem veſparum fimo. Sed feramus: bona con-
' ſcientia ſemper tuta, ſemper ſecura. Quidquid erit, contumeliarum tela patientiae
' clypeo excipiamus.' Voces *praeter expectationem* ſupra epiſtolam ſcriptae ſunt,
ſine ullo loci indicio, cui inſeri debeant. Cum nuper autem Camdeni ipſius
exemplar emendatum, quod Thuano miſerat, ad manus meas devenerit, tantum ex eo
decerpam, unde appareat, quem locum vocibus iſtis auctor adſignaſſet. Data eſt,
ut dixi, XI Junii MDCXI, atque hoc modo incipit: ' Habe a me Annales rerum
' noſtrarum, regnante Elizabetha, ad annum MDLXXXIX, jam a prelo recentes,
' quos rex noſter ſereniſſ. praeter expectationem non ita pridem juſſit excudi, ſpem-
' que fecit quod ceteri ſequentur.'

TERTIA Camdeni epiſtola ad Janum Gruterum VI Aug. MDCXV exarata eſt:
quae ad rem noſtram faciunt, hic exſcripſi. ' Quod ſuperioribus nundinis verna-
' libus ad te non ſcripſerim, in cauſa fuit praecipitata editio partis Annalium meo-
' rum, rege jubente. Hoc enim praeter expectationem ille imperavit, cui paren-
' dum; cum ſola obſequii gloria ſubditis ſit relicta. Ex veritatis ſtudio infelix
' odii lolium mihi, ut aliis id genus ſcriptoribus, in hoc religionis et animorum
' diſſidio ſuccreſcere proſpicio: ſed haec miſſa facio, qui bonae conſcientiae plus
' quam famae attendo. Exemplar ex inerudito prelo mea manu caſtigatum ad te
' deſtinavi [3].

CAMDENI igitur Annalium tomo priore ea, qua vidimus, ratione edito, quae
in praefatione ſua de Thuano ſcripſit, attentionem noſtram merentur. ' In his,
' *inquit*, [Annalibus] concinnandis, limandis, et perpoliendis, omne ſubciſivae in-
' duſtriae curriculum conficere, atque ſupremis tabulis ampliſſimo viro, Jacobo
' Auguſto Thuano, qui hiſtoriam ſui temporis ſumma fidei et modeſtiae laude
' inchoavit,

[1] Pag. 154.
[2] Pag. 153.

[3] Has tres epiſtolas in VII Tom. noſtr. c. v. p. 36. et 37. integra edidimus.

‘ inchoavit, legare deſtinavi. Ne, quod exteri ſolent, ille mihi cum primis cita-
‘ tus in rebus noſtris, tanquam hoſpes in republica aliena, peregrinaretur. Ecce
‘ autem, hoc conſilium, neſcio quo fato, mihi praereptum, et magna pars eorum
‘ ante aliquot annos ad eum tranſmiſſa, dum adhuc primis lineamentis adum-
‘ brati et vix inchoati jacerent, lituris et lacunis deformati, ſegmentis hinc
‘ inde aſſutis, mendis, ut tumultuante calamo exciderunt, ſcatentes, et a librario
‘ peſſime accepti. Ex his ille tomo ſuae hiſtoriae undecimo, et duodecimo, pau-
‘ cula demendo, mutando, addendo, ſed recto ſane cum judicio, interpolata in-
‘ texuit. Cum autem ille pro ſuſcepti operis ratione (univerſalem enim ſui tem-
‘ poris hiſtoriam aggreſſus) pauca Anglica et Hibernica decerpſerit, plurima, quae
‘ noſtros cognoſcere juvet, et forſan interſit, praetermiſerit; et ego rerum noſtra-
‘ rum notitiam ab exteris non ſine convitio efflagitari audiverim; humeros oneri
‘ aliquandiu ſubductos iterum appoſui, totos relegi, recognovi, plurima addidi,
‘ et aliquem orationis cultum adhibui, ſed ſine conquiſitis verborum lenociniis.’

Quod dicitur hic, Thuanum nonnulla ex Camdeni ſcriptis *tomo hiſtoriae ſuae undecimo et duodecimo intexuiſſe*; id *imeruditi preli* errore irrepſiſſe, non potui non ſuſpicari. Cum ex vita igitur Camdeni a Smitho concinnata didiciſſem omnes Camdeni libros typis impreſſos primum in Cottoniana, deinde vero in cathedralis eccleſiae Weſtmonaſterienſis bibliotheca depoſitos fuiſſe [1]; Annalium exemplar Camdeni ipſius manu caſtigatum, ei haud diſſimile, quod olim Grutero miſerat, illic inveniendi ſpem aliquam fovebam. Quapropter ad virum reverendum Edvardum Willeſium S. T. P. eccleſiae Weſtmonaſterienſis praebendarium, me contuli; qui pro ſingulari ſua humanitate primum inter libros a Camdeno donatos diligenter perſcrutatus eſt, ubi nihil omnino ab illo ſcriptum invenire potuit: tum eam bibliothecae partem, quae ex libris ante Camdeni donationem conſtat, excutiens Annalium editionem, de qua jam dixi, at ſine ullis caſtigationibus, reperit: ſcholae denique Weſtmonaſterienſis bibliothecam, quam ſcholam tanta laude ac utilitate publica multos annos ipſe rexerat Camdenus, perluſtravit, ſed fruſtra; nihil enim Camdeni praeter Annalium editionem, Lugduni Batavorum poſt auctoris mortem in octavo cum eadem per omnia praefatione excuſam, in ea offendit. Hac ſpe igitur dejectus virum eruditum, et in his rebus verſatiſſimum, Davidem Caſleium, regiae et Cottonianae bibliothecarum ſubcuratorem, adii; qui exemplar editionis anno MDCXV impreſſae, ſine ullis tamen emendationibus, mihi oſtendit. Nec in noviſſima ſane Annalium editione, anno MDCCXVII tribus voluminibus in octavo, *e codice propria auctoris manu correcto*, ut titulus prae ſe fert, curante Tho. Hearnio, excuſa, hunc praefationis locum aliter ſe habere inveni. Tanta diligentia in hanc rem perquirendo uſus ſum, quod factis potius, quam rationibus, quae hic non deſunt, errorem arguere maluiſſem. Nulla enim Thuani editio tomis duodecim unquam prodiit. Drouartiana autem in duodecimo undecim tomis comprehenſa eſt; quorum decimum et undecimum anno MDCXIV publicatos, libroſque ex octoginta quindecim ultimos continentes, cum iiſdem quindecim libris Drouartianae in folio editionis anno MDCIX evulgatis conferens, *Anglica* et *Hibernica* quaedam, uti ſcribit Camdenus, quibus et *Scotica* adjicere potuiſſet, duobus iſtis tomis in duodecimo intexta, quae volumen in folio non habet, obſervavi. Camdenum igitur pro *tomo undecimo et duodecimo* Thuani hiſtoriae *decimo et undecimo in duodecimo* ſcribere voluiſſe, utcunque id erroris in praefationem irrepſerit, ipſa rei veritas plane evincit. His diutius immoratus ſum, ut, a quo libro Thuanus hiſtoriam ſuam inter varias editiones hactenus memoratas, ex iis, quae regis Jacobi mandato ipſi miſſa eſſent, primum locupletare inceperit, facilius intelligi poſſet. Cum Thuanus autem ea, quae ad propoſitum ſuum in Camdeni ſcriptis inveniſſet, *demendo, mutando, addendo*, licet *recto cum judicio*, ut fatetur Camdenus, in ſua tranſtulerit; idque poſtquam a Caſaubono *regem ipſum legiſſe, expendiſſe, correxiſſe*, atque *omnia eſſe vera confirmaſſe* edoctus eſſet: regem, qui in ſcriptorum numero cenſeri infra dignitatem non duxit, Thuano ea de cauſa infenſum fuiſſe, quod hiſtoriis a ſe acceptis judicium tam libere interponeret, veriſimile videtur. Nonne igitur aliam rationem hinc

[1] Pag. 66.

hinc arceſſere liceat, cur princeps ille Camdeno in mandatis dedit, ut eam partem Annalium, quam ipſe perlegiſſet, atque ſententia ſua comprobare ſignificaſſet, publici juris ſtatim faceret?

[Poſtquam hanc epiſtolam ad te ſcripſeram, epiſtolae quaedam Camdeni ad Thuanum hactenus ineditae exterorum benevolentia mihi ſunt allatae, quibus in noſtra editione locus dabitur; ſed quia una earum nonnulla habeat ab hoc argumento non aliena, et quae explicationem requirant, ea hic inſerere non pigebit. Epiſtola data eſt Londini XXII Apr. MDCXIV. ‘Quem miſiſti librum, vir ampliſſime, accepi; et, niſi me fallo, non quem deſtinaſti. Accepi enim partis quartae tomum IX, te autem partis quartae tomum X, hoc anno impreſſum, deſtinaſſe credo. Sed hoc tantillum abeat, quod ejus errore accidit, qui librum in faſciculum conjecit. Ego, qui omnia, quae a te veniunt, avide arripio, exemplar jam antea mihi comparaveram. Percurri, quae ex inchoatis Angliae Annalibus intexuiſti. Video diligentiam, judicium; fidem laudo: labores illos non totos periiſſe gaudeo. An in prioribus hujus minoris editionis idem praeſtiteris, neſcio[1]’. His verbis Camdenus *tomum nonum* Drouartianae editionis in duodecimo a Thuano ſe recepiſſe ſignificat, quem *decimi* loco per errorem miſſum fuiſſe conjicit, licet hunc quoque prius ſibi comparaſſet. Quod ſequitur autem, *Percurri, quae ex inchoatis Angliae Annalibus intexuiſti*, ne quis forſan de nono pariter ac decimo tomo intelligendum eſſe exiſtimet; ipſam rei veritatem hunc verborum ſenſum non pati, operae pretium ſit admonere. Etenim nonum iſtum tomum in duodecimo, qui anno MDCIX luce donatus fuit, cum Drouartii volumine in folio ejuſdem anni diligenter conferens, nihil omnino de rebus Anglicis, Hibernicis, vel Scoticis in priori diverſum ab illis, quae in poſteriori de iiſdem rebus ſunt tradita, invenire potui. Verba igitur haec Camdeni de tomo decimo tantum intelligi oportet, quem anno demum MDCXIV, ut ipſe etiam hic indicat, prodiiſſe, et non pauca de rebus iſtis intexta continere, quae volumini in folio deſunt, paulo ſupra obſervavi.]

DUO tantum reſtant, quae cum paucis expedivero, hoc argumentum dimittam. *Notae ad narrationem rerum geſtarum anno* MDLXIV, quas in *Appendice* ad Camdeni epiſtolas adjecit Smithus, unde deſumptae in calce *Annotationum ad Buchanani Hiſtoriam*, Edinburgi anno MDCCXV excuſam, iterum prodierunt, non ſunt Camdeni; cui auctor *Annotationum* eas tribuit. Hoc autem nunquam certe feciſſet, ſi Cottoni vitam, ab eodem Smitho conſcriptam, legiſſet, ubi regem Jacobum Notas iſtas *Iſaaco Caſaubono dictaſſe* narrat[2]; utcunque in Camdeni vita, literis ejus praefixa, id ambiguum reliquerit[3]. Et manu quidem Caſauboni exaratas eſſe Caſleius pro certo mihi confirmavit. Ad Germanicam Thuani editionem Offenbachi impreſſam ſpectant, nec in noſtra editione omitteotur[4]. Porro, quod Camdeni nomen inter eos, quorum conſiliis ac ſcriptis uſus erat Thuanus, in *Epitomis*, quas ſingulis hiſtoriae libris praefixit, inveniatur, idque in primo volumine; non defuerunt, qui etiam in hac operis parte Camdeni monitis eum adjutum fuiſſe contenderint. Verum epitomae iſtae librorum volumini Stephanico, quod auctor ipſe anno demum MDCXVII paulo ante mortem prelo ſubjici curaverat, primum ſunt appoſitae; in quibus ne ſemel quidem Camdenus, *Rob.* vero *Cotoni Commentarii non editi* ad librum vigeſimum memorantur. Conjectari igitur licet, Thuanum, dum hiſtorias a rege ſibi tranſmiſſas Cottono potius, quam Camdeno, eſſe tribuendas adhuc judicaret, epitomas iſtas confeciſſe, nec errorem ſuum deinceps memoriae lapſu correxiſſe; quem tamen Genevenſis editionis curatores (de quibus mox dicam) poſt mortem ejus, *Camdeni Annales* ſubſtituendo, emendarunt. Ex eo autem, quod in quinto libro Patiſſoniani voluminis Camdenus laudetur, Thuanum ullum omnino literarum commercium tunc temporis cum illo conſtituiſſe, nequaquam ſane colligi poteſt; quippe cui tam parum notus fuiſſe videtur, ut errans in praenomine *Jo. Cambdenum* pro *Guilielmo* appellet: et praeterea de Britannia illius iſtic loquitur, cujus editiones aliquot plures annos ante primum Thuani volumen prodierant.

[1] Vid. Tom. VII c. V. p. 35.
[2] Pag. 17.
[3] Pag. 53.
[4] Vid. Tom. VII. c. V. p. 34.

Dices fortaſſe quibuſdam ex his literarum excerptis, quorum cumulo in tantam molem haec epiſtola noſtra excreverit, te carere potuiſſe. Neque ſane ignoro, quam difficile ſit res diligenter et copioſe tractanti lectoris taedium praevertere. Sed hoc, quidquid fuerit, incommodi brevem alius epiſtolae de novo argumento particulam haud minori commodo jam ſtatim compenſaturam perſuaſum habeo.

In priore ad te epiſtola Thuanum anno MDCXVI teſtamentum feciſſe obſervavi; in quo de Petro Puteano et Nicolao Rigaltio loquens, *Hiſtoriarum*, inquit, *mearum, quas ad Dei gloriam et publicam utilitatem ſine odio et gratia, Deum ipſum teſtor et homines, conſcripſi, paratam editionem, ſi ante quam ipſa edatur moriar, iiſdem committo.* Hujus dein primum volumen Roberto Stephano imprimendum tradidit, quod dum prelum adhuc exercebat, fatis conceſſit auctor. Anno autem MDCXX integra hiſtoria Genevae excuſa eſt, cum praefatione Lingelſhemii praefixa, in qua inter alia haec ſcribit: *Summa omnium expectatione ſperabamus fore, ut, quibus auctor teſtamento curam editionis operis ſui incomparabilis injunxerat, Nicolaus Rigaltius et Petrus Puteanus, viri clariſſimi, deſiderio noſtro ſatisfacerent: ſed quod auctor quodammodo praeviderat fore, ut iniquitas temporum impedimento eſſet, id ipſum in cauſa eſſe deprehendi, cur illi editionem diutius premant prudentia publico detrimentoſa. Ne igitur bono generis humani elaboratum opus diutius lateret, ego, cui Thuanus ipſe lucubrationum ſuarum, paulo antequam excederet, deſcriptum ex autographo ſuo exemplar habere permiſerat, hoc amicitiae defuncti et utilitati publicae debere me exiſtimavi, ut, dum differunt illi, et meliora tempora expectant, clauſtra effringerem, et luci darem opus.* Lingelſhemium autem cum Puteano et Rigaltio rem prius communicaſſe, veriſimile videri non uno argumento oſtendi. Nihil operae aut diligentiae deſuiſſe in *parata* hac *editione* apud Gallos perquirenda facile credes. Cum Pariſiis verſabar, illuſtrem Monnoium praecipue, ſingulari librorum cognitione celebratum, neque literarum humaniorum ſtudiis minus inſignem, cui Petri Bailii *Dictionarium Hiſtoricum* non pauca debet, inviſens, numquid lucis ad eam rem mihi praebere poſſet, interrogavi: qui, nihil ſe omnino de codice iſto ſcire, comiter mihi reſpondit. Idem quoque reſponſi Cartio prius dederat illuſtriſſimus abbas Thuanus, auctoris noſtri nepos, ex ſtirpe illius maſcula ſoboles ſola jam ſuperſtes; qui doctrina, judicio, morum ſuavitate, ceteriſque illius praeclaris animi virtutibus, ortum ſuum ex nobili iſta familia manifeſte oſtendit. Spe igitur prorſus abjecta rem inveniendi, quae cum per ſe, tum ad novam etiam editionem noſtram tanti eſſet momenti; quod diu jam fruſtra quaeſiveram, forte fortuna tandem mihi aliud agenti ſeſe obtulit. Etenim dum Voſſii *Epiſtolas*, aliorumque ad eum ſcriptas, a Paulo Colomeſio Londini anno MDCXC in folio editas, evolvebam, una Lingelſhemii ad Grotium, dat. Heidelbergae XXV Jul. MDCXVIII, oculis forte occurrit [1]; quae inter Voſſii epiſtolas locum ſane non inveniſſet, niſi de libro quodam Voſſii mentionem, obſcure quidem, ſed tamen cum laude, feciſſet, quod libri iſtius titulum notaſignificandi Colomeſio occaſionem praebuit. Lingelſhemii nomen ad epiſtolam percurrendam me ſtatim incitavit, in cujus fine illa laetus inveni: *Vellem animum adjiceres ad hiſtoriam tuam promendam, quam negare diutius non debes nobis ac poſteritati. De Thuani hiſtoria nuntio tibi, reliqua jam ſub prelo eſſe. Ut autem invidiam vitent curatores, ita inſtitutum eſt, quaſi exemplar ab auctore in Germaniam miſſum jam promeretur. Exсuditur autem Genevae: qui locus tamen ob invidiam vitandam diſſimulabitur.* Haec verba luce clariſſima rem totam conſtituunt. *Curatores* enim, qui non alii quam Puteanus et Rigaltius erant, ipſam *paratam editionem*, ultima auctoris manu caſtigatam, ſuaeque fidei teſtamento commiſſam, prelo tradiderunt. Extra fines autem Gallici regni Genevam uſque imprimendi cauſa mittentes, quoniam urbis iſtius nomen Pontificiis odioſum erat, ut rem celarent, fictum *Aurelianae* nomen, quo *Orleans* intelligi voluerunt, quae a recentioribus quibuſdam Latine ſcribentibus *Aurelianum* dicta fuit, in fronte operis poni curarunt.

Sed

[1] Pag. 17, Ep. ad Voſſium.

Sed hoc in parte tantum exemplarium hodie apparet; cujuſmodi ſane pulcherrimum ipſe conſpexi Rainhamiae in agro Norfolcienſi, in bibliotheca nobiliſſimi Caroli vicecomitis Townſhendi, propter egregia in rempublicam merita omnibus bonis, vitaeque privatae amabiles virtutes familiae ſuae et amicis, plurimum honorandi; mihique certe, quem multorum annorum ſpatio favore ſuo et fiducia cohoneſtare non dedignatus eſt, ſummo amore, obſervantia, et cultu ſemper proſequendi. Alia vero ejuſdem editionis exemplaria non *Aurelianae*, ſed *Genevae*, in titulo generali exhibent; quorum unum penes me eſt. Neque profecto diſcrepantiae hujus cauſam probabilem adſignare, admodum difficile eſſe videtur. Etenim cum Lingelſhemius editoris partes in ſe ſuſcepturus eſſet, quod et in praefatione ſua fecit, *quaſi exemplar ab auctore in Germaniam miſſum promeretur*; hoc *Aurelianae* nomini in titulo parum congruere deinceps a curatoribus deprehenſum eſſe exiſtimemus. Quare cum abſurda prorſus res viſa ſit, ut exemplar in Germaniam miſſum in una ex praecipuis Galliae urbibus imprimeretur; ad conſilium mutandum, et typographo, ut eorum exemplarium, quae nondum eſſent diſtracta, titulum generalem, *Genevae* nomine loco *Aurelianae* appoſito, recuderet, ſignificandum, facile induci poſſent. De exemplari itaque, quod, ut ſcribit Lingelſhemius, auctor ipſi, *paulo antequam excederet, deſcriptum ex autographo ſuo habere permiſerat*, ac *remitti ſibi mandaverat*, ut ſoliciti ſimus, nulla omnino eſt neceſſitas. Ex hac enim epiſtola illius ad Grotium Thuani hiſtoriae editionem, Genevae anno MDCXX excuſam, quae antehac exemplari iſti Lingelſhemiano fidem ſuam debere exiſtimabatur, ex ipſiſſima auctoris parata editione, a curatoribus ipſis ſuppeditata, reapſe impreſſam fuiſſe manifeſtum eſt; ideoque ex eo tempore paratam illam editionem nuſquam in Gallia reperiri potuiſſe haud mirandum eſt, quam optima ratione extra poteſtatem eorum, quos a ſe de illa exquiſituros ſuſpicarentur, removerant. Tam prope ad veritatem rationibus rerumque indiciis, quae tunc ſeſe offerebant, in priori epiſtola acceſſi; ut cum ipſa jam ſua luce nobis affulſerit, inſtitutum noſtrum adeo non labefactet, ut potius confirmet: editionem certe Genevenſem, anno MDCXX publicatam, tanquam baſin et fundamentum operis neceſſario jaciendam eſſe hinc manifeſto apparet. Sin autem ad clauſulam illam Lingelſhemii epiſtolae attendamus, qua *reliqua jam ſub prelo eſſe* Grotio nuntiat; Puteanum et Rigaltium non diu poſt Thuani deceſſum, qui menſe Maio anno MDCXVII obiit, ad typographum Genevenſem exemplar ſuum miſiſſe, partemque operis XXV Jul. MDCXVIII excuſam fuiſſe, plane percipiemus. Cum exemplar igitur recenſendi atque emendandi opportunitate, priuſquam e manibus dimiſerant, omnino deſtituerentur; quae deinde juxta Thuani voluntatem, fidemque teſtamento in ſe repoſitam, aut correxerunt, aut addiderunt, eo majoris pretii aeſtimari debent, quo penſiculate magis ad munus illud, mente jam libera, accederent.

CLARISSIMA igitur luce jam fruentes, hiſtoriam Thuani perfectam et abſolutam lectoribus noſtris optima fide promittere poſſumus. Sed enim ne utilis minus, quam perfecta reddatur, pleraque tum hominum, tum locorum, nomina hodierna, quae Thuanus aut vetere Romanorum appellatione expreſſit, aut ſaltem ad linguae eorum uſum inflectere more ſuo ſtuduit, contextui operis per totam hiſtoriam ſubjecta adhibebimus; quod hoc commodi ſecum adferet, ut in ſingulis paginis lector a Latino nomine in hodiernum oculos ſuos facili negotio conjicere poſſit. Quibus autem rationibus ductus has nominum interpretationes veras eſſe cenſeam, non ab re forſan erit paucis exponere. Vir admodum reverendus Edvardus Chandlerus, Coventrienſis et Leceſeldenſis epiſcopus, cum priorem meam epiſtolam ad te ſcriptam viderat, mihi ad ſe arcerſito ſignificare dignatus eſt, Thuani hiſtoriae exemplar, Genevae anno MDCXX editum, ſe olim evolviſſe, quod a cardinali Radeſiano, archiepiſcopo Pariſienſi, prius poſſeſſum, in manus celeberrimi praeſulis Guilielmi Lloydii, Vigornienſis epiſcopi, poſtea devenit. Hujus exemplaris uſum a vidua filii ejus, Guilielmi Lloydii S. T. P. cancellarii nuper Vigornienſis, ipſe perhumaniter mihi comparare promiſit pariter, ac perfecit. In cujuſque voluminis margine non modo plurimorum nominum, quae auctor Latinitate donavit, interpretationes; ſed etiam alia quaedam diverſi generis emendanda, atque inſerenda, habet adſcripta. Similes nominum interpretationes ex margine exemplaris, Genevae anno MDCXXVI et partim XXX excuſi,

cuſi, quod hereditaris jure illuſtriſſimus Abbas Thuanus nunc poſſidet, Cartius Pariſiis exſcripſit. Exemplaris iſtius unum et alterum volumen apud digniſſimum poſſeſſorem conſpexi, qui interpretationes iſtas P. Puteani manu exaratas fuiſſe adſeveravit; et formae quidem ductuſque literarum iis in exemplari Lloydienſi perſimiles eſſe videbantur, quaſi manus ejuſdem opus eſſent. Puteanum per octodecim annos, uſque ad mortem Thuani, ſumma amicitiae conſenſione cum eo vixiſſe; conſiliorum omnium ſcriptorumque participem, in otio et receſſu comitem fuiſſe; curam denique opera recenſendi ac publicandi, quo nihil majorem fidem in amico poſtulat, teſtamento ſibi commiſſam habuiſſe, in priore epiſtola oſtendi. Nomen etiam Puteani ſtyli elegantia, judicio, et integritate, quae in hiſtoriis a ſe compoſitis elucent, inter doctos diu celebratum eſt. Jam ut nemo, niſi Thuani aequalis, familiariter ipſi notus, et in rebus ab eo traditis bene verſatus, plurima ex his nominibus, peregrino ſuo habitu haud parum obſcuratis, ita interpretari potuiſſet, ut certam fidem mereretur; Puteanus, cui ea omnia conveniunt, hanc quaſi jure ſuo vindicare poſſit. Ei igitur praecipue ob tantum beneficium, quo editio noſtra ornabitur, cunctiſque prioribus longe utilior reddetur, laudes ac gratiae meritae attribui debent.

De toto apparatu noſtro, quem ad Thuani hiſtoriam adornandam ac perficiendam hactenus comparaverim; itemque de rationibus, quas in edendo opere perſequi ſtatuam; jam ſatis, opinor, vel potius nimium, dixiſſe videbor. Ne igitur tempora tua diutius morando aliorum commodis injurius fiam, longae huic epiſtolae finem imponam. Vale Dat. a. d. VII id. Decembres, A. D. MDCCXXVIII.

EPISTOLA TERTIA,

EIDEM.

SINGULIS Thuani hiſtoriae voluminibus ea, qua natura et amplitudo operis finebant, celeritate jam prelo ſubjectis, te, vir praeſtantiſſime, hoc publico modo tertium compello. Fidem enim in me repoſitam, ut pari diligentia et probitate ſuſceptum munus ad exitum perducerem, cum numerus, tum dignitas eorum, qui ſe fautores operis declararunt, plane demonſtrant. Quapropter cum alia quaedam ſubſidia, ex quo ſecundam ad te epiſtolam ſcripſi, mihi ſint delata, quibus editio noſtra et auctior et utilior reddetur, quam tunc ſperare potui; has novas acceſſiones primam nuntiandi occaſionem omittere nolui. Cujuſmodi igitur ea ſint, ut omnes intelligant; praecipua eorum, quanta poſſum brevitate, hic deſcribam.

Rigaltii *Hiſtoriae Continuatio* ab anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, quo Thuanus finem ſcribendi fecit, uſque ad decimum, qui ad regis Henrici quarti Galliae interitum fatalis fuit, primum locum merito ſuo vindicat. In tres libros eſt diviſa, quorum primus multis abhinc annis in folio excuſus fuit, ſine auctoris nomine, aut alio titulo praeter eum, qui in prima pagina initio operis praepoſitus his verbis legitur: *De Rebus Galliae a fine Jac. Aug. Thuani Liber primus.* Publici juris nunquam factus eſt; unum tamen exemplar in bibliotheca regia Pariſiis adhuc conſervatur, ab ipſo Rigaltio, ut licet credere, illic repoſitum, qui bibliothecae iſtius diu curator fuerat. Alterum exemplar in bibliotheca, quam Thuanus poſteris ſuis reliquerat, collocatum una cum mſ. ejus in magni Colberti manus poſtea devenit, et catalogo *Bibliothecae Colbertinae* biennium abhinc auctione venditae inſertum eſt. Duo autem poſteriores libri hujus operis nunquam adhuc excuſi fuerunt. Inter noſtrae igitur editionis commoda hoc opus merito numerari debet. Nemo eſt

enim

enim, opinor, qui ſecum cogitat Thuanum hiſtoriam ſuam ad mortem Henrici quarti regis perſequi ſtatuiſſe; quin eam partem, quam auctor ipſe fato praereptus perficere non potuit, a Rigaltio deinceps, ſive ex primis Thuani lineamentis inter chartas relictis, ſive ex documentis ejus et conſiliis, quibus diu jam animum formaverat, concinnatam libentiſſime videre velit.

ALIAE quaedam Camdeni ad Thuanum epiſtolae nuper etiam ad manus meas pervenerunt; quas Gualteri Titleii armigeri, regis noſtri in aula Haunienſi reſidentis, ut vocamus, beneficio acceptas referre debeo. Is enim cum audiiſſet clariſſ. Grammium inter codices ejus mſs. ex incendio, quod Hanniae contigerat, ereptos, literas bene multas regis Henrici IV Galliae, Dan. Heinſii, Mich. Lingelſhemii, Ubbon. Emmii, Joan. Meurſii, card. Jouſae, atque etiam Camdeni ad Thuanum ſcriptas conſervaſſe; ut omnium Camdeni literarum exemplaria cum indice reliquarum ſibi impertiret, haud citius oravit, quam virum humaniſſimum exoravit; qui praeter Camdeni epiſtolas ceterarum quoque non indicem tantum, ſed initium, finem, argumentum, et tempus, quo ſingulae eſſent ſcriptae, cum eo communicavit. Haec omnia ad me Titleius tranſmittere dignatus eſt, una cum epiſtola a Grammio ad ſe ſcripta, qua cum harum omnium, tum et aliarum, quas ad Lingelſhemium exaraverat Thuanus, exemplaria, ſi mihi omnino eſſent utilia, ſe libenter miſſurum eſſe ſignificat. Candidum et apertum viri ingenium haud parum admiratus, per literas ſtatim Titleium rogavi, ne tempus in deſcribendo periret, ut ipſa autographa mihi comparare conaretur. Neque hoc recuſavit Grammius; quin et alias inſuper chartas mſs. adjecit, una cum obſervationibus aliquot a ſe factis, quibus hominem multae lectionis, indefeſſi laboris, limatique judicii ſe eſſe oſtendit.

HAEC autem a terris remotioribus allata eo magis aeſtimari debent, quod in Gallia nec prece, nec pretio, comparari poſſint.

IN ſpecimine operis a me edito argumenta librorum, ab auctoris epitomis unicuique libro praefixis deſcripta, in margine collocata ſunt. Hac autem ratione mutata, ut notis potius numeralibus praecipua epitomes cujuſque capita diſtinguerem, et ſingulis ejuſdem libri paragraphis ordine ſuo deinceps praefigerem, me admonuit vir ornatiſſimus Georgius Clarke Oxonienſis. Horum numerorum ope, ut is mihi obſervavit, quidquid in epitomis memoretur, lector facili negotio in hiſtoria invenire poterit. Plures libri hoc modo ſunt excuſi, qui non tantum ad uſum optime accommodatus eſſe videtur, ſed vacuo etiam margine ad paginarum elegantiam haud parum conducit. Hanc mutationem nobiliſſimo baroni Cartereto, tibi, et aliis harum rerum optimis aeſtimatoribus propoſui, quorum omnium calculis comprobata fuit. Praeterea in paranda editione noſtra alteram illam rationem valde impeditam fore et confuſam cito deprehendi. Aliquoties enim argumenta capitum, quae longius ſpatium poſtularunt, quam operis contextus admitteret, in proximi capitis, rem prorſus diverſam tractantis, marginem ſunt ingreſſa; item auctor ipſe quaedam ex his argumentis adeo dilatavit, ut poſtremae editionis Francofurtenſis editor, qui ex epitomis in marginem ea primus tranſtulit, in compendium redigere haud raro ſit coactus; nonnullis etiam rationes eorum, quae in hiſtoria traduntur, inſeruit, quae margini ſane nequaquam conveniunt. Ob has cauſas igitur alteram viam praetuli, qua numeris epitomatum et capitum vel paragraphorum ſibi invicem reſpondentibus, librorum argumenta, prout auctor dederit, epitomas intuendo facile intelligi poſſint. Nec ab re erit, ſi lector eas prius percurrat, quam librum, ad quem ſpectant, ingrediatur; quoniam nonnulla habent, quae aut omnino in hiſtoria deſunt, aut lucem iis, quae breviori ſermone illic tradita ſunt, adferre poſſunt. Sic in primi libri epitome, ubi congreſſus Ludovici Galliae regis cum Ferdinando Hiſpaniae rege Savonae narratur, cui etiam Conſalvus Cordubenſis, magni ducis titulo inſignitus, interfuit, haec leguntur: *Cordubenſis a Ludovico rara humanitate menſae adhibitus, Ferdinandi manifeſto livore, qui Cordubenſi malam gratiam rependit.* Hujus autem rei nihil omnino in ipſo opere invenimus [1]. Item in libro LIII mentio facta eſt epiſtolae a Monlucio Valentiae epiſcopo in laniſnae Pariſienſis

[1] Vid. Tom. I. p. 7 hujus Edit.

Pariſienſis defenſionem, aut ſaltem extenuationem ſcriptae; cui cum *a Gallo quodam in Germania profugo*, ut dicit Thuanus, *Zachariae Furneſteri nomine*, acerrima reſponſio edita fuiſſet, clariſſimus Cujacius, dignus ſane meliori cauſa patronus, partes epiſcopi ſuſcepit [1]. De vero Galli iſtius nomine nihil meminit hiſtoria; ex epitome vero *Hugonem Donellum* fuiſſe, qui Furneſteri nomine ſe texit, intelligimus. De epitomis autem dum loquor, rem tibi haud ingratam fore exiſtimo, ſi, qua occaſione, et in quem uſum eas ſcripſerit Thuanus, exponam; quod quo melius exequar, de tempore, et cauſis, *Commentarios de vita ſua* conficiendi ut quaedam prius ediſſeram, neceſſarium eſſe videtur.

SEX libri *Commentariorum*, anno MDCXX primum evulgati, ſine ullo prooemio in hunc modum incipiunt: *Natus eſt Jac. Aug. Thuanus, etc.* Et ſub quinti decimum libri concluſionem ſcriptos fuiſſe docemur contra *tot obtrectatores, qui non contenti humanos lapſus notare, qui non poſſunt in tam magno opere non obrepſiſſe, omnem exagitandi auctoris occaſionem per calumnias et cavillationes arripiunt, et a ſcriptis ad mores vitamque domeſticam, ne quid intentatum relinquant, rabie abrepti deſcendunt* [2]. Tum cauſis irae iſtius atque odii implacabilis enumeratis, praefationem primi hiſtoriae voluminis ad regem Henricum quartum Galliae praecipue eos ita perturbaſſe dicitur, ut *neque poſt decennium ceſſent*. Cum ea praefatio anno MDCIV lucem aſpexerit, voces *poſt decennium* hos de vita Thuani commentarios circiter annum MDCXIV ſcriptos fuiſſe plane evincunt. Idem quoque ex ſcripti eorum exemplaris, in bibliotheca regia Pariſiis repoſiti, prooemio confirmatur, ubi praecipua eos ſcribendi cauſa fuiſſe dicitur liber, Ingolſtadii anno MDCXIV hoc titulo editus [3]: *In Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum libros Notationes, Auctore Jo. Bapt. Gallo.* His accedit, quod unum et quinquaginta annos a concilio Tridentino fuiſſe concinnatos ex eodem codice intelligimus [4]. Anno autem MDLXIII concilium iſtud finem habuit, cui unus et quinquaginta adjecti ad annum MDCXIV nos ducunt. Hiſce igitur indiciis auctor opus hoc anno MDCXIV, aut paulo poſt, contextum fuiſſe, plane ſignificari voluit. Mirum autem fortaſſis videatur, tantum opus tam brevi ſpatio abſolvi potuiſſe; intra annum enim poſt *Notationes Galli* in lucem editas et inceptum, et confectum fuiſſe, neceſſe eſt. Ceterum ut huic dubitationi occurram, diarii mentionem faciendi mox dabitur occaſio; quod ab anno aetatis undevigeſimo Thuanus in uſum ſuum ſcribere inceperat, ex quo pars maxima commentariorum ſine dubio deſcripta fuit, reliquiſque facili negotio adjectis, totum opus cito concinnari potuit.

JAM ad *Epitomas* quod attinet, in eum finem ſcriptas fuiſſe, ut quinto commentariorum libro ſubjicerentur, manifeſtum eſt; quo in loco ſcriptus commentariorum codex haec habet, quae in editis exemplaribus non comparent: *Sequuntur argumenta librorum* LXXX, *qui jam editi ſunt: et inſuper* XLVI *ante decennium abſolutorum, qui adhuc premuntur: et quae* XVII *ſequenteis libros conficient* [5]. Et in eodem codice ſextus liber ſic exorditur: *Abſolutis hiſtoriarum jam editarum, et quae adhuc premuntur, epitomis, tempus eſt ut inſtitutum de vita auctoris ſermonem perſequamur* [6]. Scriptum quoque epitomarum exemplar ad librum centeſimum vigeſimum ſextum in bibliotheca regia conſervatur, quod rogatu meo medicus eruditus, Samuel Jebbus, perbenigne illic deſcripſit. In hoc codice libri octogeſimi epitomae haec verba ſubjecta ſunt: *Et hactenus editi ſunt libri, quorum breviaria heic inſeruntur. Qui ſuperſunt numero* XLVI *adhuc premuntur, eoque fuſius illorum breviaria deſcribentur, ut habeant lectores unde deſiderium, quouſque illi edantur, explere poſſint.* Thuanum anno MDCXIV in hiſtoria ſua edenda haud ultra librum octogeſimum proceſſiſſe, reliquoſque poſt mortem ejus excuſos eſſe, in prioribus epiſtolis haud ſemel obſervavi.

RATIONES

1 Vid. Tom. III. p. 157. huj. Ed.
2 Vid. Tom. VII. c. iv. p. 136. huj. Ed.
3 Ibid. p. 3.
4 Ibid. p. 137.
5 Ibid. p. 138.
6 Ibid. p. 139.

Rationes et inſtitutum tam *Commentarios* de vita Thuani, quam *Epitomas* hiſtoriae conficiendi, verba ex utriſque jam adducta ſatis, opinor, manifeſte oſtendunt. At enim cum novam deinde operis ſui editionem typis Roberti Stephani excudere Thuanus ſtatuiſſet, a priori inſtituto catenus receſſit, ut, loco primorum octoginta librorum epitomas commentariis de vita, ut antea, ſimul inſerendas relinquendi, cujuſque hiſtoriae libri initio ſeorſum praefigere deſtinaverit. Nam ita in viginti ſex libris Stephanici voluminis diſpoſitas invenimus, eandemque viam in reliquis cum ſequi voluiſſe, ex voluminis ejuſdem praefatione liquet; ubi tota *hiſtoria* CXLIII *voluminibus incluſa*, ac *ſingulis libris ſummae ſive breviaria praefixa* dicuntur. Et paulo poſt: *Habebis in praeſens tantum* LXXX *libros, reliquos* ἃ ποτε τ'ἀληθὲς πυρῶν οὐκ ἐᾷ: *interim tamen et eorum epitomas repraeſentari tibi voluit, ut ſic totius operis ſeriem perfectique corporis ſaltem lineamenta conſpiceres* [1]. Quanquam autem de epitomis adeo diſertim praefatio loquatur, commentariorum tamen nullam omnino mentionem facit; unde conjicere poſſumus, auctorem ut, ipſo vivente, in lucem veniſſent nunquam permiſſurum fuiſſe. Si in vita igitur manſiſſet, donec Stephanica iſta editio ad librum octogeſimum eſſet perducta, reliquorum epitomas forma majori ad calcem operis ſine dubio conjeciſſet. Fore etenim ut integros libros in Gallia publicari ſua tempora unquam ferrent, non modo ipſe deſperaſſe videtur; ſed etiam poſt mortem ejus Puteanus et Rigaltius vel extra Galliae fines curam edendi palam ſuſcipere haud tutum ſibi exiſtimarunt, ideoque Stephani editione neglecta, totum opus Lingelſhemii nomine, qui editoris partes aſſumpſit, de novo excudendi conſilium ceperunt. In hac autem editione Genevae publicata epitomae non tantum primis octoginta libris, ſed reliquis etiam ſex et quadraginta praefixae ſunt, poſterioribus hiſce, quae fuſius ab auctore ſcriptae erant, prius breviatis. Duodecim inſuper alios libros, quos Thuanus e ſeptendecim a ſe deſtinatis tantum perfecerat, cum epitomis iis praefixis, et commentarios etiam de vita Thuani, prioribus iſtis centum et viginti ſex editores adjecerunt. Univerſo igitur opere ita diſpoſito, et in lucem emiſſo, neque breviorum, neque ampliorum epitomarum, in commentariis mentionem faciendi ulla occaſio data fuit, ideoque nihil omnino de iis dictum illic invenimus. Verum enimvero ut nequeo, quin omnes Thuani reliquias, qualeſcunque ſint, avita quadam veneratione proſequar, non tantum amplioribus epitomis a libro octogeſimo ad centeſimum vigeſimum ſextum in ſexto tomo noſtro locum dabo [2]; ſed etiam nobiliſſimi illae comitis conſilio parens, cunctas totius operis epitomas ſuo quamque ordine illic exhibebo, quo ampliores iſtae mediam inter primorum octoginta et ultimorum duodecim librorum epitomas ſedem occupent. Ad initium cujuſque epitomae tempus rerum geſtarum, quae in libro iſto tractantur, una cum regis nomine, qui tunc Galliae imperabat, in margine apponetur; quod illud commodi ſecum adferet, ut totius hiſtoriae breviariis ea ratione ſub uno aſpectu collocatis, res in ſingulis libris memoratae, una cum annis quibus acciderunt, invenire, atque ad eas in hiſtoria recurrere, lector facile poſſit. Alia hujus rei exempla in libris hiſtoricis vir ille ampliſſimus mihi oſtendere dignatus eſt.

De epitomis, ut opinor, ſatis jam dictum fuit. Ad *Vitam* igitur *Thuani* revertar, quam auctor ex poemate in quinto libro *poſteritati* inſcripto, quo omnia ab aula Romana, aut Henoticis, hiſtoriae objecta refutantur; acerrima Thuani defenſione, qua liber iſte clauditur; et epitomis ei ſubnexis, haud longius perſequi tunc temporis ſtatuiſſe videtur. Sextus autem liber poſtea adjectus fuit, quo vitae narratio ad annum MDCI pertexitur, qui uxoris Thuani exceſſu ad opus deponendum anſam praebuit. Ex editis ſane exemplaribus id non apparet, quae hanc concluſionem habent: *Sequentem annum* [MDCI] *Thuanus funeſtum expertus eſt, quo poſt longum ac moleſtum morbum dilectiſſimam uxorem extulit.* In mſ. autem regio, quae hic ſubjecimus, ſequuntur: *Mortuae inſigni monumento parentavit, in eoque luctu finem ſcribendi fecit (ubi et nos finem de ipſo* [Thuano] *ſcribendi facimus) ulterius perrecturus, ſi per temporum iniquitatem, quod vix illi et bonis omnibus ſperare licet, hiſtoriam perſequi, et ad exceſſum uſque Henrici Magni,*

[1] Vid. Tom. VII. c. VIII. p. 3. hujus Edit. [2] Vid. Tom. VI. p. 567. hujus Edit.

gni, ſicuti ab amicis exoratus apud ſe poſtea conſtituerat, perducere Dei benignitate concedatur [1]. Fruſtra eſſent, qui haec verba, *in eo luctu finem ſcribendi fecit*, ita caperent, ac ſi luctus, in quem Thuanus uxoris morte inciderat, hiſtoriam ſcribendi finem facere coegiſſet. Senſus enim eſt, ſicut Thuanus hiſtoriae filum abrupit, cum ad annum MDCI perduxerat; ita vitae ſcriptorem eodem anno narrationem ſuam terminaſſe. Verum eſt quidem Thuani uxorem eo anno fatis conceſſiſſe, anni autem aliquot poſtea elapſi erant, priuſquam in hiſtoria concinnanda eo uſque proceſſit. Quo autem tempore finem ſcribendi primum fecerit, atque opus iterum deinceps reſumpſerit, ex ipſa hiſtoria manifeſto ſatis colligi poteſt. Libro CXXVI hiſtoriae ſcribere deſiit, cum, ut jam dixi, ad annum MDCI perduxerat, quo anno rex Ludovicus XIII Galliae natus eſt. Hunc igitur librum ſequentibus verbis auctor concluſit: *Atque heic libro atque adeo operi, quod inter bellicos ſtrepitus, urbana et palatina officia, peregrinationes, aliaſque occupationes, aſpirante Deo trino et uno, huc uſque perduximus, finis feliciter imponatur* [2]. Jam quo tempore hoc evenerit, libri proximi initio docemur; ubi hiſtoriae ſuae *ante ſexennium* intermiſſae poſt mortem demum regis Henrici quarti, atque adeo repulſam ſuam anno MDCXI, cum principis ſenatus Pariſienſis officium petebat, acceptam, manum iterum admoviſſe auctor ſignificat. Ante annum igitur MDCV, hoc eſt quadriennium poſt uxoris obitum, Thuanum hiſtoriae ſuae librum CXXVI pertexere non potuiſſe hinc plane conficitur. Et in epiſtola ad Chriſtophorum Puteanum, menſe Aprili anno MDCVI ſcripta, paucis ante diebus hiſtoriam ſuam ſe ad annum MDCI perduxiſſe ait [3]. Tam ſplendido autem exordio, movendiſque lectorum animis accommodato, librum CXXVII ingreditur, ut magnam ejus partem huc transferre operae pretium exiſtimaverim. *In deſideratiſſimi principis, qui nunc jucundo Ludovici nomine feliciter imperat, auſpicato natali, cum ante ſexennium ſcribendi finem feciſſem, non putabam fore, ut ulla ratione adductus finito potius quam intermiſſo operi manum denuo admoverem: ſatis quippe publicae expectationi, ſatis ad famam factum exiſtimabam, hiſtoria per bella pluſquam civilia ad pacem toto orbe Chriſtiano Henrici Magni virtute ac beneficio partam deducta. Nam ab eo tempore nihil fere memorabile apud nos geſtum; tantum quaedam domeſtica, ac majorem partem triſtia, occurrunt, nequaquam cum ſuperioris aevi rebus comparanda. Multa etiam conantem deterrebant, recenti adhuc ſenſu indignae gratiae mihi pro tot evigilatis in publicam utilitatem ad nominis Gallici gloriam laboribus repenſae, quae in praeterita et inſtantia reſpicientem melius de futuro ominari non ſinebant.— Vix enim dici poteſt, quantum vitae praeteritae innocentia, ac praecipuum veritatis ſtudium mihi inter noſtros odium conciliaverit; quam graves inimicitias ingenua mea libertas, et alienus ab omni fuco et factione animus excitaverit; ut quidquid deinceps facturus dicturuſque ſim, ſi remiſſius, ad metum, ſi generoſius, ad ultionem ſint ii relaturi, qui majorem partem hodie efficiunt, et de aliorum fama et exiſtimatione ex ſuo ſenſu, non recta ratione, plerumque judicium ferunt. Haec et alia, quae deliberanti in mentem veniebant, ejuſmodi erant, ut conſtantiſſimum quemque ab omni praeclaro conſilio deterrere potuerint; me vero aſſiduis fortunae adverſantis ictibus fractum iſtuc aetatis admonere, ut quieti conſulerem, nec in invidioſo opere induſtriam meam diutius fatigarem. Sed facile fuit hominem patriae charitatis amore captum, quique recta conſilia et honeſta emolumentis omnibus et commodis ſemper antepoſuit, in re praeſertim, in qua publica utilitas cum privatis rationibus certat, a ſententia dimovere. Nam cum amici non in Gallia ſolum, ubi plerique mihi metuentes potius quieſcendum ſuadebant; ſed externi a periculo remotiores ex Hiſpania, Italia, Germania, Britannia, Belgio, Pannonia, atque adeo ultima Livonia, per literas quotidie ad rem perſequendam hortarentur, nihilque reliqui facerent, quo me jacentem erigerent, et alacritatem priſtinam, quam ſaeculi ingratitudinem pertaeſus amiſeram, propoſita publica utilitate, in me renovarent: eorum tam enixum ſtudium in eam, quam ipſi volebant, partem interpretatus, mihi tandem perſuaderi ſum paſſus, ut, ſi otium nactus eſſem, eorum deſideria*

[1] Vid. Tom. VII. c. IV. p. 155. hujus Edit. [3] Vid. Tom. VII. cap. I. p. 15.
[2] Vid. Tom. VI. p. 98. hujus Edit.

ſiderio ſimul, et publicae utilitati aliquando ſatisfacerem. Sed ſive ad triſtem rerum ſaciem hebeſcente, ſive deſuetudine ſcribendi pigreſcente animo, ſive denique ob recentem moleſtiarum exantlatarum memoriam reſtitante, rem de die in diem protelabam, cum caſus intervenit prodigio propior, non ſolum Gallis ſed cunctis orbis nationibus lamentabilis, interitus Henrici Magni, qui magnum momentum ad omnem dubietatem tollendam attulit. Enimvero cum principem his deploratiſſimis temporibus, quaſi coelo delapſum, poſt tot egregie facta omnes ſibi boni ſuperſtitem cuperent, mali etiam in ejus longiore vita praeſidium ſibi repoſitum putarent, fieri non potuit, quin tam indigna ejus morte varie animi ſint affecti. --- Ego certe, qui praecipuo pietatis ſenſu tangerer, minime mihi ſatisfactum putabam, niſi principis de orbe Chriſtiano tam bene meriti manibus ſingulari ac peculiari officio parentarem; itaque eadem facilitate, qua tantae molis opus ab initio ſum aggreſſus, nunc quoque me vinci paſſus ſum, ut praeteritorum memoriam ſempiterna oblivione eruerem, et obfirmato contra calumnias et obtrectationes animo, intus conſcientia tutus, de cetero ſecurus, fidem amicis datam liberarem. Et quando Deus Opt. Max. me tanto principi praeter ſpem et contra votum ſupereſſe voluit, qualecunque otium in hoc aulico comitatu nactus, decrevi reliqua vitae ejus, hoc eſt decennii, quod ſequitur, res geſtas ſcriptis commendare.

Sed pergo ad reliqua, quae de vita Thuani adhuc dicenda reſtant; cujus ſcribendae ut hiſtoria ejus occaſionem praebuit, quaedam in ea tradita hic amplificata, alia explicata, nonnulla rariora et maximi momenti certis auctoribus confirmata et demonſtrata leguntur. Ad hunc uſum diarium, ut dixi, quod anno MDLXXII, aetatis ſuae XIX, tanquam rerum memorabilium repoſitorium, quod operi alicui hiſtorico olim inſerviret, in peregrinationibus primum ſcribere inceperat, magni adjumenti fuit. Ex eo enim multa, quae minus idonea, ut hiſtoriae infererentur, judicaſſet, deprompta in vitam tranſcripta ſunt. Hujus rei unum exemplum ex tertio commentariorum libro deſumptum huc proferam; ubi memorabile colloquium, quod cum celeberrimo Michaele Montano anno MDLXXXVIII Bleſis habuit Thuanus, in hunc modum narratur: Is *arctum cum Thuano exercebat amicitiae officium, et ipſum in dies urgebat, ut de Veneta legatione, cui deſtinabatur, ſerio cogitaret: ipſe Venetias cogitabat, et toto tempore, quo Thuanus in ea urbe* [Bleſis] *eſſet, ab ejus conſuetudine non receſſurum ſe oſtendebat. Cum vero de cauſis motuum* [in Gallia] *diſſereret, ſic aiebat* (*nam ſe aliquando inter Navarrum Guiſiumque, cum ſimul in aula eſſent, medium interpoſuerat*) *Guiſium amicitiam Navarri omni officio et ſedulitate ambiviſſe; ab eo, quem amicum, quem placatum habere expetiverat, deluſum et diſſimulatione excluſum, cum ſe hoſtem eumque infenſiſſimum habere ſentiret, ad extremum armorum remedium, ut ſe decuſque familiae tueretur, confugere neceſſe habuiſſe. Haec alienati animi inter eos initia in hoc belli incendium poſtremo exarſiſſe, cujus non alium exitum videat, quam alterutrius exitium; cum et Guiſius, incolumi Navarro, de vita propria et ſuorum ſalute deſperet; nec Navarrus, ſuperſtite Guiſio, jus ſuum tueri ſe poſſe in regni ſucceſſione confidat. Religionem, quae utrique obtendatur, ab iis, qui illos ſequuntur, ſpecioſe praetexi; ceterum neutrum ipſorum reſpicere. Nam et Navarrum, niſi a ſuis deſeri metueret, ultro ad ſacra majorum paratum redire; et Guiſium, ſi periculum abſit, ab Auguſtana confeſſione, cujus guſtum aliquem ſub Carolo cardinali patruo quondam habuerit, non abhorrere. Ita cum inter eos communicaret, utrumque ſentire animadvertiſſe*[1]. Praeterea, ut Thuanus plurima doctorum virorum elogia in hiſtoria paſſim interſperſit; ita non pauca in his commentariis de re literaria leguntur, quae illic ſunt omiſſa. Inter haec numerari poſſunt de Pandectis Florentinis, Graecoque Zoſimi mſ. narrationes; item opera, quam in Michaelis Hoſpitalii poematis colligendis atque edendis Thuanus ipſe impendit; ſermones etiam, quos cum viris eruditis inter peregrinandum habuit, unde laudibus in opere hiſtorico iis datis non parvae acceſſiones ſaepius factae ſunt. Quum elogia autem hominum ea aetate literarum laude praeſtantium magno ornamento ac ſplendore Thuani hiſtoriam illuſtrent; quantum operae et laboris

[1] Vid. Tom. VII. c. IV. p. 88. hujus Edit.

laboris in copioſa materia ad eam rem undiquaque amicorum ope comparanda inſumpſerit, ex iis, quae de Andrea Dudithio ſcripſit, breviter oſtendam. Quaedam ad Dudithii vitam ſpectantia a Lingelſhemio inter alios accepit, quae cum in ordinem digeſſiſſet, ut hiſtoriae ſuae intexerentur, menſe Maio anno MDCVII Lingelſhemio remiſit, rogans eum ut nonnulla, quae deeſſe videbantur, adjiceret. Eodem anno vergente, multa de Dudithio doctiſſimus eques, Henricus Savilius, cum eo per epiſtolam communicavit. Jam ſiquis haec Lingelſhemii [1] et Savilii [2], quae in noſtra editione integra dabuntur, cum iis a Thuano de hac re traditis [3] conſerat; quanta diligentia et candore in praeſtantiſſimi illius viri elogio conficiendo uſus ſit, facile intelliget: unde etiam de aliis conjecturam capere licebit. Proinde ex vita Thuani conſtat, cum per quindecim annos, priusquam hiſtoriam contexere coepit, in ſubſidiis ad hunc uſum idoneis comparandis ſummum ſtudium et induſtriam adhibuiſſe; idque non tantum ex legatorum epiſtolis et documentis, ſcriptisque aliis fide digniſſimis in tabulariis regiis, quibus aditum ſemper habebat, repoſitis; ſed etiam ex virorum illuſtrium ſermonibus, qui aut ipſi rebus gerendis interfuerunt, aut quae ab aliis geſta eſſent muneris ſui ratione optime intellexerunt. Praecipuum autem, ut dixi, hujus operis inſtitutum fuit criminationes, ſeu potius calumnias, libri cujuſdam famoſi, *Notationes in Hiſtoriam Thuani* inſcripti, repellere; cujus auctor, *Joannes Machaultus* Jeſuita, ficto nomine *Joannis Baptiſtae Galli* nulla probra et maledicta omiſit, quibus Henotici omnes Pontificios, qui Galliae inſtitutis adhaerentes aulae Romanae non penitus ſe addicerent, ſibi jus eſſe onerandi exiſtimabant. Rationes autem, quibus ad illud defenſionis genus mores vitamque Thuani exponendo ſcriptor commentariorum movebatur, in regii mſ. praefatione indicantur, ubi inter alia haec habemus: *Quoniam calumniarum putidarum conſarcinatores, non contentos in annaleis dicere, etiam in vitam auctoris ſtylum virulentum ſtringere non puduit: mihi, qui viri ad publicam utilitatem nati innocentiam perſpectam habeam, ejuſque dignitatem integram conſervari publicae itidem rei ſummopere intereſſe exiſtimem, memoria repetenti, quae ab illo de ſe ac rebus ſuis veraci ac minime jactabundo animo plerumque diſſerente accepi, ea ſcriptis mandare operae pretium viſum eſt; ut de iis ad refellendas calumnias non ſolum apud praeſentis ſaeculi homines conſtet, ſed etiam qui poſt nos futuri ſunt hinc habeant, unde privatos viri ejus mores et totam vitae domeſticae rationem diſcant, cujus ingenium et candorem ex ipſius ſcriptis ſunt olim ſemper cogedituri* [4]. Cum res igitur in hunc modum conſtituta eſſet, aliena perſona melius expediri poſſe vir prudens et modeſtus, ut videtur, exiſtimabat. In editis quoque exemplaribus identidem, ac praecipue ſub finem quinti libri, indicia haud obſcura occurrunt, quibus opus hoc ab amico Thuani ſcriptum fuiſſe auctor intelligi voluit. Nam dicitur illic Thuanum, priusquam ad ſcribendum accederet, orationem ad Deum, ut praeſenti auxilio ſibi adeſſe in veritate eruenda, et in lucem educenda, dignaretur, quotidie feciſſe; quod his verbis introducitur: *ſicut ex ipſo audivi* [5]. Et poſtea, cum odii et obtrectationum fit mentio, quibus nullae juſtae rationes ſubeſſe viderentur, ſtatim additur: *cum ea de re auctorem conſulerem, reſpondit ille* [6]. Veruntamen an non honeſtae et graves ſententiae, quae ubique in hoc opere occurrunt, quod eodem libertatis ſpiritu animatur, qui totam hiſtoriam pervadit, ab ipſo Thuano revera ſcriptum fuiſſe ſatis demonſtrent, penes alios eſto judicium. Si ita ſit, loci ex eo jam citati innatae auctoris modeſtiae tribui debent, qui de ſe ipſo ſcribens alienam perſonam adſumere vellet. Etenim virum honeſtum et ingenuo rubore praeditum, dum opera et famam vindicabat, ea in laudem ſuam et honorem, quae vera eſſent, et juſta, neceſſario dicere compulſum, ut a ſe provenire viderentur, mentem inducere non potuiſſe credamus. Imo ſi in arenam defenſionis ſuae cauſa deſcendere coactus, neque dignitati, neque moribus ſuis convenire, cum adverſariis tam indignis, qualis Machaultus iſte Jeſuita, palam et aperte congredi, ſtatuerit; quis non recte eum judicaſſe agnoſcet?

EA

[1] Vid. Tom. VII. c. VI. p. 34.
[2] Vid. Tom. VII. c. V. p. 7. hujus Edit.
[3] Vid. Tom. IV. p. 787. hujus Edit.
[4] Vid. Tom. VII. c. IV. p. 3, hujus Edit.
[5] Ibid. p. 129.
[6] Ibid. p. 137.

Ea autem fama eſt Thuani, ea nominis celebritas, ut vitam ejus et actiones ſciendi deſiderio omnes teneri neceſſe ſit. Is enim illuſtri familia ortus, et ampliſſimis atque ornatiſſimis hominibus cognationis vinculo conjunctus, prima aetate principum legatos alioſque multarum rerum ſcientia praeditos per varias Europae partes comitatus eſt, et cum viris in omni vitae genere celeberrimis aut de literis et artibus humanioribus, aut de rebus civilibus, utpote qui in arduis et difficillimis negotiis ipſe ſaepe verſaretur, ſermones habuit, unde univerſa fere doctrina rerumque cognitione pectus implevit. Quiſquis igitur commentarios jam dictos evolvat, ad exceſſum uſque Thuani perductos fuiſſe, nec eum anno MDCI finem habuiſſe, ſine dubio exoptabit. At enim ut perſonam alienam adſumpſiſſe videtur, quo penſum viro modeſto adeo ingratum et moleſtum ſuſcipere poſſet; ita mortem uxoris, quae anno MDCI accidit, praetexuiſſe, quod tam abrupte rerum quatuordecim poſt annis libro ſexto deponeret, fas eſt conjectari. In eo enim luctu ultra biennium manere non potuit, quippe qui alteram uxorem anno MDCIII duxerit, quacum dein tanto amore et concordia vixit, ut mors ejus ſuam feſtinaverit. Quare commentarios iſtos nunquam revera cum longius perducere ſtatuiſſe, mihi omnino probabile videtur. Non enim ſponte ac ſe oſtentandi gratia ſcripti ſunt, ſed graviſſimis inimicorum injuriis extorti; quo fieri non poſſe demonſtraret, ut ipſe, qui vitam adeo honeſtam et inculpabilem, ut illic deſcripta eſt, octo et quadraginta annos duxiſſet, ſanctumque judicis officium ſumma integritate ſexennium adminiſtraſſet, tam improbus et ſceleratus homo eſſet, ut iſti depinxerant. Quanquam autem ea de commentariis opinio diu jam animum inceſſiſſet, nihil tamen laboris inter Gallos perquirendo omiſſum fuit, an ipſe Thuanus, an Puteanus vel Rigaltius, quorum uterque ultra triginta annos ei ſuperabant, quidquam iis adjeciſſet, quod etiam nunc alicubi extaret, aut prima ſaltem lineamenta, et ſpeciem quaſi adumbratam operis ejuſmodi reliquiſſet, quod nobis uſui foret. At vero ne unum quidem verbum de hac re uſpiam inveniri potuit. Duo tamen Thuani ipſius opuſcula comparavimus, quorum alterum eſt epiſtola ad praeſidem Jeanninum miſſa, cujus in proximis ad te literis mentionem feci; alterum vero, quod nunquam editum fuit, de colloquio agit, quod ipſe et alii quidam viri illuſtres, a rege Ludovico XIII matris reginae monitu delegati, cum principe Condaeo aliiſque primariis hominibus inter Proteſtantes Julioduni anno MDCXVI habuerunt. Utrumque Latinis literis ſcriptum eſt, et in noſtra editione locum habebit [1].

Non ab re erit hic notare, Puteanum et Rigaltium, priuſquam commentarii de vita Thuani Genevam privatim miſſi eſſent, ut una cum integra hiſtoria illic excuderentur, non tantum praefationem, cujus pars ſupra citata fuit; ſed quaedam etiam ex ipſo opere, unde ab amico aliquo Thuani ſcriptum fuiſſe ſuſpicandi anſa daretur, paſſim ſuſtuliſſe; uno autem loco maxime inſigni ad finem quinti libri forte praetermiſſo, in poſteriori editione Genevenſi, ut in prima ad te epiſtola expoſui, etiam hunc delendum curaviſſe. Verum clauſulas breviores, ut, *ſicuti ex ipſo auctore audivi*, et id genus alias, tanquam levis momenti, et quae minus ipſos ſpeciatim afficere viderentur, retinuerunt; ſeu, quod magis exiſtimo, temporis anguſtiis ſunt prohibiti, quo minus illos etiam delerent. In hiſtoriam enim quam citiſſime Genevam tuto tranſmittendi ſtudio, quae prima et praecipua eorum cura fuiſſe videtur, mentes adeo intentas et impeditas habuiſſe, ut aſſueta ipſis alioquin diligentia commentariorum exemplar recenſere non poſſent, facile credamus. Atque huic, ni fallor, feſtinationi tribui oportet, quod alterum ſaxum vitare cupientes in alterum incurrerint, et, dum nimis caute omnem ſuſpicionem commentarios ſcribendi a ſe ipſis amoliri ſtudebant, titulum hunc, *J. A. Thuani Commentarii de vita ſua*, praeter auctoris conſilium temere iis praefixerint; quo diſertim opus illud Thuano adſcribitur, quod ipſe ſub aliena perſona in lucem prodire voluit. Sed nemini mortalium datur omnia providere; atque haec incuria eo nobis gratior eſſe debet, quod de vero auctore hinc certius ſtatuere licet, quam alioquin forſan licuiſſet.

Unum

[1] Vid. Tom. VII. c. ii. p. 4. et c. ix. p. 6. hujus Edit.

UNUM eſt in ſexto commentariorum libro, quod haud parvi aeſtimari debet; deliberationem intelligo, quam rex Henricus quartus de concilio Tridentino in Galliam admittendo et promulgando cum primatis ejus adminiſtris et aulicis habuit[1]. Haec libro CXXIII hiſtoriae utiliſſimum praebet ſupplementum, ubi totum, quod de re tanta tradidit Thuanus, una hac ſententia conficitur: *Actum et tunc* [*anno* MDC] *de concilii Tridentini promulgatione; ſed res dilata, et, quanquam cancellarius et Villaregius maxime urgerent, in quietiora tempora reſervata*[2].

JAM ſi ingenii morumque auctoris noſtri imaginem, prout in vitae ſuae commentariis elucent, hic delineare ſuſciperem, magnam eorum partem exſcribere neceſſe eſſet. Jura et libertates Galliae, tam ſacras quam civiles, ſtrenue tuebatur; in rebus adminiſtrandis conſtantiam et firmitatem animi, quibus pariter dignitas, ſemper amabat; et licet ipſe eccleſiae Romanae fidem amplexaretur, de rebus tamen ad religionem ſpectantibus unicuique jus libere ſentiendi acriter aſſeruit. Porro dum atrocibus et difficillimis temporibus (quae dura ejus ſors fuit) haud ſine capitis ac fortunarum omnium periculo boni civis officia fideliter praeſtabat, honeſtis et ſalutaribus ſuis de rebus maximi momenti conſiliis duorum principum gratiam, quorum alter alteri ſucceſſit, conſecutus eſt. Aularum artes et fallacias, ut ingenuo homine prorſus indignas, ſemper contemnebat. Quanto autem patriae amore teneretur, ex fine libri CXXVI hiſtoriae etiam apparet; ubi Delphini nativitatem anno MDCI commemorans, iis conſiliis, quae ad imperium olim ſuccedenti ſaluberrima futura eſſent, puerile ejus pectus imbuendi occaſionem captat. *Ante omnia*, inquit, *ad gloriae Dei, per quem et propter quem reges regnant, amplificationem, cuncta conſilia tua, vires, ac conatus dirige: juſtitiam ſerva: cum vicinis pacem, cum tuis benevolentiam cole: et in civili adminiſtratione ſic te gere, ut virtuti decus, bene meritis praemia, ſublatis ubique foedis nundinationibus et avaritiae pabulo, conſtent; et aequabile inter omnes jus ita conſtituatur, ut neque ſacer ordo cultum ac reverentiam erga ſe a ceteris deſideret, neque nobilitas dignitates et honores ſibi deeſſe, neque plebs ſui rationem non haberi merito queri poſſit*[3]. Neque vitae quidem privatae virtutes minus religioſe coluit; pietate in parentes, amore erga homines praeſtantiſſimos, et amicitiis quas ſemel contraxerat retinendis peculiariter inſignis. In ſumma, qui, hiſtoria Thuani perlecta, ubi multa de rebus ſuis paſſim intexuit, vitam deinde evolvat, nulla ex iis, quas ſcripſit Plutarchus, minus utilem et fructuoſam inveniet; quocum praeſtantiſſimo ſcriptore Thuanum familiariter admodum verſatum fuiſſe oſtendit clariſſ. Dacerius, cujus verba hic adſcribam. *J'ay eu entre les mains un Plutarque Grec, note en pluſieurs endroits de la main de Turnebe. Il ne m'a eſte d'aucune utilité; car toutes ſes notes ne ſont que les mots les plus remarquables du texte, que ce ſçavant homme prenoit la peine d'eſcrire à la marge pour les avoir plus preſents. Mais je ne ſçaurois trop reconnoiſtre le ſecours, que j'ay tire d'un autre Plutarque, dont toutes les vies ſont notees de la main du celebre M. de Thou, de ce grand Hiſtorien, qui juſqu'à aujourd'huy ſouſtient pour cet art l'honneur de la France contre l'Italie & la Grece, & dans les eſcrits duquel on remarque autant de profondeur & de force, que de ſincerite & de verité. Il avoit leu ces vies avec tant de ſoin & d'exactitude, & avoit marque avec tant de choix ce qui pouvoit eſclaircir, ou illuſtrer les paſſages les plus remarquables & les plus importants, ou indiquer leur ſource, qu'il a extrèmement abregé mon travail, en m'eſpargnant de longues recherches, & en me donnant ſouvent des lumieres, que je n'aurois pas eues ſans luy*[4].

NEQUEO hic grati animi auctoris noſtri erga amicos ſuos, qui in hiſtoria componenda adjutaſſent, indicia quaedam omittere. In hiſtoriae ſuae libro CXVII de Petro Pithoeo, qui anno MDXCVI ex vita deceſſit, verbis honorificis loquens haec habet: *Nemo privata et domeſtica negotia exactius tenuit, quam ipſe Gallicam externamque hiſtoriam, origines populorum, deſcriptiones temporum, ſucceſſiones familiarum, bella, foedera, conventiones vel exterorum inter ſe vel nobiſcum, geſta, leges, mores, conſuetudines, provinciarum ſingularumve urbium.* Elogium deinde his verbis concludit: *Ita ut incomparabilis amici morte, quicum partiri curas,*

et

[1] Vid. Tom. VII. c. IV. p. 152. hujus Edit.
[2] Vid. Tom. V. p. 844. hujus Edit.
[3] Vid. Tom. VI. p. 98. hujus Edit.
[4] Pref. de M. Dacier, Ed. Par. in quarto, p. 37.

et non ſolum de ſtudiis, ſed etiam de republica conſilia communicare conſueveram, coeptae hiſtoriae penſum protinus e manibus excuſſerim, abjeciſſemque prorſus, niſi tanti viri, et de me ac patria tam bene meriti, memoriae hoc debere exiſtimaſſem, ut, quod illo auctore inchoaveram, ad publicam utilitatem, cui noſtram in ea parte induſtriam prodeſſe olim judicabat, quamvis tanto adjutore deſtitutus, aliis undecunque, quae ab illo ſolo ab initio ſperaveram, conquiſitis ſubſidiis, ad exitum tandem perducerem[1]. In ſexto autem vitae ſuae libro, mentione illius denuo facta, *Res*, inquit, *Henrico* II *geſtae, eo ſuperſtite ſcriptae, et ab eo in parte recognitae et emendatae: et cum vivere deſiit, earum exemplum penes ſe habebat*[2]. Denique ut dolorem, quo morte illius afficeretur, teſtatum faciat, epiſtolam ad Iſaacum Caſaubonum a ſe ſcriptam inſerit, in qua, *Me certe*, inquit, *ipſius amicitia, quamdiu ea frui licuit, felicem, nunc poſt ejus mortem unico ſtudiorum meorum et conſiliorum duce et adjutore orbatum, tantus adflixit dolor, ut parum abfuerit, quin ſtatim ſtudiis omnibus, et reipublicae adeo ipſi, cui me in aliqua parte inſervire voluit Deus, ſummum vale dixerim; niſi me ejus ipſius, ex cujus amiſſione tantum dolorem ſentio, praeclarae voces, quae adhuc animo meo inhaerebant, revocaſſent. Nam in mentem veniebat, illum, cum me de republica deſperantem ac plane animo dejectum videret, hac ratione ſaepe erigere ſolitum; cum diceret, quamvis haud paulo melius ipſe de regni ſtatu ominaretur, boni civis ac ſtrenui militis eſſe ſtationem a ſummo imperatore mandatam vel deploratis rebus minime deſerere*[3]. Sub finem libri CXXXVI hiſtoriae Sofredum Calignonum, Navarrae cancellarium, qui anno MDCVI vitam cum morte commutavit, elogio ampliſſimo exornans addit: *cum quo in edicto Namnetenſi condendo communem operam per triennium integrum navavi*[4]. Sed eis, quae illic dicta ſunt, alia quaedam ex regio mſ. in noſtra editione adjicientur; et inter cetera, quod hic ſequitur. *Cum triſtiſſimum de ejus morte nuntium accepi, ex eo graviſſimum dolorem concepi, quippe ſingulari amico et ſapientiſſimo viro orbatus, qui me domi in hiſtorico noſtro opere, foris in conſiliis pro republica capiendis, plerumque titubantem ſuſtinebat, et filo prudenti ac ſua quaſi manu deductum errare non ſinebat*[5]. Puteani et Rigaltii curae ac judicio paratam hiſtoriae editionem teſtamento ſuo commiſit, quos non tantum perpetuos fere et quaſi domeſticos ſecum multis annis ſocios habuiſſe vulgo notum fuit; ſed omnium quoque doctorum opinione idoneos, qui conſiliis ſe adjuvarent, aeſtimatos ipſe intellexit. His igitur operis ſui edendi provinciam mandavit, quibus fratres etiam Sammarthanos adjunxit, *qui* (teſtamenti ipſius verba ſunt) *in toto opere multum opera ſua et diligentia adjuverunt*. Haec non minus prudentis, quam ingenui ac probi hominis plane documenta ſunt, eventumque habuerunt congruentem. Nam poſt mortem ejus Puteanus et Rigaltius memoriae, ſcriptis, et familiae cuncta pro viribus officia praeſtandi nullam publice aut privatim occaſionem omiſerunt. Prima cura de hiſtoria fuit edenda, proxima de corrigenda et emendanda. Rigaltius deinde ad id tempus, quo auctor ipſe pertexere ſtatuerat, opus continuavit. Tum fratres Puteani, Petrus et Jacobus, nominum propriorum et hominum et locorum, quae in hiſtoria memorantur, interpretationes publicarunt: nam praeter ea, quae in exemplaris ſui margine Petrus adſcripſerat, *Index Thuani* conjunctis eorum laboribus confectus eſt[6]. His addantur Petri Puteani *Apologie pour l'Hiſtoire de M. de Thou*; ejuſdemque elaborata et ſtrenua *Franciſci Thuani*, auctoris noſtri filii infelicis, *defenſio*: quarum utramque in ultimo, hoc eſt ſeptimo, editionis noſtrae tomo adhibebimus[7]. *Notationes* etiam *J. B. Galli* illic integras dabimus; Thuanique ſui ipſius defenſionem, ſub titulo, *Commentarii de vita ſua*, in lucem emiſſam[8]. In ſumma volumen illud, cujus curam et diſpoſitionem in me ſuſcepi, quaſi promptuarium erit epiſtolarum, aliorumque de variis argumentis ſcriptorum, copioſiſſimum;

[1] Vid. Tom. V. p. 644. huj. ed.
[2] Vid. Tom. VII. c. iv. p. 144. huj. ed.
[3] Ibid. p. 145.
[4] Vid. Tom. VI. p. 379. hujus edit.
[5] Ibid. p. 380.
[6] Vid. Tom. VII. c. viii. p. 17.
[7] Vid. Tom. VII. c. viii. p. 4. et c. x. p. 6.
[8] Cap. III. p. 32. et c. IV. p. 1.

mum ; quae ſuo quaeque ordine ac tempore certis capitibus ita diſtribuere conabor, ut ſeſe mutuo, atque adeo hiſtoriam maxime illuſtrent. Ex eo apparebit Thuanum ad multos multarum gentium viros laude eruditionis rerumque ſcientia celeberrimos ſe applicuiſſe, quorum ope et benevolentia, quae ad inſtitutum ſuum facerent, ſive de literis humanioribus, ſive de rebus civilibus, certa et explorata ſe accepturum ſperaret. Quapropter cum fides ejus ac ſtudium veritatis in iis, quae tradidit, ita ſunt comprobata, ut a nemine jam in dubium vocari poſſint ; fontes ipſos aperire, ſcriptaque authentica, quorum auctoritate, quae in hiſtoria ſunt narrata, confirmationem acciperent, colligere, et tanquam appendicem ei adjungere, omnino ſupervacaneum duxi. Praeterea, omnia id genus ſcripta congerere res prope infinita eſſet, et quam nemo prudens, ut opinor, facile de ſe promitteret ; et ſi qua forte omitterentur, licet nullo labore aut pretio comparari poſſent, in tam diverſo lectorum guſtu nonnulli ſine dubio moleſte ferrent, quaſi de induſtria eſſent ſuppreſſa.

A grati animi exemplis, quem erga amicos ſuos Thuanus oſtendit, ad fidem ejus et taciturnitatem ratione eorum, qui res arcanas, nec temere divulgandas, cum eo communicaſſent, jam tranſeamus. Huc referri debet, quod in nulla hiſtoriae ſuae editione, dum ipſe in vivis eſſet publicata, factum illud magni ducis Coſmi commemoravit, qui manu ſua Garſiam filium occidit, quod alterum filium Joannem is prius occiderat. In libro autem primo vitae ſuae ſub anno MDLXXIII, auctorem nominans Georgium Vaſarium, architectandi ac pingendi artium peritia celebrem, qui et vitas illuſtrium pictorum ſcripſit, ejus rei narrationem ita claudit : *Et Coſmum id, quamvis juſte et generoſe factum, enixe tegi voluiſſe confirmavit, ne aemuli initio fundati imperii materiam inde obtrectandi arriperent.* Sed in regio mſ. haec adjecta leguntur : *Itaque auctor monitorum Vaſarii memor, idem quod ille veritus, partem eam in hiſtoriis ſuis ſuppreſſit, ſeorſumque cum iis, quae ad concilium Tridentinum pertinent, excudendam curavit* [1]. Factum igitur illud in libro XXXII hiſtoriae, Genevae anno MDCXX editae, primum traditur [2]. Quod ad librum autem attinet, qui ſub titulo, *Omiſſa in hiſtoria Thuani ad annos* MDLXII *et* MDLXIII, ſeorſum ab hiſtoria excuſus fuiſſe dicitur ; non ab re erit paulo copioſius de illo hic agere. Ex epiſtolis quibuſdam virorum clarorum ad Goldaſtum, quae in ultimo tomo noſtro edentur, parvum librum fuiſſe conſtat, Pariſiis privatim excuſum, et cum amicis tantum ea conditione communicatum, ne prelo iterum ſubjici permitterent. Lingelſhemius igitur, cui Thuanus exemplar donaverat, licet amicis quibuſdam perlegendi copiam conceſſerit, nemini tamen deſcribendi poteſtatem facere voluit [3]. Quare librum rariſſimum eſſe, et paratu difficillimum, facile credes ; quod et ego diligenter, ſed fruſtra, perquirendo expertus ſum. Cum exemplar autem in bibliotheca regia Pariſiis cuſtodiatur, id meo rogatu Cartius nuper deſcribendum curavit. Forma octava vel duodecima, ut ſcribit librarius, eſt excuſus ; nullo auctoris nomine, loco, aut tempore edendi expreſſo. Paginis tertii Drouartiorum tomi in octavo, anno MDCVI editi, accommodatus eſt ; et ex epiſtolis ad Goldaſtum Lingelſhemium anno MDCVIII ſuum accepiſſe exemplar videtur [4]. Nihil ex eo libro in Drouartianam editionem, anno MDCIX in duodecimo inchoatam, auctor transferri voluit. Et Roberti Stephani volumen, anno MDCXVIII publicatum, ad eas hiſtoriae partes non pertingit, quibus ex hoc libro acceſſiones factae ſunt. Editionibus igitur Genevae excuſis libri hujus capita ſuo quaeque loco primum ſunt inſerta. Tria autem omnino habet capita : quorum primo ea, quae ad concilium Tridentinum pertinent, traduntur, quibus liber XXXII hiſtoriae anno MDLXII exorditur. Secundo capite ea locupletantur, quae in eodem libro de magno duce Coſmo et duobus ejus filiis in prioribus editionibus ſcripta erant. Tertium denique caput ad res concilii Tridentini totum ſpectat, quae ſub anno MDLXIII ad libri XXXV finem cadunt. Hunc librum, ſive ſupplementum, cum Genevenſibus editionibus diligenter contuli ; et variantes lectiones, quae numero paucae ſunt, in ima paginarum parte noſtrae editionis ponentur. Enimvero, quod majoris eſt momenti, ea collatio inſignem emendationem in operis contextu faciendi

occaſionem

[1] Vid. Tom. VII. c. iv. p. 18. hujus edit.
[2] Vid. Tom. II. p. 255. hujus edit.
[3] Vid. Tom. VII. c. vi. p. 49.
[4] Ibid.

occaſionem praebuit. Orationem enim, quam Ferrerius Gallici regis legatus in concilio Tridentino fecerat, libro XXXV inſerendam, habet ſupplementum; item ſummam alius orationis, ad finem cujus Thuanus, num revera pronunciata eſſet necne, ſe dubium eſſe ſignificat. *Eam orationem*, inquit, *habitam vix puto; quam tamen inter commentarios Jacobi Burdini a ſecretis epiſtolis, qui negotia Italiae, atque adeo concilii tunc tractabat, reperi, cum titulo, quaſi ab oratoribus regiis, Ferrerio et Fabro, Tridenti menſe Septembri pronunciata eſſet.* Eo autem ſcrupulo poſtea ſublato, paratae editioni integram orationem cum hac praefatione inſeruit: *Alteram et orationem, longe acerbioribus verbis habitam, reperio in commentariis Jacobi Burdini regi a ſecretis epiſtolis, qui negotia Italiae atque adeo concilii tunc tractabat; nam orationi manu Burdini ipſius additum erat*, eam ab oratoribus regiis, Ferrerio et Fabro, Tridenti menſe Septembri pronunciatam fuiſſe. *Quod vix putarem, niſi Jacobus Valdeſius, in libro de dignitate regum regnorumque Hiſpaniae, et honoratiori loco eis eorumque legatis a conciliis, et Romana ſede, jure debito, Granatae diu poſt anno* MDCII *edito, omnem dubitationis ſcrupulum tolleret; inſerta Itali cujuſdam epiſtola, qua in tumultu illo, cum orator Hiſpanus ſeparatum ab aliis principum legatis locum pontificiorum legatorum permiſſu uſurpavit, eadem verba, quae infra referemus, a noſtris oratoribus uſurpata memorantur. Iis autem inaudita Italorum auribus libertate in Pium* IV *invehebantur: Quod* etc. Neſcio autem unde accidit, ut verba ex ſupplemento citata, quae Thuanus huic orationi, dum adhuc in dubium vocabat, ſubjecerat, in utraque Genevenſi editione retenta ſint, licet oratio ipſa eo, quem jam dixi, modo ſit introducta [1]. Quapropter in noſtra editione, ut res ipſa poſtulat, verba iſta omittentur. Porro qualis eſſet concilii Tridentini exitus, libro XXXV hiſtoriae docemur; ubi et illuſtrium quorundam Gallorum, Sanctis nimirum, Genebrardi, Daneſii, et Eſpencaei opiniones de hoc concilio auctor adjecit. Haec tria capita una continua narratione exhibet ſupplementum; quorum ultimum, cum in priori editione Genevenſi omiſſum eſſet, poſteriori deinceps eſt inſertum. Sed de ſupplemento hactenus. Ad aliud igitur auctoris noſtri in arcanis ſibi commiſſis taciturnitatis exemplum jam pergo, colloquium volo inter cardinalem Santacrucium et celebratum Paulum Foxium Romae, ipſo praeſente, habitum. Hujus meminit libro primo de vita ſua, et ſequentibus verbis concludit: *His dictis Santacrucius Foxium rogavit, monitorum memor eſſet, ceterum monitoris oblivisceretur.* In mſ. autem regio haec addita invenio: *Quod idem et Jacobo* [Thuano] *dictum, qui tamen rem minime oblivioni mandavit, ſed in adverſaria retulit; et quanquam in annalibus omiſit, tamen poſt tot annorum intercapedinem, cum nullum inde periculum Santacrucio, qui jampridem obiit, creari poteſt, non moleſte feret, ſi ea nunc monimentis publicis conſignantur* [2].

TANTUM Thuani ſcriptorumque ejus amorem vir eximius, Iſaacus Littleburius, quem patris loco colui, in diuturna et jucundiſſima noſtra conſuetudine mihi olim inſpiravit (cujus manibus jampridem defuncti hic parentare eo facilius mihi indulgebis, quod hominem ac mores ejus optimos tu fraterque tuus Samuel cognoviſtis) ut nequeam quin parum digrediens obſervem Thuanum, patris ſui tam in munere honorifico, quam in vita privata, praeclaram agendi rationem intuendo, ad mentem ſuam egregiis illis virtutibus excolendam animatum fuiſſe, quas non ſine maximo rerum ſuarum detrimento et in vita et ſcriptis adeo luculenter deinceps expreſſit. Puteanus etiam arctiſſima illius multorum annorum amicitia ad eaſdem virtutes excitatus, filii ejus majoris, Franciſci Thuani, animum iis non leviter tinxit, ſed ita penitus imbuit, ut Richelius livore et odio commotus, quod familiam in eodem ſplendido virtutis curſu, et in Gallica jura amore, a patre ad filium quaſi per manus traditis, perſeverare videret, ad perniciem ejus leges male torquendi occaſionem arripuerit. Item junior filius Jacobus, dum Hagae comitis legatum agebat, muneris ſui ſplendorem et dignitatem ad Gallici nominis decus tuendi ſtudioſus tantos ſumptus fecit, ut Pariſios iterum reverſo, et a Colberto parum benigne tractato, fortunarum ruinam tandem attulerint; ac poſt mortem ejus pretioſiſſimae iſtius bibliothecae venditionis, quam pater non ſolum familiae ſuae, ſed rei etiam literariae commodo integram conſervari teſtamento juſſerat, cauſa extiterint. HABES

[1] Vid. Tom. II. p. 373. hujus edit.

[2] Vid. Tom. VII. c. IV. p. 22. hujus edit.

HABES jam inſtitutam nobis de Thuani hiſtoriam edendo rationem, quam in his epiſtolis exponere tibi ſuſcepi, plene et copioſe ſatis, ut ſpero, enarratam. Veruntamen cum ea, quibus editio noſtra alias antehac in lucem emiſſas praeſtare videatur, ſparſim, locisque haud parum diſtantibus, ut in hoc ſcribendi genere evenit, explicata fuerint; quo clarius ac facilius omnia percipi poſſint, ſummarim hic proponere, et in uno conſpectu collocare, non ab re eſſe exiſtimavi.

IN operis contextu *paratam* auctoris *editionem* libris CXXXVIII comprehenſam, prout Genevae anno MDCXX, iterumque anno MDCXXVI ac partim XXX cum emendationibus, excuſa fuit, adhibebimus.

TEXTUI literis Italicis, ut vocant, ejuſdem magnitudinis loci inſigniores, tum ex Patiſſoniana in folio editione, tum ex ſingulis Drouartianis, quos aut prorſus omitti, aut ſaltem haud parum immutari auctori placuit, proxime ſubjicientur. Etenim cum Thuano haec ſemel publicare, nec unquam ſane deinceps diſertim repudiare, viſum fuerit; ab operis licet contextu ſeorſum, in luce tamen haud obſcuriori conſtituere, aequum eſſe exiſtimavimus. Diſtinctionis autem cauſa Patiſſoniani voluminis lectiones litera *P*. Drouartianarum vero editionum in octavo, folio, et duodecimo, literis *D*, *o*, *f*, et *d* deſignabuntur.

HAS aliae ex ſingulis editionibus jam dictis minus inſignes varietates; item ex mſſ. regio et Sammarthano, vel horum altero, excerpta, Romanis literis formae minoris expreſſa, variantium lectionum nomine excipient. Haec enim ex mſſ. excerpta, quia nunquam ab auctore edita fuerant, ideoque haud publice ab eo recognita, tanquam inferioris gradus, literis minutioribus excudentur; cum tanti tamen hominis vera animi ſenſa nobis exhibeant, neque per ſe indigna eſſe, quae ad poſteros conſervarentur, neque lectoribus noſtris ingrata fore, judicavimus. Volumen Patiſſonianum et Drouartianae editiones iiſdem literis, ut antea; mſſ. vero regium et Sammarthanum, his notis, *MS. Reg. MS. Samm.* indicabuntur.

NOMINUM propriorum, tam hominum quam locorum, interpretationes, literis Italicis minoribus excuſae, deinceps ſequentur. Rationem autem in iis explicandis obſervatam hic paucis exponam. Vetera nomina, quae nemini ignota eſſe poſſent, praetermiſſa ſunt, ut *Sabaudia*, *Averſa*: item quae Latina terminatione tantum ſigurata ſunt, ut *Navarra*, *Lautrecus*. Ceterum quae longius inter ſe diſcrepantia minus nota lectoribus viderentur, interpretatione ſunt illuſtrata, ut, *Ticinum*, *Mauſoleum Hadriani*, *Gallia Ciſalpina*, *Picenum*, pro *Pavie*, *le Château St. Ange*, *Lombardie*, *la Marca d'Ancona* poſita: item quoties Latina nomina ab hodiernis literis aut ſono haud ita multum ſunt diverſa, ut, *Piſcarius*, *Rentius Cerius*, *Vaſtius*, *Cameracum*, *Maſſilia*, quibus *di Peſcara*, *Renzo da Ceri*, *del Guaſto*, *Cambray*, *Marſeille*, ſubſtituta ſunt. Homines illuſtres, quos Thuanus nomine tantum memoravit, cum primum occurrunt, officio vel dignitate fere ſunt deſcripti; quales ſunt *Lanoius*, *Sfortia*, *Arauſionenſis*; quae nomina per voces *de Lannoy viceroy de Naples*, *Franciſco Sforza duc de Milan*, *Philibert de Chalons prince d'Orange*, ſunt explicata. Nomina autem hujuſmodi, quae in quavis propemodum pagina leguntur, ut *Navarrus*, *Condaeus*, *Guiſius*, *Meduanus*; pro *le roy de Navarre*, *le prince de Condé*, *le duc de Guiſe*, *le duc de Mayenne*, ſemel tantum, idque primo loco, quo ſe offerant, plerumque ſunt expoſita. Nemo enim in illa hiſtoria legenda, cujus tanta ipſi pars ſunt, nominum eorum repetitam interpretationem deſiderare poteſt. Si nominis alicujus interpretatio, quum primum in pagina occurrat, data fuerit, in eadem pagina nunquam iterum repetita eſt. Plerique lectores plures forſan, quam neceſſe fuit, interpretationes adhibitas, multaſque nimis ſaepe iteratas exiſtimabunt. Hoc autem, cum nulli merito offenſioni eſſe poſſit, facile condonabitur. Nemo enim inter legendum ad interpretationem, qua non indigeat, quaerendam a contextu operis in imam paginam oculos deflectet.

DENIQUE notae quaedam, emendationes, additamenta, aliaſque a textu diſcrepantias notatu digniores, a Puteano et Rigaltio in codicibus ſuis per totum opus pro arbitrio adſcriptas, comprehendentes Romanis characteribus, ejuſdem magnitudinis

nis ac variantes lectiones, ultimum ſub textu locum occupabunt : quae his ſignis *Put.* et *Rig.* diſtinguentur.

EPITOMAE ſuis quaeque libris praefigentur, quarum praecipua argumenta literis numeralibus notabuntur, quibus aliae ad ſingula capita vel paragraphos librorum eodem ordine appoſitae reſpondebunt.

UNIVERSI operis hiſtoriei, prout jam conſtitutum et diſpoſitum eſt, faciem exhibuimus. Variantes lectiones ex mſſ. cunctiſque editionibus collectas, et nominum propriorum interpretationes, Cartius in exemplari, quod prelo erat parandum, accurate deſcripſit. In quem finem dum totum opus evolvit, plurima quoque in utraque Genevenſi editione errata typographica correxit. Notis etiam brevioribus in extrema pagina adſcriptis multa explicuit, et quaedam emendavit. Ad haec ingentem numerum propriorum nominum, quae a Puteano praetermiſſa erant, ex auctoribus ipſis, unde narrationes ſuas hauſerat Thuanus, aliiſque illius aevi ſcriptoribus, interpretatus eſt. Qua in re de omnibus ſane eruditis, atque adeo de Thuano ipſo, optime meritus eſſe videtur ; quod nihil hactenus lectoribus ejus tantam creavit moleſtiam, quam nominum propriorum difficultates, quae in ſingulis fere paginis ad Latinae linguae formam inflexa occurrebant. In poſterum igitur minime dubitandum eſt, quin plurimos omnium recentium hiſtoricorum lectores Thuanus habiturus ſit ; quia plura ſane ex eo, ſive de rebus politicis, ſive de literis et artibus ingenuis, hominibus in quacunque vitae conditione poſitis ſcitu digniſſima, quam ex ullo alio hoc genus ſcriptore ediſci poſſunt. Simile quoque ſtudium et induſtriam in vita auctoris recenſenda idem vir doctus poſuit : quae et in ſex hiſtoriae tomorum vitaeque in ſeptimo tomo indicibus, quos conficere ſuſcepit, eum adhibiturum pariter expectare licet.

[QUANDOQUIDEM autem Thuanus in temporibus rerum geſtarum notandis non unam rationem perpetuo obſervaverit, ſed alias ſtylo Romano, alias hodierno uſus ſit ; lectorum commodo ad calcem cujuſque ſex tomorum hiſtoriae kalendarium Romanum adjungemus, cujus beneficio utriuſque conſenſus oculis ſimul obverſabitur. Et quia res ab auctore noſtro traditae in ea tempora incidebant, quae computationem Gregorianam anno MDLXXXII invectam partim anteceſſerunt, partimque inſecuta ſunt, in tribus poſterioribus hiſtoriae tomis tabulam, collationem inter calculum Julianum et Gregorianum exhibentem, kalendario Romano adjiciemus ; quam vir cl. Joannes Machinus, aſtronomiae in collegio Greſhamenſi profeſſor, et Regalis Societatis ſecretarius, mihi perbenigne concinnavit. Hoc eo magis neceſſarium videtur, quod Thuanus poſt Gregorianae computationis receptionem utrumque calculum indifferenter adhibet. Ita conjurationem de rege noſtro Jacobo primo cum univerſo ſenatu vi pulveris nitrati tollendo referens, *Jamque tempus*, inquit, *comitiorum inſtabat, quae rurſus in nonas Novembreis dilata fuerant, quo die facinus peragendum erat*[1]. Hic vetere calculo uſus eſt ; nam, ſi novo uti voluiſſet, non *nonas Novembreis*, ſed XVII *kalendas Decembreis* ſcripſiſſe debuit. De morte autem reginae Eliſabethae verba faciens, *Hora*, inquit, IV *matutina defecit Richmondiae, pridie nonas Aprileis, qui in* XXIV *Mart. juxta calculum veterem incidebat*[2]. Cum *pridie nonas Aprileis* hic dicat, novum calculum manifeſto ſecutus eſt ; nam dies XXIV *Martii* juxta veterem calculum *nono kalendas Aprileis* reſpondet. Quanquam ſane, ut idem vir ingenioſus mihi obſervavit, dies XXIV *Martii* non *pridie*, ſed *tertio nonas Aprileis*, juxta calculum novum congruit ; ſicut tabulam ejus cuivis inſpicienti facile apparebit. Is enim decimus eſt dies a XXIV Martii, quo dierum numero tunc temporis nova haec computandi ratio veterem antecedebat : et tamen, neſcio quomodo, error iſte in omnibus Thuani editionibus inſedit ; neque tempeſtive ſatis de eo admonitus fui, ut in noſtra emendaretur.]

VERUM ingrati animi crimen hic merito ſubire viderer, ni egregia beneficia ab eximiis et ampliſſimis quibuſdam viris accepta, qui opera ſua conatus noſtros in nova hac Thuani hiſtoriae editione procuranda benevole adjuverunt, poſteris teſtata relinquerem. Primae autem gratiae tibi ipſi debentur, quo auctore et ſuaſore opus

ſuſcepi ;

[1] Vid. Tom. VI. p. 339. huj. edit. [2] Vid. Tom. VI. p. 173. huj. edit.

ſuſcepi; proximae vero fratri tuo digniſſimo Samueli, clariſſimi nominis juriſconſulto, qui hortationibus ſuis ad ſuſceptum opus exequendum animum excitavit et confirmavit. Neque haec feciſſe ſatis habuiſtis, ni et conſilio veſtro dirigere, librorum copiam ſuppeditare, alioſque, ut inſtituto noſtro impenſis repraeſentandis faverent, adducere pergeretis. Hoc poſtremum quoque nobiliſſimi vicecomes Townſhendus et baro Carteretus cum venerabili epiſcopo Londinenſi, Edmondo Gibſono, in ſuperiori regni ordinum conſeſſu; ſicuti ſingulari commendatione honoratiſſimus Robertus Walpolus, eques nobiliſſimi ordinis periſcelidis, in inferiori ſuſcipere dignati ſunt. Praeterea ex patriciis duobus jam dictis poſterior, Hiberniae prorex, rem eandem illic haud parum promovit: prior autem, regi a ſecretis epiſtolis, dum ſacram majeſtatem proxima aeſtate ad Germanicas regiones ditioni illius ſubjectas comitabatur, nobiliſſimis comitibus et legatis Cheſterfieldo Hagae-comitis, et Waldegravio Vindobonae, ut etiam praeclariſſimis reſidentibus Carolo Dubourgaio praefecto militari Berlini, Gualtero Titleio armigero Hauniae, et Cyrillo Wicho baronetto Hamburgi commendavit; quorum ſinguli ea, qua pollebant gratia, perhumaniter adjuverunt. Waldegravii etiam comitis benignitati attribui oportet, quod nobilis eques, Pius Nicolaus Garellius, id laboris benevole admodum in ſe ſuſcepit, ut quidquid vel ſua, vel imperialis Vindobonae bibliotheca, cui ipſe praefectus eſt, haberet, quod operi noſtro inſerviturum judicavit, mihi tranſmitteret. Doctiſſimo quoque Duchato Berlini me plurimum devinctum fateor, qui obſervationes ſuas in multos Thuani locos mecum communicare haud gravatus eſt. Neque viri ſane illuſtriſſimi, Horatii Walpoli, ſingularia beneficia ex animo unquam dilabentur, qui non tantum biennium abhinc Pariſiis, dum legati munere illic fungebatur, me valde liberaliter accepit; ſed multas etiam Thuani, Camdeni, et Caſauboni epiſtolas mſs. de quibus alioquin prorſus deſperaſſem, ad uſum meum deinceps comparavit. Egregia item officia, quae in rebus ad Thuanum ſpectantibus vir praeſtantiſſimus Stephanus Pointſius, in Gallia etiam legatus, erga me adhibuit, maximas gratias meritiſſime poſtulant. Quanta etiam benevolentia Thomas Robinſonus armiger, Walpolo legato Pariſiis a ſecretis epiſtolis, commoda noſtra illic adjuvare conatus ſit, gratiſſima memoria ſemper retinebo. In utraque noſtra academia homines maxime inſignes, Oxonii Georgius Clarke armiger, Cantabrigiae vero Richardus Bentleius SS. Trinitatis collegii magiſter, utiliſſimam mihi operam in opere commendando praeſtiterunt. Neque Thomam Cockmannum Univerſitatis collegii apud Oxonienſes magiſtrum, et Joannem Adamum Sidneii collegii apud Cantabrigienſes ſocium, hic praeterire fas eſt; quorum utrique, propter eximium eorum ſtudium in pecuniam ad impenſas operis repraeſentatam mihi comparando, me valde obſtrictum eſſe libens agnoſco. Adjumenta etiam ad perficiendam editionem noſtram, quae illuſtris Marcſius, ſenatus Pariſienſis advocatus, mihi perbenigne ſuppeditavit, ut grato animo teſtificer, merito requirunt. [Viro denique reverendo Nicolao Clagetto S. T. P. nunc vero ad ſedem epiſcopalem Menevenſem evecto, me plurimum debere profiteor, qui triennium circiter abhinc ex praeclara nobiliſſimorum Sunderlandiae comitum bibliotheca hiſtoriae vitaeque Thuani pulcherrimi exemplaris, Genevae anno MDCXX charta majore excuſi, in fronte tamen operis nomen *Aurelianae* exhibentis, uſum mihi comparavit. In hoc codice emendationes aliquot, partim in vacuis inter verſus operis ſpatiis, partimque in margine ſcriptas, inveni, quas omnes diligenter excerpſi; conferendo autem poſtea cum iis a Puteani exemplari Lutetiae deſcriptis, eaſdem omnino eſſe, ſed numero pauciores, deprehendi.]

INGENTIBUS autem beneficiis jam memoratis, quibus nobiliſſimus baro Carteretus me cohoneſtavit, alia quoque adjicere ipſi placuit. Etenim non tantum monitis ſuis et conſiliis prudentiſſimis in Thuani, quem in deliciis habet, atque haud ſemel evolvendo familiariſſimum ſibi reddidit, editione exornanda me ſaepe adjuvare; ſed ante annum proxime elapſum ſequens etiam elogium, ampliſſimis et ornatiſſimis verbis conceptum, de hoc ſcriptore praeſtantiſſimo mecum, quae ſumma ejus eſt humanitas, communicare dignatus eſt.

“THUANUS

" THUANUS copia et dignitate argumenti, quod ſtylo maxime idoneo et ornato illuſtravit, inter hiſtoricos praeſtantiſſimos merito numerari debet. Majori honore nullus ſcriptor patriam ſuam unquam decoravit. Jura Gallicae nationis ſemper defendit, et popularibus ſuis rationes firmiſſimas, quibus tueri poſſent, ſuppeditavit. Domus Borbonicae jura in luce clariſſima conſtituit. Iis autem temporibus vixit, quibus aulae Romanae indignationi aulicos Pariſiis eum graviter vexandum dedere non pudebat. Cujus rei atrocitati etiam hoc acceſſit, quod fortiſſimus ſuus princeps, Henricus quartus, in eo defendendo vacillaret; atque Gallum hunc doctiſſimum, candidiſſimum, et liberrimo ingenio praeditum, fideliſſimum civem, et amicum ſibi utiliſſimum, ſacrificis et hominibus ſuperſtitione depravatis, qui immortale hoc opus ſupprimere conabantur, inſultandum relinqueret. Atque hac quidem in re Henricus quartus eam animi excelſitatem, quam aliis occaſionibus oſtendere ſolebat, non retinuit; ſed infra dignitatem ſe geſſit, quod virum, quem amavit, et ob eximia erga ſe officia magni aeſtimavit, contra injurias eorum, quos contempſit, non tueretur. Attentus hiſtoriae hujus lector Thuanum vere de ſeipſo loqui percipiet, cum honores aulicos ſe declinaſſe potius, quam periiſſe, totamque dignitatem ſuam et ſecuritatem in mente recti ſibi conſcia poſuiſſe affirmat [1]. Licet opus longum ſit, ſi univerſum corpus ejus conſideretur; ſingulae tamen partes ſeorſum ſpectatae non ita inveniuntur. Lectorem per totum mundum circumducit, ſemper delectat, et documentis utiliſſimis ubique fere inſtituit. Non expectandum eſt, ut ea, quae de exteris nationibus habeat, auctor tam accurate tradiderit, ut cum de ſua loquatur. Pretium operis in iis praecipue conſiſtit, quae de aula Romana, Gallica, et Hiſpanica narravit; quippe quae ipſi, tanquam fonti, jure attribui debeant. Multa quidem de Germania habet cognitu digniſſima, ſed cum ab aliis ſcriptoribus acceperit, primam inde laudem ſibi vindicare nequit; licet exemplar ejus, ſi ita appellemus, aliorum archetypa ſtyli elegantia et ornatu longiſſime ſuperet. Multa etiam, quae ad aulas quaſdam Italicas ſpectant, egregia occurrunt, quorum aliquot in nullo alio ſcriptore leguntur. Quod ad Belgium attinet, res illic geſtas, a primis perturbationibus ad inducias anno MDCVII propoſitas, optime et uberrime omnium explicuit. Magna rerum in Luſitania poſt Sebaſtiani mortem converſio anno MDLXXIX accuratiſſime deſcripta eſt. Turcorum res tradendo, ut etiam Cheriſiorum in Africa, nemo eum exaequavit; quarum novis ac mirificis ſaepe eventibus haud parum ipſe delectatus fuiſſe videtur. In Americam, atque adeo in remotiſſimas partes orientis excurrit. De rebus in Polonia, Hungaria, Tranſylvania, Walachia, domuſque Auſtriacae cum his nationibus geſtis, diligenter perſcripſit. In iis, quae de Moſcicis, Suecicis, Danicis, Boruſſicis, et Livonicis rebus tradidit, nihil amplius, ſive ad docendum, ſive oblectandum, deſiderari videtur. Quae de Anglia retulit, interdum minus accurate ſcripta eſſe, negari non poteſt. Sin autem in civilibus noſtris inſtitutis, ac rebus juridicis, homo exterus aliquando erraverit, facilem ſane excuſationem admittit. In magnis rebus gentis honorem vindicavit, et Eliſabethae reginae geſta nuſquam ſummo veroque ſuo ſplendore clarius, quam in hac hiſtoria, effulgent. In Scoticis rebus Buchananum, quoad is perduxerat, plerumque ſequutus eſt, fidemque ei conciliavit. Qui ob leviculos quoſdam errores in rebus ad externas nationes ſpectantibus tantum opus reprehendant, in publicis negotiis ſe plane hoſpites eſſe produnt; quod de gentis cujuſque Europaeae rebus domeſticis, ſibique peculiaribus, accuratas narrationes comparari potuiſſe exiſtiment. Pauci res gentis ſuae perfecte ei nuntiare poterant; et diligentiſſimi homines, ſummoque judicio praediti, nimis ſaepe fallantur. Quidquid negotii aulae alicui cum Gallia interceſſit, diligenter narravit, rerumque varietas lectoris animum magna voluptate afficit ac recreat. Praecipua autem hiſtoriae laus et utilitas, ut dixi, in iis conſiſtit, quae de Romana, Gallica, et Hiſpanica aulis, a quibus res univerſi terrarum orbis eo tempore quodammodo pendebant, tradidit.

IN

[1] Vid. Tom. III. p. 634. hujus edit.

« In magno hoc opere varia hiſtoriarum genera, a ſummis capitibus diverſa, com-
« prehenduntur. Literarum progteſſus ſpeciatim mira arte et labore intextus eſt, plus
« quadringentis hominibus elogio ornatis, qui per omnes mundi partes intra hoc
« temporis ſpatium ſcriptis ſuis eruditis celebre nomen conſecuti erant. In eo au-
« tem auctoris noſtri humanitas conſpicue apparet, quod neminem graviter nimis
« reprehendat : porro, ut errores leviter tangit, ita pro ſingulorum meritis, nullo
« aut religionis aut gentis cauſa diſcrimine facto, juſtas laudes promiſcue tribuit ; ob
« quam cauſam aula Romana implacabili odio eum impetebat. Opus ejus, tan-
« quam ab haeretico ſcriptum, damnabatur ; et tamen eccleſia Romana id habet,
« unde ſe jactare poſſit, quod Thuanus in ejus communione ad mortem uſque per-
« manſerit. Emiſſarii Romani poſthumam operis partem, ſive hiſtoriae a libro
« octogeſimo continuationem, in dubium vocare prae ſe tulerunt : ſed ut ſtylus
« ipſe, et libertimum dicendi genus haud imitabile, quibus iis, quae, dum vita fru-
« ebatur, ſuo nomine publicavit, omnino congruit, eundem auctorem habuiſſe
« plane evincunt ; ita editionem Lingelſhemio attributam ipſam *paratam editio-
« nem* revera fuiſſe, Buckleius noſter certiſſimis rationibus demonſtravit.

« Universi operis forma et conſtructio ſatis laudari nequit, quod tanta re-
« rum copia diverſi generis abundat, ut in partes diviſum, ſi ſingulae earum ad capi-
« ta ſua redigerentur, complures egregias facerer hiſtorias, conciſas quidem, ſed
« plenas, magnique ponderis, et quas plerique lectores avide expeterent. Sed
« ut uno nunc corpore conjunctae ſunt, *quinque tomi in folio* Latine conſcripti,
« et hiſtoriam ſexaginta tantum annorum complexi, multos a legendo deterrent.
« Nova autem hac editione ſolicitudo iſta minuetur, quae aptis diviſionibus reſpi-
« randi locum ubique fere intra horam dimidiatam lectori praebebit.

« Centum anni jam propemodum ſunt elapſi, cum nulla hiſtoriae hujus edi-
« tio prodierit ; et paucae illarum, quae extant, eleganter ſunt excuſae, nec ulla
« ſeorſum a ceteris conſiſtere poteſt. Buckleio igitur noſtro haud parum devincti
« ſumus, qui opus tam utile et ſumptuoſum ſuſceperit ; cujus editione, cum lucem
« aſpexerit, honos aliquis ad Anglicam gentem redundare poterit, quod unum ex
« optimis hiſtoricis, et fidiſſimis libertatis patronis, in juſtum decorem ac dignita-
« tem vindicabit."

Vale, vir ornatiſſime, et voluntati tuae me deditiſſimum eſſe crede. Dat.
ipſis kalend. Octobr. A. D. MDCCXXX.

Viri nobiliſſimi et illuſtres, qui ornamenta tomi cujuſque hiſtoriae initio ſuppe-
ditarunt :

Praefationi operis Henrico Magno inſcriptae *numiſma ex aere*, Hugo Howardus armiger.
Primo tomo *numiſma ex aere*, Andreas Fontanus, eques auratus.
Secundo tomo *numiſma ex argento*, nobiliſſ. Thomas Penbrochiae comes.
Tertio tomo *numiſma ex aere*, Hugo Howardus armiger.
Quarto tomo *numiſma ex aere deaurato*, idem.
Quinto tomo { *anaglyphum reginae Eliz. ex auro*, Richardus Meadus, medicus regius.
nummum Mariae Scot. reg. ex auro, Hans Sloane baronettus, medicus regius.
Sexto tomo *numiſma ex argento*, nobiliſſ. Henricus Penbrochiae comes.

Ornamentorum autem, quae ad calcem tomorum ſunt adjecta, tabulas aeneas
Alexander Pope armiger, Anglicorum poetarum hujus temporis facile princeps, ultro mihi
perbenevole commodavit.

CHRISTIANISSIMO



B. Baron fecit

CHRISTIANISSIMO
FRANC. ET NAVAR.
REGI HENRICO IV.

CUM primum ad ſcribendam horum temporum hiſtoriam animum appuli, Domine, etſi non ignorabam hoc quicquid erat quod moliebar in varias incurſurum reprehenſiones, me tamen illud ſolabatur, quod non ambitione, ſed ſolum bonae conſcientiae pretio, me duci ſciebam; et ſperabam [a] fore, ut remittentibus cum tempore odiis aliquando veritatis amor ſubiret, te praeſertim rege, qui raro Dei beneficio, profligatis rebellionum monſtris et exſtincto factionum fomite, pacem Galliae reddidiſti, et cum pace duas res inſociabileis aliis creditas miſcuiſti, libertatem et principatum. Accedit, quod huic ſcriptioni eo tempore manum admovimus, cum belli civilis cauſas in privatis ambitioſorum hominum cupiditatibus incluſas, ſpem pacis a publico conſilio excluſam dolere-

mus,

VAR. LECT. [a] *deeſt* fore *P.*

mus, eoque magis licere nobis putaremus libere, et tamen citra obtrectationem, quod erat dicere.

Verum procedente opere, quod in caſtris inter tubas et obſidiones inchoatum, poſtea in aula tua crevit, ac jam inter fori moleſtias, peregrinationes, aliaque negotia ad tua uſque tempora perductum eſt, ſenſi me longe aliter affectum quam ab initio fueram; cum varietate ac magnitudine rerum narrandarum defixus animus, et aliquod a publicis calamitatibus levamentum quaerens, in meditatione ac ſcriptione totus occuparetur: adeoque in mentem venit vereri, ne quae inter armorum ſtrepitum ſcripſeram, quaeque tunc fortean placere, aut ſaltem excuſari poterant, compoſitis nunc motibus non ſolum minus placitura, verum etiam moroſas quorundam aures ſint offenſura: quippe humani generis vitium eſt, ut ad male faciendum, quam ad ea quae male ſint facta audiendum, proniores ſimus.

At enim cum haec prima ſit lex hiſtoriae, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, dedi gnaviter operam, ut latentem ſaepe veritatem, interdum alte inter tanta partium odia demerſam, eruerem, erutam integra fide poſteris traderem, neque praepoſtera prudentiae adfectatione in tam juſta cauſa praevaricans rarae tuorum temporum felicitati injuriam facerem, quibus unicuique ſentire quae velit, et quae ſentiat eloqui, licet.

Ipse quam procul a diſſimulatione abſim, confido iis notum eſſe, qui me ac mores meos norunt: nec ita obſcure vixi, ut publicis in actionibus candor meus vel iniquiſſimos latere potuerit. Poſtea enim quam virtute clementiaque tua cuncti in gratiam rediimus, privatas, ſi quae ſubeſſent, injurias ſic penitus ſum oblitus, omnemque adeo illarum ſenſum publice privatimque ita depoſui, ut jure confidam, in iis quae ad praeteritorum memoriam ſpectant, aequanimitatem ac moderationem meam neminem eſſe deſideraturum. Poſſim illos ipſos teſteis appellare, quorum nomina ſaepe his in libris occurrent: qui, ſi quidem ulla in re pro ratione muneris a te commiſſi opera mea eguerunt, me ſemper parato ad omne incorruptum officium animo ſunt experti.

Quod igitur boni judices facere debent, cum de capite et fortunis hominum conſultant, idem et nos fecimus, cum hanc hiſtoriam ſcribere ſumus aggreſſi, noſtram ſaepius conſcientiam interrogantes, an ullius rei acriore ſenſu tangeretur, quae nos in opere inſti-

tuto

Digitized by Google

tuto a recta via tranſverſos ageret. Itaque et rerum acerbitatem oratione, quantum in me fuit, mollivi, et judicium meum ubique ſuſtinui, et ab omni digreſſione temperavi; denique genus ſcribendi conſectatus ſum nudum ac ſimplex, ut vel ſtylo ipſo me ſicuti ab omni fuco et oſtentatione, ſic ab odio et gratia, vacuum oſtenderem.

Vicissim a noſtris aliiſque, qui haec legent, peto, ne quid praejudicati ſecum domo adferant, neque de hoc opere priuſquam eo perlecto pronuncient. Inceptum viribus noſtris majus eſſe, et ad illud multa, quae in me non ſint, deſiderari infitias non ierim. Sed vicit utilitas publica et ardens de mea poſteraque aetate promerendi ſtudium; cui dum conſulerem, temerarius quam ingratus haberi malui. Enimvero non tam de fide, cujus mihi bene conſcius ſum, aut de induſtria noſtra, in qua excuſanda de clementia tua et candore legentium minime deſpero, anxius ſum; quam vereor ne quod maximam hiſtoriae partem facit, pleriſque, qui, extra periculum, ut ſibi quidem videntur, poſiti, in aliena calamitate minus aequi aut nimis lenti ſunt, moleſtum ſit ac faſtidioſum.

Nempe ad cetera, quibus hoc infeſtum virtuti ſaeculum ſcatet, mala, religionis diſſidium acceſſit, quod jam toto paene ſaeculo orbem Chriſtianum continuis [a] motibus vexat, et deinceps vexabit, niſi tempeſtiva remedia, atque adeo alia quam quae hactenus adhibita ſunt, ab iis, quorum praecipue intereſt, adhibeantur. Nam experientia ſatis edocti ſumus, ferrum, flammas, exilia, proſcriptiones, irritaſſe potius quam ſanaſſe morbum menti inhaerentem: ad quem proinde curandum, non iis, quae in corpus tantum penetrant, ſed doctrina et ſedula inſtitutione, quae in animum leniter inſtillata deſcendit, opus eſſe. Alia quippe omnia pro arbitrio civilis magiſtratus atque adeo principis ſanciuntur: ſola religio non imperatur, ſed ex praecepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratia, bene praeparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent: quin obfirmant potius animos quam frangunt aut perſuadent.

Quod de ſua illa ſapientia tam magnifice praedicavere Stoici, hoc nos multo juſtius de religione dixerimus. Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio et dolor: et quicquid aliud incommodi eſt, virtute, quae ab illa praecepta opinione ingeneratur,

VAR. LECT. [a] bellorum motibus *P. D. o. ſ.*

ingeneratur, obruitur. Nihil illi eorum quae ferenda ſunt diſplicet. Quicquid cadere in hominem poteſt, in ſe cecidiſſe non queritur. Vireis ſuas novit; dumque ſe Dei gratia fretum putat, oneri ferendo ſe quoque parem futurum confidit. Stet illic licet carnifex, licet tortor ferrum et flammam admoveat, perſeverabit; nec quid paſſurus, ſed quid facturus ſit cogitabit. Felicitas illi quippe domeſtica eſt, et ſi quid extrinſecus intervenit, leve eſt, et ſummam tantum cutem ſtringit.

Quid quod Epicurus ipſe, ab aliis philoſophis tanquam impurior notatus, de ſapiente ait, eum, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, Dulce eſt, et ad me nihil pertinet. An putamus minores iis animos fuiſſe, qui centum abhinc annis ob religionis cauſam diverſis ſuppliciis perierunt, aut porro futuros, ſi in iis perſeveretur? Audire eſt operae pretium quid unus ex iis dixerit feceritque. Cum igni cremandus ad palum alligaretur, ibi genibus flexis canere coepit hymnum, quem fumus et ignis vix interrupit: et cum carnifex ignem poſt tergum, ne conſpiceretur, immittere vellet, Huc, inquit, accede et ante oculos accende ignem: ſi enim illum timuiſſem, nunquam ad hunc locum, quem fugere licuit, acceſſiſſem.

Itaque non cruciatibus repreſſus ardor res novas in religionis cauſa molientium, ſed potius obdurati animi ad majora patienda ſive audenda. Nam ubi ex cineribus aliorum alii enati ſunt, et numerus crevit, patientia in furorem evaſit; nec jam ſupplices, ut antea, ſed importuni expoſtulatores et flagitatores eſſe coeperunt; et qui ſupplicia prius fugiebant, ultro etiam arma intulerunt. Id jam quadraginta totos annos in Gallia, paulo minus in Belgio, cernimus: reſque eo tandem devenit, ut non unius aut alterius poena, quod fortaſſe ab initio licuit, malum, ne latius ſerpat, reſecari poſſit; ſed cum totos populos, totas nationes, atque adeo maximam Europae partem pervaſerit, non jam magiſtratus ferro, ſed gladio Dominico, opus eſt. Nam doceri et moderata ratione ad colloquia et amicas collationes invitari debent, qui cogi non poſſunt.

Fecit hoc B. Auguſtinus ad Proculianum partis Donatianae ſectarium ſcribens: qui etiam pro iis rogabat Donatum Africae Procoſ. ne occiderentur: decere quippe verae religionis cultores, ut a perpetuo propoſito non recedant vincendi in bono malum: et quod alibi ad Caecilianum praeſidem ſcribit, ut tumor ſacrilegae vanitatis terrendo

rendo potius ſanetur, quam ulciſcendo reſecetur. Itaque in luculenta illa ad Bonifacium epiſtola idem ſubdit: in hujuſmodi cauſis, ubi per graveis diſſenſionum ſciſſuras non hujus aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſſe aliquid ſeveritati, et majoribus malis ſanandis charitate ſubveniendum. Quod adeo in eccleſia obtinuit, ut ea ſententia ſemel atque iterum in Gratiani decretum tranſcripta ſit. Quippe ita cenſebat vir pio ac miti ingenio, ea mala non aſpere, duriter, aut imperioſe tollenda eſſe, magiſque docendo quam jubendo, magis monendo quam minando profici: ſicque cum multitudine peccantium agendum, ſeveritatem autem exercendam eſſe in peccata paucorum. Ac ſi quando minae ab iis qui praeſunt adhibeantur, id cum dolore fieri oportere, ultioniſque metum ex ſcripturis intentari debere, ne ipſi in ſua poteſtate, ſed Deus in eorum ſermone timeatur, ſicuti in epiſtola ad Aurelium epiſcopum ait.

Et certe, ſi verum amamus, in ſacrae antiquitatis vetuſtis omnibus monumentis nullum ſupplicii de ſectariis ſumpti ac probati exemplum exſtare fateamur neceſſe eſt, eccleſiamque priſcam a cruore fundendo ſemper abhorruiſſe. Quod ſi quando accidit, id pii vere epiſcopi deteſtati ſunt, ut in Priſcilliano paruit; qui exitiabilis doctrinae auctor, cum per Galliae eccleſias, ac praecipue in Aquitania, perfidiae ſuae ſemina ſparſiſſet, a Maximo, qui occiſo Lugduni Gratiano imperium uſurpaverat, alioqui bono principe, Auguſtae Trevirorum cum ſectatoribus ſuis capitali ſupplicio affectus eſt circa annum Chr. CCCLXXXIII, licet B. Martinus ab imperatore ſponſionem elicuiſſet, nihil cruentum contra reos conſtitutum iri; et Itacium epiſcopum alioſque inſtigatores ſedulo monuiſſet, ut ab accuſatione deſiſterent. Nam et id ceteri epiſcopi tanquam inique factum improbaverunt: et quanquam Itacius callido jam ſcelere perfecto invidiam verens fruſtra ſe ſubſtraxiſſet, tamen poſtea a Theogniſto damnatus eſt: vixque B. Martinus, ac non niſi extrema neceſſitate cogente, eum illa Itacianae partis communione miſceri voluit.

Ipse B. Ambroſius a Valentiniano Imp. puero Gratiani interfecti fratre ad Maximum ſub id miſſus in relatione ſua teſtatur, cum Treviris eſſet, abſtinuiſſe ſe ab iis epiſcopis, qui Itacio communicabant, et a fide devios ad necem petebant. Cum vero ex furialium illorum epiſcoporum ſententia Maximus poſtea decreviſſet tribunos

ſumma poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui haereticos inquirerent, deprehenſis vitam et bona adimerent, idem B. Martinus apud eum tenuit, ut decretum revocaretur. Erat quippe viro pio ſolicitudo, ut non ſolum Chriſtianos, qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed etiam ipſos haereticos liberaret; et animo providebat tempeſtatem illam, niſi averteretur, maximam ſanctorum turbam depopulaturam eſſe; parvo tunc inter hominum genera diſcrimine, cum quiſque ſolis oculis dijudicaretur, et pallore potius aut veſte, quam fide, haereticus aeſtimaretur.

Priscilliano autem occiſo, non ſolum non coërcita eſt haereſis, quae illo auctore proruperat, ſed confirmata ac latius propagata eſt; et ſectatores ejus, qui illum ut ſanctum prius honoraverant, poſtea ut martyrem colere coeperunt, corporibus peremptorum in Hiſpaniam relatis, et magnis exſequiis celebrato eorum funere. Quin et eo provecta eſt adſectantium ſuperſtitio, ut per Priſcillianum jurare ſumma religio haberetur: ex eoque inter Gallicanae eccleſiae epiſcopos perpetuum diſcordiarum bellum exarſerit, quod totos quindecim annos agitatum vixdum ſopiri diu poſt potuit, plebe Dei interim et optimis quibuſque ad probrum et ludibrium expoſitis.

Quae verba quoties apud Sulpitium Severum, qui res illius aevi pari elegantia ac fide ſcripſit, lego, toties ſubit animum imago temporum pueritiae meae, cum, primum exortis ob religionem in Gallia motibus, homines non ex moribus aut anteactae vitae innocentia, ſed ex vultu ac pallio ſuſpecti, oculis ad caedem deſignarentur, et inter aeſtus contentionum et odia, gratiam, metum, inconſtantiam, ſomnum, deſidiam, et arrogantiam eorum qui ſummae rerum praeerant, regnum factionibus ſcinderetur, et regni turbata quiete religio ipſa in periculum vocaretur.

A B. Martini temporibus deinceps mitius cum deviis a fide in eccleſia actum eſt, tantumque aut loco pulſi, aut pecunia mulctati ſunt: ſanguini ſemper parcitum fuit. Cumque anno S. [a] CIↃLX quidam ex Berengarii archidiaconi ſectatoribus illius doctrinam in Eburonibus, Atuaticis, et aliis Belgii populis diſſeminarent, Bruno Trevirorum archiepiſcopus eos dioeceſi ſua expellere ſatis habuit; ceterum cruore abſtinuit.

Nec

VAR. LECT. [a] CIↃX *P.*

Nec ſeverius ii deinceps ab eccleſia habiti, donec ad Valdenſium tempora ventum eſt; contra quos cum exquiſita ſupplicia parum proficerent, et remedio, quod intempeſtive adhibitum fuerat, malum exacerbaretur, numeruſque eorum in dies creſceret, juſti tandem exercitus conſcripti ſunt: nec minoris molis bellum, quam quod antea noſtri adverſus Saracenos geſſerant, contra eoſdem decretum eſt: cujus is exitus fuit, ut potius caeſi, fugati, bonis ac dignitatibus ubique ſpoliati atque huc illuc diſſipati ſint, quam erroris convicti reſipuerint. Itaque qui armis ſe initio tutati fuerant, poſtremo armis victi in Provinciam apud nos et Gallicae ditionis Alpeis vicinas confugerunt, latebraſque vitae ac doctrinae ſuae iis in locis repererunt. Pars in Calabriam conceſſit, in eaque diu, atque adeo uſque ad Pii iv pontificatum, ſe continuit. Pars in Germaniam tranſiit, atque apud Bohemos, et in Polonia et Livonia, larem fixit. Alii ad occidentem verſi in Britannia perfugium habuerunt.

Nam ab eorum reliquiis ortus Joannes Wiclevus putatur, qui diu Oxoniae docuit, et ante ccc annos poſt varias de religione concertationes morte fatali deceſſit: in mortuum enim tantum a magiſtratu animadverſum fuit, oſſibus ejus diu poſtquam obiit publice crematis. Hinc alii atque alii ſecuti ſunt uſque ad noſtram aetatem; qua, poſt infeliciter tentatam ſuppliciorum ſeveritatem, res a diſputationibus ad aperta bella et totas populorum defectiones in Germania, Anglia, et Gallia devenit; incertum, majore publicae tranquillitatis an religionis ipſius detrimento, ſciſſura inde facta ac confirmata, et ab iis, qui poſſunt et debent, nimis diu neglecta.

Quae non tam a me dicuntur ad retractandam toties de ſectariis ſupplicio afficiendis vexatam quaeſtionem, neque enim id tempori aut conditioni meae convenit, quam ut oſtendam, prudentiſſime et ex inſtituto veteris eccleſiae principes eos feciſſe, qui bella ob religionem exorta potius [a] vel iniquiſſimis conditionibus amice componi, quam armorum vi confici, debere cenſuerunt.

Id vidit Ferdinandus ſapientiſſimus princeps, qui, bellis longe maximis ac periculoſiſſimis ſub Carolo v fratre in Germania exercitatus, cum experientia didiciſſet, coepta armis adverſus Proteſtanteis hactenus male ceſſiſſe, poſtquam felicibus auſpiciis imperium inivit, religionis pacem ſolemni decreto ſanxit; quam repetitis vicibus ſem-

per

VAR. LECT. [a] vel cum *P. D.* o. ſ.

per poſtea confirmavit. Et cum videret melius per amica colloquia religionis negotium procedere, ejuſque rei aliquoties ſub fratre indictis Ratiſponae et Wormatiae olim conventibus periculum feciſſet, paulo ante mortem poſt peractum Tridenti concilium Proteſtantibus, qui ad illud non venerant, ſatisfacere cupiens, novum rurſus cum iis colloquium ex Maximiliani filii prudentiſſimi principis conſilio inſtituere voluit; ad idque Georgium Caſſandrum virum doctum et moderatum delegit, qui cum adverſae partis paſtoribus controverſa Auguſtanae confeſſionis capita amice retractaret. Sed adverſa viri optimi valetudo, et utriuſque accelerata mors, fructum ex eo ſperatum Germaniae invidit. Idem Germanorum exemplo poſtea Poloni optimates in ſua republica ſtatuerunt. Emmanuel autem Philibertus Sabaudiae dux, poſtquam pacis nobiſcum factae beneficio in antiquam ditionis amiſſae poſſeſſionem reſtitutus eſt, cum, ſive ad excitandam ſui in Italia famam, ſive ut aliis vel cum periculo ſuo gratificaretur, damnoſo ſe adverſus Convallenſeis bello temere implicuiſſet, matura poenitentia errorem emendavit, permiſſa innocentibus alioqui populis religionis libertate, pacemque cum iis factam deinceps religioſe ſervavit.

Ad noſtra nunc venio, et ulcus tractare aggredior, quod valde vereor, ne vel tantum tetigiſſe mihi fraudi ſit. Sed quando hunc ſermonem ſemel ingreſſus ſum, ut verbo expediam, dicam ingenue, nam ſub te licet, bellum non eſſe legitimum modum tollendae ex eccleſia ſciſſurae: Proteſtanteis quippe apud nos, qui per pacem numero et auctoritate in dies minuebantur, inter arma ac diſſenſiones ſemper creviſſe; et, ſive praepoſtero religionis ardore, ſive ambitione ac rerum novandarum ſtudio, a noſtris longe perniciosiſſimo errore peccatum eſſe, qui bellum internecinum contra Proteſtanteis ſaepius ſuſceptum ac compoſitum, toties, infauſtis Galliae auſpiciis, magno religionis ipſius periculo, renovarunt.

Quid verbis opus? res clamat ipſa. Nam poſt varias turbas et per eas toto regno innumeras urbeis occupatas, cum iis reſtitutis anno LXIII pax reddita fuiſſet, mirum quanta repente ſerenitas refulſerit, quam laetum illud quadriennium bonis omnibus fuerit, religione in tuto collocata, et conditis ab integerrimo juris moderatore optimis legibus, quarum nunquam Galliam poenitebit; donec, vergentibus fatis, ſecuritatis publicae per eas conſtitutae nos taedere coepit,

coepit, et repudiatis pacis conſiliis ad bellum inclinavimus, non ſolum nobis, ſed conſultoribus ipſis poſtremo funeſtum. Quos velim heic dicere, ſatis intelligunt, qui quid inauſpicato Baionae colloquio tunc actum ſit non ignorant.

Ex illo ſiquidem tempore cuncta apud nos exotica fraude jam tum deluſos ad inſidias et arma parari coepta: tum et Albanus cum potenti exercitu in Belgium miſſus, qui, abdicata Margaritae Parmenſi, quae cum ſumma moderatione provincias illas adminiſtraverat, auctoritate, ferro et flammis omnia miſcuit, arces ubique exſtruxit, libertatem inſolitis vectigalibus ad belli ſubſidia impoſitis labefactavit, et civitates opulentas infracta libertate quaſi praevalida corpora cibo ſubtracto ad maciem adduxit. Haec vero dura et praerupta conſilia populorum inſecuta eſt deſperatio, ac poſtremo defectiones; quae, utcunque ad tempus compoſitae, tandem hunc exitum habuerunt, ut major et opimior pars, atque ad navigationes, quibus maxime opes illarum provinciarum conſtant, opportunior, a reliquo corpore quaſi avulſa nunc Ordinum auctoritate adminiſtretur, et bellum non ſolum cum altera parte, ſed cum univerſis Hiſpanorum viribus jam pridem feliciter gerat.

Quod ne accideret veritus multo ante Franciſcus Balduinus Atrebas, clari nominis hac aetate juriſconſultus, conſilium dederat Belgii proceribus, ut libello ſupplici porrecto libertatem Proteſtantibus, qui tunc ubique exagitabantur, a Philippo impetrarent, ſuppliciorum et in ſuſpectos inquirendi intermiſſa ſeveritate; eaque de re librum Gallice conſcripſerat, quo demonſtrabat, colloquiis et aequabili jure inter diſſentienteis conſtituto religionis per controverſias jactatae negotium melius quam vi et armorum via confici poſſe; in qua ſi pergeretur, fore providebat, ut Proteſtantium vires tunc exiguae et huc illuc ſparſae per factiones jungerentur, et a concertationibus verborum ad arma et defectiones olim deveniretur.

Hominis Belgae de Belgio augurium eo libentius commemoravimus, praeſertim apud te, quod is, cum Proteſtantium doctrinam ab initio amplexus eſſet, et poſtea diligenti patrum lectione aliter perſuaſus mutaſſet, tamen eam animi aequitatem ſervaverat, ut non odio, quod plerique faciunt, implacabili adverſus eos, a quibus diſceſſerat, ferretur, ſed raro Chriſtianae charitatis ad hoc aevum exemplo, errore proprio admonitus, alieni commiſeratione tangeretur, omnem-

que operam daret, ut quod novandi ſtudio et temeritate peccatum fuerat, melioris antiquitatis revocata in uſum memoria officioſe corrigeretur. Ea mente cum eſſet, e Germania in Galliam reverſus, conſilium ſuum juxta prudens ac pium ſereniſſimo parenti tuo facile probavit, et in ejus familia honorificum locum tenuit, conſiliis nonnunquam adhibitus, et erudiendae fratris tui naturalis pueritiae appoſitus.

Valeant igitur importunae illae jactationes, quibus homines religionis videlicet ſupra alios amantes in Gallici nominis invidiam tamdiu gloriati ſunt, quod nunquam paci cum haereticis ſubſcripſerint. Videant quo praeclara tandem ſua illa conſilia evaſerunt, amiſſaſque florentiſſimas provincias et cum iis opes ſuas damnoſe conſumptas moereant. Quam vellent illi nunc exemplo noſtro, quod adeo tunc artificioſe deteſtabantur, ſapere, quantoque pretio redimerent tot annorum jacturam, quos ſi utiliter contra communeis Chriſtiani nominis hoſteis impendiſſent, jampridem eos Pannonia et utraque Mauritania, magna cum ſua gloria, nec minore emolumento, exegiſſent!

Sed vereor, ne quam in illis deſideramus prudentiam, alii merito in nobis requirant; qui ſive proprio furore incitati, ſive illorum, quos dixi, inſtigatu, perniciosiſſimis longe turbis interim occaſionem dedimus, quibus urbes direptae, templa, quibus primorum motuum rabies pepercerat, a fundamentis everſa, deſolatae provinciae, et renovata odia, quae pace ſopita fuerant, ſuſpiciones auctae, et arma poſita ut acrius reſumerentur. Tamen et poſt iſta pax tandem facta; quae quo laetior, eo majore piaculo ac ſempiterna, hoc vovere licet, oblivione ſepeliendo violata eſt; laniena biennio poſt ſecuta, quae te, Domine, quem Deus reſtituendae rei Gallicae olim deſtinabat, paene [a] abſorbuit. Caphareum hunc praetervectis alii atque alii intra duos annos occurrunt ſcopuli, ad quos pari imprudentia factum naufragium, Numinis ira haud diu tardante, et per principis generoſi mortem, aliena potius culpa quam propria voluntate lapſi, Franciae ſcelus ulciſcente.

Quid ſucceſſor ejus? E Polonia rediens, cum, Maximiliani Caeſaris et ſenatus Veneti, apud quos in itinere diverterat, ſpretis ſalutaribus conſiliis, bellum, quod illi diſſuaſerant, quodque ſupplices ab

eo

VAR. LECT. [a] abſorpſit. *P. D.* o. ſ. d.

eo Proteſtantes deprecabantur, quam pacem in regni ingreſſu maluiſſet, mox poenitentia ductus mutavit, et triennio poſt pacificatorium edictum condidit, quod peculiariter ſuum vocare conſueverat; totoque ſeptennio pax alta fuit, niſi ſi aliquibus locis per intervalla ac diſcurſationes militum, de cetero haud magna belli mole, interrupta eſt; donec homines otii impatientes, cum indigne ferrent eo res per pacem deduci, ut Gallia ipſis facile careret, bellum funeſtiſſimum alieno maxime tempore excitarunt: ad quod ſe fatali caecitate rex, ab iis qui circa ipſum erant male conſultus, cogi paſſus eſt, armis initio contra te in ſpeciem verſis, quae mox in ipſius caput reciderunt.

Horret animus ad recordationem deteſtandi paricidii, non ſolum cum aeterna nominis Francici ignominia, ſed ipſorum, qui tantopere tunc ob id laetati ſunt, infamia conjuncti; quod regnum, et cum regno religionem ipſam, inextricabili proculdubio involviſſet exitio, niſi tu, Domine, inſperato Dei noſtrae ſaluti invigilantis beneficio in haec tempora reſervatus, ſtantis columnae inſtar, labantem rempublicam fulciſſes, et praecipitem publicae calamitatis obvia cuncta obterentis rotam virtute tua ſufflaminaſſes: perilluſtri interim exemplo per teipſum edito, cetera legibus humanis ſubjici, religionem ſolam, quod jam dixi, nec cogi nec imperari poſſe.

Nam tot adverſitatibus inter bella civilia a puero conflictatus, a compluribus eodem tempore exercitibus circumventus, poſt tot cladeis partim acceptas partim datas, vinci quippe et vincere perinde tunc calamitoſum erat, cum in priore propoſito, quaſi in veſtigio pugnans, ſemper antea perſeveraſſes, ad ſpes aeque ac terrores infractus, tandem ubi cuncta virtuti tuae cedere ſenſiſti, ſupplicibus tuorum votis exoratus ultro ceſſiſti, et in ipſo victoriarum curſu te vinci paſſus, adſpirante Dei gratia, majorum religioni nomen dediſti.

Eandem poſtea aequitatem, qua moderatione animi es, quam tibi fructuoſam fuiſſe expertus eras, erga tuos ſervaſti, revocatis, quae contra Proteſtanteis, atque adeo contra te, praeter deceſſoris tui voluntatem publicata fuerant, edictis; et poſt pacem non ſolum cum tuis, ſed cum externis principibus magna cum nominis tui laude factam, unum atque alterum edictum in Proteſtantium gratiam conditum, tertio confirmaſti; quo eos bonis ac laribus, nec non famae et honoribus reſtituiſti, pleroſque etiam ex iis primariis dignitatibus ornaſti: ratus futurum, ut, detumeſcentibus ſenſim odiis, concordia edictis ſancita inter

inter infeſtos commodius ſarciretur, et per eam ſerenitate mentibus reddita, quid in religione optimum, hoc eſt, quid antiquiſſimum, ſummotis affectibus, quaſi diſcuſſa nube, facilius dignoſceretur.

Hanc nimirum agendi viam boni illi patres, cum iis qui opinione prava aut aliqua ſimultate ſuperbientes a regula et communione eccleſiae deerraverant, ſibi inſiſtendam ſemper arbitrati ſunt, ut charitate potius quam vincendi ſtudio ſe duci oſtenderent. Sic B. Auguſtinus ubique Pelagianos, ſic Optatus Milevitanus ei coaevus Donatiſtas, fratres vocant: ſic ante eos B. Cyprianus optare ſe et conſulere pariter ac ſuadere ait, ut, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, et conſentientis populi corpus unum gremio ſuo mater gaudens includat.

Pleriqve ſiquidem inter eos, quibuſcum diſſidium nobis eſt, reperiuntur, quibus, ut ipſius Auguſtini verbis utar, in occulto propoſitum eſt ſedatis remeare turbinibus: [a] at ſi eadem perſeverante tempeſtate prohibeantur, metuantve ne ſuo reditu talis vel ſaevior oriatur, voluntatem infirmis conſulendi retinent, ſine ulla conventiculorum ſegregatione ad mortem uſque defendentes et teſtimonio ſuo adjuvantes eam fidem, quam in eccleſia Catholica praedicari ſciunt; contumelias et injurias utrinque inflictas pro pace eccleſiae patientiſſime ferentes, exemploque ſuo docentes, quo affectu ac charitatis ſinceritate Deo ſerviendum ſit.

Hac ratione cum et experimento edoctus et exemplo tuo confirmatus paci eccleſiae conſulendum ducerem, ab omni inſectatione abſtinui, et Proteſtanteis, praecipue eos qui in literis excelluerunt, honorifice ſemper appellavi: nec noſtrorum vitia tacui; quippe qui ſic cum viris optimis ſentiam, longe falli eos, qui putant haereſibus, quae multiplices totum fere orbem hodie vexant, plus virium ac roboris in ſuorum ſectariorum malis animis ac verſutiis, quam in noſtris vitiis ac ſceleribus, ineſſe. Utrique autem malo, et diſſidentium errori et noſtrorum vitiis, optime meo quidem judicio proſpicietur, ſi, ſublatis ex eccleſia et republica nundinationibus, virtuti praemia reddantur, et praeſtantes pietate, doctrina, morum gravitate viri, qui jam prudentiae ac moderationis ſuae experimentum fecerint, ſacris praeficiantur; ſi non novi homines, ſed integritatis perſpectae, qui Deum timeant et avaritiam odio habeant, non gratia aut pretio, ſed virtutis ſolius

VAR. LECT. [a] ac D. o. ſ. d.

ſolius commendatione ad honores provehantur. Alioqui, ubi nullo diſcrimine boni malique admittuntur, haud diu duraturam pacem apparet; eaſque civitates interire neceſſe eſt, quibus qui praeſunt probos ab improbis diſcernere non poſſunt, et quae, quod proverbio dici ſolet, apibus capienda ſunt, a fucis intercipi patiuntur.

Fidei, quam Deo, et ſecundum Deum tibi tuoque imperio ſubditis populis debemus, quicunque magiſtratum aliquamve praefecturam in regno gerimus, nihil aeque obeſſe poteſt, quam ſoedi lucri ſpes; a quo ſi capeſſendi magiſtratus initium ſecerimus, verendum ſane eſt, ne ad illud deinceps cunctas cogitationes noſtras tanquam ad Cynoſuram dirigamus, et tandem avaritia caeci, omnique honeſti cura abjecta, fidem utrique datam fallamus. Avaritia bellua fera et immanis et intoleranda eſt, eique nihil ſatis eſſe poteſt. Si ad immenſas Galliae opes accedant Perſarum montes aurei, et utriuſque Indiae theſauri, non habebis unde ingluviem ejus ſatiare poſſis. Nullus quippe vitiis modus eſt, nunquam conſiſtunt, ſemper in praeceps progrediuntur, nec niſi cum exitio ſuo deſinunt. Virtus contra, juxta Simonidae dictum, cubi inſtar ad omnem fortunae et rerum humanarum motum firmiter reſiſtit, et varianti diverſos hominum caſus naturae ſerviens, liberam et incorruptam animi mentem ſervat, ſe ipſa contenta, tota ex ſe apta. Huic, quae taleis homines efficit, decus et pretium ſuum ſi reſtituatur, abunde erit, unde, ſine aerarii onere et cum populi levamento, dignis largiaris.

Idem ut fiat in eccleſia, ſi tuum non eſt praeſtare, ad regiam certe curam pertinet, inſtare, rogare, auctoritatem tuam interponere apud eos, quibus onus incumbit, ne id negligatur. Hanc tu novae laudis gloriam occupa, atque illud aſſidue cogita, beata haec otia, quibus nunc fruimur omnes una tecum, ſperari aliter diuturna non poſſe, quam ſi, pace a Deo conceſſa, ad amplificandam ejus gloriam et controverſias religionis componendas gnaviter animos intendamus.

Magnam rem, neque hoc tempore, multorum judicio, qui amore praeſentium conſilia in futurum ſalutaria faſtidiunt, temere aggrediendam, ſuadere tibi videor. Sed magnae curae magna merces, et magnum ingenium, quale tibi divinitus contigit, res parvas attingere nequit. Sane quidem poſt ſumptuum et rapinarum ademptam licentiam, et rem familiarem cuique pro fine ſumptuum praeſtitutam, quo nomine plus tibi,

 quam

quam dici poteſt, debet et porro debitura eſt Gallia, nihil ſublimi faſtigio et ſtatione, quam temperas, dignius agitare potes, quam ſi ſacra et humana jura per tot annorum civileis turbas confuſa componas et ordines. Unde proculdubio id boni conſecuturus es, ut, placata Dei contra nos concitati ira, epiſcopis et magiſtratibus in munere ſibi commiſſo ſtrenue deſudantibus, veritas adverſus mendacium, candor et ſincera charitas adverſus fucum et ſimulationem, leges contra avaritiam ac luxuriam, quae duo pugnantia vitia perverſitas ſaeculi miſcuit, praevaleant, boni mores colantur, pudori ac modeſtiae huc uſque pro ludibrio habitis ſuus honos conſtet; denique virtuti pretio reddito, pecuniae pretium, decus et auctoritas minuantur.

Id tuum, nam ex te ſaepius audivi, cum tantam regni tui felicitatem vel membrorum mutilatione commutare te paratum oſtenderes, et tuorum omnium votum eſt. Hic meus de republica ſenſus; in quo explicando ſi prolixius et liberius evagatus ſum, dabis hanc veniam homini verecundo, et in libertate, quam patriae reſtitutam tibi debemus, educato, ſi, cum adverſus calumnias ad amoliendam invidiam initio operis haec praefari neceſſarium putarem, te longiore ſermone moratus ſim.

Cum autem ſive excuſando ſive defendendo huic operi, quae hactenus diximus, futura ſatis exiſtimarem, ecce moneor ab amicis, non defuturos, qui exacta ſingularium rerum, quae ad libertates, immunitates, leges ac jura noſtra ſpectant, commemoratione ſuperſederi potuiſſe, eamque non tam ad tuam ac regni dignitatem, quam ad aliorum injuriam pertinere contendent. Quibus etſi abunde eſt quod reſpondeam, tamen ſi ea in re copioſiore utar oratione, vereor, ne adſectata occaſione cum larvis luctari pleriſque videar; ſi taceam, malevolis nos carpendi anſam praebeam. Paucis igitur rem uti ſe habet dicam.

Sic a parente viro optimo, quod omnes norunt, et religionis antiquae retinentiſſimo, ſic ab avo proavoque quaſi tradito per manus documento inſtitutus ſum, ſic ipſe animatus ad reipublicae adminiſtrationem acceſſi, ut cultu et amore patriae nihil mihi ſecundum coeleſte Numen charius unquam fuerit, eique omneis affectus privatos et alias charitates poſthabuerim. Sic enim mihi ſemper fuit perſuaſiſſimum, patriam, juxta veterum ſententiam, alterum Deum, et leges patrias alteros Deos eſſe, quas qui violant, quantumvis ſe quaeſito pietatis

pietatis col[illegible] defendant, ſacrilegii ac paricidii poena teneri. Haec jura, has leges quibus hoc regnum fundatum in tantam magnitudinem ac potentiam ſe extulit, ſi qui ſunt, atque utinam non eſſent, qui cuniculis ac machinis oppugnatum eant, quando aperta vi non poſſunt, nae indigni Gallico nomine ſimus, quique boni cives habeamur, ſi, te praeſertim rege, gliſcenti malo nos fortiter non oppoſuerimus.

Majorum namque noſtrorum vox eſt, virorum religione praeſtantium, hoc illud eſſe publicae ſalutis coeleſte pignus, hoc alterum Franco-Galliae Palladium; quo ſervato, nihil ab externis inſidiis ſuſpectum; amiſſo, nihil ab iiſdem tutum ſit futurum. Proinde ſi per ignaviam id et ſecordiam noſtram amoveri aliquando contingat, extra dubium eſſe, quin idem ille, qui illud mala arte elepſerit, quaſi Ulixes alter Pelaſga arte inſtructus, ſubornato aliquo Sinone fatalem equum externo milite foetum in Galliam immiſſurus, eodemque, quo Troja arſit, incendio florentiſſimam Europae partem ſit depopulaturus. Sed meliora Deus. Nam nihil tale, te vivo ac vidente, et ſoſpite Delphino, nobis metuendum eſt.

Postularet hic locus, ut de te, cui quod ſpiramus, quod patria ac bonis fruimur, debemus, tuiſque erga rempublicam meritis plura dicerentur: quod et fortaſſe ii exſpectabunt a nobis, qui laudum potius tuarum copia, quam ingenii noſtri mediocritate rem metientur. Sed neque heic panegyricum inſtitui, et tu benefactorum conſcientia quam laudum tuarum praedicatione magis gaudes.

Tu, nobiliſſima ac vetuſtiſſima omnium quotquot unquam ſceptra tenuerunt, et certioribus initiis per mares deducta familia ortus, procul ad Pyrenaeum natus inter bella per adverſitates creviſti; inſidias toties pueritiae tuae paratas feliciſſime eluſiſti; adoleſcens, vir, hoſtium impetus fortiſſime retudiſti; et quaſi Deo manuducente ex ultima Aquitania temporibus maxime aſperis ad regem ſive deductus ſive ab eo evocatus es, ne quis alius eſſet praeter legitimum heredem, qui ſedem regni vacuam brevi futuram occuparet.

Regnum adeptus clementia et benignitate imperium temperaſti, et beneficio quam metu alienatos animos retinere maluiſti; tantaque hominum antea infenſiſſimorum de te fiducia fuit, ut plus in miſericordia tua ſecuritatis, quam in armis ſuis praeſidii, reponerent; neque tam ſe victos dolerent, quam te viciſſe laetarentur; ex ſupplicibus amici

amici ac familiares repente facti: acriorque praeteritae culpae in delinquentibus, quam apud te, ſenſus fuit: quippe qui tam facile ſupplicibus ignoſcendo effeceris, ut eos non emendati citius erroris poenituerit.

Quidni autem, qui rapidum tuarum victoriarum impetum nulla vi contraria ſiſti poſſe cernerent, non tibi, cui nihil non cedebat, ultro ceſſiſſent, et non potius victoris clementiam, quam proelii aleam tecum tentaſſent? virtute ſiquidem tua effeceras, ne aut Mars communis, aut Victoria alata amplius poſſent videri.

Atque hanc felicitatem adjuvabas vigilantia, indefeſſo labore, frigoris et aeſtus patientia, et pro locorum ac temporum ratione ciborum facilitate, in vallo aſſiduus dies noctibus in opere militari continuans, per glaciem et imbres interdiu noctuque incedens, ſomni parcus, quem multoties interciſum, in equo, in nuda humo ſubſtrato palliolo, cum volebas, ſine valetudinis diſpendio repetebas, atque ita diſciplinam, quae non procedente militi ſtipendio ab aliis aegre imperio ſervatur, exemplo, quod blandiſſimum jubendi genus eſt, retinebas.

Felicitate illa terribilem cum te hoſtes ubique reformidarent, ſatis habebant, ſi, licet numero militum et aliis rebus plerumque ſuperiores, ſe munitiſſimorum locorum ac firmiſſimarum civitatum muris tuerentur, nec minorem ex defenſione quam tu ex victoria gloriam ſe conſequi arbitrabantur. Ut non mirandum ſit, ſi, poſt tot graveis offenſiones, oblatam a Deo reconciliationis occaſionem tam avide amplexi ſint, ſpe ſincerae gratiae certa, nec dubio victoriae penes te ſemper manentis metu.

Sed quam te bellum hoſti ſormidoloſum, tam pax tuis in gratiam acceptis deſiderabilem fecit, pacis artibus praemio et immunitate paſſim excitatis. In indicio ſunt ingentes illae ad omne aevum duraturae aedificiorum moles tam parvo temporis ſpatio ubique exſtructae, ſtatuis admirandi operis, picturis, aulaeis ſummo artificio elaboratis ornatae, quae et animi tui magnitudinem et pacis ſtudium apud poſteritatem teſtabuntur. Sed eſt quod ante omnia tibi gratulemur ob Muſas ſedibus ſuis, unde Martis rabies eas pepulerat, reſtitutas, et inſtauratam tuis auſpiciis Pariſienſem academiam; cui et inſigne ornamentum addidiſti, evocato Iſaaco Caſaubono, altero hujus ſaeculi lumine, eique commiſſa bibliothecae tuae vere regiae cuſtodia: ut omnibus

Google

omnibus appareat, tot adorearum nuſquam interruptum curſum non tam ad majora cupienda gradum fuiſſe, quam ad pacem inter vicinos colendam et feſſis praeteritorum bellorum vexatione populis quietem conciliandam, animos feciſſe.

Macte iſto generoſo propoſito, Domine, et pacem, quam tot exantlatis pro patria laboribus peperiſti, auctoritate legibus reddita, quod facis, firmare perge: ſicque tibi perſuade, mentem et animum et conſilium et ſententiam civitatis in legibus poſitam eſſe; et ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitatem ſine lege ſuis partibus et nervis ac ſanguine et membris uti non poſſe, atque adeo magiſtratus et judices legum miniſtros et interpretes eſſe; denique nos omneis legum ſervos eſſe, ut liberi eſſe poſſimus.

Hujus libertatis te rege conſequendae ſpe fretus, ejuſdemque per te recuperatae poſtea beneficio uſus, in media rerum confuſione, et poſt ſedatas turbas, hiſtoriam hujus aevi ſcripſi; cujus primam partem nunc publici juris facio, tuoque auguſtiſſimo nomini do dedicoque juſtiſſimis de cauſis, quae et me et rem ipſam ſpectant. Dignitatem meam a deceſſore tuo beatae memoriae principe inchoatam, a te in majus provectam, ingratus ſim ni meminerim. Cumque in caſtris et in aula aſſiduus eſſem, pleriſque magnis negotiis a te praepoſitus ſum, ex quorum tractatione magnam mihi multarum rerum, quae ad id, quod prae manibus eſt, requirebantur, notitiam comparavi; idque conſecutus ſum illuſtrium virorum, qui in aula conſenuerant, familiaritate, ut quae de rebus noſtris per [a] libros ſparſim et incertis auctoribus vulgata fuerant, ad veritatis normam diligenter exigerem; in eoque ſtudium meum, quamdiu in tuo comitatu fui, inter publica negotia exercui, donec in hoc ergaſtulum forenſe me neceſſitas muneris compulit. Nec vero heri aut nudiuſtertius tibi notus ſum; jamque viginti duo anni elapſi ſunt, ex quo cum delegatis ex ampliſſimo ordine ſenatoribus in Aquitaniam a rege miſſus, cum ad te profectus eſſem, ſummam erga me humanitatem ac benevolentiam tuam expertus ſum; ab eoque tempore fiduciam cepi, ingenii noſtri fructus, ſi qui olim a tenuitate ejus proficiſci poſſent, non omnino tibi ingratos futuros.

Praeter

VAR. LECT. [a] libellos *P. D. o. f. d.*

Praeter hanc alia juſtior cauſa ſubeſt, cur tibi hanc hiſtoriam inſcribi oportuerit; quod videlicet periculoſae plenum opus aleae aggredienti, praevalido adverſus malevolorum obtrectationes patrocinio opus erat, et peracri illo judicio tuo, quo res gerendas diſponis, ad examinandam rerum geſtarum veritatem. Hujus cenſurae, ut debeo, ſtare decrevi, ſive ad cetera edenda auctor fueris, ſive ad hanc ipſam partem premendam, quae non tam editur, quam velut univerſi operis ſpecimen nunc tibi ſpectanda proponitur. Quicquid de ea ſtatueris juſſeriſve, pro divinae vocis oraculo mihi erit. Nec dubito, quod tibi probabitur, quin ab omnibus magno conſenſu probetur: et ſi qui erunt quibus minus placeat quod tibi probabitur, ii certe erunt, qui fortunae ludibrio in excelſo collocati cum nihil dignum hominum memoria egerint, ad injuriam ſuam pertinere exiſtimant, cum res ut geſtae ſunt referuntur. Quorum deſideriis iniquis ancillari ut mihi ad famam probroſum, ſic eorum vitia cum pernicie reipublicae plerumque conjuncta ſilentio praeterire ad conſcientiam flagitioſum eſſet.

Voto finienda praefatio eſt. Deus omnium bonorum dator, qui cum Filio unigenito et Spiritu ſancto trinus, potentia, ſapientia, bonitate unus ſemper es in omnibus, et eras ante omnia, et eris ſemper in omnibus; qui imperia legitima, ſine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus, nec rerum natura omnis a te ex nihilo creata ſtare poteſt, prudentia tua diſponis ac gubernas; te publica voce oro et obteſtor, ut quod optimum Galliae atque adeo toti Chriſtiano orbi dediſti, id proprium nobis facias, tuiſque beneficiis faveas, et tantis muneribus diuturnitatem addas, ſimplexque et unum omnia iſta complexum votum perficias, Regem Delfinumque ſerves. Nam eorum ſalute pacem, concordiam, ſecuritatem, opes, et cetera nobis optatiſſima, contineri agnoſcimus ac profitemur. Proinde illius conſilia ad regendum, quod ab exitio vindicavit, imperium, moderare, dum hic adoleſcet quaſi felix arbos ad amoeni fluminis ripas ſuccreſcens, et feris nepotibus umbram, hoc eſt, otium ad praeclaras pacis artes excolendas, et pietatis ac literarum ſtudia promovenda, olim facturus. Utrumque diu ſimul Gallis, gratiore piis ordine, dominari ſinas: per eoſque priſca fides ac religio, antiqui mores, majorum inſtituta, patriae leges inſtaurentur;

nova

nova ſectarum monſtra, nova religionum commenta, et cetera ludificandis animis per otium callide excogitata aboleantur: tandemque ſublata ſciſſura pax in domo Dei, in conſcientiis quies, ſecuritas in republica conſtituatur. Ad extremum te D. O. M. quaeſo obſecroque per Spiritus ſancti tui gratiam, ſine qua nihil ſumus, nihil poſſumus, ut omnibus quae deinceps a me dicentur, libertas, fides, veritas apud eos, qui nunc ſunt et poſt erunt, conſtet; tantumque abſit ab adulationis et livoris ſuſpicione oratio mea, quantum abeſt a neceſſitate. [a] A. S. CIƆ IƆCI.

VAR. LECT. [a] *deſunt* A. S. CIƆ IƆCI *P. D.* o. f. A. S. *D.* d.

Α Λ Η Θ Ε Ι Α.

DIlecta coelo candida Veritas,
Inviſa terris horrida Veritas,
O diva quo pericli tantum
Ancora et arx fugis innocentum?

An te per Alpis invia ningidae,
Inhoſpitalis per Rhodopes juga
Sequar recedentem, aut acuta
Teſqua per aëriae Pyrenes?

An foeta monſtris ſquamigeris freta,
Lateque ſparſas gurgite Atlantico
Terras, et alterno peruſtos
Sole petam peregrinus Indos?

Qua ferre greſſus cumque datur vagos,
Intenta qua fas vertere lumina,
Nuſquam es; tenebrae cuncta caecae,
Cuncta gravis ſitus occupavit,

Injurioſo protinus ut ſolo
Pedem extuliſti. Quo properas? preces
Miſcere ſi coram negatur,
Mitis ades procul invocanti.

Dux luce caſſis tu dea mentibus
Praeſtigiarum nubila diſcutis
Obſtantia, ignorantiaeque
Trans ſalebras per opaca tutos

Praeſtas eunteis, ne miſeri ruant,
Terrore fracti pectora panico;
Cervice neu juſta imperantis
Excutiant juga contumaci,

Noſtrique numen ſolicitum negent,
Incerta ferri cuncta rati impetu,
Volvente fortuna labores
Atque vices variante rerum.

Tu vip[illegible]nae caeca calumniae
Palam [illegible]undis ſpicula, nec metu
Aut ſpe moveris, nec favore
Aut odio labefacta mutas.

Laudem merenteis tu probibes mori,
Latere inultum nec vitium ſinis;
Per te ſecus recteque facta
Per memores ſine fraude faſtos

Eunt in aureis tradita poſteris:
Nec poenitendum de tribus altera
Sororibus penſum retexet,
Quod properans ſemel una nevit.

Cui, diva, curae es, rite Deo litat,
Aequum inter omneis ipſe potens ſui
Jus dicit, et civilis omne
Officium pietatis implet.

Non ille clarae lumine purpurae
Praeſtringitur, non uritur ambitu;
Non ille ſpes foedas coquentis
Illecebris capitur lucelli.

Non ad ſuperbi res avidus ſuas
Trimalcionis arbitrium exigit,
Pruriginoſis inſuſurrans
Auribus exitiale murmur.

Ad gratiam non blanda loquentium
Venatur auram obnoxius aulicam,
Turpive libertatem avitam
Mancipat obſequio, probroſi

Nutu ex Catulli pendulus improbo;
Non ille amicis aut patriae piger
Prodeſſe, vitandumque honeſta
Flagitium nece pejus horret.

Jamque axe virgo labere flammeo,
Tecumque virtus et pudor et fides
Terras et albo tecta panno
Simplicitas repetat relictas.

Pugnae lacertos et frameam para,
Contende nervos; ſaecla noviſſima
Inſtant, ad extremamque mundus
Jam ſenio veniente metam

Vergit. Vides ut colla tumentia
Ferroque flammaque inſuperabilis
Attollit, et ſemper renatis
Pullulat hydra ferox colubris.

Opinionum fluctivago in ſalo
Pulſata Cauris relligio gemit;
Sciſſoque paſſim charitatis
Sacra jacent temerata vinclo.

Laſcivientis livida belluae
Ultrice dextra demete cornua,
Auro propinantis ſupinis
Dulcia principibus venena.

Faſtus rebelleis frange ſuperbiae,
Et occupanti cuncta licentiae
Impone fraenos, et recluſis
Fucum animis abole nocentem.

Sic conſtituta mentibus in piis
Tandem beabit pace ſuos Deus,
Vitaeque defunctos periclis
Emeritos brevis hora ſolvet.

O. M. V.

Digitized by Google

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ.

ΕΣ ΜΕΝ ΑΚΡΟΑΣΙΝ ΙΣΩΣ ΤΟ ΜΗ ΜΥΘΩΔΕΣ ΑΥΤΩΝ ΑΤΕΡΠΕΣΤΕΡΟΝ ΦΑΙΝΕΙΤΑΙ. ΟΣΟΙ ΔΕ ΒΟΥΛΗΣΟΝΤΑΙ ΤΩΝ ΤΕ ΓΕΝΟΜΕΝΩΝ ΤΟ ΣΑΦΕΣ ΣΚΟΠΕΙΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΜΕΛΛΟΝΤΩΝ ΠΟΤΕ ΑΥΘΙΣ, ΚΑΤΑ ΤΟ ΑΝΘΡΩΠΙΝΟΝ, ΤΟΙΟΥΤΩΝ ΚΑΙ ΠΑΡΑΠΛΗΣΙΩΝ ΕΣΕΣΘΑΙ, ΩΦΕΛΙΜΑ ΚΡΙΝΕΙΝ ΑΥΤΑ, ΑΡΚΟΥΝΤΩΣ ΕΞΕΙ. ΚΤΗΜΑ ΤΕ ΕΣ ΑΕΙ ΜΑΛΛΟΝ Η ΑΓΩΝΙΣΜΑ ΕΣ ΤΟ ΠΑΡΑΧΡΗΜΑ ΑΚΟΥΕΙΝ ΞΥΓΚΕΙΤΑΙ.

ΠΟΛΥΒΙΟΣ.

ΚΑΘΑΠΕΡ ΕΜΨΥΧΟΥ ΣΩΜΑΤΟΣ ΤΩΝ ΟΨΕΩΝ ΕΞΑΙΡΕΘΕΙΣΩΝ ΑΧΡΕΙΟΥΤΑΙ ΤΟ ΟΛΟΝ, ΟΥΤΩΣ ΕΞ ΙΣΤΟΡΙΑΣ ΕΑΝ ΑΡΗΣ ΤΗΝ ΑΛΗΘΕΙΑΝ, ΤΟ ΚΑΤΑΛΕΙΠΟΜΕΝΟΝ ΑΥΤΗΣ ΑΝΩΦΕΛΕΣ ΓΙΝΕΤΑΙ ΔΙΗΓΗΜΑ.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΣ.

ΤΟΙΟΥΤΟΣ ΟΥΝ ΜΟΙ Ο ΣΥΓΓΡΑΦΕΥΣ ΕΣΤΩ, ΑΦΟΒΟΣ, ΑΔΕΚΑΣΤΟΣ, ΕΛΕΥΘΕΡΟΣ, ΠΑΡΡΗΣΙΑΣ ΚΑΙ ΑΛΗΘΕΙΑΣ ΦΙΛΟΣ, ΩΣ Ο ΚΩΜΙΚΟΣ ΦΗΣΙ, ΤΑ ΣΥΚΑ ΣΥΚΑ, ΤΗΝ ΣΚΑΦΗΝ ΔΕ ΣΚΑΦΗΝ ΟΝΟΜΑΖΩΝ· ΟΥ ΜΙΣΕΙ, ΟΥΔΕ ΦΙΛΙΑ ΝΕΜΩΝ, ΟΥΔΕ ΦΕΙΔΟΜΕΝΟΣ, Η ΕΛΕΩΝ, Η ΑΙΣΧΥΝΟΜΕΝΟΣ, Η ΔΥΣΩΠΟΥΜΕΝΟΣ· ΙΣΟΣ ΔΙΚΑΣΤΗΣ, ΕΥΝΟΥΣ ΑΠΑΣΙΝ, ΑΧΡΙ ΤΟΥ ΜΗ ΘΑΤΕΡΩ ΤΙ ΑΠΟΝΕΙΜΑΙ ΠΛΕΙΟΝ ΤΟΥ ΔΕΟΝΤΟΣ. ΞΕΝΟΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΒΙΒΛΙΟΙΣ, ΚΑΙ ΑΠΟΛΙΣ, ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ, ΟΥ ΤΙ ΤΩΔΕ Η ΤΩΔΕ ΔΟΞΕΙ ΛΟΓΙΖΟΜΕΝΟΣ, ΑΛΛΑ ΤΙ ΠΕΠΡΑΚΤΑΙ ΛΕΓΩΝ.

ΕΡΜΕΙΑΣ ΣΟΖΩΜ.

ΜΗ ΤΟΔΕ ΚΑΛΕΠΟΝ ΕΙΝΑΙ ΔΟΞΗ, ΟΤΙ ΤΙΝΑΣ ΤΩΝ ΕΙΡΗΜΕΝΩΝ ΑΙΡΕΣΕΩΝ Η ΑΡΧΗΓΟΥΣ, Η ΣΠΟΥΔΑΣΤΑΣ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥΣ ΕΠΑΙΝΕΣΑΣ ΕΧΩ, ΕΥΓΛΩΤΤΙΑΣ ΓΑΡ ΕΝΕΚΑ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΛΟΓΟΙΣ ΔΕΙΝΟΤΗΤΟΣ ΘΑΥΜΑΣΙΟΥΣ ΕΙΝΑΙ ΣΥΜΦΗΜΙ. ΔΟΓΜΑΤΩΝ ΔΕ ΧΑΡΙΝ, ΚΡΙΝΕΤΩΣΑΝ ΟΙΣ ΤΟΥΤΟ ΠΟΙΕΙΝ ΘΕΜΙΣ.

D.

D. AVRELIVS AVGVSTINVS.

NARRATIONE AVTEM HISTORICA CVM PRAETERITA HOMINVM INSTITVTA NARRANTVR, NON INTER HVMANA INSTITVTA IPSA HISTORIA NVMERANDA EST: QVIA IAM QVAE TRANSIERVNT, NEC INFECTA FIERI POSSVNT, IN ORDINE TEMPORVM HABENDA SVNT, QVORVM EST CONDITOR ET ADMINISTRATOR DEVS. ALIVD EST ENIM FACTA NARRARE, ALIVD DOCERE FACIENDA. HISTORIA FACTA NARRAT FIDELITER ATQVE VTILITER: LIBRI AVTEM HARVSPICVM, ET QVAEQVE SIMILES LITERAE FACIENDA VEL OBSERVANDA INTENDVNT DOCERE, MONITORIS AVDACIA, NON INDICIS FIDE.

ΠΟΛΥΒΙΟϹ.

ΕΝ ΤΩ ΛΟΙΠΩ ΒΙΩ ΤΗΝ ΕΠΙΕΙΚΕΙΑΝ ΙϹΩϹ ΟΥΚ ΑΝ ΤΙϹ ΕΚΒΑΛΟΙ. ΚΑΙ ΓΑΡ ΦΙΛΟΦΙΛΟΝ ΔΕΙ ΕΙΝΑΙ ΤΟΝ ΑΓΑΘΟΝ ΑΝΔΡΑ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΝ, ΚΑΙ ϹΥΜΜΙϹΕΙΝ ΤΟΙϹ ΦΙΛΟΙϹ ΤΟΥϹ ΕΧΘΡΟΥϹ, ΚΑΙ ϹΥΝΑΓΑΠΑΝ ΤΟΥϹ ΦΙΛΟΥϹ. ΟΤΑΝ ΔΕ ΤΟ ΤΗϹ ΙϹΤΟΡΙΑϹ ΗΘΟϹ ΑΝΑΛΑΜΒΑΝΗ ΤΙϹ, ΕΠΙΛΑΘΕϹΘΑΙ ΧΡΗ ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ ΤΟΙΟΥΤΩΝ· ΚΑΙ ΠΟΛΛΑΚΙϹ ΜΕΝ ΕΥΛΟΓΕΙΝ ΚΑΙ ΚΟϹΜΕΙΝ ΤΟΙϹ ΜΕΓΙϹΤΟΙϹ ΕΠΑΙΝΟΙϹ ΤΟΥϹ ΕΧΘΡΟΥϹ, ΟΤΑΝ ΑΙ ΠΡΑΞΕΙϹ ΑΠΑΙΤΩϹΙ ΤΟΥΤΟ· ΠΟΛΛΑΚΙϹ ΔΕ ΕΛΕΓΚΕΙΝ ΚΑΙ ΨΕΓΕΙΝ ΕΠΟΝΕΙΔΙϹΤΩϹ ΤΟΥϹ ΑΝΑΓΚΑΙΟΤΑΤΟΥϹ, ΟΤΑΝ ΑΙ ΤΩΝ ΕΠΙΤΗΔΕΥΜΑΤΩΝ ΑΜΑΡΤΙΑΙ ΤΟΥΘ' ΥΠΟΔΕΙΚΝΥΩϹΙΝ.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟϹ.

Ο ΙϹΤΟΡΙΑΝ ΓΡΑΦΩΝ, Α ΜΕΝ ΟΙΔΕΝ ΑΛΗΘΗ ΛΕΓΩΝ, ΔΙΚΑΙΟϹ ΕϹΤΙ· ΤΩΝ ΔΕ ΑΔΗΛΩΝ,· ΤΑ ΒΕΛΤΙΟΝΑ ΔΟΚΕΙ ΑΛΗΘΩϹ ΛΕΓΕϹΘΑΙ ΜΑΛΛΟΝ Η ΤΑ ΧΕΙΡΟΝΑ.

ΛΟΥ-

ΛΟΥΚΙΑΝΟC.

ΜΗ ΠΡΟC ΤΟ ΠΑΡΟΝ ΜΟΝΟΝ ΟΡΩΝ ΓΡΑΦΕ, ΩC ΟΙ ΝΥΝ ΕΠΑΙΝΕCΩΝΤΑΙ CΕ ΚΑΙ ΤΙΜΗCΩCΙΝ, ΑΛΛΑ ΤΟΥ CΥΜΠΑΝΤΟC ΑΙΩΝΟC ΕCΤΟΧΑCΜΕΝΟC, ΠΡΟC ΤΟΥC ΕΠΕΙΤΑ ΜΑΛΛΟΝ CΥΓΓΡΑΦΕ, ΚΑΙ ΠΑΡ' ΕΚΕΙΝΩΝ ΑΠΑΙΤΕΙ ΤΟΝ ΜΙCΘΟΝ ΤΗC ΓΡΑΦΗC, ΩC ΛΕΓΗΤΑΙ ΚΑΙ ΠΕΡΙ CΟΥ, ΕΚΕΙΝΟC ΜΕΝΤΟΙ ΕΛΕΥΘΕΡΟC ΑΝΗΡ ΗΝ, ΚΑΙ ΠΑΡΡΗCΙΑC ΜΕCΤΟC.

ΠΟΛΥΒΙΟC.

ΙCΤΟΡΙΑC ΕΑΝ ΑΦΕΛΗ ΤΙC ΚΑΙ ΔΙΑ ΤΙ, ΚΑΙ ΠΩC, ΚΑΙ ΤΙΝΟC ΧΑΡΙΝ ΕΠΡΑΧΘΗ, ΚΑΙ ΤΟ ΠΡΑΧΘΕΝ ΠΟΤΕΡΑ ΕΥΛΟΓΟΝ ΕCΧΕ ΤΟ ΤΕΛΟC, ΤΟ ΚΑΤΑΛΕΙΠΟΜΕΝΟΝ ΑΥΤΗC ΑΓΩΝΙCΜΑ ΜΕΝ, ΜΑΘΗΜΑ ΔΕ ΟΥ ΓΙΓΝΕΤΑΙ.

ΠΡΟΚΟΠΙΟC.

ΠΡΕΠΕΙΝ ΗΓΕΙΤΟ Ο ΞΥΓΓΡΑΦΕΥC ΡΗΤΟΡΙΚΗ ΜΕΝ ΔΕΙΝΟΤΗΤΑ, ΠΟΙΗΤΙΚΗ ΔΕ ΜΥΘΟΠΟΙΙΑΝ, ΞΥΓΓΡΑΦΗ ΑΛΗΘΕΙΑΝ. ΤΑΥΤΑ ΤΟΙ ΟΥΔΕ ΤΩΝ ΟΙ ΕC ΑΓΑΝ ΕΠΙΤΗΔΕΙΩΝ ΤΑ ΜΟΧΘΗΡΑ ΑΠΕΚΡΥΨΑΤΟ, ΑΛΛΑ ΤΑ ΠΑCΙ ΞΥΝΕΝΕΧΘΕΝΤΑ, ΕΚΑCΤΑ ΑΚΡΙΒΟΛΟΓΟΥΜΕΝΟC ΞΥΝΕΓΡΑΨΑΤΟ, ΕΙΤΕ ΕΥ, ΕΙΤΕ ΠΗ ΑΛΛΗ ΑΥΤΟΙC ΕΙΡΓΑCΘΑΙ ΞΥΝΕΒΗ.

SEMPRONIVS ASELLIO.

SCRIBERE AVTEM BELLVM, QVO INITVM CONSVLE, ET QVO MODO CONFECTVM SIT, ET QVIS TRIVMPHANS INTROIERIT, EXQVE EO LIBRO QVAE IN BELLO GESTA SVNT ITERARE: NON PRAEDICARE AVTEM QVID SENATVS DECREVERIT, AVT QVAE LEX ROGATIOVE LATA SIT, NEQVE QVIBVS CONSILIIS EA GESTA SINT ITERARE, ID FABVLAS PVERIS EST NARRARE, NON HISTORIAS SCRIBERE.

PLINIVS CAPITONI SVO.

COGITA QVAE TEMPORA AGGREDIAMVR. VETERA ET SCRIPTA ALIIS? PARATA INQVISITIO, SED ONEROSA COLLATIO. INTACTA ET NOVA? GRAVES OFFENSAE, LEVIS GRATIA. NAM PRAETER ID QVOD IN TANTIS VITIIS HOMINVM PLVRA CVLPANDA SVNT QVAM LAVDANDA, TVM SI LAVDAVERIS, PARCVS; SI CVLPAVERIS, NIMIVS FVISSE DICARIS; QVAMVIS ILLVD PLENISSIME, HOC RESTRICTISSIME FECERIS.

ΛΟΥΚΙΑΝΟϹ.

ΤΑ ΜΕΝ ΠΡΑΧΘΕΝΤΑ ΟΥΔΕ ΚΑΩΘΩ ΑΝ ΕΤΙ ΑΝΑΚΑΩϹΕΙΕΝ, ΟΥΔ' ΑΤΡΟΠΟϹ ΜΕΤΑΤΡΕΨΕΙΕ. ΤΟΥ ΔΕ ϹΥΓΓΡΑΦΕΩϹ ΕΡΓΟΝ ΕΝ, ΩϹ ΕΠΡΑΧΘΗ ΕΙΠΕΙΝ.

ΔΙΟΔΩΡΟϹ.

Η ΜΕΝ ΙϹΤΟΡΙΑ ΤΟΙϹ ΝΕΩΤΕΡΟΙϹ ΤΗΝ ΤΩΝ ΓΕΓΗΡΑΚΟΤΩΝ ΠΕΡΙΠΟΙΕΙ ϹΥΝΕϹΙΝ, ΤΟΙϹ ΔΕ ΠΡΕϹΒΥΤΕΡΟΙϹ ΠΟΛΛΑΠΛΑϹΙΑΖΕΙ ΤΗΝ ΥΠΑΡΧΟΥϹΑΝ ΕΜΠΕΙΡΙΑΝ, ΚΑΙ ΤΟΥϹ ΜΕΝ ΙΔΙΩΤΑϹ ΑΞΙΟΥϹ ΗΓΕΜΟΝΙΑϹ ΚΑΤΑϹΚΕΥΑΖΕΙ, ΤΟΥϹ Δ' ΗΓΕΜΟΝΑϹ ΤΩ ΔΙΑ ΤΗϹ ΔΟΞΗϹ ΑΘΑΝΑΤΙϹΜΩ ΠΡΟΤΡΕΠΕΤΑΙ ΤΟΙϹ ΚΑΛΛΙϹΤΟΙϹ ΤΩΝ ΕΡΓΩΝ ΕΠΙΧΕΙΡΕΙΝ, ΤΟΥϹ ΔΕ ΠΟΝΗΡΟΥϹ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΤΑΙϹ ΑΙΩΝΙΑΙϹ ΒΛΑϹΦΗΜΙΑΙϹ ΑΠΟΤΡΕΠΕΙ ΤΗϹ ΕΠΙ ΤΗΝ ΚΑΚΙΑΝ ΟΡΜΗϹ.

Η ΔΕ ΤΗϹ ΙϹΤΟΡΙΑϹ ΔΥΝΑΜΙϹ, ΕΠΙ ΠΑϹΑΝ ΤΗΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ ΔΙΗΚΟΥϹΑ, ΤΟΝ ΠΑΝΤΑ ΤΑΛΛΑ ΛΥΜΑΙΝΟΜΕΝΟΝ ΧΡΟΝΟΝ ΕΧΕΙ ΦΥΛΑΚΑ ΤΗϹ ΑΙΩΝΙΟΥ ΠΑΡΑΔΟϹΕΩϹ ΤΟΙϹ ΕΠΙΓΙΝΟΜΕΝΟΙϹ.

ΑΓΑ-

ΑΓΑΘΙΑC.

ΠΟΙΗCΟΜΑΙ ΔΕ ΤΗΝ ΞΥΓΓΡΑΦΗΝ, ΟΥΧ' Η-
ΠΕΡ ΚΑΙ ΕΤΕΡΟΙC ΕΝ ΤΩ ΠΑΡΟΝΤΙ ΠΕ-
ΠΟΙΗΤΑΙ. ΗΔΗ ΓΑΡ ΠΟΥ ΚΑΙ ΑΛΛΟΙ ΤΑ
ΝΥΝ ΕC ΤΟΔΕ ΠΟΝΟΥ ΑΦΙΚΟΝΤΟ. ΑΛΗ-
ΘΕΙΑC ΜΕΝ ΩC ΤΑ ΠΟΛΛΑ ΗΚΙCΤΑ ΜΕΛΟΝ
ΑΥΤΟΙC, ΚΑΙ ΤΟΥ ΤΑ ΓΕΓΕΝΗΜΕΝΑ ΩC Ε-
ΧΟΥCΙ ΤΥΧΗC ΔΙΕΞΙΕΝΑΙ. ΟΥΤΩ ΔΕ ΔΙΑ-
ΦΑΝΩC ΚΟΛΑΚΕΥΕΙΝ ΠΟΛΛΟΥC ΤΩΝ ΔΥΝΑ-
ΤΩΝ ΚΑΙ ΥΠΟΘΩΠΕΥΕΙΝ ΕΛΟΜΕΝΟΙ, ΩC ΕΙ-
ΠΟΤΕ ΑΡΑ ΚΑΙ ΑΛΗΘΗ ΦΗCΑΙΕΝ, ΑΠΙC-
ΤΕΙCΘΑΙ.

ΟΥΤΟΙ ΜΕΝ ΟΥΝ ΞΥΓΓΡΑΦΟΝΤΩΝ ΩC ΠΗ
ΦΙΛΟΝ ΑΥΤΟΙC ΚΑΙ ΕΙΘΙCΜΕΝΟΝ. ΕΜΟΙ
ΔΕ ΤΟ ΑΛΗΘΕΙΖΕCΘΑΙ ΠΕΡΙ ΠΛΕΙCΤΟΥ
ΕΚΤΕΟΝ ΕC Ο, ΤΙ ΧΩΡΗCΕΙ.

JACOBI



JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM [α]SUI TEMPORIS

LIBER PRIMUS.

[β]EPITOME.

PRIMO libro, qui praefationis alterius loco eſt, rerum toto orbe ſtatus breviter ſub aſpectum ponitur. Francorum et Hiſpanorum, penes quos rerum arbitrium erat, vires et conſilia explicantur. II. Irrita Caroli VIII *in Italiam expeditio. Ferdinandi Arragonii aſtus in ſolicitando Ludovico* XII *ad bellum gentilibus ſuis in regno Neapolitano movendum, inſtigante Alexandro* VI, *qui ex Italiae turbis opes ſuis quaerebat. Partitio regni Neapolitani inter Ludovicum et Ferdinandum. Ferdinandus Calabriae dux, Friderici regis qui in Galliam ſe receperat filius, contra fidem a F. Conſalvo Cordubenſi datam retinetur, et in Hiſpaniam ſub cuſtodia mittitur. Bellum inter reges novi regni poſſeſſores; quod, amiſſa ea parte, quae Ludovico obvenerat, per inducias compoſitum eſt; ſecutis mox Germanae a Fuxo Ludovici neptis cum Ferdinando Arragonio nuptiis, cum Iſabella Caſtellenſis prior uxor paulo ante e vivis exceſſiſſet. Joanna filia utrinſque et heres Philippo Auſtriae archiduci elocata fuerat; qui quanquam a ſocru adminiſtrationis regnorum procurationem extremis tabulis viro attributam ſciret, controverſiam de ea inſtigatu uxoris ſocero moverat: quare factum, ut Ferdinandus adverſus generum ſibi gratia Ludovici*

opus

VAR. LECT. [α] ſui temporis *hic deſunt, et in ſequentibus libris.* P. D. o. f. d. [β] *Deeſt hic* Epitome, *et in ſequentibus libris.* P. D. o. f. d.

opus eſſe ad tempus exiſtimaret. Utriuſque regis Savonae congreſſus. Conſalvus Cordubenſis a Ludovico rara humanitate menſae adhibitus, Ferdinandi manifeſto livore, qui Cordubenſi malam gratiam rependit; et mox Ludovico, contra quem alterum generum Henricum VIII *Angliae regem ſuſcitavit; et accenſo bello, diſcordiis inter Acromontanos et Bellomontanos in Navarrae regno exaſperatis, regni injurioſe, Joanne Labretano expulſo, invadendi occaſionem arripuit. Pugna ad Ravennam ipſo reſurrectionis Dominicae die commiſſa; in qua Gaſto a Fuxo victor cecidit, et partae victoriae fructum corrupit, amiſſo mox Mediolano, et ſecuta ſanguinaria ad Novariam pugna.* III. *Initia Hiſpanici imperii parva et obſcura, quae iu immenſum creverunt ſub Ferdinando et Iſabella, aperto novo per Indias in occidente orbe, cujus veſtigandi noſtrates Belgae principium diu ante fecerant; et per adfinitates, Belgio cum Hiſpaniis conjuncto; et ad extremum imperiali accedente dignitate, vireis Germania communicante.* IV. *Gallici contra ſeu Francici illuſtris ab initio origo ſub Romanis florentibus, et in occaſu imperii. Carolovingi Italiae potentes, exſtincto Langobardorum imperio. Reges Neapolis et Siciliae ex Normanniae ducibus prognati. Ex Francis reges per* CCCC *annos continua ſerie in Anglia Plantagenetae rerum potiti; cum ante illos Gulielmus Normanniae dux eam, et filii ejus ordine, et Stephanus Bloëſenſis tenuiſſent. In Palaeſtinam expeditiones a Godofrido, Euſtochio, Balduino fratribus ſub Philippo* I *ſuſceptae. Henricus rex Caſtellae, Petro caeſo a Bertrando Gueſquinate, Caroli* V *auſpiciis conſtitutus; a quo ſucceſſionis jus ad Iſabellam pervenit. Francis deſinentibus, Hiſpani inceperunt.* V. *Incrementi eorum cauſae.* VI. *Ludovici detrimentoſa ac propudioſa cum Borgiis foederatio. Julii* II *ingratitudo, et coacta contra eum a Ludovico ſynodus, in qua juxta Conſtantienſe decretum in caput et in membra anquireretur. Morte Julii ſecuta, cum Leone* X *rex pacificatur, et mox cum Anglo, Maria Henrici* VIII *ſorore poſt Annae Britannae obitum in uxorem ducta. Ludovicus mortuus Kal. Jan. anni* CIƆ IƆ XV *ſummo ſuorum deſiderio, a quibus Patris Patriae nomen, inſuper et communi omnium nationum conſenſu Juſti cognomentum promeruit.* VII. *Ei Franciſcus gentilis et gener ſucceſſit: cujus felix prima in Italiam expeditio, et ſecuta ſtatim cum pontifice reconciliatio, addito pignore et tranſlato in regem electionis ſacerdotiorum jure.* VIII. *Tum promulgatae per Germaniam indulgentiae, quae Martino Luthero Auguſtiniano res per conciones miſcendi occaſionem dederunt: obſervatumque, eodem anno, quo ſacrae electiones ſublatae ſunt, majorem Germanorum partem a pontifice defeciſſe.* IX. *Biennio poſt Carolus Hiſpaniarum rex poſt mortem avi Maximiliani Caeſar electus eſt, qui ſtatim edictum Wormatiae contra Lutherum propoſuit. Amiſſum a noſtris Mediolanum: et Leone ſub id decedente, raro coeleſtis favoris ad Carolum inclinantis indicio, Hadrianus ejus praeceptor abſens in pontificem electus eſt.* X. *Nec multo poſt averſae a nobis fortunae pari indicio Carolus Borbonius a rege defecit. Cauſae explicantur.* XI. *Infelix ad Papiam obſidio et regis captivitas: quo factum, ut ejus calamitas in miſericordiam verterit, et Clemens* VII *ex ea occaſionem ceperit foederis clandeſtini contra Caeſarem ineundi: quam injuriam Caeſar ultus eſt, et urbis direptione, et abolita per Hiſpaniam pontificia ad tempus auctoritate.* XII. *Secundum haec, poſtquam Galli tota Italia excluſi ſunt, Caeſar Auguſtae comitia religionis negotio indixit: et paulo poſt celebratae Maſſiliae Henrici Aureliani ducis et Katharinae Mediceae nuptiae: reſque ad annum uſque* XXXVI *quieverunt, quo per cauſam Mirabelli ſupplicio indigne a Franciſco Sfortia adfecti bellum exarſit.* XIII. *Sabaudia Franciſci Borbonii ſani Pauli comitis, et Philippi Chabotii maris praefecti, ductu occupata.*

XIV.

XIV. *Caeſaris irrita in Provinciam expeditio; quam lamentabilis Franciſci Delphini mors ſecuta eſt; et mox induciae inter Caeſarem et regem pactae, quibus durantibus Caeſar ad motus Gandenſium componendos per mediam Franciam in Belgium deſcendit, ubique magna pompa ac praecipue Lutetiae exceptus.* XV. *Cum promiſſa non repraeſentarentur, bellum recruduit* [1] cIↄ Iↄ xxxix. *Irrita Henrici Delphini ad Perpinianum expeditio; felicior Caroli in Lucemburgenſi principatu: quibus intervenit Rupellanorum ob rem ſalinariam ſeditio, moderatione ſumma pro temporum ratione compreſſa. Franciſci Borbonii Anghiani ad* [2] *Carinianum victoria. Secutum Crepiaci foedus, cui Anglus ſtare noluit.* XVI. *Anglicanae ſciſſurae origo ob repudium Katharinae Arragoniae et Annae Bolenae matrimonium. Abolita in Anglia et Hibernia pontificia prorſus auctoritate, Henricus rex caput eccleſiae declaratur: in ceteris nihil in doctrina mutatum.* XVII. *Geldriae principatus Carolo Egmondano ablatus et Clivenſi attributus, a Caeſare vindicatur.* XVIII. *Daniae rex Chriſtiernus* II, *Joannis filii Chriſtierni* I *nepos paternis veſtigiis inſiſtens Sueciae regnum invadit, et crudeliter vaſtat, edita Stocholmiae immani laniena; ob quam non ſolum Suecis inviſus, ſed proprio regno ejectus, exſtincta etiam maſcula ſobole periit. Fridericus patruus in Danico, Guſtavus Erici filius Suecico regno inaugurati.* XIX. *Motus ob religionem in Germania, et ſecreti ad bellum paratus, cui praeluſerunt ruſtici et Anabaptiſtarum fanatici duces; dein et Suevicum contra Ulricum Wirtembergicum initum foedus, ac poſtremo Brunſvicenſe.* XX. *Concilium, inſtante Caeſare, primum Mantuae indictum, ac poſtea Tridenti.* XXI. *Motus ob religionem inter Helvetios, commiſſaque pugna poſt fruſtra tentatam noſtrorum interventu concordiae viam; Tigurini victi, occiſa in primis ordinibus Huldrico Zuinglio: ſed victoriae Quinquepagicorum is exitus fuit, ut pacem ſibi deinceps colendam exiſtimarent.* XXII. *Poloniae ſtatus. In Boruſſia mutandae religionis ratio, et principatus in Brandeburgica familia firmandi.* XXIII. *Hungariae item ſtatus; ubi poſt Ludovicum ad Mogacium caeſum Joannes Zapolia Daciae princeps controverſum in ea jus deinceps Auſtriacis fecit.* XXIV. *Turcica a Selimi temporibus et Aegypto ſubacta, ad annum* [3] XLII *praetexuntur.* XXV. *Italiae ſtatus. Veneti nutantes. Genuenſis reſpublica in aere Caeſaris. Seneuſes metu Florentinorum patrocinium alienum quaerentes. Florentini ipſi principem a Caeſare accipiunt. Mediceae familiae in Etruria dominatus origo, et ſucceſſus. Joannis Coſmi patris mors. Ateſtinorum Ferrariae principum fatum. Mantuae duces Montisferrati principatus potentes. Roboreorum gentis origo, et in Urbini principatu ſucceſſio; Camertium item, quos Varani potiti fuerant, adjectio, ipſis poſtea a Paulo* III *ademptorum.* XXVI. *Navigationes ad Indiae occidentalis veſtigationem a Chriſtophoro Columbo et Americo Veſpucio ſuſceptae. Eodem tempore P. Alvares Capralis Braſiliam, et Jo. Pontius Legionenſis Floridam aperuit. Tum Ferdinandus Magellanus in orientem tendens fretum a ſe dictum enavigavit. Terra ignea. Hiſpanorum in India occidentali, Luſitanorum Emmanuelis* [4] *regis auſpiciis in orientali ſucceſſus et res geſtae.* XXVII. *Ad res noſtras reditum. Poſt Crepiacam pacem Bononia ab Anglis capta. Odoardi Bieſii, et Jacobi Cuciaci Vervinii generi, res infeliciter geſtae. Regis in Angliam irrita expeditio. Franc. Lotaringus Aumalius ad Bononiam ingenti vulnere ſauciatus, cum conſtantia ſumma ac fortitudine ictum ſuſtinuiſſet, praeter chirurgorum ſpem convaluit. Carolus Aureliani dux Ferdinando Romanorum regi gener deſtinatus, ad Firmum monaſterium lue peſtilenti exſtinctus.*

Ex

NOT. [1] cIↄ Iↄ XLII. *Put.*
[2] *Cerizolium*, qui eſt au delà du Po, où le Marquis du Guaſt fut deffait, voulant venir ſecourir Carignan aſſiegé par les noſtres deçà le Po. *Put.*
[3] XLIII. *Put.*
[4] et Joannis III regum auſpiciis. *Put.*

Ex auctoribus,

Fr. Guicciardino, Paulo Jovio, Pandolfo Collenucio, T. Livio, Eutropio, L. Floro, Salluſtio, Appiano Alexandrino, C. Caeſare, Strabone, Corn. Tacito, Lucano, Hier. Oſorio, Paulo Aemilio, Onufrio Panvinio, Annalibus Francicis, Wilielmo Tyri archiepiſcopo, D. Hieronymo, Gul. Bellaio, Martino Bellaio, Actis curiae Pariſ. Jo. Sleidano, Nic. Sandero, Georg. Buchanano, Lud. Guicciardino, Jac. Zieglero, Jo. Magno archiepiſcopo Upſalenſi, Lamberto Hortenſio, Martino Cromero, Aſcanio Centorio Hortenſio, Davide Chytraeo, Jo. Baptiſta Hadrianio, Ferdinando Oviedo.

LIBER PRIMUS.

CONSILIUM mihi est res orbe toto geſtas, [α]paulo ante exceſſum Franciſci I repetitas, ad haec nſque tempora fide ſineera, procul ab odio et gratia, poſteris tradere. Quod antequam aggredior, conveniens inſtitutae narratiooi videtur eſſe, ut prius qui ſtatus rerum, quae conſilia et vires principum, qui motus animorum tunc eſſent, breviter, ſed altius ducto initio, explicetur. Itaque a Gallis et Hiſpanis, penes quos rerum ſumma, et reliquorum principum fortunae erant, auſpicabimur.

II. POST irritam Caroli VIII in Italiam expeditionem, quae tamen funeſtiſſimo Italiae exemplo externis principibus ad invadendas illas otio et alta pace gaudenteis proviocias iter aperuit, metus Gallici nominis, quod omnia paulo ante terrore compleverat, aliquantum conquievit. Nam Ferdinandus Ferdinandi nothi nepos, Alfonſo patre a regni adminiſtratione ultro ſe abdicante, ut praeteritae ſaevitiae [β] infamiam elueret, brevi tempore amiſſa paene momento recuperaverat: et quamvis omnes merito metuerent, ne denuo Carolus, uti rumor erat, eandem expeditionem tentaret; tamen Italorum principum ante diſſidentium recens foederatio, atque imprimis Ludovici [a] Sfortiae, qui Carolo in Italiam veniendi auctor et adjutor fuerat, a partibus noſtris defectio, ad haec [b] Tarrenſis pugnae exitus dubius (nam ſibi in ea vel victa pars victoriam arrogabat) priſtinum metum magna ex parte minuebant. Sed mortem Ferdinandi victoris ſecuta paulo poſt mors Caroli moram tantiſper bello incepto interpoſuit, donec Ferdinandus Hiſpaniae rex Gallos, inſtigante Alexandro [γ] VI, in eam curam intentos interventu ſuo ad illud quamprimum ſuſcipiendum incitaret. Is, recepto ante ſeptennium [c] Perpiniano et Ruſcinonenſi comitatu, ictum cum Carolo in Italiam profecturo foedus mox cavillatus fuerat, ſummiſſo in auxilium Arragoniis patruelibus [d] Ferdinando Conſalvo Cordubenſi, qui poſtea Magni Ducis nomen meruit; et ipſe cum infeſto exercitu contra fidem datam in [e] Septimaniam deſcenderat: poſtremo rebus proſpere a Conſalvo in Calabria et [f] Apulia geſtis, conciliataque ſibi, uti rebatur, populorum illorum benevolentia, conſilium mutavit; et repente, alienato a patruelibus animo, cum Ludovico XII, qui Carolo in regnum ſucceſſerat, clam novum foedus percuſſit de regno Neapolitano occupando, his conditionibus, ut inter ipſos divideretur, et Neapolis regni caput, [g] Campania, [h] Samnium Gallo cederet; Hiſpano Apulia et Calabria. Auxit Ferdinandi perfidiam, quod cum Fridericus, Ferdinandi nuper mortui patruus et heres, rem ſibi cum Gallo tantum futuram ſperaret, Conſalvum cum exercitu Hiſpania venientem benigne in Sicilia exceperat, et in Calabriam ſubſidio, uti putabat, contra Gallos deportandum curaverat; Conſalvo contra rumores, qui de occulta illa cooventione jam ubique ſpargebantur, etiam poſt publicatum Romae foedus affirmante, nihil ſibi aliud in mandatis dediſſe Ferdinandum, quam ut Friderico et regni ſaluti conſuleret. Quo factum eſt, ut Fridericus, qui nihil ſibi ab Hiſpano metuebat, a duobus potentiſſimis regibus eodem tempore

VAR. LECT. [α] praecipue ab exceſſu Franciſci I ad haec uſque tempora fide ſincera, et ſcribendi qua potero facultate ac judicio, poſteris tradere. *MS. Samm.* [β] invidiam. *D. P. o. f.* [γ] VI P. M. *P.*

INTERPR. [a] *Sforza.* [b] *bataille de Fornuovo dans le Val di Taro en Lombardie.* [c] *Perpignan & le Rouſſillon.* [d] *Gonçalo Hernandez de Cordouë, ſurnommé le Grand Capitaine.* [e] *Languedoc* [f] *la Puglia.* [g] *Terra di Lavoro.* [h] *la provincia dell'Abruzzi, ſc. Abruzzo oltra, Abruzzo citra, & il Contado di Moliſe.*

tempore praeter opinionem circumventus facile opprimeretur. Exuto ſumma patruelis infamia Friderico, reſtabat Ferdinandus dux Calabriae, cui pater in Galliam abiens clam mandata dederat, ut ſe in [a] Tarentinam arcem, cui praefectum [b][1] Potentiae ducem impoſuerat, reciperet, et ibi tamdiu moraretur, dum ne ſe neceſſitate praeverti ſineret, quo minus dedendo arcem, quo vellet libere abire poſſet. Nam Fridericus odio patruelis in Gallia fortunas omneis ſuas collocaverat, et ut eo filius ſe ſequeretur, ſi Italiam relinquere cogeretur, imperaverat. Verum Conſalvus [2] Manfredonia capta, cum Tarentinam arcem his conditionibus accepiſſet, ut liberum eſſet Calabriae duci, quo vellet, abire, idque ſolemni jurejurando firmaſſet, arce dedita cauſatus novum Ferdinandi imperium, cui parere neceſſe haberet, Calabriae ducem contra fidem datam ſub cuſtodia in Hiſpaniam miſit. Sed non diu inter victores reges manſit in ſocietate concordia: nam cum de vectigali, quod in Apulia ad [c][3] fineis Samnii ex quadrupedum tranſitu colligitur, inter parteis ambigeretur, et multis ultro citroque tractatibus nihil profectum fuiſſet, tandem ad arma ventum eſt: quorum de eventu [α] veritus Ferdinandus, Philippum Auſtrium Maximiliani imperatoris filium, generum ſuum et heredem, cujus animus ad pacem et otium natura ſua ferebatur, induxerat, ut fide accepta in Galliam ad Ludovicum tranſiret, et de componendis diſſenſionibus in regno ea qua dixi occaſione exortis cum rege ageret. Sed cum interea [d] Meletio ad [e][4] Terram novam in Brutiis caeſo res Hiſpanorum novis copiis Hugonis Cardonae, et alteris ductu Emanuelis [f] Benavidae et Antonii [g] Levae ex Hiſpania miſſis paulum recreatae; Gallorum contra longa et infelici [h][β][5] Baruli obſidione attritae inde animos adderent, hinc noſtris adimerent, Conſalvus conditionibus de concordia inter Ludovicum et Philippum, quamvis ſolemni jurejurando firmatis, ſtare noluit. Nec conceptae de rerum proſpero ſucceſſu opinioni eventus defuit. Nam mox [i] Albinii exercitu ad [6] Seminaram in Calabria deleto, ipſoque Albinio cum praecipuis belli ducibus capto, et paulo poſt in Apulia re male geſta ad [k][7] Gerionem, ac [l] Ludovico Armeniaco Nemorenſi duce in pugna deſiderato, Conſalvus victor a Neapolitanis exceptus eſt; moxque ad [m][8] Lirim commiſſo cum exercitus Gallici reliquiis ingenti proelio victor [n] Caietam recipit, et Gallis totius regni poſſeſſione dejectis, Hiſpanorum res hactenus dubias in poſterum ſtabilivit. Ita Ferdinandus grande perfidiae ſuae lucrum tulit, et conſilium de invadendo regno contra patrueleis, quod jampridem animo agitatum profunda diſſimulatione texerat, occaſione oblata ad exitum feliciter perduxit. At Ludovicus, tot acceptis cladibus, cum non minus pudore quam dolore angeretur, nec inultis tot injuriis honeſte aut ſecure cum Hiſpano tranſigere poſſet, inducias in annum pepigit, ut tantiſper dum

VAR. LECT. [α] cum vereretur. *P. D.* o. f. d. [β] Baruti. *P.*

INTERPR. [a] *Tarento.* [b] *Potenza.* [c] *la Capitanata.* [d] *le Comte de Meleto.* [e] *Terra nova in Calabria inferiore.* [f] *de Benavides.* [g] *di Leyva.* [h] *Barletta.* [i] *D'Aubigny.* [k] *Citignola.* [l] *Louis d'Armagnac Duc de Nemours.* [m] *Garigliano r.* [n] *Gaeta.*

NOT. [1] *Potentia,* Lucanorum oppidum mediterraneum. Ligorius interpretatur Porto di S. Lepido: ſed illa Potentia, ut credo, eſt urbs Piceni et colonia Romana. *Put. L.*

[2] *Manfredonia,* olim Sipontum, et Apeneſtae, Apuliae Dauniae oppidum. *Put. L.*

[3] *La Capitanata,* olim Samnii pars ſoli ubertate felix, magnique ob annonae copiam et quadrupedum vectigal momenti, per novam regni Neapolitani provinciarum ſive diſtributionem ſive denominationem ab Alphonſo I tributa regia facilius exigendi gratia factam, Apuliae adnexa eſt. Hinc litis occaſio, Hiſpanis ſibi jus in ea ſecundum novam denominationem contendentibus, Gallis contra hanc regionem utpote Samnio conterminam, ejuſque ab antiquo partem, et a cetera Apulia ab amne Aufido nunc Lofanto penitus diviſam ſibi vindicantibus. *C.*

[4] *Terra nova,* olim Terina, Brutiorum urbs, Teriana Leandro, Mantea Nigro vocatur: Terram novam vocat Jovius. *Put. L.*

[5] *Barulum* Apuliae oppidum. *Put. L.*

[6] *Seminara,* olim Taurianum Brutii oppidum. *Plin. lib.* 3. *c.* 6. Quaedam exemplaria Tauroentum legunt. *Put. L.*

[7] *Gerion,* alias Gerunium Apuliae urbs, hodie Citignola: Stephanus γερωνίαν vocat, et x ſtad. ab Aufido flumine ait diſtare. *Put. L.*

[8] *Liris,* olim etiam Clanius dicebatur. *Put. L.*

dum fortuna de rebus ſuis decerneret, ſoſpenſis de bello conſiliis eventum opperiretur; cum ecce commodum de collocanda in matrimonium Ferdinando [a] Germana Foxia ſororis filia, quae honeſta pacis inter principes contrahendae ratio eſſe ſolet, actum eſt. Nam paulo ante Iſabella [b] Caſtellae regina Ferdinandi uxor, quae marito regni Caſtellae procurationem teſtameoto legaverat, e vivis exceſſerat: et Philippus Iſabellae gener, ad quem materni regni ſucceſſio pertinebat, teſtamentum ſocero in dubium revocabat. Itaque Ferdinandus, ut hinc res ſuas io Italia ſtabiliret, inde ſe adverſus generum muniret, facile in novas nuptias cooſenſit his legibus, ut dotis nomine, jus in ea regni Neapolitani parte, quae in diviſione Ludovico obvenerat, Germanae ab avunculo cederetur, ita ut ſi ante Ferdinandum moreretur, ea pars marito accreſceret; ſin marito ante ſine liberis mortuo decederet, ad Ludovicum rediret. Nec certior in eo foedere conſervando quam in reliquis Ferdinandi fides [α] fuit. Nam contra dotaleis tabulas ipſe mox ſe totum regnum ex ſucceſſione Alſonſi I, Ferdinandi ſpurii patris, excluſo Germanae uxoris jure, poſſidere palam profeſſus eſt. Interea dum per pacem licebar Neapolim profectus, ut Conſalvum, cujus virtutem et liberalitatem ſupra modum ſuſpectam habebat, inde abduceret, intellecta morte Philippi generi, quamprimum in Hiſpaniam ſibi redeundum eſſe duxit. In itinere Savonae, quo Ludovicus diſſoluto exercitu venerat, ſumma humanitate et candore accipitur, variiſque inter maximos Europae principes ac praecipue de cauſa Piſanorum et Genuenſium habitis ſermonibus, utrinque diſceſſum eſt. Sed Ferdinandus, qui morte generi magno ſe metu liberatum exiſtimabat, totius fere Hiſpaniae potens, ſtatim aoimum ad res novas appulit: cumque ſuſpectam Galli poteotiam ſumme haberet, Henricum VIII generum, qui nuper Henrico VII in Angliae regnum ſucceſſerat, juvenem magni animi, clam [β] ſollicitat, ut bellum Ludovico inferret. Ipſe praetexebar Pontificis auctoritatem, qua fieri dictitabat, ut quos ille hoſteis haberet, eos bello perſequi teneretur. Itaque conjunctis cum genero viribus in [c] Aquitaniam, in qua ſibi jus Anglus vindicabat, impetum facere decrevit: et quia ad eam expeditionem opus habebat iter per Navarrae regnom cum exercitu facere, miſſis oratoribus a Johanne [d] Labretano rege petierat, ut ſibi libere per ejus regnum tranſire liceret: quod cum [γ] ab illo propter amicitiam, quae ipſi cum Gallo intercedebat, non impetraret, inde occaſionem arripuit invadendi Navarrae regni, cui jampridem homo alieni cupidus inhiabat; quod ei facile fuit copiis generi freto, et imparato a rebus omnibus Navarro, qui fruſtra auxilia a Ludovico praeſtolatus, exortis [e] Acramontanorum et Bellomontanorum factionibus, tandem regno cedere, et eis Pyrenaeum recipere ſe [f] Benearnum coactus eſt. Ferdinandus novo regno occupato, neque de Aqoitania multum ſollicitus, relicto genero de ſocero fruſtra querente, domum revertitur. Interea Ludovico, cui tam infeliciter res cum Ferdinando ceſſeraot, in [g] Inſubribus magis vario eventu fortuna illuſit. Nam poſtquam in regni auſpiciis, ad [a] Novariam [h] Helvetiorum ſeditione deſtituto et capto [i] Sfortia et Aſcanio fratre Cardinali, Mediolani et Genuae imperio potitus eſt, nihil opinione hominum obſtiturum videbatur, quo minus et armis parta conſervare, et amiſſa a Carolo VIII aliquando recuperare poſſet. Sed in occupatiooe regni Neappolitani ſocietatem plane leoninam contraxiſſe ſe cum Hiſpano experientia didicit; triennioque poſt, uti jam diximus, omni regni poſſeſſione deturbatus,

CIↃIↃV.

VAR. LECT. [α] perſpecta eſt. *P.* [γ] a Rege. *P. D. o. f.*
[β] ſollicitavit. *P. D. o. f.*

INTERP. [a] *Germaine de Foix* [b] *Caſtille.* [c] *Guienne.* [d] *d'Albret.* [e] *les maiſons de Grammont & Beaumont.* [f] *Bearn.* [g] *l'Etat de Milan ou Lombardie.* [h] *les Suiſſes.* [i] *Ludovic Sforza Duc de Milan.*

NOT. [a] *Novaria*, olim etiam Aria Lybia et Leonina dicta; Ptol. *νουαρία*. *Put. L.*

deturbatus, tamen, quae in [a] Gallia Ciſalpina armis quaeſierat, retinuit, et Genuenſeis, qui ad famam infelicium tot ſucceſſuum ab eo deſecerant, in poteſtatem redegit. Dein icto [b] [1] Cameraci cum Caeſare, Hiſpano, et Pontifice contra Venetos foedere, et profligatis ad [c] [2] Abduam ipſorum copiis, capto [d] Liviano duce, toti Italiae formidabilis eſſe cepit: quo effectum eſt, ut Julius II [immoderato aeſtu] omnia bellis miſcendi etiam in decrepita aetate ardens, munerisque [α] paſtoralis oblitus, et tot beneficiorum nuper in Gallia acceptorum immemor, cum jam ſibi videretur de injuriis Venetorum ſatis graveis poenas ſumpſiſſe, in nos odium et acerbitatem convertere decreverit: quod quo facilius exequi poſſet, Venetis a ſe prius proſcriptis reconciliatur, et bello Ferrariae duci illato, Gallos a partibus Ferrarienſis ſtanteis proſcribit. Ita quod res noſtras in Italia firmare debuit, in invidiam et odium ingratus ſenex vertit; Maximilianumque, qui Ludovici beneficio, poſt [e] Abduenſe proelium a ſuppſicibus Venetis omnia oppida Auſtriacae domus receperat, a nobis alienavit; et Hiſpanum, qui nullam unquam invadendi Gallos occaſionem, vel contra datam fidem, praetermiſit, nuper ſoederatum et adfinitatis vinculo conjunctum facile induxit, ut contrarium ſoedus contra Gallum iceret. In eam rem exercitus, duce Raimondo Cardona Hiſpano, communibus ſumptibus conſcribitur. Quam perfidiam ut ulciſceretur Ludovicus, magnum et ipſe exercitum cogit, cui Gaſtonem [f] Foxium ſororis filium praefecit, qui mira celeritate et virtute intra quindecim dierum ſpatium [g] Bononiam ab Hiſpanis et pontificiis oppugnatam obſidione liberavit, caeſiſque in itinere Venetorum copiis [h] Brixiam et Bergomum civitates, quae deſecerant, recepit, tandemque commiſſo memorabili illo ad Ravennam proelio, ipſo reſurrectionis Dominicae die, anno ſalutis CIƆ IƆ XII, [β] [3] Eid. Apr. Hiſpanos et pontificios fudit: ſed dum pugnae reliquias victor colligit, in globum Hiſpanorum ex certamine ſe recipientium ardentius invectus tantae victoriae fructum morte ſua corrupit. Nec multo poſt foederati Helvetiorum copiis freti Gallos [i] Mediolani poſſeſſione, quod jam XIII annos tenuerant, expellunt, et Maximilianum Sfortiam Ludovici filium Mediolani dominum coſtituunt, [γ] tradente civitatis claveis [k] [4] Sedunenſi epiſcopo. Ipſe Ludovicus ab infeſto Pontifice proſcriptus, cum redintegrato exercitu rurſus Mediolanum duce Ludovico [l] Tremollio repeteret, ab Helvetiis ſanguinaria ad Novariam commiſſa pugna victus, et tota fere Italia excluſus eſt.

III. HIS initiis nomen Hiſpanicum antea obſcurum et vicinis paene nationibus incognitum tunc primum emerſit, tractuque temporis in tantam magnitudinem excrevit, ut formidoloſum ex eo et terribile toti terrarum orbi eſſe coeperit. Nam quod [m] Petrus Arragonius ante CCC et X annos rebellenteis Siculos Gallis ejectis ſibi ſubjecit, popularium potius ultro ſe dedentium ſeditioni, quam Hiſpanorum potentiae tribui debet: nec deerat coloratum jus, quod Siciliae invaſioni obtendebatur; ſiquidem Petrus is Conſtantiam Manfredi injuſte, uti dictitabat, a [n] Carolo Andegavenſi regno exuti filiam [δ] uxorem duxerat. Alfonſus autem Arragoniorum

P. [*inſana rabie*]

VAR. LECT. [α] *deeſt* que. *P. D. o. f.* [β] VI Eid. *P. D. o. f.* [γ] conſignante. *P.* [δ] in uxorem. *D. o. f. d.*

INTERP. [a] *le Milanois.* [b] *Cambray.* [c] *Adda r.* [d] *Alviano.* [e] *bataille de Ghiaradadda.* [f] *de Foix.* [g] *Bologna.* [h] *Breſcia & Bergamo.* [i] *Milan.* [k] *de Sion.* [l] *de la Tremoille.* [m] *Pierre* III *Roy d'Arragon.* [n] *Charles d'Anjou.*

NOT. [1] *Cameracum*, Antoninus Camaracum vocat. *Put. L.*
[2] *Abdua*, hodie Adda dicitur, Lombardiae Tranſpadanae fluvius. *Put. L.*
[3] III Eid. *Put. L.*
[4] *Seduni* Galliae populi Alpibus vicini Valleſia ſuperior, et Veragri Valleſia inferior: horum metropolis Sedunum Sabaudica lingua Sion, et Sitten Germanica dicitur. *Put. L.*

Arragoniorum in Italia conditor, et in principem a [1] Joanna II, quae Ladiſlao fratri in regno ſucceſſerat, adoptatus, quamvis poſtea propter ingratitudinem ab ea exheredatus eſſet, adoptato Ludovico III [a 2] Andium duce, tamen jure hereditario potius et procerum regni tunc exortis factionibus, quam gentis ſuae viribus ſubnixus, donati regni poſſeſſionem retinuit, et ad heredes ac Fridericum ipſum, cujus modo mentionem ſecimus, continuata ſucceſſione tranſmiſit.. Quod ſi ante tempora Petri, qui Alphonſum C annis amplius praeceſſit, ad prima hujus gentis incunabula reſpiciamus, comperiemus Hiſpanos atque ipſorum gloriam mari Mediterraneo et Oceano cloſtriſque Pyrenaeis concluſam fuiſſe, potiuſque patuiſſe exteris invadentibus quam quidquam memorabile extra fineis ſuos geſſiſſe. Nam licet, uti ſcripſere veteres, Hiſpania prima a Romanis tentata, ultima ſubacta ſit, tamen externis ferme dominatibus aut paruit aut militavit: primo quidem Carthaginienſibus, cum [b 2] Saguntini ſtatim initio ſecundi belli Punici extrema quaeque paſſi, ut in fide ſociali, quam ad perniciem uſque coluerunt, permanerent, ad extremum fame victi ſunt; dein Romanis, P. Cornelii Scipionis virtute et humanitate tota fere Hiſpania partim in poteſtatem redacta, partim ad eum uno animo tranſeunte, XIIII anno, poſtquam bellum initum eſt, V, poſtquam ipſe Scipio provinciam et exercitum accepit, cum et Indibilis Hiſpaniarum rex magno proelio victus et in amicitiam acceptus eſt. Ab eo ſiquidem tempore omnia pacata ibi ſub imperio Romanorum fuere, ſi Viriati Luſitani paſtoris primum, dein latronum ducis, motus excipias, qui tandem duce ipſo a ſuis interfecto a Q. Caepione compreſſi ſunt; [3] Numantinorum item civitatis pro libertate Hiſpaniae obſtinatam conſtantiam; ad quam miſſus P. Scipio Africanus correcto milite Numantiam diu obſeſſam poſtremo fame vicit, et ſolo aequavit, ac reliquam provinciam in fidem accepit anno urbis conditae IↃCXX. Annis L poſt Q. Sertorius, qui partium Marianarum fuit, Sylla rerum potito, relicta Italia ad Fortunatas uſque inſulas penetravit, ac tandem ad bellum Hiſpanias commovit, ubi vir facile cum viris convenit: cumque uno imperatore res Romana ei reſiſtere non poſſet, additus eſt Metello Numidici filio Cn. Pompeius: neque tamen tam ducum virtute, quam ſuorum ſcelere oppreſſus eſt: et hunc quidem exitum Syllanae proſcriptionis hereditas ſeu bellum Sertorianum habuit. Tandem ductu Auguſti hactenus invicti Cantabri in poteſtatem redacti, et univerſa Hiſpania ſtipendiaria facta eſt. Inde ſub Romanis imperatoribus fuit, (imperatores etiam Trajanum et Hadrianum ac poſtremo Theodoſium Romae dedit) donec imperio jam declinante Vandali, Suevi, et Alani in Gallias a Stilicone evocati, et ab Atulpho et Vallia Gothis regibus ab Honorio imperatore ad liberandas Gallias miſſis inde exacti Pyrenaeum tranſierunt anno Chriſti CCCCX, et Hiſpaniam Romanis ereptam multos annos tenuerunt: ſed Gothi a Francis ex Gallia ejecti viciſſim Vandalos et Alanos ex Hiſpania ejecerunt; Suevos vero ad internecionem omneis ceciderunt. Ita Hiſpania longo tempore Gothis paruit; a quibus religionem Chriſtianam antea quidem quorundam martyrum ſanguine obſignatam, ſed nondum plene promulgatam accepit, et cum religione pravum Arianae opinionis errorem imbuit. Ab his hodie praecipua

inter

VAR. LECT. [a] Andegavenſi, tamen. *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Duc d'Anjou.* [b] *ceux de Sagunte.*

NOT. [1] *Joanna* II. *MS. Sam. et Put.*

[2] *Saguntum*, Hedetanorum urbs in Hiſpania Tarraconenſi, hodie *Morvedro* dicitur. Lucius vocat *Sedetanos*. *Put. L.*

[3] *Numantia*, Hiſpaniae Tarraconenſis urbs inter Arcuacos ad Durium fluvium, hodie *Soria* dicitur: quatuor amplius millibus ſupra Soriam ad Garai pontem non procul ab ortu Durii fluminis ejus veſtigia monſtrantur. *Put. L.*

inter Hiſpanos nobilitas* originem ſuam repetit. Tandem a Saracenis [a] fretum Herculeum tranſgreſſis miſerabili caſu vaſtata et occupata eſt, prodente [b] Baeticam, cui praefectus erat, Juliano, ut injuriam violata filia a Roderico rege acceptam ulciſceretur. Id anno ſalutis IↃ CCXX accidit. Gothi qui ſuperfuerunt, cum in [α] [c] Aſturum, Cantabrorum et Callaicorum montes ſe recepiſſent, paulatim amiſſas regiones, urbes, caſtella recuperare coeperunt; et ad ultimum, cum Maurorum res in Baetica ſe contraxiſſent, a Ferdinando Joannis filio (is Alfonſi, quem a Joanna adoptatum diximus, frater fuit) victi atque omni Hiſpania expulſi ſunt, IↃ CCLXXIV, poſtquam primum eam occupaverant, anno. Iſque annus, qui fuit reparatae ſalutis CIↃCDXCII, Chriſtophori Columbi navigatione, quae novum orbem in Atlantico mari Hiſpanis primo aperuit, nobilitatus eſt. Quanquam nec ea gloria defraudari noſtri omnino debent: ſiquidem conſtat, Hiſpanis id minime negantibus, LXVIII ante Columbi navigationem annis, [d] Betencurium, noſtratem [ʾ] Belgam inſulas illas, quae hodie a frequentia avium hujus nominis [e] Azorae vocantur, occupaſſe, et Hiſpanis vendidiſſe; atque inde reverſum de continenti, quae illis occidentem verſus praetenditur, famam ſparſiſſe. Ea res maximam conciliavit et Ferdinando et Iſabellae nominis celebritatem; quorum auſpiciis ſexennio poſt Americus [f] Veſpucius Florentinus terram illam trans aequinoctialem lineam, quam a ſuo nomine Americam dixit, exploravit: tamque nobili exemplo permotus Emanuel [g] Luſitaniae rex Ferdinandi gloriae aemulus ad explorandas itidem in India orientali novas terras animum appulit. Eodemque anno prima claſſis duce [h] Vaſco Gama Luſitanorum auſpiciis in Indiam profecta eſt. Et ne tantum longinqua et incerta gloriae et lucri cauſa, potius quam vicina et tuta ad Chriſtiani nominis propagationem quaerere viderentur, Ferdinandus [i] Oranum in Africa cepit, duce Petro Navarra; ſed Franc. [k] Ximenii archiepiſcopi Toletani ſumptibus, qui ad immenſarum opum levandam invidiam exercitum juſſu Ferdinandi conduxerat. Emanuel viciſſim [l] Septam contra Saracenos Arabas in ora Africae munivit. Auxerunt et Hiſpanorum potentiam per adfinitatem tot regnorum hereditates tandem in Ferdinando Arragonio et Iſabella [β] Caſtellenſi confuſae, et Philippi Auſtriaci totius [m] Belgii heredis hinc ex Germania, inde ex Gallia conjunctae opes, quae a trunco naturali quaſi reciſae, Hiſpaniae veluti alienae arbori inſertae ſunt. Nam Philippo natus Carolus a patre Belgii, a matre totius Hiſpaniae et majoris Italiae partis, a Maximiliano avo ampliſſimi in Germania patrimonii ac poſtremo imperii [γ] quaſi heres totam Europam ſpe et fatali potentia complecti quodammodo viſus eſt: cumque tot locorum intervallis et moribus diſtinctarum nationum princeps eſſet, ex Germania oriundus, in Belgio natus et educatus, in Hiſpania tamen, quamdiu per bella Gallica et Germanica licuit, ſedem praecipuam habuit, et Hiſpanorum ductu maxima proelia fecit; ac poſtremo renuntiato imperio et abdicatis [δ] regnis ibi privatus mori voluit. Sub Philippo deinde filio continuata poſſeſſione eandem dignitatem Hiſpania retinuit, poſtquam pace [a] [n] [ε] Sercani nobiſcum facta relicto Belgio in Hiſpaniam profectus eſt: nam res omneis ab eo tempore domi foriſque fere per Hiſpanos adminiſtravit, et honores,

VAR. LECT. [α] Auſturum. *D. o. f. d.* [β] Caſtellana. *P. D. o.* [γ] *deeſt* quaſi. *D. o. f.* [δ] a ſe regnis. *P. D. o. f. d.* [ε] Cercani. *P. D. o.*

INTERPR. [a] *deſtroit de Gibraltar.* [b] *Andalouſie.* [c] *Aſturies, Biſcaie, & Gallice.* [d] *de Bethencourt.* [e] *Azores.* [f] *Veſpucio.* [g] *Portugal.* [h] *Vaſquez de Gama.* [i] *Oran.* [k] *Ximenes Archev. de Tolede.* [l] *Ceuta.* [m] *provinces des Pays bas.* [n] *Sercamp.*

NOT. [ʾ] Dele *Belgam*; lege *e Caletibus in Neuſtria oriundum* Il eſtoit de Normandie. *Put.*
[a] Lege *Sercampi*: ut Thuanus ipſe, lib. 20. L'Abbaye de Sercamp limitrophe d'Artois & de Picardie, ou ſe fit l'ouverture de la paix. *Put.*

honores, quos Carolus pater Germanis, Belgis et Italis quaſi communis omnium princeps liberaliter communicabat, filius invidioſe ad ſolos Hiſpanos contraxit. Et hactenus de Hiſpanici imperii initiis et cauſis.

IV. DE Gallis quid attinet dicere, quos ab omni aetate laudis bellicae et juſtitiae fama apud exteros claruiſſe conſtat, ſaepe ſe populoſa gente in vicinas et looginquas regiones extendente, ſaepe etiam afflictis principibus et eorum ſalutarem opem implorantibus humaniter praebito auxilio? Fidem facit illud in Romana hiſtoria pervulgatum, Romanos cum ceteris gentibus de gloria, cum Gallis pro ſalute certaſſe: cumqoe apud eos certa aetas faciendis ſtipendiis praefinita eſſet, qua exacta miſſiooem impetrare poſſent, bello Gallico ſexagenarios minime militia ſolutos fuiſſe, ac ne ipſos quidem ſacerdotes ſcripſit Appianus. Fidem faciunt et ſparſae tot ubiqoe terrarum Gallici nominis coloniae. Nam et major et melior Italiae pars de Ciſalpinae Galliae nomine appellatur. Et ſi ambitioſa et fabuloſa Romanorum ad res Iliacas origines ſuas referentium commenta rejiciamus, quis dubitat, quin Veneti non ab Henetis Paphlagonibus, ſed a [a]Venetis, ut et Straboni videtur, in Armorica noſtra ſitis originem ducant? Neque enim [1]Caeſari fides tribuenda eſt, qui hos ab illis nomen ſumpſiſſe nolla veriſimili ratione ſcripſit. Quorſum enim illa Senonum, Boiorum, Cenomanorum, atque adeo Inſubrum nomina in Italia pertinent, niſi ot intelligamus Gallos olim haec loca tenuiſſe, et ad tradendam poſteris originis ſuae memoriam de ſuo nomine appellaſſe? Jam ad Germanos reſpice: nonne et [b]Boiorum in Vindelicia, qui hodie Baioari ſunt, ad Boios Gallos primordia retulit [α]Tacitus? Quod oe minus vero conſentaneum videatur, facit quod Caeſar ipſe ſcribit, fuiſſe aliquando tempus, quo Germanos Galli virtute ſuperarent. Certe in Hiſpania ipſa Celtiberi vario pugnae cum Romanis eventu toties congreſſi, [β] et hodie Portu-Gallia inſigne ſunt monumeotum virtutis Gallicae. Jam quid de Brenni expeditione dicam, qui tentata et afflicta Roma inde in Dardanos duxit, Graeciaque vaſtata Thraciam [γ] aliquandiu tenuit, et io Aſiam ad finem trajecit? Ab hoc enim Galatae ſeu Gallo-Graeci in Aſia originem trahunt; ex quibus [2]Trocmi oram Helleſponti, [2]Toliſtobogi Aeolida atque Ioniam, [2]Tectoſages mediterranea Aſiae loca ſortiti ſunt. Et quanquam amoenitate locorum et peregrinarum voluptatum uſu, quae ad extinguendum animorum vigorem plurimum poſſunt, vel ferociſſimi populi effoeminari potuerint, tantum valuit vis inſita virtutis, ut longo tempore non degeneraverint. Siquidem a Brenni expeditione ad Cn. Manlii tempora, a quo Gallo-Graeci omnium, quae Aſiam incolebant, gentium bellicoſiſſimi debellati ſunt, anni plus minus CC intercedunt. Ut ad noſtros Gallos redeam; vix decennio a florentiſſimo Romanorum duce C. Caeſare in fidem accepti aut bello domiti ſunt: nam et inter eos Hedui et Sequani amici populi Romani et Arverni fratres appellati ſunt: ſub iiſque nominibus Gallia, quamdiu imperium ſtetit, libertatem quodammodo [δ] retinuit. Sed Theodoſio vita functo, cum imperium occidentale a tribus tutoribus Gildooe et Rufino primom, mox et ipſo Stilicone miſere diſtraheretur, Gallia a Viſigothis et Francis occupata eſt: ſed pace ab Honorio cum Vallia

VAR LECT. [α] Corn. Tacitus. *P.*
[β] *deſunt* et hodie Portugallia. *P. D. o.*
[γ] aliquando. *P. D. o. f d.*
[δ] retinuit; quo tempore duos Antoninos Nemauſi, Carinum Narbonae natum imperatores dedit: nam de Tyrannis ſub Gallieno ortis non loquor. Sed Theodoſio, &c. *M. S. Sam.*

INTERPR. [a] *ceux de Vannes en Bretagne.* [b] *ceux de Baviere.*

NOT. [1] Dele *Caeſari:* lege *alius.* M. de Thou s'eſt abuſé; car Ceſar n'en parle point, mais bien Tite Live, Quinte Curce, Juſtin, &c. *Put.*
[2] *Trocmi, Toliſtobogi, Tectoſages.* Il y a apparence, que ces gens-ci eſtoient de Languedoc. *Put. L.*

Vallia facta tandem Romanis praeter Aquileiam omnis reſtituta eſt; Hunnique, quorum rex Attila, communibus Viſigothorum et Francorum copiis duce Aëtio in campis Catalaunicis deleti ſunt. Demum Aëtio, cujus apud Francos et Viſigothos ſumma gratia et auctoritas erat, a Valentiniano occiſo, pertaeſa Romanorum Gallia protinus ab imperio [α] defecit; ejectiſque Aquitania Gothis, Franco-Gallorum regnum ſub Childerico et [a] Clodoveo felicibus auſpiciis apud nos coepit, circa annum ſalutis CDLXXX; quod poſt diſſolutionem imperii ad haec uſque tempora omnium clariſſimum et florentiſſimum toto orbe Chriſtiano [β] fuit, cum Faramundus avus antea XXX circiter annis inter Francos regnaſſet. Nam ex regum noſtrorum ſecunda familia prodiere [b] Carolus Tudes ſive Martellus, qui memorabili proelio Saracenos profligavit; Pipinus, qui [γ] [c] Longobardos Italia ejecit, et Carolus, qui Romanum imperium primus in occidente fundavit, et regnum patris in Italia coeptum firmavit. Nec omitti debent Siciliae reges a Tancredo Normano ducti ſub tertia regum noſtrorum familia; quorum genus rerum potitum eſt uſque ad Henrici VI Friderici [d] Aenobarbi filii tempora, qui Conſtantia Rogerii ultimi filia uxore ducta in regnum ſucceſſit. Ab eo Manfredus ſpurius, et Conradinus Friderici II imperatoris nepos orti: quibus rurſus de medio ſublatis Carolus Provinciae comes Ludovici IX frater Neapolitanum regnum quaſi jure hereditario Gallis principibus debitum occupavit. Haec eadem Francia noſtra repetitis vicibus vicinae [e] Britanniae reges dedit. Nam Gulielmus nothus [f] Normanniae dux in Angliam cum delectis tranſmiſit, et caeſo Haraldo regnum occupavit circa annum Chriſti CIↃLXVI. Huic Gulielmus Rufus et Henricus I filii ordine ſucceſſerunt. Poſtea [1] Stephanus [g] Bloëſenſis, qui Adelam ejus filiam [δ] uxorem duxerat, regnum [ε] tenuit; ortiſque diſſenſionibus inter eum et Mathildem Henrici I filiam, quae Henrico V Caeſari nupſerat, tandem ceſſit. Mortuo dein Henrico Caeſare Mathildis, quaſi non aliunde quam e Gallia tanti regni heredi vir petendus eſſet, [ς] [h] Gauſrido Plantagenetae [ζ] Andium comiti nupſit; a quo reges Anglorum longa ſerie propagati ſunt uſque ad [2] Joannem Plantagenetam Edvardi III filium et Lancaſtrenſis familiae, atque adeo roſae rubrae principem; cui paulo poſt, regno interea ſemper in Plantagenetarum familia manente, ſuccrevit contraria albae roſae factio, ab Edmondo Plantageneta [3] Edvardi III altero filio, [i] Eboraci duce, fundata: unde ortae in eo regno civiles diſſenſiones utrique parti poſtremo exitioſae: tandemque Edvardus Plantageneta V a Richardo patruo Glocestriae duce, [4] qui ſumma jam impietate ſe fratris Georgii cruore polluerat, cum fratre Richardo in carcere interfectus eſt; cui Richardus ipſe tot parricidiis infamis haud diu ſuperſtes fuit: nam

VAR. LECT. [α] defecit; et felicibus auſpiciis in ea, ejectis Aquitania Gothis, Franco-Gallorum regnum ſub Childerico et Clodoveo coepit. *P. D.* o. f. d.

[β] fuit. *Inter hoc verbum et* nam *deeſt linea.* *P. D.* o. f. d.

[γ] Langobardos. *P. D.* o. f.

[δ] in uxorem. *P. D.* o f. d.

[ε] tenuit; ex eoque matrimonio ſuſceptus Stephanus patri in regno ſucceſſit; ortiſque *P. D.* o.

[ς] Godofredo. *P. D.* o.

[ζ] Andegavenſium. *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Clovis.* [b] *Charles Martel.* [c] *Lombards.* [d] *Barbaroſſa.* [e] *Angleterre.* [f] *Normandie.* [g] *Comte de Blois.* [h] *Geoffroy Plantagenet Comte d'Anjou.* [i] *York.*

NOT. [1] Lege *Stephanus Stephani Bloeſenſis, qui Adelam ejus filiam in uxorem duxerat, filius tertiogenitus regnum tenuit.* C.

[2] *Joannem Plantagenetam Edvardi.* Sic Ed. Gen. 1626, et Put. recte: licet omnes Ed. praecedentes habebant *Edmondum Plantagenetam Henrici.* C.

[3] *Edvardi* III *altero filio.* Sic recte corrigit Puteanus, et Ed. Gen. 1626: et Ed. Pariſſoni habebat *Edvardi* III *regis filio*; omnes aliae *Edvardi* II *regis filio.* C.

[4] Dele *qui ſumma jam impietate ſe fratris Georgii cruore polluerat.* Ceci eſt mal mis par M. de Thou, qui a confondu les noms. L'hiſtoire eſt, qu' Edouard IV, Georges, & Richard eſtoient freres: Edouard IV eſtant Roi fit mourir ſon frere Georges dans un toneau de Malvoiſie. Cet Edouard mourant laiſſa deux fils, Edouard V & Richard. Or cet autre Richard frere d'Edouard IV, aprés la mort de ſon frere, fit mourir ſes deux neveux Edouard V & Richard, & s'empara de la couronne, s'eſtant fait nommer Richard III. C'eſt la verité hiſtorique. *Pat.*

nam mox regnum cum vita amiſit, occiſus ab Henrico Teudero Henrici VIII patre, et Eliſabethae, quae nunc in Anglia regnat, avo. Ceterum Henricus ille, qui VII dictus eſt, [a][α] Oweni Theodori ſive Teuderi nepos fuit, qui conditione impar virtute ſeu forma meruerat, ut Catharinam [1] Caroli VI Francorum regis filiam et Henrici V Anglorum regis viduam [β] uxorem duceret, ex eoque matrimonio Edmondum ſuſcepit, qui Margaritam Plantagenetam, ultimam roſae rubrae heredem, conjugem habuit; poſtea Henricus Elizabetham Plantagenetam Edvardi IIII filiam, et ultimam roſae albae heredem, uxorem duxit; et ita factiones illae [γ] exſtinctae, ſimul et Gallica Plantagenetarum gens, quae huc uſque a [δ] Gaufrido Andium comite per CCCC circiter annos per mares ſemper deducta regnum tenuerat, [ε] defecit. Et ſi quidem verum amamus, et res a vera ſua origine citra fucum repetantur, Navarrae, Caſtellae, et Arragoniae reges ab perilluſtri in [b] Bigerronibus familia propagati ſunt, et quicquid praeclari bello contra Saracenos geſſerunt, opibus Francorum adjuti fecerunt, ſicuti ex vetuſtis ipſorum Hiſpanorum monumentis oſtendi poteſt. Jam [c] Luſitaniae reges, qui ab Henrico neſcio quo [d] Limburgenſi vulgo deducuntur, unde Joannes I, Alfonſus V, Emmanuel et Joannes III orti, qui longe lateque nomen ſuum per Aſiam, Africam, et Indias Orientaleis ſparſerunt, nunc ex fide dignis ejuſdem aevi teſtimoniis conſtat, ab Henrico minore natu filio Roberti Burgundiae ducis genus duxiſſe. Is autem Robertus Roberti regis Franciae filius fuit, et [e] Hugonis Capeti, qui familiam regiam, quae feliciſſime ab eo tempore apud nos rerum potitur, fundavit, nepos. Quid nunc jam expeditionem in Palaeſtinam ſub Philippo I ſuſceptam commemorem? Quid ejus ducem Gotifridum [f] Bononienſem, et [g] Euſtochium ac Balduinum Gotifridi fratres? Quid Hugonem comitem Pariſienſem Philippi fratrem? Quid Robertum Flandriae comitem, [h] Balduinum Montenſem, Stephanum [i] Bloeſenſem, [ζ] Raimondum Toloſae comitem, Robertum Normanniae ducem, et Boëmundum Apuliae ex Tancredorum familia, unde tot reges in Syria, Cypro, Graecia? Quid ipſam Conſtantinopolim imperii orientalis caput, a Gallis imperatoribus eo tempore tamdiu poſſeſſam? Omitto vicina, et bella cum Anglis geſta tam dubio eventu, ut quod de Punicis dixit Livius, plerumque propius periculo fuerit, qui vicerat. Unum praeterire non poſſum, quod Carolus V poſt pacatas Gallias diuturnis Anglorum bellis ac recenti patris clade afflictas, ut militem licentiae aſſuetum Francia exigeret, Bertrandum [ζ][k] Gueſquinatem equitum magiſtrum cum exercitu in Hiſpaniam miſit, honeſta quidem belli cum Saracenis gerendi occaſione; re vera, ut Petrum Caſtellae regem, qui Blancam Borbonii ducis filiam et uxoris [η] Caroli ſororem in matrimonium duxerat, ceterum Padillae pellicis blanditiis an philtris faſcinatus indignum in modum habebat, ad ſanam mentem vi reduceret. Sed cum Blanca ſub id tempus obiiſſet, fato ſuo an fraude pellicis, incertum, adfinitate diſſoluta [θ] Gueſquinas hoſtili

VAR. LECT. [α] Olai alias Oueni Teuderi. *P.* Olai Teuderi. *D.* o.
[β] in uxorem. *P. D* o. f. d.
[γ] *Deſunt* extinctae ſimul. *P. D.* o. f. d.
[δ] Godofredo Andegavenſi per. *P. D.* o. f.
[ε] defecit. *Ab hoc verbo uſque ad* Quid nunc, 11 *lineae deſunt in P. D* o. f. d. *deſunt etiam in Roberti Stephani editione. Quamvis editor hujus operis, Genevae ann.* 1620 *impreſſi, lectorem diſerte praemonet, ſe primum volumen Rob. Stephani typis excuſum bona fide repraeſentaſſe; quaedam tamen hic et alibi loca inveniuntur variantia, quae ſingulatim notare noſtri eſſe duximus.* C
[ζ] *Deſunt* Raimondum Toloſae comitem. *P. D.* o. f. d. *deſunt et in ed. Rob. Steph.*
[ζ] Geſquinatem. *P.*
[η] Caroli V. *P.*
[θ] Geſquinas. *P. D.* o f. d.

INTERPR. [a] *Owen Tudor.* [b] *Bigorre.* [c] *Portugal.* [d] *de Limburg.* [e] *Hugues Capet.* [f] *de Boulogne* al. *Bouillon.* [g] *Euſtace.* [h] *Baudouin* II, *Comte de Hainaut ou de Mons.* [i] *de Blois.* [k] *du Gueſclin, Conneſtable de France.*

NOT. [1] *Caroli* VI. Sic recte Put. et ed. Gen. 1626: omnes aliae *Caroli* VII. C.

hoſtili manu et animo Caſtellam ingreſſus Petrum regno ſpoliavit, et Henricum ſpurium ab eo oppidis, quae ipſi a patre communi ex ſuo conſenſu attributa [α] fuerunt, exutum ejecto fratre regem conſtituit: et quamvis a Petro Anglorum viribus ſubnixo mox violenta poſſeſſione dejectus ſit, paulo poſt tamen Gallorum ope reſtitutus regnum occiſo Petro obtinuit, et ad heredes ſuos tranſmiſit. Ab eo ſiquidem Henrico Iſabella genus duxit, quae Ferdinando Arragonio, de quo nunc ſermo eſt, nupſit, Caroli V et Ferdinandi I imperatorum avo: ſub quo paulatim ſeneſcente Gallorum fortuna Hiſpanicum nomen adolevit; ut merito dici poſſit, ubi Galli defierunt, ibi rerum potiri Hiſpanos incepiſſe.

V. Quae non a me dicta ſunt aut amore patriae, aut Hiſpanorum odio, nec quod genti [β] admodum ſagaci et bellicoſiſſimae quidquam velim detractum; (abſit hoc ab homine candorem et veritatem profeſſo) ſed quia cum de Hiſpanorum magnitudine et potentia crebra futura ſit mentio, conſentaneum rationi viſum eſt, de ejus origine et incrementis citra obtrectationem et aſſentationem heic verba facere. Ac praeter ea quidem, quae jam retulimus, etſi non ignorem, ut homines, ſic imperia naſci, creſcere, decreſcere, ac tandem mori, certoſque temporum limites a divina providentia praeſtituros eſſe, qui nulla vi noſtra, nulla prudentia tranſiri poſſunt: tamen cauſas tam repentis Hiſpanorum incrementi altius indaganti hae praecipuae viſae ſunt; quod cum verae, hoc eſt, Chriſtianae religionis promulgationem in omneis terras ante ſaeculorum conſummationem diffundi oporteat, Deus ad hoc potentiae culmen Hiſpanos evexerit, ut eſſent, qui tam longinquas ac difficiles navigationes ad barbaros et veri luce deſtitutos populos, freti viribus ſuis commodius ſuſciperent; quod non aeque Gallis ac ceteris occidentalibus et ſeptentrionalibus gentibus facile factu fuiſſet: quippe ultimi Hiſpani ad occidentem; ad haec illis aeſtus et laboris atque adeo inediae patientiora corpora, et mentes eorum, quae conſilium et moram deſiderant, magis capaces; quae duo in hujuſcemodi longinquis et periculoſis expeditionibus ſumme neceſſaria ſunt: et quamquam nemo dubitet Hiſpanos, quod eventus docuit, illuc lucri potius et [γ] praedae, quam pietatis [*] cauſa profectos; tamen non mediocre, meo quidem judicio, operae pretium fuit, ubi nullas omnino terras eſſe credidit antiquitas, ibi inter tot gentes antea incognitum Chriſti nomen vel perperam audiri et celebrari. Nam ut plerumque in rebus humanis, ſic et in religionis negotio praecipue uſu venire cernimus, ut Deus quae a corrupta et mala voluntate noſtra proficiſcuntur, ad gloriam ſuam et in bonum [δ] vertat.

VI. Ut

P. [*] *quae ut plurimum illic per ſuperſtitiones adulteratur,*

VAR. LECT. [α] fuerant. *P.*

[β] aedepol. *P. D. o. f. d.*

[γ] praedae cauſa profectos quam pietatis, quam per impoſturas et praeſtigia miſere deformatam ſuperſtitioſi homines illic extendunt et ſimplicibus animis inculcant; tamen non *MS Sawm.*

[δ] vertat. Nec deſperandum eſt, quin qualiſcunque religionis ſilveſtria illa plantaria, melioris doctrinae inſitione, Hiſpanorum jugo excuſſo et libertate reddita, quaſi novellae, ſuaveis et auctore Chriſto dignos fructus aliquando producant. Ut ortus Hiſpanorum, ſic contra Gallorum occaſus cauſas pariter religioni tribuo. Nam cum Chriſtiana pietas ab initio in Gallia ſemper floruerit, ut quam monſtris caruiſſe ſcripſerit Hieronymus, purioris doctrinae cultum hoc dicto in ea ſemper viguiſſe innuens; verendum erat, ne creſcente in Italia potentia Gallorum, quibus tantas opes pontifices Romani debere ſe negare non poſſunt, una et potentia Romana in immenſam et orbi Chriſtiano intolerandam magnitudinem evaderet: quod ab Hiſpanis minime metuendum fuit; quippe qui non tam pontificiae magnitudini inſerviunt, quam pontificii cultus praetextu id agunt, ut pontificia auctoritas a Gallis in tantam evecta ſublimitatem, ipſorum commodis et ambitioſis conſiliis inſerviat; et ſi mens non male augurat, pontifices Romani, ut olim in ultima direptione urbis, ſic et in amplae adeo et invidioſae potentiae diſſolutione, infeſtiſſimum Hiſpanum aliquando experturi ſunt. Nos certe Galli ſimplices nimis, quorum imprudentia factum eſt, ut dum plus juſto religionis cuſtodibus et miniſtris tribuitur, ipſi religioni male conſultum ſit: nam nihil aeque, ſi verum amamus, religioni obeſt, quàm nimiae opes et immoderata unius potentia; quae ſi in monarchiis, ubi degenerare incipit, omnibus intolerabilis exiſtit, in domo dei, ubi majore cum periculo peccatur, nullo modo ferri debet. Itaque ut in iis, quae vere ad religionem pertinent, nihil de poteſtate eccleſiaſtica, quam veneror et ſuſpicio, imminuendum

aut

VI. UT vero ad res noſtras redeam; ſi fas mortali de aeternis Dei conſiliis pronuntiare, haud aliud in cauſa fuiſſe dixerim, cur optimus princeps Ludovicus aeque magnitudine animi ac prudentia clarus, ad haec quam Gallici nominis ſtudioſus, tam de ſuorum commodis et ſalute ſolicitus; nihil aliud, inquam, fuit, cur is tam multis nominibus commendabilis rex meliore utique fortuna dignus tot adverſitatibus in vita conflictatus ſit, quam quod tam arctam cum Alexandro VI adfinitatem contraxiſſet, et impuri patris omnique ſcelerum genere cooperti filii crudelitates, libidines, perfidiam, fortunas denique foviſſet et [a] amplificaſſet. Quid enim Italiae, quid orbi Chriſtiano non metuendum fuit, ſi res proſpere in Italia Gallis eveniſſent, et cum felicitate noſtra Borgiarum fortuna adoleviſſet? Sed cum [a] Valentinus labefactis Gallorum in Italia rebus, tum morte nec-opina patris fortunis everſis, omnia, quae in [b] Umbria et Piceno tenebat, amiſiſſet, poſtremo, qui nemini fidem ſervaverat, temere ſe fidei Conſalvi permiſit; a quo in Hiſpaniam miſſus, et laudabili perfidia in carcerem conjectus eſt, unde cum paulo poſt elapſus eſſet, tanti nominis dux obſcura et ignobili morte tandem periit. Cum Julio II non eandem amicitiam coluit Ludovicus; quippe eum infeſtiſſimum hoſtem ſemper expertus, quem gratiſſimum amicum habere debuit: quae odia eo evaſerunt, ut temere et injurioſe rex a pontifice proſcriptus primo [c] [1] Lugduni ſynodo praeſulum regni convocata ipſum in jus vocaverit; dein auctoritate quorundam cardinalium [d] Mediolani congregatorum concilium [e] Piſis indixerit, in quo de emendando eccleſiae ſtatu ageretur, et juxta regulam ultimi concilii Conſtantiae

aut delibandum cenſeam; ita pontificum Romanorum intereſſe exiſtimo, de poteſtate terrena, quam tot jam abhinc ſaeculis nimis avide conſectantur, multa reſecari; ipſis utique meo judicio majoribus futuris, ſi minores eſſe velint. Nam quorſum faſtus ille, et inſolentes tituli, et pluſquam regia majeſtas, niſi ut religio ſimplex, candida, et per ſe venerabilis, in invidiam, odium et maledicentiam culpa miniſtrorum incurrat? ut ſub novis ſubinde dominis nova quotidie monſtra, nova imperia, novi tyranni in Italia exoriantur? ut pace publica turbata, et omiſſo communi Chriſtiani nominis hoſte, orbis Chriſtianus armis concutiatur? Piget dicere, et tamen dicendum eſt, ex quo abjectis clavibus et relictis precibus ac lachrimis, quae ſola et vera ſunt arma ſacerdotum, ſumptum ſceptrum, tiara, gladius, ex eo cura paſtoralis negligi, diſciplina ſacra corrumpi, et corruptis moribus ipſa doctrina paulatim adulterari coepit. Tunc omiſſa concilia, hoc eſt, neglecta religioſorum cum Deo foedera, et inita nova foedera cum hominibus, ipſis ferme ſemper damnoſa, certe reipublicae Chriſtianae luctuoſa. *MSS. Reg. et Samm.*

[a] amplificaſſet. Nam quid portentoſius priſca vel noſtra aetas vidit vel audivit, hominem ſacris devotum largitionibus in templum Dei invaſiſſe; ibi ferro, veneno, fraude tam diu impune graſſatum eſſe; ex nefando coitu ſuſceptos liberos, omni pudore exuto, auſum propalam filios appellare; inceſtibus, homicidiis et latrocinius infamem familiam aluiſſe; inde vitia domeſtica in omnem Italiam ſparſiſſe; poſtremo Chriſtiani gregis paſtorem jurati Chriſtianorum hoſtis clandeſtino foedere ſtipendiarium fuiſſe? Et quidem haec ab omnibus qui res illius temporis ſcripſerunt, memoriae prodita ſunt, etiam iis, qui pontificii nominis reverentia multa alioqui non tacenda ſilentio diſſimularunt. Sed omnem fidem ſuperat, quod Fr Guicciardinus, vir fide, prudentia et eloquentia cuivis ex antiquitate comparandus, nulli certe meo judicio poſthabendus, ſcripſit, non ſolum duos fratres Franciſcum [f] Candianum et Caeſarem, qui poſtea beneficio noſtro Valentiae dux factus eſt, inceſto Lucretiae ſororis amore exarſiſſe, (quod ob rivalitatem Candiano perniciem attulit) ſed etiam ipſum parentem tam perdite filiam deperiſſe, ut eam a marito priore, ſtatim initio pontificatus, quaſi tanta adfinitate indigno, abduxerit, mox pudore victum Joanni [g] Sfortiae Piſauri domino elocaviſſe; et poſtremo, cum ne quidem maritum rivalem pati poſſet, Joannem ad res venereas frigidum cauſatum, ſubornatis falſis teſtibus contractum cum eo matrimonium diſſolviſſe. Quo nomine etiam a Jacobo Sannazario, viro bono et eximio ſui temporis poeta, paſſim proſcinditur, et illo carmine praecipue, cujuſcunque tandem ſit, quo Lucretia filia, ſponſa, nurus Alexandri fuiſſe perhibetur. Mitto [h] Aſtorem Manfredum Faventiae dominum eximia forma puerum ſtupratum, et contra datam fidem poſtea necatum; tot illuſtres duces inde a filio Senegalliae, inde a patre Romae crudeliter occiſos; et venenum Cardinalibus paratum ab ipſo Alexandro epotum; quae mors tali vita digniſſima fuit. Cum tali monſtro junctae adfinitatis contagia et piacula res noſtras infeciſſe, et optimi principis fortunam in praeceps dediſſe, merito exiſtimare poſſumus. Quid enim *MS Reg.*

INTERPR. [a] *Ceſar Borgia duc de Valentinois en Dauphiné.* [b] *la Romagna & ducato di Spoleto.* [c] *Lion.* [d] *Milan.* [e] *Piſa.* [f] *Duca di Candia.* [g] *Sforza Signor di Peſaro.* [h] *Aſtorre Manfredi Signor di Faenza.*

NOT [1] Dele *Lugduni*, lege *Caeſaroduni*; parce que l'aſſemblée premiére fût tenue à Tours. Il eſt vrai, que le concile de Piſe fut transferé à Milan, & puis à Lion: mais M. de Thou n'entend parler que de la premiére aſſemblée des prelats François tenue à Tours. Voiez Bouchet annal. d'Aquitaine, 4ᵉ partie. *Put.*

Conſtantiae ſub Sigiſmundo celebrati, in caput et membra [α] anquireretur. Quin et eo uſque provectus eſt, ut ſpretis multis multorum, quibus alioqui plurimum tribuebat, ſuaſionibus, moribundi ſenis inaneis diras contraria obnunciatione generoſe revicerit; cuſo [β] etiam aureo nummo, qui titulos regis Franciae regnique Neapolitani cum effigie ſua ex una parte, et inſignia Franciae ex altera referebat, cum hoc elogio, PERDAM BABYLONIS NOMEN; quales adhuc hodie multi reperiuntur. Sed Julio mortuo aſſiduis multorum [γ] hominum atque uxoris imprimis imperioſae foeminae querelis victus Piſano concilio renuntiavit et, ut Leoni x gratificaretur, [a] Lateranenſi [δ] vix tandem et conditionibus appoſitis ſubſcripſit; conſultius multorum judicio facturus, ſi in laudabili corrigendae eccleſiaſticae diſciplinae propoſito perſeveraſſet, nec in odio, quod tam pertinaciter contra [b] Helvetios potentiſſimos hoſteis exercuit, adeo conſtans fuiſſet. Hae ergo inclinantis noſtri imperii cauſae et adverſae ſimul fortunae Ludovici, qui tota Italia excluſus, ingraveſcente jam aetate, cum maſculum heredem ex ſe genitum ſibi deeſſe doleret, mortua paulo ante Anna [c] Britanna uxore, ex qua duas tantum filias ſuſceperat, ſero de novis nuptiis coepit cogitare. Itaque pace cum Anglo facta, qui [ε] [d] Tarvenna et Tornaco captis jam formidabilis toti Franciae eſſe coeperat, et placatis Helvetiis, qui numeroſo cum exercitu [e] Divionem obſederant, vixque tandem vel ampliſſimis conditionibus a [f] Tremollio propoſitis adduci potuerant, ut ab incoepto deſiſterent, ſororem Angli praeſtanti forma virginem in uxorem duxit: cum qua nullo aetatis reſpectu dum recenti amori licentioſius indulget, debilis et effoetus ſenex in febrem graviſſimam incidit; ex qua paucos poſt dies
CIↃIↃXV. mortuus eſt Kal. Januar. anno hujus ſaeculi xv, princeps Juſti cognomentum a Fr. Guicciardino meritus et populis ſuis chariſſimus: cujus adeo ſancta et venerabilis etiam nunc inter Gallos memoria viget, ut quoties in conſiſtorio principis, in regni curiis et comitiis de optimo regimine et rebus in meliorem ſtatum reducendis agitur, toties Ludovici temporum et ordinis, qui tunc ſub eo in publica regni adminiſtratione ſervabatur, honorifica mentio habeatur.

VII. LUDOVICO ſucceſſit lege regni Franciſcus proximus [ϛ] agnatus, qui anno ſuperiore Claudiam Ludovici filiam natu grandiorem [ζ] uxorem duxerat. Is ſtatim initio principatus magnam de ſe omnium ſpem concitavit, ſpecie imperio digna, ingenio, literarum amore, comitate, rerum peritia jam in illa aetate (vix dum enim xx annum compleverat) ad regiam majeſtatem accedentibus. Cum Anglo primum pax confirmata; mox cum Carolo Auſtriaco annum tunc xv [η] agente: tutores, et in his [g] Ceurius, florentem novi principis fortunam veriti, dum pupillus adoleſceret, prudenti conſilio amicitiam noſtram utilem exiſtimaverunt; ad hoc maxime impulſi, quod Belgium, cujus praecipua pars Gallico tunc temporis impetio

VAR. LECT. [α] anquireretur. Et ſi quidem id ſerio actum fuiſſet, et non potius ad pontificem in ordinem cogendum, quam ad diſciplinae ſacrae caſtigationem concilium illud ſpectaſſet, procul dubio feliciores belli ſucceſſus in Italia optimo principi Deus annuiſſet. Certe in ea a pontifice Romano diſceſſione Ludovicus initio fortiter admodum ſe geſſerat, et ſpretis multis multorum, quibus alioqui plurimum tribuebat, ſuaſionibus, rabidi ſenis inaneis diras contraria obnunciatione generoſe revicerat. Quin et eo *MS. Reg. et Samm.* Pro multis multorum, quibus *MS. Samm. legit* cardinalis [h] Amboſii, cui; *et pro* rabidi *legit* deliri.

[β] etiam Neapoli aureo nummo, qui effigiem ſuam ex una parte, et inſignia Neapolis et Siciliae ex altera referebat. *P. D.* o f. d.

[γ] hominum maleferiatorum. *MS. Reg. et Samm.*

[δ] *Deſunt* vix tandem et conditionibus appoſitis. *P. D.* o. f. d.

[ε] Tarvanna. *Put.*

[ϛ] regi agnatus. *P. D.* o. regni agnatus. *D.* f. d.

[ζ] in uxorem. *P. D.* o. f. d.

[η] agente; cui tutores. *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *de Latran.* [b] *les Suiſſes.* [c] *de Bretagne.* [d] *Terouenne & Tournay.* [e] *Dijon.* [f] *Louis II, Sire de la Tremoille.* [g] *de Chievres.* [h] *George d'Amboiſe, cardinal archevêque de Rouen, & miniſtre d'eſtat ſous Louis XII, huitiéme fils de Pierre d'Amboiſe ſeigneur de Chaumont.*

Digitized by Google

imperio continebat, id ſummopere cupere ſcirent, nec citra domeſtici tumultus periculum in Belgio bellum contra Gallos excitari poſſe exploratum haberent. Franciſcus, quamvis ſe non ſolum Franciae regem, ſed et Mediolani ducem appellaret, tamen conſilio diſſimulato ſic res ſuas ordinabat, quaſi minime de recuperando [a] Inſubrum imperio cogitaret. Sed Octavianus [b] Fulgoſius cum innata providentia provideret fore, ut Galli Mediolano potirentur, clam Leone, [α] quicum alioqui arctiſſimam colebat amicitiam, ut patriae et privatae fortunae conſuleret, cum Franciſco convenit, ut ſalva reipublicae libertate ipſe Genuae Galli nomine praeeſſet. Secundum haec foedere cum Venetis percuſſo (nam cum Caeſare et Ferdinando irritus fuit tractatus) Franciſcus quantumvis diſſuadente Anglo per [c] Cottias et maritimas Alpeis tormenta et exercitum trajecit, captoque a [d] Paliſſa ad Villa-Francam, dum pranderet, Proſpero [e] Columna praecipuo inimici exercitus duce, per [f] Alexandrinum agrum iter infeſtum habuit, et tranſmiſſo [g] Pado, ultro etiam [h] Ticino dedito, ad [i] Melenianum prope Mediolanum caſtrametatus eſt. Ibi [k] Helvetii cum Caeſare et Ferdinando foederati recenti tot proſperorum contra Gallos ſucceſſuum memoria inflati, cum diu fruſtra de pacis conditionibus per Sabaudum et alios actum fuiſſet, ad id eos inſtigante Cardinali [l] Sedunenſi, ſub veſperam noſtros aggreſſi magna clade accepta temeritatis ſuae poenas dederunt: ut in nocturno proelio, [β] quod et poſtridie continuatum eſt, [γ] magnus, ſed incertus occiſorum numerus: ex noſtris pauci, ſed in his clari et illuſtres [δ] duces, Fr. [m] Borbonius Caſtri-Eraldi dux, [ε] [n] Brimaeus Imbercurius, [ϛ] Car. [o] Buellius Sancerrae comes, [ζ] Car. [p] Tremollius Talemondi princeps, [η] Jac. [q] Buſſius Amboſianus, Jo. [r] Moius Millaregius, Jo. Franciſcus [s] Urſinus [t] Petiliani comitis filius; ex Helvetiis numeroſa, ſed vilis et obſcura plebs. Iis poſt proelium recedentibus, Franciſcus Mediolano potitur; arce, in quam Maximilianus Sfortia confugerat, paulo poſt certis conditionibus dedita. Audita rei ſama, Leo, cui nihil antiquius, quam ut Mediceum nomen et familiam ſuam in Italia ad ampliſſimam fortunam eveheret, apud Gallum excuſare ſe, quod Julianus frater et Laurentius Petri filius pontificii et Florentini exercitus duces cum Hiſpano ſe conjunxiſſent, id factum ex antiquo foedere: ceterum mandata utrique data, ne quid magni momenti contra Gallos molirentur; deſideraſſe ſe pridem antea, ut ad affinitatem, quae jam inter eos erat, (ſiquidem Julianus Philibertam Caroli Sabaudi ſororem et Franciſci materteram uxorem duxerat) etiam amicitia et foederatio accederet. Itaque [v] Bononia ad colloquium delecta. Ibi poſt obſequium de more praeſtitum, confirmata amicitia: actum et ſecreto inter eos de Neapolitano regno invadendo; cui expeditioni ſocias opes conferre teneretur Pontifex, cum primum induciae cum Ferdinando pactae expiraſſent. Additum a Leone munus, quo tanquam pignore nova foederatio obſignaretur; ut ſublata veteris eccleſiae a Deo et apoſtolis miniſtros eligendi inſtituta conſuetudine, jus eſſet regi, quos vellet, per oratores

VAR. LECT. [α] cum quo. *P. D.* o f. d.
[β] quod et poſtridie continuatum eſt *deſunt.* *P. D.* o f.
[γ] magno, magnus. *D.* d.
[δ] duces. *Ab hoc verbo uſque ad* Ex Helvetiis *tres lineae deſunt.* *P. D.* o. f.
[ε] Brimaeus *deeſt.* *D* d.
[ϛ] Jo. Buellius. *D* d.
[ζ] Fr. Tremollius. *D.* d.
[η] Jac. *deeſt.* D. d.

INTERPR. [a] *l'Etat de Milan ou Lombardie.* [b] *Fulgoſe. Nos hiſtoriens diſent Fregoſe.* [c] *les Alpes du coſté de la Provence.* [d] *le ſieur de la Paliſſe.* [e] *Colonna.* [f] *territoire d'Aleſſandria della Paglia.* [g] *le Po.* [h] *Pavie.* [i] *Marignan,* Ital. *Melignano.* [k] *les Suiſſes.* [l] *de Sion.* [m] *de Bourbon, duc de Chaſtelleraud* [n] *de Brimeu, ſieur d'Humbercourt.* [o] *de Bueil, comte de Sancerre.* [p] *de la Tremoille, prince de Talmont.* [q] *d'Amboiſe, ſieur de Buſſy.* [r] *de Moüy, ſieur de la Meilleraie.* [s] *Orſino.* [t] *Petigliano.* [v] *Bologne en Italie.*

oratores ſuos apud pontificem proponere, et eos in epiſcopos aut coenobiorum praeſules diplomate ſuo creare pontifex obligaretur. Id actum Antonio [a] Pratenſi Franciae cancellario ſuggerente, qui poſtea in collegium cardinalium cooptatus, et perpetui per Galliam legati dignitate ornatus eſt. Cauſae obtendebantur, quod corruptis moribus per gratiam et ſordeis omnia agerentur; unde frequentes altercationes et perplexae lites magna ordinis eccleſiaſtici infamia paſſim exoriebantur, quarum exemplo et contagione etiam ad cauſas civilcis litigiorum virus in Gallia dimanaſſet: aliter non poſſe iri obviam foedis conventionibus et nundinationibus, quam ſi arbitrio Chriſtianiſſimi principis, et ſanctiſſimi pontificis, quos ab omni corruptionis ſuſpicione abeſſe procul dubio eſſet, res permitteretur. Acta publica de ea re inter ipſos confecta: quod adeo odioſum omnibus regni ordinibus viſum eſt, ut a ſenatu Pariſienſi, in quo hujuſcemodi res ex antiqua regni conſuetudine prius habita ſolemni deliberatione approbari debent, poſt multas juſſiones vix tandem impetrari potuerit, ut in acta publica curiae abſque ulla approbatione referrentur. Judicio multorum id exitium Franciſci rebus et ejus generi, atque Pratenſi ipſi attuliſſe creditur: editiſque poſtea libris ipſorum memoria paſſim eo nomine proſciſſa eſt: nec defuerunt, qui jam tum culpam potius in Leonem rejicerent; neque enim novum aut ſine exemplo eſſe apud nos regum eam poteſtatem fuiſſe, praecipue in prima et ſecunda familia, ut epiſcopos inſtituere accedente provincialium epiſcoporum inauguratione, et aliquando etiam deponere poſſent: id vero in eo, qui ipſe fratrum ſuffragiis eligatur, novum et minime ferendum fuiſſe, quod epiſcopos et alios praeſules eligendi poteſtatem iis, ad quos jure divino et ſacris patrum decretis pertinet, ademptam, ad ſe ſumma injuſtitia traxerit, ut eam [α] pretio accepto et cauſa religionis impia praevaricatione prodita Chriſtiani orbis principibus turpiter divenderet.

VIII. PECCATUM tunc in ſacris muneribus diſpenſandis admiſſum Leo mox longe graviore cumulavit: nam cum alioqui ad omnem licentiam ſponte ſua ferretur, Laurentii [b] Puccii cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulſu, ut pecuniam ad immenſos ſumptus undique corrogaret, miſſis per omnia Chriſtiani orbis regna diplomatis omnium delictorum expiationem ac vitam aeternam pollicitus eſt, conſtituto pretio, quod quiſque pro peccati gravitate dependeret: in eamque rem per provincias quaeſtores et aeraria ordinavit; [β] additique praecones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, et orationibus artificioſe compoſitis, propoſitiſque palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent; quod licentioſe nimis a pontificiis miniſtris paſſim atque in Germania praecipue fiebat, [γ] ubi qui redimendam pecuniam Romae a pontifice conduxerant, per luſtra et popinas quotidie ſine pudore in aleae luſum uſuſque turpiſſimos poteſtatem extrahendi animas ſunctorum ex igne expiatorio [δ] profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Auguſtinianus [c] Witembergae in Saxonia theologiam profeſſus, qui refutatis primum, mox damnatis praeconum concionibus eo poſtremo devenit, ut ipſam pontificis poteſtatem, quam ſibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinae examen, quam ſucceſſu temporis labefactatam dicebat, creſcentibus per contentionem animis deſcenderet: ſed haec poſtea acciderunt. In hoc tempus incidit Ferdinandi Arragonii

VAR. LECT. [α] pretio accepto principibus turpi proditione divenderet. Sed quid ſani, quid moderati expectari poterat ab homine, cui nihil ſanctum, nihil religioſum, quo non ad libidinem, luxum et immoderatam profuſionem abuteretur? Peccatum, *MSS Reg. et Samm.*
[β] quibus additi. *P. D. o. f.*
[γ] ubi videre erat eos, qui. *P.*
[δ] profundere. *P.*

INTERPR. [a] *Du Prat.* [b] *Pucci.* [c] *Wittenberg en Saxe.*

Arragonii mors, principis prudentiſſimi juxta et feliciſſimi, et in quo nihil merito deſideres, praeter fidem, qua ſub colore religionis, quam omnibus actionibus ſuis ſemper praetexebat, ad ambitionem et inexplebilem propagandi imperii cupiditatem mira calliditate abuſus eſt. Hujus morte cum res omnis ad Carolum nepotem rediiſſet, rurſus pax inter duos potentiſſimos reges [a] Novioduni, quantumvis diſſuadentibus Maximiliano avo et Leone, confirmata eſt. Facta et ſpes matrimonii contrahendi inter Carolum et Renatam alteram Ludoviei filiam, cum primum per aetatem liceret. Actum et de regni Navarreni reſtitutione. Nec multo poſt Caeſar cum Franciſco et ſenatu Veoeto pacem fecit; deditamque Lautreco Veronam a Franciſco Veneti receperunt, poſt loogum et damnoſum bellum, in quod, ut ex rationibus publicis poſtea conſtitit, toto octennio, quod a tempore [b] Cameracenſis foederis ad annum hujus ſaeculi XVII interjacet, quinquies decies ceotena millia aureorum impenſa ſuot. Helvetiorum eodem anno foedus cum Gallis confirmatum eſt, Galeacio [c] Vicecomite tam fidam operam in eo navante, quam ſe infeſtum Gallici nomiois hoſtem antea praebuerat. His peractis cum in Italia omnia pacata eſſent àb externis principibus, a Leone Umbria non quievit: is ſiquidem amplificandae familiae ſuae ſupra modum cupidus Franciſcum Mariam Urbini ducem a ſe antea proſcriptum bello perſequebatur, et Caeſarem ac Franciſcum ab eo conſilio fruſtra pontificem dehortanteis copias in id ſuas commodare compulerat: ſed re male a [1] Juliano fratre geſta, interventu Hugonis [d] Moncatae Siciliae proregis in certas leges conventum eſt. Interea creſcebat in Germania Lutheri nomen, cujus cauſae plerique magni viri ac principes contra pontificem jam manifeſto favebant: cui malo cum minas et diras tantum Leo opponeret, nec, ut de corrigeoda quaeſtorum audacia et impudentia cogitaret, adduci poſſet, irritatum potius, quam ſanatum vulnus eſt: majoriſque, ut ſibi videbatur, periculi, quod a Turcis imminebat, metu animum a rerum Germanicarum cogitatiooe revocavit. Nam Selimus, qui poſt patrem veneno ſublatum, et fratres fratrùmque filios necatos, [e] Aladulorum in Armenia rege interfecto, et Sopho Iſmaële victo [f] Tauriſium occupaverat; dein Campſone Sultano ad [g] Singam ſuperato Syriam omnem in poteſtatem redegerat; ac poſtremo [h] Alcairo capto, quod eſt Aegypti metropolis, ac Tomumbeio in furcam acto Mamalueorum imperium everterat; tot partis in oriente victoriis omiſſa Aſia, arma in Europam verſurus videbatur. Itaque toto eo anno actum de conſcribendo communi Chriſtianorum principum conſenſu contra Turcos exercitu. Sed ſecuta paulo poſt Selimi morte, cum filius Solimaous in imperio ſucceſſiſſet, mitiori iogenio princeps et quietis amantior, uti rebantur omoes, Leo ab illo ingenti metu, quem de tantis belli apparatibus conceperat, aliquantum conquievit: confeſtimque ad cogitationes antiquas revolutus, arctiorem cum Franciſco adfinitatem cootraxit, ducta in matrimooium a Laurentio Petri fratris filio Magdalena [i] Turria Bononienſi; unde nata Catharina, quae poſtea Henrico [k] Aureliani duci nupſit. Is pro tanto honore, ut Franciſco ex alieno gratificaretur, diploma a patruo pontifice in Galliam veniens attulerat, quo licebat regi pecuniam ex bonis eccleſiaſticis coactam, ut in ſacrum bellum expenderetur, arbitrio ſuo in quos vellet uſus abſumere. CIƆIƆXVI.

IX. At

INTERPR. [a] *Noyon.* [b] *traitté de Cambray.* [c] *Viſconti.* [d] *di Moncada.* [e] *le Roy des Amulites en Armenie.* [f] *Tauris.* [g] *Singa fl.* [h] *Caire.* [i] *de la Tour de Boulogne.* [k] *d'Orleans.*

NOT. [1] Dele *Juliano fratre*, lege *Laurentio nepote Petri filio.* Ce fut Laurent de Medicis neveu dudit Julian & fils de Pierre, qui fit la guerre au duc d'Urbin pour le pape Leon x ſon frere. Julian eſtoit mort auparavant cette entrepriſe, laquelle meſme il avoit diſſuadée; comme recite Guicciardin, lib. 12 & 13. *Put.*

IX. At Maximilianus, jam fractus annis, cum de ſucceſſore in imperio cogitaret,
[a] comitia Auguſtae, quae ultima ſub eo fuerunt, eodem anno habuit; in quibus
Carolum nepotem multis verbis commendavit, precibuſque ab imperii [b] ſeptem-
viris contendit, ut eum regem Romanorum crearent. Re infecta [α] diſcedens,
CIƆIƆXIX. cum in Auſtriam rediret, in itinere [c] Lintii pridie Eid. Jan. deceſſit. Inde
orta contentio inter Franciſcum et regem Catholicum, ſic enim poſt Ferdinandi
avi materni mortem Carolus appellabatur; [d] Moguntino praeſule Caroli parteis,
[e] Trevirenſi contra marchionem [β] Brandeburgicum adjuvante. Tandem electus
Carolus rex Romanorum, quod et Germanus eſſet, et in Germania domicillum
haberet; fruſtra reclamante Trevirenſi, et ſatum ſe Germaniae et impendentem
ruinam animo praeſagire dictitante: nec augurio tanti viri eventus defuit.
Suffragatorum venaleis ſententias fuiſſe conſtans fama fuit; magnaque invidia
ſeptemviri laborarunt, quod ab utroque principe accepta ingenti pecunia ac
praecipue a Franciſci miniſtris, tamen Carolo, ac non potius cuivis ex ſuo
collegio, imperatoriam dignitatem adjudicaſſent. Nam in ea petitione non tam id
agebat Gallus, ut ratio ſui haberetur, quam ut excluſo rege Catholico, cujus
potentiam merito ſuſpectam habebat, unus ex ſeptemviris aut quilibet ex aliis
principibus Germanis imperator crearetur. Quippe cum Franciſcus de recupera-
tione regni Neapolitani, et Henrico [f] Labretano Joannis filio in Navarrae regnum
reſtituendo cogitaret, providebat fore, ut pontificis animus, cujus in ea expeditione
opera et opibus indigebat, mutata fortuna, quam fere ſemper innata vanitate an
perfidia [γ] ſequebatur, facile ab iis conſiliis averteretur: nec dubitabat, quin
Carolus magnae ſpei juvenis nova tantae potentiae acceſſione auctus, de Bur-
gundiae imperio, quod Mariae aviae a Ludovico XI ademptum jampridem quere-
batur, acturus eſſet; et ad Gallos Mediolano dejiciendos, quibus nullum jus ab
imperatore in eo competeret, niſi quod armis paraſſent, omneis opes quamprimum
conſerret. Accedebat vetus et implacabile odium Burgundicae domus in [δ] Carolum
[g] Egmondanum ducem Geldriae, quem Franciſcus tutandum ſuſceperat: qua re
cum maxime offenderetur Carolus, judicabant omnes non diu inter aemulos
principes in aetatis flore conſtitutos et privatarum ſimultatum ſtimulis incenſos
manſuram concordiam. Nec Franciſcus opinione ſua falſus eſt. Nam cum Leo
Lutherum ſacris interdixiſſet, et inaugurationem Caroli in regem Romanorum
contra clauſulam, qua reges Neapolitani in fidem a pontificibus Romanis acci-
CIƆIƆXX. piuntur, adprobaſſet, primis comitiis, quae novus Caeſar anno ſequenti [h] Wor-
matiae habuit, ut Leonis gratiam aucuparetur, Lutherum item proſcripſit, et inito
cum pontifice foedere de Gallis Inſubria atque adeo tota Italia expellendis con-
tinuo conſilium cepit. Jam Laurentius, quod erat amicitiae inter nos et Leonem
vinculum, deceſſerat: et [i] Lautrecus Mediolani prorex [ε] de pontificis conſiliis certior
ſic diſciplinam eccleſiaſticam in [k] Inſubribus ordinaverat, ut praefecto ſacris [l] Bi-
gerronum epiſcopo, ſine auctoritate Romani pontificis omnia [ϛ] adminiſtrarentur;
quod adeo Leonis animum irritavit, alioqui [m] Placentiae et Parmae, quae a Gallis
tenebantur, recuperandarum, et Alfonſi [n] Ateſtini, cui inſidias neſaria fraude
ſtruxerat, Ferrariae poſſeſſione dejiciendi cupidi, ut qui modo principes Chriſtianos
ad

VAR. LECT. [α] hinc diſcedens. *P. D. o. f.*
[β] Brandeburgenſem. *P. D. o f.*
[γ] perſequebatur. *D. f.*
[δ] Carolum Egmondanum *deſunt.* *P. D. o.*
[ε] jam de *P.*
[ϛ] adminiſtrentur. *D. o. f.*

INTERPR. [a] *Diete d'Augſpurg.* [b] *les ſept electeurs de l'Empire.* [c] *Lintz.* [d] *Electeur de Mentz ou Mayence.* [e] *Electeur de Trier ou Treves.* [f] *d'Albret.* [g] *d'Egmond duc de Gueldre.* [h] *Wormes* [i] *Odet de Foix, ſieur de Lautrec, gouverneur de Milan.* [k] *le Milanois.* [l] *evêque de Tarbes.* [m] *Piacenza,* Gall. *Plaiſance.* [n] *d'Eſte.*

ad concordiam exhortatus fuerat, omnia conſilia ad bellum in Italia excitandum converteret. Praecipuus fuit conatus contra Mediolanum, quo Leonis impetus adeo Lautreco infenſi, et omnia Caeſaris conſilia ferebantur; quod facile captu fuit, foederatis Helvetiis, qui jam a Caeſare ſolicitati fuerant, ob non perſoluta a Lautreco ſtipendia e Gallorum caſtris diſcedentibus. Hujus rei culpa penes [a] Aloiſiam Sabaudam Franciſci matrem fuit, quae cum gloriae Lautreci invideret, a quo ſe contemni indignabatur, vindictae appetentior, ut eſt genus mulierum, quam prudentior, pecuniam Helvetiis deſtinatam interverterat: [α] quod Jac. [b] Belnenſi Samblanceo, qui tunc aerarii curam gerebat, alioqui bono civi et regis regnique ſtudioſo perniciem attulit, Franciſco iram de amiſſo Mediolano juſte conceptam, quam in parentem non poterat, in miniſtros matris quamvis innocenteis exerente. Leo, Mediolano capto et Franciſco Sfortiae Maximiliani fratri, uti convenerat, a Caeſare attributo, Parma et Placentia receptis, cum majora quaeque in dies moliturus videretur, ſubita morte, veneno, ut putatur, a Barnaba Malaſpina ſecretiore cubiculario propinato, annum agens XLVII interceptus eſt. CIↃIↃXXI.
Nuſquam illuſtriori indicio coeleſtis favor in amplificanda Caeſaris fortuna patuit, quam cum cardinales de eligendo ex ſuo numero pontifice votis diſſentientes, in Hadrianum [c] Batavum Caroli quondam praeceptorem tunc abſentem in Hiſpania, cui regendae cum [d] Ceurio relictus fuerat, unanimi ſententia conſenſerunt. Quid enim fortunatius aut optabilius Caeſari accidere potuit, quam poſt ejectum Mediolano Gallum, firmatis in Italia rebus, cum dari pontificem, qui nulla privata charitate incenſus, ut fere omnes Itali, ſolius publicae tranquillitatis, ad quam natura ſua vir ingenii humilis propenſus erat, rationem haberet, et res Caeſaris, ut bene meriti de ſe alumni ac munificentiſſimi principis, conſtanter foveret et conſervaret? Id certe hominum mentes ad Caeſarem ita inclinavit, ut mox irrito conatu tentata a Lautreco Parma et [e] Papia, ſecuta dein [β] Helvetiorum ad [f] Bicocam internecione, [g] Laude-Pompeia a [h] Piſcario capta, et Genua ab [i] Alfonſo [i] Vaſtio Piſcarii patruele expugnata et direpta, ſenatus Venetus, quamvis recenti beneficio Franciſco obſtrictus, amicitiae noſtrae renuntiaverit, et foedus cum Caeſare, pontifice, Fr. Sfortia contra Gallos percuſſerit, ſuadente Georgio [k] Cornelio, et fruſtra renitente Andrea [l] Gritto ſummae auctoritatis ſenatore, [γ] qui poſtea in Antonii Grimani mortui locum reipublicae dux creatus eſt.

X. Sed omnium graviſſima fuit Franciſco Caroli Borbonii defectio; cui cum de Borboniae domus hereditate a Franciſci parente imperioſa foemina, et indulgentiſſimi filii auctoritate ad privatas libidines abutente, controverſia moveretur, injurioſam regis indignationem non ferens vir generoſus, clam cum Caeſare et Anglo per [δ] Maximilianum [m] Buranum de prodendo et inter duos foederatos principes dividendo regno egerat. Origo controverſiae haec fuit; quod cum Joannes I dux Borbonius Roberti [n] Claromontii, qui filius fuit B. Ludovici, et Beatricis Borboniae abnepos, duos filios ex Maria Joannis [o] Bituricenſium ducis filia ſuſcepiſſet, Carolum t et Ludovicum [p] Monpenſerium; et Carolus Joannem et Margaritam, quae Philippo [q] Sebuſianorum comiti, dein duci Sabaudiae, unde nata Aloiſia CIↃIↃXXIII.
Franciſci

VAR. LECT. [α] quod poſtea. *P.* [β] Helvetiorum *deeſt.* *D.* d. [γ] qui mox in. *P D* o.f. [δ] Maximilianum *deeſt* *P.*

INTERPR. [a] *Louiſe de Savoie.* [b] *de Beaune, ſieur de Samblancé.* [c] *Hollandois.* [d] *de Chievres.* [e] *Pavie.* [f] *la Bicocque.* [g] *Lodi* [h] *marquis de Peſcara.* [i] *marcheſe del Guaſto.* [k] *Cornaro.* [l] *Gritti.* [m] *d'Egmond comte de Buren.* [n] *comte de Clermont.* [o] *Berry.* [p] *comte de Monpenſier.* [q] *Breſſe.*

NOT. [γ] C'eſtoit le marquis de Peſcaire, qui fit cette priſe & ſac: le marquis du Guaſt y eſtoit, mais non pas comme General. *Put.*

Franciſci mater, nupſerat, ac poſtremo Petrum, cujus Suſanna filia, reliquiſſet; Carolus Gilberti Monpenſerii filius, Ludovici nepos, Petri, qui Joanni fratri ſine liberis defuncto ſucceſſerat, hereditatem tacito et familiari gentis Borboniae fidei-commiſſo ad ſe pertinere contendebat, etiam excluſa Suſanna Petri filia atque, ut liti finis imponeretur, contracto inter Carolum et Suſannam matrimonio, convenerat, ut ſi Suſanna prior ſine liberis decederet, jus omne in hereditate Borbonia etiam donationis titulo, ſi opus eſſet, Carolo cederet. Quod cum accidiſſet, nihilo ſecius Aloiſia Caroli I neptis a cardinale [a] Pratenſi, uti creditur, inducta, denuo eandem controverſiam, de qua cum Suſanna tranſactum fuerat, animoſe renovavit, nec ulla ratione adduci potuit, ut egregium virum regi agnatum et dignitate praepotentem intempeſtiva lite vexare deſineret: ita quae amittendi nuper Mediolani, eadem regni paene totius evertendi cauſa exſtitit. [*] Igitur Borbonius, cum detecta conjuratione ſe fuga ex Gallia proripuiſſet, in Italiam venit, quamprimum in Hiſpaniam tranſmiſſurus, ut Helionoram Caeſaris ſororem, uti convenerat, uxorem acciperet. At Caeſar, qui videret Borbonium in Burgundia pollicitationes, quas initio jactaverat, exequi non potuiſſe, ob id cunctandum ratus, ut moram in Hiſpaniam trajiciendi ex honorifica occaſione interponeret, Proſpero [b] Columna nuper extincto, eum exercitibus cum ampliſſima poteſtate in Italia praefecit. Jam enim Caeſar ex Germania in Hiſpaniam redierat, ut excitatos per ſuam abſentiam motus componeret; quorum occaſione oblata Franciſcus biennio ante totum fere Navarrae regnum ipſamque [c] Pompelonis arcem ductu [d] Sparrenſis Lautreci fratris recuperaverat. Igitur conſcripto quam potuit maximo exercitu Caeſar Pompelonem venit, in [e] Aquitaniam proceſſurus: ſed difficultatibus locorum et hyemis impeditus, ac deficiente ſtipendio, quod ab Ordinibus Hiſpaniae promiſſum fuerat, expugnato Fonte-Aragi, quae hodie Fontarabia dicitur, ejus qui praeerat ignavia, retro cedere coactus eſt. Prima Borbonii expeditio fuit in [f] Provinciam, ubi [g] Aquarum Sextiarum civitate capta, et [h] Tolonii turre munita ac multis caſtellis deditis, cum fruſtra [i] Maſſiliam optime munitam et alioqui Hiſpano nomini infeſtiſſimam oppugnaſſet, in Italiam magna
CIƆIƆXXIV. et confuſa celeritate rediit. Tantis adverſitatibus obruto Franciſco, apparebat conſilium de tranſitu in Italiam ſuſpenſum iri; ſed receſſus Caeſarianorum fugae ſimilis animum fecit principi generoſo et juſtae ultionis ſtimulis ardenti ad Alpeis cum exercitu ſuperandas. Arriſit primo fortuna venienti: nam Franc. Sfortia ſubito Mediolanum deſeruit, quod ſuadente ipſo [k] Morono mox Franciſco patuit.

XI. Sed in [l] Papiae obſidione cum rex ſecurius quam decebat ageret, et ex conſilio Clementis VII (is, mortuo paulo ante Hadriano, Pompeii Columnae antea infeſtiſſimi hoſtis favore in ejus locum ſuffectus erat) exercitum ſeparaſſet, parte Joanni [m] Albaniae regulo regis Scotiae patrueli ad regni Neapolitani expeditionem attributa; [n] Borbonius et [o] Lanoius conjunctis copiis magnam illam et ſanguinolentam de nobis victoriam reportarunt, commiſſo ad [p] Ticinum proelio, quo et ipſe Franciſcus captus eſt anno hujus ſaeculi XXV, [1] X Kal. Febr. qui natalis Caeſari erat.

P. [*] *Nec admodum diſſimili fato Gallia poſtea periclitata eſt ſub Franciſci nepotibus; adeo foeminarum, ut ſucceſſionem lege regni neſcit, ſic imperium et adminiſtrationem ſemper fatalem experta eſt.*

INTERPR. [a] *Du Prat.* [b] *Colonna.* [c] *Pampelona.* [d] *André de Foix, ſieur de l'Eſparre.* [e] *Guienne.* [f] *Provence.* [g] *Aix.* [h] *Toulon.* [i] *Marſeille.* [k] *Morone.* [l] *Pavie.* [m] *duc d'Albany en Eſcoſſe.* [n] *Charles duc de Bourbon.* [o] *Charles de Launoy, viceroy de Naples.* [p] *bataille de Pavie.*

NOT. [1] Lege VI *Kal. Martii*: qui eſt le 24 de Fevrier, jour de St Matthias, auquel naſquit Charles V. *Put.*

erat. Hac clade proſtratis, [a] uti videbatur, Galliae viribus, tamen rex victus tantum efficere potuit, quantum incolumis vix auſus eſſet optare; exemploque ſuo verum eſſe comprobavit, regum afflictas res multorum opes allicere ad miſericordiam, dum quiſque in praepotentum cladibus efficacius conditionis ſuae admonetur. Nam Caeſar licet moderato animo ſucceſſum hunc tuliſſet, tamen invidiam Italicorum principum vitare non potuit, qui timentes rebus ſuis etiam non rogati conſilia ultro communicarunt, ut jacentem Franciſci fortunam qua poterant ſublevarent, et victorem nimia proſperitate exultantem reprimerent. Et hactenus Clementis animus, hinc a Nic. Schombergio viro gravi et ſapiente, ſed ut Germanum decebat, Caeſaris partibus obnoxio; inde a Joanne Matthaeo Giberto Hiſpanis infeſtiſſimo, diverſas in parteis diſtractus, tandem eo adductus eſt, ut omni ope ſibi enitendum exiſtimaret, quo Caeſaris potentiam in Italia debilitaret: eaque mente per Hieronymum [a] Moronum Sfortiae cancellarium [b] Piſcarii a Caeſare tunc, ut apparebat, paulum alienati animum tentavit, an conſilii de liberanda Italia particeps eſſe vellet, honorificis conditionibus propoſitis, ut, ſi id probaret, bello tam juſto omnium principum conſenſu praeficeretur, et pulſis regno Neapolitano Hiſpanis, ipſe illud futurus Romanae ſedis beneficiarius pro praemio a pontifice acciperet. Patre alia Anglus antea inimiciſſimus famae Caeſaris invidere coepit, atque ex calamitate vicini et olim aemuli regis dolorem capere ſe haud obſcuris indiciis manifeſtum fecit. Itaque Caeſar veritus, ne uno hoſte ſublato plurium in ſe animos concitaret, ad minuendam invidiam, [g] conſilium de liberando Franciſco cepit, et diſſidentibus Mercurii Gattinarae et Caroli [c] Lanoii ſuper ea re opinionibus, in Lanoii ſententiam poſtremo deſcendit; acceptiſque obſidibus Franciſci liberis captivum regem conditionibus [d] Madritiano foedere expreſſis cuſtodia liberatum in Galliam redire permiſit. Nec quieverunt propterea Italiae principes. Nam detectis, quae clam per Moronum tractabantur, praepoſtera Piſcarii, qui paulo poſt mortuus eſt, perfidiae excuſatione, conſiliis, pontifex et ſenatus Venetus palam cum Franciſco foedus inierunt. Sed capto et militari licentia ab Hiſpanis longo tempore vexato [e] Mediolano, tandem arx, cum a foederatis ſuppetiae nullae ferrentur, [f] Borbonio a [g] Sfortia deditur. Caeſar, ut injuriam ſibi a Clemente illatam ulciſceretur, nominis pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet; [exemplo ab Hiſpanis poſteritati relicto, poſſe eccleſiaſticam diſciplinam, citra nominis pontificii auctoritatem, ad tempus conſervari.] Eodem tempore [h] Columnii a Caeſare inſtigati Romam occupant, et Clementem in [i] mauſoleo Hadriani obſident. Nec multo poſt totis viribus CIƆIƆXXVII.
Romam itum, duce Borbonio, et urbe impetu capta et direpta, [a] ıɔcccc poſtquam a Totila poſtremo vaſtata fuit anno, abunde de Clementis ambigua fide Caeſari ſatisfactum eſt. Interea Genua denuo in poteſtatem noſtram redacta, et multis in [k] Gallia Ciſalpina urbibus captis a Lautreco, qui auctore Anglo nobiſcum foederato ad id bellum deſtinatus fuerat, ex conſilio pontificis in regnum Neapolitanum exercitus ducitur: ubi Petrus Navarra et [l] Renrius Cerius Franciſco ob defenſam

P. [*inſigni exemplo et documento ab Hiſpanis ipſis poſteritati relicto, poſſe eccleſiaſticam diſciplinam, citra nominis pontificii auctoritatem, conſervari.*]

VAR. LECT. [a] omnino Galliae viribus, uti videbatur. *P. D.* o. f. d. [g] de liberando Franciſco deliberare coepit. *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Morone.* [b] *marcheſe di Peſcara.* [c] *de Lannoy.* [d] *traité de Madrid.* [e] *Milan.* [f] *duc de Bourbon.* [g] *Franceſco Sforza, duc de Milan.* [h] *i Colonneſi.* [i] *caſtel S. Angelo.* [k] *Lombardie.* [l] *Renzo da Ceri.*

NOT. [a] Lege ıɔccccLxxx: tot enim ſunt anni a Totila Romam vaſtante ad ducem Borbonium uſque: nam anno 546 Roma a Totila direpta eſt. *Put.*

deſenſam ſtrenue [a] Maſſiliam percharus antea miſſi, magnos in [b] Samnitibus et
Apulia progreſſus ſecerant. [c] Arauſionenſis mortuo Lanoio a Caeſare regno
praefectus erat, qui Neapoli incluſus magna conſtantia obſidionem ſuſtinuit. Hugo
[d] Moncata Siciliae prorex rem maritimam adminiſtrabat, qui randem navali proelio
a Philippino [e] Auria victus et occiſus ſpem magnam urbis potiundae dedit: ſed ea
victoria in exitium noſtrum vertit, ſecuta mox Andreae Auriae (odio an rerum
noſtrarum faſtidio, non dicam) defectione, et marchione [f] Vaſtio captivo e
cuſtodia emiſſo: nam exercitus omnis morbo graſſante diſſipatus, et Lautrecus
ipſe ex moerore animi paulo poſt mortuus eſt. Copiarum reliquias ſoluta obſi-
dione Averſam ſecum abduxit Michael Antonius [g] Saluciarum princeps, mortuo
Lautreco ab exercitu dux electus: ſed in itinere Caeſarianis inſequentibus graviter
vulneratus eſt; deditaque Averſa Neapolim delatus ex vulnere deceſſit. Nec in
[h] Liguria et Gallia Ciſalpina felicius nobiſcum actum. Nam Andreas Auria ejecto
[α] Carolo [i] Rupifulcaudio Barbeſio rei maritimae praefecto, Genua et arce potitus,
Gallos mox Savona expulit. Et Franciſcus Borbonius [k] ſani Pauli comes, dum
[l] Papiam contenderet, quo ante [m] Guidonem Rangonium praemiſerat, ad [n] Lan-
CIↃIↃXXIX. drianum ab Antonio [o] Laeva caeſus et captus eſt. Tot cladibus acceptis, res ad
pacem ſpectare coepit. Ac primus quidem pontifex [p] [1] Barcinonem profectus
foedus cum Caeſare ſeorſum ab aliis percuſſit: dein Franciſcus ipſe [q] Cameraci
cum Margarita Caeſaris amita, citra ſociorum foederatorum conſenſum; qui poſtea
apud eorum oratores de ea re cum ipſo expoſtulanteis vehemens redimendorum
liberorum deſiderium excuſavit: ſenatus denique Venetus ac reliqui foederati
traditis, quae in Samnitibus, [r] Piceno, et Apulia tenebant, oppidis, pacem certis
conditionibus ſecerunt.

XII. Ita Gallis tota Italia excluſis, cum quieſcerent omnia, Caeſar in Italiam
CIↃIↃXXX. venit, et ab omni motu domeſtico ſecurus in [s] [2] Pannoniam tranſivit; ubi magna
illa et memorabili Viennae Auſtriacae obſidione ſummam contra Solimani ſummos
impetus virtutem oppoſuit. Inde rediens anno ſequenti [t] Bononiae magna pompa
a pontifice coronam ſumpſit die natali ſuo. Dein [v] Auguſtae Vindelicorum
comitia habuit, in quibus quaeſtio religionis fruſtra agitata exitu caruit. Arridente
ſortuna nullam amplificandae potentiae occaſionem praetermittens Caeſar, ut
imperium Germanicum in ſamilia firmaret, Ferdinandum fratrem Romanorum
regem Coloniae renuntiandum curavit. Eodem anno poſt diuturnam obſidionem,
in qua [w] Arauſionenſis occiſus, et eo occiſo Ferdinandus Gonzaga ſubrogatus eſt,
Florentia Caeſari deditur; et uti inter Caeſarem et pontificem convenerat,
Alexander Medices nothus Laurentii filius Florentinorum dux [β] creatur, abutente
Chriſtianorum paſtore Chriſtianorum principum viribus, ut privatae ambitioni et
ſuorum

VAR. LECT. [α] *Deſunt* Carolo Rupifulcaudio. *P. D. o. f.* [β] creatur. *Hinc ad* Hoc facto, *quinque lineae deſunt D. o.*

INTERPR. [a] *Marſeille.* [b] *Abruzzo.* [c] *Philibert de Chalons, prince d'Orange.* [d] *di Moncada.* [e] *Doria.* [f] *del Guaſto.* [g] *marquis de Saluces.* [h] *l'etat de Genes.* [i] *de la Rochefoucaud, ſeur de Barbeſieux.* [k] *comte de S. Paul.* [l] *Pavie.* [m] *Guido Rangone.* [n] *Landriano.* [o] *di Leyva.* [p] *Barcelona.* [q] *Cambray.* [r] *la Marca d'Ancona.* [s] *la Hongrie & partie de l'Auſtriche.* [t] *Bologna.* [v] *Augſpurg.* [w] *prince d'Orange.*

NOT. [1] De hac pontificia Barcinonem profectione nullus hiſtoricorum, quod ſciam, meminit: ſane apud Italos et Hiſpanos altum ſilentium. Scribe *Bononiam*. *Put. L.* Le pape n'a point eſté à Barcelone; & cet endroit doit eſtre corrigé: l'entreveue fut à Bologne: il eſt vrai que le pape envoia à Barcelone l'eveſque de Vaiſon, qui traitta avec l'empereur. *Put.*

[2] Omnes hiſtorici biennio tantum poſt Viennae obſidionem Caeſarem in Pannoniam tranſiſſe affirmant et conſentiunt. L'empereur Charles V. eſtoit à Bologne quand Soliman aſſiegea Vienne, & n'y eut que ſon frere Ferdinand qui s'y opposa. Ce lieu doit eſtre reformé. Le ſiege de Vienne fut l'an 1529 Sept. & Octobre: la premiére entreveue fut au meſme temps à Bologne; & le couronnement le 24 Fevrier de 1530. La 2e entreveue fut en 1533 auſſi à Bologne. *Put.*

ſuorum libidini inſerviret: quod Arauſionenſis ipſe deteſtatus aegreque ſe ad eam expeditionem ire, initio apud Caeſarem teſtatus fuerat; ſicuti Fr. Guicciardinus ſcribit, [α] omnium qui ſecundum antiquos hiſtorias ſcripſerunt meo judicio praeſtantiſſimus. Hoc facto Caeſar cum provideret ſibi a Turcis negotium impendere, pacem cum Proteſtantibus interventu Alberti [a] Moguntini et Ludovici [b] Palatini fecit, Viennamque ingenti cum exercitu praegreſſus, ſuborta inter milites, ut fit, ob non ſoluta ſtipendia ſeditione, in Italiam atque inde in Hiſpaniam rediit. At pontifex, qui pace cum Caeſare contracta patriam, hoc eſt, Florentinorum rempublicam everterat, ut, quod in proverbio eſt, contra noctem procelloſam duabus ancoris navem firmaret, adfinitatem etiam cum Franciſco contraxit; indictoque eo CIↃIↃXXXIII.
anno [1] Mantuae concilio [c] Maſſiliam venit, et Catharinam Laurentii ex Magdalena [d] Turria filiam Henrico ex Franciſci liberis ſecundo in matrimonium tradidit. [*] Sub exitum ſequentis anni VII Kal. Oct. Clemens deceſſit: cujus in locum CIↃIↃXXXIV.
Alexander Farneſius Petri Lodoici filius, qui [2] Onufrius V primum, mox Paulus III dici voluit, III Eid. Nov. creatur. Is ſobrietate, vultus gravitate, doctrina, ac poſtremo corpuſculi adſectata imbecillitate profundam ambitionem diu celaverat, quam adepta dignitate manifeſtam omnibus fecit. Annus proximus illuſtris expeditione [e] Tunetana fuit, quae et Caeſari gloriam, et reipublicae Chriſtianae magnam utilitatem attulit, exſtructa ad fauceis lacus arce, quae repreſſa Turcarum audacia navigationem antea piraticis excurſionibus infeſtam hoc praeſidio ſecuriorem Chriſtianis reddebat. Quieverant huc uſque Gallorum arma, poſtquam foedere Cameraci icto liberi Franciſci cuſtodia emiſſi ſunt, quae anno ſequenti ex CIↃIↃXXXVI.
ea occaſione ſumpta ſunt. [f] Mirabellum Mediolanenſem, [*] in familia Ludovici XII et Franciſci honorifico loco ſemper habitum, ad ſe delegari curaverat Franciſcus [g] Sfortia a Caeſare in gratiam nuper receptus: ſed quia verebatur, ne ea ratione ſuſpectus eſſet Caeſari, tegi rem cupiebat. Itaque ex conſilio [h] Tabernae Mirabelli ſororis filii, qui ſummum dignitatis gradum apud Sfortiam obtinebat, Mirabellus privatorum negotiorum praetextu [i] Mediolanum profectus erat, re vera, ut nomine Franciſci oratorem apud Sfortiam ageret. Sed ut erat ſuſpicax Caeſaris animus, ea

P. [*] *Ferunt Clementem, implacabili tunc in Gallos odio ardentem, vix poſt conſummatas nuptias ſibi adhuc credentem dixiſſe, ſibi abunde poenarum de Gallis ſumptum eſſe, cum provideret fore, ut ex illa face (ita patruelis filiam vocabat) magnum incendium olim in Gallia [β] exoriretur. Pararium hujuſce adfinitatis Annam Momorantium fuiſſe, conſtat: nec proinde ipſe ac poſtea ſui capitaliorem peſtem tota vita [γ] experti ſunt.*

VAR. LECT. [α] *Haec verba*, omnium qui ſecundum antiquos hiſtorias ſcripſerunt meo judicio praeſtantiſſimus, *deſunt P. D. ſ.*

[β] exoriretur. *Poſt hoc verbum MSS Reg et Samm. habent*, Meminerat ſiquidem quod de illa ſtatim nata mathematici [*] praedixerant, natam eam ſcilicet exitio patriae: quod cum de republica ſua dictum crederent Florentini, de exponenda aut proſtituenda ſtatim virgine adhuc ſtante libertate deliberaverant: quod a Franciſco Guicciardino non mutilato ſcriptis proditum fuit. Sane ſi Franciam pro Hetruria interpretemur, (ut contracta affinitate negari non poteſt quin patriam mutaverit) nimis verum de ea fuiſſe augurium magno noſtro malo fateamur neceſſe eſt. Pararium

[*] *MS. Samm. habet* patri praedixerant

[γ] experti ſunt. *Poſt haec verba MSS. Reg. et Samm. habent*, Vide hoc poſteritas et mecum contemplare, quae gratia pro benefactis rependatur. Gallia cui pontifices Romani ſuam magnitudinem debent, quod citra ingrati crimen negare non poſſunt, Romano pontifici exitium et ruinam debet. Sub exitum,

[*] ſed in *P. D.* o. ſ. d.

INTERPR. [a] *l'electeur de Mentz ou Mayence.* [b] *comte Palatin.* [c] *Marſeille.* [d] *de la Tour.* [e] *de Tunis.* [f] Gall. *Merveilles eſcuier du roy.* [g] *Sforza.* [h] *Taverna.* [i] *Milan.*

NOT. [1] Il avoit bien arreſté à Bologne avec l'empereur l'indiction du concile, qui fut bien propoſé a Mantouë, & publia cette deliberation: mais il en laiſſa la convocation à Paul III ſon ſucceſſeur: ce qui eſt clair par la ſuite de l'hiſtoire. *Put.*

[2] Nullus pontifex fuit *Onufrii* nomine: forte legendum *Honorius*; fuerunt enim quatuor pontifices hoc nomine. *Put*

ea de re ſaepius apud [a] Sſortiam queri; Sſortia contra negare: poſtremo Caeſare, a quo et metuebat ſibi, et ſubinde multa ſperabat, inſtante et minas addente, ut inſigni ſcelere rei ſuſpicionem dilueret, Mirabellum ob [b] Caſtellionaei cujuſdam caedem captum, atque intra triduum praecipitato ordine judiciario condemnatum noctu ſecuri percuſſit; eoque ſacto tantam gratiam apud Caeſarem promeritus eſt, ut nulla mora interpoſita Chriſtianam Daniae regis et Elizabethae ſororis filiam, quod hactenus diſtulerat, ei in matrimonium collocaret. Qua re cum violatum jus gentium merito indignaretur Franciſcus, de tanta injuria apud omneis principes Chriſtianos per oratores expoſtulavit: cumque de ea ſibi a Sſortia ſatisfieri debere omni ratione contenderet, Caeſar jure ſactum dicere; Sſortia excuſare, quod ignorare ſe diceret Mirabelli injuriam, ſi qua eſſet, ad Franciſcum, cui omnem obſervantiam ſe debere ſciret, pertinere. Ipſe [c] Taberna in Galliam ea de cauſa venit, ut in principis conſiſtorio Sſortiae culpam purgaret; ubi cum et Sſortiam ſciviſſe, quod ſe diceret ignorare, et Tabernam regi auctorem fuiſſe ut [d] Mirabellum Mediolanum mitteret, ſcripto et ipſius Tabernae confeſſione conſtitiſſet, pudore confuſus dimittitur.

XIII. Franciscus, cum aliter non poſſet, armis tantam injuriam perſequendam ratus, quod ſalvo foedere Cameracenſi ſibi licere exiſtimabat, exercitum conſcribit: cumque ſibi per [e] Allobroges iter faciendum provideret, oratores ad Sabaudum miſit, qui et tranſitum peterent, et ſubinde eum, ut de hereditate materna, cujus jam antea fruſtra quaeſtionem moverat, ſibi ſatisfaceret, rogarent: quorum alterum eum negaret Sabaudus, alterum artificioſis et exquiſitis rationibus eluderet, arma in Sſortiam ſumpta, qui ſub id tempus decedens illatam regi injuriam morte expiavit, protinus in Sabaudum vertit. Mortuo Sſortia Antonius [f] Laeva Caeſaris nomine Mediolanum occupaverat, et Caeſar per occaſionem reditus ex Africa Neapolim venerat. Eum [g] Velius orator regius in illa expeditione ſemper comitatus de Franciſci conſilio certiorem ſecit: cumque ille regem a bello contra Sabaudum ſuſcepto vellet avertere, aut certe expeditionem remorari, per [h] Granvellanum arctioris foederis cum Franciſco percutiendi ſacta ſpe, de Mediolani imperio reſtituendo ſermonem Velio injecerat. Id Velius regi per literas ſignificavit, qui Caeſaris ludificationum gnarus, cum jam ad bellum parata eſſent omnia, ab incepto neutiquam ſibi deſiſtendum exiſtimavit. Igitur per [α] [i] comitem Fani Pauli et Philippum [k] Cabotium Brionium maris praefectum, tota Sabaudia ac fere omni Sabaudi ditione [1] cis Alpeis in poteſtatem redacta, tamen a finibus Mediolanenſis imperii militem abſtinuit. Ea re nihilominus Caeſar, qui Romam
CIƆIƆXXXVII. venerat, ultra modum incenſus, orationem longam et meditatam coram pontifice et cardinalibus ipſiſque oratoribus regiis habuit; qua in Gallos praecipue invectus, belli toties magno reipublicae Chriſtianae detrimento renovati cauſas in Franciſcum rejiciebat; neque per ſe ſtetiſſe, aut nunc etiam ſtare dicebat, quominus res amice et pacifice tranſigeretur. In ea cum quaedam ambigue et contumelioſe dixiſſet, quae dignitatem regiam oblique ſugillare videbantur, inſtarentque oratores regii, uti planius loqueretur, poſtridie interpretatione acerbius dicta mitigavit. Ad ea deinde contrario ſcripto reſpondit Franciſcus: quae omnia accurate a Gul. [l] Bellaio antiqua nobilitate, doctrina, et rerum peritia non minus quam

virtute

VAR. LECT. [α] Franciſcum Borbonium comitem. *D.o.*

INTERPR. [a] *Sforza.* [b] *Caſtiglione.* [c] *Taverna.* [d] *Merveilles.* [e] *Savoie.* [f] *di Leyva.* [g] *Mr. de Velly.* [h] *Nicolas Perrenot, ſeigneur de Granvelle, chancelier de l'empereur Charles V.* [i] *comte de S. Paul.* [k] *de Chabot, ſieur de Brion, amiral.* [l] *du Bellay.*

NOT. [1] trans. *Pat.*

virtute bellica praecellenti viro iis libris perſcripta ſunt, quos ex ampliore ejus hiſtoria reliquos habemus. Itaque per cardinalem [a] Lotharingum, fruſtra tentata concordia, cum promiſſa de Mediolani imperio Caeſar retractaret, ad arma tandem ventum eſt. [b] Foſſanum primum a [c] Laeva captum: quo tempore Franciſcus [d] Saluciarum princeps, quamvis ampliſſimis beneficiis a Franciſco cumulatus, dum nimiam ariolis et divinis fidem tribuit, qui Caeſarem toto orbis Chriſtiani imperio potiturum, et regem Galliae regno exuturum illi praedixerant, praepoſtera prudentia ad Caeſarem transfugit.

XIV. Infelicem Caeſaris in [e] Provinciam deſcenſum, renitentibus et contra obſtantibus [f] Vaſtio et Ferd. Gonzaga, infelicior caſus amiſſi Franciſci [g] Delfini ſummae ſpei principis, veneno, ſicut poſtea conſtitit, enecati, aequavit. Cujus rei crimen in Caeſaris miniſtros, qui ea de re Venetiis rumores antea ſparſerant, rejectum, ſceleris auctorem hactenus celavit: nec infelix pater, quamvis juſtiſſimo dolore perculſus, facti veritatem indagare aut potuit, aut voluit. [*] Is certe, qui propinati veneni convictus eſt, cum ſe de ea re cum Caeſarianis conſilia communicaſſe fateretur, ut [aliorum] ſuſpicionem amoveret, in extraneos crimen tranſtulit. Caeſar, cum prudentia et virtute Annae [h] Momorantii, qui bello huic a rege praefectus erat, attritis viribus, ſpe potiundae Provinciae excidiſſet, in Italiam retro abiit, et inde in Hiſpaniam; amiſſo Antonio Laeva expeditionis auctore et ſuaſore, qui certam victoriam Caeſari pollicitus erat, ſi Gallos domi nihil hoſtile metuenteis invaderet. Is ſiquidem ex gregario milite per omneis militiae gradus ad ſummum bellicae laudis faſtigium evaſerat, totque proſperis ſucceſſibus inflatus eo inſolentiae venerat, ut ex quorundam vaticinatione Carolum Galliae regem evaſurum, et ſe voti compotem Lutetiae in ipſa victoria fato conceſſurum Hiſpanico faſtu jactaret. Parte alia cum Henricus [i] Naſſauvius coactis in [k] Belgio copiis [l] Peronam ad Somonam fluvium ſitam fruſtra oppugnaſſet, et [m] Guiſae oppidanorum ignavia dedita urbe in Belgium ſe recepiſſet, Franciſcus Lutetiam venit, ubi cum in regni curia de Caroli injuriis palam queſtus eſſet, ampliſſimus ordo contra Caeſarem decretum pronunciavit. Inde rex [γ] in [n] Ambianos cum exercitu venit, eandemque Momorantii quam nuper in defendenda Provincia prudentiam et fortitudinem expertus, [o] Hedinum munitiſſimum in Atrebatibus oppidum cepit, et [p] Teroannam praeſidio ac commeatu firmavit. Mox expugnato a [q] Burani copiis [r] Fano-Pauli atque [s] Monſtrolio, tandem ad trimeſtre pactae induciae, quibus limes Belgicus noſter et Belgium comprehendebatur. Interea Vaſtius, qui bello in Italia pro Caeſare praeerat, multa oppida receperat: jamque [t] Pinarolum arctiſſima obſidione premebat, cum Delfinus una cum Momorantio a patre miſſus Alpeis ſuperavit, et [v] Caeſarem Magium Neapolitanum magni nominis ducem, qui fauces Alpium cum delecta manu ſervabat, ne illac Gallorum

P. [*] *Adfinitatem nuper cum Clemente contractam tanto ſceleri cauſam dediſſe poſtea compertum, quamvis inſcio [α] marito: verum illo mortuo, cum frater proximus eſſet, ut in regnum paternum ſuccederet, omiſſa rei indagandae cura eſt, et [β] ſuppreſſa veritas.*

P. [*propinquorum.*]

VAR. LECT. [α] marito, qui fratre mortuo cum proximus eſſet, ut *MS. Reg.* [β] ſuppreſſa facti veritas. *MS. Reg.* [γ] in *deeſt P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *de Lorraine.* [b] *Foſſano.* [c] *di Leyva.* [d] *marquis de Saluces.* [e] *Provence.* [f] *del Guaſto.* [g] *le Dauphin.* [h] *de Montmorency.* [i] *comte de Naſſau Dillenburg.* [k] *Pays bas.* [l] *Peronne ſur la riviere de Somme.* [m] *Guiſe.* [n] *Amiens.* [o] *Hedin en Artois.* [p] *Terouenne.* [q] *Maximilien d'Egmond, comte de Buren.* [r] *S. Paul.* [s] *Monſtreuil.* [t] *Pignerol.* [v] *Ceſare Maggi*, al. *Ceſar de Naples.*

Gallorum exercitus tranſire poſſet, contra omnium opinionem fudit atque delevit: eo rex ipſe paulò poſt ſubſecutus eſt. Tunc eaedem quae in Belgio, et in Italia inter utriuſque partis duces pactae induciae, in ſequentem uſque Februarium: moxque [a] Locate ex compacto miſſi Jo. cardinalis [b] Lotharingus et Annas [c] Momo-
CIƆIƆXXXVIII. rantius, cum fruſtra de pace diſceptatum eſſet, in ſemeſtre induciarum tempus produxerunt. Inde Momorantius [d] Molinium in Boiis reverſus, ob recentem tot egregiorum facinorum memoriam magno omnium ordinum applauſu [e] magiſter equitum, qui honos in Gallia maximus, a rege creatur. Eodem anno [f] Paulus [g] Nicaeae cum Franciſco congreſſus, x annorum inducias, quo concilium celebrari, et bellum adverſus Turcas commodius inſtrui poſſet, inter Caeſarem et Franciſcum firmavit. Nec multo poſt ad [h] Foſſam Marianam, [α] Aquas-mortuas vulgo dicunt, Caeſar cum Franciſco collocutus fraterni amoris ſpecie ſpem fecit, fore ut certis conditionibus in poſterum concordia inter ipſos firma et conſtans poſſet coaleſcere. Sed vinculum, quod firmius conſtringere debebat, paene amicitiam omnino diſſolvit. Nam accidit anno ſequenti, ut [i] Gandenſes, inſita genti levitate, an propter onera et tributa ipſis a Maria imperata, rebellarent, miſſiſque ad Franciſcum legatis, ut ſe veteres regni clientes in fidem reciperet, orarent: quod ille omnino recuſavit, cauſatus inducias et amicitiam quae ſibi cum Caeſare intercedebat. Quod ubi reſcivit Caeſar, ne latius malum exemplo ſerperet, eo ſibi proficiſcendum quam primum exiſtimavit: ſed quia videbat, niſi per Galliam iter haberet, magno exercitu, quem non tam ſubito, quam pro rei neceſſitate, conſcribere poterat, opus eſſe, per legatos tranſitum a rege petiit; quem ſibi eo magis neceſſarium judicabat, quod ea re arctiorem inter ſe et Franciſcum amicitiam coiiſſe ab omnibus creditum iri ſciret, Gandenſeiſque ſpe auxilii e Gallia deſtitutos facilius ad officium redituros. Id quo facilius impetrare poſſet, ſpem fecerat Georgio [k] Silvae Vaurenſi epiſcopo, qui Franciſci nomine apud eum oratorem agebat, de [l] Mediolano reſtituendo: ſed id petebat, ne in praeſentiarum ea de re ageretur, ne neceſſitate adactus potius quam ſponte in id conſenſiſſe videretur; ceterum ſe, ubi primum in [m] Belgium perveniſſet, regi facturum ſatis. Itaque ſumma liberalitate et humanitate acceptus, deducentibus eum per totum regnum regiis liberis, Lutetiam rege ipſo comitante magna pompa ingreditur. Caeſariſne fiducia major fuerit, qui regis irritati toties, et ſevere nimis, cum captivus eſſet, habiti, poteſtati ſe commiſit; an fides et generoſitas Franciſci, qui hoſpiti, quem ſibi omni officio colendum propoſuerat, ne juſta quidem petitione moleſtus eſſe voluit; multis et magnis utrinque rationibus agitari potuit.

XV. Cum ille, dum in Gallia eſſet, Momorantio promiſſa verbis confirmaſſet, et Momorantius Caeſarem promiſſa repraeſentaturum Franciſco recepiſſet, ubi [n] Valencianas venit, jam de rebus Gandenſium ſecurior, inſtantem Vaurenſem,
CIƆIƆXL. ut fidem de reſtituendo Mediolano datam liberaret, excuſatione primum, ad extremum denegatione eluſit. Quod cum graviſſime, ut par erat, tuliſſet Franciſcus, eamque ob cauſam Momorantium antea ſibi percharum a ſe et ab omni regni adminiſtratione removiſſet, ad pacem intentum animum ad belli cogitationes juſta indignatione tranſtulit. Miſerat Venetias Franciſcus ſuperiore anno Claudium [o] Annebaldum poſt [p] Montejani mortem [q] tribunum equitum creatum, cum [r] Vaſtio Caeſaris oratore, ut ſenatum certiorem de certiſſima inter Caeſarem et Gallum amicitia

VAR. LECT. [α] Aquas mortuas vulgo dicunt *deſunt* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Leucate.* [b] *de Lorraine.* [c] *de Montmorency.* [d] *Moulins en Bourbonnois.* [e] *connestable.* [f] *le pape Paul* III. [g] *Nizza.* [h] *Aigues mortes.* [i] *ceux de Gand.* [k] *de Selve, evêque de Lavaur.* [l] *Milan.* [m] *Pays bas.* [n] *Valenciennes.* [o] *d'Annebaud.* [p] *de Montejan.* [q] *mareſchal de France.* [r] *marcheſe del Guaſto.*

amicitia communi legatione facerent, et in foedere cum Caeſare contra Turcas inito, a quo alioqni quam primum diſceſſuri videbantur, confirmarent; etſi potius id Caeſar egiſſe a prudentioribus credebatur, ut Franciſcum a Solimani amicitia ſejunctum, Anglo, ſibi propter divortium Catharinae materterae paulo ante mortuae infeſtiſſimo, ſuſpectum redderet, ipſumqne adeo Anglum ea occaſione in ſuas parteis a nobis alienatum vaſra calliditate pertraheret. Itaque poſt tot Caeſaris ludificationes, ut ſenatum Venetum melius de omni re edoceret, et cum Solimano amicitiam renovaret, Caeſari [a] Fulgoſio Genuenſi, et Antonio [b] Rincono Hiſpano negotium dat, ut Venetias ſimul, atque inde Rinconus Conſtantinopolim proficiſcatur: ſed in itinere diſpoſitis a [c] Vaſtio inſidiis, dum per [d] Padum ſecundo flumine navigio ferrentur, tribus milliaribus paulo ſupra [e] Ticini in Padum ſe exonerantis fauces trucidati ſunt. Qua de injuria poſt crebras apud principes Chriſtianos, praecipneque apud pontificem et Germanos expoſtulationes, cum regi a Caeſare non ſatisfieret, poſtremo rurſus ad arma ventum eſt. Ut juſtius bellum eſſet, in Lucemburgenſem agrum duce [f] Aureliano, et [g] Ruſcinonenſem comitatum a Delfino diverſis partibus fit impetus: in illo a Philippo Burgundo, et Carolo Philippi filio per vim occupato [1] ex ſucceſſione Ludovici Aureliani Caroli VI fratris proavi ſibi jus vindicabat Franciſcus: in hoc praejndicium regno non potuiſſe fieri a Carolo VIII dicebat, qui recenti adhuc multorum memoria, ab [h] Olivario Mallardo perſido homine perſuaſus, Ferdinando Arragonio certis legibus, quas ille ſemper violaſſet, ejus poſſeſſionem conceſſerat. Irrita fuit Delfini contra [i] Perpinianum expeditio; felicior Aureliani. Eodem anno [k] Rupellanorum ſeditio clementia Franciſci repreſſa eſt, tam humano exemplo oblique ſugillantis crudelitatem Caeſaris, qui [l] Gandenſium rebellionem tot civium ſanguine expiaſſet. Muniendis oppidis et arcibus in Italia et Belgio ſequens annus inſumptus eſt. Qui hunc ſecutus eſt, multis Antonii [m] Borbonii Vindocini, qui CIƆIƆXLIV.
[n] Belgio noſtro tunc praefectus erat, egregiis militaribus factis et urbium expugnationibus nobilis fuit: ſed praecipue defenſo Landrecio a Caeſare tam potenti exercitu, ac tot fortiſſimis ducibus, quos in comitatu habebat, obſeſſo. Tandem Anglo inde urgente, hinc Caeſare ex compacto cum ingenti exercitu, quem a principibus Germanis impetraverat, deſcendente, cum diſtractis viribus utrique ſuſtinendo hoſti Gallus par eſſe non poſſet, parta ante aliquot menſeis memorabili illa ad [o] [2] Carinianum victoria, duce Fr. Borbonio [p] Angiano Vindocini fratre, ſed multis amiſſis in limite Campaniae oppidis, Franciſcus tandem honorifice cum Caeſare tranſegit apud [q] Crepiacum in Sueſſionibus VIII Kal. Oct. Pacis conditionibus Anglus comprehendi noluit, quod ſe [r] Bononiam jamdiu a ſe obſeſſam quamprimum expugnaturum ſperaret; quod et panlo poſt accidit, [s] Vervinii ignavia potius quam proditione. Haec quae inter Caeſarem et Franciſcum, atque adeo inter Gallos et Hiſpanos L circiter abhinc annis geſta ſunt, quamvis altius repetita, commemorari breviter neceſſarium duxi; quando ea, quae deinceps ſcripturi ſumus, ab illis veluti continuata ſerie pendent, et ad conſiliorum et eventuum,

INTERPR. [a] *Fregoſe.* [b] *Rincon.* [c] *marcheſe del Guaſto.* [d] *le Po.* [e] *il Teſino.* [f] *d'Orleans.* [g] *Rouſſillon.* [h] *Olivier Maillard.* [i] *Perpignan.* [k] *les Rochellois.* [l] *ceux de Gand.* [m] *de Bourbon, duc de Vendoſme.* [n] *Picardie.* [o] *Carignan.* [p] *François de Bourbon, comte d'Enguyen.* [q] *Creſpy au Soiſſonnois.* [r] *Boulogne ſur mer.* [s] *Jacques de Coucy, ſieur de Vervins.*

NOT. [1] Ceci eſt vrai: quoique du Bellay diſe, que le roi avoit double droit à Luxembourg; celui du duc d'Orleans, venu par aqueſt, & celui des vrais ſeigneurs, venu per ceſſion, qui avoient eſté ſpoliez par les ducs de Bourgogne, & deſquels eſtoient heritiers ceux de Bourbon par Fr. duc de Vendoſme, comme mari de l'heritiere du conneſtable de S. Paul; après l'execution duquel le duc de Bourgogne avoit envahi ce duché comme mouvant de luy. *Put. L.*
[2] *Cerizolium Put.* Gall. *Cerizoles.*

eventuum, qui deinde ſecuti ſunt, intelligentiam conſenſione quadam pertinere viſa ſunt.

XVI. Nunc et de ceteris principibus et rebuſpublicis reliquum eſt ut, quae nos dicturos recepimus, paucis perſequamur. Et in Anglia quidem, [α] quod ad bella attinet, quae nobiſcum fuerunt, ita ſe res habet. Sed ſciſſurae et diſceſſionis a pontifice Romano, quae tot motuum ac poſtremo mutandae in eo regno religionis cauſa extitit, haec origo fuit. Henricus VII florentiſſimus princeps factionibus regni extinctis, ut adfinitatibus externis imperium firmaret, Arturum natu grandiorem filium XV tantum annorum puerum cum Catharina Ferdinandi et Iſabellae altera filia matrimonio conjunxerat: verum Arturo paulo poſt ex tabe mortuo, cum tantam adfinitatem prudens pater perire aegre ferret, conſilium iniit de tradenda Catharina vidua Henrico Arturi fratri; et ut ſcrupulus de fratris uxore ducenda omnino tolleretur, Julii II auctoritas te deliberata interceſſit. Henricus ergo patre mortuo Catharinam duxit, ex eaque plures liberos ſuſcepit, qui non diu, poſtquam nati [β] ſunt, vixere. Sola Maria ad [a] Grenwicum XII Kal. Mart. anno hujus ſaeculi [1] XV nata utrique parenti ſuperſtes fuit. Ea ſtatim nullis exſtantibus maſculis [b] Walliae [2] princeps appellata, hoc eſt, regni heres a patre deſtinata eſt; et poſtea Franciſco [c] Delfino, qui [d] Turnonii obiit, deſponſata. Per XX circiter annos concordia conjugalis ſtetit. Verum cum rex ingenio liberali et [γ] alto, ſed in amores pronior faſtidiret uxorem auſteris moribus foeminam et omni cultu et venuſtatis cura abhorrentem, de diſſolvendo matrimonio cogitare coepit. Erat apud eum in ſumma auctoritate Thomas [δ] [e] Wolſaeus, homo vili et ſordido loco natus, ſed tanta ambitione et ſuperbia praeditus, ut gravis proceribus ac nobilitati, poſtremo regi ipſi moleſtus fuerit. Is ad ſummam dignitatem favore regis evectus [f] Eboraci archiepiſcopus, et [ε] [g] Wintoniae epiſcopus, dein etiam in cardinalium collegium cooptatus, ac legatione ampliſſima ornatus omnia regni negotia adminiſtrabat. Itaque Carolus, qui ſciret quantum ſua intereſſet amicitiam Anglorum cum Burgundis olim initam conſervare, ſummo ſtudio enitebatur, ut Wolſaei gratiam omni cultu et obſervantia demereretur; adeo ut etiam in literis, quas ad eum crebras nec alterius quam ſua manu ſcriptas dabat, filii nomen et cognati in ſubſcriptionibus apponeret: et ut vanitatem hominis magis inflammaret, ſpem dederat fore, ut, Leone X mortuo, votis cardinalium in pontificem eligeretur. Verum cum Leoni contra ſpem Hadrianus ſuffectus fuiſſet, Wolſaeus deluſum ſe aegre ferens, odium, quod huc uſque implacabile Caeſaris contemplatione in Gallos exercuerat, in Caeſarem vertit. Igitur de Henrici conſilio certior, eam occaſionem opportunam ratus, qua et regi gratificaretur, et injuriam a Caeſare factam ulciſceretur, re cum paucis communicata, [h] Bigerronum praeſulem, qui Franciſci nomine legatione apud Anglum fungebatur, ſuſcitat, qui in principis conſiſtorio coram ipſo Henrico de adfinitate cum Franciſco contrahenda ſermonem injiceret;

VAR. LECT. [α] quoad bella externa, quae *P.* quod ad bella externa attinet, quae *D.* o. f. d.
[β] erant *P.*
[γ] elato *P. D* o. f. d.
[δ] Volſaeus *P.*
[ε] Vintonii archiepiſcopus *P.*

INTERPR. [a] *Greenwich.* [b] *Wales ou de Galles.* [c] *le Dauphin.* [d] *Tournon.* [e] *Wolſey.* [f] *York.* [g] *Winchester.* [h] *evêque de Tarbes.*

NOT. [1] Nata eſt Maria die Lunae, decimo octavo Februarii, ſeptimo Henrici VIII anno; viz. 1515, initio anni a B. Virginis Annunciatione, uti hodie adhuc fit in Anglia, ducto; ſin a Kal. Jan. more per totam fere Europam recepto, putare mavis, in A. 1516. *C.*

[2] Maria quidem Henrici et parliamenti auctoritate declarata eſt regni heres, ſcilicet *praeſumptiva*, quam vocant, ſi pater ſine prole maſcula decederet; nec tamen Walliae principis titulo unquam inſignita: licet Powellus in Walliae hiſtoria, Linacrus in prooemio rudimentis grammatices praefixo, aliique ſcriptores Thuano coaetanei, hoc ipſo titulo, qui non niſi primogenitis regum Angliae filiis competit, Mariam perperam indigitent. *C.*

injiceret; et Henricum a vinculo nuptiarum, quas cum Catharina contraxerat, uti lege divina prohibitarum, liberum eſſe diceret. Margarita Franciſci ſoror ſpectatae formae et venuſtatis foemina, Carolo [a] Alenconio marito paulo ante mortuo, vidua remanſerat: ea deſtinata uxor Henrico; miſſique Wolſaeus et [b] Bigertonum praeſul, qui de diſſolvendo matrimonio cum Gallo agerent. Ut [c] Caletum appulit Wolſaeus mandatum a rege contrarium accipit, quo prohibebatur de Margaritae matrimonio agere: reſcivitque per amicos non tam Henricum Galli adfinitatem appetere, quam inſanum amorem, quo Annam Thomae [d] Boleni equitis filiam proſequebatur, nullo rerum ſuarum et regiae dignitatis reſpectu, explere velle. Itaque ille, qui auctor divortii Henrico fuiſſe putabatur, ut dimiſſa Catharina Caeſaris matertera Margaritam duceret, id aegerrime tulit; eoque magis, quod cum ſe omnibus inviſum ob nimiam potentiam ſciret, in Galli amicitia ſibi magnum praeſidium ſitum eſſe exiſtimaret: ſed quia integrum illi non erat conſilium de divortio mutare, rem diſſimulavit. Incidit hoc in tempus, quo capta Roma Clemens in [e] Mauſoleo Hadriani quaſi captivus attinebatur. Igitur Henricus Franciſco auctor fuit, ut Lautrecum in Italiam cum exercitu mitteret, [α] et pontificem e manu Caeſarianorum liberaret; ratus tot officiis et beneficiis obſtrictum Clementem ſuis deſideriis facilius obtemperaturum. Miſſi Romam ex Wolſaei conſilio Stephanus Gardinerus et Fr. [f] Brianus, qui pontificiam auctoritatem divortio interponi poſtularent. Clemens, qui ſecundum repudium pronunciare metueret, nec Henricum de ſe optime meritum, quique defenſoris eccleſiae elogium a Leone x edito contra Lutherum libro meruerat, irritare vellet, viam invenit, qua ſe perplexo negotio expediret. Laurentium [g] Campegium cardinalem delegat, qui cum Wolſaeo de cauſa cognoſcat. Campegius quantum poterat litem, uti juſſus erat, in longum extrahebat: cumque nondum pronunciata ſententia de Lautreci deleto exercitu certior a pontifice factus eſſet, qui victorem Caeſarem irritare tutum ſibi non exiſtimabat, poſt longas tergiverſationes et procraſtinationes, tandem ex Anglia re infecta non ſine magna regis offenſione diſceſſit. Eo in negotio Wolſaeus, quod ſe tepidiorem regis judicio praebuiſſet, gratia ſenſim excidit: et aliquanto poſt a Thoma [β] [h] Howardo [γ] Norfolcio comprehenſus Wintonienſi epiſcopatu ſe abdicare compellitur, moxque in aulam evocatus, ut ſe regi ſiſteret, in itinere ex animi moerore deceſſit. Thomas Morus doctrina et probitate ſpectabilis vir cancellarius in ejus locum conſtituitur, neutiquam regis cauſae aequior. Interea Henricus amoris ignibus incenſus, cum tantas moras non ferret, [δ] Thomam [i] Cranmerum, Willelmo [ε] [k] Wathamo mortuo, [l] Cantuarienſem archiepiſcopum creat, qui pro repudio contra Catharinam pronunciaret: eccleſiaſticiſque regiae majeſtatis crimen intendit, quod contra regni dignitatem pontificiae auctoritati nimium detuliſſent, et tributum indebitum perſolviſſent. Cumque in gratiam Caeſaris pontifex ſecundum Catharinam ſententiam tuliſſet xv Kal. Apr. rex qui CIƆIƆXXXIV.
jam ante annum Catharina repudiata clam Bolenam duxerat, exquiſitis prius diverſorum theologorum ſententiis, inprimiſque Pariſienſium, qui, uti rumor erat, pretio corrupti conſillo de divortio ſubſcripſerant, omni ſpe gratiae a pontifice impetrandae abjecta, ordinum Angliae decreto auctoritatem pontificiam per regnum abrogat, tributum annuum jam ab Inae temporibus pendi ſolitum denegat, poenam capitis conſtituit, ſi quis ſupremam poteſtatem pontifici adſcribat; poſtremo eccleſiaſticos

VAR. LECT. [α] ut *P. D. o. f.* [δ] Thomam *deeſt* *P. D. o. f.*
[β] Hauarto *P.* [ε] Varano *P. D. o.*
[γ] Norfolco *D. o.*

INTERPR. [a] *duc d'Alençon.* [b] *evêque de Tarbes.* [c] *Calais.* [d] *Bullen.* [e] *caſtel S. Angelo.* [f] *Bryan.* [g] *Campeggio.* [h] *Howard, duc de Norfolk.* [i] *Cranmer.* [k] *Warham.* [l] *Canterbury ou Cantorbery.*

eccleſiaſticos tam Angliae quam [a] Hiberniae ſacramento adigit, ut ſe tanquam eccleſiae caput a Chriſto proximum agnoſcant. Mutata diſciplina, nihil [α] praeter ea in doctrina mutatum. Nam et ſynodo [b] Londini habita VI Eid. Jun. antiquam et hactenus receptam doctrinam confirmavit: et aeque eos, qui ab illa receſſerant, et Lutheri ſive Zuinglii opinionem ſectabantur, atque eos, qui pontificis auctoritatem propugnabant, morte mulctavit, aeque Pontificiis ac Proteſtantibus inviſus, qui ordinem in diſciplina eccleſiaſtica mutatum, quamvis diverſa ratione, arguebant. Nam et alicubi Calvinus, qui abrogatam pontifici in Anglia poteſtatem non aegre ferebat, ſibi acriter animum pupugiſſe teſtatus eſt, quod ſe Henricus caput eccleſiae appellaret. Certe in reliqua vita ita ſe geſſit ille rex, ut cum, ſi aequiores et prudentiores pontifices nactus fuiſſet, ſponte ſe ſubjecturum ipſorum poteſtati fuiſſe appareret. Bolena enixa filiam Eliſabetham, quae Maria rejecta [1] Walliae princeps appellata eſt, haud diu in gratia Henrici floruit: nam mox adulterii accuſata ſecuri percuſſa eſt; Janaque [c] Seimora ducta, quae in partu periit, Edvardum filium ſuſcepit. [d] Cliviam deinde vix ductam repudiavit. Cum vero nullis ſe condirionibus cum pontifice in gratiam redire poſſe animadverteret, ab amicitia Franciſci, quam ea de cauſa praecipue coluerat, et omni officio ac liberalitate in redimendis liberis demeruerat, paulo alienior eſſe, et ſenſim ad Caeſarem, a quo ad foedus renovandum ſolicitabatur, inclinare coepit; quippe cum mortua matertera nullas ſibi cum Anglo *ſimultatis* cauſas intercedere Caeſar profiteretur. Nutanrem Henricum impulit adfinitas cum Jacobo V Scotorum rege nuper contracta, qui inopinato in Galliam veniens Magdalenam ab invito patre uxorem impetraverat: quae cum non ita multo poſt tabe extincta eſſet, Scotus Mariam [e] Claudii [β] Lotaringi Guiſii filiam [f] Longovillani ducis viduam, in quam, dum in aula erat, de uxoris exitu veritus oculos conjecerat, per legatos deſponſatam in uxorem duxit. Crebra tunc inter Anglos et Scotos de finibus bella erant. Iis ut finis imponeretur, Henricus diem ad colloquium cum Scoto [g] Eboraci deſignari petierat, facta ſpe de Anglici regni ſucceſſione: quod cum a factioſis inter Scotos impediretur, et Anglus ignominioſam fruſtrationem aegerrime ferret, Eboracum cum magno exercitu praegreditur. Ibi perturbatis domeſtica diſſenſione Scotis, cum Angli incubuiſſent, magna ſtrage a Scotis accepta, quorum plerique e nobilitate capti, diſceſſum eſt. Ex moerore tam inſperati nuncii Jacobus paulo poſt deceſſit, relicta octo dierum filiola regni herede: de qua cum filio Edvardo deſpondenda [γ] cogitaret Henricus, idque per captivos a ſe humaniter acceptos poſſe impetrare ſperaret; reginae matris et cardinalis Santandreani, qui parteis Gallorum tuebantur, contraria factione effectum eſt, ut irritum Angli conſilium evaderet. Miſſus primum a Franciſco Matthaeus Stuartus [h] Leviniae comes factionis Scoticae princeps; quem cum regina vidua ſuſpectum facile reddidiſſet, miſſus poſtremo Jac. [i] Mongomerius Lorgianus, vir quidem impiger et probus, ceterum Levinii acerrimus hoſtis, qui puellulam et matrem ab Anglorum vi et factione Scotica defenderet. Igitur Henricus non jam cunctandum ratus, bellum Franciſco per ſecialem denunciat; communicatiſque conſiliis anno ſequenti hinc Caeſar ex Germania, inde ipſe ex Britannia in Galliam irruperunt.

XVII. In

VAR. LECT. [α] praeter ea *deſunt* *P.* praeterea *D.* o. f. d. [β] Lotareni *P. D.* o. f. [γ] cum cogitaret *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Irland.* [b] *Londres.* [c] *Seymour.* [d] *Anne de Cleves.* [e] *Claude de Lorraine, duc de Guiſe.* [f] *Louis d'Orleans, II du nom, duc de Longueville.* [g] *York.* [h] *Lenox.* [i] *de Mongomery, ſieur de Lorges.*

NOT. [1] De hoc titulo minus recte Eliſabethae tributo vide notam praecedentem.

XVII. IN [a] Menapiis quoque ob propinquitatis nobiſcum contractae metum bellum a Caeſare excitatum eſt. [α] Carolus Geldriae dux, quem adeo inviſum Caeſari fuiſſe diximus, dum [b] Nicaeae tractarentur induciae, nullis relictis liberis deceſſerat. Is, quia Gallorum parteis tuebatur, crebris incurſionibus Caeſaris imperio ſubditas regiones infeſtabat, non ſolum vicinis, ſed etiam ſuis odioſus, qui eam ob cauſam a Caeſariano milite contrariis populationibus vexabantur: quo factum eſt, ut paulo minus totius ditionis poſſeſſione exueretur, et Willelmus [c] Clivenſium princeps Caroli adfinis a populis adſciſceretur, aegre id ferente Caeſare, qui jus in eo ſibi arrogabat. Franciſcus, cui jure ſuo Carolus ceſſerat, libenter id omne in Willelmum tranſtulit, addito adfinitatis vinculo, et deſponſata Jana [d] Labretana Henrici Navarrorum regis et Margaritae ſororis filia; ut potentem principem ſecum conjungeret, et [β] [e] Belgii res, quibus ille vicinus et immiſtus eſt, hac conjunctione conturbaret. Quod ut prohiberet Caeſar, quanquam pontifex ad [f] Buxetum uſque in [g] Aemilia progreſſus cum a bello dehortaretur, magnis copiis in Menapios deſcendit, et tota fere provincia in poteſtatem redacta eo adduxit Clivenſem, quem ut imperialem clientem proſcripſerat, ut ſupplex a ſe veniam peteret et, Geldria Zutphanienſique comitatu ademptis, pro ſummo beneficio duceret, quod in antiquum patrimonium et dignitatem renunciata Gallo amicitia et adfinitate reſtitueretur. Id impetratum Hermanni archiepiſcopi Colonienſis et Henrici Brunſvici interventu; quibus et condonatum, ut Martinus [h] Roſſemius, qui ſuperiore anno in [i] Atuaticos cum [k] Longovallo excurrerat, et tam inopinato adventu Antuerpiam paene oppreſſerat, quod bellica virtute excelleret, a Caeſare in gratiam reciperetur.

XVIII. IN [l] Dania, quae veteribus Cimbrica Cherſoneſus dicta eſt, non ita terribile Caeſaris nomen fuit, quo juſtius bellum, ſi non utilitate et neceſſitate potius quam ratione et honeſtate jus metiretur, transferre debuit, ut ſororium in regnum reduceret. Is erat Chriſtiernus II Joannis filius, Chriſtierni I nepos, qui exſtincta veterum Daniae regum ſtirpe ex comite [γ] [m] Oldenburgico ad hoc faſtigium ſenatorum regni ſuffragiis evectus eſt, commendatione praecipue Adolfi [n] Holſati avunculi, qui regnum antea oblatum, quo minus acciperet, modeſte ſe excuſaverat. Is ſeditione in regno [o] Sueciae ſuborta, et Carolo Canuto rege ejecto, Joannis Benedicti archiepiſcopi [p] Upſalenſis factione evocatus rex Sueciae conſtituitur. Inde Danis jus in Sueciae regno. Joannes patre mortuo regnum Daniae XXXII annos tenuit: rexque ipſe a tumultuantibus Gothis, Stenone ſeniore ejecto, qui Carolo avunculo ſucceſſerat, eligitur: ſed inde mox deturbatus, et a Suantone, qui favore Hemmingi [q] Gaddi eccleſiae Lincopenſis antiſtitis ab ordinibus regni Stenoni ſuffectus erat, multis procliis victus in Daniam poſtremo ſe recepit. Suantone in civitate [r] Aroſienſi mortuo, principe egregiis virtutibus cum paucis comparando, Steno Stura junior filius, vix tandem poſt multas contentiones, factione Danica Ericum Trollum Stenoni opponente, ſed praevalente recenti paternorum meritorum memoria, a regni ſenatoribus rex ordinatur. Biennio poſt Suantonem mortuum Joanni decedenti ſucceſſit Chriſtiernus II, qui pars ipſe magna cladium a patre acceptarum, jus, quod ex ſucceſſione avi et patris in regno Sueciae ſibi CIƆIƆXIIII.
vindicabat,

VAR. LECT. [α] Carolus Egmondanus Gelriae P.D.o.f. [β] Belgici P.D.o f.d. [γ] Aldeburgico P.D.o.f.d. et Ed. Rob. Steph.

INTERPR. [a] *ceux de Gueldres, Cleves & Juliers.* [b] *Nizza,* ou *Nice.* [c] *duc de Cleves.* [d] *D'Albret.* [e] *Pays bas.* [f] *Buſſeto.* [g] *Lombardia di quà dal Po.* [h] *Roſſem.* [i] *ceux de Brabant.* [k] *Nicolas de Boſſut, ſieur de Longueval.* [l] *Dannemarc.* [m] *d'Oldenburg.* [n] *d'Holſtein.* [o] *Suede.* [p] *d'Upſal.* [q] *Gedde, eveſque de Lincoping.* [r] *Aroſen.*

vindicabat, armis perſequi decrevit. Steno, ut ſibi videbatur, in regno confirmatus, jam adulatorum, qui nimis multi ſunt in aulis principum, conſiliis corruptus, multa perperam adminiſtrabat, et alienatis a ſe procerum animis benevolentiam multorum ex populo amiſerat. Quibus compertis Danus opportunum id rebus ſuis ratus, magno ex Saxonibus, Friſiis, Scotis, Gallis collecto exercitu in Stenonem ducit, et Stocolmiam Succiae regiam magna operum vi cingit: ſed adventante Stenone, obſidione ſoluta, cum reſtante vento exercitum toto trimeſtri exſpectato tranſmittere non potuiſſet, ſumma rerum omnium penuria preſſus a Stenone, qui ejus amicitiam omni ſtudio demereri ſatagebat, commeatum et fidem accipit, quo ſecure cum exercitu incolumi redire in Daniam liceret. Tantam humanitatem [α] quadriennio poſt Danus deteſtanda fraude penſavit. Nam petito cum Stenone colloquio, cum paulum abſuiſſet, quin Steno incautus in hoſtilem navem deſcendiſſet, hac ſpe fruſtratus legatos a Stenone miſſos Gaddum et Guſtavum Erici filios captos ſecum in Daniam contra fidem datam abduxit. Summum violatae fidei ſpecimen cum eo anno Chriſtiernus edidiſſet, ſequenti multo majus crudelitatis et perfidiae ſimul edidit. Nam potentiori cum exercitu excurſione in Weſtrogothorum terras a Danis facta, et pugna ſupra mare congelatum commiſſa, ictu tormenti in femore vulneratus Steno cum paulo poſt obiiſſet, et duce ſublato numeroſus Succorum exercitus ſtatim diſſipatus eſſet, Chriſtiernus victor a proceribus regni, qui Danicae factionis erant, evocatus corona regia Stocolmiae ornatur; eodemque die, veritus ne ſe abſente Stenonis liberi a contrariae factionis principibus rurſus in regnum reſtituerentur, clauſis urbis portis praecipuos ex omnibus ordinibus viros convivio a ſe acceptos populo adſtante et trepidante ad XCIII obtruncari jubet, relictis ante praetorium ad horrorem per triduum cadaveribus. Stenonis ipſius corpus terrae paulo ante mandatum novi tyranni juſſu effoditur, et cum reliquis crematur. Viduae denique et filii interſectorum bonis ſpoliantur. Ita Stocolmia profectus cum multa ſaeve in multos paſſim perpetraſſet, incolis ad facti famam ad XXX millia cum armis accurrentibus, ipſe per devia et ſilvas noctu potius quam interdiu iter faciens in Daniam vix tandem revertitur; ubi tot caedibus efferatus, cum ne ſuorum quidem ſanguine cruentam ſitim reſtinguere poſſet, a Friderico patruo [a] Holſatiae principe et [b] Lubecenſibus bello petitus, terrente conſcientia, cum uxore Iſabella Caeſaris ſorore et liberis in Zelandiam profugit, tertio poſt Stocolmienſem lanienam anno, qui fuit hujus ſaeculi XXIII. Interea Guſtavus Erici filius, qui e manibus Dani evaſerat, ſpecie procurandorum Chriſtinae Stenonis
CIↃIↃXXXVII. viduae negotiorum, Stenonis filia in uxorem accepta, procerum favore ac Lubecenſium imprimis opibus, regni vacui poſſeſſionem adeptus eſt. Is poſtea religionem majorum antiquavit, et Lutheri doctrinam ſuſcepit. In Dania Chriſtierno ejecto, Fridericus patruus vir gravis ab ordinibus regni coacto concilio rex declaratur. Cumque rex exul de rebellione et injuria apud Caeſarem quereretur, Fridericus et Lubecenſium civitas, cujus iis locis potentia et auctoritas maxima eſt, communi ſcripto reſponderunt, et graviſſimorum criminum contra Chriſtiernum accuſationem apud pontificem et imperii principes inſtituerunt: ad quae poſtea Corn. Scepperus nomine Chriſtierni contrario reſponſo, quod etiam nunc extat, reſcripſit; quo inter alia continetur, Leonem X poſt Stocolmienſem caedem miſſo legato Joanne a [c] Potentia [β] cardinali, legitime inquiſitione facta, nihil a Chriſtierno praeter jus factum eſſe pronunciaſſe. Cum nihil ea ratione proficeretur, tentata via armorum; ſed irrito ſucceſſu,

Caeſare

VAR. LECT. [α] quadriennio poſt *deſunt* P. [β] cardinali *deeſt* P D.

INTERPR. [a] *duc de Holſtein.* [b] *ceux de Lubec.* [c] *Potenza.*

Caeſare bellis Gallicis implicato. [α] At vir admodum ſaevus, exilii et otii impatiens, novennio poſt ope Caeſaris claſſe comparata, belli aleam rurſus tentavit; ſed adverſo numine et certantibus contra ventis, per naufragium majore claſſis amiſſa parte victus, ac poſtremo vivus in patrui manus devenit, amiſſo eodem tempore filio in comitatu Caeſaris, ne quid reliquiarum tam immanis tyranni ſupereſſet, in quo paterni ſceleris exemplum metui poſſet. Quadriennio poſt mortuo Friderico Chriſtianus III filius ſucceſſit, qui [a] Haſnia capta, cum ſibi a patruele, quem captivum tenebat, timeret, cum vicinis principibus et civitatibus foedera renovavit: et quia duas filias ex Iſabella ſuſceperat Chriſtiernus, Dorotheam et Chriſtiernam, quarum prior Friderico Palatino, altera Fr. Sfortiae primum, dein Fr. Lotharingo duci nupſit, Chriſtianus, qui ſciret Palatinum a Caeſare ſolicitari, ut bellum pro [β] ſoceri liberatione et regni recuperatione ſuſciperet, opus ſibi eſſe amicitia Gallorum judicavit, perque Clivenſem egit, ut in foederis cum Franciſco contra Caeſarem initi ſocietatem reciperetur.

XIX. In Germania longe diverſi motus animorum erant, diſtrahente mentes hinc religionis fervore, hinc privata multorum libidine; et inter haec graſſante Caeſaris, et nutante pontificis, cujus auctoritas in dubium revocabatur, fortuna. Nam cum [praefervida] Leonis X ſeveritate irritatus Lutheri animus omnino ſe ab eccleſia Romana ſeparaſſet, plerique per Germaniam, qui ab eo admoniti multa non in diſciplina ſolum, ut aiebat, ſed etiam in doctrina, ſacerdotum ambitione et avaritia introducta corrigi debere cenſebant, cum Luthero pariter ſeceſſionem fecerunt. Inter principes praecipui fuere Fridericus III [b] Saxo ſeptemvir, qui ſapientis elogio inter ſuos poſteritati commendatus eſt; ac poſt eum Joannes frater, qui confeſſionem fidei Carolo V [c] Auguſtae exhibuit, anno hujus ſaeculi XXX; poſtremo ex eadem familia Joannes Fridericus, Georgius Brandeburgicus, Erneſtus et Franciſcus [d] Luneburgici, Philippus [γ] [e] Heſſiae princeps, Wolfangus Anhaltinus, Philippus Pomeraniae princeps, Ulricus Wirtembergicus, Albertus Mansfeldius. Ii anno ante confeſſionem exhibitam contra decreta [1] Ratiſponae primum, dein Spirae de religione facta, quod iis libertatem ſuperiori conventu permiſſam impediri dicerent, proteſtati ſunt: unde Proteſtantium nomen, quod ad omneis poſtea, qui eorum, quae perperam in religionem invecta ſunt, emendationem amplecti ſe profeſſi ſunt, ob idque [δ] ab eccleſia Romana defecere, [ε] dimanavit. Iis ſe adjunxerant multae civitates non per Saxoniam tantum, ſed et in ſuperiori Germania; [f] Argentina, [g] Norimberga, Ulma, Conſtantia, [h] Rotelinga, [i] Vinſemium, [k] Meminga, [l] Lindavia, [m] Campodunum, aliae: a quibus [n] Smalcaldiae in finibus Thuringiae icto foedere in L annos, ſi quem pro religione periclitari contingeret, mutua auxilia communicata et promiſſa ſunt. Quin et Auguſta haud multo poſt Lutheri doctrinam amplexa eſt: et in Bohemia Picardi qui dicuntur, Ferdinando Caeſaris fratri, qui mortuo Ludovico ſororio in regnum ſucceſſerat, dum conventus Pragae haberet, libellum obtulerant: necnon et Auſtriae quidam proceres, ipſaque civitas Vienna regionis metropolis: [o] Carni denique et Stirii,

ut

P. D. o. f. [*praecipiti et inconſiderata*]

VAR. LECT. [α] Verum ſaevus vir, exilii *P. D.* o. f. d.
[β] Vitrici *P. D.* o.
[γ] Langravius princeps, *P. D.* o. f.
[δ] a R. E. *P. D.* o. f. d.
[ε] ab ea origine dimanavit *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Copenhagen.* [b] *electeur de Saxe.* [c] *Augsburg.* [d] *de Luneburg.* [e] *Landgrave de Heſſe.* [f] *Strasburg.* [g] *Nuremberg.* [h] *Reutlingen.* [i] *Winſheim.* [k] *Memmingen.* [l] *Landau.* [m] *Kempten.* [n] *Smalcalde en Thuringe.* [o] *gens de Carinthie & Stirie.*

NOT. [1] Sleidan lib. 6. marque, qu'il y eut une diete indite à Ratisbone au 18 May 1527: mais il dit, qu'il ne s'y fit rien. C'eſt pourquoi je voudrois lire *contra decreta Spirae de religione facta*, & effacer ces mots *Ratiſponae primum, dein* Put.

ut decreti nuper pro religionis libertate facti beneficium ſibi impertiretur. Contrà Albertus Moguntinus ſeptemvir, Georgius Saxo Joannis patruelis, et Baioari fratres Willelmus et Ludovicus, Lutherum et Lutheri ſectatores impenſe exagitabant; inſtigante eos praecipue Henrico Brunſvico, qui tot incendiorum per Saxoniam excitatorum apud Caeſarem accuſatus fuerat a Proteſtantibus: quibus et ſe conjunxerat Willelmus Henrici frater ab eo miſerabiliter diuturno carcere vexatus. Sed Baioari poſtea, quod Ferdinandi in regem Romanorum renunciationem improbarent, inito cum Gallo, Saxone, Heſſo contra Caeſarem clandeſtino foedere, multum de odio priſtino remiſerant. At Ludovicus Palatinus et Joachimus Brandeburgicus ſeptemviri, quamvis hic Lutheri doctrinam ſequeretur, idque libro edito palam profeſſus eſſet, Caeſarianas parteis aperte tuebantur, pacis et concordiae ſemper ſtudioſi. Hermannus archiepiſcopus Colonienſis ex illuſtri [a] Wedenſium comitum familia et ipſe ſeptemvir jamdudum a pontificia religione abhorrebat, et concilium [α] ſuis ipſiuſmet auſpiciis celebratum repudiabat; eaque de cauſa Caeſari inviſus, et a pontifice tandem proſcriptus eſt. Ricardus autem Trevirenſis, qui electioni Caroli adverſatus fuerat, et propter prudentiam rerumque uſum magnae inter ſeptemviros auctoritatis ſempet habitus fuit, ſub id tempus non ſine ſuſpicione veneni deceſſerat. Ita diſſidentibus animis, tamen motus multi communi
CIↃIↃXXV. opera repreſſi; ruſticorum primo, qui diverſis in locis fuſi, dein ductu Thomae Munceri turbulenti concionatoris, qui aeque Luthero et Pontificiis infeſtus ſimpliceis animos ad ſeditionem efferebat, rurſus collectis viribus inſurrexerant: fuſi ergo ac poſtremo omnino deleti ſunt, virtute praecipue [β] [b] Heſſi. Majus periculum et labor fuit [γ] decennio poſt in obſidione [c] Monaſterii, quod Anabaptiſtae in Weſtphalia occupaverant, expulſoque epiſcopo et magiſtratu novam ac prodigioſam non ſolum in religione, ſed et in civili adminiſtratione rationem inſtituerant. Rex ab iis Joannes [d] Lugdunenſis ſarcinator Batavus creatur; qui omninm bonorum communionem, et plureis uxores in commune etiam habendas, coelitus, uti jactabat, infuſa doctrina miſeros homines docebat. Haec cum plebe et inſaniente vulgo acta. Quod vero inter epiſcopum [e] Hildeſemienſem et Ericum
CIↃIↃXIX. Brunſvicum bellum ſtatim a morte Maximiliani geſtum eſt, eo facilius compoſitum fuit interventu Friderici Saxonis, (is tunc imperii vicarius [δ] in Saxonicis provinciis) quod illud ab Henrico Luneburgico Franciſci partibus favente, ut Carolum Auſtriacum, quo minus Caeſar crearetur, impediret, ſuſcitatum crederetur. Nec periculoſius, quamquam majoris molis bellum fuit, quod eodem tempore Ulrici Wirtembergici cauſa a conjunctis foedere [f] Suevico principibus et civitatibus ſuſceptum eſt. Nam cum [ε] is exorta plebis ob tributa impoſita tumultuantis ſeditione, in factioſos ſevere nimis animadvertiſſet, et arma, ut ſuorum furorem reprimeret ſumpta, tandem in vicinos et [ς] Rotelingos vertiſſet, foederati, ut injurias ſociorum ulciſcerentur, communeis copias in Ulricum duxerunt, et eum omnibus iis, quae trans Rhenum poſſidebat, ſpoliaverunt. In ea ſibi jus Auſtriaci eſſe dicebant: Itaque cum imperium ad Auſtriacos rediiſſet, et Ferdinando in dividenda hereditate bona omnia, quae in Germania ſita ſunt, obveniſſent, Ulricus cedere tempori coactus [g] Montem-Pelicardi ſuae ditionis oppidum cis Rhenum ſeceſſit. Ibi eo uſque ſe continuit, donec exoleſcente foedere Suevico, et

VAR. LECT. [α] ſuis *deeſt* *P. D.* o. f.
[β] Lantgravii *P. D.* o. f.
[γ] decennio poſt *deſunt* *P.*
[δ] in Saxonicis provinciis *deſunt* *P. D.* o. f. d.
[ε] is imprudentiuſne an crudelius non dicam exorta *P. D.* o. f.
[ς] Rodelingos *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *de Weda.* [b] *Landgrave de Heſſe.* [c] *Munſter.* [d] *de Leyden.* [e] *Hildeſheim.* [f] *de Sueve* ou *Souabe.* [g] *Montbeliard.*

et in belli Turcici apparatibus occupato in [a] Pannonia Ferdinando, ab [b] Heſſo, et Baioaris fratribus, quorum ſororem in matrimonio habebat, proſpera ad [c] Lauſanum commiſſa pugna in avitum patrimonium reſtitutus eſt. Cum Franciſcus, qui Ulrici cauſa faveret, cum neque milite neque pecunia, id quippe Cameracenſi foedere cautum erat, juvare poſſet, via inventa eſt, qua Ulricus oppignerato pro LX millibus aureorum [d] Montis-Pelicardi oppido, quod mox confecto bello luit, pecuniam in ſumptus belli a Gallo acciperet. Tandem de ea re per Saxonem Heſſi et Wirtembergici nomine cum Ferdinando tranſactum eſt, duris admodum pro tempore, uti Wirtembergico videbatur, conditionibus. Graviſſimum omnium bellum fuit, quod Henrico Brunſvico a Smalcaldicis illatum eſt; nempe magni illius, quod ab ipſo tandem Caeſare totis viribus contra Proteſtanteis [α] ſuſceptum eſt, triſte prooemium.

XX. Cui malo ut obviam iretur, decretum fuerat [e] Norimbergae, ut de Caeſaris voluntate pontifex primo quoque tempore liberum in Germania concilium loco idoneo indiceret, ex cujus ſententia exorta de religione diſſidia amice et pie componerentur: idem actum et poſtea Spirae [β] inſtigatu Proteſtantium. Quod unice reformidabat Clemens, qui quantum ex diſciplinae emendatione auctoritatis et ornamenti eccleſiae accederet, tantum de amplitudine et poteſtate ſua detrahi exiſtimabat: tandem ab invito id extortum eſt, poſtquam capta Florentia, et dominatione Mediceae domus in ea ſtabilita, inſtanti Caeſari honeſte amplius denegare non potuit: ſed cum rem in longum miris ludificationibus extraheret, onus ſucceſſori reſervatum, morte praeventus, impoſuit. Itaque concilium Mantuae primum a Paulo III indictum, dein renuentibus Proteſtantibus [f] Vicentiam tranſlatum eſt: cum ne in eum quidem locum conſentirent Germaniae principes, poſtremo [g] Tridenti, quae civitas eſt in Germaniae et Italiae finibus ſita, celebrando concilio locus aſſignatus fuit. Sed dum in eo negotio ambitioſe et aſtute nimis multi verſantur, ac plus humanis conſiliis in re, quae ad Dei gloriam ſpectat, quam gratiae divinae tribuitur, graſſanti ſeparationis malo ſerius, quam par fuit, adhibitum eſt remedium.

XXI. Nam jam Helvetiorum major pars ex eadem occaſione, qua Lutherus, auctore Ulrico Zuinglio, ab eccleſia Romana deſciverat; et quamquam eodem tempore Lucernae pontificia auctoritas confirmata fuiſſet, omnem operam dante epiſcopo [h] Conſtantienſi, ne quid de antiqua religione temere immutaretur, nihilominus [i] Tigurini, qui itidem ſacrae Conſtantienſi juriſdictioni ſubſunt, publico decreto ſtatuas per omnia templa abolent, ac tandem Eid. Apr. anno hujus ſaeculi XXV, ſolenne, quod quotidie celebratur, ſacrificium communi conſenſu abrogant. Initio res ratione et pacate inter [k] Duodecim-pagos agi coepta: et inſtituta [l] Badenſis diſputatio, cui interfuerunt Conſtantienſis, [m] Baſilienſis, [n] Curienſis, et [o] Lauſanenſis epiſcoporum legati, inter Eccium, Fabrum et Murnerum theologos; Zuinglio et Joanne [γ] Oecolampadio ſcripto tantum reſpondentibus, quod de loco ſibi non ſatis cautum eſſe contenderent. Biennio poſt Bernates ad idem certamen epiſcopos provocaverunt, et publicatis quibuſdam de religione decretis Pontificium cultum omnino antiquant, foederique cum Gallis inito, Tigurinorum monitu et exemplo

VAR. LECT. [α] de religione ſuſceptum eſt *P. D. o. f.* [β] inſtantibus Proteſtantibus *P. D. o. f. d.* [γ] Oecolampadio, qui Auguſtae Rauracorum docebat, ſcripto *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *le landgrave de Heſſe, & les ducs de Baviere.* [c] *Lauffen.* [d] *Montbeliard.* [e] *Nuremberg.* [f] *Vicenza.* [g] *Trento.* [h] *de Conſtance.* [i] *ceux de Zurich.* [k] *les Cantons Suiſſes.* [l] *Baden.* [m] *de Baſle.* [n] *de Coire.* [o] *de Lauſanne.*

exemplo renunciant. [a]Quinque-pagici maxime adverſabantur, a Ferdinando et pontifice ſtimulati, et contumelioſis verbis contentionem exacerbabant. Fruſtra ſaepius tentata pax, Galliae regis, qui ſummum in Helvetiorum concordia ſibi praeſidium eſſe merito exiſtimabat, [b]Claronenſium item, [c]Soloturiorum, [d]Sangallorum, [e]Mulhuſenſium et [f]Appecellenſium interventu: tandem ad arma ventum eſt; commiſſaque anguſto loco pugna v Eid. Oct. anno CIƆIƆXXXI, [g]Tigurini vincuntur, ipſe Zuinglius in primis ordinibus fortiter pugnans occubuit. Religioni tributum a Tigurinis et qui cum illis ſtabant, quod cadavere flammis ab hoſtibus tradito cor exuri non potuerit: cum [α]tamen conſtet, in quibuſdam corporis humani partem eſſe quandam, in quam nihil ignis poſſit, ſicut de majore dextri pedis articulo Pyrrhi Epirotarum regis memoriae proditum eſt, qui corpore rogo de more abſumpto una cremari non potuit: adeo turbatis odio aut amore animis, ut fit in religionis diſſenſionibus, pro ſe quiſque omnia ſuperſtitioſe interpretatur. Ea ſtrage minime ſtacti Tigurini, ſummiſſo a [h]Bernatibus, Baſileenſibus, et Scafuſianis auxilio, denuo proelii aleam ſubeunt; in quo rurſus vincuntur, ſed clade utrinque accepta: ita cum utramque partem furoris taederet, ac poeniteret, de pace inter ipſos facile convenit his conditionibus, ut Tigurini et ſocii a foedere cum [i]Heſſo et [k]Argentinenſibus nuper inito diſcederent; Quinque-pagici viciſſim Ferdinandi amicitiae renunciarent. Ab eo tempore, quantumvis creſcente religionis diſſidio, ab inteſtinis bellis Helvetii quieverunt.

XXII. Jam in Pruſſia quoque, quae et Boruſſia, ex ea occaſione ſtatus religionis mutaverat. Ea regio, quae trans Viſtulam ad mare Balticum porrigitur, Teutonicorum equitum ordini ſub Henrico VI Friderici [l]Ahenobarbi filio inſtituto olim paruit: ſed cum ejus clientelam Poloniae reges ſibi vindicarent, ut quae extra Germaniae limitem ſita ſit, et Sarmatiae Europaeae finibus includatur, Germani contra imperatores ad ſe pertinere contenderent, diu bellis certatum eſt: tandem Teutonici equites magno proelio victi fidem Caſimiro Sigiſmundi I parenti per jusjurandum dederunt. Sed cum Albertus Brandeburgicus Sigiſmundi ſororis filius ordinis magiſter ſtare praedeceſſorum jurijurando nollet, rurſus gravi bello ſe implicuit: cui gerendo cum auxilia a Caeſare et Germanis, quorum de majeſtate et jure agebatur, fruſtra expectarentur, induciis, quantum potuit, extracto tempore, poſtremo omni ope deſtitutus, imminentem belli procellam, pace cum avunculo contracta, in occaſionem ſibi privatim conſulendi vertit: nam ex ordinis magiſtro a Polono, cujus ſe clientelae credidit, Pruſſiae dux creatus eſt, ſtatimque mutata religione voti vinculum ſolvit, ducta uxore Dorothea Friderici I Daniae
CIƆIƆXXV. regis filia, et provinciam, quam antea uſusfructus tantum titulo obtinebat, jure proprietatis poſſidendam ad heredes tranſmiſit. In Polonia amiſſo praeſidiariorum perfidia [m]Smoleneho, quod eſt oppidum trans [n]Boryſthenem in confinibus regnorum ſitum, Sigiſmundus, qui Vilnam uſque proceſſerat, ut Baſilium [o]Moſcovitatum regem hac expeditione triumphantem reprimeret, [p]Orſenſi victoria penſato damno domi quieſcebat, princeps de Tataris toties victor, et vicinis ac Solimano ipſi formidoloſus; alioqui pacis et concordiae amans, et ab omni ambitione atque alieni invadendi cupiditate alienus; quippe qui regnum Daniae ejecto Chriſtierno oblatum recuſaverit, et Ludovico fratris filio mortuo, Hungarorum vota modeſta excuſatione fruſtratus ſit.

XXIII. In

VAR. LECT. [α] tamen *deeſt* *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *les cinq petits Cantons.* [b] *Glaris* [c] *Soleurre.* [d] *St. Gall.* [e] *Mulhauſen.* [f] *Appenzel.* [g] *ceux de Zurich.* [h] *ceux de Berne, Baſle & Schaffhouſe* [i] *landgrave de Heſſe.* [k] *ceux de Strasbourg.* [l] *Barbaroſſa.* [m] *Smolensko.* [n] *Nieper.* [o] *grand duc de Moſcovie.* [p] *bataille d'Orſſa.*

XXIII. [α] In [a] Pannonia longe pejore loco res erant. Nam Ludovicus Ladiſlai
filius, Caſimiri nepos, cum juvenis admodum patri ſucceſſiſſet in regno procerum
diſcordiis lacerato, Belgradum in confluenti Danubii et [b] Savi arcis inſtar munitum
oppidum oppugnantibus Turcis, neque ſe gnaviter defendentibus Chriſtianis, facile
amiſit. Hoc experimento fretus Solimanus, cum digladiantibus inter ſe Chriſtianis
commune periculum negligi animadverteret, cum potentiſſimo exercitu in Pan-
noniam deſcendit; commiſſoque ingenti proelio ad [c] Mugatium, in quo ipſe CIↃIↃXXVI.
Ludovicus XXII annum agens ſuorum temeritate periit, victor Budam provinciae
regiam et multa alia oppida nullo negotio cepit. Cum imagines Ludovici de-
mortui et Mariae uxoris contemplaretur, illachrimaſſe ferunt barbarum, etiam in
tanta victoria humanae conditionis memorem, quod rex in illa florenti aetate
pravorum conſultorum impulſu ſe in tam apertum exitium praecipitem dediſſet:
quippe non eo conſilio ſe veniſſe dicebat, ut regem paterno regno exueret, ſed
ut Hungarorum inſolentiam refraenaret, et ipſum beneficiarium Othomanici imperii
efficeret. [d] Joannes Zapolia Daciae princeps, Vaivodam vocant, auxilio veniebat:
ſed ante adventum conſerta pugna, in eaque mortuo rege et occiſo Georgio fratre,
ex occaſione conſilium capiens de regni adeptione cogitare coepit; magnoque
procerum favore acceptus [e] Albae-regali coacto regni concilio rex creatur. Peractis
de more ceremoniis, qua potuit proceres liberalitate devinxit; imprimiſque Joannem
Emericum [f] Cibacum, quem [g] Varadinenſi pontificatu ornavit, et Daciae principem
conſtituit. At Ferdinandum, qui multis nominibus Hungariae regnum ad ſe per-
tinere contendebat, tum vel maxime, quod Annam defuncti Ludovici ſororem in
uxorem duxerat, non defuerunt ex Hungariae proceribus, qui erga Joannem
minus bene affecti ad arma pro regni vindicatione ſumenda ampliſſimis pollicita-
tionibus incitarent: nec promiſſorum fidem eventus fruſtratus eſt. Nam Joannes,
poſt infelicem pugnae [h] Toccaienſis exitum, univerſo regno exutus, in [i] Sarma-
tiam ad veteres amicos confugere eſt coactus. Ferdinandus victor Albae-regali
convocatis regni ordinibus rex viciſſim ſalutatur, et regia corona ornatur. Joannes,
ne quid inexpertum relinqueret, Hieronymum [k] Laſcum magnae nobilitatis et
auctoritatis virum Conſtantinopolim mittit, qui de injuria apud Solimanum ex-
poſtulet et auxilium ab eo petat, ſeque et regnum Othomanici ſceptri clientelae
ſubjiciat. Solimanus eam gloriae et amplificandi imperii occaſionem idoneam
nactus, tertio in Pannoniam deſcendit, reſtitutoque in regnum Joanne caſtra ad
Viennam promovit, qua irrito conatu oppugnata, gnaviter defendente civitatem
Philippo Palatino, tandem ab obſidione diſcedere coactus eſt; et relicto in Hun-
garia Aloiſio Gritto, cui omnem auctoritatem attribuerat, Conſtantinopolim jam
appetente hieme triumphanti ſimilis ingreditur. Joannes etſi a Turca in regno
confirmatus, tamen cum potentiam Caeſaris reformidaret, tutius fore duxit, ſi cum
Ferdinando paciſceretur: ſed morte praeventus, relicto filiolo ex Iſabella Sigiſmundi
filia, uxori et [1] fratri Georgio, quem paulo ante mortem, occiſo Cibaco ſummo
Aloiſii Gritti et [l] Daciae nec impunito ſcelere, Daciae praefecerat, adminiſtra-
tionem regni ac filii tutelam commiſit. Verum cum Ferdinandus rurſus pupillo
indicto bello, [m] Rocandulfum cum potenti exercitu ad Budam oppugnandam
miſiſſet, caeſo exercitu et duce ipſo interfecto, rurſus Turci magno florentiſſimi
regni detrimento rerum in eo potiti ſunt. Solimanus ipſe Budam venit, atque
inde

VAR. LECT. [α] At in P.

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *la Save fl.* [c] *Mohacz.* [d] *Jean Zapols,* al *Sepuſe, vaivode de Tranſilvanie.* [e] *Stul-Weiſſenburg.* [f] *Cibaco.* [g] *Waradin.* [h] *Tockay.* [i] *Pologne.* [k] *a Laski.* [l] *Dacia.* [m] *Rocandolf.*

NOT. [1] Dele *fratri*: lege *Georgio Martinuſio monacho.* *Put.*

inde Iſabellam et filiolum expulſos in Daciam ablegavit, captumque [a] Mailatum, qui mortuo Joanne Daciae princeps a provinciae proceribus ſalutatus fuerat, [α] diſcedens ſecum abduxit. Sed cum fruſtra Ferdinandus cum Solimano egiſſet, ut iiſdem conditionibus, quae Joanni impoſitae fuerant, beneficio ſuo regnum acciperet; exortaque inter tutores diſſenſione, regina Georgii faſtum non ferens de eo apud Turcam queſta eſſet; Ferdinandus opportunitate data clam Georgii animum tentare coepit: nec homo ambitioſus et ſuſpicax nimis ſe difficilem oblatis conditionibus praebuit; ſed cum modo in has, modo in illas parteis inclinaret, neutrique propterea fidem ſuam approbaret, iis ſe difficultatibus implicuit, quae ei poſtremo exitium attulerunt. Sed haec quoniam in noſtra tempora incidunt, ſuo ordine et loco deſcribenda reſervamus.

XXIV. Nunc quando de Solimano dicere incepimus, ratio exigit, ut de Turcicis rebus, quae explicanda ſuperſunt, perſequamur. Is ergo cum eodem anno ac ferme menſe, quo Carolus renunciatus eſt imperator, patri Selimo ſucceſſiſſet, Gazellem, qui a Tomombeio Aegypti Sultano nuper, fortuna cum [β] deſerente, defecerat, per Syriam Mamaluchorum reliquias colligentem ſtatim auſpiciis regni prope Damaſcum oppreſſit: inde in Europam reverſus Belgradum, uti diximus, cepit: poſtea Rhodum Hieroſolymitanorum equitum ſedem longa obſidione ad extremam neceſſitatem redactam, cum jam diſceſſurus eſſet, proditione Hiſpani in deditionem accepit: factiſque deinceps crebris in [b] Pannoniam expeditionibus ex conſilio Hebraimi [c] purpuratorum principis, qui haud dubie Chriſtianis favebat, arma victricia in orientem contra [γ] Tecmaſem Sophum tranſtulit, et [d] Meſopotamiam omnem atque [e] Aſſyriam nullo negotio occupavit; et [f] Babylone a Calipha rex coronatus, [g] Tauriſium, quod veniens intactum reliquerat, rediens diripuit. Sed tantam laetitiam clades in itinere accepta in luctum vertit. Nam Dalimenes cum Perſici exercitus parte abeunteis ſubſecutus ad XX CIↃ hominum ad Tauri CIↃIↃXXXV. radices cecidit III Eid. Oct. et in his [δ] praetorianos, quos vulgo vocant Janizeros, praecipuum Turcicae potentiae robur. Ea ſtrages poſtea Hebraimi, qui ſuſcipiendi belli auctor fuerat, morte expiata eſt. Feliciores Turcarum in Europa ſucceſſus fuere; in qua tamen nonnulla interdum adverſa ſunt experti, Corone, [h] Pylo, [i] Methone et [k] Nauplia urbibus maritimis in [l] Peloponneſo amiſſis, quas deinde redintegratis inter nos diſcordiis Solimanus recuperavit; Coronem tamen ſerius, quam egregia praeſidiariorum Hiſpanorum virtute ſaepius defenſam, ad extremum peſte graſſante deſertam occupavit. In adverſis et numerari poteſt Caeſaris in expeditione [m] Tunetana glorioſus et felix ſucceſſus, quo Mule-aſſem expulſo Hariadeno [n] Ahenobarbo in regnum reſtituit: ſed tantam felicitatem accepta ad Algeriam clades itidem in Africa VIII annis poſt penſavit; quamvis eam multi non omnino praeter opinionem Caeſaris accidiſſe velint, rati minore virium et famae diſpendio ſe cum ventis et tempeſtatibus conflictaturum, quam ſi cum Solimano in Pannoniam cum maximis copiis adventante, quibus ſe parem fore deſperabat, omnium fortunarum uno praelio aleam ſubiiſſet. Quam tamen calamitatem evitare non potuit, irrita et infelici expeditione anno ſequenti in Pannoniam, ut Germanis principibus ſatisfaceret, ſuſcepta: in qua, ne tantum diſcrimen adire cogeretur, ante oculos [o] Strigonium et [p] Albam expugnari et diripi a Turcis paſſus eſt, et ſeditione ſolemni inter milites Hiſpanos orta, in Italiam pudore

VAR. LECT. [α] inde diſcedens *P. D. o. f.* [β] deficiente *P. D. o. f. d.* [γ] Thamum *P.* [δ] praetorianos quos vulgo vocant *deſunt P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Mailat.* [b] *Hongrie.* [c] *premier Viſir.* [d] *Diarbequir.* [e] *Cuſſeſtan.* [f] *Bagdat.* [g] *Tauris.* [h] *Navarrin.* [i] *Modon.* [k] *Napoli di Romagna.* [l] *la Morée.* [m] *de Tunis.* [n] *Barbaroſſa.* [o] *Gran.* [p] *Stul-Weiſſenburg.*

pudore et moerore confuſus rediit. Ita divino conſilio proviſum arbitror, ut tot magni principes eodem tempore orbem terrarum moderarentur, ut quiſque eorum aemulatione aut metu aemuli in officio ſe contineret, et alterius virtus contraria alterius virtute, quo minus licentioſa evagatione ſe effunderet, inhiberetur.

XXV. Nunc ad Italiam tandem deventum eſt, quae victoris veluti praemium inter duos potentiſſimos principes jacebat, et in qua praecipue, tanquam in theatro, anceps et dubii eventus ſuperioris temporis fabula acta eſt. Ac Veneti quidem, poſtquam Gallorum beneficio ſe periculoſo juxta et damnoſo contra Maximilianum bello explicuerunt, nunc in has, nunc in illas parteis propenſi, neceſſitate foederum potius quam conſilio, pro imperii conſervatione et libertate Italiae certabant; Gallicis tamen partibus aequiores, quod e re et ſua et Italiae exiſtimarent, creſcentem in dies Caeſaris potentiam, ſuſtentata Franciſci tot cladibus afflicti fortuna, debilitari. Itaque foedere [α] pro Sfortiae reſtitutione et filiorum Franciſci liberatione poſt [a] Cameracenſem pacem ſoluto, Ravenna pontifici, oppidiſque quae in Apulia tenebant Caeſari redditis, ad omneis caſus intenti domi ſe continebant. At Genuenſes ejectis [b] Fulgoſiis et libertate parta, a praeteritis damnis et calamitatibus aliquantum reſpirabant, Andreae [c] Auriae beneficio, qui ſubitae et intempeſtivae defectionis a Gallis invidiam, charitate et tanta in patriam collata gratia facile excuſavit: partibus tamen illi Caeſarianis addictiores, quod Auriae, qui Caeſari militabat, libertatem debebant, quae initio dulcis et jucunda, tractu temporis ipſis in acerbam et triſtiſſimam ſervitutem Hiſpanicis artibus vertit. [d] Senenſes vero, qui [e] Petrucciis a reipublicae gubernatione remotis populari dominatione regebantur, et occultas cum Florentinis ſimultates exercebant, jam ab illo tempore, quo Piſani contra Florentinos pro libertate certantes [f] Genuenſium Senenſium et Lucenſium opibus ſuſtentabantur, initio ſuſtulerant animos, Jo. Bapt. [g] Palmerii impulſu, qui detecta conjuratione civeis ſuos contra Clementem et Florentinos adeo efferaverat, ut ab [β] injuriis non temperarent. Inde ſequuta mox obſidione urbis, quae magno hoſtium damno et dedecore, deleto paene exercitu et amiſſis tormentis, ſoluta eſt, elatiores redditi; adhaec Caeſaris cum pontifice diſſidentis opibus confirmati jam in apertas inimicitias eruperant. Sed cum poſtea Caeſar, pace cum Clemente facta et Florentia capta, ſtatum reipublicae ex ſententia pontificis ordinaſſet, Senenſium ſpiritus paulatim infringi et libertas labefactati coepit; quod ſibi ex principis arbitrio pendere neceſſarium providerent, qui voluntates et conſilia mutare cum fortuna ſolitus eſſet; quod poſtea ſuo periculo verum eſſe didicerunt. Florentinorum ergo rebus ita conſtitutis, ut ſummum imperium penes Mediceos eſſet, Alexander Laurentii Urbini ducis [γ] naturalis filius civitati gubernator perpetuus imponitur: cui mox, fruſtra eum accuſantibus apud Caeſarem civibus, quod contra praeſcriptum ab ipſo ordinem rempublicam adminiſtraret, Caeſar Margaritam naturalem filiam in matrimonium tradidit: qua tanta affinitate mixus, injecto optimatibus metu omnia deinceps, quamdiu vixit, pro libidine moderatus eſt. Inde non ſolum civium, ſed et ſuorum tantum in ſe odium concitavit, ut etiam Laurentius Alexandro in principatu proximus, et intima familiaritate ac multis beneficiis conjunctus, pro patriae libertate in ipſum conjurare non dubitaverit: ſed facinore perpetrato Laurentius attonitus, et conſilii, quod de populo ad libertatem vocando ante ceperat, oblitus,

clam

VAR. LECT. [α] pro Fr. Sfortiae *P.* [γ] nothus *P. D. o. f.*
[β] injuriis apertis *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *de Cambray.* [b] *les Fregoſes.* [c] *Doria.* [d] *ceux de Siene.* [e] *Petrucci.* [f] *ceux de Genes, de Siene & de Lucques.* [g] *Palmieri.*

clam noctu ex urbe profugit, nemini re detecta: quo factum eſt, ut antequam Alexandri mors evulgaretur, Mediceae factionis principes reipublicae conſtituendae et rebus [α] in urbe ordinandis ſatis habuerint temporis. Igitur interfecto principe proximus ex familia Medicea Coſmus tunc circiter XVI annos natus, excluſo Laurentio, qui propter parricidium indignus tanta ſucceſſione habitus eſt, inſperato
CIↃIↃXXVI. fortunae beneficio dux creatur. Coſmus is Joannis filius fuit, qui ante XI annos ad vicum, cui [a] Burgo-fortio nomen, in agro Mantuano, cum levis armaturae equitibus praefectus eſſet ſub Fr. Maria [b] Urbini principe foederatorum exercitus duce, levioris tormenti ictu in femore accepto paulo poſt Mantuae deceſſit; [β] ad S. Dominici cum honorifico elogio ſepultus; ferox natura juvenis; vix enim annos XXVIII attigerat, ſed qui induſtriae et fortitudinis jam magnum ſpecimen dederat, ut ſi ad maturiorem aetatem perveniſſet, procul dubio in maximum et praeſtantiſſimum militiae ducem evaſurus crederetur. Uxorem duxerat Mariam [c] Salviatam genere et moribus nobiliſſimam foeminam, ex qua Coſmus natus, qui diſſuadente quantumvis pia et generoſa matre, ut quae patriae bene vellet et filio metueret, oblatum principatum capeſſere non dubitavit: quem tanta felicitate geſſit, ut pluſne fortunae an induſtriae ipſius tribuendum ſit difficile ſit dicere: nam reipublicae optimates a Clemente et Alexandro urbe exacti, qui principis morte in ſpem recuperandae libertatis erecti [d] Montemurli convenerant, adeo exiguo comitatu, quaſi ab hoſtibus tunc vicinis nihil metuendum eſſet, capti fere ſimul omnes nullo negotio in ejus manus venerunt; et mox [e] Octovirorum judicio ad mortem damnati ſunt. Hoc metu liberatus Coſmus benevolentiam Caeſaris, in cujus clientela poſtea conſtantiſſimus fuit, fide et obſequio demereri, et pontificis infeſtiſſimi aſtus eludere, atque arcis tam civitatis quam aliarum reipublicae urbium, innata ſupra annos prudentia et patientia, in poteſtatem facile redigere; non item Margaritam Alexandri viduam a Caeſare uxorem impetrare potuit, magno potentiae firmandae praeſidio futuram, quae Octavio pontificis nepoti a provido et callido patre, qui jam ſatis amplo beneficio Coſmum ſibi obſtrictum exiſtimabat, reſervata eſt: ſed Hellonoram [f] Petri Toletani, qui tunc Neapolitani regni praeſes erat, filiam de voluntate Caeſaris uxorem duxit, ut hoc novo adfinitatis vinculo partibus Caeſarianis addictior efficeretur. Haec novi ſed potentiſſimi tota hodie Italia imperii in ea familia confirmati primordia fuerunt. Antiquiſſimae longe et illuſtriſſimae Ateſtinorum ſive Eſtenſium domus diverſum fatum fuit; quae a pontificibus, qui Mediceam in tantam magnitudinem evexerunt, eodem tempore paene peſſundata et oppreſſa eſt. Nam Alfonſus, qui, ut rerum ſuarum ſaluti conſuleret, Lucretiam Alexandri VI filiam uxorem duxerat, cum Julium II multo capitaliorem hoſtem expertus eſſet, amiſſa [g] Mutina et Regio Lepidi imperialis ditionis civitatibus, quas tamen ille ad pontificiam juriſdictionem pertinere contendebat, vix Ferrariam retinere potuit, cujus poſſeſſione priſtinam dignitatem et antiquae magnitudinis ſplendorem tueretur: ſed Julio ſublato, et in ejus locum ſuffecto Leone X, qui fortunarum paene omnium jacturam fecerat, jam de vita periclitari coepit; itaque non tam militis robore, quam domeſticorum fide opus habuit, quamdiu Romae ſedit Leo, quo ſe adverſus inſidias et clandeſtinas pontificis molitiones ſecurum praeſtaret: [γ] mortuo [1] Leone, adhuc vacante ſede, antequam

Hadrianus

VAR. LECT. [α] pro tempore ordinandis in urbe *P. D.* o. f. d.

[β] ad S. Dominici cum honorifico elogio ſepultus *deſunt* *P. D.* o. f. d.

[γ] mortuo igitur *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Borgoforte.* [b] *duc d'Urbin.* [c] *Salviati.* [d] *Montemurlo.* [e] *magiſtrato de gli otto.* [f] *don Pedro de Toledo, viceroy de Naples.* [g] *Modena & Reggio.*

NOT. [1] Dele *Leone*: lege *Hadriano*. *Put.*

[1] Hadrianus inaugureretur, Regium et [a] Riberam atque alia oppida praeſidio deſtituta occupavit: de quibus cum controverſia mota eſſet, mox exſtincto Hadriano, et Clemente VII pontifice creato, Alfonſus, qui antehac neutrarum partium fuerat, cum Caeſare foedere tranſegit, ut ſe contra Clementis injurias muniret; auctorque Carolo [b] Borbonio contra pontificem cum exercitu proficiſcenti fuit, ut omiſſa Etruria Romam recta pergeret; fore enim, ut eum jam [c] Columniorum ſeditione perturbatum facile opprimeret. In itinere [d] Carporum oppidum a Borbonio captum receperat. [α] Capta dein Roma et pontifice obſeſſo, arrepta occaſione Mutinam jamdiu incurſionibus vexatam et pejora metuentem deditione in fidem accepit. Ita recuperato ex Caeſaris voluntate imperio, reſtabat, ut cum pontifice in gratiam, ſi qua poſſet, rediret. Igitur in foedus pro pontificis liberatione inter Franciſcum et principes Italiae initum una cum Friderico Gonzaga Mantuae marchione conſenſit, ſpe a [e] Lautreco facta adfinitatis contrahendae, quae poſtmodo ad exitum perducta eſt. Demum ſoluto foedere, inter pacis a Caeſare cum pontifice factae conditiones comprehenſum fuit, ut Alfonſus Ferrariam, quam pontificii vicarii titulo majores ſui tamdiu tenuerant, beneficio pontificis acciperet; Mutinam et Regium, quas imperialis ditionis eſſe pronunciavit Caeſar, retineret, et Carporum item oppidum, [f] Piorum familiae injuria [β] ablatum. [g] Novianam vero arcem, quam pro dote Caeſaris filiae Herculi filio deſponſatae acceperat, matrimonio non ſecuto numeratis [2] LX aureorum millibus [γ] ab eodem Caeſare redemit. Jam Mantuae marchio, quem foederi contra Caeſarem icto ſubſcripſiſſe diximus, etiam ante pacem cum pontifice factam in parteis Caeſaris tranſierat. Itaque Caeſar eo fere tempore ex [h] Pannonia rediens Mantuam venit, ubi a Friderico honorifice exceptus, ut hoſpitem honorifica gratificatione remuneraret, eum ex marchione ducem creavit: addidit et novum beneficium; nam cum Jo. Georgius Palaeologus, qui Bonifacio [i] Montisferrati marchioni Willelmi fratris filio ſucceſſerat, paulo ante ſine liberis deceſſiſſet, et Fridericus, qui Margaritam Bonifacii ſororem [δ] in matrimonio habebat, hereditatem adire vellet, contra Sabaudo et [k] Salutiatum principe tendentibus, Caeſar oppida et arces impoſito praeſidio ſequeſtris jure occupavit, et poſtea tradita poſſeſſione ſecundum Fridericum pronunciavit. At [l] Roboreorum gens, quae originem ex Savona humili admodum loco habet, a Sixto IV condita, a Julio II evecta, a pontificibus, qui deinde ſecuti ſunt, paene oppreſſa fuit. Nam Franciſcus Maria, Joannis Mariae filius, Raphaelis, qui Sixti IV frater fuit, nepos, cum ex jure matris Joannae [m] Guidi Ubaldi Feltrii ſororis in Urbini principatum ſucceſſiſſet, a Leone X proſcriptus et multis ac variis modis vexatus, tandem ſub Hadriano ac deinde ſub Clemente, ſub quo foederatorum exercitus in Italia dux fuit, aliquantum reſpiravit. Sed cum commoditate loci et proximitate allectus [n] Camertium ditionem cum Urbini principatu conjungere cuperet, occaſionem, quae ſe in manus dabat, minime praetermittendam exiſtimavit. Joanne Maria mortuo, ultimo ex familia [o] Varanorum, unica filia ex Catharina [p] Ciboa legitimo matrimonio ſuſcepta ſuperabat: eam Franciſcus Maria a matre,

VAR. LECT. [α] mox capta Roma *P. D. o. f.* [β] ablatum, ac Novianam arcem: quae cum pro dote Caeſaris filiae, quae Herculi filio deſponſata erat, accepiſſet, matrimonio *P. D. o. f. d.* [γ] a Caeſare *P. D. o. f. d.* [δ] uxorem duxerat *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Rubiera.* [b] *le conneſtable de Bourbon.* [c] *i Colonneſi.* [d] *Carpi* [e] *Odet de Foix, vicomte de Lautrec.* [f] *Pio.* [g] *Novi.* [h] *Hongrie.* [i] *Montferrat.* [k] *marquis de Saluces.* [l] *della Rovere.* [m] *Guidobaldo di Feltro.* [n] *Camerino.* [o] *Varano.* [p] *Cibo.*

NOT. [1] Dele *Hadrianus*: lege *Clemens*. Cette priſe de Reggio & Rubiera arriva durant l'interregne ſurvenu apres le decez du pape Adrian, quand Alfonſe duc de Ferrare reprit ces deux villes; & faillit Modene par la vigilance de Guicciardin, qui en eſcrit l'hiſtoire. Guic. lib. 15. *Put.*

[2] Guicciardin dit qu'il les avoit baillés à l'empereur pour en avoir receu Carpi en fief perpetuel, lorſqu'il eſtoit à Mantoue l'an 1530. *Put.*

a matre, quae ſibi et filiae metuebar, vixque ſe contra [a] Sarram Columnam [1] Marthiae Varani ſpurii ſoccrum tueri potuerat, Guido Ubaldo filio uxorem facile imperravit. Ita [b] Camertium ditione potitus eſt, quouſque Paulus III, qui liberorum ad opes provehendorum cupiditate ſupra modum flagrabat, Camerteis, tanquam ad pontificiam juriſdictionem pertinenteis, et per vim nullo titulo uſurpatos, ab eo repetiit; jamque res ad arma ſpectabar, nec generoſus vir tot palmarum dux adduci poterat, ut qui Leonis tam vegeti potentiae reſtitiſſet, effoeti et decrepiti ſenis comminationibus victas manus daret: ſed cum ſub id tempus jam rebus omnibus ad bellum paratis fato conceſſiſſet, Guidus Ubaldus diſpar patri filius, Venerorum et Coſmi novi Florentiae ducis promiſſo auxilio deſtitutus, ut ſine periculo cetera oppida [α] retineret, Camertium poſſeſſione ceſſit, quos mox ambitioſus et indulgens ſenex Octavio nepoti attribuit; verſiſque contra Aſcanium Columnam armis, cum omnibus oppidis, quae in [c] Latio tenebat, ac Palliano imprimis ſpoliavit.

XXVI. Et ut ad Indica etiam veniamus; in occidente, biennio poſt Columbi et Americi Veſputii navigationes, [d] P. Alvares Capralis claſſis Luſitanicae ſecundo in Indiam naviganris dux, periculoſa rempeſtare jactarus, [e] Braſiliam novi orbis provinciam XVII Kal. Maii acceſſit; ac duodecimo ab hoc anno Jo. [f] Pontius Legionenſis terram Floridam [2] celebri illo pugnae Ravennaris die primus invenit. Octo deinde annis poſt, et altero, poſtquam Carolus Caeſar creatus eſt, [g] Ferd. Magellanus Luſitanus, indignatione contra Emmanuelem concepta, Caeſari militavit; et verſus occaſum in inſulas Moluccas tendens fretum a ſe Magellanicum dictum praetervectus eſt: qua in expeditione cum periiſſet, una ex ipſius navibus, cetera claſſe amiſſa, biennio poſt toto terrarum orbe circumnavigato [h] Hiſpalim appulit VI Eid. [β] Oct. Cum vero ab iis, qui cum Magellano erant, obſervatum fuiſſet, in occaſum tendentibus crebras terras ſitas eſſe, in quibus ignes accenſi viſebantur, inde factum eſt, ut poſtea in omnibus chorographicis tabulis ex adverſo [i] Peruviae regionis longus terrarum tractus deſcribatur, et terra ignea vulgo indigitetur. Eodem anno coeperunt [k] Ferdin. Corteſii victoriae, quibus tot capta oppida totis XX annis, tot luſtratae provinciae; imprimiſque [l] Mexicana ſive Themiſtirana urbs in lacu ſita, [m] Meteſeuma rege interſecto, in poteſtatem Chriſtianorum venit. Dum haec in Hiſpania nova geruntur, Peruviae regio partim a [n] Guteriſio Varga epiſcopo Placentino, partim a Franciſco Pizarro ſubacta eſt, et in ea urbs magni nominis Cuſco [o] Ingarum, hoc eſt, principum ſedes, qui circumjacenteis provincias armis ſubjugaverant. Eorum rex Arabalipa direptis theſauris contra fidem daram crudeliter a Pizarro occiſus mox, Deo ita volente, ultores habuit. Nam cum Ferdinandus Pizarri frater Almagrum captum ad mortem damnaſſet, [p] Didacus Almagri filius conjuratione facta Pizarrum oppreſſit: is poſtea a [q] Vacca Caſtrenſi a Caeſare miſſo captus et ſecuri percuſſus eſt. [3] Caſtrenſem mox Conſalvus Pizarrus Franciſci frater obtruncavit: cumque [r] Blaſeus Nonius poſt Caſtrenſem

VAR. LECT. [α] retinere poſſet *P. D o. f.* [β] Sept. *P. D o. f.*

INTERPR. [a] *Sciarra Colonna.* [b] *Camerino.* [c] *Campagna di Roma.* [d] *Alvarez Cabral.* [e] *Breſil.* [f] *Ponte de Leon.* [g] *Hernando de Magellanas.* [h] *Seville.* [i] *Perou.* [k] *Hernando Cortez.* [l] *Mexico.* [m] *Motezuma.* [n] *Gutierrez de Vargas, évesque de Placentia en Eſpagne.* [o] *Incas.* [p] *Diego de Almagro.* [q] *Vacca de Caſtro.* [r] *Blaſco,* ou *Baſco Nunnez.*

NOT. [1] Dele *Matthiae*: lege *Rodolfi.* Guicciardio lib. 18. le nomme *Ridolfo de Varano.* *Put.*

[2] Dele *celebri illo pugnae Ravennatis die*: lege *Palmarum die.* La Floride ne fut point découverte le jour de Pâques, (qui fut le jour auquel ſe donna la bataille de Ravenne le XI Avril 1512) mais le jour de Paques Fleuries: & pour ce ſujet fut nommée Floride, ſuivant tous les hiſtoriens, & M. de Thou meſme au commencement du livre 44. *Put.*

[3] Gonçalo Pizarro ne fit point mourir Vacca de Caſtro; lequel fut arreſté priſonnier en Eſpagne, & ſe juſtifia de ce qui luy eſtoit imputé. *V.* Herrera Hiſt. Ind. Occid. dec. 7. lib. 10. p. 300. *Put.*

Caſtrenſem a Caeſare miſſus eſſet, qui proregis titulo Indias moderaretur, is rurſus a Conſalvo in proelio captus et ad mortem damnatus eſt. Interea terrarum illarum incolae ſub ſaevis dominis inſtar jumentorum aut ſodiendis metallis, aut oneribus portandis, aut piſcandis unionibus miſere exanimabantur: quo factum eſt, ut miſſo in Indias Bartholomaeo [a] Caſa, Caeſar, quo certior de illarum ſtatu fieret, hortante et urgente eodem Caſa, leges a gubernatoribus ſervandas ſanxerit, quibus Hiſpanorum ſaevitiam coerceret, et Indos melius de clementia ſua ſperare in poſterum juberet. Poſtea cum Conſalvus Pizarrus magno provincialium detrimento rurſus rebellaſſet, miſſus eo a Caeſare fuit [b] Petrus Gaſca juris conſultus, et humili tantum praeſidis titulo fultus; qui quod alii ſuperbis proregum titulis freti vi armata efficere nequiverant, aſtu vulpino praeſtitit; factaque ſingulis praefectis veniae ſpe univerſos ad ſuas parteis paulatim pertraxit: et cum Conſalvus Franciſco [c] Carvajale homine crudelitatibus infami et Jo. Acoſta ducibus proelium infelicibus auſpiciis ad [1] Xaquixaguanam commiſiſſet, a milite deſertus in praeſidis manus cum omnibus ſuis ducibus, qui ſoli in exercitu remanſerant, captivus devenit; a quo paulo poſt et ipſe et cuncti illi tanquam perduelles extremo ſupplicio affecti ſunt. Inde Gaſca poſt publicatas [α] a Caeſare conditas leges, aliaque ad levamentum Indorum juſte conſtituta, e provincia diſceſſit, magnaque auri vi in naveis impoſita in Hiſpaniam reverſus eſt, haud multo privatim ditior, aut majore comitatu, quam venerat; quippe cum idem pallium, quod Hiſpania extulerat, ceterum uſu detritum ex Indiis retuliſſet; totque rebus tam brevi tempore geſtis, tantoque auri pondere in aerarium illato, nihil propterea de cultu corporis et priſtina moderatione mutaſſe magna cum omnium admiratione conſpiceretur. Ita Hiſpanorum ſitis auri ſanguine Hiſpanorum reſtincta eſt; qui mutuis lanienis XX annorum ſpatio ſe confecerunt, indigenis avaritiam et libidinem victoris luentibus. Tanto auro et cruore verae religionis cognitio miſeris Indis conſtitit! quam etſi nullo pretio, ne vita quidem ipſa, aeſtimari poſſe cenſeam, verendum tamen eſt, ne ea divinae vocis promulgatio non ex praeſcripto Dei, qui ſuos non ferro et rapinis, ſed charitate et piis admonitionibus, graſſari voluit, apud Indos inſtituta, cum non propter Chriſtum inceperit, neque Chriſti gloriam pro fine, ut ſunt principia, olim ſit habitura. In India Orientali non minores progreſſus [d] Luſitani fecere; eoque meo judicio majores, quod longinquiorem et multo difficiliorem navigationem ſuſceperant. Sed difficultates illae virtute ducum ſuperatae ſunt: Fr. Almeidae imprimis, qui Campſonis Sultani Aegyptii claſſem fortiter profligavit; et Alfonſi [e] Albuquercii, qui Goam occupavit, ibique proregum Indiae ſedem conſtituit; dein Malacam aureae Cherſoneſi metropolim expugnavit, et arcem Calecuti condidit. His ſucceſſere Lupus [f] Suares, Jacobus Lupus [g] Seqtera, qui jam ante [h] Taprobanam luſtraverat, [β] Edvardus Meneſes ſub Emmanuele; quo mortuo ſub Joanne III Vaſcus Gama, qui primus Africae promontorium praetervectus eſt; mox Henricus Meneſes, [i] Lupus Sampaſius, [k] Nonius Cugna, Gratianus Norogna Indiae praefuere; ac poſtremo Jo. [l] Caſtrenſis, qui memorabili illa in [m] Dienſis arcis a Turcis obſeſſae propugnatione contra Cambaiae regem parta victoria, Luſitanorum imperium in Oriente firmavit: ab ea enim, quae incurrit in annum hujus ſaeculi XXIX, Joannes quamvis ſuborta inter eum et Caeſarem ante de

Moluccis

VAR. LECT. [α] nuper a Caeſare *D. c. f.* [β] et Edvardus *P.*

INTERPR. [a] *de las Caſas.* [b] *Pedro de la Gaſca.* [c] *de Carvajal.* [d] *Portugais.* [e] *d'Albuquerque.* [f] *Lopez Suares.* [g] *de Siqueyra.* [h] *Sumatra.* [i] *Lopez de Sampajo.* [k] *Nunno de Cugna.* [l] *di Caſtro.* [m] *Diu*

NOT. [1] *Xaquixaguana.* C'eſt une vallée ainſi nommée, diſtante de Cuſco de quatre lieues. *Put.*

Moluccis controverſia, ſed indeciſa, navigationem liberam ad illas regiones conſervavit. Et in Oriente quidem civilior, et a rapacitate ac diſcordiis inteſtinis magis vacua, pace et bello, Luſitanorum adminiſtratio fuit, quippe regibus illis in eam curam ſolam intentis: nam in Africa hoſtem potius petebant, quam petebantur. Contra Caeſare bellis Europae implicato, crebra in longinquis provinciis inter rectores diſſenſionum incendia facile exarſerunt, quae, niſi exhauſta et conſumpta ob oculos tunc verſante praeda, quae illos committebat, nunquam reſtingui potuerunt.

XXVII. Hic ergo ſtatus, haec rerum facies toto terrarum orbe erat; hae vires et conſilia reliquorum principum, cum pax inter Caeſarem jam ſe ad bellum Germanicum comparantem et Franciſcum magna Europae laetitia [a] Crepiaci facta eſt. Hujus conditionibus cautum fuerat, ut [b] Madritianae et Cameracenſis pacificationis capita obſervarentur: et quia de [c] Mediolani ditione, in qua jus quaeſitum liberis Franciſcus dicebat, cui renunciare non potuerat, ultimo bello actum erat, conventum eſt, ut Carolo [d] Aurelianenſi intra biennium Caeſar filiam in matrimonium daret, dotiſque loco Mediolani imperium attribueret; ſin filiam non poſſet, Ferdinandi fratris filiam et [e] Belgium pro dote traderet. Oppida, quae huc uſque a violatarum induciarum tempore capta fuerant, utrinque reddita ſunt: in his [f] Stenaeum, quod Fr. [g] Lotaringo dirutis munitionibus reſtitutum eſt. Qua in re iniquior Gallorum conditio fuit in Gallia Ciſalpina, ubi pro ſola [h] Montis regalis civitate a [i] Vaſtio capta, Alba, [k] Claraſcum, [l] Antinianum, [m] Damiani-Fanum, et alia pleraque oppida et provinciae, quae ante et poſt [n] Carinianam pugnam in noſtram poteſtatem venerant, Caeſarianis reddita ſunt. Jamque [o] Bononia ab Anglis arctius obſidebatur, hactenus virtute Philippi Corſi, qui ſub Jacobo a [α] [p] Cuciaco Vervinio [q] Odardi Bieſii equitum tribuni genero militabat, acriter defenſa: ſed eo ictu tormenti ſublato, Vervinius rei militaris imperitus, et ſuſtinendae obſidioni impar de deditione agere coepit. Renuebant oppidani, et, ſi Vervinius exire vellet, ſe ad propugnationem paratos animoſa fide teſtabantur. Addebat animos miſeris, quibus de fortunis omnibus certamen erat, quod Delfinus cum auxiliaribus copiis propediem adventare dicebatur; et Jacobus [r] Albonius Santandreanus, juvenis gloriae cupidus et Delfino percharus, de introducendo per mare in urbem auxilio ſpem dederat. Sed cum adverſantibus ventis eadem ſaepius tentata via curſum tenere non potuiſſet, et Delfinus ſerius appropinquaſſet, Vervinius invitis oppidanis ac praecipuis militum ducibus urbem Anglo dedidit: quod ei capitis periculum poſtea creavit. [s] Monſtrolium eodem tempore Talboto duce obſidebatur: ſed adventante Gallorum exercitu veritus Thomas [t] Norfolcius, qui exercitum ducebat, ne mediis inter Monſtrolium et Bononiam Gallis reditus impediretur, jam recedentibus Caeſarianis ad regem ſuum [u] Caletum verſus ſe contulit. Noſtri tentata, ſed infeliciter, aſtu militari Bononia, cum jam hyems illis locis gravis ingrueret, dimiſſis [w] Helvetiis in hyberna conceſſerunt. Anglus relicto Edvardo [x] Seimoro [β] Somerſetenſi reginae nuper mortuae, ex qua Edvardus natus, fratre, qui rerum ſummae cis mare praeeſſet, in Angliam revertitur. Bieſius interea [y] Bononienſis provinciae praefectus cum exercitu ad [z] Portum ſe contulit. Id oppidum duobus a Bononia milliaribus abeſt, interjecto flumine, quod aeſtu maris intumeſcit,

VAR. LECT. [α] Codiciaco *P. D. o f. d.* [β] Semero Summerſetenſi *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Creſpy.* [b] *de Madrid & de Cambray.* [c] *Milan.* [d] *duc d'Orleans.* [e] *Pays bas.* [f] *Stenay.* [g] *duc de Lorraine.* [h] *Mondovi en Piedmont.* [i] *marcheſe del Guaſto.* [k] *Queraſ*, ou *Cheraſco.* [l] *Antignano.* [m] *San Damiano.* [n] *bataille de Cerizoles.* [o] *Boulogne ſur mer.* [p] *de Coucy, ſieur de Vervins.* [q] *Oudart, ſieur du Biez, mareſchal de France.* [r] *d'Albon, ſieur de St. André.* [s] *Monſtreuil.* [t] *duc de Norfolk.* [u] *Calais.* [w] *les Suiſſes.* [x] *Seymour, duc de Somerſet.* [y] *le Boulonnois.* [z] *Portet.*

intumeſcit, et lateritio ponte jungitur. Trans flumen cum caſtellum exſtruere cogitaret, quod urbis navali imminens ingreſſum navibus ex Anglia venientibus impediret, a [α] [a] Surreiae comite ducis Norfolciae filio celerius, quam putabat, circumventus, magno ſe cum diſcrimine citra flumen recepit, et opus interruptum reliquit. Ei a rege imperatum fuerat, ut ad [b] turrem, (vulgo Ordinis vocant) quae Bononiae imminet, caſtellum aedificaret; ut et naveis ingreſſu prohiberet, et Calero per terram venienteis auxiliarios intercluderet. Id ſe intra menſem Sextilem Bieſius confecturum receperat: eaque ſpe Franciſcus de invadenda anno ſequenti Anglia conſilium ceperat, ut occupatis in ſuo Anglis caſtellum aedificandi tempus ac facultatem Bieſio daret. Ipſe [c] Guinam eodem tempore cum exercitu oppugnare decreverat, ut ita undique cinctam Bononiam omni auxilii ſpe deſtitutam in extremas anguſtias redigeret, ac poſtremo ad deditionem compelleret. Itaque inſtructa claſſe, cui Claudium [d] Annebaldum maris praefectum, qui domum relegato Momorantio omnia regni negotia cum cardinali Turnonio adminiſtrabat, praefecit, [e] Romorantino caſtro in Biturigibus, ubi hyemaverat, relicto, per Argentanum [f] Tocenſe caſtrum venit. Id ad mare ſitum eſt in citeriore [g] Sequanae ripa x milliaribus infra [h] Honflorium. Eo convenerant ex [i] Provincia xxv triremes, quae duce [k] Polonio [l] Gaditanum fretum praetervectae in Oceanum deſcenderant, ad ſtuporem potius et terrorem, quam ullum rei nauticae uſum, tempeſtuoſo et crebris procellis irritato mari plana iſtiuſmodi navigia non ferente. Claſſis omnino erat CIII onerariarum navium: in eas impoſita VIII hominum millia. Dextrum cornu cum XXXVI navibus regebat [m] Boterius Italicis bellis multam gloriam adeptus; ſiniſtrum [n] Curtonius cum totidem navibus: in media acie, quae frontem efficiebat, Annebaldus cum XXX navibus et praetoria conſederat. Miſſus ante Polinius cum triremibus, qui hoſtem ad pugnam laceſſeret. Occupata a noſtris [o] Vectis inſula, quae [β] [p] Portſmoutham celeberrimum tota Anglia oppidum ex adverſo ſpectat. [γ] Illuc hoſtium claſſis appulerat; quae ſatis habebat, ſi noſtrorum impetus ſuſtineret, et exſcenſionem in Angliam prohiberet. Poſt aliquot levia certamina Annebaldi juſſu tribus diverſis locis, ut hoſtium vires diſtraherentur, in terram deſcenderunt P. [q] Stroſſius, [r] Theſſius cum Polinio et [s] Triſtano Moninio, ac poſtremi [t] Marſaeus et Pirrobonus triremium duces. Cum ne ſic quidem laceſſiti hoſtes allici poſſent ad proelium, deliberatum fuit, an tutum eſſet eos intra canalem, qui inſulam et Portſmoutham interjacet, aggredi. Inde alacritas noſtrorum Annebaldum urgebat; hinc rei nauticae peritorum rationes remorabantur, ſine manifeſto periculo id fieri non poſſe contendentium, quippe vento et fluxu maris adverſis. Subſidiarium fuit de munienda inſula conſilium, aedificatis tribus caſtellis; tot enim neceſſaria erant. Id cum nec tam exiguo tempore confici poſſe animadverteret Annebaldus, decurſa ora maritima a [u] promontorio S. Helenae [w] Doveram uſque ad [x] Portum prope [y] Bononiam ſe recepit. Cum recedentem claſſem hoſtes inſequi velle viderentur, obverſis proris Annebaldus rurſus in apertum mare regreſſus ad proelium ſe comparat. Sed hoſtibus curſum flectentibus, claſſe incolumi [z] Franciſcopolim, unde ſolverat, nulla alia re geſta reverſus

VAR. LECT. [α] Sotello Norfolcii filio *P.* Sotello Norfolcii filio *D.o.* [β] Plimmuſium *P. D.o.* Portheſmuthiam *D.d.* Ed Gen. [γ] ibi hoſtium claſſis conſederat *P.*

INTERPR. [a] *Surrey.* [b] *la tour d'Ordre.* [c] *Guines.* [d] *d'Annebaud.* [e] *Romorantin en Berry.* [f] *Toucques.* [g] *la Seine.* [h] *Honfleur.* [i] *Provence.* [k] *Antoine Eſcalin des Aimars, dit le capitaine Poulain, ou Poulin, baron de la Garde, general des Galeres.* [l] *deſtroit de Gibraltar.* [m] *de Boutieres.* [n] *de Curton.* [o] *Iſle de Wight.* [p] *Portſmouth.* [q] *Strozzi.* [r] *Jean, ſeigneur de Taix, ou Thais, general de l'infanterie Françoiſe, puis maitre de l'artillerie.* [s] *Triſtan de Moneins.* [t] *Marſay & Pierrebon, capitaines des galeres.* [u] *pointe de S. Helene.* [w] *Dover, ou Douvres.* [x] *Portet.* [y] *Boulogne ſur mer.* [z] *Havre de Grace.*

reverſus eſt. Jam tempus appetebat, quo caſtellum ad Bononiam a rege imperatum exſtructum eſſe debebat. Sed [a] Bieſius non monito rege conſilium mutaverat, et loco inferiore ſerius opus incæperat, quam ut toto Sextili, ſicuti promiſerat, confectum eſſe poſſet. Itaque de obſidendo Guinae oppido conſilium omiſſum eſt, et omnes copiae ad limitem Belgicum traductae, ut advenientem conductitium Germanorum exercitum fatigare, et ſi quid in itinere aggrederetur, prohibere poſſent. Interea crebra inter noſtros et Bononiae praeſidiarios quotidie certamina conſerebantur: in queis Fr. Lotaringus Aumalius, Claudii Guiſiani filius, graviter vulneratus eſt, accepto infra oculum dextrum haſtae in maxilla ictu, fractaque haſta cum cuſpis cum ſeſquipedali trunco in vulnere remanſiſſet, non tamen tanta ſuccuſſatione ex equo praecipitari potuit; tandem in hoſpitium relatus truncum educi conſtantiſſime tulit, nulla, quae doloris acutiſſimi ſenſum proderet, voce emiſſa, et praeter chirurgorum ſpem ex tanto vulnere convaluit. Hic ingentis animi vir, qui tot laudis bellicae monumenta poſtea reliquit, fato Galliae ad exitium vergentis reſervatus videtur, ut ipſe [virtute propria fretus,] populos legitimorum principum dominationem exoſos ſibi conciliaret, et filiorum auſpiciis ad arma nunquam niſi ſero errore cognito ponenda [α] viam ſterneret. Inde Bieſius in terram [b] Oſiam cum exercitu proficiſcitur, ut omnia vicina vaſtationibus infeſtaret, ne alendo Germanico militi, qui propediem exſpectabatur, uſui eſſe poſſent. In ea expeditione II CIϽ Anglorum a Carolo [c] Coſſaeo Briſſaco caeſa. Rex ad [d] Firmum monaſterium prope [e] Abbatiſvillam ſubſederat, ubi ex morbo peſtilenti Carolum [f] Aurelianenſem Caeſaris ſeu Ferdinandi generum deſtinatum fruſtra tentatis remediis amiſit. Quae mors ultra naturalem ſenſum, eo gravior patri fuit, quod amiſſo filio, quem unice diligebat, una ſpem recuperandi [g] Mediolani, cujus cauſa tot bella hactenus geſſiſſet, diſſoluta adfinitate amiſerat. Itaque miſſis Fr. [h] Olivario cancellario et Claudio Annebaldo maris praefecto [i] Brugas [β] et Antuerpiam legatis, [γ] qui Caeſaris voluntatem periclitarentur, cum res in longum extraheretur, hoc breve et ſuſpicionis plenum reſponſum vix tandem extorſit, curaturum Caeſarem, ut amicitiam cum Franciſco pacificatione ultima contractam conſervaret, nec niſi bello prius laceſſitus ab ea recederet. Hanc mortem Caeſar merito inter proſpera duxit, quod damnoſae tranſactionis, qua ad Mediolani reſtitutionem obligabatur, vinculo ſolutus eſſet, temerariae [δ] ſeu coactae pollicitationis fidem luente fortuna. Itaque toto animo in bellum Germanicum intentus, expediendae rei pecuniariae negotio, quod reliquum erat anni, impendit. Rex viciſſim, qui tanti apparatus procellam in ſe redundaturam provideret, gubernatoribus mandata dat, ut loca in limitibus bello opportuna muniant, et praeſidiis firment; [k] Burgum imprimis in Sebuſianis, [l] Mauberti-fontem ad Moſam, [m] Meſeriam, [n] Muſonium; ac loco [o] Stenaei, quod [p] Lotaringo reſtitutum fuiſſe diximus, [q] Villamfrancam prope Samorellum itidem ad Moſam ſitum vicum ſumma diligentia adhibita muniendum curavit: revocatoque ex Italia [r] Anghiano, Joannem [s] Caraciolum Melfitanum, quem nuper equitum tribunum creaverat, ut [t] Subalpinae provinciae praeeſſet, miſit, et ipſum Anghianum in locum Caracioli [u] Septimaniae gubernatorem

P. [*non ſolum virtute propria, ſed progenie praecipue ſua Galliae fatalis,*]

VAR. LECT. [α] incitaret P. [β] et inde P. D. o. f. [γ] ut P. D. o. f. d. [δ] ſeu coactae *deſunt* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *le mareſchal du Biez.* [b] *terre d'Oye.* [c] *le Coſſé, comte de Briſſac.* [d] *Foreſt mouſtier.* [e] *Abbeville.* [f] *duc d'Orleans.* [g] *Milan.* [h] *Olivier.* [i] *Bruges & Anvers.* [k] *Bourg en Breſſe.* [l] *Maubert-fontaine ſur Meuſe.* [m] *Mezieres.* [n] *Mouſon.* [o] *Stenay.* [p] *duc de Lorraine.* [q] *Villefranche près de Saumoré.* [r] *François de Bourbon, comte d'Enguyen.* [s] *Caraccio, prince de Melfi.* [t] *Piedmont.* [u] *Languedoc.*

gubernatorem conſtituit; jam de caſtellis ad [a] Bononiam muniendis tantum ſollicitus, poſtquam de Germanico Angli exercitu ob non ſoluta ſtipendia prope [b] Leodicum diſſipato certior factus eſt. Heic ut anni, ſic et libri finis erit: quo breviter ſuperiorum temporum hiſtoriam, quantum ad rem faciebat, complexi ſumus; cetera deinceps accuratius et plenius enarraturi, citra fucum, et quod jam profeſſi ab initio ſumus, procul ab amore et odio: quod ut nobis concedat omnium gratiarum largitor Deus, cum toto pectore per generis humani Propitiatorem, qui cum Spiritu conſolationis per ſaeculorum aeternitatem regnat, Jeſum Chriſtum, etiam atque etiam oramus.

INTERPR. [a] *Boulogne ſur mer.* [b] *Liege.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SECUNDUS.

EPITOME.

PRINCIPIUM operi a bello Germanico factum. II. *Germaniae antiqui et novi limites. Lingua Illyrica ſeu Slavica per Germaniam, Sarmatias, Macedoniam longe lateque porrecta. Germanicum imperium. Ejus tranſlatio a Francis ad Germanos. Electorum origo, numerus et auctoritas. Imperii ordines, civitates, circuli. Judicium camerae. Comitia. Reſpublica Germanica cui comparari poſſit.* III. *Pax religionis a Carolo* V *monarchiam parturiente ſancita. Spirenſis camera ex utrinſque partis aſſeſſoribus conflata. Wormatienſia comitia. Tridentinum concilium cum Proteſtantibus ſuſpectum eſſet, colloquium Ratiſponae inſtitutum.* IV. *Bellum Brunſvicenſe, quod univerſo praeluſit. Conventus Francoſurtenſis. Fridericus Palatinus ſeptemvir in ſua ditione religionem antiquam mutat, Pauli Fagii opera uſus et Helia Levita Judaeo.* V. *Bellum Germanicum ſumma diſſimulatione ſuſceptum et inchoatum.* VI. *M. Lutheri mors, cui Juſtus Jonas aſſedit.* VII. *Comitia Ratiſponenſia.* VIII. *Brunſvicorum et Brandeburgicorum principum foedus contra Saxonem et Heſſum.* IX. *Proteſtantium tribuni: et Baltazaris Gutlingi ad milites animandos invidioſa oratio.* X. *Foedus inter Caeſarem et Pontificem. Conventus Ulmae.* XI. *Palatini ſeptemviri ad Caeſarem, cum adhuc in diſſimulatione perſtaret, legatio.* XII. *Saxonis et Heſſi Germanica in Caeſarem ſcripta; quibus inter alia Jo. Diazii paricidium exprobratur.* XIII. *Anna et Maria Ferdinandi filiae Alberto Willelmi Baioari filio et Willelmo Clivio, diſſoluta nobiſcum contracta adfinitate, a Caeſare fratre elocatae.* XIV. *Seb. Schertelius Alpibus occupatis Oenipontem tendit. Donaverda capta. Helvetii in caſtris Proteſtantium militantes: fruſtra a pontifice ſolicitati.* XV. *Tandem Saxo et Heſſus a Caeſare, cum Lanzuthi eſſet, proſcribuntur; qui mox bellum ipſi denunciant. Eorum inter ſe diſſidia.* XVI. *Copiae Caeſarianae recenſentur, et ad Ingolſtadium caſtra metantur; quibus Rheno tranſmiſſo cum delectis copiis Maximilianus Ecmundanus Buranus ſe conjungit.* XVII. *Neoburgum Caeſari deditum: et tranſlata Norlingam caſtra; ex iiſque velitationes. Donaverda ab Octavio Farneſio intercepta. Dillinga et Lavinga dedita. Schertelii a caſtris foederatorum diſceſſio. Gundelfinga et Geenga Caeſari ſe dedunt. Inde tranſlata ad Sontheimum caſtra.* XVIII. *Ferdinandus in Saxoniam cum peculiari exercitu deſcendit.* XIX. *Conventus civitatum Ulmae. Bopfinga et Norlinga, Weiſſemburga, Dingelſpulum et Rotemburgum in Caeſaris poteſtatem conceſſerunt.* XX. *Palatinus ſeptemvir ſupplex ad Caeſarem venit, diſcedentibus foederatis; et Ulmenſes in gratiam recipiuntur. Darmeſtato vix vi capto, Francofurtum Burano deditur.* XXI. *Pax inter regem et Henricum* VIII. *Franc. Borbonii Anghiani ad Rupem-Guidonis deploranda mors et inulta. Gallicus limes a Franciſco ob felices Caeſaris ſucceſſus ſibi metuente luſtratus.*

Ex

Ex auctoribus,

Strabone, Pauſania, Fr. Petrarcha, P. Denaiſii obſervationibus, Nic. Ciſnero J. C. Onufrio Panvinio, Jo. Sleidano, Lamberto Hortenſio, ſcriptis Germanicis tunc evulgatis, Ludovico Avila, Hieronymo Faletio, Luca Contili, Martino Bellaio.

LIBER SECUNDUS.

PRINCIPIUM [α] mihi operis erit bellum Germanicum; quod mole maximum, confectu facillimum, eventu feliciſſimum Caeſar cum principibus foederatis et civitatibus Auguſtanae confeſſionis ſociis intra anni curriculum [β] geſſit. Verum antequam ulterius progrediar, facturum me operae pretium putavi, ſi panca de Germania et ejus ſtatu atque adminiſtratione, quantum ad rem ſat erit, breviter ediſſeram.

II. Germania antiquos limites habet ab oriente Viſtulam et [a] Pannonias; ab occidente Rhenum, qui in [1] Alpibus Lepontiis ex [2] Adula monte ortus per [b] Curiam Rhaetorum et medium [c] lacum Acronium curvato flexu [d] Auguſtam Rauracorum dividit, et inde quaſi a meridie ſeptentrionem verſus tendens binis ac multum diſparatis oſtiis in mare Germanicum exoneratur: a meridie Alpibus [e] Rhaeticis, [f] Vindeliciis, [g] Juliis, et [h] Carnicis; a ſeptentrione mari Baltico clauditur. Quos poſtremos limites populoſa aeque ac bellicoſa gens tranſgredi non potuit, quippe inſuperabileis: flumina facile ſuperavit; nam et inde trans Viſtulam in [i] Boruſſiam et Daciam; inde ultra Rhenum, omnem trans et [γ] circa [k] Juram [l] Helvetiorum civitatem complexa ad [m] Vogeſum uſque montem et Belgici maximam partem fineis protulit; et inſulam Batavorum ambigui antea juris ſuam effecit, omni ea portione Galliis adempta. Itaque et omnibus iis locis lingua ex Germanica detorta utuntur; apud Helvetios, inquam, [n] Tribocos, [o] Vangiones, [p] Nemetes, [q] Menapios, [r] Treviros, [s] Tungros, [t] Sicambros, [u] Ubios, [w] Eburones, [x] Atuaticos, et [y] Pleumoſios: quin et Anglicam, quae hodie eſt, et [δ] Scoticam Teutonicae eſſe dialectos quis neget? uti a Saxonibus nomen, ita et linguam mutuatos eſſe vero ſit ſimile: qui et iidem Saxones orientem verſus veteres fineis egreſſi Boruſſos et Tranſilvanos, qui hodie appellantur, Germanice loqui docuerunt. Etiam Livonia, licet in Sarmatia Europaea ſita ſit, quia tamen verſus occidentem ſinuoſo tractu reflectitur, et a Vandalis proximis inſeſſa eſt, Germaniae annumeratur; eamque ob cauſam [z] Rigenſis archiepiſcopus, qui in Livonia eſt, inter Germanicos antiſtites recenſetur. At enim, quod in Gallia Germanis, id

VAR. LECT. [α] mei *MSS. Reg. et Samm.* [β] geſſit. Id hoc anno inchoatum, in eum a quo hiſtoriam exorſuri ſumus, deſiit; ſed ne tam pulchrae et memorabilis narrationis ſeries interrumperetur, commodius viſum eſt eam ab initio repetitam continuato orationis tractu perſequi. Quod antequam aggredior, facturum me operae *MSS. Reg. et Samm.*
[γ] citra *MSS. Samm. et Reg.*
[δ] Scoticam atque Hibernicam *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *la Hongrie, & partie de l'Auſtriche.* [b] *Coire.* [c] *Lac de Conſtance.* [d] *Baſil*, ou *Baſle.* [e] *Alpes des Griſons.* [f] *les Alpes qui ſeparent le Tirol du duché de Baviere.* [g] *les Alpes des Venetiens*, ou *du Frioul.* [h] *les Alpes de la Carniole.* [i] *la Pruſſe & Tranſilvanie.* [k] *mont Jura.* [l] *les Suiſſes.* [m] *mont de Voſge.* [n] *Strasbourg en l'Alſace ſuperieure, avec la moitié de l'inferieure.* [o] *ceux de Wormes & Mentz*, ou *Mayence.* [p] *ceux de Spire.* [q] *ceux de Gueldres.* [r] *ceux de Trier*, ou *Treves.* [s] *ceux de Tongres.* [t] *ceux de Cleves & Juliers.* [u] *ceux de Cologne.* [w] *ceux de Liege.* [x] *ceux d'Anvers & de Brabant.* [y] *ceux de Flandres.* [z] *de Riga.*

NOT. [1] *Alpes Lepontiae:* montagnes, qui ſont une partie de celles des Griſons. *Put.*
[2] *Adula:* montagne des Griſons, que les habitans nomment *Colmen de Olcello*; Germ. *der Vogel*; vulgairement *le mont St. Bernardin.* *Put.*

id in Germania [a] Illyriis uſu venit, ut ſuae ibi dominationis veſtigia relinquerent alte impreſſa. Nam et hodie Marcomanni ſeu Moravi, Quadi ſive Sileſii, ac denique Boëmi, qui omnes priſcis Germaniae finibus continentur, Illyrica ſeu Slavica lingua utuntur; atque eadem adeo, quae inter [b] Iſtros, Dalmatas, Bosnenſeis, Bulgaros ac denique per totam Sarmatiam Europaeam ſuperiorem in uſu eſt. Hae ergo ſe tenus Germaniae quaſi naturale imperium in Gallias et Sarmatias effudit: quod jure gentium longe ulterius progreſſum eſt. Nam poſtquam imperium, quod in ſecunda regum noſtrorum familia a Carolo magno incepit, qui Galliam primum, dein Germaniam, ac totam fere Italiam tenuit, ad Germanos tranſlatum eſt, omnes illae provinciae in Italia et extra Italiam in limite noſtro ſub imperio occidentali et imperii Germanici legibus ordinatae ſunt. Itaque [c] Sequani, [d] Sclabi, [e] Leuci, [f] Mediomatrices, et in his [g] Lotaringia, [h] Lucemburgenſis ac [i] Namurcenſis ditio cis Rhenum et Moſam, et inter Rhodanum et Alpeis [k] [1] Seguſiani, Viberi et Veragri, qui hodie Valeſiani, [l] Sabaudi item et Allobroges imperio, et legibus imperii parent. Regnum etiam [m] Arelatenſe, antequam in poteſtatem regum noſtrorum veniret, ſub imperio fuit: cujus rei memoria poſt ſublatam imperii juriſdictionem aboleri minime potuit; nam et hodie in ſermone vulgi [α] interior [n] Rhodani ripa imperii, citerior regni nomine indigetatur. Tranſlatum autem fuit imperium ad Germanos ab Othone I, Henrici Aucupis filio; manſitque in ejus familia uſque ad Othonem III nepotem, qui veritus, ne imperium a patre et avo in Germania firmatum ad Italos aut etiam Graecos transferretur, legem tulit, qua ſcitum eſt, licere ſolis Germanis principibus imperatorem [β] eligere. Id ut facilius Otho impetraret, cum Gregorio V Saxone ſobrino ſuo, quem poſt ejectum Roma Creſcentium et Joannem Graecum expulſum in ſedem reſtituerat, poſteris aeque damnoſa ac ignominioſa pactione tranſegit, ut qui rex Romanorum [γ] deinceps crearetur, non prius imperator et Auguſtus haberetur, quam cum Romanorum pontifex inauguraſſet. Ita Romanorum pontifex ab imperatoribus primum creari aut conſtitui ſolitus, arbitrium ſummi inter Chriſtianos principatus conſtituendi ad ſe paulatim traxit. Id circa annum Chriſti IↃCCCCXCVII accidit. Poſtea Carolus IIII eandem legem renovavit, ſub bullae aureae nomine in [o] comitiis Norimbergenſibus V Eid. Jan. anno ſal. CIↃCCCLVI publicatae; quae et hodie inter Germanos magna religione ſervatur. Is ſuo periculo, ſed ſero, ſenſit, quorſum pertineret jus illud, quod ſibi in inaugurandis imperatoribus Romanus pontifex ſumpſit; ut ſcilicet liceret ei, a quo accipere debuit, leges quas vellet pro inaugurationis pretio imponere. Siquidem Innocentius VI non aliter coronam per miniſtros ipſi imponi paſſus eſt, quam ille jurejurando ſe obſtrinxiſſet, Romae aut in Italia injuſſu pontificis diutius non moraturum: ut non immerito Fr. Petrarcha, qui tunc temporis floruit, indignabundo animo miratus ſit, quaenam iſta ſuperbia eſſet, principem Romanum publicae libertatis auctorem libertate privare, ut cujus eſſe debent omnia, ipſe nnn ſir ſuus: in haec enim verba ad ipſum Carolum imperatorem ſcribens vir optimus et ſua aetate doctiſſimus [δ] prorupit.

Ab

VAR. LECT. [α] ulterior *P. D. o. Put.*
[β] eligere. Et ut ambitioni et turbis obviam iretur, ad ſeviros poteſtas eligendi eadem lege contracta eſt. Ii fuerunt Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis epiſcopi; comes Palatinus Rheni, dux Saxoniae, et marchio Brandeburgicus: quibus additus eſt Boemiae, qui tunc dux, nunc rex appellatur; cui locus eſt, ſi quando accidat, ut ceteri in ferenda ſententia paribus ſuffragiis inter ſe diſſideant. Id ut facilius *P. D. o.*
[γ] deinceps a ſeptemviris *P. D o.*
[δ] prorupit. *Hinc uſque ad* imperium autem *deſunt 27 circiter lineae* *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Eſclavons.* [b] *Iſtria, Dalmatia, Boſnia, Bulgaria.* [c] *la Franche comté.* [d] *Toul.* [e] *Verdun.* [f] *Mets.* [g] *Lorraine.* [h] *Luxembourg.* [i] *Namur.* [k] *ceux du Valais.* [l] *Savoie.* [m] *d'Arles.* [n] *le Rhoſne* [o] *diete de Nuremberg.*

NOT. [1] Dele *Seguſiani*: lege *Sedunenſes*, que Simlerus appelle *Seduni* *Put*

Ab Othone III jus ac poteſtatem imperatores eligendi, ut ambitioni ac turbis obviam iretur, ad ſeviros contractam eſſe vulgo perſuaſum eſt; videlicet [a] Moguntinum, Colonienſem et Trevirenſem epiſcopos, comitem Palatinum Rheni, ducem Saxoniae et Brandeburgicum marchionem: atque his additum fuiſſe Boëmiae tunc ducem, nunc regem; cui locus eſt, ſi quando accidat, ut ſeviri in ferenda ſententia paribus ſuffragiis inter ſe diſſideant. Sed melioris antiquitatis periti aliter ſentiunt, Germanicotum annalium fide edocti, diu poſt Othonem III tam reges Germaniae quam imperatores, ſicuti antea fieri conſueverat, a populis et principibus fuiſſe renunciatos; et ante Friderici II imperium, qui anno Chriſti CIϽCCL e vita migravit, nullam ſeptemvirorum mentionem a ſcriptoribus Germanicis fieri, qui omnia eligendis imperatoribus comitia ad hoc uſque tempus ab omnibus imperii ac regni principibus ſive ſacris ſive ſolutis nullo diſcrimine celebrari ſolita coneorditer memorant; ut eam ſeptemvirorum inſtitutionem inter annum CIϽCCL et CIϽCCLXXX coepiſſe neceſſe ſit; et ſi conjecturae locus detur, circa tempora comitiorum, quibus poſt longum interregnum Rodolphus Habſpurgenſis comes Auſtriae familiae hodie potentiſſimae conditor rex appellatus eſt, atque ut putat Onufrius Panvinius, in magno concilio Lugdunenſi II, quod a Gregorio X Placentino anno poſt Rodolphi electionem celebratum fuit, probatam ac confirmatam: quanquam Nic. Ciſnerus juriſ-conſultus, vir alioqui Germanicae antiquitatis perquam gnarus, contrarium aſſerat, aut certe diverſa longe in oratione de Othone III, et conciliotum imperatoriorum inſtituto, edita tradat. Nec minus pleriſque ſuſpectum eſt, quod vulgo itidem jactatur, regis Boëmiae parteis eſſe ut paribus ſuffragiis interveniat; cum ei tertium in dicenda ſententia locum nominatim aurea Caroli IIII bulla tantum attribuat: quod ab ipſo tanquam rege Boëmiae tunc inſtitutum, minime tamen a ſucceſſoribus ejus poſtea ſervatum fuit. Imperium autem, quod vocant, in tria omnino membra dividitur. Omnium caput et princeps eſt imperator. Sequuntur ii, quos diximus, principes; ac praeterea ex ſacro ordine archiepiſcopus [1] Magdeburgicus Germaniae primas, Salsburgenſis,[a] [b] Bremenſis, ac denique [c] Rigenſis, quibus ſubſunt XLV circiter epiſcopi; inſuper [d] Miſnenſis, [e] Bambergenſis, et Ratiſponenſis, qui archiepiſcoporum[*] poteſtati exempti ſunt; dein ſequuntur coenobiorum multi praeſules et antiſtitae. Poſt Palatinum, Saxonem, et Brandeburgicum, alii etiam Palatini duces, et marchiones; lantgravii item, burgravii, comites, domini, barones, primi quique quatuor ex ſingulorum numero praecipui; dein plures, quotum non ita definitus eſt numerus; quippe qui pro temporum ratione et imperatotum arbitrio mutatur, augetur, minuitur. Atque illi fere omnes principes etiam in Italia ab imperatore in fidem accipiuntur, et fide data, ſi mandatis imperialibus non obediunt, aut bellum contra imperii leges ſuſcipiunt, proſcribuntur, et bonis ac poſſeſſionibus mulctantur; et deficientibus heredibus maſculis [α] fere ditiones et poſſeſſiones eorum ad imperatorem redeunt. Tertium membrum civitates liberae conſtituunt, quae ſunt hodie circiter LX, cum prius plus quam XC numerarentur. Ex his conſtat reſpublica Germanorum; quae ſic ea ratione vocari poteſt, quod quamvis imperator primum,

dein

VAR. LECT. [α] fere *deeſt* P.D.o.

INTERPR. [a] *de Mentz* ou *Mayence*, *Cologne*, *& Triers* ou *Treves*. [b] *de Breme*. [c] *de Riga*. [d] *de Meiſſen*. [e] *de Bamberg*.

NOT. [1] *Magdeburgum*, urbs primaria, olim Parthenopolis a Venere Parthenia ibi culta, ſita ad Albim: Capnio Dmoadum Pyrgum vocat: Dmoades graece puellae ancillares ſunt, Germani per aphaereſin *Maid*, ſeu *Magd*, vocant ancillam: Aen. Sylvius hanc urbem vocat Virginopolim, corrupta compoſitione: Ptolemaeus *Μεσούιον* vocat. *Put.*

dein reliqui principes, ac poſtremo civitates liberae ſuas quaeque ditiones, jura, conſuetudines, et ſubditos, in quos ipſis jus vitae et necis eſt, habeant; tamen quia ſimul omnes imperio ſubditi ſunt, et ipſe Caeſar imperii caput imperii legibus eſt obnoxius, univerſi reipublicae unius ſpeciem exhibent. Quoniam vero ditiones ſingulorum ita permiſtae invicem ſunt, ut crebras de finibus et juribus inter ipſos controverſias oriri neceſſe ſit, ideo conſilia communia inter eos inſtituta ſunt, ſingula in ſingulis X circulis, in quos Germaniae provinciae omnes diſtributae anno [1] hujus ſaeculi XII, cum prius VI tantum circuli [α] eſſent. Quanquam et aliae conſtitutorum circulorum cauſae adſignentur, nempe ut eſſet unde ſenatus imperii, qui tunc ſumma cum auctoritate jus dicebat, ſuppleretur; deinde ut paci publicae conſuleretur, ac leges imperii lataeque ſententiae executioni demandarentur: nam circulorum conſilia nullam vere juriſdictionem, ſed deliberationem duntaxat de executionis modo et ordinanda re bellica auxiliiſque manu armata expediendis habent. I° Circulo continetur Franconia, in qua III epiſcopi: II° [a] Noricum et Baioaria, in queis VI epiſcopi: III° Auſtria et Tirolenſis ditio, in qua itidem VI epiſcopi: IV° [b] Suevia, in qua III epiſcopi, et Wirtembergenſis principatus, plurimaeque civitates liberae: V° Alſatia inferior, in qua XI epiſcopi, duces Sabaudiae et Lotaringiae; nam ſuperior tota eſt ditionis Auſtriacae: VI° Palatinatus Rheni, in quo III viri eccleſiaſtici: VII° Weſtfalia, in qua VIII epiſcopi; praeterea Friſia orientalis, dux [c] Juliaci et Cliviae, comes [d] Waldecius: VIII° Saxonia ſuperior, Miſnia et Luſatia, in queis VII epiſcopi, dux Saxoniae ſeptemvir, dux Pomeraniae, marchio Brandeburgicus ſeptemvir, princeps Anhaltinus, [e] Gedanum civitas, aliae: IX° Saxonia inferior, in qua archiepiſcopi Bremenſis et Magdeburgenſis, epiſcopi V; etiam rex Daniae propter poſſeſſiones atque Holſatiam inprimis, quas in imperio obtinet; duces [β] Brunſvicus, [f] Megalopolenſis, et [γ] Luneburgicus: X° denique Burgundia ſuperior ſive [g] Sequani, in queis [h] Veſuntinus archiepiſcopus; is circulus ab Auſtriacis Burgundiae principibus nuper additus, in quo et praecipui Belgici proceres comprehendi voluerunt. His conſiliis princeps aut aliquis ex primaria nobilitate in uno quoque circulo praeficitur; cui quatuor conſiliarii attribuuntur. [δ] Ad graviores cauſas inter principes et civitates decidendas ordinata eſt Spirae camera, cui praeeſt princeps aliquis ſeu comes ſeu baro: aſſeſſores [ε] huic hodie V a Caeſare dantur, inque his tres e comitum aut baronum ordine praeſides; a ſeptemviris X, ab Auſtria I, a Burgundia I, a VI circulis XVIII, [ς] ab IIII circulis VI; quibus omnibus qui in univerſum XLI ſunt, Caeſar praeſidem ſummum primariumque, judicis Cameralis nomine, praeficit. Atque haec quidem privato juri inter principes ſingulos et civitates diſceptando conſilia inſtituta ſunt. Verum quae ad imperii majeſtatem, rempublicam et jus univerſorum pertinent, ut cum de pace, de bello, de tributis in communis belli ſumptus imponendis, de foederibus, de ſociis, de legum latione, abrogatione aut interpretatione, [ζ] de moneta, et ceteris hujuſmodi rebus agitur, de iis in ordinum comitiis (dietas vocant) quae, quo loco et tempore commodum videtur, indicere imperatori

jus

VAR. LECT. [α] eſſent. I° continetur Franconia, &c. *ſex circiter lineis omiſſis* P. D. o.
[β] Brunſvicenſis P. D. o.
[γ] Luneburgenſis P. D. o.
[δ] praeterea ad P. D. o.
[ε] huic VI a Caeſare dantur, totidem a ſeviris, ſinguli a ſingulis; II item ab unoquoque circulo partim equeſtris ordinis, partim juris periti. Atque haec quidem P. D. o.
[ς] a IIII circulis (in eo numero comprehenſis Auſtria et Burgundia provinciis) VI; quibus omnibus D. f.
[ζ] de moneta *deſunt* P. D. o.

INTERPR. [a] *l'archeveſché de Saltzburg & Baviere.* [b] *la Souabe.* [c] *Juliers & Cleves.* [d] *Waldeck.* [e] *Dantzick.* [f] *Meckelenburg.* [g] *la Franche comté.* [h] *de Beſançon.*

NOT. [1] ſcilicet A.D. 1512. *Put. L.*

jus eſt, deliberatur. Iis imperator, principes, aut principum et civitatum legati intereſſe, inſtare, ſupplicare, intercedere poſſunt, pro dignitatis gradu et ſuffragiorum praerogativa, quam juxta conſuetudines et leges in imperio promulgatas et receptas obtineut. Huic reipublicae Germanicae ex tot principibus, tam in Germania, in qua, uti explicavimus, juriſdictioni imperiali ſubſunt, quam extra Germaniam ad imperium pertinentibus, tot civitatibus, adde etiam foederatis populis compoſitae, quid in omni antiquitate conſerri poſſit, non video; niſi aut Amphictyonum conſeſſum ab Amphictyone Athenienſium rege, Deucalionis filio, [a] Promethei nepote, primum ad Thermopylas, dein apud Delphos ab Acriſio inſtitutum, ſicuti a Strabone proditum eſt, qui XV Graeciae populos complectebatur; aut Achaeorum denique concilium, quod ſub Arato Sicyonio maxime immenſum viguit. Verum haec cum Germania comparata, quaſi muſca ad elephantum: nam facile ſuit, ut populi inter ſe contermini, exterorum injuriis obnoxii, cum alter alterius ope indigerent, una convenirent, et idem ſentirent communis ſalutis tuendae cauſa: quemadmodum et facile ii conventus aut externis opibus aut domeſticis diſſenſionibus poſtea diſſoluti ſunt; quamvis eorum umbra quaedam etiam ſub Romanis imperatoribus remanſerir. Mirum vero tot potenteis populos, non vicinorum metu aut ulla neceſſitate adductos in hanc ſtatus ſormam conſenſiſſe, et ſemel acceptam per tot ſaecula tam conſtanter retinuiſſe, ut nullum robuſtius corpus, licet ex debilibus plerumque membris conflatum, ſi ſingulos ſpectes, aut hodie ſit, aut olim fuiſſe homines meminerint. Et quod magis admirabile eſt, cum ex diverſis adminiſtrationum generibus conſtet, ſumma concordia ab eo tempore inter eos exſtitit; niſi ſi quando ſemina diſſenſionum inter eos jacta ſunt, quibus id effectum eſt, ut excuſſo imperii jugo, pontifices in Italia rerum potiti ſint, et ad alias nationes atque adeo Germanos ipſos paulatim pontificii nominis terror pervaſerit, ſalva tamen et incolumi in Germania ad noſtra uſque tempora imperii majeſtate.

III. SED exorto Luthero, diſtractis principum et populorum animis, et quo ſibi ac religioni proſpicerent diverſas ſe in factiones ſcindentibus, Carolus V tot ſucceſſibus elatus, arridente fortuna, occaſionem arripuit imperii, cujus ipſe pars erat, ſibi ſuiſque proprio jure aſſerendi: id ſibi tot victorias ſpondere, atque adeo ſibi deberi tum confidebat, tum vero et rem tentare honorificum et quodammodo neceſſarium exiſtimabat. Nam cum aliquot ante annis, ut imperium in familia firmaret, Ferdinandum fratrem regem Romanorum Coloniae renunciaſſet, id ſeptemviri et alii Germani principes, quod contra [a] Carolinae conſtitutionis leges factum eſſe dicerent, magnopere improbabant, et ſine ſeptemvirorum conſenſu potuiſſe fieri negabant. Itaque et eo nomine [b] Saxo, [c] Heſſius, Willelmus et Ludovicus [d] Baioari fratres libertatis Germanicae tuendae cauſa clam foedus icerant cum Franciſco; qui C aureorum millia in eam rem apud Baioaros depoſuerat, ut in promptu eſſent, ſi quid inopinati accideret. Sed cum in cauſa religionis poſt proſcriptum Lutherum diverſa diverſis temporibus imperii decreta edita fuiſſent, quibus fere receptae et antiquae religionis auctoritas aſſerebatur, et ne quid in ejus praejudicium fieret, ſevere cavebatur, undique prementibus Gallis, hujus ſaeculi anno XLIV [e] Spirae poſt multas diſceptationes in comitiis poſtremo conſtitutum eſt, Caeſar daret operam, ut ex ſententia piorum juxta et doctorum virorum ratio iniretur de emendando eccleſiae ſtatu, cujus emendationis formula perſcriberetur:

VAR. LECT. [a] Promethei nepote, ad Thermopylas et apud Delphos inſtitutum, qui XII Graeciae populos *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *bulle d'or de l'empereur Charles* IV. [b] *l'electeur de Saxe.* [c] *landgrave de Heſſe.* [d] *de Baviere.* [e] *Spire,* Germ. *Speyer.*

Digitized by Google

perſcriberetur: ipſi viciſſim principes idem facerent, quo proximis comitiis facta utriuſque collatione de communi conſenſu ad Dei gloriam aliquid ſtatueretur, quod in poſterum eo uſque obſervaretur, donec publicum et liberum concilium in Germania peragendum, aut ſaltem nationis Germanicae conventus celebrari poſſet: interea pacem inter ſe colerent omnes, nullique motus religionis ergo excitentur: eccleſiaſtici coetus, utram-utram religionem profiteantur, facultates utrobique ſuas obtineant; ex iiſque, miniſtris, ſcholis et egenis, quantum ſat erit, erogetur. Jam de camera Spirenſi ſaepius actum fuerat, Proteſtantibus odio religionis male ab infeſtis et ſuſpectis judicibus ſe haberi querentibus. Itaque decernitur, ut judices tunc ordinati uſque ad praefinitum quidem tempus in ſuo loco remanerent: cum vero id exiiſſet, tunc in eum conſeſſum admitterentur omnes promiſcue nullo religionis diſcrimine. Proteſtantes hoc a Caeſare impetrato decreto, cum in bellum Gallicum et Turcicum auxilia omnia, quae petebantur, libentiſſime commodaſſent, voti ut ſibi videbantur compotes ac ſecuri degebant. Verum Caeſar pace nobiſcum facta, et belli Turcici metu ſolutus, quod interventu Franciſci, qui ea de cauſa Jo. Monlucium Conſtantinopolim miſerat, inducias facile impetrare ſperaret, omnem curam in bellum Germanicum intendit, rebuſque in Belgio ordinatis, [a] Wormatiae Vangionum imperii ordines convocat. Cum valetudine praepeditus adeſſe non poſſet, Ferdinando fratri negotium dat, ut ipſius nomine conventus haberet. Venit Ferdinandus IX Kal. Apr. legatis eo antea a Caeſare miſſis Othone [b] Truchesio cardinali Auguſtano, et Friderico Furſtembergio. Ibi qua de cauſa conventus indictus ſit a Ferdinando primum exponitur; videlicet, ut toties agitata de religione quaeſtio componatur, camera conſtituatur, pax ſtabiliatur, de bello Turcico conſilia conferantur: dein excuſata Caeſaris abſentia, qui propediem venturus ſit, poſtulat a principibus, ut interea de rebus communibus deliberetur, ut cum Caeſar venerit, decerni aliquid et ſtatui poſſit: a Deo ducendum eſſe initium, ut ſopitis de religione controverſiis expeditius in Turcam eatur; Caeſarem ea de cauſa vel iniquis cum Gallo conditionibus tranſegiſſe, ut aut eum adjutorem haberet, aut ſaltem eum hoſtem a tergo non haberet, in communem Chriſtiani nominis peſtem os et oculos obvertere ſecurius poſſet; quin et hoc a Gallo impetraſſe, ut concilio [c] [α] Tridentum indicto ſubſcriberet: petere viciſſim, ut et ipſi ſynodi decretis ſe ſubjiciant; ſic enim fore, ut ſublatis offenſionibus eccleſiae concordia ſarciatur, et optata tranquillitas Germaniae atque adeo toti Chriſtiano orbi reſtituatur: non oblitum eſſe Caeſarem, quid ultimis Spirae comitiis decretum ſit; nam et doctis et piis viris negotium dediſſe conſcribendae emendationis formulae, quam ab iis acceptam penes ſe habeat: ceterum rem eſſe altioris indaginis, et quae longiorem deliberationem requirat, quam ut per haec tempora expediri poſſit, ingruente praeſertim bello Turcico: itaque melius conſultum videri, ſi ea emendatione in praeſentiarum omiſſa, concilii, quod proxime inchoari debeat, qui ſit futurus exitus exſpectetur; et ſi quidem appareat nullum futurum, ante finem hujus conventus, nova indicantur comitia, quibus de religionis cauſa ſtatuatur: [β] quod ad cameram imperialem attinet, a qua, ſi cui vis fiat, auxilium petendum ſit, orare, ut de conferendis in eam ſtipendiis, et de conſtituendis judicibus quamprimum agatur; in quo ſi inter ipſos non conveniat, petere ut totum negotium fidei et arbitrio Caeſaris committatur: ſupereſſe, ut de bello Turcico deliberetur, inferendum ſit an cunctandum, et praeſidiis per limites diſpoſitis defenſando potius quam invadendo res geri debeat: undique crebris nunciis afferri,

VAR. LECT. [α] Tridenti *P.* Tridentium *D. o.* [β] quod *P.*

INTERPR. [a] *Wormes.* [b] *Truchſes, cardinal d'Augſpurg.* [c] *Trente.*

afferri, Turcam cum potenti exercitu in Pannoniam deſcendere, eoque rem adductam eſſe, ut maturari auxilia et pecuniam in eam rem conferri quamprimum oporteat. Ad ea Proteſtantes, et in his Colonienſis et Palarinus III Non. Apr. ſcripto reſponderunt; mirari ſe, quomodo cum religionis cauſa convenerint, ut juxta [a] Spirenſe decretum de ea ſtatuatur, totum negotium ad concilium Tridentinum remittatur, quod ipſi ut minime legitimum et liberum probare non poſſe jam ſaepius profeſſi ſunt: prius ergo eſſe, antequam de bello Turcien agatur, ut concordiae inter eos ſarciendae ratio ineatur; fruſtra enim, diſſidentibus ob religionem animis, de bello communibus ſumptibus ſuſcipiendo deliberari. Quorſum enim hoc turbulento rerum ſtatu bellum ſuſcipi, niſi ut Germaniae et Italiae vires atterantur nullo profectu? prius pacem domi ſtabiliendam eſſe, quam ad bellum externum proficiſcantur principes: nec dubitandum, rebus domi pacatis, ac conſcientiis inprimis, quin alacrius multo in Turcam ſint ituri, et alacritatem Deo proſperante felix et fauſtus ſecuturus ſit exitus. Interea Spirenſi decreto ſtetur, nec cuiquam propter religionem periculum creetur. Camera etiam Spirenſis ita ordinetur, ut cuique jus a minime ſuſpectis judicibus aequabile reddatur. Proteſtantibus intercedentibus reliqui principes religionis controverſias ad concilium Tridenti indictum referri, et cameram ex antiquis imperii legibus conſtitui, in qua ſecundum jus ſcriptum judicetur, poſtulant: interea ex omni numero deligi petunt, qui de bello Turcico conſilia conferant. Poſt multas altercationes, quibus ad Nonas uſque Maias res extracta eſt, cum Caeſar jam in itinere eſſe nunciaretur, in ejus adventum dilatum negotium. Is XVII Kal. Jun. [b] Wormatiam venit: poſtridie Alexander Farneſius cardinalis Pauli III nepos eo etiam acceſſit. Valde pupugerat pontificis animum mentio de perſcribenda emendationis formula decreto Spirenſi injecta: itaque eo miſſum Farneſium haud temere a pleriſque creditum eſt, ut decreti illa pars revocaretur: nihil tamen ab eo publice actum. Coram Caeſare repetita actio; cujus ſumma erat, ut modo religionis cauſa nihil moveatur, neque Tridenti indicto concilio, quod pro legitimo non habeant, parere teneantur; et camera juxta Spirenſe decretum ordinetur: hac lege de bello Turcico in praeſentiarum conſilia conferantur. Quod ſe praeſtare non poſſe Caeſar per [c] Granvellanum et [d] Navium reſpondit. Qui enim excuſare ſe poſſit apud orbis Chriſtiani principes, ſi concilio, quod ipſorum cauſa cogatur, non pareant? ſi quas habeant legitimas ſuſpicionis cauſas aut objectiones, eas quominus coram patribus proponant, non impedire; modo et legatos eo mittant, nec antequam de progreſſu et exitu concilii conſtet, ejus auctoritatem defugiant. Aderat [α] [e] Ludovicus Æmarius Griniani [1] comes, qui Franciſci nomine principes, ut Ferdinandi verbis fidem faceret, oravit pro amicitia quae ipſi cum imperio intercedebat, ut conciliandis religionis diſcordiis gnaviter incumberent; et quando concilium a pontifice ea de cauſa indictum eſſet, legatos illuc mitterent, et ſe illius ſententiae pariturus promitterent. Grinianus, licet literarum rudis, ex [f] Turnonii cardinalis cognati conſilio, qui impenſe pontificis auctoritati ſaveret, Wormatiam miſſus fuerat, ut, cum de Caeſaris et Franciſci voluntatum conſenſione conſtaret, Proteſtantibus terror injiceretur, quo minus concilii auctoritati intercederent. Tandem cum fruſtra diu de

VAR. LECT. [α] Giraldus *P. D. o.*

INTERPR. [a] *de Spire.* [b] *Wormes.* [c] *le chancelier de Granvelle.* [d] *de Naves.* [e] *Louis Adhemar, baron (puis comte) de Grignan.* [f] *François Juſte de Tournon.*

NOT. [1] La baronie de Grignan fut en faveur de ce Louis Adhemar erigée en comté par lettres du mois de Juin 1558; & il mourut la même année ſans enfans. *C.*

de religionis cauſa, de camera, de bello Turcico diſceptatum eſſet; quod nulli aut admodum pauci principum legati adeſſent, Caeſar prid. Non. Sextilcis conventum diſſolvit, et in proximum menſem Januarium Ratiſponam comitia indicit, eo ſi per valetudinem liceret, venturum ſe recipiens: ipſi viciſſim ut adſint, hortatur. Atque ut aliquando religionis diſſidium componatur, aliud theologorum colloquium inſtituit, et utrinque quaternos collocutores, ac binos auditores, eoſque ſub Kal. Dec. adeſſe Ratiſponae, et ante comitia collationem inchoare jubet.

IV. Res ad diſcordiam jam manifeſtam ſpectanteis ad bellum omnino inclinavit Henrici Brunſvici protervia. Is ingenii turbidi et vitae perditae homo, in Galliam profectus a Franciſco grandem pecuniam emunxerat, ſpecie conſcribendorum in Germania militum contra Anglum, qui et ipſe in Saxonia duce Friderico [a] Riſebergo delectus habebat: ſed accepta pecunia et magna militum manu, quam occultiſſime potuit, coacta, alio vireis et conſilia vertit; et quanquam a Caeſare, ut ab armis diſcederet et legibus experiretur, palam juberetur, [b] Roteburgum Bremenſis ditionis oppidum fruſtra aggreditur: inde per inferiorem Saxoniam populabundus diſcurrit, et civitatibus maritimis, niſi a Smalcaldica foederatione diſcedant, omnia extrema minatur. Id injecit ſuſpicionem non mediocrem Proteſtantibus, conniventia, immo conſilio Caeſaris rem geri, occaſionem bello ex ſucceſſibus Brunſvici quaerentis. Itaque occupandum rati, duce [α] Philippo Heſſo exercitum quam celerrime conſcribunt. Mauritius Henrici filius et Erneſtus Brunſvicus copias conjunxerunt, et recta contra Brunſvicum, qui tum [c] Wolfebutellum primariam agri Brunſvici arcem obſidebat, ducunt. Is exitus belli fuit, ut poſt multas ludificationes fruſtra deprecante et ſatagente pro Henrici ſalute Mauritio, poſtremo ipſe ſe et victorem filium in Heſſi manus victum tradere cogeretur. Id cum Caeſar, qui tunc Brugis erat, ex literis Heſſi, qui Henricum et ſocios proſcribi poſtulabat, reſciviſſet, viciſſim ad Heſſum per Nic. [d] Conritium literas dat, cum mandatis, quibus culpam Henrici elevare conabatur, et ut ipſe moderate victoria uteretur, captivumque pro vetere principum conſuetudine liberaliter et honeſte haberet, hortabatur. Poſtremo cum nullum ei aut ſociis amplius metuendum eſſet periculum, petebat, ut copias dimitteret, pacemque coleret, et ſi quid illi ob belli ſocietatem aut ſummiſſum Henrico auxilium ſuccenſeat, legibus experiretur. Auxit ſuſpicionem, quod Caeſar publicae pacis violatae poenam Henrico et ſociis irrogare recuſaret, intereaque ſpecie belli Turcici comparatis copiis et undique accerſitis auxiliis maximum belli apparatum inſtrueret. Quanquam multis perſuaſum fuit, Caeſarem initio ad arma Turcica propenſum, unde plus gloriae, minus damni et invidiae reportare potuiſſet; dein a pontifice, cum quo Genuae [β] [e] Nicaeae, [f] Lucae, ac poſtremo [g] Buxeti familiare colloquium habuerat, inductum ſententiam mutaſſe, et arma contra Turcam parata in Germanos vertiſſe, peſſimo, ſed ſolemni et uſitato pontificibus Romanis, ſicuti Proteſtantes jactabant, conſilio, qui eos inter Chriſtianos, qui ipſorum nimiam potentiam in dubium vocant, capitaliori odio, quam ipſos Chriſtiani nominis hoſteis, hactenus ſemper [γ] proſecuti ſunt. Igitur Caeſar ſive pontificis conſilio, qui magna auxilia pollicebatur, ſive ambitione, aut etiam neceſſitate ob eas quas diximus cauſas adductus, exeunte anno Gerardum [h] Veltvicum hominem doctum et linguarum apprime peritum Conſtantinopolim miſit, ut de induciis cum Turca Ferdinandi nomine ageret, quo jam ante [i] Monlucium a Franciſco miſſum intelleximus. Cum theologi

Ratiſponae

VAR. LECT. [α] Lantgravio *ubique* *P. D.* o. f. [γ] perſecuti *P. D.* o. f.
[β] Niceae *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Reiffenberg.* [b] *Rotenburg.* [c] *Wolfenbuttel.* [d] *Conritz.* [e] *Nizza.* [f] *Lucca.* [g] *Buſſeto.* [h] *Feldwig.* [i] *Jean de Montluc, évêque de Valence en Dauphiné.*

Digitized by Google

Ratiſponae conveniſſent, ſicut praeceptum erat, miſſi qui Caeſaris nomine praeeſſent, Mauritius epiſcopus [a] Eiſtetenſis, et Fridericus comes Furſtembergius collega. A[a] die VI Kal. Febr. ad III Kal. Apr. longis et implexis diſputationibus, quippe CIↃIↃXLVI.
cum de ratione agendi inter ipſos non conveniret, ab utraque parte tempus extractum eſt. Tantum de juſtitia, quae nobis imputatur, actum eſt inter Petrum Malvendam, Eberardum [b] Billicum et Martinum Bucerum. Tandem re infecta Proteſtantes primi diſcedunt, aegre id ferente Caeſare, quod diſſoluto colloquio, rei, quam occulte moliebatur, tegendae commoditatem eripi doleret. Jam enim ubique fama de bello Germanico percrebuerat: eaque de cauſa Proteſtantes [c] Francofurti ad Moenum convenerant, ut in commune conſulerent, et juxta Smalcaldicum foedus, injuriam, ſi quae religionis cauſa inferretur, communibus armis et ſumptibus propulſarent. Ibi palam actum de concilio Tridentino, quod eo anno inchoandum eſſet, de foedere prorogando, de belli Brunſvicenſis jam confecti ſumptibus, de non deſerendo Colonienſi Romam ad cauſam dicendam a pontifice vocato, de ſolicitando denique Caeſare, ut quod de religionis cauſa Spirae decretum ſit, confirmet, et cameram, ſicuti toties receperit, conſtituat. Eodem fere tempore Palatinus, ut ſuorum votis, ſic enim aiebat, ſatisfaceret, cum in religione jam multos annos conciliationem et emendationem fruſtra ſperaſſet, remque differri diutius periculoſum exiſtimaret, per ditionem ſuam abolita pontificia auctoritate doctrinam Lutheri recepit, eaque de cauſa Paulum Fagium [d] Tabernis Rhenanis in Palatinatu natum Heidelbergam evocavit. Is ſub Wolfango Capitone perfectiſſimam linguae ſanctae cognitionem adeptus, cum egeſtate premeretur, Petri Buſleri viri locupletis [e] Iſnae, in qua ille docebat, ſenatoris liberalitate ſublevatus, Heliam illum Judaeorum doctiſſimum accerſendum curavit, et inſtituta typographica officina maximum ad ſolidam rerum Hebraicarum intelligentiam momentum attulit. Cum urgeret Palatinus, ut [f] Moguntinus et Trevirenſis legatos ad Caeſarem pro Colonienſi collega mitterent, illi offenſionem veriti recuſarunt. Tandem delegatis a ceteris principibus, qui pro Colonienſi apud Caeſarem intercederent, conventus ſolvitur.

V. INTEREA Heſſus ad [g] Granvellanum ſcribit, undique afferri, bellum a Caeſare et pontifice contra Germanos parari; ita ut e [h] Belgio in Colonienſem, ex Italia in ſuperiorem Germaniam fiat impetus, jamque ad id copias coactas: quorſum enim eae pertineant, pace cum Gallo facta, et induciis cum Turca, uti nunciatur, pactis, non videre: ceterum cum id contra pacificationem Norimbergae primum, dein Ratiſponae et Spirae confirmatam fiat, non poſſe in animum inducere, Caeſarem in eos, quos de ſe bene meritos et ſemper obſequenteis expertus ſit, quidquam inclementius moliri: ſui tamen officii exiſtimaſſe ipſum de ea re familiariter monere. Eadem occulte ab [i] Auguſtanis per Sebaſtianum [k] Schertelium ducem ſtrenuum ad Palatinum atque ipſum Heſſum perlata ſunt. Granvellanus contra reſponſo ad Heſſum dato, pernegare quidquam contra ipſos parari; et ſi quos milites conſcribat Caeſar, id alio ſpectare; poſtremo Caeſarem pacis cupidum et ab omni belli cogitatione alienum confirmare. Caeſar jam de conventu Francofurti habito reſciverat per Chriſtophorum [l] Carlebicium a Mauritio Saxone, quamvis huic foederi nomen minime dediſſet, miſſum Francofurtum. Itaque veritus, ne illi, quod erat, ſuſpicati anteverterent, [m] Navium ad Colonienſem et Moguntinum (is erat Sebaſtianus [n] [a] Heuſenſtamius in locum Alberti Brandeburgici

VAR. LECT. [a] Heſeſtenius *P.D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *d'Eyſtet*, Germ. *Eychſtad*, ou *Archſtat*. [b] *Billick*. [c] *Francfort ſur Mein*. [d] *Reinzabern*. [e] *Yſſna*. [f] *electeurs de Mayence & Treves*. [g] *Nicolas Perrenot, ſieur de Granvelle*. [h] *Pays bas*. [i] *ceux d'Augſpurg*. [k] *Schertel*. [l] *Carlbitz*. [m] *de Naves*. [n] *Huſenſteim*.

Brandeburgici nuper mortui ſuffectus) atque Palatinum ſeptemviros mittit, qui eadem, quae Granvellanus ſcripſerat, voce praeſenti confirmaret. Verum cum ad Proteſtantium pro Colonienſi interceſſionem, cui ſe adjunxerat Brandeburgicus ſeptemvir, Caeſar minime ex eorum ſententia reſpondiſſet; et interea inchoato Tridenti concilio (id actum VII Eid. Jan.) ſcirent urgere pontificios miniſtros, uti Germaniae principes ſe decretis illius parituros promitterent, omnia, ſecus quam a Caeſarianis dicerentur, a foederatis accipiebantur. Quia tamen Navius cum apud [α] Reinhardum comitem [a] Solmenſem in itinere divertiſſet, deque belli rumoribus qui circumferebantur ſermonem habuiſſet, dixerat ſibi conſultum videri, ſi Heſſus ad Caeſarem veniret; ſic enim fore, ut omnis ſuſpicio et diffidentia, quae ex delationibus utrinque factis nata ſit, tolleretur: Heſſus a Solmenſi monitus acceptis publicae fidei literis Spiram acceſſit, quo jam Caeſar Ratiſponam iturus venerat. Affuit et Palatinus ſeptemvir, et Willelmus [b] Masbachus Wirtembergici principis orator. Heſſus primum ad privatum colloquium admiſſus coram Caeſare, quod nuper Francofurti actum ſit, excuſat: et qui rumores de bello Germanico impulſu pontificis a Caeſare gerendo ubique ſpargantur, exponit: [β] poſtulatque ut, quod hactenus ab ipſius clementia ſperaverint, controverſia religionis rite coacto Germanicae nationis concilio dirimatur: pax interea Spirenſibus comitiis promiſſa inviolabiliter ſervetur, nec cuiquam Auguſtanae confeſſionis profeſſio fraudi ſit. Cum Caeſar contra dilutis ſuſpicionibus, quae a Proteſtantibus objiciebantur, urgeret, ut concilio Tridentino, quod ipſorum rogatu et cauſa congregandum curaverit, ſe ſubjicerent, Heſſus contra illud tanquam illegitimum repudiabat, quippe in quo libertas diſceptandi non detur, neque in pontificem citra periculum dicere liceat; ad hoc Joannis Huſſi exemplum in medium proponebatur, et recens [c] Jo. Diazii Hiſpani paricidium, quod religionis praetextu excuſabatur; eoque fieri dicebat, ut boni quidquam aut ſani a pontifice et pontificiis miniſtris ſpetare non poſſint. Heic interfatus Caeſar non ea ſe mente concilium cogi curaſſe dicit, ut cuiquam ex confeſſionis Auguſtanae ſociis vis fiat, quicquid tandem in eo decretum ſit; ſed cum de eccleſiae cauſa agatur, ut patres, ſi quid in doctrina et diſciplina peccatum ſit, emendent, atque ipſi in ſe ſuoſque mores ſevere inquirant. Hactenus nihil a Caeſare expoſtulatum de injuriis ob controverſiam de regno Romanorum ſibi et Ferdinando fratri a foederatis et aliis principibus factam, de reſtituto Ulrico [d] Wirtembergico, et Henrico Brunſvico capto ac ſpoliato, ne quam belli ſuſpicionem vel mediocrem injiceret. Verum quo res tegeretur, et imparati facilius opprimi foederati poſſent, poſtulatum, ut rurſus theologi, qui re infecta diſceſſerant, Ratiſponam convenirent; quo et Heſſus ipſe ſi ſub initium non poſſet, ſaltem ſub exitum comitiorum accederet. Eadem et poſtea coram Palatino acta: ubi cum Heſſus inſtaret, ut Spirenſi decreto ſtaretur, Granvellanus ingenue confeſſus eſt, illud tempori fuiſſe accommodatum, quo facilius Caeſar auxilia a Germanis contra Gallum impetraret et, ne Gallus in Germania militem poſſet conſcribere, impediret: ceterum integrum eſſe, ut de aequitate ejus amplius deliberetur. Poſt multas altercationes, ex Palatini ſententia de re tota ad Ratiſponenſia comitia, quorum tempus inſtabat, referri placuit. Lata interim Romae ſententia XVII Kal. Maias Colonienſis eccleſiae communione ſummovetur, atque inſuper mandatur ipſius ditionis nobilitati et plebi, ne deinceps ei pareant, jurejurando, quo ſint ei obſtricti, remiſſo.

VI. Sub

VAR. LECT. [α] Raenardum *P. D.* o. f. d. [β] poſtulat ut, quod hactenus ſperaverint, id ab ipſius clementia conſequantur: ut controverſia *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *de Solmes.* [b] *Maſſenbach.* [c] *Jean Diaz.* [d] *Wittenberg.*

VI. Sub id tempus Martinus Lutherus turbarum contra pontificiam auctoritatem conciliatarum auctor, annos natus LXIII, [a] Iſlebii in patria, quod eſt Manſfeldicae ditionis oppidum, moritur XII Kal. Mart. illuc [α] Witemberga, ubi docebat, a Mansfeldiis comitibus vocatus, et arbiter electus, ut diſſidium, quod inter ipſos de finibus et hereditate erat, componeret. Poſt coenam proxime ante noctem, qua deceſſit, cum rogaretur, num in illa ſempiterna vita ſimus alter alterum agnituri, ita eſſe aiebat, et ſcripturae teſtimoniis confirmabat. Ut certatim eum vivum multi complexi, ſic nec morte quidem ab ejus amore divelli potuerunt. Mansfeldii ſiquidem cadaver, quod hinc originem duceret, in ſuis finibus ſepeliri debere contendebant: ſed vicit Jo. Friderici auctoritas, qui, ut Witembergam referretur, atque ibi terrae honorifice mandaretur, [β] obtinuit. Morienti adſtitit Juſtus Jonas [b] Nortuſa veteri Cheruſcorum oppido natus, olim Jo. Friderici Saxonis ſeptemviri liberorum educationi admotus eorumque fortunae calamitoſiſſimis temporibus perpetuus comes, et Lutheri ipſius ad extremum conſtans miniſter, qui decimo poſt anno atque adeo climacterico ſuo [c] Eisfeldiae, ubi docebat, fatis conceſſit. CIↃIↃXLVI.

VII. Caesar menſe Junio Ratiſponam venit; venerunt et Proteſtantium legati. Ibi Moguntinus et Trevirenſis, cum Colonienſi jam Romae proſcripto, et Palatini, Saxonis et Brandeburgici ſeptemvirorum legatis, minime conſilia, uti fieri aſſueverat, communicant: ſed Caeſaris voluntati morem gerentes continuo concilium Tridentinum approbant, et Caeſarem, ut illud tuendum ac ſervandum ſuſcipiat, hortantur, poſtulantque, ut eo Proteſtantes veniant, et in ſynodi decreta conſentiant. De induciis cum Turca pactis jam vulgabantur ſermones: itaque Caeſar, ne nimia diſſimulatione ſuſpicionem augeret, faſſus eſt interventu regis Galliae impetratas unius anni inducias: renovata tamen belli Turcici mentio, quod illas menſe Octobri proximo exituras diceret; ut cum de bellico apparatu, qui in [d] Belgio et in Italia inſtruebatur, conſtans quotidie rumor afferretur, id tantiſper expeditionis Turcicae praetextu excuſaret, dum res in apertum bellum erumperet. Cum inde Spirenſe decretum urgerent Proteſtantes, inde Caeſar in ſententia permaneret, ut Tridentino concilio negotium religionis permitteretur, tandem palam ad arma ventum eſt: biduoque poſt Aliprandum [e] Madrucium, Georgium [γ] Regensburgium, Jo. Jacobum [f] Medicinum Meleniani marchionem (ille Inſuber, ſed propter adfinitates multae auctoritatis inter Germanos dux) et Georgium [δ] Schaumburgium comitem cum pecunia dimittit, ut delectus habeant: inprimiſque Maximiliano [g] Eemondano Burano negotium dat, ut coactas in Belgio peditum et equitum copias quam celerrime et tutiſſime ad ſe in Germaniam adducat. Miſſus et Romam Chriſtophorus Madrucius cardinalis ad promiſſa auxilia quam citiſſime evocanda. Pontifici certo conſtabat religionis cauſa bellum geri: itaque jam anno ſuperiore de numeroſo exercitu conſcribendo fama diſperſa, et ducibus electis momento ad ſigna omnes confluxerunt. Apud Germanos principes, quorum plerique, etiam ex iis qui Caeſarem ſequebantur, Lutheri doctrinam [ε] colebant, aliae praetexebantur rationes; nempe imminui majeſtatem imperii, et paulatim

VAR. LECT. [α] Virtemberga *P. D. o.* [β] obtinuit. *Hinc ad* Caeſar menſe *quinque circiter lineae deſunt P.* [γ] Regenburgium *P. D. o.* Fronsbergium *MSS. Reg. Samm. et ita Adriani p.* 335. [δ] Schombergium *MS. Reg.* [ε] amplectebantur *P. D. o.* & d.

INTERPR. [a] *Eiſleben, au comté de Manſfeld.* [b] *Northauſen en la haute Saxe.* [c] *Eiſfeld.* [d] *Pays bas.* [e] *de Madruce,* ou *Madruzzo, bourg au pays de Trente.* [f] *de Medicis,* ou *Medicino, marquis de Marignan, Milanois.* [g] *d'Egmond comte de Buren.*

CIƆIƆXLVI. paulatim paucorum audacia, qui ceteros peſſimo exemplo corrumpant, in contemptum abire. Bellum igitur ſe ſuſcepiſſe aiebat Caeſar, non religionis, ſed juris et aequi conſervandi, imperatoriae dignitatis et Germanicae libertatis recuperandae cauſa, quam per ſeditioſos oppreſſam doleant omnes boni: ſui igitur officii duxiſſe, quantum habeat virium et potentiae, id omne tuendae imperii majeſtati impendere; nec aliud quaerere, quam ut paucorum caſtigatione Germanicae ſaluti et ſecuritati conſulatur. In hanc ſententiam ad Colonienſem et Palatinum ſcripſit; ac poſtea etiam ad civitates, atque inprimis ad [a] Argentinenſeis, Norimbergicos, Auguſtanos et Ulmenſeis. Admoniti et civitatum legati, qui comitiis intererant, a Navio et Granvellano, ut ſuos in officio continerent, nec factioſorum quorundam conjurationis, qui ſpecie religionis omnia divina et humana jura confundant, et in alienas poſſeſſiones invadant, participes eſſe vellent: non civitates peti, quibus bene velit et faveat ex animo Caeſar; ſed ſeditioſos duces, qui niſi domiti, nunquam quieturi ſint: in eos tendere arma Caeſaris, pro amicis eos habituri, qui aut ſecum vireis conjunxerint, aut hoſteis non juverint. Argentinenſes ſuo et reliquarum civitatum nomine reſpondent, et refutatis criminationibus, quae Auguſtanae profeſſionis ſociis objiciebantur, Caeſarem a bello et ipſi et univerſae Germaniae exitioſo dehortantur, non obſcura ſignificatione hoſtilis animi, ſi ipſe hoſtili animo prior foederatos laceſſeret. Magnum momentum haerenti adhuc Caeſari addidit ſperatum a Germanis ipſis auxilium; quod haud facile factu crederet, Germanos tam potentem gentem omnino debellare, niſi viribus eorum diviſis Germanicum robur contrario Germanorum robore frangeret.

VIII. JOANNES Henricus Brunſvicus cum Joanne Brandeburgico Henrici captivi genero egerat, ut ipſe et una Albertus Joannis patruelis conjunctis ſecum viribus Heſſum plus nimio inſolentem reprimerent, et Henricum ex ejus manibus eriperent. Joannes haud gravate conſenſit, pudore non minus quam privata charitate motus; ſed Albertus condicta ſemel ad colloquium die, Egregium, inquit, o Joannes, tuque Henrice, pro ſocero et patruo uterque ſoliciti facinus aggredimini: ſed verendum, ut tanto certamini pares contra tam potenteis adverſarios, Joan. Fridericum Saxonem dico et Philippum Heſſum, ſitis; etſi enim et juſtiſſima et honeſtiſſima belli cauſa ſubeſt, quae eos ſumme inviſos omnibus Germaniae populis efficere debet; tamen cum religio, quae multos implicatos tenet, praetexatur, proculdubio eſt, plureis illius reſpectu ad eos ſe aggregaturos, quam perſonarum odio vobis in injuria vindicanda auxilio futuros. Itaque tutius videtur, ut occaſionem, quae ſe, uti ſpero, brevi in manus dabit, praeſtolemur, quam bonam cauſam praecipitatione amittamus: neque tamen id eo dico, ut conſilia veſtra morer, particeps utique proſperorum et adverſorum futurus, ſi vobis minime cunctandum eſſe videatur; in eamque rem fidem obſtringo, quam victoria aut clade nunquam vanam aut fluxam experiemini. Cum Joannes contra parata omnia diceret, et paratis differre noxium ſemper fuiſſe ſaepius inculcaret, foedus inter eos ictum eſt contra Saxonem et Heſſum; et ipſi XXV CIƆ. peditum, VIII equitum conſcribenda ſuſceperunt, quibus ſemeſtre ſtipendium ex aequis portionibus ab ipſis perſolveretur: tormenta et reliquum belli apparatum Joannes ex arce vicina ſubminiſtrabat. Albertus dux communi conſenſu delectus, qui ante omnia ad Caeſarem, cui percharus erat, proficiſceretur, et eum de re tota certiorem faceret. Neuter adhuc de alterius mente certus erat; ſed communicatis conſiliis uterque confirmatior redditus, tamen rem nondum omnino detegendam eſſe cenſuerunt. Neque deerant, qui Caeſarem interea arbitrum ſedere, et quis belli eventus

INTERPR. [a] *ceux de Strasburg, Nuremberg, Augspurg, & Ulme.*

eventus futurus eſſet, [α] ſpectare mallent: quorſum enim periculum ſuarum virium CIↃIↃXLVI.
cum facturum, quas integras habiturus eſſet, cum vel etiam is, quem minus vellet, victor non ſine ſanguine attritis viribus ab exercitu recenti facile debellari poſſet? Sed Caeſar, qui ſibi ſatis virium eſſe exiſtimabat, quibus cum hoſte integro confligeret; ad haec, qui metuebat, ne ſi a Brandeburgicis et Brunſvico ſolis res gereretur, et male cederet, infelici principio alacritas ſuorum retatdaretur, non ſolum ſociorum voluntatem laudavit, ſed et ei, ne quem forte alium quaererent, ſe ducem praebuit.

IX. JAM in armis erant ſuperioris Germaniae civitates et Ulricus Wirtembergicus, poſtquam accepto per [a] Navium reſponſo, de Caeſaris mente ipſis certo conſtitit; ita ordinato exercitu, ut alteram partem, quae ex XXIV vexillis et pleriſque e nobilitate conſtabat, Ulrici duces, alteram quae a civitatibus conducta eſſet, itidem a civitatibus lecti ducerent. Hi ad Ulmam convenerunt omnes, [β] et trajecto Danubio [b] Gunſpergum VIII Kal. Quintil. petunt: ibi poſtridie productus exercitus luſtratur. Duces erant Jo. [c] Hedecus, Sebaſtianus Schertelius, Baltazar [1] [d] Gutlingus, Sebaſtianus Beſſererus, Jodocus [e] Roſebergus, Jo. Harderus, Matthaeus [γ] [f] Langenmantellus. Hi civitatum copias certis conditionibus, uti fieri aſſolet, ſacramento adigunt, ut Schertelio pareant, donec principes foederis duces veniant. Idem cum Wirtembergicis actum, et ipſis Hedecus dux praeficitur. Heic Gutlingus ab Ulrico miſſus vir vehemens de omnium conſenſu hanc ad milites orationem habuiſſe fertur: Si de laude et gloria, commilitones, in hoc bello tantum ageretur, tamen ſperarem, vos majorum veſtrorum memores, qui toto terrarum orbe plurima ubique nominis ſui trophaea fixerunt, animis et robore non deſuturos, ut partam retro ſaeculis famam virtute tueremini. Nunc cum non de vita et fortunis tantum, quanquam et haec quoque petuntur, ſed, quod iis omnibus pretioſius eſt, de libertate et religione certamen ſit, non dubito vos eo animoſius annixuros, quo non jam patriam et homines, quibus multa debetis, teſteis, ſed Deum ipſum, cujus omnia noſtra ſunt, inſpectorem habetis, cui nunc conſiliorum et virtutis veſtrae rationem reddituri eſtis. Nam vitae et ceterorum, quae ad vitam commode degendam neceſſaria ſunt, jacturam, famae et gloriae comparatione, leviter ferimus; quandoquidem ea multis caſibus obnoxia extra nos potius quam noſtra ſunt. Nec enim de vita heic multum ſoliciti eſſe debemus, quibus potioris vitae poſt mortem ſpes eſt: verum pro illa in hac nobis elaborandum eſt, ut nos in hoc reſpirandi interuſurio ſic geramus, ut beatitudinis aeternae bona non amittamus. His auſpiciis fidem dedimus, commilitones; in hoc ſigna extulimus; haec ſumma conſiliorum, quae nunc agitantur, hic finis eſt. Libertatem virtute veſtra partam, machinis et aſtu cum hactenus Dei hoſtes avellere nequiverint, nunc armis et per vim eripere conantur. Et ille quidem, qui ſe paſtorem, qui ſe agni pacifici vicarium profitetur, quos verbo Dei in pace paſcere debuerat, ferro et flammis atrociter exagitat: pontificem Romanum dico, qui tot turbarum auctor Caeſarem prudentiſſimum alioqui et clementiſſimum principem ad arma contra nos capeſſenda ſuſcitat, ut acceptam ſcilicet a Germanis, nam id vulgo jactatur, in urbe poſtremo capta et direpta duce Carolo Borbonio injuriam, eodem, cujus auſpiciis illata eſt, miniſtro et vindice in inſonteis ulciſcatur. Quod etſi iniquiſſimum eſt, tamen patienter ferendum eſſet,
quando

VAR. LECT. [α] expectare *P. D. o. f. d.* [γ] Longemantellus *P. D. o. f. d.*
[β] et inde *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *de Navet.* [b] *Gunſperg.* [c] *Heideck.* [d] *de Gultlingen.* [e] *Roſenberger.* [f] *Langenmantel.*

NOT. [1] Gultlingenus *Put.*

CIƆIƆXLVI. quando nos falſam doctrinam amplecti paſſim blaterant, ſi nullum juſtius aut magis neceſſarium orbi Chriſtiano et ipſius adeo cervicibus bellum immineret. Nunc cum quotidie Turcam cum potentiſſimo exercitu in Pannoniam deſcendere afferatur, jamque et Paeſtae et Budae praefectos frequenteis delectus habere, quid aliud cogitare illum putemus, qui ſibi Chriſtiani gregis cuſtodiam arrogat, quam belli tam juſti curam omittere, ut lupis ovile incuſtoditum prodat, et ipſe lupis ſaevior miſeras oveis, a quo ſibi potius caveant, anxias membratim diſcerpat? Quid enim meruimus, qui pro religione et libertate tot annos oppreſſa foedus percuſſimus? qui citra majeſtatis imperatoriae offenſionem, et obſequii, quod [a] Caeſari integra fide ſemper praeſtitimus, id unum egimus, ut nemini religio, cujus confeſſionem publice exhibuimus, fraudi eſſet, et emendationis per Saxonicas eccleſias recepta formula ſervaretur, donec libero ac legitimo in Germania convocato concilio controverſiae exortae componerentur? quid, quod promiſſa repoſcimus? quod Caeſarem ad Spirenſia comitia, et decretum in his ipſo conſentiente factum vocamus? Nam licet poſtulata noſtra aequa non eſſent, tamen quia Caeſar fidem interpoſuit, et comitiorum auctoritas acceſſit, quod petimus, praeſtari debuit. Nos contra impietatis et perduellionis invidia oneramur, ne, cum de Romani pontificis crudelitate et perfidia queri velimus, audiamur. Callide id et aſtute, atque ex ingenio vere illius, cujus ſe miniſtrum potius appellare debuit, qui per calumnias et diſcordias inter nos hodie graſſatur, ut Chriſti regnum, quod pace ſtat, ſparſis diſſidiorum ſeminibus evertat. His artibus nobis Caeſaris animum avertit, qui pravis pravi hortatoris conſiliis impulſus, exuta Germaniae, quam prae ſe ſemper tulit, charitate, nos bello perſequi decrevit: cujus quoniam aureis ſupplicationibus et votis noſtris clauſas hactenus experti ſumus, reliquum eſt, ut juſtis armis contra injuſtam vim nos tueamur. Maximas et certiſſimas, quae nobis abunde ſuppetunt, vireis parvi aeſtimarem, niſi pro religione et patria, quae ſecundum religionem proxima eſt, ſumpta arma proſperaturum Deum confiderem. En illae adſunt, majores propediem futurae, ubi ceteri, quos juſtae cauſae favere certo ſcimus, convenerint. At hoſtis, quamvis in eam curam tot jam annos intentus, quam ambiguis tamen reſponſis ſemper [b] eluſit, neque nunc etiam diſſimulare erubeſcit, fruſtra hactenus promiſſa auxilia exſpectat, et ab iis, quos imparatos opprimere ſperaverat, ipſe imparatus opprimi periclitatur; ut, Deo nos curae eſſe et cauſam noſtram, jam nemo vel ex hoc indicio dubitare poſſit. Habuit ſemper et habitura eſt oppugnatores veritas et innocentia: quid enim mirum, cum virtutem, quae fere proſperis frangitur, adverſis exerceri et acui conſtet? ſed nec defuerunt, aut unquam deerunt, qui ſeu divina ope freti, ſive humanis praeſidiis adjuti utramque tueantur. Macti ergo eſtote, commilitones, iſta et ſpe et fiducia. Jam duces aderunt Jo. Fridericus et Philippus, in quibus aeque pietas et militaris virtus eminet; aderit ipſe Ulricus; qui vobis non ſolum in vi propulſanda operam praebebunt, ſed et in inferenda, ſi opus fuerit, adjutores erunt. Interea, ut omnia recte adminiſtrentur, neve hoſti incautos nos invadendi detur occaſio, Ulricus Hedecum virum et nobilitate et virtute inſignem, cui pareatis, vobis praefecit. Cetera Deo, cui nos chariſſimos eſſe perſuaſum merito habemus, permittite: illo ſiquidem auſpice, et violatae religionis ac perfidiae acerrimo vindice, nihil eſt quod in juſta cauſa jure metuere aut reformidare debeatis. Perorantem laetis clamoribus excepere milites, belli invidia a Caeſare, quem etiamnum venerabantur, in Romanum pontificem tranſlata.

X. JAM

VAR. LECT. [a] Caeſari, prout debemus *P.* [b] diſſimulavit *P. D. o. ſ. d. D. o. ſ.*

X. JAM [a] cardinalis Tridentinus Romam venerat, ut de mittendo quamprimum auxilio pontificem ſolicitaret, cum quo foedus nomine Caeſaris icit in has leges: ut Caeſar exercitum, [α] omniaque quae ad bellum [β] neceſſaria primo quoque tempore comparet, et eos, qui concilium, quod controverſiarum de religione dirimendarum cauſa inchoatum eſt, in Germania repudient, et errores nuper exortos tuentur, vi et armis ad priſcam religionem et ſummi pontificis obſequium reducat; omni prius ratione tentata, an citra armorum violentiam ad bonam mentem adduci queant; nullam cum iis pacem faciat, quae eccleſiae et dignitati pontificiae damnoſa ſit: pontifex viciſſim praeter c aureorum millia, quae jam depoſuerit, totidem alia Venetiis conſignet in illud bellum expendenda, et prius confecto bello, ſi conſumpta non fuerint, ad pontificem reditura; ad haec in hoc bellum x cIↃ peditum, IↃ equites, quibus quem velit legatum et duces ac centuriones praeficiat, per ſemeſtre tempus ſubminiſtret: permiſſum et Caeſari, ut dimidiam bonorum eccleſiaſticorum partem per Hiſpaniam hoc anno ſumeret, ex hiſque tantum divenderet, donec IↃ aureorum cIↃ ſummam confecerit, ea lege, ut de regio patrimonio tantundem oppigneret. Id jam anno ſuperiori inchoatum et conceptum, demum v Kal. [1] Sextil. publicatur. Quod ubi legati foederatorum, qui Ulmae convenerant, reſciverunt, non jam cunctandum rati, ſenatui Veneto ſcribunt, et de pontificis injuria queſti, cui ſe Caeſar conjunxerit, orant, ne copiis ex Italia in Germaniam tendentibus dent iter per ſuos fineis: quid agatur videre ipſos, et quorſum illa conjunctio evaſura ſit, ſi ex voto res ſuccedant, non minore Italiae quem Germaniae diſpendio. In eandem ſententiam ad Helvetios ſcribunt, et commemoratione antiquarum, quae ipſis cum domo Auſtriaca interceſſerunt, controverſiarum et ſimultatum, quo in diſcrimine verſentur, demonſtrant. [b] Rhaetos item et [c] Tirolenſeis jam de Italicarum copiarum adventu anxios, datis literis, ut eas tranſitu prohibeant, ſimiliter hortantur. Interea Schertelio copiarum a civitatibus conductarum praefecto negotium dant, ut hoſteis, qui ad Alpium radices delectus habebant, antequam omnes ſimul ſub ſignis ſint, [γ] invadat, et opprimat. Pontifex nondum publicato foedere ad Helvetios literas dederat v Non. Quintil. quibus laudata ipſorum pietate fide et concordia, eos de Caeſaris conſilio certiores faciebat: cui ſe ſocium libenter adjunxiſſet, [δ] et religionis cauſam, quae ſibi pro munere et imperii majeſtate curae ſummae ſemper fuerit, ſua opera, quantum poſſit, adjuvaret: orare ergo, ut utrique aequos ſe praebeant, et in benevolentia, qua hactenus et Romanos pontifices et Caeſares proſecuti ſint, perſeverent, ſubminiſtratis in tam juſtum bellum auxiliis.

XI. CUM vero Palatinus per Wolfium [d] Affeſtenum equitem legatum ſuum Ratiſponae interpellaret Caeſarem, ut in quem tanti belli apparatus inſtrueretur certo ſciret, et ut ſibi intercedere liceat impenſe obſecraret, per Navium et Granvellanum reſponſum eſt, in ſeditioſos et quietis publicae perturbatores bellum parari; quos autem velit dicere Caeſar, illi ſatis cognitum eſſe, vel ex iis quae nuper acciderint; quippe non contentos conjuratos Henricum Brunſvicum injuſſu ſuo armis petiiſſe, ac poſtremo ad deditionem compuliſſe, in ſocietatem criminis etiam civitates ſecum traxiſſe; itaque [e] Brunſvicenſeis, Goſlarienſeis, Hildeſemios, Hanobrios ab

VAR. LECT. [α] et omnia *P. D. o. f. d.* [β] neceſſaria ſunt, quamprimum comparet, *P. D. o. f. d.* [γ] invadant et opprimant *P. D. o. f.* [δ] ut *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Chriſtophle de Madruzzo,* ou *Madruce, evêque, & dit le Cardinal de Trente.* [b] *ligues des Griſons.* [c] *ceux de Tirol.* [d] *Affenſtein.* [e] *ceux de Brunſwick, Goſlar, Hildeſheim, & Hanovre.*

NOT. [1] Lege *Quintil.* Il faut ainſi lire ſelon les dattes ſuivantes, & Sleidan. *Put.*

CIƆIƆXLVI. ab illis facibus incenſos [a] Wolſebutelum primariam Henrici arcem, quam ſuperiore anno captam praeſidio tenebant, ſolo aequaſſe, ut ſcelere obligati a foedere ſeu potius conjuratione ſecum inita divelli non poſſint: id vero amplius diſſimulari non poſſe citra majeſtatis imperatoriae, quam tuendam Caeſar ſuſceperit, diſpendium: nihil hactenus ratione, nihil admonitionibus profectum; itaque neceſſitatem armorum impoſitam fuiſſe, quae tamen aegre ſumpta libenter depoſiturus ſit Caeſar, ſi conjurati ad bonam mentem redire, et ei ſatisfacere malint. Accepto reſponſo Palatinus ad Saxonem et Heſſum illico literas dat, et quid cum Caeſare egerit, exponit; atque propoſita periculi magnitudine, quo ſe et Germaniam involvant, eos utili magis quam generoſo, ut ipſis videbatur, conſilio ad pacem hortatur: neque enim deſperare ſe, ſi Caeſari ſatisfaciant, quin aequas ab eo conditiones impetrare poſſint; ad idque interceſſionem pollicetur. His autem poſſe mitigari Caeſaris animum dicebat, ſi condonari ſibi offenſionem peterent; deinde, ſi quid minus aeque factum eſſet ab aliquo, emendaretur: poſtremo, ſi quid alieni poſſiderent, ejus rei arbitrium Caeſari, vel alii cuipiam, cui videbitur ei, permitterent. At Saxo et Heſſus, quanquam minime dubitabant Caeſarem a pontifice perſuaſum jampridem ad bellum ſe Germanicum comparare, tamen ex colloquio cum eo nuper ab Heſſo Spirae habito conjectaverant, ejus animum non omnino a pace et concordia abhorrere, ideoque rem conventuram eſſe nondum huc uſque deſperaverant: his vero intellectis, cum jam dubitationi locum reliquum non eſſe perſpicerent, ſtatim ad ſocios ſcribunt, ut copias cogant, neque ſe callidis adverſariorum conſiliis decipi aut a foedere divelli patiantur.

XII. Ipsi interea ad Caeſarem literas dant, quibus crimina, quae objiciebantur diluunt, et a bello ſibi inferendo, ut injuſto et Germaniae damnoſo, eum dehortantur: dein renovata Spirenſis decreti mentione, quod bello illo violari et irritum reddi aiebant, tum jurisjurandi, quo in accipiendis imperii inſignibus ſe obſtrinxerat, religione ante oculos poſita, orant, ut tranquillitati publicae conſulat, neque vi illata inſontes potius ad juſtam defenſionem, quae jure naturae cuique permiſſa eſt, provocare, quam omiſſo tam pernicioſo conſilio eorum fidem et obſequium experire velit. Eodem tempore ad Franciſcum et Henricum Angliae regem nuper pacificatos legatos mittunt, qui de auxiliis in hoc bellum ſubminiſtrandis ipſos ſolicitent. Et quia videbant perduellionis metu, nam id unum urgebat Caeſar, pleroſque etiam ex Proteſtantibus ſenſim ab ipſis alienari, et aut domi ſedere aut, ſi non liceret, Caeſarem ſequi malle, ſcripto edito demonſtrant, religionem et confeſſionis Auguſtanae ſocios peti; falſo de rebellione querelas inſtitui; nec magis vere dici, hoc bello de republica conſtituenda agi, quae nulla omnino ſit, ſi, quod libertatis Germanicae hoſtes moliantur, obtineant: ſi enim, aiebant, ferro reſcinduntur, quae communibus comitiorum ſuffragiis ſecundum imperii leges decreta ſunt, ſi unius voluntate tot principum et civitatum ſententiae evertuntur, ſi libidini paucorum publica ſalus committitur, quae reipublicae conſtituendae ratio, quae ſalus, quae tranquillitas ſperari poteſt? atqui hoc agitur impulſu Romani pontificis, qui jam faſcinatis omnium Chriſtianorum principum mentibus, ne quid ſit,[a] quod immoderato ſuo imperio reſiſtat, libertatem Germaniae oppugnare conſtituit; et cum religionis cauſa libere et pacifice tractari debeat, vim et turbas adhibet, quo tam bonum opus [a] ex ipſius arbitrio conficiatur; ſin minus, omnino interrumpatur. Nam quod ad concilium attinet, quo controverſias de religione decidi oportuit, id ipſum non abnuere, quicquid in contrarium jactetur, modo

VAR. LECT. [a] aut ex P.

INTERPR. [a] *Wolffenbüttel.*

modo liberum ſit; et ut liberum ſit, in Germania habeatur: id ſemper prae ſe tuliſſe, teſteiſque ejus rei literas eſſe et ſcripta ab ipſis evulgata: ſed hactenus libertatem in eo deſideratam fuiſſe, ut ex verbo Dei citra metum et aſſentationem cauſa diſceptaretur: ſcire omneis, quid concilio Conſtantienſi decretum ſit de fide publica; Joannis Huſſi et Hieronymi [a] Pragenſis exemplo multos merito deterreri; ſed praecipue recenti Joannis [b] Diazii parricidio, de quo cum apud Caeſarem expoſtulatum eſſet in comitiis, nihil obtineri potuerit: impunitoque tanto ſcelere effici, ut omnia tuta Proteſtantes timeant; quippe cum ſciant Pontificiorum factioſis prenſationibus factum eſſe, ut inultum flagitium magno reipublicae Germanicae pudore et probro remanſerit: fruſtra ergo obtendi concilii repudiationem, ut juſta cauſa armis praetexatur: ipſam religionem peti, quam ex foedere tueri teneantur; nam id ipſis per [c] Spirenſe decretum licere: fruſtra etiam privatas offenſiones et ſimultates in medium afferri, quae ſopitae et compoſitae jamdudum ſint: nam quod ad Saxonem, cujus [1] fratris et patrui egregia extant erga Caeſarem merita, quidquid inter eum et Ferdinandum diſſidii fuit, penitus extinctum fuiſſe Spirae ante biennium, pacta ad arctioris neceſſitudinis vinculum Helionora Ferdinandi filia cum Saxonis filio, hac lege, ſi de religione inter parteis conveniret: nihil ab eo tempore admiſſum, quod illum adeo inviſum Caeſari reddere debeat, ut eum bello perſequatur: nam ſi ob [α] Julium [d] Flugium epiſcopatu [e] Neoburgenſi a Saxone excluſum ſuccenſeat, paratum Saxonem aequorum arbitrorum judicio vel ipſius Caeſaris ſtare. Nec in Heſſum juſtiores odii et ultionis cauſas proponi, quae illi, ſi quae fuerint, ob bellum quibuſdam turbulentis illatum, et [f] Wirtembergicum in aviti patrimonii poſſeſſionem reſtitutum, jam ante quinquennium Ratiſponae a Caeſare condonatae ſint: itaque nec poſtea Wilhelmum [g] Clivenſem, cui bellum Caeſar intulerat, juviſſe, quod ita cautum eſſet; et amicitiam Caeſaris omni obſequio et officio ex illo coluiſſe. Jam quod de bello Brunſvicenſi objicitur, ſaepius a ſe dilutum crimen, quam ut opus ſit ejuſdem rei memoriam toties refricare: vim contra jus illatam contraria juſtiore vi repulſam; ſaepius de audacia hominis in comitiis querenti et obteſtanti verba tantum data eſſe; cumque Ferdinandus ad Henricum publicas literas dediſſet, quibus monebat eum, ut ab incepto abſiſteret, alias ſecretiores adjunctas, quibus ut nihilominus pergeret incitabatur: ſui ergo officii fuiſſe, ſocios et amicos armis infeſtantem bello perſequi, ut, amoto ſeditionum et incendiorum duce, pax civitatibus et dignitas imperio reſtitueretur: ſed neque Caeſarem Heſſo, cum in colloquium nuper Spirae admiſſus eſſet, ea de cauſa ſuccenſuiſſe, aut ullam omnino hujus rei mentionem factam fuiſſe. Quod vero de juriſdictione afferatur, quaſi ab Heſſo impediatur, graviſſimam ei et ſociis injuriam fieri: quid enim durius aut iniquius, quam coram ſuſpectis judicibus litigare? actum ſaepius fuiſſe de conſtituenda aequabiliter camera; protelationibus rem huc uſque dilatam, et prorogatam interea juriſdictionem male animatis illis judicibus, qui ſe et reliquos foederatos importunis litibus ac judiciis vexent; ut inique hoc nomine ab inimicis accuſari ipſos appareat. Quod amicos et Smalcaldici foederis ſocios ſolicitarint, neque praeter aequum vitio verti; nam neque contra Caeſarem, neque contra imperii leges, ſed pro libertate Germanica, pro decretis imperii, pro fide publica interpellatos eſſe; ut diligenter apud ſe expenderent, an ſalva fide et jurisjurandi, quo ſociis adſtricti ſint,

CIↃIↃXLVI.

VAR. LECT. α Julium deeſt P. D. o. ſ. d.

INTERPR. [a] de Prague. [b] Diaz. [c] edit de Spire. [d] Pflug. [e] Naumburg. [f] duc de Wirtemberg. [g] duc de Cleves.

NOT. [1] Dele *fratris*. Car l'electeur de Saxe, ceux de ſon oncle, ſans parler de ſon frere. Sleidan qui parle lui-meſme, n'allegue que ſes ſervices &c. lib. 17. *Put.*

CIↃIↃXLVI. ſint, religione, in religionis cauſa Caeſari operam ſuam addicere potuerint: nam non videre, quomodo Albertus et Joannes Braodeburgici, quod pace illorum dictum velint, foederatos deſeruerint: privatas offenſiooes, quae obtendantur, non tanti fuiſſe, ot fidei et ſalutis propriae immemores arma cootra ſocios ſumere debuerint: foedetibus enim et privatis et publicis cum Caeſar excipitur, ita exceptum intelligi, ſi poteſtate ſua minime abutatur, ſi nihil contra religionem, nihil contra libertatem moliatur. In ſpem belli contra Turcas, veros Chriſtiani nominis hoſteis, jam ab illo tempore erectos omnium animos fuiſſe, cum decreta ſunt Caeſari auxilia contra Gallum; confecto illo bello ope Germanorum, nunc arma in Germanos bene de ipſo meritos nulla juſta de cauſa verti: Deum ſe ſuae innocentiae teſtem habere, Deum auctorem pacis et concordiae, quas ſemper exoptaverint, Deum proeliorum arbitrum, cujus auſpiciis, quando ipſius cauſa agitur, militent, et quo duce parati ſint aleam belli ſubire, quando de pace hactenus cooveniri non potuit. Mox et ad Joannem Brandeburgicum ſcribunt, et foedus illi ac fidem in memoriam revocant, quamque ſe impio et pudendo piaculo obſtringat, ſi a foedere diſcedat, demonſtrant. Interea pontifex re evulgata publico diplomate ſupplicationes indicit Eid. itidem Quintil. eo Chriſtianos omneis hortabatur, ut puris mentibus preces et orationes apud Deum funderent, pro felici ſucceſſu belli contra pravae doctrinae in Germania ſectatores et propugnatores, a ſe et Caeſare communibus copiis ac ſumptibus ſuſcepti. [α] Caeſar Annam et Mariam Ferdinandi frattis filias Alberto Wilhelmi [a] Baioariae ducis filio, et Wilhelmo [b] Cliven ſi, quem ab adſinitate in Gallia, uti diximus, cootracta abduxerat, Ratiſponae deſpooderat; duobus poteotiſſimis Germaniae ſuperioris et inferioris principibus novo neceſſitudinis nodo obſtrictis, ne auxilia, quae inde ab Italia, inde ex [c] Belgio propediem exſpectabat, tranſitu prohiberentur. Et quanquam omnia prudentia ſumma ac diligentia, adde etiam diſſimulatiooe et ſilentio, confeciſſe ſibi videretur Caeſar; quia tamen e longinquo petenda auxilia erant, et exiguo admodum comitatu, ut rem tegeret, ad comitia venerat, effici non potuit, quin foederati, quibus copiae e propinquo confluebant, priores in armis eſſent, et Caeſaris conatibus anteverterent. Nam copiae a [d] Wirtembergico et civitatibus conductae ad Ulmam convenerant, et Heſſus [z] VIII Kal. [β] Quintil. exercitum io hoſtem eduxit. Quod eo facilius eis fuit, quod milites Germani, quorum opera Franciſcus in bello Gallico nuper uſus fuerat, dimiſſi ad ipſos tranſierant, ductore Huberto [γ] [e] Beuchlingio comite, et Georgio Recrodo Heſſi beneficiario.

XIV. JAM Schertelius ad Alpium radices, quo miſſum eum antea diximus, cum exercitu pervenerat, ut delectus, qui iis locis habebantur, turbaret, et venientibus ex Italia copiis aditum intercluderet. Duae ſunt omnino viae per Tridentum ex Italia in Germaniam tendentibus: Tridento ſiquidem, uti perſcriptum eſt in itinerario, [f] Sublavionem, quae eſt hodie Brixinenſis epiſcopi ſedes, et inde [g] Vilpetenum vicum ad [h] Brennum montem, et [i] Veldidenam olim, nunc Oenipontem, quod eſt ditionis Ferdinaodi oppidum, itur; ab eo aut ſecundo [k] Oeno flumine per [l] Copiſtenum, ibi jam ſe aperientibus montibus, aut rurſus ad laevam per Alpeis [m] Rhaetiae contiguas, ac per [n] Partanum ad [o] Loiſam fluvium et Abuzacum, [p] Fieſſam hodie vocant, io Noricum deſcenditur. Schertelius ergo, qui ſciret ab Helvetiis et Rhaetis reſponſum eſſe, iter per ſuos fineis externo militi

minime

VAR. LECT. [α] Jam Caeſar *P. D. o. f.* [γ] Bielingo *P. D. o. f. d.*
[β] Sextil. *P. D. o. MSS. Reg. et Samm.*

INTERPR. [a] *Baviere.* [b] *duc de Cleves.* [c] *Pays bas.* [d] *duc de Wirtemberg.* [e] *comte de Brichlingen.* [f] *Brixen.* [g] *Sterzingen.* [h] *Brenner.* [i] *Inſpruck.* [k] *la riviere d'Inn.* [l] *Kophſtein.* [m] *pays des Griſons.* [n] *Partan.* [o] *Laiſe.* [p] *Fieſſen.*

NOT. [z] XVII Kal. Sextil. *Pot. Sleidan.*

minime datum iri, ea ſibi duo itinera inſidenda judicavit. In crepidinibus [a] Alpium Noricarum [b] Ereberga arx eſt praerupto undique ſaxo impoſita, quae anguſtis admodum, qua tantum iter eſt, faucibus imminet, ita ut vel unus ſaxorum jactu mille homines aditu arcere poſſit. Eam primo impetu Schertelius cum parva manu eo profectus, deditione per praeſidiarios facta, occupat, cum jam in itinere Fieſſam oppidum ante cepiſſet. Inde per medias Alpeis citato agmine contendit, eo conſilio, ut Oeniponte capto et duobus illis ingreſſibus occupatis, milite et commeatu ab Italia Caeſarem intercluderet. Quo tumultu excitatae per agrum Tirolenſem copiae undique Oenipontem ad VIII CIↃ hominum confluunt ductore Franciſco Caſtelalto Tridenti praefecto et, ad urbis defenſionem relicto praeſidio, milites paſſim per anguſtias calleis et vias diſtributi venienti aditum occludunt. Hac ſpe falſus Schertelius, cum ſama eſſet Madrucium et [α] [c] Melenianum jam in itinere eſſe, Erebergam et Fieſſam regreſſus, valido praeſidio iis locis impoſito, cum reliquis copiis ad exercitum revertitur. Interea Hedecus, qui exercitui praeerat, [d] Dillingam, quod eſt ditionis epiſcopi [e] Auguſtani oppidum, venit, et arcem deditione capit x Kal. [1] Quintil. oppidanis in fidem adactis. Mauritius [f] Eiſtetenſis epiſcopus, pacto per ſuos fineis itinere et commeatu, a foederatorum armis tutus fuit. [β] Caſtra mox promota ad Donaverdam, quod eſt oppidum Danubio impoſitum. Oppidani quamvis foederati, cum de deditione ſolicitarentur, de eventu veriti recuſarunt; quod uti creditur, vim adhiberi vellent, cujus praetextu apud Caeſarem aliquando ſe excuſare poſſent: itaque miſſis eo copiis, cum vis fieret, in Smalcaldicorum poteſtatem concedunt. Alia parte [g] Saxo et Heſſus per Franconiam cum exercitu profecti, cautione de non impediendo commeatu ab [h] Herbipolenſi epiſcopo accepta, magnis itineribus ſe ad ſocios contulerunt. Erant in foederatorum caſtris Joannes Erneſtus Saxonis frater, Joannes Fridericus Saxonis filius, Philippus Brunſvicus cum Erneſto, Alberto, Joanne, Wolſango filiis, Franciſcus dux Luneburgicus, Wolfangus Anhaltinus princeps, Chriſtophorus Hennebergius, Georgius Wirtembergicus Ulrici frater, Albertus [i] Mansfeldius cum Joanne et Wolrado filiis, Ludovicus [k] Oetingenſis cum cognomine filio, Gul. Furſtembergius, Chriſtoph. Oldenburgius [l] Bicliingus, Hedecus comites: militabant et in eorum caſtris Helvetiorum VII ſigna: ita diviſo omni exercitu, ut, cum Saxo et Heſſus praecipui duces eſſent, copiae tam equitum quam peditum in ſuperiori Germania conductae Heſſo attribuerentur; reliquae omnes Saxoni ſub duobus praecipuis vexillis comprehenſae; quorum cura commiſſa Henrico Schombergio et Theodorico [m] Taubinio. Schertelius Auguſtanas, [n] Ulmenſeis et Norlingenſes copias; Furſtembergius [o] Argentinenſeis ducebat: Recrodus, qui in Gallia ſub Franciſco diu meruerat, Heſſicis equitibus praefectus erat. Caſtrorum magiſtri Chriſtop. Stimbergius et Willelmus [γ] [p] Schachtus magni nominis duces conſtituti ſunt. Ad LXX CIↃ peditum XV equitum millia fuiſſe, Caeſariani ſcriptores memorant: ad haec CXX tormenta omnis generis: VI CIↃ foſſorum, ac CCC pontones: carroſque pulveri tormentario, globis et ceteris bellicae rei neceſſariis inſtrumentis ſubvehendis ſupra IↃ CCC; quibus trahendis [δ] [2] XXI CIↃ jumentorum deſtinata

CIↃIↃXLVI.

VAR. LECT. [α] Medicinum *P. D. o. f.* [β] inde caſtra promota *P. D. o. f.* [γ] Schattus *P. D. o. f. d.* [δ] VIII CIↃ *P. D. o. f. d. et MSS. Reg. et Samm.* XIII CIↃ *R. Steph.*

INTERPR. [a] *Alpes de Baviere.* [b] *Ehrenberg.* [c] *le marquis de Marignan.* [d] *Dillingen.* [e] *d'Augspurg.* [f] *d'Eychſtatt.* [g] *l'electeur de Saxe, & le landgrave de Heſſe.* [h] *de Wirtzburg.* [i] *comte de Mansfeld.* [k] *comte d'Oetingen.* [l] *de Beicklingen.* [m] *Tauben.* [n] *d'Ulm, & Nordlingen.* [o] *de Straſburg.* [p] *Schachten.*

NOT. [1] *Sextil.* *Put.*
[2] VIII *millia*, Ce qui ſe verifie par l'Hiſt. de Faleti, p. 73. à la fin du premier livre *Put.*

CIↃIↃXLVI. deſtinata erant: inſuper fabrorum, cunicułariorum, piſtorum et hujuſmodi artificum ad CIↃ capita, quae publicis ſumptibus alebantur. Luſtrato exercitu Heſſus allocutus eſt duces, et purgatis criminibus, quae a Caeſarianis contra Saxonem et ſe tanquam perduelleis ſpargebantur, hoc bello de religione et libertate agi demonſtrat; cumque perorando rogaret, an non parati eſſent, quaecunque ſe daret fortuna, quo ducerent, ſequi, ſublato repente clamore ſumma cum alacritate duces ſinguli erecta manu fidem obſtringunt. Tanto exercitu fretus Heſſus, alioqui vir animo elatus, jam deſpiciebat Caeſarem, et cum facile tota Germania, ſi audiretur, ſe expulſurum minabatur. Itaque Joachimi Brandeburgici ſeptemviri et [a] Mauritii Saxonis legati, qui in caſtris erant, et petebant, ut de foederatorum conſenſu apud Caeſarem intercedere liceret, cum ad ſocios rejicerentur, re infecta dimiſſi ſunt. Pontificem ad Helvetios ſcripſiſſe ſupra retulimus, poſtquam foedus inter pontificem et Caeſarem ictum eſt; exemplum ejus Hier. [b] Franchus pontificis legatus [c] [1] Luceria ad illos mittit; literaſque VIII Kal. Sextil. dat, quibus ſignificat, in eo foedere locum relictum iis eſſe, qui in ſocietatem venire velint; ut, ſi ipſi aequum cenſeant, prout de perſpecta eorum pietate confidat, deliberent, an foedere comprehendi velint, et concilii jam inchoati decretis obtemperare. Quod pontifex foedus tam cito evulgaverit, eo conſilio feciſſe vero fit ſimile, ut Caeſarem, quem moleſte ferebat apud alios pro imperii majeſtate, apud alios pro religione bellum ſuſceptum dictitare, ſummis difficultatibus objiceret, ut, cum ſemel de belli cauſa conſtaret, in ea amplius praevaricari non poſſet. Et ſane cum Helvetiorum pars eodem menſe ad ea in conventu [d] Badenis habito reſpondiſſent, nihil commiſſuros contra initum cum domo Auſtriaca foedus, nec de eorum conſenſu factum, quod multi a Germanis foederatis conducti in militiam abierint, quos revocaturi eſſent: pars contra non teneri Helvetios foedere ſentiebat, quoniam de religione ageretur; quod hactenus diſſimulatum, nunc ex foedere nuper cum pontifice facto manifeſtum fit. [Hac ratione] pontifex Caeſarem ad bellum palam pro religione gerendum, omiſſo omni alio praetextu, obſtrinxit, quod id ad dignitatem ſuam, et ſacrae ſedis ac concilii auctoritatem ſummopere pertinere arbitraretur.

XV. Cum ergo diſſimulationi amplius locus non eſſet, Caeſar publico diplomate Saxonem et Heſſum proſcribit XIII Kal. Sextil. Eo, poſtquam de ſua egregia erga Germaniam communem patriam voluntate, de beneficiis in eam collatis, atque exantlatis pro publica tranquillitate laboribus, multa magnifice et prolixe commemoravit, de Saxonis et Heſſi injuriis querelam inſtituit, quorum audacia et temeritate factum ſit, ut haec infructuoſa reipublicae hactenus fuerint; quippe cum pietatis et libertatis colore pacem perturbent, alienа invadant, bello, quos velint, injuſſu ſuo perſequantur, juriſdictionem impediant, et ſpreta imperii majeſtate omnia pro libidine gerant: cum vero religionis cauſam praetexant, nihilominus contra ſcripturae teſtimonia et omnem ſacrae hiſtoriae auctoritatem ſupremo ſe magiſtratui pertinaciter opponere: cum tamen conſtet, priſcis illis temporibus eos, qui ſanguine ſuo fidem pro veritate obſignarunt, non armis, ſed patientia, precibus ac lachrimis graſſatos, ut ſuam obedientiam approbarent, etiam profanis principibus paruiſſe; ut inde appareat novos iſtos religioſos non alio conſilio arma ſumpſiſſe, quam ut Caeſarem diademate, ſceptro atque omni denique poteſtate exuant, et his uſurpatis, religionem ipſam, quam in ore habent, ac libertatem poſtremo opprimant: ſeſe hactenus lenitate et clementia infeliciter uſum eſſe; quibus

P. [*Hoc aſtu.*]

INTERPR. [a] *duc Maurice de Saxe.* [b] *Franco,* [c] *Lucerne.* [d] *Bade en Suiſſe.*

NOT. [1] Lucerna *Put.*

quibus tantum abeſt, ut praefracti eorum animi domari potuerint, ut contra audaciores ac ferociores redditi a nulla in ſe dictis et factis injuria temperaverint. Haec praefatus Caeſar eos ut perfidos, rebelleis, ſeditioſos, minutae majeſtatis reos, ac publicae tranquillitatis perturbatores proſcribit, et in ipſos, ut meriti ſint, ſe animadverſurum, repreſſaque illorum audacia rempublicam conſtituturum, et quae ſui muneris ſint facturum pronunciat. Mandat inſuper univerſis imperio ſubditis principibus ac civitatibus, ne quis opem ferat, aut ipſorum cauſae ſe adjungat, poena vitae et fortunarum in eos, qui ſecus fecerint, addita; ſi qui jam profecti ſint illis militaturi, uti quamprimum domum redeant, imperat; ſibi interim, ſicuti teneantur, auxilia ſubminiſtrent; omni foederum aut privatarum pactionum impedimento ceſſante, quod nullum eſſe declarat, et ſi opus ſit, reſcindit. Poſtremo nobilitati et populo utriuſque ditionis fidem atque jusjurandum, quo ſint eis devincti, remittit, et ſi morem gerant, nemini fraudi fore, publica fide cavet; ſin recuſent, eandem, quam perduellibus proſcriptis, poenam denunciat. Solutis comitiis haerebat adhuc Caeſar Ratiſponae, admodum exiguo militum numero fultus; tria enim tantum millia Hiſpanorum peditum, quos ex Pannonia evocaverat, et V circiter Germanorum millia ac IↃCC equites circa ſe habebat: praeter hos nullae adhuc copiae convenerant. Igitur veritus, ne Ratiſponam non ſatis munitam civitatem, ſi diutius in ea maneret, eliceret foederatos, ut ſaluti et ſuae et urbis conſuleret, ad [a] Lanzuthum, quo tendere videbantur hoſtes, caſtra promovere conſtituit, praeoccupatoque oppido copias ex Italia venienteis illic expectare. Itaque Pyrrho [b] Columna Ratiſponae cum praeſidio II CIↃ peditum ex Madrucianis et CCC Hiſpanorum relicto, Lanzuthum, quod eſt oppidum ditionis [α] [c] Baioariae ad [d] Iſaram ſitum, ſecundis caſtris pervenit III Non. Sextil. quod cum animadverterent foederati, conſilio de obſidenda Ratiſpona omiſſo, de inſequendo Caeſare deliberarunt. Variatum fuit ſententiis; Heſſo in Willelmi Baioari, quippe amici, ditionem infeſtum agmen immittere non aequum cenſente; [e] Saxone contra, ſi e re videretur eſſe, ut Caeſarem adhuc infirmum totis copiis adorirentur, juſtiſſimum exiſtimante, ut pro Germaniae libertate, in qua ſalus ipſius Willelmi vertebatur, amicorum principum opibus uterentur: neque enim moleſtiores ſe idcirco Willelmo futuros, quam jam Caeſar ſit, et propediem magis futurus ſit, ubi omnes copiae illuc convenerint: multa excuſari neceſſitate belli, quae in pace minime ferrentur; leve illud incommodum eſſe, quod majore [f] Noricos, quo jam a Caeſarianis premantur, in praeſentia liberet, et triſti ſervitutis jugo in poſterum eximat. Cum Heſſus in ſententia permaneret, ne, uti aiebat, pro libertate publica bene ſentientis principis animus a ſe alienaretur, placuit literas ad eum dari, quibus admoneretur officii, et foederatorum conſilii certior fieret, ne non praemonitus injurioſe neglectum ſe a ſociis merito queri poſſet. Igitur eodem die, quo Caeſar Lanzuthum venit, foederati ad Willelmum ſcribunt et, de injuriis atque iniquis Caeſaris conſiliis quaedam praefati, ab ipſo petunt, ut Caeſaris militem ſuis oppidis Ingolſtadio ac [β] [g] Raino quamprimum migrare jubeat, aut ſibi tantundem praeſidii iis locis imponere permittat: de cetero det iter tutum per ſuos fineis et commeatum, de eoque per literas caveat, et intra diem quintum reſpondeat. Dum Caeſar pro Lanzuthi moenibus caſtra haberet, Saxo et Heſſus, qui Donaverdae ſubſederant, juxta belli legem, ſcripto bellum denunciant: quo repetitis ſuperiorum temporum actionibus, et purgatis iterum, quae objiciebantur, criminationibus, quam juſta ſint arma, quae induerint, multis rationibus demonſtrant; nempe pro religione

et

VAR. LECT. [α] Baioricae *D. o. f. d.* [β] Raeno *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Landſhut.* [b] *Colonna.* [c] *Baviere.* [d] *Iſer fl.* [e] *l'electeur de Saxe.* [f] *ceux de Baviere.* [g] *Rain.*

CIↃIↃXLVI.

CIↃIↃXLVI. et patriae libertate, quarum cauſa ea eſſet, ut fidem et obſequium, quibus Caeſari devincti ſint, ſolvat; quae proinde ei amplioris cautionis gratia renuncient, ſalva imperii majeſtate, quam nullatenus minuere aut violare aut velint aut debeant. Cum de epiſtola mittenda deliberaretur, de inſcriptione inter duces non conveniebat: Saxone minime eum appellandum Caeſarem cenſente; alioqui ſe perduelleis fateri, qui Caeſari, cui fidem et obſequium debeant, bellum denunciarent: Heſſo contra dictitante, non dignitatem et ſummum imperii magiſtratum eo bello peti, ſed eum, qui in illa dignitate ac magiſtratu conſtitutus ſit, quem propterea Caeſarem vocent. Altercantibus via media reperta eſt, inſcriptaque epiſtola, ei qui ſe pro Caeſare gerebat. Datur adoleſcenti nobili, comite, ut mos eſt, tubicine, ad Caeſarem perferenda. Ille, minime acceptam uti ad ſuos referat, capitis poena denunciata, per Ferdinandum [a] Alvarum Toletanum jubet; interminatus laqueum loco torquis aurei iis, qui ab illis in poſterum ad ſe venirent; traditoque proſcriptionis diplomate, quod ut ſuis redderet graviſſimis verbis mandat, adoleſcentem dimittit. Accepto diplomate Saxo et Heſſus prolixe ad illud contrario ſcripto Donaverdâ reſponderunt, IV Non. Sept. Jamque dies quinque elapſi erant, cum Willelmus [b] Baioarus ad foederatos reſcripſit, non poſſe ſe infirmiorem potentiori Caeſari aditum denegare; nolle tamen propterea aut illorum aut Smalcaldiei foederis ſociorum hoſtem haberi. Ambiguo reſponſo accepto, cum, quo progrediendum eſſet, adhuc haererent; et Saxo, qui tritum fruſtra tempus dolebat, [c] Lanzuthum exercitum ducendum eſſe diceret; in conſilio fuerunt, qui a peritis regionis didiciſſe retulerunt, loca in itinere paludibus impedita, et adeo anguſtas vias eſſe, ut per unum et alterum ſubinde milliare ſingulis equitibus eundum eſſet. Ad haec rumor erat, copias pontificias ſuperatis Alpibus jam in proximo eſſe, et Caeſarem Joan. Bapt. [d] Sabello equitatus pontificii ductori ſcripſiſſe, ut quam citiſſime poſſet Lanzuthum ad ſe contenderet. Itaque mutato conſilio foederati Ratiſponam tendunt, ubi et caſtris idoneum locum deligi, et, ſi Caeſar obſeſſis opem ferret, de ſumma rerum, quod unice exoptarent, cum eo commode dimicari poſſe aiebant. Lente admodum in eorum caſtris omnia gerebantur, diſſentientibus fere ſemper ducibus, et plurium aequato imperio univerſi ſegnes, et quid agendum eſſet incerti erant. Quod opportunum maxime Caeſari accidit, qui, dum copiae convenirent, hoc unum ſatagebat, ut tempus duceret, et ſuſpenſos hoſtium animos, ne quid interea molirentur, teneret.

XVI. Ad Eid.[*] Sextil. Lanzuthum venerunt pontificiae copiae: erant peditum XCIↃ, equites levis armaturae IↃ; his Jo. Bapt. Sabellus, uti diximus, illis Alexander [e] Vitellius praefectus erat. Legatum, qui omnibus ſimul cum imperio praeeſſet, delegerat pontifex Octavium Farneſium nepotem [f] Camertium ducem, adjuncto Alexandro cardinali fratre natu grandiori, qui inſpector eſſet conſiliorum Caeſaris, cui haud ita fidebat. Octavio militabant Sfortia Pallavicinus, Fridericus Sabellus, Paulus Vitellius, Julius [g] Urſinus, Alexius Laſcaris, Hier. [h] Piſanus, Jo. Maria [i] Paduanus, Nic. [k] Plombinus, Nic. [l] Urſinus Petilianus. Venerunt auxilio et CC equites a Coſmo Florentiae duce miſſi, ductore Rodolfo [m] Balcono; et C ab Hercule Ferrarienſi, quibus Alfonſum fratrem nothum praefecerat. Biduo poſt venere veterani Hiſpani ex [n] Inſubribus et regno Neapolitano evocati ad VI CIↃ: Alvarus [o] Sandaeus, [p] Alfonſus Vives, et Jac. [q] Arzius peditibus praeerant; equitibus levis armaturae

VAR. LECT. [*] venerant P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Alvarez de Tolede, duc d'Albe.* [b] *duc de Baviere.* [c] *Landſhut.* [d] *Savello.* [e] *Vitelli.* [f] *Camerino.* [g] *Orſino.* [h] *da Piſa.* [i] *da Padova.* [k] *da Piombino.* [l] *Orſino, conte di Pitigliano.* [m] *Baglione.* [n] *Etat de Milan.* [o] *de Sandez,* al. *di Sandé.* [p] *Alonſo Vivas.* [q] *d'Arçe.*

CIↃIↃXLVI.

armaturae Philippus [a] Lanoius Sulmonis princeps, qui cum ex febricula Tridenti aeger ſubſediſſet, [b] Caeſar Magius Neapolitanus in hujus belli uſum a Caeſare ex [c] Inſubribus evocatus ducendorum equitum curam Sulmonenſis rogatu ſuſcepit. [α] Caeſari militabant Maximilianus Ferdinandi fratris filius, Emmanuel Philibertus Caroli Sabaudi filius, Ericus Brunſvicus, Philippus Henrici captivi filius et Georgius frater, Georgius dux [d] Megalopolenſis, Fridericus Furſtembergius, Renardus [e] Solmenſis, alii. Tanto exercitui Caeſar Ferdinandum Alvarum [f] Toletanum Albae ducem, virum multa rei bellicae peritia clarum, et in quo ſummam fiduciam habebat, legatum praefecit, demandata Othoni [g] Truchſio cardinali Auguſtano annonae, et rei [β] pecuniariae Franciſco [h] Doardae Hiſpano cura. Summus caſtrorum magiſter Jo. Bapt. Caſtaldus magnae ſolertiae dux, qui ſub [γ] Ferdinando [i] Avalo Piſcariae marchione diu meruerat, conſtituitur; cui additi comites Fr. Landrianus, et Caeſar Magius. Belli conſiliariis in ea expeditione praecipue uſus eſt Caeſar Franciſco [k] Ateſtino Padulae marchione et Pyrrho [l] Columna. Dum copiae Hiſpanorum per [m] Waſſemburgum vicum in Norico, ubi quaedam alae equitum Italorum hoſpitium habebant, incederent, ex rixa privata magna ſeditio exorta eſt. Nam cum Hiſpanus eques cum fabro ferrario, de ſoleae pretio altercaretur, a verbis contumelioſis res ad arma devenit, Hiſpanuſque graviter vulneratus eſt, Alfonſo fabri fratre, qui Ateſtino militabat, non ferente injuriam. Quod cum Vidus [n] Bentivolius, qui vicem Ateſtini ibi fungebatur, [o] Jo. Gevarae, ſub quo Hiſpanus ille erat, renunciaſſet et, ut curaret, ne qui inde motus ſuboriretur, monuiſſet, omnia pacata ſpondente Gevara, quiſque in hoſpitium ſuum ſe contulit. Verum Hiſpani, gens inferendis potius quam ferendis injuriis nata, ad CIↃ IↃ tela rapiunt, et non jam de fabro, ſed de Bentivolio poenas ſumpturi ad ipſius hoſpitium contendunt. Ibi, ut in tumultu, Bentivolius cum XV tantum armatis occurrit, et anguſtiis, quibus ad illum aditus erat, aliquanto tempore inſeſſis animoſe ſe defendit: verum abjectis fariſſis, cum res ſcloppetis et ſaxis ageretur, Bentivolio lapidis ictu terrae [δ] afflicto, qui aderant mortuum eum rati, et alioqui certamini impares, continuo omnes fuga dilapſi ſunt. Quo audito, Itali, qui in vicinis locis ſtationes habebant, ſubito arma ſumunt; reſque proculdubio ad exitialem ſeditionem ſpectabat, niſi Ateſtinus ipſe ſuperveniſſet, qui ſuos fidei admonendo, partim minis, partim benignis verbis, [ε] poſtremo auctoritate ſua pervicit, ut ab armis diſcederent: nec propterea prorſus fuiſſe quieturos apparebat, niſi rumor, ſeu verus, ſeu pro tempore fictus, tunc increbuiſſet, Heſſum prope eſſe cum exercitu, ut non jam de injuria, ſed de officio et ſalute publica quiſque cogitaret. Ita omiſſa ſeditione in hoſteis itum. Poſtremi omnium Hiſpani venere; quos Alſonſus Vives ducebat: quibus ad reficiendas vireis triduo conceſſo, Caeſar [p] Lanzutho relicto Ratiſponam revertitur, impoſitoque urbi CCCC peditum praeſidio, [ζ] et deductis tormentis, quae in ea reliquerat, atque aliis, quae civitatis erant, ad XXXVII, [q] Neoſtatum verſus cum omnibus copiis proficiſcitur. [ζ] In iis erant L Germanorum vexilla; quae XVI CIↃ efficiebant, VIII CIↃ Hiſpanorum, X CIↃ Italorum, ad III CIↃ equitum.

VAR. LECT. [α] Tunc Caeſari *P.*
[β] nummariae *D.* o.
[γ] Ferd. Davalo *P. D.* o. f.
[δ] afflicto et a ſuis pro mortuo relicto, omnes continuo Itali certamini impares fuga dilapſi ſunt. *P. D.* o. f.
[ε] et hinc *P. D.* o. f.
[ζ] in eo *P.*

INTERPR. [a] *de Lanoy, prince de Sulmone, fils de feu Charles de Lanoy viceroy de Naples.* [b] *Ceſare Maggi*, al. *Ceſare da Napoli.* [c] *eſtat de Milan* [d] *de Meckelenburg.* [e] *comte de Solmes.* [f] *de Tolede, duc d'Albe.* [g] *Truchſes, cardinal d'Augſpurg.* [h] *Doardi.* [i] *d'Avalos, marquis de Peſcara.* [k] *d'Eſte, marquis de la Padula.* [l] *Colonna.* [m] *Waſſerburg ſur Inn, en la haute Baviere.* [n] *Guido Bentivoglio.* [o] *Guevara.* [p] *Landſhut.* [q] *Neuſtat.*

CIↃ IↃ XLVI. equitum. Sicque ordinata acies erat, nt in duas phalanges diviſis peditum Teutonicorum copiis, pars in dextro cornu, cui Caeſar equitatum omnem addiderat, collocata [α] intercederet; pars in ſiniſtro eſſet, quod Italicis et Hiſpanicis delectibus muniverat: ex quibus cIↃ latera peditum Teutonicorum cingebant; alteri cIↃ equitatum, quem Albertus Brandeburgicus ducebat, tegebant: equites levis armaturae, itidem in duas alas diviſi, [β]praecedebant. Contra aſtum Hiſpanicum Germanicam virtutem, hoc eſt, vim apertam Heſſus oppoſuit; ſibique perſuaſit fore, ut ſi Ratiſponam omni praeſidio deſtitutam, in qua aulici tantum quidam, et id genus homines imbelles Germanis inviſi remanſerant, inopinato invaderet, tranſeunte in ſuas parteis populo, urbe ſine negotio potiretur: quod ſi minus ſuccederet, ne inutile omnino conſilium evaderet, in animum induxerat, molatrinas Danubio impoſitas exurere, vaſtatoque agro Caeſarianis commeatum difficiliorem reddere. Haec ſecum Heſſus parum prudenter, qui Caeſarem prudentiſſimum principem, quae ſibi in mentem venerant, non proviſurum ſperaverat. Miſſo igitur Horatio [a] Brancadorio Firmano ad [b] Columnam mandat Caeſar, ut, ſi praeſidiarii defendendae civitati pares non ſint, ad propugnaculum, quod occidentem ſpectat, cum tormentis et munitionibus ſe contrahant, ibique tantiſper hoſtileis impetus ſuſtineant, dum IↃC Hiſpani ſeu Itali et Germani, quod proxima nocte fieret, auxilio ſummitterentur. Heſſus tardius cum veniſſet, XV a civitate milliaribus caſtra metatus de intromiſſo auxilio cognovit; cumque Caeſarem mox cum toto exercitu ſubſequi nunciaretur, veritus, ne inter urbis praeſidiarios et Caeſarem medius interciperetur, omiſſa Ratiſpona Ingolſtadium verſus iter flexit. Id oppidum Danubio ſupra Ratiſponam impoſitum Baioari ditionis a Petro Guſmano cum CC peditibus Hiſpanis et CC levis armaturae equitibus Italis tenebatur. Eo cum Heſſus per ſalebroſa, anguſta ac paludibus impedita loca properaret, tanta celeritate uſus eſt, ut diſpoſitas a Caeſare inſidias anteverterit. Caeſar igitur de Ingolſtadio ſolicitus, cum oppidanorum fidem ſuſpectam haberet, nec propterea ponte lapideo, qui urbi adjacet, uti vellet, diſſimulato illo metu ſumma diligentia ponteis duos conjunctis navigiis et tranſverſis trabibus impoſitis exſtruxit, tanta latitudine, ut duorum carrorum ſimul tranſvehendorum capaces eſſent, quo oppidanos in officio contineret, et utriuſque ripae potens commeatu abundaret, exercitumque omnem, [γ] quo vellet, facilius trajiceret. Eo tranſmiſſo cum omnibus impedimentis minus XXII horarum ſpatio, et ſuis fiduciam fecit, et hoſtibus, qui cum certamen detrectare paſſim jactabant, terrorem injecit; cumque X ab urbe milliaribus proceſſiſſet, ſubſtitit, reſcito hoſteis haud amplius V milliaribus abeſſe. Tunc miſſi ad explorandum [c] Lanoius, [δ] qui interim convaluerat, et Petrus [d] Toletanus cum duabus equitum levis armaturae et ſcloppetariorum turmis, qui cum potentiore et locorum gnaro milite conſertis aliquot proeliis, in quibus Marchio Malaſpina equitum dux graviter vulneratus eſt, vix periculo erepti ſunt. Redintegrato deinum certamine a Guil. Furſtembergio Heſſi, ut ſibi videbatur, ſuperioris juſſu, additis ei Recrodo et Theodorico [e] Marcello ducibus, paene eo res adducta eſt, ut proelio decerneretur. [1] Sed nocte dirempto certamine, ſatis commode, ut in tumultu, Caeſarianus peditatus eis paludem hoſpitium

VAR. LECT. [α] incederet *P. D.* o. f. d. [β] praecedebant. Ita Caeſar partito exercitu incedebat. Contra aſtum *P. D.* o. f. [γ] quo vellet *deſunt* *P. D.* o. f. [δ] qui interim convaluerat *deſunt* *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Brancadori da Firmo.* [b] *Colonna.* [c] *de Lanoy, prince de Sulmone.* [d] *de Toledo.* [e] *Marcel.*

NOT. [1] Ce lieu eſt fort obſcur, & bien different de l'autheur d'où M. de Thou l'a tiré, qui eſt Girolamo Faleti Hiſtoir. d'Allemagne l. 2 p. 97. Je voudrois ainſi lire conformement à Faleti: *Sed praecipitante in occaſum die, Caeſar, quod potuit, rebus trepidis et dubia jam luce, peditatus ſui frontem cis paludem ſpatioſam obvertit, Ingolſtadio pone dextram ſito; equitatum vero ſylva ad laevam juxta Danubium condidit, adjecitque ex Italis et Germanis tutum foſſa praeſidium. Nox muniendis caſtris pervigilata. Nec dubitabant, &c.* *Put.*

hoſpitium habuit, ita ut ad dextram urbem a tergo haberet, equitatus ad laevam juxta Danubium ſilva vicina, in qua praeſidio muniti acceſſus, tegeretur. Nox muniendis caſtris et foſſae ducendae impenſa eſt; quo in opere milites quantumvis feſſi foſſoribus miſti ſumma ſedulitate incubuerunt. Nec dubitabant Caeſariani, ſi ea nocte nondum munitis caſtris hoſtes impreſſionem feciſſent, quin rem in ſummum diſcrimen adducturi fuiſſent: ſed fatone an ſocordia foederatorum nihil hoſtile ea nocte actum eſt. Orta luce Caeſar Octavium cum CC equitibus mittit, qui velitationibus hoſteis laceſſeret, interimque de caſtrorum ſitu cognoſceret. Foederati ita diſpoſiti erant, ut Saxo cum Schertelio ſub colle, in quo tormenta collocata erant, ad dextram flumen haberet, quo lunati arcus inſtar undique ex una parte circundabatur; Heſſus trans paludes, quibus caſtellum imminebat, juxta conſideret: reliquae copiae trans collem receſſerant. Itaque nocte inſequenti Caeſar CIↃ IↃ ſclopperarios Hiſpanos eo ire jubet, qui impetu in Hedeci caſtra facto, multis ex hoſtibus occiſis, ne ſuis quidem propter tenebras pepercerunt. Poſtero die, et IIII Kal. Sept. qui ſolvendo ſtipendio Schertelianis militibus dictus erat, luſtratus exercitus, et numerata pecunia; nihil praeterea actum. Quod maxime commodum Caeſari accidit; cui et munire caſtra, et commeatum atque alia neceſſaria [α] comportare per otium licuit. Nec Heſſum error latuit, quem die ſequenti ut emendaret, caſtra hoſtem verſus promovet, ita ut III milliaria tantum interceſſent. Quo comperto, Caeſar CIↃ ex Arzianis et Sandaeanis militibus, ac totidem Italos, partim pedites, partim equites, in hoſtes ire jubet. Ii per aviam ſilvam iter habuerunt, et ſpeculatores hoſtium nec-opinato aggreſſi, multos ex illis, qui ad primum ſtrepitum accurrerant, ferro ſternunt, in iisque [β] Uldricum [a] Crafterium et Jo. [b] Rithium Wirtembergicarum copiarum duces: quo facto, et vexillo uno capto, incolumes, amiſſis tantum V ex ſuis, ad Caeſarem reverſi ſunt. Invitatus hoc exemplo [c] Octavius gloriae cupidus juvenis die, quae ſecuta eſt, cum Sabello et Vitellio praecipuis ducibus, CIↃ IↃ peditibus, et IↃC equitibus, eodem profectus, ut inſidias hoſti tenderet, in hoſtem inſidiis ſtruendis et ipſum intentum incidit. Erant foederati numero ſuperiores, nempe II CIↃ ſcloppetarii duce Willelmo [d] Tumſernio, et IↃC equites ſub Jacobo [e] Hachio, Paulo [f] Verrerio, Georgio [γ g] Leſtio, et Jo. [δ h] Sergenio. Cum ſe Italicus peditatus certamini impar in viculum vicinum recepiſſet, ut ibi auxilia a Caeſare praeſtolaretur, Caeſar, qui proelii aleam ſubire nollet, monet obſeſſos, ut virtutis ſuae memores qua poſſint ratione ſe periculo expediant: igitur viculo ab hoſtibus incenſo calonibus amiſſis per medias flammas haud magno cum damno ad ſuos ſe receperunt. Eo nihilominus ſucceſſu elati foederati ſummo mane cum omni exercitu uno a Caeſarianis caſtris milliari conſidunt, acie in formam lunulae diſpoſita ad terrorem, ut major appareret. Dextrum latus Erneſtus Philippi Brunſvici filius regebat cum II CIↃ equitum, quorum ſigniferi praecipui Frid. [ε i] Tomombergius et H. Schombergius; laevum Joan. [k] Ponieavius et Wolfangus [l] Eiſelingenſis cum totidem equitibus: Recrodus cum pari numero eos ſequebatur: peditatus omnis in duas parteis diviſus, ducibus Theodorico [m] Peſirdio et Theod. Marcello, latus utrumque cingebat; cujus in media acie tormenta poſita erant. Ita inſtructo exercitu ad maceriam, in qua [n] Lud. Chiſſadius cum aliquot ſcloppetariis Hiſpanis praeſidio erat, haud plus CIↃ a Caeſarianorum caſtrorum foſſa paſſibus, veniunt foederati. Chiſſadius inde exactus

Caeſarianis

VAR. LECT. [α] comportare in caſtra interea licuit *P. D.* o f. comportare in caſtra per otium licuit *D.* d. [β] Huldricum *P. D.* o. f. [γ] Liſtio *P.* [δ] Segernio *P. D.* o. f. d. [ε] Tomombegius *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Krafteru* [b] *Rirthen.* [c] *Ottavio Farneſe.* [d] *Tomſhern* [e] *Hagt.* [f] *Verren.* [g] *Leiſt.* [h] *Seger.* [i] *Domberghe.* [k] *Ponſtaw.* [l] *d'Eſſelingen.* [m] *Peſurd.* [n] *Luigi Chiſſadi.*

CIↃIↃXLVI. Caeſarianis conjungitur. Diſploſis aliquoties tormentis cum Caeſariani foſſa non egrederentur, Heſſus quaſi hoſtium caſtra obſeſſurus tormenta quadripartito diſponit. Caeſar ipſe aciem adornat, adhortatus ſuos, ne numero aut inſolito clamore terreantur: omnem vim quippe hoſtium in primo impetu conſiſtere, cui ſuſtinendo ſi pares ſint, [α] et facile vincant; non enim illos pudere, ſi fortiter excipiantur, retro cedere, vix quidquam poſtea auſuros, cum ſemel repulſi fuerint: cum vero ſpe victoriae, quam a numero potius, quam a virtute [β] exſpectent, exciderint, ex audacibus humileis effectos ſtatim diffluere, et ferociam animorum in abjectam degenerare mollitiem. His dictis pediti imperat, ut non niſi vicino hoſte ſcloppetos diſplodat, aut gladios ſtringat. Interim reciſis arboribus aggerem erectum munit, et contra tormentorum ictus pluteos terra plenos exſtruit: quae omnia alacritate ſumma militum in vices operi ſuccedentium adminiſtrata ſunt. Carri et impedimenta in eum locum rejecta ſunt, ubi Aliprandus Madrucius ſtationem habebat, cui IIII equitum turmae additae ſunt, quod ea caſtrorum pars contra hoſtium impetus haud aeque munita eſſet. Contracto intra munitiones exercitu, ita Caeſar aciem ordinaverat, ut licet numero inferior, loci opportunitate defenſus, niſi ſummo ac manifeſto hoſtium diſcrimine ad proelium cogi non poſſet. Heſſus, cui ſatis actum illo die videbatur, quod hoſteis maceria depulſos intra caſtra compuliſſet, quod reliquum erat diei, diſplodendis ad terrorem colubrinis inſumpſit. Verum immani fragore illo Caeſariani minime commoti ſunt, quippe certaminibus et hujuſmodi terriculamentis jampridem aſſueti. Et Vitellius ipſe Italici peditatus praefectus ultro aggere egreſſus ad primos uſque hoſtium ordines cum Jo. [a] Bapt. Borgeſio progreditur, tanto virtutis documento, ut Saxo ſuſpirium imo pectore ducens in haec verba proruperit: Si tali milite exercitus Caeſaris conſtet, tantum abeſſe, ut illis debellandis Germania omnis, ut ne tota quidem conjunctis viribus Europa ſuſtinendis ſuffectura ſit. Quod a Germanis intellectum alte illis in pectus deſcendit, quaſi Saxo ignaviam ſuis exprobraret. Itaque Cunradus [b] Crafterius, cum videret quoſdam ex hoſtibus extra vallum progreſſos, cum X equitibus in eos invectus multis acceptis vulneribus et equo ſuffoſſo pedes in veſtigio ſtetit, et provocatis ad duellum qui certare vellent ex hoſtibus, magnum indomiti animi et roboris ſpecimen dedit. Cum octo continuas horas diſploſis tormentis nihil profectum videret Heſſus, jam adventante nocte et feſſo milite ſe in caſtra recipit, ducto ante tormenta ſecundum flumen aggere. Poſtero die educto caſtris exercitu, foederati, majori quam antea vi, diſploſis tormentis caſtra hoſtium quatiunt, irrito conatu, quippe aggere caſtrorum praealto, ita ut offendi miles non poſſet, et milite jam confirmato. Eoque die [c] Lancini Peruſini eximia virtus enituit, qui vallo egreſſus cum VIII tantum equitibus cataphractis tanta alacritate in obviam hoſtium phalangem invaſit, ut eam multis occiſis loco cedere cogeret; quod animos Caeſarianis primo fecit; verum ipſo Lancino in eo certamine interfecto, hoſtes progreſſi eundem rurſus, quem tenebant, locum obtinuerunt: neque propterea aequum cenſuit Caeſar marte decernere, quippe inferior viribus, et novis auxiliis aucto hoſtium exercitu, CCC videlicet equitibus a Palatino ſummiſſis, et III CIↃ [d] Helvetiorum ab [e] Argentinenſibus et Conſtantienſibus conductis, cum XII majoribus tormentis. Tantum muniendis caſtris, commeatu expediendo, et confirmandis militum animis intentus erat, praecipue Italorum et Hiſpanorum, quos prenſando et appellando adeo devinxerat, ut ad extrema quaeque ſeu

VAR. LECT. [α] et vincere poſſint *P. D. o. f. d.* [β] ſperent *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Battiſta Borgeſi.* [b] *Kraffter.* [c] *Lancini da Perugia.* [d] *Suiſſes.* [e] *ceux de Strasbourg & de Conſtance.*

ſeu ferenda ſive audenda parati eſſent. Ipſe ſuo exemplo maxime animabat milites, CIↃIↃXLVI.
quippe toto illo tempore ſub pellibus exacto, et adito ſaepius vitae diſcrimine, crebris tormentorum ictibus quaſſato ac tandem disjecto tentorio. Animos faciebat foederatis ingens ac recens exercitus et alacritas ſuorum, atque cauſae ratio, quippe cum de libertate certaretur. Itaque ne aut dilaberetur miles, aut fatigatione priſtinus ardor imminueretur, quamprimum ſibi proelio decernendum exiſtimabant: iis ſiquidem auxiliis bonam cauſam deſtitutam debilitari et, cum vulgo homines jus potentia metiantur, fieri, ut tandem injuſta videatur. Caeſarianis contra tempore et cunctatione creſcebant animi et vires, et propediem magnae copiae ex Belgio exſpectabantur. Cum ergo [α] nec tormentorum procella quaſſatis caſtris, nec levibus illis concurſibus Caeſariani elici poſſent ad certamen, Heſſus retro ceſſit, Heſſi conſilium Saxone et Schertelio improbantibus, qui Caeſaris caſtra omni ope oppugnanda cenſebant; qua ex re non tantum periculi, quantum ex mora, qua ducum exiſtimationem laedi et militum alacritatem frangi aiebant, damni reportaretur. Haec ita Caeſariani ſcriptores. Nam Jo. Sleidanus, cujus fidei et diligentiae [multum tribuo in] explicandis foederatorum conſiliis, culpam ejus rei ab Heſſo removet, quem convocatis ad Saxonem belli conſiliariis contra ſenſiſſe, et, ſi ſumma rerum, ut olim in bello Wirtembergico, penes ſe eſſet, cum duabus legionibus caſtra hoſtium adorturum, et foſſorum ope diſturbatis munitionibus in ea impreſſionem facturum, dixiſſe ſcribit. Utcunque ſit, errorem hunc maxime nocuiſſe foederatis conſtat, a quibus et Ratiſponae, dein etiam [a] Lanzuthi, ac poſtremo in caſtris ad Ingolſtadium Caeſarem opprimi potuiſſe, ab omnibus rei bellicae peritis poſtea judicatum eſt. Velitationibus illis CC utrinque, ſed praecipue ex foederatis deſiderari, IↃ vulnerati ſunt. Tormenta etiam III a Caeſarianis capta, ſed, poſtquam ab illis corrupta ſunt, a Schertelianis mox recepta. Miſſi fuerant Oldenburgius comes et [b] Riſebergus cum XXXV vexillis et CIↃ equitibus, qui [c] Buranum tranſitu Rheni prohiberent. Verum Buranus, cujus exercitus erat omnino X CIↃ peditum, quibus quaedam Italorum et Hiſpanorum cohortes acceſſerant ex iis quae contra Gallum Anglo militaverant, et IV CIↃ equitum, ſupra et infra [d] Moguntiacum haud dubio antiſtitis favore commodatis navigiis Rhenum tranſmiſerat: nec foederati ductores id prohibere potuerant equitatu longe inferiores, praeſertim concurrentibus Maximiliani regis Bohemiae, Alberti et Joannis Brandeburgicorum, ac Wolfangi [e] Melchingi Teutonicorum equitum magiſtri copiis, quae ad Rhenum uſque proceſſerant, ut Buranum trajecturum adjuvarent. Quo comperto foederati triduum eodem commorati tranſmiſſo Danubio prid. Non. Sept. ſecundis caſtris [f] Neoburgum, atque inde [g] Donaverdam petunt, ut medii inter Buranum et Caeſarem, quo minus conjungi poſſent, impedirent: eo conſilio Heſſus [h] Wendingam [β] Baioari in finibus comitis Oetingenſis oppidum venit. Caeſar, qui praecipuam fiduciam in Burani exercitu, inprimiſque in equitatu poneret, de ejus ſalute ſolicitus, ut reſcivit jam copias prope Norimbergam eſſe, [i] Caeſarem Magium deligit ex conſilio marchionis [k] Meleniani, ſub quo Magius aliquando praefectus caſtrorum fuerat, qui cum gnaris itinerum hominibus quamprimum ad Buranum proficiſceretur, et de hoſtium conſilio eum certiorem faceret.

P. [*plurimum tribuo, praeſertim in*]

VAR. LECT. [α] tot tormentorum *P.* [β] Baioari in finibus *deſunt* *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Landſhut.* [b] *Reiffenberg.* [c] *comte de Buren.* [d] *Mayence.* [e] *Melchingen.* [f] *Neuburg.* [g] *Donawert.* [h] *Wendingen.* [i] *Ceſare Maggi.* [k] *de Marignan.*

CIↃIↃXLVI. faceret. Ille tonſa more Germanico barba, et veſtitu murato, cum tota nocte per avia iter habuiſſet, mane in caſtra Burani pervenit; introductuſque in tentorium adhuc dormientis per Barbanſonum, cujus praecipuae ſecundum Buranum partes erant in exercitu, mandata Caeſaris aperit: veniſſe ſe cum peritis ac fidis viae ducibus, qui cum non recta ad dextram, ubi hoſtes caſtra habeant, ſed paulum inflexo ad laevam itinere Ratiſponam deducant; unde ſine periculo ad Caeſarem ſalvo exercitu et pecunia, ea erat cxxc cIↃ aureorum, contendere poſſit: quod ut tutius fiat, ſumme cavendum eſſe, ne exercitus in itinere interquieſcat. Cum, id, qui fieri poſſet, ſe videre negaret Buranus, ſeſſo milite totque impedimentis et tartis lente gradientibus, Viam inveni, inquit Magius, o Burane, quae nos periculo, quod ab hoſte, ſi conſiſtamus, certo imminet, et difficultatibus, quas dicis, ſimul expediat: ad dextram collocato equitatu, et pedite ac pecunia ad laevam incedendum tibi eſt; cum autem ad eum locum deveneris, ubi conſiſtere miles ſperat, claſſicum jubebis canere, quaſi inſtet hoſtis, acceleratoque gradu exercitum procedere: ita deſtinatum hoſpitium praetervectus miles, neque tam de viae longitudine quam de ſalute ſolicitus, ſine periculo traducetur. Hoc commento deluſus miles duplo longiorem ſolito viam ſine murmure emetitur, et incolumis in caſtra Caeſaris multa nocte pervenit. Juſſerat Caeſar crebros igneis in caſtris accendi, unde foederati Caeſarem caſtra moviſſe conjicerent: eodemque tempore Heſſus a [a] Sulmonenſi, Joanne Baptiſta [b] Sabello, Alſonſo [c] Ateſtino, et [d] Baleono crebris incurſionibus laceſſitus ſero comperit, Buranum ſibi e manibus ereptum; tertioque poſt die cum exercitu Donaverdam reverſus eſt, cui mox ſe conjunxit Chriſtophorus Oldenburgius et Fridericus [e] Riſebergus cum duabus legionibus, et Hubertus Bielingus cum v peditum vexillis.

XVII. Caesar, tam potenti exercitu firmatis viribus, quod ignaviae antea ab hoſtibus tribuebatur, in laudem vertit: boni ſiquidem ducis eſſe, non niſi conjunctis viribus quidquam aggredi, et videre ne interea ad proelio decernendum cogatur. Cum de [f] Neoburgo, quod eſt oppidum [α] tribus ſupra Ingolſtadium milliaribus, obſidendo in conſilio ageretur, variarunt ſententiae, aliis propter commeatus commoditatem et lignorum atque aquae abundantiam, tum quod eo capto omnia ad [g] Monacum uſque praecipuum [h] Vindeliciae oppidum Caeſariano exercitui libera eſſent, expeditionem urgentibus; aliis propter periculum, quod maximum impendebat, ſi exitu inceptum careret, ab ea diſſuadentibus. Heic Caeſar, qui omnino aliquid audendum ſibi propoſuerat, fortunae ſuae confiſus ipſe eo ire conſtituit, ut loci ſitum contemplaretur, antequam de obſidione decerneret. Igitur eo ad Neoburgum contra [i] Albani ſententiam profecto, comitantibus Franciſco Ateſtino, P. [k] Columna et Caſtaldo, ſtatim oppidani inopinato ipſius adventu territi miſſis decurionibus de deditionis conditionibus paciſcuntur: praeſidiarii item de oppidanis veriti pariter ignominioſis conditionibus ſeſe dedunt. Miſſus Melenianus, qui Caeſaris nomine accepta fide deditis parceret: [β] arx, quod Othonis Henrici familiae Baioaricae principis eſſet, qui nuper ad foederatos defecerat, [γ] a militibus crudeliter direpta eſt: Alip. Madrucius cum IↃcccc praeſidiariis oppido imponitur. Dedito Neoburgo, quod ad dextram Danubii ripam ſecundo flumine deſcendentibus jacet, cum fama eſſet, Caeſarem [l] Auguſtam tendere, foederati

VAR. LECT. [α] duobus infra *P. D. o. f. d. et Rob. Steph.* [β] caſtellum tamen, quod Henrici Othonis Vitelpachii familiae Baioaricae ſpurii eſſet, *P.* [γ] a militibus direptum eſt: *P.*

INTERPR. [a] *prince de Sulmone.* [b] *Savello.* [c] *d'Eſte.* [d] *Baglione.* [e] *Reiffenberg.* [f] *Neuburg.* [g] *Munick*, Germ. *Munchen.* [h] *Baviere.* [i] *duc d'Albe.* [k] *Colonna.* [l] *Augspurg.*

foederati flumen tranſmiſerant : ſed mox comperto [α] [a] Marxeimum petiiſſe, priora CIↃIↃXLVI
in caſtra revertuntur. [β] Marxeimo Caeſar Donaverdam venit : ſed cum ibi idoneum caſtris locum non reperiret, v Non. Oct. [γ] [b] Moheimum petit. Inde exploratum mittit P. [c] Columnam, Caſtaldum, Alex. Vitellium, Jul. [d] Urſinum, Paulum Vitellium, Caeſarem Magium, et Scipionem [e] Januarium cum IↃC Italis et Hiſpanis ſeloppetariis : his attributi et LX delecti equites ex Thomae [f] Coccapani, Joannis [g] Nizetii, Hectoris [h] Benevenutii, et [i] Natalis Cremenſis (ii levis armaturae duces) turmis. Inter hoſtium caſtra coenobium erat loco munito a Saxone occupatum et praeſidio firmatum. Cum Caeſariani confuſis ordinibus per ſilvam, quae interjacebat, incederent, in praeſidiatiorum inſidias praecipitarunt, vixque ſe fuga multis amiſſis [δ] receperunt. Captus primo Columna, qui Coccapanum paulo ante periculo exemerat : ſed ſtatim Coccapani virtute vicem reddentis ex hoſtium manibus ereptus eſt. De eo coenobio, quo veluti fraeno Caeſarianorum impetus cohibebantur, expugnando actum eſt : ſed cum in re plus periculi quam utilitatis eſſet, mutato conſilio [k] Wendinga a tergo relicta [l] Norlingam [m] Sueviae oppidum itur. Juſſi a Caeſare per fecialeis oppidani ſe dedere, et commeatum exercitui alendo ſuppeditare ; ad deliberandum de deditione biduum poſcunt, de commeatu ſe excuſant, exhauſtis in foederati exercitus alimoniam horreis. Quo reſciro Smalcaldici, firmata praeſidio Donaverda, et relictis ibi impedimentis, eo ſibi quamprimum proficiſcendum eſſe duxere ; quamvis hactenus de Caeſaris itinere incerti, donec per Lud. [n] Oetingenſem certiores facti ſunt, hoſteis [o] Vernizam flumen, quod ad Donaverdam in Danubium influit, tranſiſſe. Erat tunc admodum [ε] nubiloſus aer ; quo factum eſt, ut in conſpectum hoſtilis exercitus venerint, antequam de ejus adventu cognoſci potuiſſet. Primam aciem Saxo, mediam Heſſus, poſtremam Georgius [p] Malſpurgus et Riſebergus ducebant. Saxo progreſſus cum v legionibus et aliquot equitum turmis propius in hoſtem invehitur. Diſcuſſa nebula cum primum agmen via Norlingica procedere videret Caeſar, nec poſtremum adhuc cerneretur, quaſi ad juſtum proelium omnem exercitum educit. Ipſe in dextro cornu Italo peditatu et equitatu collocato et adjunctis Madrucianis cohortibus conſederat, cum aulica nobilitate ac ducentis Belgis equitibus et Maximiliani regis ac Joan. Brandeburgici equitatu : in ſiniſtro cornu Hiſpani ſtabant ; in medio reliqui Germani, terga et latera III CIↃ equitum cingentibus. Ita media et poſtrema acies ſimul incedebant. Levibus aliquot proeliis res ita acta eſt, ut, Octavio cum Schertelianis permiſto, non niſi juſto et omnium copiarum commiſſo certamine dirimi poſſe videretur. Saxonem medius ſequebatur, ſed magno intervallo, Heſſus : in quem cum hoſtilis acies converteretur, deliberatum eſt, an ſubſequi Saxonem deberet : nam extremum agmen longius aberat, et ſi ulterius progrederentur medii, maniſeſto irruentis hoſtis periculo expoſitum ; itaque nuncii miſſi, qui hinc Saxonem revocarent, hinc Malſpurgum, ut gradum adderet, monerent. Ipſe Heſſus immotus in his, quos occupaverat, collibus ſubſtitit. Jam [q] Buranus fluvium Egram, qui medius inter duos exercitus erat, quamvis tranſitu difficilem cum parte copiarum ſuperaverat, Heſſum invaſurus, cum Caeſar, qui non niſi loco iniquo conſeri pugnam animadverteret, Buranum revocat et, ne ultra progrediatur, imperat. Id admodum graviter tulere Hiſpani, gloriam ſibi et bello finem eripi quiritantes ; inprimiſque Buranus, qui

indignabundus

VAR. LECT. [α] Marxeimum P. D. o. f. d. [β] Marxaemo P. D. o. f. d. [γ] Mohaemum P. D. o. f. d. [δ] inde receperunt P. D. o. f. [ε] brumoſus P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Marxheim.* [b] *Moheim.* [c] *Pirro Colonna.* [d] *Orſino.* [e] *Gennari.* [f] *Coccapani.* [g] *Nizzeti.* [h] *Benvenuti.* [i] *Natale da Crema.* [k] *Wendingen.* [l] *Nordlingen.* [m] *la Souabe.* [n] *comte d'Ottingen.* [o] *Wernitz.* [p] *Marspurg.* [q] *comte de Buren.*

CIↃIↃXLVI. indignabundus galeam capiti dereptam prae ira in terram abjecit. Plerique etiam, qui retineri non potuerunt, contra imperium extremum agmen ſunt adſecuti; in iiſque Thomas [a] Lavegivolus Epirota multos ex hoſtibus occidit, plures cepit. Ita utrinque jam appetente nocte in caſtra reditum. Cum videret Caeſar Norlinga introductum auxilium, caſtra movet, occaſionem opperiens, qua hoſtem aequiore loco nactus cum eo confligeret. Poſtero die paulum progreſſus cum exercitu, cum una haud longe adequitanteis hoſteis cerneret, conſiſtere ſuos jubet, dum illi pertranſirent; ſtatimque [b] Albanus phalangem equitum immittit, quae terga hoſtium caederet. Verum illi mox converſa fronte et diſploſa colubrina, ut praecedentibus ordinibus conſiſtendi ſignum daretur, ad certamen ſe comparant: quo facto Caeſariani et ipſi arma expediunt. Utrinque inter Jo. Brandeburgici, Alfonſi [c] Ateſtini, Ph. [d] Lanoii, atque Erneſti Brunſvici, et Danielis [e] Schemecloſi contrarias copias diu aequo marte dimicatum, neque tamen res ad juſtum proelium devenit, dum quiſque occaſionem quaerit, qua rebus omnibus ſuperior in alterum invadat. In eo conflictu Albertus Brunſvicus Philippi filius, cum a compotatione tumultuarie prodiiſſet, in ore vulneratus paulo poſt deceſſit; ex Caeſarianis Andreas [f] Forolivienſis peditum dux deſideratus eſt. Ita utroque diſcedente exercitu Caeſar ad priora caſtra rediit; foederati rurſus ad colleis ſupra Norlingam ſe receperunt. Albanus, quo Heſſum animo promptum irritaret, per internuncios rogabat, quid ita montes et colleis inſideret; cur non in planum deſcenderet, et collatis ſignis decerneret? Ad haec Heſſus, ſe ſocioſque per dies v ante Ingolſtadium fuiſſe mediis in campis, et ipſum ad pugnam provocaſſe praefatus, viciſſim Albanum rogabat, cur non tunc conflixerit; ac ne modo [α] quidem ad Norlingam, ubi totum fere diem ſubſtiterat, ad proelium ſe comparaverit? Caeſar igitur, qui ad certamen hoſteis prolectare non poſſet, et ipſos rebus omnibus, quoniam utramque Danubii ripam tenebant, abundare aegre ferret, de Ulma expugnanda conſilium inivit: ſed quod longius abeſſet, et multa oppida, quae a foederatis tenebantur, interjacerent, rem omiſit. His accedebat, quod Heſſus [g] Sueviae metuens jam antea juxta Rainum oppidum impoſitum [h] Lico flumini, quod [i] Auguſtam alluit, aedificaverat caſtellum, quo veluti Licum cum Danubio conjunxerat, ut tranſitum in Sueviam hoſtibus intercluderet. Has et alias ob cauſas tutius viſum eſt, Donaverdam, quae proxima [k] Neoburgo nuper capto eſſet, aggredi. [l] Puteanius peditum dux, harum rerum admodum peritus mittitur, qui oppidi ſitum et aditus contemplaretur: ex iis, quae ab illo relata ſunt, cum rem ad exitum perduci feliciter poſſe Caeſar judicaret, [m] Octavio negotium [β] committit, qui cum [n] Petiliano, Alex. Vitellio, ac comite [o] Schaumbergio re communicata, [γ] accepta Italici et Teutonici peditatus parte et aliquot equitum turmis, ſuos cohortatus profunda nocte Donaverdae appropinquat, et exſcenſione in foſſam facta muro ſuccedit, ſcaliſque ea parte appoſitis, quae a domibus remotior eſt, qui juſſi erant, armati inſiliunt, vento tunc forte vehementiore, ita ut armorum ſtrepitus a praeſidiariis non facile exaudiretur: ex iis uno ſummum muri faſtigium manu prenſante, pinna dilapſa eſt et ſcalam fregit; quo fragore niſi expergefacti cuſtodes fuiſſent, Caeſariani improviſi in urbem aſcendebant: ſed nec propterea re ſerius animadverſa, et jam caeſis vigilibus, oppidum defendi potuit: nam majore urbis parte potito Octavio, praeſidiarii de ea defendenda deſperantes, monentibus oppidanis, ut ſaluti conſulerent, averſa parte ſe periculo exemerunt. Succeſſus ille fecit animos Caeſari ad

cetera

VAR. LECT. [α] ac quidem *P. D. o. f. d.* [β] dat *P. D. o. f.* [γ] cum Italici *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Lavegivoli Albanois.* [b] *duc d'Albe.* [c] *d'Eſte.* [d] *de Lanoy, prince de Sulmone.* [e] *Schemeclojen* [f] *da Forli.* [g] *la Souabe* [h] *le Lech.* [i] *Augſpurg.* [k] *Neuburg.* [l] *il capitano Pozzo.* [m] *Ottavio Farneſe, duc de Camerino.* [n] *il conte de Pitigliano.* [o] *Schaumburg.*

ceteră Danubii oppida in poteſtatem redigenda, atque imprimis Ulmam, qua capta Danubii potens, et hoſtibus inde deturbatis minime dubitabat, quin Suevia omnis ac [a] Vindelicia facile ſubjugari poſſet. Igitur III Eid. [α] Sept. Donaverdam venit. Conſilium erat foederatorum caſtra Caeſaris adoriri, idque per [β] indicem Caeſar reſciverat: ſed capta Donaverda, cum de Caeſaris profectione ſerius cognoviſſent, nihil actum eſt. Donaverda Caeſar die ſequenti [b] Dillingam verſus caſtra promovet: ea urbs epiſcopi Auguſtani ditionis tunc a CCC praeſidiariis tenebatur; qui de adventu Caeſaris certiores facti protinus ea relicta [c] [1] Louingam, et ipſam ad Danubium ſitam, ſe conferunt. Venienti Caeſari Dillinga deditur; cumque de Louinga merito ſoliciti eſſent Smalcaldici, oppidanos, ut bono animo ſint, per nuncios hortantur; mox ipſis ſe auxilio affuturos: itaque illi per fecialem dedere ſe juſſi ſuperbe reſponderunt. Dum deliberant foederati, quia adhuc incertum erat, num Caeſar progreſſus eſſet, et periculum erat, ſi ipſi Louingam de nocte, ſicut conſtituerant, peterent, ne relictam a tergo Norlingam Caeſar nullo negotio occuparet, et ex ea occaſione mutato conſilio per [d] vallem Remſiām in agrum Wirtembergicum deſcenderet, diem unum inutiliter contrivere. Incerta et [γ] lenta adeo foederatorum conſilia ipſis hactenus exitioſa cum amplius ferre non poſſet Schertelius, cui et alia ſubinde moleſta accederent, Louingam profectus praeſidium, quod in ea CIↃCC peditum erat, [e] Auguſtam, unde ad bellum [δ] miſſus fuerat, ſecum abduxit. Cum in itinere eſſet, eum Jo. Bapt. [f] Sabellus cum pontificio equitatu et CL ſcloppetariis Hiſpanis adſecutus eſt. Nihil territus Schertelius, ut erat vir ingentis animi, ſumpto editiore loco frontem obvertit, et repulſo ſumma virtute hoſte iter inſtitutum perſequitur: ſed cum Sabellum puderet numero ſuperiorem integro hoſte recedere, rurſus in Schertelianos impreſſionem fecit; qui certamini impares caute in vicinam ſilvam ſe receperunt, amiſſis tribus tormentis et impedimentis; pluribus tamen illo in conflictu ex Sabellianis deſideratis. Sleidanus harum rerum gnarus auctor ſcripſit, Schertelium nunquam poſtea in foederatorum caſtra rediiſſe: ſed Caeſariani ſcriptores diverſa prodidere; nam eum dicunt Auguſtam veniſſe explorandorum Caeſaris conſiliorum gratia, ut ſive ille Auguſtam, ſive Ulmam peteret, utriuſvis tuendae onus ſuſciperet: cumque neutrum tentaturum Caeſarem animadverteret, redire in caſtra conſtituiſſe, atque cum III CIↃ peditum, et pecunia, ea erat L CIↃ aureorum, quae Auguſta et vicinae ſociae urbes in foedus dependerant, ſe in viam dediſſe: qua re per cardinalem Auguſtanum comperta, Caeſarem mandatum dediſſe Fr. [g] Ateſtino, ut cum IIII peditum et II equitum CIↃ iter Schertelio intercluderet; illum vero per avia ab Ateſtino deflexiſſe, et incolumem cum pecunia in foederatorum caſtra perveniſſe: ceterum ea ſpe deluſum Ateſtinum, ne omnino re infecta rediret, [h] Frictinam in itinere oppidum, quod ab incolis ſine praeſidio tenebatur, deditione cepiſſe. Louinga praeſidiariis nudata, miſſis qui ſuperbum reſponſum excuſarent, pariter deditionem fecit. Caeſar, collocato in eam IↃC Germanorum praeſidio, et [i] Gundelfinga, quae ad [k] Brentam fluvium ſita eſt, ſtatim dedita, Brentam tranſmittit, et prope [l] Sontheimum vicum ad Brentam caſtra ponit, inde Ulmam petiturus, III haud amplius milliaribus ab eo loco diſtantem. Smalcaldici, ut praeverterent et praecipuam Sueviae urbem praeſidio firmarent, caſtra movent, et [m] Geengam, quod eſt oppidum trans Brentam,

VAR. LECT. [α] Octob. *P. D. o.* [β] indicium *P. D. o. f. d.* [γ] moroſa *P.* [δ] uti diximus, miſſus *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Baviere.* [b] *Dillingen.* [c] *Laugingen.* [d] *Remſerthal.* [e] *Augſpurg.* [f] *Savello.* [g] *d'Eſte.* [h] *Fricken.* [i] *Gundelfingen.* [k] *le Brentz.* [l] *Suntheim.* [m] *Giengen.*

NOT. [1] Lege *Laugingam*: ut Sleidan, p. 549, ed. Argent. 8vo. et Thuanus ipſe, lib. 10.

CIↃIↃXLVI. [a] Brentam, veniunt, medio inter duo caſtra flumine. Ex tympanorum pulſu id quod erat conjectans Caeſar in collem vicinum cum [b] Albano aſcenderat, ut tranſeuntem hoſtium exercitum propius contemplaretur; ubi cum in ſummo diſcrimine fuiſſe, et qui cum eo erant, in confeſſo eſt. Nam Saxo, qui illa die agmen ducebat, cum celeriter hoſte viſo ad collem contendiſſet, et Heſſo, ut ſe ſequeretur, ſignificaſſet, referente pedem hoſte, ſubſtitit Heſſum opperiens: ſicque pulcherrima rei gerendae occaſio e manibus erepta eſt; nam neque vado tranſiri flumen poterat, et unus modo pons iis locis erat, per quem ſi Caeſar forte elaberetur, ceteros duces hoſtium arbitrio expoſitos relinquebat. Viciſſim Caeſariani ſcribunt, eo die potuiſſe Caeſarem pugnandi neceſſitatem inferre foederatis. Conſtat tamen tam inopinato hoſteis in Caeſaris conſpectum veniſſe, ut ad ordinandam aciem, explicandas copias, et tormenta deducenda ſatis temporis minime habuerit, praeſertim cum Brenta intercederet, quae niſi pontibus et magnis navigiis tranſiri non poterat. Itaque rerum peritiores ita ſentiunt, prudenter feciſſe Caeſarem, qui rerum ſummam dubiae certaminis ſorti committere noluerit: quippe cum ipſius vireis in dies augerentur, et potentia tempore convaleſceret; concordia item et obedientia ducum ac militum ſumma eſſet, ut qui ſummum unum ducem et principem reſpicerent: contra hoſtium lenta et dubia conſilia, ac diſcrepantes in iis capiendis ſententiae, et ut inter pareis minor ducum reſpectus. Igitur recte providiſſe Caeſarem, foederatorum vireis tempore aut diſcordia tandem dilapſuras; ideoque ſibi cunctandum eſſe, dum ex occaſione, quae ſe brevi in manus datura eſſet, conſilium caperet. Smalcaldici praeterita pugnandi occaſione ad [c] Geengam caſtra muniunt, ſummiſſo Ulmenſibus III CIↃ et CCCC Helvetiorum auxilio. Quae ubi reſcivit Caeſar, omiſſo de tentanda Ulma conſilio, quod illud difficultatum et periculi plenum judicaret, hoſte a tergo inſtante, et inde Wirtembergico agro, inde Danubio et Auguſtanis ſibi infeſtis latera cingentibus, [d] Sontheimi ſubſtitit, et caſtra contra hoſteis cis Brentam munivit. Ibi levibus aliquot procliis certatur, quibus eo ſemel res adducta eſt, ut omnibus viribus ſibi decernendum eſſe duces exiſtimarent. Nam cum inſidiae utrinque eodem tempore, hinc a [e] Sulmonenſi, Alfonſo [f] Ateſtino, et [g] Balcono ſtructae eſſent in ſilva, inde a Recrodo et Bartholomaeo [h] Humbruccio cum CCC equitibus, Sulmonenſis ad vallum uſque hoſtium progreſſus, ut eos ad pugnam eliceret, primum agmen ſternit; mox concurrente majore hoſtium numero, cum aliter periculo eximi non poſſet, educti utrinque exercitus, remanente interea in caſtris Saxone, ut, ſi forte in his turbis Caeſar illa adoriretur, ad propulſandos impetus ipſe praeſto eſſet. Foederati, cum de ſumma actum iri ſibi perſuaderent, dimiſſo Sulmonenſi ad ſuos redeunt; ſed proluſionibus levis armaturae, crebras impreſſiones facientis ac ſe recipientis, effectum eſt, ut totus fere dies nulla alia re geſta extraheretur. Caeſar ex eo ſpectaculo cum magnam diu voluptatem cepiſſet, canere receptui jubet. Altera die nocturnas inſidias molitur, et Albertum Brandeburgicum ac Teutonici Ordinis magiſtrum cum ſuo quemque equitatu, et Aliprandum Madrucium cum ſua legione duces deligit, qui ſuperindutis interulis lineis prima noctis vigilia ſummo ſilentio ad hoſtium caſtra proficiſcuntur. Albanus ſubſequebatur cum reliquis copiis: ſed re per exploratores foederatis renunciata, irritus fere fuit conatus. Nam cum auctum excubitorum numerum, et omnem exercitum in armis eſſe cognoviſſent Caeſariani, retroceſſere: averſa tamen parte [i] Lanoius cum levi armatura, et [k] Barbanſonus cum

Buranici

INTERPR. [a] *le Brentz.* [b] *duc d'Albe.* [c] *Giengen.* [d] *Suntheim.* [e] *prince de Sulmone.* [f] *d'Eſte.* [g] *Ridolfo Baglioni.* [h] *Humbruck.* [i] *de Lanoy, prince de Sulmone.* [k] *de Ligne, ſieur de Barbançon.*

Buranici equitatus aliquot turmis in laxiores cuſtodias impetum fecerunt, et caeſis CIƆIƆXLVI.
pluribus ex hoſtibus captiſque, ſigno inſuper uno adempto, cum multa praeda ad ſuos redierunt: unde [a] Barbanſonus et [b] Lanoius a Caeſare laudati, et donis militaribus ornati ſunt. Summa erat in caſtris Caeſaris pabuli et commeatus inopia; et contagioſa lues, ob crebros ac continuos imbreis corrupto acre, inter milites graſſabatur; ad haec ſtipendium nulli perſolvebatur, nec recentes feſſis jam prioribus milites ſummittebantur, uti fiebat in caſtris hoſtium, ubi a Wirtembergico vicino nuper XXX peditum vexilla venerant. Quapropter ut tantis difficultatibus levamentum afferretur, et reficiendi ſe militi tempus daretur, ad vetera caſtra rurſus prope Louingam prid. Kal. Nov. ſe contulit Caeſar; poſtquam ad Sontheimum XLIV dies commoratus eſſet. Inde cardinalis Farneſius revocante eum pontifice, cum aliquot Italorum cohortibus, copia a Caeſare petita, Romam revertitur. Nihil ei verendum fuit de Alpium tranſitu; [c] Ereberga nuper recepta. Nam cum [d] Caſtelaltus Tirolenſis provinciae praefectus foederatos bello implicatos tranſmiſſo Danubio longius abeſſe cerneret, quam ut praeſidiariis opem ferre poſſent, quos arci a ſe captae impoſuerant, coactis [e] Oeniponte copiis improviſus advolat, et collocatis in colle, qui Erebergae a Septentrione imminet, III majoribus tormentis, tanto terrore praeſidiarios complevit, ut, noctu relicto ad pinnas muri vexillo ad fallendum hoſtem, per avias ſolitudines fuga dilapſi ſint. Dum ad [f] Louingam caſtra haberet Caeſar excurſionibus crebris utrinque dimicatum eſt, in iiſque male habiti a foederatis Itali et Hiſpani, quibus non inferiores animis Germani, ſed aſtu et arte impares, vincebant ſaepius, aliquando etiam vincebantur. XXII dies nulla re memorabili geſta ibi [a] conſumpti. Smalcaldici ex diſceſſione e caſtris ad Sontheimum, et quod jam raro egrederentur vallo Caeſariani, conjecturam fecerant, Caeſarem de diſſolvendo exercitu cogitare, eaque ſpe ſuſtulerant animos, miſſiſque ad civitates foederatas literis proſpera omnia ſpondebant, modo pecunia ſuppeditaretur. Nec fefellit eos omnino conjectura. Nam ea de re coram Caeſare inter belli conſiliarios actum eſt, Caſtaldo, cui aſſentiebantur [g] Albanus et [h] Melenianus, in hyberna dimittendum eſſe militem ſentiente, et cedendum hyemis ſaevitiae, expectandumque, dum ver appetat, quo tempore refectus miles ad militiam alacrior redeat, et recens conſcriptus ſuccedat; tunc quod reliqui ſit, facile confectum iri; ſi non prius, quod ſperetur, principes et urbes reſipiſcant, et veniam Caeſaris genibus advoluti depoſcant. Laudata Caſtaldi ſententia Caeſar tamen contra cenſuit; nimirum ſine mora ſucceſſus urgendos; eam quippe eſſe hujuſmodi popularium foederationum naturam, ut monſtroſae innumerorum membrorum compaginis inſtar, haud facile inter ſe cohaereant; eas nihil, niſi impetu, valere; tempore, ſi cuncteris, frangi; ſed ubi diſſilierint, ſi nemo prohibeat, facile rurſus coire. Itaque inſequendum jam fractum hoſtem, ne reſumptis viribus acrior inſurgat, et cum eo novi hoſtes vireis et conſilia jungant: alioqui praeteritorum laborum fructum amitti.

XVIII. RATIONIBUS Caeſaris victi aſſenſere omnes, et eo magis, quod ſub id tempus de proſperis Mauritii et Boëmorum in Saxonia ſucceſſibus allatum eſt: de quibus antequam dico, prius de ipſo Mauritio quaedam paulo altius repetita a nobis explicanda ſunt. Fridericus II ſeptemvir, qui placidi nomen meruit, moriens II filios reliquit; Erneſtum ſeptemvirum, qui anno ſal. CIƆ CCCC XXCVII, et Albertum, qui XIV anno poſt obiit. Erneſto ſucceſſit Fridericus III, qui coelebs vixit

VAR. LECT. [a] conſumpti ſunt *P D.o.f.*

INTERPR. [a] *de Ligne, ſieur de Barbançon.* [b] *de Lanoy, prince de Sulmone.* [c] *Erenberg.* [d] *Caſtelalto, gouverneur de Tirol.* [e] *Inſpruck.* [f] *Laugingen.* [g] *duc d'Albe.* [h] *marquis de Marignan.*

CIƆIƆXLVI. vixit: cui in ſeptemviratu ſucceſſit Joannes frater, bonus et conſtans a ſuis cognominatus: hujus filius fuit Joan. Fridericus, de quo heic agitur. Albertus alter Friderici II filius Georgium et Henricum ex Zedena Georgii [a] Boggiebracii Boemiae regis filia ſuſcepit. Georgius, quo non ullus Lutheri ſectatorum capitalior [*] hoſtis, moriens ſine liberis, heredem teſtamento Henricum fratrem, et ejus liberos Mauritium et Auguſtum reliquit, ea lege, ne religionem mutent; ni pareant, Caeſari et Ferdinando Caeſaris fratri omnem ditionem ſuam attribuit, donec vel ille, vel filii, vel ex Saxonica familia proximus agnatus conditionem impleverit. Verum Henricus, qui Smalcaldico foederi ſubſcripſiſſet, cum primum de fratris morte cognovit, conditione rejecta hereditatem adit, et [b] Dreſenam ac in reliqua oppida profectus populum in fidem ſuam adigit, adjutus praecipue favore Jo. Friderici ſeptemviri; continuoque Lutherum [c] Lipſiam evocat, ut ibi doceret, et ad populum conciones haberet. Mortuo Henrico, Mauritius et Auguſtus, ex Catharina Magni [d] Megalopolenſium ducis filia, nati ſub tutela Joan. Friderici fuerunt; quam ille ſumma fide et benevolentia adminiſtravit. Ipſe Mauritius, Agnete Philippi Heſſi filia in uxorem ducta, poſtea foedere Smalcaldico comprehendi voluit, et leges novas de diſciplinae eccleſiaſticae emendatione ac ſcholarum per Miſniam inſtitutione promulgavit, Auguſtanae confeſſioni prorſus conſentienteis. Is diſſimulandi mirus artifex, cum profundam ambitionem comitate vultus et rara humanitate tegeret, in Caeſaris familiaritatem propter morum ſimilitudinem facile devenerat; a quo Ratiſponae nuper ſub exitum Maii in privatum colloquium adhibitus, et prolixa benevolentiae ſignificatione dimiſſus eſt; facta ſpe, uti creditur, ſeptemviralis dignitatis ac reliquorum Jo. Friderici bonorum, quae proſcripturus eſſet et ipſi attributurus, ſi comes expeditionis eſſe vellet. Inde ubi domum revertit, ſubſequente mox Ferdinando rege, [e] Pragam ad illum, ut de belligerandi ratione ſimul ſtatuerent, profectus eſt. Cauſas odii inter gentileis quidam adducunt: cum in aleae luſu Mauritius omni pecunia amiſſa ſeptemvirum ad continuandum ludum depoſito oppidulo improbius urgeret, eo itidem amiſſo Mauritium a ſeptemviro increpitum fuiſſe, admonitumque ut in poſterum in ludendo modum ſervaret; illum vero reprehenſionis acerbitatem gravius juſto tuliſſe, ſtatimque agnato ſuo ex ea cauſa bellum intuliſſe, quod vix tandem Heſſi ſoceri interventu compoſitum ſit. Haec et alia, quae a Joan. Sleidano commemorantur, ſive conficta, ſive talia ſunt, ut honeſte a Mauritio in medium proponi non debuerint, certe tot editis ab utraque parte in hoc diſſidio ſcriptis nuſquam eorum facta mentio eſt. Mauritius ergo, cum videret citra impietatis et deteſtandae ingratitudinis notam non poſſe contra agnatum et ſocerum arma ſumi, ut facti invidiam amoliretur, edicto imperiali cogi voluit. Itaque Caeſar ex compacto datis ad eum Ratiſpona literis Kalendis Sextilibus, quae ipſi cum fratre Auguſto communes erant, miſſo etiam proſcriptionis, de quo ſuperius diximus, exemplo, mandat, ut quoniam perduellibus agnatione et neceſſitudine conjunctus ſit, ita ut in eorum bonis jus ſibi vindicare poſſit, vireis ſecum conjungat, ad occupandas illorum provincias, et ipſe juris ſui tuendi cauſa quam primum illas occupet; alioqui fore, ut occupantis, quiſquis tandem ille ſit, omnia fiant: poenam addit; quam, ni pareat, propter contemptum imperium eandem cum perduellibus ſubiturus ſit. Hac ſe ratione Mauritius ſatis excuſatum exiſtimans, ſi bellum Saxoni agnato inferret, ſuae ditionis Ordines, [f] Chemnici primum, dein [g] Fribergae VIII Eid. Oct. convocat, et quid facto opus ſit conſultat. Ibi cum de religione abunde ſibi a Caeſare cautum affirmaret,

VAR. LECT. [*] hoſtis, uti ſupra diximus *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Boggebrak.* [b] *Dreſden.* [c] *Leipſick.* [d] *Meckelenburg.* [e] *Prague.* [f] *Chemnitz.* [g] *Freyberg.*

affirmaret, cujus ſolius ratione populi pro Smalcaldico ſoedere ſtabant, facile in eam ſententiam omneis pertraxit, ut aequum et juſtum cenſerent, majoris periculi, quod Saxoniae impendebat, vitandi cauſa, ut Saxo et Heſſus paterentur ſuas provincias a Mauritio occupari. Igitur Mauritius literas ad Saxonem [a] Dreſena v Kal. Nov. dat, quibus ſignificabat, ſe, ut Caeſari, cui extra religionis cauſam parere teneatur, ſatisfaceret, et ſuum jus tueretur, ex Ordinum conſenſu viam iniviſſe, qua utriuſque commodo, ne ipſius bona in externas manus deveniant, optima ratione in praeſentiarum conſultum ſit: neque interea recuſare, quando ita Caeſari ac Ferdinando cum ipſo convenerit, quin, ſi quidem illi pariantur, utriuſque ditionis Ordines inter utrumque de ſumma rei tractent. In eadem ferme verba Joan. Willelmo ſeptemviri filio ſcribit et, ut literas ad parentem ſcriptas perferendas curet, rogat. Pervicit etiam, ut Ordines ad Saxonem et Heſſum ſeparatim ſcriberent, et apud Heſſum inſtarent, ut tam ſalutare conſilium Saxoni inſinuaret. Ad ea Heſſus poſtea reſpondit, datis ad nobilitatem et Mauritianos Ordines literis, atque ad ipſum Mauritium praecipue; quibus, invidioſe exprobratis a Saxone et a ſe in eum collatis beneficiis, religionis cauſam agi demonſtrat, neque id Mauritium diſſimulare poſſe, qui ſoedus cum pontifice initum et nuper a pontificiis miniſtris evulgatum non ignoret: neque enim alio tendere arma Caeſaris, quam ut Germanorum opes Germanicis opibus per civiles diſcordias ſubvertat, et pontificium jugum, quod tam generoſe excuſſerint, ipſorum cervicibus victor imponat: non debere ergo moveri proſcriptione Caeſaris, aut bruto pontificis fulmine; quippe cum utrumque telum in religionem diſtrictum ſit, quam tuendam juraverint, et quam neſanda proditione ipſe, ſi deſerat, haud dubie ultorem habiturus ſit illum, in quem pejeraverit. Tunc etiam foederati XIII Kal. Nov. ad maritimas civitates dant literas, nempe Magdeburgicos, Brunſvicenſeis, Bremenſeis, [α] Hamburgenſeis, [b] Goſlarienſeis, [c] Hildeſemios, [β] [d] Gothingenſeis, [e] Hanobrios, [f] Emdenſeis, Mindenſeis; item ad [g] Pomeranum, [h] Luneburgicos, et [i] Anhaltinum; quibus, quo in diſcrimine Saxonia, et ipſe Jo. Fridericus, cujus periculum ad omneis pertineat, verſetur, indicant: jam in armis eſſe Ferdinandum, cui ſe Mauritius Caeſaris proſcriptione, uti prae ſe fert, territus, quantumvis diſſuadentibus ſociis, conjunxerit: monitum quidem eum a ſe, ut ab armis abſtineret, alioqui non defutura Saxoni auxilia; nunc cum non pareat, obviam illius audaciae ire decreviſſe: ac ſibi quidem antea e re publica viſum fuiſſe, ut Saxo cum parte exercitus in Saxoniam proficiſceretur; ſed cum haud longe cum totis copiis hoſtis conſederit, ſpeſque ſit propediem de ſumma certatum iri, conſultius videri, ut Saxo in caſtris remaneat, nec dividantur copiae: hoc enim ab hoſte captari aiebant, ut aut ſeparatis viribus in eum omne robur effundi minime queat, aut ipſi pluribus locis diſſiti facilius a conjuncto exercitu opprimantur: petere igitur, ne ſocii periculum negligant, ſubſidioque copias Witembergam et [k] Winariam quamprimum mittant, et quod reliquum pecuniae ex foedere debent, id Jo. Willelmo Saxoni perſolvant. Antea ad Bohemos foederatione antiqua et ſtudiorum conſenſione ſibi conjunctos ſcripſerant, et ne ſe Ferdinandi criminationibus praeoccupari ſinerent, monebant: eodemque tempore ſub exitum Sextilis ſcriptum edunt, quo in pontificem contumelioſiſſimis verbis invecti, incendii per Germaniam excitari eum auctorem faciunt, ſibique compertum eſſe dicunt, ab illo in Saxoniam veneficos immiſſos, qui puteos et aquas ſtagnanteis CIↃIↃXLVI.

VAR. LECT. [α] Hamburgos *P.D.o.f.* [β] Gotingenſeis *P.D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *Dreſden.* [b] *Goſlar.* [c] *Hildeſheim* [d] *Gottingen.* [e] *Hanover.* [f] *Embden & Minden.* [g] *duc de Pomeranie.* [h] *ducs de Lunebourg.* [i] *prince d'Anhalt.* [k] *Weimar.*

CIↃIↃXLVI. ſtagnanteis corrumperent; ut, quibus ferrum pepercerat, eos veneno abſumerent. Id mox evulgatis literis Saxonis filius confirmavit, quibus continebatur, nuper quendam Italum in Thuringia prope Winariam deprehenſum eſſe, qui tormentis ſubjectus ſibi et aliis nonnullis Romae datam pecuniam pontificis nomine fateretur, ut incendiis ac veneno per Germaniam quantam poſſent maximam perniciem darent. Hac fama irritatis populorum animis, tamen omnia ſegniter gerebantur. Nam nec principes aut [a] Vandalicae civitates auxilia in tempore ſummiſerunt, nec Daniae rex quamvis foederatus ullam opem Smalcaldicis tulit. Interea Ferdinandus a Bohemis et Sileſiis, licet reſiſtentibus, militem impetrat, et ex [b] Pannonia evocatis equitibus, (ii vulgo Huſſari dicuntur, genus hominum immite et rapax) in Saxoniam ducit. Conductis copiis praefectus erat Sebaſtianus [c] Wintemullus: is XIII Kal. Nov. miſſis literis ditionis ſeptemviri populis bellum denunciat; cauſae obtendebantur, quod ſuperioribus annis ipſorum princeps collegium [d] Dobrilugum occupaſſet, et violato foedere, quod cum domo Saxonica Bohemis intercedit, Caeſari nuper et Ferdinando amicitiam renunciaſſet: itaque quamvis minime opus fuerit denunciatione, proſcripto Saxone, ne quid tamen a ſe praetermiſſum jure dici poſſit, voluiſſe hoc pro muneris, quod ſuſtineat, ratione ſignificare. In [e] Woitlandiam proximam a Bohemis et Huſſaris primum fit impetus. Caede, incendiis, libidine, [α] praedationibus nullo diſcrimine ſaevitum. Qua ex occaſione Bohemi, qui praeter voluntatem in eo bello principi ſuo militabant, crudelitatem illorum deteſtati III Eid. Nov. diſcedunt a ſignis, et domum revertuntur. Pannonii, qui ſuperfuerunt, quod a ruſticis ſibi metuerent, ſtatim Mauritio ſe conjungunt. Ejus exercitus erat omnino VIII CIↃ peditum et IV CIↃ equitum. Cum eo in ſeptemviri ditionem hoſtiliter ingreſſus, poſt proſpera aliquot certamina, Altotſii primum, dein ad [f] Zuiccaviam, ubi III CIↃ peditum et CCC equites auxiliarios fudit, Zuiccaviam ipſam, deinde [g] Schenebergam, [h] Aldeburgum, ac fere reliqua omnia ſeptemviri oppida XV dierum ſpatio in fidem accepit, praeter Witembergam, [i] Iſenacum, Gotham munitiſſimas urbeis. Cujus rei nuncius hinc a Sibylla uxore ad Saxonem maritum, inde a Mauritio ad Caeſarem perlatus, perturbatione et gaudio aeque animum utriuſque complevit: ac Caeſar quidem, ut publicam laetitiam teſtaretur, in caſtris omnia tormenta diſplodi jubet. Ob id cum ſummam invidiam ſuſtineret Mauritius, paſſimque virulentis libellis proſcinderetur, ſcripto publicato purgare ſe nequicquam conatus eſt; quippe cum religionis cauſam minime agi contenderet, cum tamen ex belli eventu longe aliam Caeſaris mentem fuiſſe manifeſto apparuerit, quando ille inter pacis conditiones hanc ſupplicibus impoſuit, ut contra quam Spirenſibus comitiis decretum fuerat, Tridentinae ſynodo ſubſcriberent: et ſane id minime latuiſſe Mauritium pleriſque merito perſuaſum eſt, hunc colorem ambitioni et callidae alieni invadendi cupiditati falſo praetexentem, quam ſumma perfidia in agnatos et neceſſarios exercuerit. Hanc certe expeditionem magnum rebus Caeſaris hactenus dubiis momentum attuliſſe conſtat, ut ex eo ille certam triumphi de debellata Germania reportandi ſpem conceperit; et in conſilio, quod de hoſte inſequendo contra ceterorum ducum opinionem ceperat, magis confirmatus ſit. Tamen, quod pluvioſo coelo et paludoſo ſolo offenderetur miles, mutata caſtra, et ſalubriore ac commodiore loco, quo commeatus facile ſubvehi poſſet, tranſlata. At Saxonicarum rerum nuncio conſternatis foederatorum animis, cum ſeptemvir quamprimum domum ſibi revertendum exiſtimaret,

VAR. LECT. [α] praedationibus ibi ab Huſſaris nullo *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *villes Vandaliques; Lubeck, Hambourg, Roſtock, Wiſmar, & Stralſund, ſituées vers la mer Baltique.* [b] *Hongrie.* [c] *Windtmulhen.* [d] *Dobrilugk.* [e] *Woitlandt.* [f] *Zwickaw.* [g] *Schneeberg.* [i] *Altenburg.* [n] *Eyſenach.*

exiſtimaret, Heſſus contra vireis minime ſeparandas eſſe cenſeret, placuit ad civitatum legatos referri, qni jam ſub exitum Oct. Ulmae convenerant. CIↃIↃXLVI.

XIX. Ii initio, cum de Mauritii deſcenſu in Saxoniam cognoviſſent, et Saxo inſtaret, ut ſibi liceret cum parte copiarum ad hoſtium impetus propulſandos iſtuc proficiſci, legati ſe ejus rationem habituros reſponderunt: ceterum cenſuere conſultius eum ſacturum, ſi tunc in caſtris remaneret: verum ubi de Mauritii ſucceſſu ipſis conſtitit, mutata ſententia, ut commodius de re tota cum belli ducibus decernerent, in caſtra [a] Geengam veniunt. Propoſitis in medium belli difficultatibus et incommodis, cum nuſquam ſociorum auxilia apparerent, et ex foederatis Pomeranus ac Luneburgici nihil omnino, alii per Saxoniam parum admodum in communem cauſam conſerrent, ex Gallia et Anglia nihil adſerretur; interea ſenſim dilabente milite deminueretur exercitus; in eam ſententiam devenere omnes, nt aut proelio, ſi poſſent, decernendum, aut praeſidiis in hyberna diſpoſitis diſcedendum, ac poſtremo pacem induciaſve faciendas eſſe cenſerent. Cum de pace agi placuiſſet, Adamum [b] Trottum Joachimi Brandeburgici et totius familiae neceſſarium ad Johannem Joachimi fratrem mittunt, ut per eum Caeſaris voluntatem periclitarentur. Sed cum ille nulla ratione conveniri poſſe reſpondiſſet, niſi Jo. Fridericus ſe et omnia ſua Caeſaris voluntati permitteret, nihil effectum eſt. Tam duras autem pacis conditiones proponi juſſerat Caeſar, quod de hoſtium ſtatu et eorum conſiliis atque rationibus per indicia certo cognoviſſet. Itaque qui ſimul omnes de Caeſare tota Germania expellendo paulo ante conſilia agitaverant, jam de ſalute ſua ſinguli cogitare coeperunt; decerniturque, ut reliquas omneis copias Saxo ſecum abduceret, et VIII CIↃ peditum ac CIↃ equites in hybernis relinquerentur, quibus alendis Wittembergicus et Germaniae ſuperioris civitates ſociae ſumptum facerent. Ita tam numeroſi et inter ſe tam male animati exercitus, cum caſtra caſtris diu vicina habuiſſent, nullo memorabili proelio facto diſceſſerunt; qnod aut raro aut nunquam fere accidiſſe repetita retro [α] ſaeculorum memoria comperietur. Igitur decreta in Galliam et Angliam, quo jam legatos miſerant, altera legatione, ad IX Kal. Dec. caſtra movent, ſummopere contradicente Schertelio, nt Caeſariani tradunt, et civitatum legatos obteſtante; quamvis, ut ſupra jam dictum eſt, ex quo [c] Louinga abducto ſecum praeſidio [d] Auguſtam rediit, nunquam in Smalcaldicorum caſtris eum fuiſſe ſcribat Sleidanus. Equitatu in poſtrema acie relicto cum XXXX campeſtribus machinis, praemiſſo cetero exercitu ea die inceſſum eſt. Juſſus inſequi [e] Albanus ad convallem hinc et inde a ſeptentrione et meridie collibus cinctam, ubi primum hoſtem conſpexit, in tria agmina omnem peditatum juxta ſilvam occaſum verſus collocat, et ad dextram equites in X quadratas acies diſtribuit: foederati viciſſim contractis ordinibus in tumulum aſcendunt, unde diſploſis tormentis quaſi ſigno dato ad pugnam ſe comparant. Caeſar, qui multo majores hoſtium copias eſſe exiſtimabat, in caſtra ſubito revertitur; relicto Albano cum equitatu et CIↃ peditibus Hiſpanis, qui hoſtem interea levibus proeliis deſtinerent, inde mox cum toto exercitu in eos invaſurus. Verum ea nocte foederati vado tranſmiſſa [f] Brenta ſe praeſenti periculo exemerunt, primiſque caſtris prope [g] Heidenemum in agro Wirtembergico conſederunt. Rei conficiendae in manus datam occaſionem Caeſar ab indicibus deluſus ſibi ereptam aegerrime tulit, eodem, quem paulo ante [β] in Smalcaldicis damnaverat, errore admiſſo. Sed adverſa tempeſtate, et ad luem per exercitum graſſantem accedente itinerum continuis imbribus corruptorum

VAR. LECT. [α] praeteritorum ſaeculorum P. D. o. f. d [β] in *deeſt* D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Giengen.* [b] *Trott.* [c] *Langingen.* [d] *Augſpurg.* [e] *duc d'Albe.* [f] *le Brentz.* [g] *Heidenheim.*

CIƆIƆXLVI. corruptorum difficultate, [a] Sontheimum retrocedere cogitur, innumeros ex ſuis aegros, multos etiam ex hoſtili exercitu ſemineceis per viam relictos ſecum trahens. Ad militem reficiendum ibi triduo conceſſo, quod foederatos per Franconiam pabulo et commeatu abundantem provinciam hyemare velle crederet, praevertendum ſtatuit, atque in itinere praemiſſis [b] Bolfingam CCC equitibus Belgis, oppidanos ad deditionem compulit. Norlingenſes, qui praeſidio tenebantur, Caeſaris iram ſubverebantur, nec minus de praeſidiariis ſolliciti erant: cumque in hoc eſſent, commodum accidit, ut praeſidiarii, qui et ipſi ſibi metuebant, non monitis civibus nocte dilaberentur, et ad [c] Groppium munitiſſimum comitis Oetingenſis caſtellum confugerent: eo metu liberati oppidani mane deditionem faciunt, XXXVI CIƆ aureorum mulctati. Caeſar impoſito Norlingae cardinali Auguſtano cum CIƆ IƆ Teutonicis peditibus, Buranum [d] Wiſſemburgum mittit; ipſe [e] Dingelſpulum cum exercitu proficiſcitur: utrinque miſſis legatis oppida deduntur. Relictis ad Dingelſpuli cuſtodiam duobus Teutonum vexillis, Caeſar [f] Roteburgum oppidum foederatum populo admodum frequens, quod eſt ad [g] Duberam, magna celeritate contendit: proceſſere obviam venienti cives, et deditionem fecere. Saxo et Heſſus, veriti ne, ſingulis dedentibus ſe urbibus, ipſi omni perfugio nudarentur, heic copias partiuntur: Heſſus ad dextram iter flectens majora tormenta [h 1] Circenae et [i] Schorendorfii, locis munitiſſimis apud Wirtembergicum depoſuit, atque inde, ut cum Mauritio genero ageret, domum revertitur: Saxo jam expeditior, Recrodo ſecum abducto, quamvis properaret, in itinere Gemundam Sueviae urbem tormentis oppugnatam deditione capit, et exacta a Senatu pecunia, ac viritim diviſa [k] Francofurtum ad Moenum pridie Eid. Dec. venit. Ibi cum eſſet, acceptis a civibus IX CIƆ aureorum, quae ex foedere debebantur, Moguntino ſeptemviro XL CIƆ imperat, Fuldenſemque opulentiſſimum praeſulem ac finitimos pontificios gravibus ſummis mulctat. Interea Heſſus per ſuos cum Mauritio egit; quoniam, ut ipſe tuto intereſſe poſſet, ſatis cautum per Mauritium non fuerat. Sed cum Mauritius ſibi paciſci non licere, niſi de Caeſaris voluntate, diceret, et Saxo, qui copias haberet inſtructas, quo minus ei bellum inferret, nullam moram interponi vellet, re infecta diſceſſum eſt. Nuſquam major ſerenitas et aëris temperies poſt tam aſperam tempeſtatem Decembri menſe conſpecta eſt: quod cum ſuperſtitioſe Caeſariani interpretarentur, quaſi manifeſto coeli favore praeter naturae ordinem Caeſaris conſiliis adſpirante, Saxo cum exercitu Saxoniam frigidam admodum regionem ingreſſurus, in commodum ſuum vertit. Roteburgo [l] Buranum cum Belgicis copiis dimittit Caeſar, et ut Francofurtum occupandi rationem ineat, ſi poſſit, imperat: ipſe praemiſſo [m] Halam Sueviae ad [n] Cocerum Albano, quae mox deditionem fecit, eo ſtatim profectus eſt.

XX. JAM Ulmenſes, quod diſſoluto foederatorum exercitu demum ſe omni ope deſtitutos cernerent, legatos Roteburgum ad Caeſarem miſerant, qui nondum ad eum admiſſi Halam uſque ſequi juſſi ſunt. Ulmenſium exemplo permotus Palatinus eo et mox venit, et tentata per Granvellanum cancellarium via, cum ſe coram Caeſare ſtetiſſet, Non tam potentiae tuae magnitudine territus, inquit, quam clementiae fiducia fretus genibus tuis ſupplex advolvor, ut quanto maxima mea eſt erga te offenſio, tanto maximam erga me tuam experiar benevolentiam: et quanquam culpa mea habeat juſtas et legitimas excuſationis cauſas, ſatius duco, crimen fateri, quam committere, ut de clementia tua dubitare videar. Cum enim

INTERPR. [a] *Suntheim* [b] *Bopfingen.* [c] *Groppen.* [d] *Weiſſenburg.* [e] *Dingelſpubel.* [f] *Rotenburg.* [g] *Tauber r.* [h] *Kirchein.* [i] *Schorndorff.* [k] *Francfort ſur Mein.* [l] *comte de Buren.* [m] *Halle en Souabe.* [n] *le Kocher.*

NOT. [1] Kircheimio *Put.*

enim videam te etiam erga nocentiſſimos ſingulari indulgentia uti, malo jus CIↃIↃXLVI. meum mihi pereat, quam de clementiae tuae laude quidquam detrahatur. Tu me ergo perduellem, tu fatentem, tu ſupplicem reum imprudentia lapſum in gratiam ſuſcipe, et a me viciſſim debiti et conſtantis obſequii fidem ullis fortunae ictibus inconcuſſam accipe. Ad haec Caeſar truci primum, dein ſereniore vultu in haec verba reſpondit. Vellem ab alio quovis potius, quam a te, principium clementiae feciſſem: neque enim hos canos, in quos citra pudorem imprudentia non cadit, neque arctiſſimum cognationis, quod tecum mihi eſt, vinculum, quod ſine impietate a te violari non potuit, hoc decebat, ut me armis peteres, ut me pro imperii majeſtate pugnantem, conjunctis cum imperii hoſtibus juratis viribus et conſiliis, bello perſequi velles. Nam excuſationis cauſae, quas dicis, potius te onerant, quam culpa et crimine liberant. Sed quoniam ita caſus tulit, ut etiam ex proximis clementiae gloriam reportare me oporteat, age, et ut ſperaſti me benignum dominum, me indulgentem cognatum, et, quod caput eſt, victoria in victos et ſupplices moderate utentem experiare; tuique officii eſſe reputa, omni ope eniti, ut offenſionis gravitatem omni fide et obſequio in poſterum ſuperes. His dictis venerandam ſenis canitiem deoſculatus eum in pedes erigit, et bonis omnibus ac priſtinae dignitati reſtituit. Quod Willelmum [a] Baioarum agnatum, qui ſpe obtinendi ſeptemviratus Caeſarianas parteis ſecutus [α] credebatur, aegerrime tuliſſe ferunt. Sed Caeſar e re ſua et publica eſſe exiſtimavit, erga Palatinum potentiſſimum principem, de imperio olim optime meritum, ea benignitate uti, ut illum a foederatorum ſocietate avulſum in ſuas parteis pertraheret; ratus fore, ut ejus exemplo admonitae civitates, aut defectione territae, celerius ad officium redirent. Ulmenſes deinde introducti, et foedus ac vim ſociorum cauſati interventu ipſius Palatini modo reconciliati veniam impetraverunt, c aureorum millibus mulctati, et XII tormentis traditis, ac recepto intra urbem X vexillorum praeſidio. His confectis Caeſar [b] [1] Oetingam venit, et inde [c] Neoſtatum ad [2] Cocenum, ac poſtremo [β] [d] [3] Alprunium ad Nicrum, quas regiones olim Charitini populi inſederunt; unde Albanum cum populabundo milite in agrum Wirtembergicum immiſit. Buranus interea in Heſſiam deſcendens, ubi Cattos quondam ſedeis habuiſſe conſtat, [e] Darmeſtatum partim vi, animoſe defendentibus ſe oppidanis, quibus collecta ex agris turba ſe adjunxerat, partim deditione cepit: arce incenſa plebi promiſcuae dux pepercit. Inde Francofurtum praetervectus, quod de urbe capienda deſperaret, adverſa anni tempeſtate, et milite male affecto, exercitus partem Rhenum tranſmittit, et ad [f] Moguntiacum conſiſtere jubet. Illae properantem nec tale quid cogitantem miſſi Francofurto legati adeunt, qui ſe imperata facturos pollicentur. Palatini Ulmenſiumque exemplo illos et Wirtembergici a ſociis deſerti calamitate permotos conſtat, ut deditionem facerent, cum timerent, ne ſi diutius exſpectarent, gravius mulctarentur; tum etiam quod intelligerent, Moguntinos et [g] Wormatienſeis certatim apud Caeſarem inſtare, ut jus nundinarum, quibus opulentiam et magnitudinem ſuam urbs illa debet, perduellibus ereptum ad ſe transferretur. Itaque [h] Buranus ſine mora cum exercitu urbem ingreditur,

VAR. LECT. [α] fuerat *P. D. o.* [β] Alprunum ad Neccarum *P. D. o.* Alprunum ad Nicrum *D f. d.*

INTERPR. [a] *duc de Baviere.* [b] *Eringhen.* [c] *Neuſtat ſur le Koher.* [d] *Hailbron ſur le Necker.* [e] *Darmſtat.* [f] *Mentz,* ou *Mayence.* [g] *ceux de Worms.* [h] *comte de Buren.*

NOT. [1] Eringam *Put.* *Ind. Thuani.* [2] Cocerum *Put.* [3] Hailpronnam *Put*

CIƆIƆXLVI. ingreditur, et populum in Caeſaris fidem ſacramento obſtringit, impoſito III CIƆ peditum et CCCC equitum praeſidio: dein Burani rogatu miſſis [1] Alprunum legatis a Caeſare in gratiam recipiuntur, depenſis XXC aureorum millibus. Ferunt Buranum virum candido et aperto ingenio, cum a ſenatu epulo exciperetur, quaeſiiſſe a civibus, quid ita leviter et ignave nullo cogente ſeſe dedidiſſent, tam firmo et populoſo oppido tuti; cum [a] Darmeſtatenſes, quorum urbs Francofurti comparatione vicus eſſet, tam fortiter ſe defendiſſent? cumque illi pudore ſeu metu impediente nihil reſponderent, jocoſe addidiſſe, ſuaſurum ſe libenter Caeſari, ut ipſos Darmeſtatum, Darmeſtatenſeis autem Francofurtum in coloniam deduceret. Et haec quidem hoc anno in Germania geſta ſunt.

XXI. Diversa parte Anglus, cum exhauſto aerario et adverſis aliquot proeliis commiſſis in dies res ſuas labefactari doleret, jam belli pertaeſus, ad pacem antea fruſtra per Germaniae principes tentatam inclinare coepit; in eaſque conditiones nobiſcum tranſegit, ut [b] Bononiam et arceis circa Bononiam exſtructas cum tormentis et munitionibus ceteroque apparatu bellico reſtitueret; rex viciſſim [2] XXC aureorum millia octo penſionibus Anglo dependeret. Haec per [c] Annebaldum maris praefectum et Joannem [d] Dudleium, qui poſtea Northumbriae dux appellatus eſt, Franciſci [e] Bernardi oratoris Veneti interventu acta, uterque rex poſtea rata habuit. Tunc Franciſcus ad [f] Guidonis-rupem ad Sequanam hyemabat; niveſque praealtae erant: ex eaque occaſione praecipui ex nobilitate juvenes caſtellum conſtructum hinc [g] Delfino duce, cum quo [h] Aumalius et [i] Santandreanus erant, oppugnabant; inde Franciſco [k] Borbonio Angiano propugnante, militaris obſidionis imitatione tuebantur. Eo in certamine occulta rixa inter duces ex aemulatione ſuborta ludum in luctum vertit. Nam dum Angianus poſt ſolutum certamen, nihil cogitans, ut paulum reſpiraret, in area palatii ad parietem ſederet, arca ex ſuperioribus feneſtris, eorum, qui cum Delfino erant, juſſu, ut creditum eſt, ſed inſcio Delfino, demittitur, qua ille cervice eliſa oppreſſus eſt. Hunc exitum maximae ſpei juvenis jam in illa aetate nobilis [l] Cariniana victoria ſummo regni detrimento habuit: cujus eo lamentabilior mors fuit, quod de ea quaeri ſecundum leges non potuit; pejore principis viri, quam privati conditione. Ita fortuna, rebus noſtris illudens, non ſatis habuit per bella toties repetitis cladibus ſerio Gallos mulctaſſe, niſi etiam a bello ſecuros nova per ludum jactura affligeret. Hunc certe caſum Franciſcus ſecundum filiorum mortem aegerrime tulit; tamen ut Franciſci Delfini, ſic et Angiani diſſimulata, nec vindicata nece. [α] Interea de belli Germanici exitu anxius ſibi omni cura limites, a quibus invaſionis metus erat, firmandos eſſe exiſtimavit. Itaque [m] Burgum in Sebuſianis profectus, inde [n] Cabilonem et [o] Seureum [β] in Inſubrum pago oppidum ad [p] Ararim venit, quod nuper muniendum imperaverat. [γ] Deinde per [q] Belnam et [r] Divionem iter habuit; atque ex Burgundia in Campaniam deſcendens per [s] Lingones, unde Annebaldum ad [t] Coiſium et [u] Montinium oppida luſtranda miſerat, [x] Calvimontium in agro Baſſiniaco venit.

Ligniacum

VAR. LECT. [α] Interea rex *P. D. o. f.* [β] in Inſubrum pago *deſunt* *P. D. o.* [γ] inde *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *ceux de Darmſtat.* [b] *Boulogne ſur mer.* [c] *d'Annebaud.* [d] *Dudley, vicomte de l'Iſle, (puis duc de Northumberland) grand amiral d'Angleterre.* [e] *Bernardi.* [f] *Rocheguyon ſur la Seine.* [g] *le Dauphin.* [h] *Fr. de Lorraine, comte d'Aumale.* [i] *Jacques d'Albon, ſeigneur de St. André.* [k] *de Bourbon, comte d'Enguyen.* [l] *bataille de Cerizoles.* [m] *Bourg en Breſſe.* [n] *Chalons ſur Saone.* [o] *Seure en Bourgogne.* [p] *la Saone.* [q] *Beaune.* [r] *Dijon.* [s] *Langres.* [t] *Coiſy.* [u] *Montigny.* [x] *Chaumont en Baſſigny.*

NOT. [1] Hailpronnam *Put.*

[2] XXC *aureorum.* Le traitté porte 94736 eſcus au ſoleil & 32 ſols. Le dit traitté eſt entier dans Du Tillet, p. 403 & 404, in 4to, 1618, Paris. & faut reformer ce lieu ſuivant le traitté. Les termes ſont: Le dit roy François continueroit paier au dit roy Henri ſa vie durant par chacun an 94736 eſcus au ſoleil & 32 ſols Tournois, ſuivant le traitté du 20 Aouſt, 1527: & ce traitté fut fait le 7 Juin 1546, ſur les limites d'Ardres & Guiſnes prés du camp. *Put.*

[α] [a] Ligniacum in Ambaris ipſe luſtrare voluit; [b] [β] Barrumque primatiam regionis urbem adiit, [γ] ubi Chriſtiernam Fr. Lotaringi quadrienni relicto filio mortui viduam officioſe inviſit. Poſt [c] Jonvillam venit, ac [d] Vitriacum Francicum ad Matronam, quod [e] Parthici cremati ex adverſo tertio a Francico lapide disjuncti ſitus non ita arrideret, muniendum curavit. Hinc reflexo itinere per [f] Manchildis fanum, [g] Villam-francam ad Moſam, [h] Muſonium, Sedanum, [i] Mezeriam, [δ] [k] Mauberti-fontem, [l] Corneti montem in Ardnenna ſilva, poſtremo [m] Folembracum praetorium venationibus opportunum appetente hyeme Kal. Nov. venit: ubi aliquamdiu commoratus, valetudine jam male affecta, per [n] Compendium ad [o] Sangermanum exeunte anno ſe contulit. CIƆIƆXLVI.

VAR. LECT. [α] Lignium P. [β] deinde Barrum P. D. o. f. [γ] ibique P. D. o. f. [δ] Maberti-fontem P.

INTERPR. [a] *Ligny en Barrois.* [b] *Bar le duc.* [c] *Joinville.* [d] *Vitry le François ſur Marne.* [e] *Parthois le brulé.* [f] *Ste. Menehoud.* [g] *Villefranche ſur Meuſe.* [h] *Mouſon, Sedan.* [i] *Mezeres.* [k] *Maubert-Fontaine.* [l] *Mont cornet en Ardennes.* [m] *Folembray.* [n] *Compiegne.* [o] *St. Germain en Laye.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TERTIUS.

EPITOME.

F*ELICIA belli Germanici initia nonnihil conturbant conjuratio Genuae Fliſcana et Neapolitani tumultus.* II. *Alterius origo et ſucceſſus:* III. *Cui ſucceſſit Ciboana: virtus in utraque Andreae Auriae et conſtantia.* IV. *Neapolitani motus origo ab inquiſitione: ejus exitus libertati nobilitatis poſtremo exitioſus.* V. *Henrici Angli mors; mores, et occultus in Franciſcum regem amor ex morum ſimilitudine.* VI. *Secuta mox regis mors: ejus fortuna, prudentia, regni diſpenſatio, amor in literas et literatos:* VII. *Ad Henricum filium praecepta; quae ille regnum iniens magna ex parte neglexit, Cl. Annebaldo maris praefecto et Turnonio Caedinali, quibus praecipuis adminiſtris uſus fuerat, a rerum gubernaculo remotis. Diana Pictavienſis, et ejus impotens animus.* VIII. *Leges optimae a Franc. Olivario Cancellario latae.* IX. *Helionora regis defuncti vidua in Belgium proficiſcitur. Imbrium vi ruptus S. Michaelis pons Lutetiae.* X. *Hier. Capiferrei cardinalis in Galliam ad novum regem legatio. Leges in diplomatis Pontificii promulgatione a ſenatu appoſitae.* XI. *Saxo captus, et ocrea ejus ad ludibrium in Galliam miſſa.* XII. *Durocortori Remorum rex inauguratur. Saxonicae copiae a Seb. Vogelsbergo regi militant.* XIII. *Duellum inter Vidum Cabotium Jarnacum & Franc. Vivonum Caſtaneum ad fanum Germani commiſſum, regi triſte et ominoſum.* XIV. *Leo Strozzius ex foedere poſt cardinalis Santandreani caedem in Scotiam cum claſſe mittitur: ejus felix ſucceſſus, captis in arce Andreana in Galliam ſecum abductis.* XV. *Anglica in Scotiam expeditio, et proſpera ad Preſtonium pugna* [1] vi *Eid. Sept. qua illuſtrium familiarum e Scotis juventus cecidit. Reginae Britannodunum ſepoſitae:* XVI. *Mutatio religionis in Anglia ſub Eduaedo* vi *puero; et accerſitus eo P. Martyr Vermilius Florentinus.* XVII. *Doctorum virorum obitus, Fr. Vatabli, Jacobi Tuſani, Beati Renani, Jo. Schoneri, Conradi Peutingeri, Petri Bembi, Jacobi Sadoleti;* XVIII. *Item Hariadeni Ahenobarbi Caeſareae in Africa proſultani, et Ferdinandi Corteſii novae Hiſpaniae in India occidentali fundatoris.*

Ex auctoribus,

Jacobo Bonfadio, Uberto Folieta, Carolo Sigonio, Laurentio Capellonio, Nic. Sandero, Jo. Sleidano, Mart. Bellaio, Thoma Cormerio, Petro Paſchalio non edito, Caroli card. Lotaringi comment. MS. Actis curiae Pariſienſis, Georgio Buchanano, Joſia Simlero, Th. B. Florimontio Florebello, Jo. Caſa, Mambrino Roſeo, Joanne Leunclavio, F. [2] *Lupo* [2] *Gamma.*

LIBER

INTERPR. [2] *Lopez de Gomara*

NOT. [1] iv Eid. Sept. *Put.* [2] Gomara *Put.*

LIBER TERTIUS.

INEUNTE CIↃIↃXLVII felicia belli jam in Germania inchoati auſpicia inteſtini motus in Italia, ceteroqui a bellis externis quieſcente, exorti, aliquantum perturbarunt. Nam conjuratio Jo. Ludovici [a] Fliſci [b] Genuae detecta, et eodem tempore tumultus Neapolitani fama Caeſarem fortunae impetu ad victoriam jam paratam ſumma ſuorum alacritate properantem retardare, non tamen tanti conatus gloriam et fructum eripere potuerunt. Sed Neapolitana ſeditio prius coepta, obſtinata contumacis proregis pervicacia ſerius deſiit. Conjuratio Genuenſis poſterius nata, ſtatim [α] improviſa ducis morte oppreſſa eſt.

II. ORIGO illius haec fuit. Octavianus [c] Fulgoſius rato incorruptae erga patriam charitatis exemplo, cum arcem a Ludovico XII Genuae impoſitam, quam firmandae privatae potentiae idoneam ſervare poterat, demolitus eſſet, ſopitis diſſenſionibus ſtatum Reipublicae ita ordinaverat, ut privatas offenſas bono publico potius condonaſſe, quam de inimicis ultionem ſumpſiſſe videretur: dein capta a Caeſarianis urbe, et tam egregio cive expulſo, rurſus [d] Adornii rerum potiti ſunt. Cumque de concordia ineunda conſilia agitarentur, atque aerario exhauſto ad id alicujus magni principis opibus opus eſſet, fruſtra tentata Clementis VII voluntate, interea Galli rurſus Genuam receperunt: ſub quibus Theodoro Trivultio, qui nomine Franciſci res adminiſtrabat, minime contradicente, nova Reipublicae forma conſtituta eſt. Paulo poſt cum Andreas [e] Auria alieno maxime tempore regi ſtipendia renunciaſſet, Genuaque exacto Trivultio, [β] ac recepta [f] Savona a Gallis admodum magnis operibus munita, patriae libertatem reſtituiſſet, ea publicae adminiſtrationis ratio inſtituta eſt, quae ſummi imperii magiſtratu, a quo nobiles lege excludebantur, cum nobilibus communicato, populareis familias hinc deprimeret, hinc ſupra modum nobileis efferret; ut facile vetus odium inter nobileis et popularis nominis civeis nondum ex animis omnino extirpatum ex eo ſenſim vireis ſumere potuerit. Ita affectis popularium animis non defuturos in ea civitate motus apparebat, ſi dux rebus novandis idoneus non defuiſſet. Eum ſe praebuit Jo. Lud. Fliſcus [g] Laviniae comes clariſſima gente ortus et elato animo juvenis; quod aegre ferret Andreae Auriae recentibus meritis Auriacam familiam, cui ſuam nullis partibus inferiorem exiſtimabat, in tantam magnitudinem evectam, ut merito popularibus et liberae civitati gravis, ſibi vero moleſtiſſima eſſet: et ut Andream tot adoreis mactum, tantiſque beneficiis, quae ipſe inficiari non poterat, de patria optime meritum, propter aetatem et civium gratiam, qua modeſtiſſimus ſenex minime omnium tota vita abuſus eſt, patienter ferret, [h] Janetini Auriae faſtum et aſperitatem ferre nullo modo poterat. Is Thomae Auriae filius in re tenui educatus ſericam textrinam, [γ] quod apud illos minime ignobile eſt, exercuerat: ſed cum Andreas Thomae patruelis liberos non haberet, eum ſibi ut ſanguine et nomine proximum heredem deſtinaverat, nec ſolum bonorum, ſed amplitudinis

ac

VAR. LECT. [α] inopinata *P. D. o. f.* [β] moxque *P. D. o. f.* [γ] quod apud illos minime ignobile eſt *deſunt P. D. o.*

INTERPR. [a] *dal Fieſco.* [b] *Genova.* [c] *Fregoſe*, Ital *Fregoſo.* [d] *i Adorni.* [e] *Doria.* [f] *Savona* [g] *Lavagna.* [h] *Gianettino Doria.*

CIƆIƆXLVII. ac potentiae quaſi ſucceſſorem jam tum conſtituerat, xx triremibus attributis: quae res ut erga nobilium juventutem ſummum favorem et auctoritatem Janetino conciliabat, ita apud populareis maximam invidiam excitabat. Aliam viam ingreſſus Fliſcus, comitate et humanitate, quam ſpecie naturali et compoſito vultu prae ſe ferebat, popularium gratiam demerebatur, primarios ex illis adoleſcenteis benigne appellando, et in eorum coetus ſeſe familiariter inſinuando. Cum ſibi iis artibus aliquam gratiam apud populareis comparaſſe videretur, benevolentiam illam potentia et auctoritate firmare conſtituit: et quia in maritima civitate majora navalium quam terreſtrium copiarum momenta eſſe judicabat, iis ſeſe imprimis muniendum cenſuit: commodumque accidit, ut, cum IIII triremeis Petro Aloiſio Placentinorum et Parmenſium duci vi ablatas Andreas Auria in portum Genuenſem ſubduxiſſet, acerrimae ſimultates inter pontificem et Auriam accenderentur, quae inde originem habuerunt. Imperialis Auria [1] Zagonis epiſcopus grande aes Andreae propinqui favore et beneficio partum in Neapolitanis poſſeſſionibus collocaverat, earumque heredem Andream decedens ea lege inſtituerat, ut propinquos tenuiſſimae fortunae homines ſuo patrocinio ſublevaret. Ex hac hereditate quo minus fructum ferre poſſet, a pontificiis miniſtris ad fiſcum omnia epiſcopi bona trahentibus impeditus eſt. Itaque judicio Romae conſtituto, eam partem, quam ex conſtanti juriſconſultorum conſilio ad ſe pertinere contendebat, cardinalis Farneſius, ſummiſſis qui publico nomine poſſiderent, ſibi vindicarat; quam tamen ſe remiſſurum oſtendebat, ſi eam ex Farneſiorum liberalitate Andreas accipere vellet. Verum ille eam conditionem ut contumelioſam generoſe recuſavit; injuriamque a Farneſiis praeter jus et aequum ſibi illatam adeo moleſte tulit, ut per Janetinum triremeis pontificias captas Genuam deducendas mandaverit. Eam occaſionem ad omneis caſus intentus juvenis avide arripuit, et pontificem Auriis atque adeo Caeſarianis infenſum ſibi conciliavit; demumque cum de lite inter pontificem et Andream tranſactum eſſet, emptis a Farneſiis haud magno pretio iis triremibus, cum quibus ſub pontifice meteret, ſuſpicionem rerum quas moliebatur facile diluit: nam alioqui tanto obſequio et aſſiduitate Andream colebat, ut nihil temere inclementius de eo exiſtimari poſſet. Ipſe Andreas, licet a [a] Vaſtio certior factus, quod inter Caeſaris [b] Fulgoſii in [c] Pado occiſi chartas repertus eſſet commentarius, quo ille de Genuenſium rebus diſſerens regi pollicebatur, Fliſcum ad res novas pro ipſo Genuae aggrediendas ſemper paratum fore, et antea a Gul. [d] Bellaio Subalpinae regionis praefecto per P. Lucam Fliſcum magnis pollicitationibus eum ſolicitatum ſciret, tamen nihil tale de Fliſci indole et candore ſuſpicatus, omnia, quae de ipſo afferebantur, ut falſa et incerta, non ſolum apud civitatis proceres, ſed et ipſum Caeſarem elevabat. Erat in homine etſi prope adoleſcente ſummum diſſimulandi artificium, quod tota oris ſpecie lumen quoddam hilaritatis ac modeſtiae prae ſe ferente mirum in modum juvabatur. Color ejus quippe imprimis egregius, laeti oculi, inceſſus ſedatus ac liberalis; quanquam equo praeſigni ſaepius, ut ſe populo oſtentaret, ſublimis per urbem vehebatur; idem vultus, et conſtans in multiplici actione varietatis ſimilitudo. Hac ingenii agilitate odium ſuum, quod adverſus Janetinum jamdudum coquebat, cujuſque ſuffuſa nota aliqua in ipſius ore antea apparebat, totum intra animi latebras abdiderat, et ſpecie quadam amoris inſignis illum adortus, quicquid in illius animo ſuberat opinionis incommodae, id protſus deleverat; et tum humaniſſime praeſalutando, tum domi conveniendo

INTERPR. [a] *marcheſe del Guaſto.* [b] *Fregoſo.* [c] *le Po.* [d] *du Bellay, ſeigneur de Langey, gouverneur de Piedmont.*

NOT. [1] *Sagona*, urbs epiſcopalis in Corſica. *Put*

conveniendo ac conſilia communicando, interdum et ipſius liberos in ſinum acceptos CIↃIↃXLVII.
coram parente deoſculando, in arctiſſimam ſe ejus familiaritatem inſinuaverat. Inter haec Fliſcus ab Auguſtino Trivultio cardinali ſummo regiorum negotiorum in Italia procuratore ſolicitabatur, miſſo Genuam Nic. [a] Foderato equite Savonenſi Fliſci affine, qui adoleſcentis animum propoſitis honeſtis conditionibus periclitaretur, an Gallis in recuperatione Genuae adeſſe vellet. Quod cum temere ſe facturum promiſiſſet, atque cum eo reſponſo Foderatum dimiſiſſet, ſtatim poenituit, admonente et increpante eum Joan. Baptiſta Franco Verrina, quod conſilium de ſubjicienda Gallis Genua tenuis animi et abjecti eſſe diceret, cum ipſe patriae dominatum ſibi comparare poſſet. Itaque revocato ex itinere Foderato Fliſcus literas, quas ad Trivultium dederat, ſibi reddi juſſit, atque aperte ſententiam mutaſſe prae ſe tulit. Dein cum Verrina Raphaelem [b] Saccum juriſconſultum Savonenſem, et Vincentium [c] Calcaneum familiarem ſuum in interiorem aedium partem ſeduxit, et de integra Trivultii conditione denuo ad eos retulit; ibi variarum ſententiis, quod Calcaneus Verrinae conſilium audax et plenum periculi ſibi videri aſſereret; Verrina contra generoſum, honeſtum ac neceſſarium, poſtremo etiam tutum eſſe affirmaret. Quid enim generoſius, aiebat Verrina ad Fliſcum converſus, quam malos civeis, qui ſpecie libertatis occupata per vim potentia ad immoderatas cupiditates abutuntur, de culmine deturbare, et eandem potentiam magnitudine animi et virtute arripere, qua moderatius et ſecundum patriae leges in conſtituenda republica victor utaris? Eo enim res devenit, ut aut Genuae tibi imperandum, aut turpiter ſerviendum ſit; illud animi, hoc ignaviae eſt: jam utrum mavis, elige. Ut haec nihil te moveant, forte ſcilicet tua et privata vita, in qua Sinibaldus parens vixit, contentum; at periculum et diſcrimen, in quo verſaris excitare te ſaltem debet. Janetinum vides quam averſo in te animo ſit ob triremeis illas a te nuper comparatas; quippe cum navale imperium, quod ſibi ſpe et ambitione jampridem uni deſtinavit, tecum communicandum intelligat. At non ignoras, quam aegre homines vulgo in partem potentiae vel proximos admittant; ut dubitare non debeas, quin Janetinus ea in re, quae parentes cum filiis, filios cum parentibus committere ſolet, minime tibi parſurus ſit; nec commiſſurus, ut tam alte animo inſidens dolor ſemper in verborum inaneis contumelias, ac non aliquando tandem ſerio in tuam perniciem erumpat. Jam enim utrique veſtrum haec a fortuna impoſita eſt neceſſitas, ut alterius ſalus alterius peſte ſit expedienda. Quo in conſilio is mea ſententia ſapientior fuerit, qui anteverterit; nullumque eſſe locum morae duxerit in eo conatu, qui utrique neceſſarius, cum evertat neceſſe eſt, qui, dum cunctatur, alterius celeritate ſe opprimi ſinet. Nec ſatis tibi erit aemulum, imo hoſtem oppreſſiſſe, tot ſuperſtitibus vindicibus, a quibus Janetino ſublato, quam incolumi, plus impendet diſcriminis: [α] eodem facinore amplectendi ſunt Andreas ipſe, Adamus [d] Centurio Janetini ſocer, ac reliqui nobilium factionis principes. Huic neceſſitati, quae te vix deliberare ſinit, ſi pareas, tuta omnia cum imperio tibi ſpondere auſim; [β] ſi cuncteris, certum exitium cum dedecore imminet. His addebat Verrina, ut conſilium omni ex parte tutum approbaret, Andream et Janetinum, ut in nullo tali metu, negligenter et ſolute agere; ſummam domi ſolitudinem eſſe, nullas cuſtodias excubare, nullam familiarium aut clientum turbam adeſſe; ipſos domi et in publico ſine ullis ſtipatoribus conſpici; triremeis denique ut in hyeme cum ſolo ferme remigio, nullo praeterea praeſidio firmatas, occupantium, quicunque tandem ſint, audaciae patere.

Pervicit

VAR. LECT. [α] in eodem P. [β] ſin P. ſi deeſt D. o. f.

INTERPR. [a] *Foderato de Savona.* [b] *Sacco.* [c] *Calcagno da Vareſe.* [d] *Centurione.*

CIƆIƆXLVII. Pervicit Verrinae ſententia apud juvenem ſua ſponte ad omnia vaſta et praecipitia propenſum, qui alioqui magnis beneficiis devinctum hominem in magno honore et benevolentia habebat. Is autem erat Verrina, qui ſermone efficax et manu promptus, tum ad expedienda negotia artificioſe audax, cum inexpiabili odio in nobileis flagraret, et aeris alieni magnitudine oppreſſus privatis vulneribus tegendis turbandarum rerum occaſiones quaereret, facile ambitioſum adoleſcentem familiae ſplendore et majorum gloria inflatum in illo fervore aetatis ad quodvis facinus aggrediendum impellere potuerit. Igitur omni Gallorum cogitatione rejecta, de conficiendi negotii ratione inter ipſos agitur. Placuit primo, ut in B. Andreae templo novum rei divinae ſacrum indiceretur, eoque Andreas ipſe et Janetinus ac nobilium plerique invitarentur, atque ibi caedis et tumultus initium eſſet: ſed cum admoneretur Fliſcus, eo fortaſſe Andream jam affecta aetate non venturum, ſed aliquem ex familiaribus, uti conſueſſet, cum ſolemni munere miſſurum, mutata fuit ſententia, quantumvis reclamante Verrina, qui ſe eadem hora ad Andream, ſi non veniret, ſalutandi cauſa aditurum, et ipſum imparatum domi confoſſurum pollicebatur. Exuto ſemel amore patriae charitatis omnem una humanitatem ac fidem exui, ex eo tunc perſpectum eſt, quod, rejecta ea ſententia, altera multo immanior propoſita eſt; ut ſcilicet Fliſcus Andream et Janetinum praecipuoſque ex nobilitate, quos ſuis conſiliis adverſos ſciret, ad coenam invitatos inter ſacra menſae trucidaret: quo facto per urbem diſcurrens populum ad libertatem vocaret, praetorioque de improviſo occupato, Verrina diadema ſinu promptum Fliſci capiti imponeret, eoque duce Genuae ſalutato populareis omneis atque ipſam plebem in ducis fidem jurejurando adigeret. Erat ad IV Non. Jan. conſtitutus convivio dies, quo comitia ducis creandi cauſa erant futura; quae civibus in curiam concluſis in multam noctem ſemper produci ſolent. Verum Andreae repentino chiragrae dolore laboranti febris ſuperveniens ſpem ipſius foris opprimendi conjuratis ademit, et ad alia conſilia impatientem morae Fliſcum accendit; qui cum eodem tempore reſciviſſet, Janetino ante praeſtitutum diem, ex qua occaſione incertum, Genua eſſe abeundum, veritus, ne res, ſi diutius differretur, nimis exagitata pateſieret, facinus maturat, eique patrando ſecundam Januarii noctem conſtituit. Itaque ſpecie triremis armandae et praedatum mittendae, ut pro qua nullum a pontifice ſtipendium acciperet, re cum ipſo Janetino communicata, ut omnem ſuſpicionem amoveret, homines cogit; qui ipſi a P. Aloiſio [a] Farneſio libenter ſummiſſi, et ex ſuae ditionis oppidis lecti frequentes jam convenerant. Id clam Andrea factum, quod Fliſcus de ea re ſermonem cum Janetino conferens metuere ſe diceret, ne, ſi ille reſciret, propter pactas inter Caeſarem et Solimanum induсias, abſque dubio id impediret. Nec contentus iis militibus Fliſcus, etiam praetorianos, qui aut ſuae ditioni ſubditi erant, aut ejus beneficio militiae adſcripti, ſolicitavit: quod a [b] Jocanto Corſo militum tribuno, cum veſpere praeſidium recenſeret, animadverſum, ſcrutatis militum contuberniis, et reperto eos ad Fliſcum commeaſſe, continuo ad civitatis gubernatores atque ad ipſum Auriam perlatum eſt. Verum ille mox a Janetino de Fliſci conſilio, quod ab eo ſibi communicatum dicebat, certior factus, non ſolum quod erat minime ſuſpicatus eſt, ſed etiam ab ipſo Janetino exoratus, quo minus milites, uti ferebatur, praedatum mitterentur, non impedtit. Jamque nox advenerat conjurationi deſtinata, quae diem IIII Non. Jan. praeceſſit, cum Fliſcus primis tenebris homines armatos, quos evocaverat, occulte in aedeis ſuas, quae in clivo ab aliis inſulae inſtar omnino ſeparatae erant, introducit: is peramoenus intra moenia clivus in ea urbis parte, quae ad ortum vergit, qui ſe longe lateque explicans plurimis eſt domiciliis diſtinctus atque ornatus, hinc maris ſpatia,

INTERPR. [a] *Farneſe, duc de Parme.* [b] *Gizanto Corſo.*

ſpatia, hinc [a] Albani ſuburbana, tractumque illum, quem [b] Biſamnius interfluit, CIƆIƆXLVII.
pulcherrime proſpectat; [α] [c] Carinianum vocant. In eo domum late magnificeque aedificatam habitabat Fliſcus, quae urbi ample imminens quaſi dominatum petere videbatur. Acceptis amicis, jannam ſtrenuis ac quibus maxime fidebat ſatellitibus cuſtodiendam committit; ita ut ingredientibus omnibus pateret; exeuntibus, praeterquam conjuratis, clauſa eſſet. Vocatis a Verrina ad coenam civibus, quos opportunum putavit, et in interiora perductis, cum ad novum totius domus armis ubique perſtrepentis habitum obſtuperent, Fliſeus infit, Non debere eos apparatu quem cernerent, terreri; vocatos non tam ad tempeſtivi convivii communionem, quam ad pulcherrimi facinoris ſocietatem, quo ſalus dignitaſque reipublicae et communis omnium libertas ipſorum opera a Janetini tyrannide, quam Caeſaris opibus fultus in dies firmet et ſtabiliat, aſſeratur: quod ne accidat, ſe nefarii hominis conatibus praevertere, atque ipſum ducem cum reliquis, ſi qui occurrerint, nobilibus opprimere decreviſſe, ut recuperatam ope Gallorum rempublicam conſtituat, quos meliores et commodiores Caeſarianis amicos et patronos ſemper hactenus experti ſint. Ad eam rem ſua diligentia parata et proviſa omnia, ut de eventu dubitari non poſſit, modo ipſi ſtrenuam et fidelem rei dent operam, et ſecum ſe populo oſtentent, atque per vias diſcurrenti adſint: quod pro perſpecta multis rebus virtute et conſtanti erga patriam charitate facturos eos ſibi perſuadeat. Perorationi additae minae; injuria in eos, qui in conſilio, quod communi omnium cauſa ſuſceptum ſit, ducem tam egregii facinoris deſeruiſſent, tanquam proditionis reos vindicanda. Pavidis ſilentium pro aſſenſu fuit: alii vanitate collaudato conſilio ſequi paratos ſe, quo duxerit, alta voce proclamant. Duo omnino reperti ſunt, Bapt. [d] Juſtinianus et Bava, qui factum apud ſe deteſtantes, cum aliter evadere non poſſent, ignaviam fateri, quam ſe tanto ſcelere impiare maluerunt; qui ſubito cubiculo ſunt incluſi. Ferculis aliquot epulatum allatis, cum ex iis pauci ſtantes properanter ſumpſiſſent, Fliſeus, convivis relictis, in gynaeceum perrexit; ubi [e] uxori, quae cum Paulo [f] Panſa viro gravi et erudito atque antiqua neceſſitudine cum Fliſcorum familia conjuncto tempus, ut fit, ſermonibus terebat, et ipſi Panſae, jam ante tantum armorum apparatum, quorſum pertineret, mirantibus, re adhuc integra, conſilium aperuit. Quo audito prope animo conſternati obteſtari coeperunt, ut a tam foedo et perículoſo incepto deſiſteret; imprimiſque uxor, quae manantibus per ora lachrimis, quod triſte infauſti exitus omen fuit, genibus viri advoluta fruſtra feſtinantem retinere conata eſt. Ille nihil uxoris lachrimas, nihil Panſae gravi oratione ipſum a ſcelere dehortantis preces moratus, facta ſpe utrique felicis ſucceſſus; ac uxori praecipue, quam propediem principem Genuenſium ſalutatum iri ſpondebat; poſtremo haec verba ſubjecit, Aut non me videbis amplius, aut craſtina die minora infra te videbis omnia. Quibus dictis auguriorum religionem, quae multa et triſtia [β] occurrerunt, eludente Sacco, cum conjuratis multa nocte armatus domo exit; ita partito agmine, ut lectiſſimum militum robur praecederet; ipſe cum praecipua civium et amicorum manu ſubſequeretur. [γ] Tum negotium dat Cornelio fratri, ut [g] portam Arcus occupet: quod cum ſucceſſiſſet, ipſe ad [h] Cataneorum pontem pervenit, ubi triremis, quam armabat, ſtationem habebat. Ea dum ad [i] Darſenae oſtium appellere juſſa in fundo arenoſo haerens aegre commovetur, plus dimidium horae eum remorata eſt. Inde [k] Octobono fratri imperat, ut cum [l] Calcaneo [m] portam beati Thomae, ſive Faſciolanam, Thomae

Aſſareto

VAR. LECT. [α] Carimanum *P. D.* o. f. d. [β] occurrerant *P. D.* o. f. [γ] inde *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Albano.* [b] *Biſagno.* [c] *Carignano.* [d] *Giuſtiniano, & Bava.* [e] *Eleonora Cibo.* [f] *Panſa.* [g] *porta dell' Arco di Biſagno.* [h] *ponte de Cattani.* [i] *Darſena.* [k] *Ottobuono dal Fieſco.* [l] *Calcagno.* [m] *porta di San Tomaſo.*

CIↃIↃXLVII. Aſſareto Verzae, ut [a] Darſenae itidem portam, per quam ad triremium ſtationem itur, occuparent. [b] Octobonus, corrupto ante pecunia vigile, depulſis aut interfectis cuſtodibus, qui pauci excubabant, ſtatione facile potitur: at Verzes, quod Janetini miniſter erat, facile a cuſtodibus admiſſus, cum citius ſignum edidiſſet, porta in os clauſa excluditur. Quod ubi Fliſco renunciatum eſt, ipſe Scipioni [c] Borgognino attributis militibus et ratione rei peragendae demonſtrata praecipit, ut, quod aſtu Verzes non potuerat, ipſe vi exequeretur. Felicius ſuccedente Scipioni negotio, [d] Fliſcus porta patefacta cum claſſicos remiges tumultu excitato catenas exuere ſenſiſſet, ad triremeis continuo accurrit, quod iis inſtructis potiri cuperet, quippe in quibus omnem potentiae ſpem collocaſſet. Sed fatum reipublicae ita tulit, ut, mobili ponte, quem in triremeis trajecturus conſcenderat, prolapſo, ipſe armis onuſtus una cum tribus militibus pone ſequentibus prolapſus ſubmergeretur, re a nemine, ut in tenebris, tunc animadverſa. Fama tanti ſtrepitus ad ſuburbanas Andreae aedeis perlata, Janetinus ab uxore excitatus, quod rixam tantum inter navaleis artifices ſubortam crederet, ejus ſedandae cauſa nautico habitu cum puero facem praeferente recta ad [e] portam Faſciolanam contendit; ubi ab Octoboni praeſidiariis, cum quis eſſet quaerenti militi dixiſſet, admiſſus et confoſſus eſt. Soluti interea remiges urbe tota vagari, et ſalutis expediendae cauſa omnia tumultu miſcere: conjurati alia parte paſſim diſcurrere. Andreas igitur cum videret jam Faſciolanam portam ab adverſariis occupatam eſſe, et merito vereretur, ne mox aedeis ſuas proximas oppugnarent, equo impoſitus ad [f] Mozum oppidum, quod XV ab urbe milliaribus abeſt, propere ſe contulit. Gubernatores, inſtigante eos Gomeſio Suarezio Figueroa Caeſaris legato, et cardinalis Auria, Chriſtophorus [g] Pallavicinus, et Antonius [g] Calvus cum armata manu ad portam uſque Faſciolanam proceſſerant; ſed cum inde ab Hieronymo Fliſci fratre depulſi pedem referre coacti fuiſſent, nec jam in armis ſpes ulla eſſet, Hectorem Fliſcum, Auguſtinum [h] Lomellinum et Anſaldum Juſtinianum ad Hieronymum mittunt, qui rogarent, quid Laviniae comes poſceret aut ſibi vellet, et monerent, ut urbe cum ſuis excederet; ſic enim res facilius pacari poſſe. Vix ii Verzae et Mariliani crudeleis manus evaſere. Hieronymus vero, qui de fratris morte reſciverat, et jam praeſens Genuae imperium ſpe devoraverat, ad eorum ſocios converſus, gubernatoribus renunciare jubet, nullum alium praeter ſe comitem extare, neque velle urbe excedere, ſed praetorium omnino poſtulare. Ex hoc reſponſo conjectura de Joan. Ludovici Fliſci morte, quod eos hactenus latuerat, facta ut civibus animos addidit, ita conjuratis, qui in Hieronymo parum praeſidii eſſe judicabant, omnem ſpem rerum potiendarum ademit. Ipſe Hieronymus, cum fruſtra praetorium occupare tentaſſet, civium apparatu territus urbe ſe protinus per portam Arcus ejecit. Verrina conſcenſa trireme cum Sacco ſe [i] Maſſiliam recepit, abductis ſecum Manfredo Centurione, Sebaſtiano Lercario & Vincentio Vaccario, in primo tumultu ad interiorem portam captis; quos poſtmodo ad [k] Vari oſtium demptis catenis incolumes dimiſit. Octobonus ab Andreae amicis ea, quam tenebat, porta dejectus, urbe e veſtigio exceſſit. Nuſquam in ulla conjuratione major fides et alacritas ſociorum; ut dubio procul ſit, ſi dux inopinata morte abſumptus non fuiſſet, quin res ex eorum ſententia [α] ſucceſſiſſet. Cauſa fuit, quod conjuratio paucis initio communicata, interim rebus omnibus ſpecie triremis armandae paratis, in ipſo rei peragendae momento primum ſociis detecta eſt, ne mora interjecta

ſcilicet

VAR. LECT. [α] eſſet ſucceſſura P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *porta della Darſena.* [b] *Ottobuono dal Fieſco.* [c] *Borgognino.* [d] *Giovanluigi dal Fieſco, conte de Lavagna.* [e] *porta di San Tomaſo.* [f] *Mazone.* [g] *Pallavicino, & A. Calvo.* [h] *Lomellino, & A. Giuſtiniano.* [i] *Marſeille.* [k] *le Var r.*

ſcilicet pravi conſilii aut temerariae pollicitationis eos poenitere poſſet. Quanquam ſi Fliſcus ſuperfuiſſet, judicabant omnes, vix futurum, ut ille viribus, ſicut ipſi Verrina perſuaſerat, aut aliter quam Gallorum ope ac nomine Genuae imperium teneret; inde ora [a] Liguriae infeſta, quae tot beneficiis et clientelis Andreae devincta erat; inde [b] Inſubribus copiis, quae cervici imminebant, ad omneis motus intentis: potiuſque fuiſſe, ut juxta Sacci et Calcanei conſilium Trivultii conditiones acciperet, quod minore cum infamia et periculo ſuo facere potuiſſet. Expulſis urbe conjuratis continuo Andreas revocatur, miſſis publice ad eum Benedicto Centurione et Dominico Auria: ac nocte, quae alterum diem eſt conſecuta, magno omnium conſenſu, qui in tanto ac tam recenti motu fuit admirabilis, [c] Benedictus Gentilis placido ingenio praeſtantique vir prudentia dux reipublicae creatur: nam hucuſque reſpublica ducem non habuerat, eique Nic. [d] Francus ſenatus princeps tempore interregni praefuerat. Inde ad Caeſarem tunc Germanico bello implicatum Franciſcus Grimaldus, qui de re tota eum edoceret, mittitur. Caeſar viciſſim e Germania Rodericum Mendozam mittit, qui nomine ſuo perſolutis Andreae pro morte Janetini officiis, Genuenſeis ad [e] Montorii arcem, in quam ſe primum [f] Hieronymus, dein Verrina ac Saccus ex [g] Maſſilia receperant, expugnandam incitaret. Interea Fliſcanae ditionis oppida, quae in [h] Mediolanenſi provincia erant, Ferdinandus Gonzaga, qui [i] Vaſtio paulo ante mortuo in Inſubrum praefectura ſucceſſerat, nomine Caeſaris occupat. P. Aloiſius Farneſius itidem [k] Caliſtanum et Valtiranum in agro Placentino caſtella, ut ſe conjurationi minime participaſſe approbaret, ex amici infortunio commodum captans invadit. Exinde cum de conjuratorum, et eorum qui conjuratis opem tuliſſent, poena quaereretur, decretum ex Andreae ſententia, ut qui conjurationis convicti fuiſſent, exitio capitali, reliqui leviori poenae genere mulctarentur. Corpus Fliſci vix tandem repertum, armis detractis, in mare juſſu Andreae rurſus projicitur: et ita dirum illud malum, quod longo labore conceptum ea nox in miſerandum reipublicae exitium pepererat, puncto temporis praepotenti ſupremi Numinis dextera in undas effuſum eſt. Poſtremo fruſtra miſſo ad Hieronymum Panſa, ut honeſtis conditionibus Montorio excederet, menſe Martio ſequenti arx magna vi oppugnatur, tandemque deſperatis rebus Hieronymus cum ſociis arbitrio Genuenſium ſe dedidit. Magnae inde contentiones ortae, multis adhuc occulte Fliſcanae familiae faventibus, et Hieronymi adoleſcentis aliena audacia, nec ſuo conſilio in tantum ſcelus prolapſi factum intempeſtiva miſericordia defendentibus. Tandem pervincente contraria ſententia, poſt quaeſtionem habitam, ſumptum de conjuratis ultimum ſupplicium; arx Montorium ſolo aequata, et ad perpetuam rei memoriam Fliſcana Genuae domus perantiqua, et magnificis ſumptibus exſtructa, a fundamentis everſa eſt. CIↃIↃXLVII.

III. JAM periculum Andreae ita cum republica conjunctum exiſtimabatur, ut niſi ſublato illo haec everti non poſſet: quod et ex Julii [l] Ciboi conjuratione, quae Fliſcanam mox ſecuta eſt, apparuit. Is Ricardae Malaſpinae filius, [m] Maſſae et Carrariae ditionem, quam mater ab Alberico Malaſpina parente acceptam legitime poſſidebat, a noſtris, ut jactabatur, incitatus, ſumma impietate occupaverat. Sed Ferd. Gonzaga cum exercitu adveniente, ipſe [n] Piſis, cum illac iter haberet, a Coſmo Medice, hortante cardinali Ciboo patruo jampridem Caeſarianis partibus addicto, tam diu coërcitus eſt, dum res conficeretur: poſtremo receptis oppidis ac reſtitutis matri reconciliatur, ac Romam ad eam pergit. Ibi hominem triſti vultu ac elato animo tum recenti injuria inflammatum nacti Octobonus et Cornelius Fliſci, Genua

poſt

INTERPR. [a] l'etat de Gennes. [b] du Milanois. [c] Benedetto Gentile. [d] Franco. [e] Montobbio. Put. Montoglio. Adriani. [f] Girolamo dal Fieſco. [g] Marſeille. [h] duché de Milan. [i] marcheſe del Guaſto. [k] Caleſtano, & Valtirano. [l] Cibo. [m] Maſſa, & Carrara. [n] Piſa.

CIↃIↃXLVII. poſt fratrum fortunam exulantes, ac Scipio inprimis, qui eodem cum illo matris contubernio utebatur, tentare coeperunt, an Genuam ad Gallorum parteis trahere vellet: quod illi factu facile aiebant, ſi Andrea de medio ſublato urbem commota plebe occuparet: Gallos enim in propinquo eſſe, a Mirandula ac [a] Subalpina regione audito tumultu quamprimum auxilio advolaturos. Non abnuente Julio, quamvis arcta cum Andrea adfinitate conjunctus eſſet, quippe qui Peretam Janetini ſororem in matrimonio haberet, ipſum in Gallicorum miniſtrorum, qui tunc Romae erant, familiaritatem inſinuant. Rei conficiendae gratia Fliſci et Julius Venetias eunt; unde illi Mirandulam profecti ſunt: hic vero accepta pecunia cum per Mediolanum Genuam ad milites contrahendos pergeret, Ferd. Gonzaga a matre de occultis filii cum Gallis et Fliſcis colloquiis certior factus, ipſum [b] Pontremoli a Petro Durera praefecto comprehendendum curavit; qui mox in quaeſtionem datus, ſe cum Gallis et Fliſcis collocutum faſſus eſt, ſuaeque operae ſpem dediſſe, ſed omnia ad Caeſaris commodum traducere in animo habuiſſe. Inde Mediolanum tranſlatus acerbioribus admotis tormentis omnia, quo inter eos convenerant, ordine detexit: poſteaque juſſu Caeſaris ſecuri percuſſus eſt, ſumma impietate adoleſcentis contraria matris impietate vindicata, quae filium vel nocentem infami morti non dubitavit ſubjicere. Tam crebrae conjurationes occaſionem dederunt, quo ſaluti publicae proſpiceretur, atque Andreae inprimis, cujus caput ſemper petebatur; ut de conſtruenda Genuae arce, validoque militum praeſidio firmanda, conſilia agitarentur. Verum Andreas quam in aſſerenda prius libertate fortem, tam in defendenda tunc ſe conſtantem exhibuit, cum diceret, patriae ſalutem non munitione et praeſidiis, ſed civium conſenſu et concordia conſtare; ſuam vero ipſius affirmaret non tanti ſe facere, ut pro ea tuenda, quam curae ſibi eſſe Deus tam illuſtri nuper indicio oſtendiſſet, reipublicae cervicibus jugum imponi pateretur: quamobrem omnis de ea re deliberatio penitus omiſſa eſt.

IV. Dum haec in Inſubribus et Genuae agerentur, Neapolitani motus jam ante excitati in magnum incendium exarſerant. Tunc regno a Caeſare praefectus erat Petrus Alvares [c] Toletanus vir elato ac vehementi ingenio, et nimia ſeveritate nobilitati gravis; qui eam ob rem cum apud Caeſarem crimino ſe accuſatus eſſet, duo ex primoribus nobilitatis Ferdinandus Sanſeverinus [d] Salerni regulus et [e] Vaſtii marchio, adhibito etiam Andrea [f] Auria ſumma contentione egerant, cum Caeſar bello [g] Tunetano confecto Neapoli hyemaret, uti Toletanus e provincia revocaretur: cum enim eſſe, qui bonis omnibus [α] inſenſus, venalia omnia haberet; quique diſſolutione et ignavia regnum florentiſſimum in pace everſurus, in bello amiſſurus eſſet. Sed cum Caeſar contra inimicorum, uti rebatur, criminationes hominis, quem adeo extulerat, dignitatem ſibi tuendam exiſtimaret, ille in imperio confirmatus omnem iram et potentiae ſuae vim judiciis ſeveris faciendis et delictis acriter puniendis in nobiles effudit; ut nullo eos reſpectu comprehendi et in carcerem duci ſpectante plebe palam juberet: quod ut ei ſummum nobilitatis odium, ita plebeiorum magnam benevolentiam conciliabat, nobilium a ſe depulſas injurias et vexationes Toletano vindice laetantium. Siquidem per ſuperiorum proregum indulgentiam nobiles multa nimis licenter, multa ſolutius in tenuiores, liberis hominibus minime toleranda, quotidie audebant; adeo ut ad animum revocarent, ſi quando jure et legibus ſecum ageretur. Sed cum civilis imperii ſeveritate non ſatis coërceri nobilium arrogantiam putaret, viam excogitavit, qua ſine Caeſaris et ſua, uti ſibi perſuaſerat, invidia, eos in ordinem cogeret. Tunc temporis

VAR. [α] offenſus P.D. o. f.

INTERPR. [a] *Piedmont.* [b] *Pontriemoli.* [c] *di Toledo.* [d] *principe di Salerno.* [e] *del Guaſto* [f] *Doria.* [g] *de Tunis.*

temporis jam in Italia multos clam Lutheri doctrinam amplecti rumor erat, CIƆIƆXLVII.
ſenſimque latius ſerpere malum, quam ut diutius ferri deberet. Ei non aliter poſſe occurri dicebat, quam ſi ex laudabili eccleſiae decreto lex in regno ſtabiliretur, quae, quoniam ſeveriſſime in capita et fortunas hominum prave de religione ritibuſque atque inſtitutis eccleſiae ſentientium inquirit, Inquiſitionis nomen ſortita eſt. Ejus horror et odium ingens jam ab illo tempore, quo Ferdinandus ejectis ex [a] Baetica Mauris Catholici titulum adeptus, ut reliquias Judaicae et Mahumetanae peſtis in Hiſpania exſtingueret, illam ſaeviſſime in ſuis regnis per Dominicanos fratres exercuerat. Augebat horrorem perverſa et praepoſtera judiciorum forma, quae contra naturalem aequitatem et omnem legitimum ordinem in juriſdictione illa explicanda obſervatur: tum etiam immanitas tormentorum, quibus plerumque contra veritatem, quicquid delegatis judicibus libebat, a miſeris et innocentibus reis, ut ſe cruciatibus eximerent, per vim extorquebatur; quo fiebat, ut non tam pietatis tuendae cauſa eam inventam dicerent, cui alia via ſatis ex antiqua eccleſiae diſciplina proſpectum eſſet, quam ut, everſis iſta ratione etiam omnium fortunis, liberis capitibus periculum crearetur. Itaque nec Ferdinandus, cum eo tempore Neapolim veniſſet, id impetrare potuit; et inquiſitores illuc tunc miſſi, a Neapolitanis male accepti, ac poſtremo regno ejecti ſunt. Miſſi nihilominus eo conſilio a Jo. Pacceo cardinali [b] Compoſtellano duo inquiſitores Dominicani, qui diplomate proregi oſtenſo, cum regium aſſenſum de more poſtularent, re per civitatem vulgata, tantus repente tumultus excitatus eſt, ut prorex diu ſuſpenſo animo, quid agendum ſibi eſſet, deliberaret. Verebatur enim prudens vir, ſed imperii nimius, ne, ſi rem urgeret, nobilitas ex ea occaſione plebi reconciliaretur, et conjunctis viribus injurias a ſe acceptas ulciſceretur: contra, ſi ipſe tempori cederet, merito metuebat, ne nobilitas voti compos, proregem [α] ſemel inferiorem experta, inde priſtinos animos reſumeret. Itaque antequam poteſtate ſua uteretur, per emiſſarios occulte animos Neapolitanorum tentare coepit. Sed crebreſcentibus ſermonibus, cum omnes fere, etiam ii qui pietatis fama inter eos excellebant, unanimi conſenſu inquiſitionem exſecrarentur, tandem a jactatione populari res in publicum civitatis conſilium deducta eſt. Illud ex ſeviris conſtat; quorum quinque ex nobilitate, ſinguli ex ſingulis curiis, in quas omnis diſtributa eſt nobilitas, leguntur; unus ex plebe. Iis ſimul jus eſt de rebus publicis conſulere; ac, ſi qua majoris momenti deliberatio incidat, ſinguli ex nobilitate ad ſingulas curias, plebeius item ad plebem referre ſolet. Omnibus rem repudiantibus, magiſtratus proregem adeunt, nec prius quietutam civitatem dicunt, quam ſi inquiſitionis mentio penitus omittatur. Ille hilari vultu acceptos eum ambiguis et perplexis reſponſis dimittit: poſtea in plebis concione P. Antonius [c] Saponus ex primoribus, a Dominico [d] Tarracino, qui in ſevirali magiſtratu plebis loco ſedebat, et proregis voluntati inſervire haud dubie credebatur, inductus multa in proregis gratiam diſſeruit; ac poſtremo plebem ingratitudinis et imprudentiae inſimulavit, quae tot beneficiorum immemor, ac libertatis nuper proregis beneficio recuperatae, ejus ſe voluntati opponeret, et neſcio cujus vani metus praetextu nobilibus, a quorum acerbiſſimis injuriis ipſam toties vindicaſſet, ſe conjungeret. Contra [e] Jo. Sueſſanus ſurgens, perſtricta in communi regni cauſa Saponi praevaricatione, contra inquiſitionem graviſſime dixit, et Neapolitanos, ut in ſententia pro libertate defendenda manerent, libera admodum et generoſa oratione hortatus eſt: quod prorex, qui aderat,

VAR. LECT. [α] ſemel *deeſt* *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Andalouſie.* [b] *de Santiago de Compoſtella.* [c] *Sapone.* [d] *l'Eletto Terracino.* [e] *Giovanni da Seſſa.*

CIↃIↃXLVII. aderat, adeo impatienter tulit, ut nudata voluntate, ſe in medio foro, cum liberet, inquiſitionis tribunal erecturum ſtatim alta voce interminatus ſit. Quo reſponſo veluti claſſico univerſa plebs excitata, habitis ante pluribus conſiliis, tandem ad D. Auguſtini congregata conclamat, Neapolitanos in decreto de non accipienda inquiſitione perſtare: ac proinde jubere viros a ſe creatos (id tantum duriſſimis et extremis civitatis temporibus fieri ſolet) omnium conſiliorum et ſtudiorum ſocietatem cum nobilitate inire. Creati ex eo plebis decreto viri cum nobilitate ad D. Laurentii ſocietatem ſanxerunt: qua ſumma laetitia per civitatem publicata, cum res haud dubie ad ſeditionem ſpectaret, prorex tempori cedendum ſtatuit, et mitigato interpretatione reſponſo coram magiſtratu inquiſitionis mentionem, a qua tantopere plebem abhorrere videbat, ſe omnino tollere teſtatus eſt. Sed cum orationi magnis et laetis acclamationibus exceptae res non reſponderet, et animadverterent Neapolitani, proregem in eos, qui ſe liberius in ea cauſa geſſiſſent, male animatum eſſe, ſingulosque ejus juſſu, cum univerſi non poſſent, confictis criminibus carpi, jam renovato tumultu ſocietas denuo integratur. Optimum jungendae et retinendae vinculum ſe Caeſar [a] Mormilius praebuit, vir ex nobilitate multitudini valde acceptus: cujus aemulatione Jo. Franciſcus [b] Caraciolus elato animo juvenis, cum a Mormilio plebis gratiam praeoccupatam videret, ſe nobilitati ducem obtulit. Interea prorex per juriſdictionis praefectum in ſeditioſos inquirere; illi contra proregem criminari, et ſtudia populi in ipſum concitare. Et ecce Archiepiſcopi vicarius alieno maxime tempore edictum proponit, quo ſe dioeceſim pro ratione muneris luſtraturum, et in vitam ac mores ſacerdotum inquiſiturum pronunciavit. Verbo inquirendi audito, major animorum commotio, quam antea facta eſt, diſcurrente per urbem plebe. Cumque [c] [1] Thomas Anellus vir infimo loco, ſed qui in cauſa vehementiorem ſe, quam pro conditione geſſerat, in jus vocatus ſe judicio ſtitiſſet, in cuſtodia retinetur, concurſuque populi facto, prorex, ut ſeditionem ſedaret, quantum potuit tergiverſatus, ad extremum eum dimittere coactus eſt. Pro Mormilio dein itidem a praefecto retento tantus populi concurſus fuit, quantum nuſquam pro unius civis ſalute factum homines meminerant. Hoc caſu admonitus prorex per Tarracinum plebis benevolentiam ſibi recuperandam eſſe duxit, vocatiſque XXIX regionum capitibus, benigne appellando, et ſingulos prenſando, fidem de inquiſitionis mentione nunquam deinceps [α] repetenda demum per chirographum obſtrinxit. Ignibus per treis dies et facibus accenſis a populo laetitia celebrata eſt, miſſique continuo ad Caeſarem [d] Salerni regulus et [e] Placidus Sangrius, aegre id ferente prorege Salernitani infeſtiſſimo hoſte. Interea, ne ſine motu eſſet civitas, aut ulla aetas ſeditionis expers, etiam ad pueros tantae injuriae pertinente ſenſu, puberes duo Tarracinum et quoſdam alios proregis ſtudioſos, qui quaſi patriae libertatis proditores vulgi ſermonibus proſcindebantur, in publico conſpicati, primo convitiis, poſtremo lapidibus inceſſunt; dein creſcente numero ad III CIↃ uſque puerorum, eo res deducta eſt, ut fruſtra annitente juriſdictionis praefecto, illi circumſeſſi, nec niſi Mormilii opera puerilem ardorem lenitate verborum mitigantis e diſcrimine erepti ſint: confeſtimque pueri in Tarracini aedeis impetu facto, quod clauſae eſſent, odium, quod in homines non poterant, nimbo lapidum effuſo in januam et feneſtras evomuerunt. Id maxime pupugit proregis animum, qui non jam diſſimulatione tegendum dolorem ratus, cum ſe vel pueris deſpectum eſſe cerneret, inſigni ſeveritatis exemplo inſanienteis homines ad ſanitatem et officium revocandos exiſtimavit: et treis e nobilitate

VAR. LECT. [α] revocanda P.D.o.f.

INTERPR. [a] *Mormile.* [b] *Caracciolo.* [c] *Tomaſo Anello.* [d] *principe di Salerno.* [e] *Placido di Sangro.*

NOT. [1] Mirandum, poſt annos centum, ejuſdem nominis hominem et loci, turbas Neapoli excitaſſe. *Put. L.*

nobilitate adoleſcentes a juriſdictionis praefecto comprehenſos, quod infimae ſortis CIↃIↃXLVII. hominem, qui ob aes alienum in carcerem ducebatur, ceterum inquiſitionis cauſam mentiebatur, e lictorum manibus eripuiſſent, ex publicis aedibus in arcem clam noctu traductos, ignorantibus propinquis, mane productos ab [a] Aethiope domeſtico ſtrangulari juſſit. Ea res, quae alias fortaſſe terrorem, animis tunc irritatis furorem et rabiem immiſit. Nam mox tabernis clauſis ad arma conclamatum. Ipſe prorex, ut injuriae contemptum adderet, per urbem equitare et praeter Neapolitanorum oculos ſtipatores circumducere ſtatuit. Cujus ſuperbi conſilii ſtatim illum poenituit, exorta plebis indignatione, quae ſecuta incredibili animorum mutatione, parum abſuit, ut ab eo, quem praeſentis numinis inſtar paulo ante coluerat, manus abſtineret. Poſtero die, is fuit VIII Kal. Jun. palam ſeditio excitata eſt. Nam ſocietas renovata, et ſtationibus per vias diſpoſitis civitas ſeqnenti nocte in armis fuit. Monitus tamen a civibus Hieron. Fonſeca jnriſdictionis praefectus, ut aedeis publicas aperiret, ac jus de more diceret, libertate ſalva, ceteroqui civitatem Caeſari obſequentiſſimam eſſe; ſed major quam antecedenti die tumultus ac caedes fuit, diſploſis ex arce tormentis: tandem interventu P. Antonii Sanſeverini [b] Biſſiniani, et Fabii Arcellae Biſſinianorum antiſtitis, cum prorege conventum eſt, ne ſeditio cuiquam fraudi eſſet, neve ipſe ejus canſa in quenquam animadverteret, aut quicquam omnino faceret, donec legati civitatis, et P. Conſalvus arcis praefectus, quem ipſe cum mandatis in Germaniam miſſurus eſſet, ad Caeſarem acceſſiſſent, Caeſariſque, quibus parendum eſſet, imperata afferrent. Sedato pro tempore tumultu, omnia tamen citra ſanguinem hoſtiliter agebantur. Nam et inde cuncta tanquam ad bellum a prorege comparabantur; inde libellis ſuppreſſo nomine emiſſis Hiſpanorum dominatu in invidiam vocato Galli quodammodo acceſſi videbantur: unde occaſionem arripuit prorex, ut praeteritorum ſilentio facto, quae ſibi jure imputari poſſe intelligebat, epiſtola ad magiſtratum ſcripta ea de re tanquam de perduellionis crimine expoſtularet: commodumque accidit, ut ſub id tempus, cum reliquae regni nrbes nequicquam a prorege tentatae a Neapoli, quae caput regni eſſet, conſilia ſeparare nolleut, Caeſarianae triremes ab Andrea [c] Auria Genua miſſae ductore Marco Centurione Adami filio, qui Janetino mortuo, dum Joan. Andreas Janetini filius adoleſceret, earum regendarum curam ſuſceperat, appellerent, expoſitoque non exiguo Hiſpanorum numero animos proregi adderent. Itaque repetitae caedes, et conſcriptis ad urbis defenſionem III CIↃ militum ab XI Kal. Sextil. ad III ejuſdem menſis in ea pugnatum eſt; accedente ad alia incommoda ingenti exſulum turba, qui undique ſpecie defenſionis in urbem confluxerant, a quibus cives non minus, qnam ab Hiſpanis ipſis, ſibi metuebant. Hoc rerum ſtatu cum inde domus diriperentur, inde cadavera interfectorum quotidie efferrentur, multique, ut ſe tam triſti ſpectaculo ſubducerent, ſuga ex urbe dilaberentur, Conſalvus a prorege miſſus legatos antevertit, et prior ad Caeſarem acceſſit, deque Toletani fide multa praefatus, dilutis ſaevitiae et avaritiae, quae objiciebantur, criminibus, cum auctoritatem, dignitatem et nomen Caeſaris in ejus canſa et fortuna verti longa oratione demonſtraſſet, ita Caeſaris aureis praeoccupavit, ut ad legatos, qui [d] Norimbergae primum Caeſarem convenerunt, omnino clauſae eſſent; vixque impetrare potuerint, ut, [α] quando Caeſari non vacaret, ab [e] Ant. Granvellano Atrebatum antiſtite et Figueroa ad id delegatis audirentur. Jam enim de re tota decreverat Caeſar. Decreti ſumma erat, ut Neapolitani ſtatim ab armis diſcederent, ac ſine cunctatione obedientiam, quam proregi deberent, praeſtarent: porro, qnid ſuae

VAR. LECT. [α] ſi P. D. o. f.

INTERPR. [a] *ſuo Moro ſchiavo.* [b] *principe di Biſignano.* [c] *Doria.* [d] *Nuremberg.* [e] *Ant. Perrenot de Granvelle, eveſque d'Arras.*

CIↃIↃXLVII. ſuae voluntatis eſſet, poſtea ex ipſo prorege diſcerent; [a] Salernitanus a latere Caeſaris non diſcederet, (cum Caeſar a Toletano admonitus, quod multae auctoritatis in regno eſſet, eo conſilio retinuerat, ut ſeditioni, ſi forte exoriretur, dux deeſſet) [b] Sangrius una cum Conſalvo Neapolim quamprimum iter caperet. Cum Saugrius ſe, niſi facultate Caeſaris alloquendi ſacta, omnino diſceſſurum negaret, tandem ad colloquium admiſſus: ſed interſante Caeſare, orationem, quam meditatus fuerat, ſcripto comprehenſam Caeſarianis miniſtris juſſus eſt tradere. Sangrio Neapolim reverſo, et in aede D. Laurentii, ubi magiſtratus convenerat, tecitato Caeſaris decreto, immane quantum animi omnium commoti et conſternati ſunt; aliis a nobilitate, cujus impulſu arma ſumpſiſſent, ſe deſertos et proditos clamitantibus; aliis nimiam Caeſaris ſeveritatem, qui tantum miniſtris ſuis tribueret, accuſantibus. Jamque procul dubio rurſus ad arma contra nobileis ibatur, niſi Caraciolus, cujus apud populum magna gratia et auctoritas erat, periculo ſuo ardorem civium diſcuſſiſſet. Is enim cum armatotum globo templo proſiliens, oratione ad populum habita, et propoſita lupi et ovium Aeſopica ſabula, qua Demoſthénes olim populum Athenienſem ad exitium ruentem continuerat, cum nihilominus nobilitatem petenteis, ut ſuo ſanguine iram ſatiarent, rogaſſet, ſeque feriendum magna conſtantia praebuiſſet, furorem repreſſit; moxque Caracioli exemplo poſitis armis et obedientia Caeſari reddita, quieti cives, quiſque, in tecta ſe recepere. Poſtero die armis, uti juſſi erant, in protegis manus conſignatis oblivio praeteritorum et venia a Caeſare omnibus conceſſa publicatur. Gratiae eximuntur C; qui deinde ad XXIV redacti ſunt, iique aliquot poſt annis omnes bonis reſtituti, praeter Caraciolum, Motmilium et Sueſſanum: mulcta etiam civitati C aureorum CIↃ irrogata, mox a Caeſare remiſſa eſt. Is tunc temporis in Germania victor, ne, qui legem victis dare ſolitus eſſet, a ſuis accipere videretur, quamvis multa vere a Neapolitanis in Toletanum dicerentur, cum tamen exiſtimaret, quantum de ſuorum praefectorum, ſecus quam oportebat, in magiſtratu ſe gerentium dignitate a populis imminueretur, tantum de auctotitate ſua detrahi, proregis cauſam pro tempore ſumma conſtantia protexit.

V. Sub initium hujus anni, V Kal. Febr. Henricus Angliae rex fato conceſſit, princeps omnibus naturae donis cumulatiſſimus, et in quo, ſi in voluptates ſolutior non fuiſſet, nihil merito deſiderare poſſes. Nam poſt divortium, niſi quod, pontificiam auctoritatem exſecratus, ſe caput eccleſiae conſtituit, nihil in religione mutavit, ſicut jam diximus; et epiſcopos fere bonos et doctos totis illis XIV annis, quibus ſe ab Romana eccleſia ſeparavit, in regno ordinavit, doctorum et literatorum fautor eximius. Ingraveſcente demum aetate multi ſucci abdomine adeo gravis et iners evaſerat, ſanguine in pinguedinem verſo, ut vix per oſtia ingredi, ac neque ſcalas poſſet conſcendere; ſed in cathedra poſitus machinis in ſuperiora aedium ſubveheretur. Tandem ex inflammatione virulenti in crure herpetis vehementi ſebre correptus, cum LVII aetatis annum ageret, et XXXVII annos, IX menſeis, VI dies regnaſſet, e vita demigravit. Moriens teſtamento regni heredem Edvardum novennem puerum ex Scimora ſuſceptum reliquit, cui tutores XVI dedit, atque in iis [c] Edvardum Hertfordenſem Seimorae fratrem, quem paulo ante ducem Somerſetenſem creaverat, virum probum et fidum, et cui a reliquis tutoribus is honos habitus eſt, ut, cum ſumma poteſtas penes eum eſſet, regis ac regni protector vocaretur. Hic, quod Lutheri doctrinam amplecteretur, auctor fuit Edvardo, ut ſtatum religionis in Anglia immutaret, adminiſtro Thoma Cranmero, quem ab Henrico patre archiepiſcopum Cantuarienſem

INTERPR. [a] *principe di Salerno.* [b] *di Sangro.* [c] *Edouard Seymour, comte d'Hertford, duc de Somerſet.*

CIƆIƆXLVII.

[a] Cantuarienſem creatum diximus. Edvardo Henricus ſecundis tabulis Mariam, quam initio rejecerat, ex Cathaŕina Arragonia, et Mariae Elizabetham ex Anna Bolena ſuſceptam, in regni ſucceſſione ſubſtituit. Ante mortem Thomam [b] Norfolcium, cujus opera in cauſa contra pontificem uſus fuerat, miniſtrorumne culpa an vitio aetatis, quae cum ad occaſum vergit moroſa et ſuſpicax eſſe ſolet, incertum, perpetuis carceribus addixit, et ejus filium [c] Surreiae comitem, cujus virtus extremis contra Gallos bellis perſpecta fuerat, ſecuri percuſſit, minus honeſta regni et vitae clauſula. Mortis Henrici nuncius ad Franciſcum perlatus eſt cum ad [d] Fanum Germani hyemaret, ex quo ſummum cepit dolorem, quippe qui amicitiam cum Anglo nuper contractam arctiore vinculo firmare regni bono cuperet, et quod, cum pauculis tantum annis Henrico junior eſſet, illius morte inſtantis fati admoneretur. Accedebat ad haec morum et naturae tam conſpirans ſimilitudo, quanquam in fortuna diſpari, ut nulla inter duos principes, vel temporum quovis intervallo diſparatos, major uſquam commemorari poſſit: quod inter eos, niſi ſi quando aut aemulatione aut regnorum commodo et utilitate in contrarium raperentur, ſecretam benevolentiam alebat, ut unius mors non niſi graviſſima alteri eſſe potuerit. Certe ab eo tempore animadverſum eſt a familiaribus, Franciſcum abjecta priſtina hilaritate ſemper ſubtriſti vultu et mente ad mortem uſque perſeveraſſe. Ei mox, quamvis a Romana eccleſia alieno, Franciſci juſſu Lutetiae in majore urbis templo, more inter reges recepto, juſta perſoluta ſunt.

VI. Antea, cum indies omnia proſpera de Caeſaris ſucceſſibus afferrentur, et vereretur rex, ne haec tempeſtas in Galliam incumberet, muniendo [e] Campaniae limiti, unde ſibi praecipue metuebat, curam ſedulam intendit; Martinumque [f] Bellaium Langaeum, quem ſuperiori anno ad hoc munus delegaverat, quo in ſtatu res eſſent, exploratum miſit. Natum ei erat circa ſedem malignum et incurabile ulcus, jam ex illo cum Caeſar in Belgium tendens per Galliam iter habuit, quod ſerpendo ad veſicae penetralia pervaſerat: unde cum ex inveterato malo ſebre lenta tentaretur, oblectandi animi gratia ad [g] praetorium nuper a ſe in extrema Fani Germani ſilva regio ſumptu aedificatum ſe contulit, et inde [h] Dampetram prope [i] Capreolium, ac poſt [k] Limoroſium venit: ubi aliquot dies commoratus [l] Rupifortium (venationibus ea omnia loca maxime accommoda) acceſſit; unde cum Fanum Germani reverti cogitaret, [m] Rambulieti, qua iter habebat, ſubſiſtere coactus eſt, quod ſebris non jam intermittens, ut antea, ſed continua ibi eum oppreſſiſſet, ex qua paulo poſt deceſſit, prid. Kal. Apr. Vixit annos LII, menſeis VI, dies XIX. Regnavit annis XXXII, menſ. III, una die minus. Inter omneis tanti principis laudes, quae ex iis, quae jam diximus, intelligi poſſunt, merito haec primum locum obtinet, quod literas et literatos impenſe dilexerit: cujus amoris magnum ſpecimen ſtatim in regni auſpiciis edidit, Gulielmo [n] Budaeo, quem Deſ. Eraſmus, grande hujus ſaeculi decus, ob raram eruditionem portentum Galliae appellare non dubitavit, ab umbra et pulvere literario, in quibus deliteſcebat, ad honores et ſplendorem aulae evecto, et honorifica ad Leonem X, qui et ipſe ſummo amore doctos proſequebatur, legatione ornato. Ex hujus conſilio poſtea profeſſores linguae Sacrae, Graecae, et Latinae, philoſophiae item, medicinae et mathematicarum diſciplinarum inſtituit, qui attributis pro tempore ampliſſimis ſtipendiis Lutetiae in [o] ludo Cameracenſi publice praelegerent. Horum ope diſcuſſis ignorantiae tenebris, lux literis, et per literas veritati in Gallia, atque adeo tota Europa,

INTERPR. [a] *Cantorbery.* [b] *duc de Norfolk.* [c] *Surrey.* [d] *S. Germain en Laye.* [e] *Champagne.* [f] *Du Bellay, ſieur de Langey.* [g] *la Muette.* [h] *Dampierre.* [i] *Chevreuſe.* [k] *Limours.* [l] *Rochefort.* [m] *Rambouillet.* [n] *Budé.* [o] *college de Cambray.*

CIↃIↃXLVII. Europa, reſtituta eſt: ut cum alii principes ambitioſis aliunde conquiſitis titulis vanam gloriam aucupentur, ipſe parens literarum appellari metuerit. Circa ſe doctos homines ſemper habuit, quos, dum cibum caperet, de rebus pulcherrimis differenteis avidiſſime audiebat; praecipueque naturalis hiſtoriae enarratione delectabatur, in qua tantum audiendo profecerat, ut, quamvis a pueritia nullis literis imbutus, quidquid de animalibus, plantis, metallis, gemmis ab antiquis et recentibus ſcriptoribus memoriae proditum eſt, et meminiſſet, et apte ediſſereret. Uſus ad hoc fuerat opera Jac. Cholini primum, dein Petri [a] Caſtellani viri probitate et morum gravitate et doctrina praeſtantiſſimi, quem epiſcopatu [b] Matiſconenſi magnique eleemoſynarii dignitate propterea remuneravit, ac magiſtrum bibliothecae poſt Budaei obitum conſtituit. Hanc, miſſis per Italiam, Graeciam atque Aſiam, qui undiquaque libros conquirerent et deſcriberent, ingentibus ſumptibus ad [c] Fontis-bellaquei aedeis exſtruxerat. Sane cum in animo habuiſſe conſtat, antequam moreretur, profeſſorum a ſe inſtitutorum numerum augere, gymnaſiumque ampliſſimum regia magnificentia aedificare, in quo praelectiones fierent, et ipſi profeſſores cum IↃC pueris et adoleſcentibus ac magiſtris publico ſumptu alerentur; quam in rem LCIↃ aureorum erogaturus eſſet. Splendore et magnificentia ſuperiores reges omneis longe ſuperavit, arcibus regiis, quae paſſim per Galliam viſuntur, aut a fundamentis excitatis, aut inſtauratis; inter quas ſecundum Fontembellaquenſem omnium ampliſſima et ſumptuoſiſſima fuit, quam ad [d] Campo-burgum VI a [e] Bloeſarum urbe milliaribus paulo ante mortem inchoavit; quae, utcunque imperfecta remanſerit, tantae amplitudinis eſt, ut omnibus qui in Europa ſunt regibus ſimul hoſpitium praebere commode poſſit. Ad haec quicquid ſignorum, tabularum, aulaeorum ab excellentiſſimis artificibus depictorum, tapetum, ſtragulorum et regiae ſupellectilis, atque adeo immodicae aeſtimationis gemmarum hodie in regum noſtrorum palatiis et ſcriniis exſtat, hujus curae, ſtudio et liberalitati debetur: ut mirandum ſit, cum ſemper ſplendidiſſime vixerit, magnis ac damnoſis continuo bellis tota vita implicatus, tot illum tamen palatia exſtruere, tot res ingentis pretii comparare potuiſſe, et poſt omnia, aere alieno omni exſoluto, CCCC aureorum millia, et quartam regni vectigalium partem nondum coactam in morte reliquiſſe. Admirationem auget, quod, cum minora multo tributa tunc eſſent, et ſumptus neceſſarii multo majores, quam nunc ſunt, in magna tamen opulentia res erant; nunc auctis vectigalibus et novis additis, quotidie novo aere alieno contracto, in ſumma inopia reges conſtituti ſunt: ut fidem miniſtrorum illius temporis laudare, et contra eorum qui nunc ſunt avaritiam et rapinas accuſare neceſſe ſit. Fortunam utramque expertus eſt Franciſcus, ſed ſaepius adverſam; ad [f] Ticinum captus, et mox conſumpto ac deleto ad Neapolim florentiſſimo exercitu; amiſſis praeterea duobus filiis, altero ante XI annos, altero ante biennium, cujus morte ſpes de recuperando Mediolano una amiſſa eſt: nec bello felix, neque pace cum Caeſare facta de bello ſecurus.

HENRICUS II. VII. MORIENS Henrico, is de tribus ſolus patri ſupervixit, praecepit, ut populum tributis a ſe propter belli ſumptus impoſitis levaret; ac multis verbis Claudii [g] Annebaldi maris praefecti fidem et virtutem commendavit, quod ab omni avaritia alieno eſſet animo, et privatarum rerum cura omiſſa in ſolam regni curam incumberet: itaque et ei teſtamento centum millia librarum legavit, liberali, ut tunc erant tempora, ſed honorifico magis elogio. Monuit inſuper filium, ut a Guiſianorum ambitione ſibi caveret; quos ſi ad regni adminiſtrationem admitteret, providebat fore, ut ſpoliatis aliquando ipſius liberis populum Galliae omni re exutum

INTERPR. [a] *Chaſtellain.* [b] *Maſcon.* [c] *Fontainebleau.* [d] *Chambor.* [e] *Blois.* [f] *Pavia.* [g] *d'Annebaud.*

exutum ad extremas miſerias eſſent redacturi. Id tunc ſuppreſſum, averſo ab hoc conſilio Henrici animo, et praevalente Guiſianorum favore, poſtea jactatum, ſed propter odia et ſtudia partium nequaquam creditum, ego cum de multis alioqui Guiſianorum potentiae minime iniquis intellexi, qui hoc Franciſci vaticinium in aureis tunc paſſim inſuſurrari ſolitum meminerant; tum vero ex ipſius Catharinae Mediceae, quae aderat, ore ſaepius [auditum [α] conſtat] quae ſive irritata, ſive potius ut ſuſpicionem benevoli animi, quo Lotaringos proſequebatur, hac ingenua confeſſione dilueret, et verum eſſe aſſerebat, et praeſenti Margaritae [a] Methonenſis familiariſſimae ſibi foeminae, quae et ipſa aderat, teſtimonio [β] confirmabat. [1*] Peractis de more regii funeris ſolennibus, quae heic referre ſupervacaneum duxi, VI Kal. Jun. apud [b] D. Dionyſii monumento majorum cum Franciſco et Carolo filiis, quorum corpora adhuc exſtabant, conditur. Orationem funebrem habuit Petrus Caſtellanus epiſcopus [c] Matiſconenſis, qui res geſtas et laudes ac virtutes defuncti celebravit. Jam evocaverat Henricus in aulam [d] Momorantium equitum magiſtrum, ante ſeptennium a patre domum relegatum, quod eum, uti diximus, ipſe a Caeſare deluſus, vana ſpe reſtituendi per Caeſarem Mediolani ludificaſſet. Is ex ratione muneris omnia negotia adminiſtrabat. Proximum dignitatis gradum obtinebat Franciſcus [e] Lotaringus Aumaliae comes, et Carolus [f] Remorum archiepiſcopus frater, ac denique Jac. [g] Albonus Santandreanus, quem nobilium cubiculariorum principem fecit. Aula protinus contra praeceptum paternum exacti [h] Annebaldus, et Turnonius cardinalis, praecipui negotiorum publicorum ſub Franciſco moderatores. [γ] Gilbertus item Baiardus, quo ad ſecretiora conſilia amanuenſi utebatur, conflato ob libertatem loquendi crimine, erat enim admodum facetus et dicax, in carcerem conjectus eſt, in quo brevi ex moerore animi contabuit. [δ] Adſciti ad hoc munus Jo. [i] Thierius et Coſmus Clauſſa. Nic. vero [k] Buſſus Longovallus vir ſtrenuus et Franciſco percharus paene diſcrimen vitae adiit, dictaque cauſa vix [l] Marchaeſianarum aedium invidioſo ſumptu in agro Laodunenſi exſtructarum abdicata poſſeſſione, quas ſimulata venditione Carolo Remorum archiepiſcopo donavit, ſe periculo eripuit. Tam iniquae ac foedae nundinationis pararium Nicolaum [m] Pellevaeum ſororis Longovalli filium fuiſſe accepimus; qui prodita avunculi cauſa in Lotaringorum fratrum gratiam hoc ſe perfidioſo miniſterio inſinuavit. [2*] Nec quietioris quidem vitae homines et ab invidia magis remoti a calumniis

P. [*audivi*]

P. [1*] *verum id Henrico neglectum, et ſerius a populo cognitum, quam ut ex admonitione tanti principis ſapere potuerit.*

P. d. o. [2*] *a quibus homo nihili ad ampliſſimos honores evectus, ac poſtremo in cardinalium collegium allectus, tam ſuo dedecore quam ſummo rerum noſtrarum detrimento ad extremam ſenectutem vixit.*

VAR. LECT. [α] conſtat *deeſt.* *D. o.*
[β] confirmabat. Enimvero profundiſſimam in ea gente ambitionem et immodica deſideria notaverat prudentiſſimus princeps, jam ab illo tempore, quo Claudius Franciſci parens, qui Campaniam provinciam adminiſtrabat, exercitum, quem ſpecie bello Valdenſeis perſequendi contraxerat, inſcio rege in Geldriam duxit: quod adeo indigne rex tulit, ut Claudium nunquam in ſuum conſpectum venire poſtea paſſus ſit; injuriam tamen et crimen in gratiam Joannis cardinalis fratris, quem unice diligebat, remiſerit. Igitur morti vicinus, cum vera praedicere exiſtimantur homines, ut patrem et regem decuit, quae profutura quaeque nocitura filio et regno ſciebat, Henricum magis veraciter quam efficaciter edocuit. Verum id ſerius a populo cognitum, quam ut ex admonitione tanti principis ſapere potuerit. Peractis *MS. Reg.*
[γ] Neovillus item Villaregius et Gilbertus Baiardus, quibus ad ſecretiora conſilia amanuenſibus utebatur, ſummoti; et iſte quidem conflato *P. D. o.*
[δ] Eorum in locum Jo. Thierius et Coſmus Clauſſa ſuffecti. *P. D. o.*

INTERPR. [a] *de Modon.* [b] *S. Denis* [c] *de Maſcon.* [d] *Anne de Montmorency, conneſtable de France.* [e] *de Lorraine, C. d'Aumale.* [f] *Reims.* [g] *d'Albon, ſieur de St. André, premier gentilhomme de la chambre du roy.* [h] *l'amiral d'Annebaud.* [i] *du Thier et C. Clauſſe.* [k] *de Boſſut, ſieur de Longueval.* [l] *Marchez pres Laon.* [m] *de Pellevé.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

calumniis et vexationibus in aula tunc tuti fuere. Nam P. [a] Caſtellanus a nonnullis ex Sorbonicorum jampridem infeſtorum collegio, quod Robertum Stephanum doctiſſimum et peritiſſimum rei typographicae virum adverſus eos texiſſet, accuſatus eſt, quod in extrema oratione, quam in Franciſci funere habuit, [α] perſuaſum ſibi eſſe dixiſſet, regis animam vita ſanctiſſime acta, ſimul atque e corpore [β] exceſſit, protinus coelo receptam eſſe, neque expiatoriis ullis ignibus eguiſſe; quaſi de tertio loco, ut ipſi aiebant, de quo tot nuper a Proteſtantibus controverſiae excitatae fuerant, addubitaſſet; eamque ob cauſam quoſdam e ſuo numero ad regem delegarunt, qui a Joanne Mendoza regiorum diſpenſatorum principe excepti (is et ipſe, mortuo Franciſco, a gratia, qua in aula antea florebat, ordine ſuo motus exciderat) hoc faceto et apto [γ] pro tempore reſponſo eluſi ſunt; Scio, inquit, quid huc veneritis, nempe ubi locorum Franciſci heri optimi anima nunc ſit, cum Caſtellano, ut male ſentiente, controverſamini: ceterum vobis confirmare poſſum, qui Franciſcum optime noverim, hoc eum ingenio ſemper fuiſſe, ut diu haerere ullo loco quantumvis amoeno et commodo nunquam potuerit, ut mihi ad purgatorium non morae faciendae cauſa divertiſſe videatur, ſed tantum, ut vinum illac tranſeundo a pocillatore pro more deguſtandum acciperet. Quo audito, cum viderent Sorbonici Caſtellanum plus in aula valere gratia, quam ut ei negotium faceſſere poſſent, pudore confuſi domum reverterunt. Haec violenta et acerba regni initia ſub miti et moderato principe, et qui alieno potius quam ſuo ingenio uteretur, facile miniſtris tributa ſunt; ſed praecipue Dianae [b] Pictavienſi ſuperbi et impotentis animi foeminae, apud quam plurimum gratia valebant Lotaringi fratres et Santandreanus. Ea illuſtri loco nata ad [c] Pictonum comites genus referebat; nec ambigebatur. Patrem habuit Joannem Pictavienſem [d] Sanvalerium, qui Caroli [e] Borbonii conjurationis particeps, cum apud ſacerdotem ſecreto rem confeſſus eſſet, a ſacerdote delatus et ad mortem damnatus eſt. Cum ad ſupplicium duceretur, ex pavore in tam acutam febrem incidit, ut, venia in gratiam filiae, quae pulchritudine ſua multorum procerum [δ] benevolentiam demeruerat, a Franciſco impetrata, vix ad mentem et ſanitatem ſaepius miſſo ſanguine reduci potuerit. Unde Sanvaleriana febris apud nos in proverbium abiit. Amiſſo viro (is fuit [f] Ludovicus Brezaeus magnus Normaniae Seneſcallus) cum jam inclinata eſſet aetate, philtris et magicis, ut creditur, artibus adeo ſibi animum Henrici devinxit, [ε] ut nunquam alienata voluntate ad exitum uſque vitae in amore illo conſtanter perſeveraverit. Hujus foeminae arbitrio omnia regebantur; et Momorantius ipſe, ut auctoritatem et potentiam, quam apud regem obtinebat, incolumem tueretur, morem gerere et prudentiam ad turpe obſequium flectere ſatagebat; peſſimo exemplo ſummi imperii ad impotentis foeminae libidinem proſtituti; quae poſtremo, ut jam in homines, ſic et in aerarium, quod hominibus imperat, poteſtatem arripuit, expulſo Joanne [g] Valla ſanctioris aerarii quaeſtore, et in ejus locum ſuffecto [h] Blondo Rupicuriano homine ſuo. Cumque in regni ingreſſu pro [1] venalibus militiis, immunitatibus, atque aliis regum benignitate conceſſis privilegiis grandis pecunia

corradi

VAR. LECT. [α] ſperare atque perſuaſum habere dixiſſet *P. D. o. f.* [β] exceſſiſſet *P. D. o. f.* [γ] pro tempore *deſunt P.* [δ] gratiam *P. D. o. f.* [ε] ut is *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Chaſtellain.* [b] *de Poictiers.* [c] *Poictou.* [d] *ſieur de St. Valier.* [e] *le conneſtable de Bourbon.* [f] *Louis de Brezé, comte de Maulevrier, grand ſeneſchal de Normandie, & grand veneur de France.* [g] *du Val, treſorier de l'Eſpargne.* [h] *Blondet de Rochecour.*

NOT. [1] *venalibus militiis.*] Don de la finance pour la confirmation des offices venaux. Il n'y avoit en ce temps la, que ceux de la finance qui le fuſſent: ou peut eſtre, ſont ce les charges de la guerre, qui ſont rendues venales; ce que ſignifie le mot *militiae venales*, ſauf meilleur avis. Ce don de confirmation des offices venaux eſt un droit qu'on paie au joieux advenement. *Put. L.*

corradi ſoleat, univerſam dono a rege accepit. Mox et [a] Aumalius, Dianae commendatione, agris vacuis, qui ab occupantibus poſſidentur, non minus invidioſa liberalitate donatus eſt, portione tamen [α] [b] Joanni Borbonio Angiano communicata, id ſatagente Aumalio, partim ut invidiam amoliretur, partim ut Angianum ob fratris necem merito inſenſum hac gratificatione placaret. Tempeſtivior fuit largitas, qua Henricus erga Martinum [c] Bellaium uſus eſt, quo grande aes alienum a Gulielmo fratre in [d] Subalpina provincia, cui praeerat, ad annonae anguſtiam levandam contractum diſſolveret: qua id aſſecutus eſt novus rex, ut non ſolum infamiam et odium tot male collocatorum beneficiorum elueret, ſed etiam egregio munificentiae exemplo erga bene meritos de parente et ſe viros nobilitati ad virtutem aculeos adderet: ii ſiquidem fratres non aſſentatione et turpibus obſequiis, ſed virtute et modeſtia ad honores graſſati, neque multiplicatis opibus potentiam, ut vulgo fit, ſed oppigneratis patrimoniis gloriam ſibi compararunt; ut, quamvis morientes multa creditoribus privatis deberent, plura ipſorum memoriae reſpublica debuerit. Cum igitur lege regni, ſacerdotum collegia res ſoli et immobiles, ignobiles item praedia nobilia et patronalia poſſidere prohibeantur, quadrageſimo quoque anno, ne ultra praeſcriptio excurrat, eo nomine magna pecunia dependi ſolet: inde Bellaio a rege ingens ſumma erogata eſt, Momorantio viri virtutem commendante. Ex ea pecunia et gratia pluribus aliis facta, quorum opera in bello [a] uſui erat. Aula tunc frequens erat cardinalibus, [e] Ludovico Borbonio, [f] Joanne Lotaringo, Odetto [g] Colinio Caſtellionaeo, Claudio [h] Givrio, Joanne Bellaio, Philippo [i] Bononienſi, Joanne [k] Venatore, Antonio [l] Sanguinio Medonio, Roberto [m] Lenuncuriano, Jacobo [n] Annebaldo, Georgio [o] Amboſio, et Georgio [p] Armeniaco, quos, ut laxius in aula verſarentur novi moderatores, Romam ablegant: color tamen quaeſitus, ut pontificem erga Gallos bene affectum aſſiduitate ſua arctius devincirent, et ſi quid humanitus ei accideret, jam enim XXC annum agebat, darent operam, ut is crearetur, qui a Gallicis partibus non eſſet alienus. Septem omnino Romam profecti ſunt; inter quos Turnonius, qui jam aula exceſſerat, dignitate cancellarii [q] equitum conchyliatorum Ordinis a [r] Carolo Aumalii fratre ſpoliatus. Ii jam, antequam vocatus [s] Annas in aulam veniſſet, a rege impetraverant, quo plures honoribus participarent, et publica munia dignius exercerentur, ut, qui pluteis dignitates obtinerent, eam optarent quam retinere vellent, reliquis ſe abdicarent: ſic enim Aumalius ſperabat, ut Annas, qui et equitum et regii palatii magnus magiſter erat, cum altera ſe abdicaſſet, ea rex ipſum ornaret: quod fruſtra fuit. Nam rex, qui effuſe Annam diligebat, venientem tam honorifice et amanter excepit, ut Aumalius de re obtinenda deſperaverit; ipſe rex utramque dignitatem Annae, quem compatrem familiariter appellabat, confirmavit. At Annebaldus, qui et maris praefectus et equitum tribunus erat, altero cedere coactus eſt; continuoque Santandreanus equitum tribunus creatur. Erant tunc in Gallia equitum tribuni [β] [t] Odardus [γ] Bieſius, Joannes [u] Caraciolus Melfitanus, [x] Robertus Marcianus

VAR. LECT. [α] Franciſco Borbonio Anghinno *P.* [β] Odardus *deeſt* *P. D.* o. f. d. [γ] Bioſus *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Fr. de Lorraine, comte d'Aumale, puis duc de Guiſe.* [b] *Jean de Bourbon Vendôme, comte d'Enguien, duc d'Eſtouteville.* [c] *du Bellay.* [d] *Piedmont.* [e] *Louis de Bourbon Vendôme, evêque de Laon, & archevêque de Sens, 4ᵉ fils de François comte de Vendôme & de Marie de Luxembourg.* [f] *Jean, frere de Claude, duc de Guiſe, & troiſiéme fils de René II, duc de Lorraine.* [g] *de Coligny, cardinal de Chaſtillon.* [h] *de Givry.* [i] *de Boulogne.* [k] *le Veneur.* [l] *Sanguin de Meudon.* [m] *de Lenoncour,* [n] *d'Annebaud, evêque de Liſieux.* [o] *d'Amboiſe.* [p] *d'Armagnac.* [q] *chevaliers de St. Michel.* [r] *Charles de Lorraine, puis archevêque de Reims, & cardinal.* [s] *Anne de Montmorency, connêtable & grand maitre de France.* [t] *Oudart du Biez.* [u] *Caracciolo, prince de Melfi.* [x] *Robert de la Marck, IV du nom, prince de Sedan, duc de Bouillon.*

NOT. [a] Uſus. *Put.*

CIϽIϽXLVII. HENRICUS II. Marcianus Sedanius, qui Franciſcam [a] Brezaeam Dianae filiam uxorem duxerat, et is, de quo modo locuti ſumus, [b] Santandreanus. Tribus tantum provinciae edicto attributae: Melfitano quidem [c] Subalpina regio, cui jam praeerat, Sabaudia, [d] Sebuſiani, ac [e] Delfinatus; Sedanio Burgundia et Campania ac Bria; Santandreano [f] Lugdunenſis provincia, [g] Bellijocenſis, [h] Dumbares, [i] Forenſes, [1] Seguſiani, [k] Arverni, [l] Boii, [m] Bituriges ac [n] Petri Fanum: in quibus quae ad ſui magiſtratus officium pertinerent, exſequi jubebantur: omiſſa Bieſii mentio, quaſi jam regis praejudicio damnati.

VIII. SUPERABAT Franciſcus [o] Olivarius vir ampliſſimus et ampliſſimo magiſtratu dignus, qui integritate, ingenio, prudentia et eruditione ſua tutus, cum aemulum nondum haberet, ſolus ex praecipuis Franciſci miniſtris in comitatu Henrici remanſit. Is unus, dum ceteri fere in aula rebus privatis intenti erant, pro regni dignitate et publica utilitate excubabat, legibus pro tempore ſalutaribus promulgatis. A religione ſumptum initium. Itaque lex graviſſima Non. April. in eos lata, qui temere Numen dejerarent: in ſicarios etiam, et eos, qui conſilio et ex inſidiis caedeis faciunt, multa ſevere pro criminis gravitate et frequentia edixit, attributa rei cognitione [p] ſuccinctis mareſcallorum, uti vocant, praepoſitis, et dempto provocationis beneficio. Leges etiam ſumptuariae renovatae, et profuſior in veſtitu luxus poena coërcitus. Et quia Lutetiani, quo ſe a mendicorum moleſtia liberarent, eos ſponte indicto ſibi tributo alebant, eo fiebat, ut genus hoc hominum inertiae deditum ex omnibus regni partibus quaſi praemio invitati in civitatem confluerent: igitur rex edicto mandat decurionibus, ut publicis operibus mendicos validos exerceant; ceteri, qui aut morbo impediantur, aut mutilo corpore ad laborem ſint inhabiles, ptochotrophiorum opibus ſuſtententur; nulli in publico ad ſtipem flagitandam vagari [*] permittatur; quibus vero habitatio in civitate ſit, ſed ſuo labore ſe et familiam alere nequeant, ſtipe a contribulibus collata ſubleventur. Cumque ſacra collegia et coenobia publice ſtatis diebus pecuniae cibariorumve erogationem in pauperes facere tenerentur, unde accidebat, ut multi ex egenis ineſcati operas remitterent, mandatum, ut [q] curionum et aedituorum, qui illis locis proximi eſſent, arbitrio, totum id aegris et mutilis diſtribueretur; quod pie et prudenter decretum, minus diligenter obſervatum, poſtremo praevalente licentia et civium negligentia penitus omiſſum eſt. Lata et lex de ſenatorum numero, qui ſubinde ſub Franciſco creverat, ad priſcam inſtitutionem reducendo. Eadem lege ſancitum, ne minores xxx annis in [r] ſenatum legantur; nec prius admittantur, quam de vita et moribus eorum inquiſitum ſit; et ipſi univerſo ſenatu convocato de doctrina periculum fecerint, et e quinis quaternas ſuffragiorum parteis adſtipulanteis habuerint. Decretum etiam, ut [s] ſcribarum, quos apoſtolicos vocant, numerus certus a judicibus municipalibus pro juriſdictionis territorio definiretur, qui antea, pro arbitrio pontificis, a quo ordinabantur, immodicus, innumeris falſitatibus cauſam praebebat. Lata et ab eodem Olivario lex, qua cavetur, ne in poſterum patroni, cognitores et id genus pragmatici in collegium decurionum legantur; quod ii homines in cauſis privatorum et judiciis obeundis occupati, atque ut plurimum rationum ſumptuariarum rudes, haud eadem parſimonia et fide, qua mercatores et opifices, publicam pecuniam adminiſtrare comperiantur. Id pro tempore optimum, poſtea creſcentibus per urbeis factionibus, et plebis ingenio per praeoccupatas ſuperſtitiones facile

VAR. LECT. [*] permittantur *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *de Brezé.* [b] *Jaques d'Albon, mareſchal de St. André.* [c] *Piedmont.* [d] *Breſſe.* [e] *Dauphiné.* [f] *le Lionnois.* [g] *le Beaujolois.* [h] *Dombes.* [i] *Forez.* [k] *Auvergne.* [l] *le Bourbonnois.* [m] *Berry.* [n] *S. Pierre le Mouſtier.* [o] *Olivier.* [p] *prevoſts des mareſchaux.* [q] *curés & marguilliers.* [r] *le parlement.* [s] *notaires apoſtoliques.*

NOT. [1] Dele *Segoſians.* *Put.*

facile corrupto noxium, in causa fuit, ut plerique non habita temporum ratione ſummi viri prudentiam in eo deſideraverint. Poſtremo [α] vetitum, datumque id tempori, ne ulli ex Germania et aliis locis ſuſpectis libri importati ſine ſcholae theologicae Pariſienſis cenſura venum exponerentur, aut typis denuo excuderentur. CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

IX. TUNC Helionora Caeſaris ſoror, quae poſt Emmanuelis [β] regis [a] Luſitaniae prioris mariti mortem Franciſco nupſerat, in [b] Belgium honorifico comitatu profecta eſt. Huic donationis propter nuptias nomine poſſeſſionum regiarum in [c] Turonibus et Pictonibus uſusfructus attributus eſt. Magni et continui ſub exitum anni in Gallia imbres fuere; unde intumeſcentibus ultra modum fluviis multa damna in agris accepta; ac Lutetiae tanta inflati [d] Sequanae vis fuit, ut ponte, quem ſancti Michaëlis vocant, [γ] III Eid. Decemb. noctu ſcindente ſe medio, pars ea omnis, quae [e] minus caſtellum ſpectat, cum domibus ſuperſtructis repente corruerit; ante tamen ruinae fragore, occulto ſenſu, ab inquilinis percepto, ut ſalvi evadere potuerint. Sed haec fere privata et quaſi domeſtica; nunc, quae publica et proprie magis ad hiſtoriam pertinent, exſequemur.

X. HENRICUS [δ] cum regnum Kal. April. iniiſſet, Sangermanum ſe contulit; ubi principum legatos ad eum, ut fit, atratos venienteis audivit; atque in iis Hier. [f] Capiferreum cardinalem titulo S. Georgii in velo aureo, ſive in velabro, a Paulo miſſum, qui de [g] Diana filia novenni Horatio nepoti deſponſata gratias ageret, quamque id pontifici gratum accidiſſet, prolixe apud regem declararet; atque inſuper confirmaret, ipſum cupere arctiori neceſſitudinis vinculo amicitiam cum Gallis jungere: quod rex neque tunc abnuit, neque ſe valde deſiderare oſtendit; ſive quod aetati pontificis diffideret, ſive quod Farneſiorum fidem ſuſpectam haberet. Neque enim tutum exiſtimabat, ſtatim initio regni, nondum confirmatis viribus, aut perſpecta aemulorum principum atque amicorum voluntate, Caeſari hactenus victori et indies creſcente potentia formidando offenſionis cauſam temere praebere. Itaque negotium in ſuum Lutetiam reditum rejecit. Interea Pontificia mandata legato data, facultates vulgo vocant, allato regis diplomate, in ſenatu approbata ſunt, ſub conditionibus ad Alexandri Farneſii et Jacobi Sadoleti cardinalium mandata olim adjunctis: eae erant, ut eorum mandatorum vi nullam juriſdictionem in regis ſubditos, ne ipſis quidem conſentientibus, exerceat; nec etiam in eos e ſacro ordine, qui juriſdictioni ordinariae exempti ſunt, et directe ad ſacram ſedem pertinent; quibus ſi opus ſit, judices in partibus delegatos dare tenebitur, qui de appellationibus eorum cognoſcant, et finem liti imponant. Natalium reſtitutionis beneficium ſpuriis non impertiatur, niſi ut ad ſacros ordines admitti et ſacerdotia obtinere poſſint, modo ne eo beneficio privilegiis, immunitatibus ac juribus ſacrorum collegiorum, quae ſpurios nullo caſu admittunt, derogetur; non autem beneficium ad id porrigatur, ut ſpurii ad ſucceſſiones et magiſtratus civileis ac hujuſmodi publica munia admittantur. Nullam ſacerdotiorum unionem ſanciat; tantum reſcripto judices deleget juxta ſynodi Conſtantienſis ſtatutum. Iis, qui ob gradus prerogativam ad ſacerdotia per nominationem jus habent, ſtudiorum curriculi gratiam non faciat. Nulla penſione ſacerdotia, etiam conſentientibus qui ea obtinent, oneret, niſi commodo eorum, qui ea ejerabunt, aut litigii componendi cauſa; neque patiatur, ut, qui ea ejerabunt, penſionis loco omneis fructus retineant, concedatve, ut, qui ea tenent, bona ſoli ulla de cauſa aut quovis contractu alienare poſſint, etiam ſi ea ſacerdotia nulli regni juriſdictioni ſubjaceant, et nullo medio ad ſacram ſedem pertineant:

VAR. LECT. [α] vetitum, id datum *P. D. o. f. d.* [β] regis Luſitaniae *deſunt* *P. D. o. f. d.* [γ] IIII *P. D. o. f. d.* *MS. Reg.* [δ] ergo cum *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Portugal.* [b] *Pays bas.* [c] *Touraine & Poiſtou.* [d] *la Seine.* [e] *petit chaſtelet.* [f] *Capiferri.* [g] *Diane, fille naturelle & legitimée de Henri II & d'une demoiſelle Piemontoiſe nommée Philippe Duc.*

pertineant: tantum eo caſu judices in regno deleget, qui cauſa cognita juxta juris praeſcriptum auctoritatem decreto interponant. Coenobia religioſorum utriuſvis ſexus nulli, vita durante aut ad tempus, cum titulo attribuere aut commendare queat, citra regis nominationem, juxta pacta cum Leone x inita; neque ſacerdotiorum vacantium gratiam ulli faciat, in indulti a pontificibus Pariſienſis ſenatus aſſeſſoribus a rege nominandis conceſſi praejudicium. Nullam inter regis ſubditos juriſdictionem exerceat de falſo, uſuris, ſeparatione conjugatorum, α quod ad petitionem dotis, et bonorum per contractus illicitos ablatorum reſtitutionem. De crimine item novae ſectae, quae quietem publicam turbet, cum de facto tantum quaeretur, non cognoſcat; quippe cum eorum omnium cognitio ad regem ejuſque judices pertineat; neque regis ſubditos in iis cauſis abſolvat, niſi quod ad conſcientiam et poenitentiam. Teſtandi contra provinciarum conſuetudines, jura regni ac conſtitutiones in curia promulgatas, ullis ſacerdotia in regno tenentibus, aut in coenobiis monaſticam profeſſis gratiam non faciat. In diplomatibus ſuis patronorum aut aliorum ordinariorum juribus non deroget. Contra ſtatuta et laudabileis primariarum eccleſiarum aut collegialium conſuetudines ac privilegia regis poſtulatu a pontificibus conceſſa gratiam nulli faciat. Plura ſacerdotia uni ſub eodem tecto non conferat. Executoribus teſtamentorum tempus a lege praeſtitutum non proroget. Legata pia in alios uſus, quam quos teſtator voluit, non convertat; niſi eo caſu, quo voluntas defuncti plane impleri non poſſit, et dummodo commutatio in rem fiat, quae teſtationi ejus ultimae aequipolleat. Regulae *de veriſimili notitia et publicandis reſignationibus* non deroget. De fructibus perceptis cum iis non paciſcatur, qui in ſacerdotiorum poſſeſſionem β ſe intruſerint, aut eos ipſis omnino remittat; cum ſcilicet in uſum et utilitatem ipſarum eccleſiarum, a quibus profecti ſunt, reſarciri debeant. In conferendis ſacerdotiis, quae ejerata fuerint, non ſtatuat, ut fides diplomatibus ſuis adhibeatur, etiam non exhibitis procurationibus, quarum vi ea ſacerdotia ejerata fuerint. In diplomatibus ſuis clauſula, *anteferri*, aut ſimili, in praejudicium juris jam alteri quaeſiti, non utatur. Cauſas eccleſiaſticas ad ſe evocare, aut de iis cognoſcere contra caput, *de cauſis*, aut rei ſequeſtratione uti non poſſit. De criminibus, quae vere eccleſiaſtica non ſunt, etiam ſi miſta fuerint, contra pure laicos non cognoſcat, ſed tantum contra eccleſiaſticos; neque in criminibus pure eccleſiaſticis mulctas pecuniarias laicis irroget; ei tamen contra eccleſiaſticos hujuſmodi mulctis uti jus ſit, ſecundum ſanctiones canonicas, dum ne derogetur ſacris conciliorum decretis in cenſura canonica comprehenſis. Reſtitutiones in integrum, aut contractuum inter laicos factorum reſciſſiones non concedat. De actionibus in rem, etiam ſi contrahentes ſacris addicti fuerint, aut de contractibus inter quaſcunque perſonas laicas aut eccleſiaſticas factis, qui obligationes in perſonam contineant, ſi a notariis γ regiis publica auctoritate confirmati fuerint, non cognoſcat. Perſonas laicas infamia notatas famae et dignitati non reſtituat, ſed tantum clericos, α quod ad ſacros ordines et ſacerdotales dignitates. Non permittat iis, qui ſacerdotia ejerando penſiones retinuerint, eas in alium transferre. Sacerdotia regni, quae conferre ei, quamdiu in regno erit, jus eſt, cum extra regnum erit conferendi facultatem non habeat: et cum e regno diſcedet, in cujuſdam viri ſpectatae fidei manus acta legationis ſuae conſignare teneatur. Nihil poſtremo faciat, quod deroget aut praejudicet ſacris decretis, pactis inter reges et pontifices initis, conciliis oecumenicis, juribus, immunitatibus, libertatibus eccleſiae Gallicanae, academiis et publicis regni ſcholis; idque ſcripto manu propria idonee ſubſignato promittat. Actum in ſenatu

VAR. LECT. α quoad P. β ſe vere intruſerint P. D. o. ſ. d. γ regis D. ſ. d.

ſenatu IX Kal. Quintil. Dum rex [a] Alneti eſſet, (ea arx Dianae [b] Pictavienſis erat, CIↃIↃXLVII.
profuſo ſumptu ac magnificentia poſtea in illius gratiam a rege exſtructa) [α] [c] Roſ- HENRICUS II.
ſenſi epiſcopo pro regina Scotiae urgente, ut copiae quamprimum in Scotiam mitterentur, quae confirmatis Scotorum animis adverſae factionis principum in regno audaciam comprimerent, et de Davidis [d] Betonii Santandreani cardinalis interfectoribus poenas ſumerent; miſſi Carolus [e] Humerius Contaeus et Philippus [f] Mallius Brezaeus cubiculi regii nobiles, cum ampliſſimis ad Leonem Strozzium mandatis, qui, quid regis voluntatis eſſet, exponerent, et ei cum claſſe quamprimum in Scotiam navigandum eſſe nunciarent. Ibi etiam de amicitia cum pontifice jungenda deliberatur. Cum placuiſſet, in eam rem ad Franciſcum [g] Roanum Gienſem, qui Romae oratorem agebat, ſcribitur. Miſſus et eo mox Lancilotus [h] Carleus Regienſis epiſcopus, qui cum Gienſi et Andrea [i] Gillario Mortario, quem non ita multo ante rex Romam ablegaverat, ageret: et, ſi de conditionibus cum pontifice conveniretur, Venetias ſtatim pergeret, et eas ſenatui Veneto oſtenderet, re prius cum Joan. [k] Morvillerio oratore regio communicata. Auditi interea Angli, et in his Fr. [l] Brianus, qui poſt ſolitam de adepto regno gratulationem duo a rege petiit, ut penſionem pace ad [m] Ardeam [1] ante ſeptennium facta promiſſam ſolveret, et an pactis ab Ant. Iſcalino Adhemaro [n] Polinio paulo ante Francisci mortem Londini conventis ſtare vellet, declararet. Iis perſcriptum erat, licere Anglis [o] Bononiam et omneis in agro Bononienſi arceis munire: Gallis contra prohibitum, ne quid facerent, quod illorum munitionibus poſſet officere. Additae ab Anglis de Scotorum injuriis querimoniae, qui, contra fidem publicam, nuper Henrico regnante, Mariam regni heredem celeberrimo omnium ordinum conventu et approbatione Edvardo deſponſatam nunc tradere in matrimonium recuſent, ſatiuſque ducant inſigni perfidia funeſtiſſimum inter tam vicinas genteis bellum alere, quam rebus per tam conveniens conjugium compoſitis, et fide liberata, pacem tueri: itaque petebant, ne rex in tam iniqua cauſa Scotis, licet confoederatis, auxilia ſummitteret. Ad ea reſponſum fuit, regem a Polinio factam pacem, quoniam multa in ſe periniqua habeat, minime ratam habere, cum nec eam Franciſcus parens confirmaverit: de penſione, quae ex foedere deberetur, perſolvenda, dummodo juris aequabilitas ſervetur, non recuſare: juris autem aequabilitatem id exigere, ut prius quo modo, quo tempore, per quos Bononia, propter quam penſio debeatur, Gallis olim reſtituenda ſit, inter eos conveniat. Quod ad Scotorum injurias, de quibus Angli queruntur, attinet, non deeſſe ſuas Scotis itidem de Anglis querelas; cupere regem inter eos rem amice componi poſſe: ceterum foederatos et amicos populos in periculo, quo verſentur, quando manentibus inter Gallos et Anglos induciis id licet, minime ſe deſerturum. Tunc et controverſia de finibus in agro Bononienſi exorta eſt. Convenerat, ut aeſtus ex alto incitatus, qua maximus in plenilunio excurrit, ab ea parte, in qua munitiones noſtrae erant, limes eſſet; ab altera vero linea ab illius amnis fontibus, qui per agrum Bononienſem in oceanum CCC circiter infra civitatem paſſibus influit, ad alteros fineis duceretur. Verum Angli cum amnis caput ultra [p] Hulinum-montem ſtatuerent, noſtri negarent, illi vicos

VAR. LECT. [α] Roſſemii *in omn. Edd.*

INTERPR. [a] *Anet.* [b] *de Poictiers, ducheſſe de Valentinois.* [c] *Jean Leſly, evêque de Roſs.* [d] *Beton, cardinal de St. André.* [e] *de Humieres, ſieur de Contay.* [f] *de Mailly de Brezé.* [g] *de Rohan, ſieur de Gié.* [h] *Carles, evêque de Riez.* [i] *Guillart, ſieur du Mortier.* [k] *de Morvillier.* [l] *Bryan.* [m] *Ardres.* [n] *le capitaine Polin, baron de la Garde.* [o] *Boulogne ſur mer.* [p] *Mont-hulin.*

NOT. [1] Dele *ante ſeptennium*; lege *anno ſuperiore*: ut in fine lib. II. Ledit traité fut fait le 7 Juin, l'an 1546, ſur les limites d'Ardres & de Guines. Vois du Tillet ed. Paris 1618, 4[to], p. 403. *Pat.*

CIↃIↃXLVII. vicos omneis et oppida, de quibus ambigebatur, occupant. Cum rex vereretur, ne HENRICUS II. ex ea cauſa alieno tempore ad arma veniretur, neque tamen injuriam pati poſſet, contraria invaſione abſque ulla denunciatione uti ſtatuit. Itaque ad Franciſcum [a] Momorantium Rupipotium Borbonii ea in provincia legatum ſcribit, ut per Joannem [α] [b] Eſtreum eductis [c] Deura praeſidiis, ab Anglis occupata nullo ſtrepitu recuperet. Tunc rex [d] Alneto [e] Sangermanum redierat; ubi cum Anglorum legati de ea re quererentur, convenit, ut III viri ab utraque parte deligerentur, qui ex foederis tabulis et locorum inſpectione, ne qua armis occaſio detur, de re cognoſcant, et controverſiam amice, ſi poſſint, dirimant. Id cum fruſtra fuiſſet, re ſaepius procraſtinata, tandem conventum, ut, quod quiſque occupaſſet, id ei retinere jus eſſet: in quo potior noſtrorum cauſa fuit, nuper receptis, quae Angli occupaverant.

XI. SUB id tempus, cum rex ad [f] Cantiliam, Momorantii peramoeno loco et commodo ſitam arcem, venationibus ſe exerceret, per Caeſaris legatum de pugna infeliciter a foederatis commiſſa, de qua poſtea dicemus, et Saxone duce capto certior fit, producta etiam inuſitatae amplitudinis ocrea, quam Saxoni poſt pugnam detractam dicebant, ridiculo Hiſpanicae oſtentationis exemplo. Quod minime commemorandum duxiſſem, niſi Carolus [g] Lotaringus, qui res illius anni in commentarios redegit, id ipſe perſcripſiſſet. Hoc nuncio accepto, rex continuo ad omneis imperii principes et civitates literas dat, quibus eos, ut in libertate tuenda conſtantes eſſent, hortabatur, ad idque operam ſuam et opes pollicebatur.

XII. INDE [h] Durocortorum Remorum VI Kal. Sextil. venit, ut ibi more majorum inauguraretur. Cujus ritus quoniam formula publice edita eſt, et alioqui a Joanne Sleidano diligentiſſimo rerum noſtrarum obſervatore perſcripta, de ea dicere ſuperſedebo. Aliquot ante menſibus Sebaſtianus [i] Vogelsbergus X ſigna peditum per Saxoniam nomine Gallorum conſcripſerat: quod cum Caeſar contra ſe fieri exiſtimaret, conſilium, quod de Magdeburgo obſidendo ceperat, eo tempore intermiſit. In hunc uſum rex militem conduxiſſe videri voluit, ne qua res inaugurationis actum interturbaret, et, ſi quid Angli molirentur, contra eorum impetus paratior eſſet. Neque tamen Vogelsbergus, cum poſtea in vinculis cauſam apud Caeſarem diceret, ea ſe ratione capitis periculo eripere potuit; quod contra imperii decretum, quo poena capitis et publicatio bonorum propoſita erat, externo principi militaſſet. Iis comitantibus copiis Henricus [k] Villeriam in Retia ſilva venit, atque inde regia pompa [l] Compendium ingreſſus eſt; ubi de felici in Scotia ſucceſſu per ipſum Leonem [m] Strozzium expeditionis ducem cognovit, de quo poſtea plenius dicemus; & a [n] Sangeorgio pontificis legato purpureos pileos acceptos Caroli Borbonii [o] Santonum epiſcopi agnati ſui, et Caroli Lotaringi [p] Remorum archiepiſcopi, quibus a pontifice deſtinati erant, capitibus more ſolemni impoſuit. Compendii relicta regina praegnante, [β] [q] Samarobrigam Ambianorum, et inde [r] Abbatis villam pergit; quibus locis publica laetitia et magnificentia exceptus eſt. Angli in oſtio [s] Bononienſis portus, ejus muniendi ſpecie molem jactam magnis operibus attollebant; quod cum Gaſpar [t] Colinius Caſtellionaeus Gallici peditatus praefectus, qui munitiones circa Bononiam a Franciſco amiſſa urbe exſtructas praeſidio tenebat, animadverteret, id contra foedus fieri ratus, regi per literas indicat: qui ſtatim ad [γ] oratorem ſuum in Angliam ſcribit, et, ut ea de re apud regis tutores querimoniam inſtitueret, imperat. Re ſaepius dilata, dum interea ſumma in maturando opere diligentia

VAR. LECT. [α] Deſtreum *P.* [β] Ambianos et *P. D. o. f.* [γ] legatum *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *de Montmorency, ſieur de la Rochepot, frere du conneſtable, lieut. general en Picardie ſous Ant. de Bourbon, duc de Vendoſme.* [b] *d'Eſtrées.* [c] *Deure.* [d] *Anet.* [e] *St. Germain en Laye.* [f] *Chantilly.* [g] *de Lorraine, puis cardinal.* [h] *Reims.* [i] *Vogbelsberg.* [k] *Villiers Coſte-de-Retz.* [l] *Compiegne.* [m] *Strozzi, prieur de Capoue.* [n] *le cardinal de S. Georges.* [o] *Saintes.* [p] *Reims.* [q] *Amiens.* [r] *Abbeville.* [s] *Boulogne ſur mer.* [t] *de Coligni, ſieur de Chaſtillon.*

CIↃIↃXLVII.
HENRICUS II.

diligentia ab hoſtibus adhiberetur, tandem reſponſum, nihil contra foedus admitti, ſi ſtatio, quo appellendis et capiendis navibus tutior ſit, publico navigationis commodo muniatur. Legatus noſter contra urgere, non navigationis cauſa inſtitutum opus; jam enim majora tormenta in molem impoſita, et tantae magnitudinis et altitudinis eam eſſe, ut magnum militum numerum caſulis ad hoc exſtructis capere, et in noſtras munitiones inde deſpici poſſit. Cum nihil proficeretur, rex [a] Monſtrolium procedit, et inde [b] Stapulas et Hardelotum oppida, quae Franciſcus munienda curaverat: in iis ex ducum ſententia quae male coepta corrigit, et multa denuo nova inſtituit. Dum hac iter haberet, et omnia paſſim incendiis et direptionibus vaſtata cerneret, ingemuit, et, ſi hoſtem depellere et pacem iis locis reddere liceret, voto ſe obſtrinxit, cujus religione poſtea recepta Bononia ſe exſolvit. [α] Tum [c] Momorantium et [d] Aumalium praecipuos belli conſiliarios praemittit, qui loca ad muniendum idonea inſpicerent: ipſe comitantibus Hippolyto Ateſtino et Carolo [1] Guiſiano cardinalibus mox ſubſequitur; cumque nihil mutuis utrinque querelis hactenus profectum eſſet, de contraria adverſus molem in mari jactam exſtruenda munitione deliberatur; atque ex Colinii conſilio in colle, qui ſtationi navium atque moli coeptae imminebat, caſtellum erigitur, quod [β] [e] Caſtellionacum de ejus nomine appellatum eſt. Ex eo cum deſpectus eſſet in portum, diſpoſitis tormentis naves ex Anglia venientes, quo minus tuto appellerent, a noſtris facile prohibebantur; quod ex aliis a Franciſco excitatis munitionibus ob longinquitatem fieri non poterat. Inde rex [f] Sanſtephanum montem, ut ex eo munitionem in [g] monte Lamberto factam contemplaretur, aſcendit, et per ea loca diſpoſitis Germanorum copiis [h] Saumerium eodem die venit. Saumerio deinde Deuram, et Deura [i] Ardeam proficiſcitur: ibi munitionem in monte-Hulino coeptam conſpicatus, inſpecta etiam [k] Lienae amnis, qui contentioni de finibus cauſam praebuerat, origine, [l] Tarvennam, atque inde per Hedinum, [m] Auxium, [n] Dorlanum et [o] Corbeiam, ſaepius in hoſtico iter faciens, tandem [p] Deſiderii-montem pervenit; atque per Compendium, [γ] abducta ſecum regina, et [q] Adami-inſulam, poſtremo [r] Sangermanum acceſſit.

XIII. Ibi dum eſſet, magna et atrox inter duos ex praecipua nobilitate juvenes rixa exarſit, [s] Vidum Cabotium Jarnacium, et Franciſcum [t] Vivonum Caſtaneum: cumque Cabotius gravi nec ferendo probro ab adverſario oneratus mentiri illum dixiſſet, qui modus revincendae injuriae maxime injurioſus eſt, nec niſi certaminis alea expiari poteſt, ad duellum res devenit, permittente Henrico, qui haud dubie Vivono favebat; cui ſeſe propterea Aumalius, ut regi gratificaretur, addixit. Cabotio occulte favebat Momorantius; verum regis offenſionem veritus Claudio [u] Guſerio Boëſio magno Franciae [δ] hipparcho auctor fuit, ut Cabotio operam daret. Ipſe caſtrorum praefecti officium neutris partibus addictus et quaſi arbiter obiit. Magno theatro rege ſpectante et proceribus pugnatum eſt; tandemque apparuit, non favore principum aut lacertorum vi et induſtria, ſed ſola Numinis benignitate victoriam contingere. Nam Caſtaneus, qui injurioſe Cabotium provocaſſe ab omnibus credebatur, certaeque victoriae fiducia ſuperbe ſe hactenus et arroganter geſſerat, adverſario contra cauſae potius quam viribus confiſo, ſummaque animi modeſtia

VAR. LECT. [α] inde *P. D. o. f.* [γ] inde abducta *P. D. o. f.*
[β] Caſtellioneum inde appellatum *P. D. o f.* [δ] ſcutifero *P.*

INTERPR. [a] *Monſtreuil.* [b] *Eſtaples, & Hardelot* [c] *le conneſtable de Montmorency.* [d] *Fr. de Lorraine, comte d'Aumale.* [e] *Fort de Chaſtillon.* [f] *mont St. Eſtienne.* [g] *mont Lambert.* [h] *Saumeri.* [i] *Ardres.* [k] *Lienz r.* [l] *Terouenne.* [m] *Auchy.* [n] *Dourlans.* [o] *Corbie.* [p] *Montdiſier.* [q] *Liſle-Adam.* [r] *St. Germain en Laye* [s] *Gui de Chabot, ſieur de Jarnac.* [t] *de Vivonne, ſieur de la Chaſtaigneraie.* [u] *Claude Gouffier, ſieur de Boiſy, grand ecuyer.*

NOT. [1] Lotaringo *Put.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

modeſtia a Deo auxilium implorante, ſuccubuit; acceptoque in poplite ictu, cum ſanguinem ſiſti a chirurgis et vulnus obligari non pateretur, accedente ad haec vitae taedio, mox deceſſit; ex quo rex, quod praeter ſpem et opinionem accidiſſet, tantum cepit dolorem, ut ſe nunquam in poſterum in duella conſenſurum religioſiſſimo ſacramento obſtrinxerit. Haec regni funeſta auſpicia in funeſtum exiiſſe finem a multis obſervatum eſt; rege ipſo, qui in ſerium certamen conſenſerat, quod minime debuit, in ludicro certamine, inter plauſus et publicam laetitiam, poſtea occiſo. Sangermano per [a]Mauri fanum, relicta ad dextram Lutetia, quam nondum publice ingreſſus erat, [b]Fontem-bellaquenſem itum eſt, XVII Kal. Octob. ubi rex hyemare decreverat. Ibi mox pactae et confirmatae inter nos et Edvardi tutores induciae. Neque multo poſt prid. Eid. Nov. Catharina regina peperit filiam; cum jam ante quadriennium Franciſcum [c]Delfinum VI Kal. Feb. & anno ſequenti Elizabetham III Eid. Apr. enixa eſſet. [d]Helvetiorum civitas a rege per legatum honorifice invitata eſt, ut recens natam filiam e ſacro lavacro [α]ſuſciperet; qui per legatos officio defuncti ſunt, et infanti regiae Claudiae nomen inditum. Fidejuſſere Margarita amita, quae poſtea Philiberto Emmanueli Sabaudiae duci nupſit, et Joanna Henrici Navarrorum regis filia.

XIV. De [e]cardinalis Santandreani caede et Leonis [f]Strozzii in Scotiam expeditione, quae dicenda recepimus, ſic ſe habent. Mortuo Jacobo V, cum inde factione Scotica, quae Anglis favebat, inde contrariis ſtudiis reginae viduae et cardinalis Santandreani regnum diſtraheretur, Jacobus [g]Hamiltonius prorex conſtituitur; qui quod tanto oneri impar ſummam rerum in diſcrimen vocaturus videretur, ex conſilio reginae et cardinalis Matthaeus Stuartus [h]Leviniae comes e Gallia evocatur, cum Franciſci mandatis, ut videret, ne quid res Scotica detrimenti caperet. Sed cum mox, ubi ille in Scotiam venit, Scoticae factionis princeps effectus; reginae et cardinali, qui jam proregem aſtu ad ſuas parteis traxerant, ſuſpectus eſſe coepiſſet, ab iis ſpe regiarum nuptiarum diu deluſus, et calumniis interea apud Franciſcum petitus, cum nullum purgationi criminum, quae objiciebantur, locum relictum eſſe apud nos videret, poſt infelicem cum prorege congreſſum, in Angliam ad Henricum transfugit; a quo honorifice acceptus fuit, tradita in uxorem Margarita [i]Duglaſſia Jacobi Scotorum regis proximi ſorore, ex comite [k]Anguſiae et Henrici ſorore nata. Exſulante Levinio, regina vidua levitatem proregis verita, quem ſublato aemulo ſuſque deque omnia adminiſtraturum proſpiceret, factionis Scoticae principes in ſuam fidem recepit. Cum Anglus, ex domeſtica Scotorum ſeditione occaſionem captans, majores quotidie progreſſus magno Scotici nominis dedecore faceret, Archibaldus Duglaſſius Anguſiae comes proregi, qui ſe inhoneſta fuga ſemel atque iterum periculo eripuerat, auctor fuit, ut ſe fortiter Anglorum conatibus opponeret, et fidam nobilitatem pollicitus, a qua ſe ille deſertum querebatur, commiſſo ad [β][l]Jedburgum proelio Anglos profligavit, et amiſſam ſuperioribus cladibus gloriam ex parte recuperavit. In eo praecipua ipſius Duglaſſii, [m]Normanni Leſlii [n]Rothuſiae comitis filii, et Walteri [o]Scoti virtus enituit. Inter haec [p]Mongomerius Levinio, uti diximus, inſenſiſſimus, a Franciſco miſſus in Scotiam appulit V Non. Quintil. anno hujus ſaeculi XLV: cumque de calumniis in Levinium a cardinali confictis cognoviſſet, ipſumque ob id cardinalem graviter increpuiſſet, quod virum potentem in ſuſpicionem Franciſco adductum ſolum vertere coëgiſſet, in Galliam jam appetente hyeme reverſus eſt; deque re

tota

VAR. LECT. [α] ſuſciperet. Per legatos Helvetii officio *P. D. o. f.* [β] Ildeburgum *P. D. o. f. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *S. Maur les Foſſez.* [b] *Fontainebleau.* [c] *le Dauphin.* [d] *les cantons de Suiſſe.* [e] *Beton, cardinal de St. André.* [f] *Strozzi, prieur de Capoue.* [g] *Hamilton, comte d'Arran.* [h] *Lenox.* [i] *Douglaſs.* [k] *Angus.* [l] *Jedburg.* [m] *Norman Leſly.* [n] *Rothes.* [o] *Scot.* [p] *Mongomery, ſieur de Lorges.*

toto certiore Franciſco reddito, auctor ei fuit, ut Joannem Stuartum [a] Albinium Levinii fratrem, quem inauditum in cuſtodiam incluſerat, liberum dimitteret; raro incorruptae probitatis et generoſi animi exemplo, qui inimico viro, graviſſimorumque criminum invidia laboranti, cum poſſet, nocere noluerit. At cardinalis jam rerum potens, qui proregem in poteſtate habebat, et obſidis loco, quod levitati ipſius parum fideret, filium in [b] arce Santandreana aſſervabat, per totum regnum libere diſcurſare, et in Lutheri doctrinae ſuſpectos, quorum jam magnus numerus in Scotia erat, anquirere, immiſſis ex ordine ſacro accuſatoribus, atque in primis contra Georgium [c] Sophocardium concionatorem populo acceptiſſimum, qui VIII ab [d] Edimburgo milliaribus apud Jo. Cocburnum diverſabatur. Sed cum Cocburnus de eo tradendo a cardinali ſolicitatus moras necteret, [α] cardinalis cum prorege intempeſta nocte improviſus eo venit, omnibuſque aditibus obſeſſis, nihil tamen efficere potuit, donec Jac. [e] Hepburnus Botueliae comes e propinqua villa a cardinali evocatus a Cocburno impetravit, ut Georgius ipſi dederetur, fide data, ſe ab omni damno et injuria eum defenſurum. Id actum menſe Januario anni ſequentis. Sed mox tamen contra fidem datam Georgius in manus eccleſiaſticorum traditur, et Edimburgo [f] Fanum-Andreae transfertur. Prorex a Davide [g] Hamiltonio Preſtoniano monitus, ut Georgio fidem ſervaret, eumque e manibus [β] inimicorum eriperet, ad cardinalem ſcribit, mandatque, ne judicium praecipitaret, ſed rem integram ſervaret uſque in ſuum adventum: quo reſponſo accepto, cardinalis, cum non dubitaret, ſi diutius cunctaretur, virum vulgo gratioſum judicio ereptum iri, Georgium e carcere producit, et feſtinato judicio ad mortem damnandum curat. Cum Joan. [h] Winiramus Georgio aequior cardinalem ejus nomine rogaret, ut ſacri corporis et ſanguinis communio reo permitteretur, re cum epiſcopis conſultata, ex eorum ſententia reſpondit; non videri aequum, ut pertinax haereticus ab eccleſia damnatus ullis eccleſiae beneficiis frueretur. His ad eum perlatis, eum praefecti arcis familiares ad jentaculum mane hora nona conveniſſent, et ille ab iis ad cibum una ſumendum invitatus eſſet, occaſionem captans, facta audientia circumſtanteis de uſu coenae dominicae ex doctrina Lutheri commonefacit, et panem ac vinum comedendum et propinandum, cum prius ipſe ſumpſiſſet, porrexit, deinde convivis valedixit. Ad ſupplicium ductus, cum in pyra exſtructa ad palum ſtaret, et cardinalis ex adverſa feneſtra tapetibus ac ſtragulis ſericis et pulvillis ornata ſpectaculo frueretur, jam ardente flamma, hortante Georgium praefecto, ut bono animo eſſet; Haec quidem flamma, inquit ille, corpori moleſta eſt, ceterum animum minime frangit: at qui nos ex editiore loco tam ſuperbe deſpicit, intra paucos dies quam nunc arroganter ſedet, tam ignominioſe jacebit. Haec loquenti fune aſtricto vox incluſa eſt. Nec vaticinio exitus defuit. Nam cardinalis quam eccleſiaſticis charus, tam nobilitati et populo odioſus, cum [γ] Normanno Leſlio, cujus modo mentionem fecimus, viro de ſe multis officiis optime merito, ob rem levem tunc forte in contentionem incidit; cumque re litigioſa aegre ceſſiſſet Leſlius, ac poſt aliquot menſeis promiſſa repeteret, e ſermone in altercationem ac poſtremo convicia inciderunt, infeſtiſſimiſque animis utrinque diſceſſum eſt. Leſlius, qui ſe fraude circumſcriptum dolebat, de injuria apud ſuos expoſtulans facile eos induxit, ut

CIƆIƆXLVII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] cardinalis, qui ſummopere hac opima praeda potiri cuperet, cum prorege *MS. Reg.* [β] cardinalis *P. D. o. f.* inimicorum et cardinalis *D. d.*

INTERPR. [a] *d'Aubigny.* [b] *chateau de St. Andrews, ou St. André.* [c] *Wiſhart.* [d] *Edimbourg.* [e] *Hepburn, comte de Bothwel.* [f] *St. Andrews, ou St. André.* [g] *Hamilton, ſieur de Preſton.* [h] *Winram.*

CIƆIƆXLVII. HENRICUS II.

ut in cardinalis caedem conjurarent. Igitur circiter [1] Nonas Maii Fanum Andreae cum quinque tantum comitibus venit, ne ſuſpicionem de ſe excitaret, praemiſſis ante x conſciis, qui alii alio in loco diverſabantur. Muniendae arci intentus erat cardinalis tanta feſtinatione, ut diei noctem in opere continuaret. Cum diluculo ad operas intromittendas aperiretur porta, duo in inſidiis in domuncula propinqua collocati janitorem comprehendunt, ſignoque ſociis dato, uti convenerat, ſine tumultu omnes ingrediuntur. Quatuor miſſi, qui cardinalis cubiculi oſtium obſervarent; alii excitatis famulis et reliquo comitatu ſemiſomneis ſingulos carpunt, et mortem, ſi mutirent, comminati extra arcem inviolatos emittunt. Tum demum ad cardinalem redeunt, et oſtio pulſato editiſque nominibus, incolumitate etiam promiſſa, introducti trementem multis vulneribus confodiunt. Amici, qui in civitate erant, ad famam vix excitati cum tumultuoſe ad arma clamantes accurrerent, Leſlius, ut tumultum ſedaret, corpus exanime omnium oculis exponi jubet, in illa ipſa feneſtra, ex qua nuper Sophocardii ſupplicium laetus ſpectaverat: ita verum illius vaticinium fuiſſe eventu comprobatum eſt. Sedato utcunque tumultu, conſcii ad cauſam dicendam vocantur: cum ſe judicio non ſiſterent, eis aqua et igni interdictum eſt. Juſſus et prorex eos armis perſequi: verum illis ſe in arce munita continentibus oppugnatio fruſtra fuit. Soluta obſidione, cum libere vagantes populationibus omnia vicina infeſtarent, fruſtra increpante eos Joan. [a] Cnoxio, et ultorem Deum fore interminante, alia parte Angli in limite [b] Solvaeum tranſgreſſi praedis abactis et incendiis in hoſtico excitatis longe lateque terrorem ſui funderent, prorex quid ageret dubius, a R. [c] Maxvallio, in quem belli tempeſtas praecipue incubuerat, invitatus eo ducit, et caſtra ad [d] Megatam amnem ponit. Mox depulſis [e 2] Langopi arce Anglis, nuncio Gallicae claſſis (ea xxi triremium erat) non procul ab [f] Ebbae promontorio appulſae, domum revocatur; colloquioque cum Leone Strozzio claſſis praefecto habito, [g] Andreanam arcem tanta celeritate cingit, ut multi ex praeſidiariis excluderentur, plerique, qui e conjuratis non erant, negotii cauſa arcem ingreſſi includerentur: quod valde obſeſſos turbavit. Itaque cum arctius opinione ſua urgerentur, et jam muri magna parte vi tormentorum dejecta in ſummo diſcrimine verſarentur, proregis iram veriti, incolumitate pacta, ſe Leoni Strozzio dedunt III Kal. Sextil. decimo quarto poſtquam obſideri arx coepta eſt die. Ille ſuis immiſſis, arcem, quae mox de conſilii ſententia diruta eſt, ſpoliat, et cardinalis pecunia ac ſupellectile nondum a conjuratis direpta potitur; pauloque poſt cum deditis, quorum pars in catenas conjecta eſt, in Galliam vela dedit. Cum de captivis, qui in Gallia juſſu regis carcere tenebantur, Anglici legati quererentur, reſponſum eſt, Si manentibus induciis jus fuit Gallis in Scotia pro regni conſervatione militare, licuiſſe et iis in bello illic captos, cujuſcunque tandem nationis illi ſint, jure belli uti.

XV. Interea affertur, Anglos magnas copias parare, ut in Scotiam irrumpant, et pacti cum prorege foederis de regina Scotiae Henrici filio collocanda fidem repetant. Itaque ad edictum frequentes conveniunt, indeque ad [h] Eſcae fluminis, quod per [i] Lothianam fluit, ripas advenientem hoſtem praeſtolantur. Heic cum Scoti equites tumultuario pugnae genere Anglis ſuperiores hoſtem adequitando laceſſerent, poſtquam diu ſe Angli continuiſſent, tandem ductore [k] Graio equitum praefecto,

INTERPR. [a] *Knox.* [b] *Solway frith.* [c] *Maxwell.* [d] *Meggat, rivière d'Euſdale.* [e] *Langhope, al. Langham.* [f] *pointe St. Ebbe.* [g] *chateau de St. Andreus,* ou *St. André.* [h] *Esk.* [i] *Lothian.* [k] *Guillaume, baron Grey de Wilton.*

NOT. [1] Spotſwodius et Anderſonus hanc cardinalis Santandreani caedem vigeſimo nono Maii, qui in diem Saturni incidit, perpetratam eſſe recte affirmant. Acta item publica poenas laeſae majeſtatis Leſlio et ſociis denunciantia, triginta ſeptem ſive percuſſores ſive conſcios nominatim memorant. *C.*

[2] *Langopi.* Oppidulum et arx, ubi Eska et Evia fluvii aquas miſcent. *C.*

CIↃIↃXLVII.

HENRICUS II.

praefecto, complures turmae in imparatos ex inopinato ſe effundunt, et Scotos, qui timere deſierant et ſolutis ordinibus vagabantur, facile opprimunt. Caeſi aut capti ex iis circiter IↃCCC: Angli etiam aliquot, dum ardentius tergis fugientium inhaerent, capti; et in iis nobiles turmarum ductores. Ita repreſſus Scotici equitatus impetus, ut nihil ex ea die dignum memoria geſſerit. Cum in eo eſſent, antequam de ſumma rerum confligerent, Angli, qui ad [a] Preſtonium caſtra habebant, per literas Scotorum animos periclitantur. Summa haec erat; orare ſe Scotos, meminiſſent, utramque aciem Chriſtianorum eſſe; bello cauſam, non avaritiam, odium aut aemulationem dediſſe, ſed perpetuae pacis ſtudium, quae nondum inter tam vicinos populos coaleſcere potuerit, quamque firmius nuſquam coalituram ſpes ſit, quam per matrimonium quod cum publico procerum omnium conſenſu promiſſum et approbatum ſit; mirari quomodo ſatius ducant, ad arma, quorum exitus non niſi luctuoſus vel victori eſſe ſoleat, deſcendere, quam fidem utriuſque gentis bono interpoſitam ſervare: conjugia externa quae incommoda ſecum trahant, ipſos videre, idque [α] alienis exemplis, quam ſuo periculo experiri malle debere: itaque, quanquam aequum petant, ſe tamen, ſi Scotorum animos ad concordiam ſpectare intelligant, aliquid de conventionibus remiſſuros, contentoſque fore, ut virgo regia in ſuorum poteſtate maneat, et educetur uſque ad aetatem nubilem, donec ipſa ex procerum conſenſu maritum ſibi deligere poſſit: interea a vi et armis utrinque abſtineatur, nec regina in peregrinum ſolum tranſvehatur, aut ulla cum Gallo aut alio quovis extero de matrimonio pactio fiat: id ſi ſancte promittatur, ſe protinus ex Scotia pacate diſceſſuros, et de damno, quod [β] impreſſione ſua Scotiae dederint, bonorum virorum arbitrio ſatisfacturos. Cardinali ſublato, prorex Joannem fratrem [b] Fani Andreae archiepiſcopum in ejus locum aſſumpſerat. Coram eo literis perlectis, viſum eſt illas ſupprimi debere, ne ſi palam fierent, aequitate conditionum intellecta, multi ad pacatiora conſilia inclinarent. Prorex ab iis, qui cum fratre erant, perſuaſus et literas ſupprimi patitur et contrarium rumorem ſpargi; ſcilicet Anglos veniſſe, ut ablata per vim regina omnia armis in poteſtatem redigerent. Auctus rumor ab iis, qui ſummae rerum praeerant; qui proregem, ut erat levi et inconſtanti ingenio, ita vana victoriae ſpe impleverant, ut aliorum ſanis admonitionibus aureis clauderet. Diſſeminata ea fama, irritatis militum animis, ſtatim concurritur; primam aciem Archibaldo [c] Duglaſſio, poſtremam Georgio [d] Gordonio ducentibus. Prorex, qui in media acie ſtabat, cum de fuga Anglorum ſubito nunciatum eſſet, Duglaſſium per unum e ſuis admonet, ut aciem promoveat; moxque per alterum, ut gradum addat. Nec vanus erat rumor: nam equites Angli fruſtra in Scotos impetu facto cum nihil proficerent, peditatu relicto jam fugam meditabantur; ſed partim mutua adhortatione, partim a ducibus retenti atque aequiori loco confiſi ordines reſtituunt. Hic Scoti, qui in prima acie erant, cum [e] Jamboam ſcioppetariorum equitum Hiſpanorum ducem velut in latus incurſurum per obliquum collem deſcendere viderent, a recto collis aſcenſu pedetentim deflectunt: quod ii, qui in media acie ſtabant, conſpicati, primos fugere rati, ſolutis ordinibus et ipſi fugam capiunt ab Anglica claſſe in obliquum latus jaculante in itinere, dum fugiunt, magno damno affecti. XXX CIↃ armatorum in caſtris Scotorum erant; multo minor numerus Anglorum, ex quibus ceciderunt primo congreſſu ad CC; e Scotis vero tota fere illuſtrium familiarum juventus cum ſuis clientibus: Scoti priſci denſato agmine integris ordinibus domum incolumes pervenerunt. Haec clades Scotis ſumme calamitoſa incidit in IV Eid. Sept. Angli praeter ſpem victores ad quinque

VAR. LECT. [α] idque externis exemplis *MS. Reg.* [β] ſua hac impreſſione *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Preſton.* [b] *St. Andrews, ou St. André.* [c] *Douglas, comte d'Angus.* [d] *Gordon, comte de Huntley.* [e] *le chevalier Pierre Gamboa, capitaine de 200 arquebuſiers à cheval.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

quinque millia populationibus evagati [a] Ketham et [b] Aemonam deſertas in [c] Forthae aeſtuario inſulas munierunt. [d]Brochteam item arcem in [e] aeſtuario Tai ceperunt, et terrore injecto [f] Faſcaſtellum et [g]Humium arceis ad dedulonem compulerunt. Animoſe reſiſtentem Humiae arcis domini uxorem cum armorum metu ad deditionem compellere non poſſent, inhumano ſeveritatis exemplo tandem expugnaverunt: nam ejus filium captivum necaturos ſe minati, cum ne hac quidem ratione generoſae foeminae animum frangi viderent, productum ante arcem ſtatuunt, et in parentis conſpectu patibulo erecto quaſi ad ſupplicium ducunt: quo ſpectaculo territa mater poſtremo deditionem fecit. Capto Humio Angli munitiones, alteram ad [h] Lauderam, altetam in [i] Rosburgi ruinis excitarunt, neque alio operae pretio facto retro abierunt. Quo repentino diſceſſu recreatis paulum Scotorum animis, [k] Sterlini, ubi reginae erant, convenitur. Magnum moerorem et animi dejectionem in prorege et archiepiſcopo fratre cernere erat: in reginae viduae oratione multa item ſigna luctus; conſtans tamen et ſerenus pro tempore vultus fuit; quod ad magnitudinem animi referebatur: nec tamen dubitabatur, quin ex dolore publico hanc conſolationem caperet, quod Hamiltoniorum faſtum et arrogantiam clade illa retuſam videret. Conſultantibus placuit, ut reginae [l] Britannodunum ſeponerentur, dum in conventu procerum de regni ſtatu agitur. Miſſi interea in Galliam, qui a novo rege ex foedere auxilia peterent adverſus Anglum communem hoſtem, ſpe facta de reginae Delfino nupturae in Galliam adventu: quo intellecto Angli rurſus Scotiam ab utroque limite invadunt. [m] Levinius ipſe ſpe auxiliorum ab [n] Anguſio ſocero et [o] Glencarnio vetere amico promiſſorum ad ſolſtitium hybernum [p] Dumfriſium venit: verum ab iis deluſus quoſdam e ſuis [q] Drumlanricum verſus pergere jubet, ſi forte Jac. Duglaſſium arcis dominum in inſidias poſſet elicere. Is quod erat ſenſit: ſed dum in praedatores effuſius invehitur [r] Nitho amne tranſito, jam ſe colligentibus hoſtibus, multos e ſuis amiſit. Ex levi illa expeditione cum graviſſimus terror majorem [s] Gallovidiae partem invaſiſſet, omnes certatim ſe Anglo dedidere. Interea prorex tanto circumſtrepente undique tumultu, ne nihil agere videretur, Brochteam arcem obſidet, toroque trimeſtri fruſtra continuata obſidione tandem diſceſſit, relicto Jacobo [t] Haliburtono, qui cum c equitibus vicina loca infeſtaret, et commeatus terreſtreis a Brochtea et praeſidio inibi ab Anglis munito prohiberet.

XVI. EODEM fere tempore magna per Angliam religionis mutatio fit. Nam ſub exitum Novembris, Petrus Martyr Vermilius Florentinus [u] Argentina, ubi Italia exulans jam per quinque annos magna fama docuerat, in Angliam venit, a Thoma [x] Cranmero Cantuarienſi archiepiſcopo evocatus. Is in monaſterio [y] Feſulano Florentiae proximo canonicorum, uti vocant, regularium S. Auguſtini educatus, primum [z] Patavii linguae Graecae et philoſophiae plenam cognitionem adeptus, dein [aa] Bononiae Hebraicarum literarum et theologiae ſtudiis gnaviter incubuit: unde illius ordinis ſodalium facile princeps habitus, cum in mores eorum ſeverius animadverteret, magna invidia laborare coepit; quam ut amoliretur, Neapolim profectus, comite conſiliorum Jo. [bb] Valdeſio Hiſpano, clam coetum inſtituit praecipuae nobilitatis tam viris quam foeminis celebratum; in quorum numero etiam recenſetur Victoria [cc] Columna Ferdinandi [α] [dd] Avali marchionis Piſcarii quondam uxor, ingenio,

VAR. LECT. [α] Davali *P D.o.*

INTERPR. [a] *Inch-Keith.* [b] *Inch-Colme,* ou *l'iſle de S. Colomb.* [c] *Frith de Forth.* [d] *Brochty.* [e] *Frith de Tay.* [f] *Faſtcaſtle.* [g] *Hume.* [h] *Lauder.* [i] *Roxburg.* [k] *Sterling.* [l] *Dunbritton.* [m] *le comte de Lenox.* [n] *le comte d'Angus.* [o] *Guil. Cunngham, comte de Glencairn.* [p] *Dumfreis.* [q] *Drumlanrig.* [r] *Nith.* [s] *Galloway.* [t] *Haliburton.* [u] *Strasbourg.* [x] *Cranmer, archevêque de Cantorbery.* [y] *da Feſola.* [z] *Padoue.* [aa] *Bologna.* [bb] *de Valdes.* [cc] *Colonna.* [dd] *d'Avallos, marcheſe di Peſcara*

ingenio, pietate et modeſtia cum paucis comparanda. Sed cum non diu, re in vulgus emanante, ibi conſiſtere poſſet, Lucam profectus, et in eodem inſtituto perſeverans, ſocios ibi habuit Immanuelem Tremellium Ferrarienſem genere Hebraeum, ſed profeſſione Chriſtianum, qui Hebraicas literas, Celſum Martinengum, qui Graecas, et Paulum [a] Laſicium Veronenſem, qui Latinas doceret, ac denique Hier. [b] Zanchium Bergomatem. Verum ne heic quidem quieſcere potuit; cumque illac Paulus [1] P. [c] Buxeto rediens iter habiturus eſſet, ut periculo praeverteret, relicta Italia [d] Tigurum Helvetiorum conceſſit, comite profectionis Bernardino [e] Ochino Senenſi magnae eloquentiae concionatore. Tiguro deinde [f] Baſileam, ac denique procurante Martino Bucero [g] Argentinam migravit, unde poſtremo in Angliam [α] profectus, ex regis voluntate ſacris ſcriptis interpretandis [h] Oxoniae praeficitur. Nec multo poſt, Henrici proximi regis de religione decreta publico edicto antiquantur, et ſtatuae atque imagines paſſim e templis removentur.

CIↃIↃXLVII.
HENRICUS II.

XVII. HAEC fere eo anno in Anglia et Scotia geſta; qui non ſolum duorum maximorum principum, et qui ſummi literarum fuerunt fautores, ſed et doctiſſimorum virorum obitu triſtis fuit. Nam Franciſcus [i] Vatablus in Ambianis natus, quem Hebraei ipſi Lutetiae Hebraicas literas profitentem admirati ſunt, Chriſtiani vero maximo cum fructu docentem audiverunt, ex hac vita migravit XVII Kal. Apr. Is Graecae linguae peritiſſimus multa ex Ariſtotele in Latinam tranſtulit: dein relicto philoſophiae ſtudio ad ſacras literas ſe totum applicuit; multaque hujus generis ſub ejus nomine circumferuntur, ac notationes in primis in Vetus Teſtamentum ab auditoribus ex illius praelegentis ore exceptae: nam ipſe, ſive naturali pigritia, quod illi exprobratum eſt, ſive morte praeventus, nihil omnino ſcripſit; ſatiſque habuit, ſacrae linguae arcana diſcipulis [β] diligentioribus aperire, illuſtri nominis ſui fama et alieno praeconio contentus: ex iis fuere, Jo. [k] Salignacus nobilis Petrocorius, et Joan. [l] Mercerus Uticenſis Chriſtianorum in Hebraicis longe doctiſſimus, qui ad maximas chariſſimi praeceptoris laudes hanc adjecit, quod Hebraicorum carminum rationem, quae hactenus nobis incognita eſt, perſpectam ille habuerit, quam et ſe ſcriptis aliquando traditurum receperat. Eodem die, quo Vatablus, et Jacobus [m] Tuſanus Remus optimus linguae Graecae doctor Lutetiae deceſſit, cum eodem, quo Vatablus, die, in regiorum profeſſorum collegium cooptatus fuiſſet; ut, qui in eodem vitae curriculo ſimul deſudaſſent, ne mortis quidem tempore divellerentur. Nec multo poſt XIII Kal. Jun. Beatus Renanus [n] Seleſtadienſis annum agens LXII Argentinae, cum e balneis rediret, moritur; vir in humanioribus literis, antiquitate et pia doctrina exercitatiſſimus, ingenio miti, ut qui in cogitatione de conſtituenda ex omnium conſenſu in religione concordia conſenuerit; ſummus Deſ. Eraſmi obſervator, qui eandem viam in his turbis inſtitit. Hujus etiam anni initio XVII Kal. Febr. matura mors Joannem [o] Schonerum Caroloſtadienſem jam ſeptuagenarium [p] Norimbergae nobis eripuit, ubi ille domicilium fixerat, aſtronomiae, quam poſt [q] Regiomontanum opere illo egregio reſolutarum tabularum maxime illuſtravit, ſcientia inſignem, et illa in primis, quae ex poſitu aſtrorum de cujuſque fortunis judicium fert, multis obſervationibus ab illo locupletata. [γ] Exeunte anno in vivis

eſſe

VAR. LECT. [α] profectus, ut diximus *P.D.o.* profectus, uti diximus *D.f.* [β] ſe diligentioribus *P.* [γ] *Hoc Peutingeri elogium deeſt* *P.D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *Laſitio da Verona.* [b] *Zanchio di Bergamo.* [c] *Buſſeto.* [d] *Zurich.* [e] *Ochino da Siena.* [f] *Baſle.* [g] *Strasbourg.* [h] *Oxford.* [i] *Vatable, al. Guaſtebled.* [k] *de Salignac de Perigort.* [l] *Mercier d'Uſez.* [m] *Touſan de Reims.* [n] *de Schletſtadt.* [o] *Schoner de Karlſtat en Franconie.* [p] *Nuremberg.* [q] *Jean Muller de Konigſhaffen en Franconie.*

NOT. [1] Paulus III Papa.

eſſe deſiit [a] Auguſtae Vindelicorum Conradus Peutingerus, qui pridem vivere deſierat annis attritus, quippe completo LXXXII aetatis anno; vir ut natalibus ſic dignitate clarus, et cujus memoriam tabula Peutingeriana poſtea a M. Velſero edita apud doctos renovavit. Romae ſub id obierunt Petrus Bembus patricius Venetus, et Jacobus [b] Sadoletus Mutinenſis Carpentoracti epiſcopus, uterque verſu et pedeſtri oratione politiſſimus ſcriptor: verum illius multa licentioſius, ut temporum nequitia et domini, cui ſerviebat, mores ferebant, ſcripta exſtant; hujus contra ſeria fere omnia, et digna perſona, quam ſuſtinebat. Utriuſque in diſpari morum inſtituto fortuna tamen par fuit. Nam et ambo ſimul a Leone X, ut primum ſummum ſacerdorium inivit, ex omni doctorum numero delecti, quorum in conſcribendis epiſtolis opera et ingenio uteretur: dein et in collegium cardinalium eodem anno a Paulo III allecti ſunt, ſub quo et ſatis conceſſere; [α] Bembus ex vulnere in latere ad parietem accepto, dum equo veheretur, anno aetatis LXXVII; [β] Sadoletus ſub autumni tempus, Bembo circiter ſeptennio minor: atque illi quidem Hier. [c] Quirinus Iſmerii filius, qui omni officio vivum coluerat, ſtatua nobili artificio ex marmore facta, inque celeberrima S. Antonii aede [d] Patavii locata, parentavit: hunc Jo. Petrus Carafa [e] Sabinorum epiſcopus, quo die primum poſt ejus obitum ſenatus habitus eſt, coram pontifice, et mox Jac. [f] Gallus civis Romanus in Laurentii aede luculenta oratione laudavere: ſepultus eſt ſine ulla funeris pompa, ita enim teſtamento praeſcripſerat, in aede B. Petro in Eſquiliis ſacra.

XVIII. SUB exitum Maii, atque ut annales Turcici ferunt, die V menſis Zemaſiellulae, Conſtantinopoli mortuus eſt Hariadenus cognomento [g] Ahenobarbus. Is, Horuccio fratre, qui extincta Tremezinorum ſtirpe regnum occupaverat, cum relicta Tremezina arce fugeret, in proelio ab Hiſpanis equitibus occiſo, in [h] Caeſareae regnum ſucceſſit. Cum deinde rei navalis peritia adſcitis praedonum audaciſſimis magnum ſibi nomen paraſſet, a Solimanno claſſi Turcicae praeficitur: cujus ope [i] Tunetanum regnum, dum [k] Mule-aſſes de eo cum fratribus altercaretur, aſtuta ſocietatis ſimulatione, Mule-aſſe ipſo ejecto, invaſit: unde poſtmodum a Carolo V expulſus, non propterea tamen a Solimanni gratia excidit, a quo inter purpuratos adſcitus orae maritimae praeficitur. Poſtea exortis inter Chriſtianos bellis, cum, Anglo inde premente, inde totis viribus Caeſare limitem noſtrum oppugnante, Franciſcus duorum potentiſſimorum principum viribus ſuſtinendis minime par eſſet, Hariadenus Solimanni juſſu infauſtas rebus noſtris ſuppetias tulit, vaſtataque [l] Liguriae et Etruriae ora, [m] Ilva praeterea, [n] Igylio, [o] Ænaria et [p] Lipara inſulis crudeli populatione afflictis, domum rediit, verſa paulo ante in fugam Caeſariana ac Veneta claſſe ad [q] Actium promontorium, et in [r] Rizonico ſinu [s] Caſtronovo, quod a Caeſarianis captum fuerat, vi recepto, IV fere veteranorum Hiſpanorum millibus inibi trucidatis, non ſine Dei numine, uti a multis creditum eſt; cum ii eſſent, qui ſuperioribus annis totam Siciliam ac Calabriam ob non ſoluta ſtipendia tumultuantes diris populationibus et effraeni libidine crudeliter vaſtaverant. Dum ergo [t] Byzantii quamvis jam octogenarius reficiendae claſſi et aedificandis novis apud navalia triremibus operam daret, nec multo abdomine gravis ſenex a venere etiam in illa aetate abſtineret, in lentioris diarrhoeae morbum incidit, ita ut vitalis calor inferiores parteis ſenſim deſereret. Verum cum fruſtra ex Judaei medici conſilio aetatis tenellae pueri locis affectis applicati fuiſſent, quo remedio ſpiritus continuo labore exhauſti et diſſipatae vires aliquandiu refocillatae ſunt, tandem ingraveſcente

VAR. LECT. [α] Bembus quidem P. D. o. f. [β] moxque Sadoletus P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Augſpurg.* [b] *Sadolet, de Modene, evêque de Carpentras.* [c] *Querini.* [d] *Padoue.* [e] *la Sabine.* [f] *Gallo.* [g] *Barbaroſſa.* [h] *Alger.* [i] *de Tunis.* [k] *Mulei-Haſſen.* [l] *l'eſtat de Genes.* [m] *Elba.* [n] *Giglio.* [o] *Iſchia.* [p] *Lipari.* [q] *Capo Figalo.* [r] *Golfe de Cataro,* al. *la Preveſa.* [s] *Caſtelnuovo.* [t] *Conſtantinople.*

Digitized by Google

ingraveſcente graviori febre exſtinctus eſt, et in villa ſua [a] Beſictaſenſi, v ab urbe milliari, ſepultus eſt; [b] Aſane filio, quem jam [c] Caeſareae regem impoſuerat, peculiaris ſuae claſſis ac familiae fortunarumque omnium Solimanni permiſſu herede relicto. [α] Ferdinandus [d] Corteſius [e] Medellini, familia utrinque Senatoria ortus, annum clauſit IV Non. Decemb. [f] Caſtellejae Coſtonae, mortuus anno aetatis [β] LXIII, Novae Hiſpaniae in Indiis occidentalibus fundator, relicto ampliſſimo patrimonio, quo nepotes ejus hodie, qui [g] Vallis marchionum titulos ſumunt, in Indiis fruuntur. Ejus hoc inter multa dignum poſteritate factum dictumque memoratur. In ſenectute, exhauſtus plerumque largitionibus in militem profuſis, pecuniam grandi uſura in pauperes erogandam a menſariis ſumebat; ita peccatis expunctis vitam ſe aeternam foenetari dictitans. Tanti viri res moreſque ſcripſit peculiari volumine Fr. [h] Lupus [i] Gamma, ab iis, qui plura ſcire deſiderant, legendus.

CIↃIↃXI VII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] *Hinc uſque ad libri finem deſunt.* P. D. o. [β] LXII D. f. d.

INTERPR. [a] *Biſſtach.* [b] *Aſſan.* [c] *Alger.* [d] *Cortez.* [e] *Medellin de l'Eſtremadure.* [f] *Caſtilleja de la Coſta, lieu proche de Seville.* [g] *della Valle.* [h] *Lopez de Gomara.*

NOT. [i] *Gomara* Put.

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUARTUS.

EPITOME.

D*ISSOLUTO foederatorum exercitu, Ulricus Wirtembergicus Caeſari fit ſupplex.* II. *Suevia civitates in gratiam receptae.* III. *Saxo ſeptemvir ad Mauritianos Ordines ſcribit.* IV. *Anna regina Ferdinandi uxor tot liberorum parens moritur. Auguſta recipitur, non impetrata Seb. Schertelio venia. Saxonis ſeptemviri et Mauritii bellum. Argentina in gratiam recipitur.* V. *Bremae irrita obſidio; in qua Jodocus Groeningus Zelandiae praefectus occumbit.* VI. *Hermannus a Weida, archiepiſcopus Colonienſis, proſcribitur.* VII. *Rocliciae clades ab Alberto Brandeburgico, qui Caeſari militabat, accepta. Ferdinandus a Bohemis opem Mauritio contra Saxonem petit.* VIII. *Saxo reconciliationis viam cum Caeſare Cliviae ducis ſororii ſui interventu fruſtra tentat.* IX. *Caeſar in Saxoniam deſcendit. Primi ſucceſſus. Foeda apud Zuiccaviam peſte adflictatur.* X. *Roclicia recepta, pugna ad Mulbergam committitur, locum ominoſi nominis.* XI. *Saxo captus. Witemberga mox obſeſſa, et, poena mortis contra Saxonem lata et interventu principum dein remiſſa, deditur. Conditiones captivo propoſitae.* XII. *Ericus Brunſvicus, qui ad Bremam ſedebat, ſoluta obſidione ab Alberto Manſfeldio in fugam cum clade vertitur; ſed clades ab Wriſpergero poſt fugam ſuperveniente ſarcitur, captis victoris impedimentis et pecunia.* XIII. *Heſſus poſt Saxonem captum Halae fit ſupplex Caeſari, et in conditionibus literulae cavillatione, contra quam ſibi perſuaſerat, captivus retinetur.* XIV. *Caeſaris in ſupplices ſeveritas. Lud. Oetingenſis comes ſolum vertit.* XV. *Bohemicum bellum. Praga dedita pari ſeveritate habita.* XVI. *Hamburgum, Lubeca, Brunſvica in gratiam receptae.* XVII. *De proſperis Caeſaris ſucceſſibus judicium. Foederatorum principum imprudentia et errores notati. Caeſaris ipſius error, et ex eo ſecutae clades, quas ominoſus Auguſtae, ubi comitia celebrata, tumultus praeſagiit.* XVIII. *Concilium contagioſi aëris obtentu Tridento Bononiam tranſlatum.* XIX. *Parma et Placentia in nepotum gratiam a Paulo* III *pontifice publico diplomate alienatae, cui Caeſar, ſubſcribere recuſavit. Senae in Hetruria Didacum Hurtadum Mendozam cum praeſidio recipiunt.* XX. *Odium publicum in P. Aloiſium Farneſium ducem et conjuratio, cum inſigni illuſorii magici oraculi exemplo.* XXI. *Caede patrata Placentia a Caeſarianis occupata, et mox Parma a Caeſare tanquam imperialis juris repetita.* XXII. *Cum pontifice de concilio Tridentum revocando acerbae per oratores ſuos altercationes.*

EX AUCTORIBUS,

Hier. Faletio, J. Sleidano, Lud. Avila, Georgio Fabritio, Jo. Baptiſta Hadrianio, Uberto Folieta, Juliano Goſſelino, Luca Gaurico, Carolo Sigonio.

LIBER QUARTUS.

[α] IN Germania diſſoluto foederatorum exercitu, et Palatino ſponte in parteis Caeſaris tranſeunte, Ulmaque ac Francoſurto deditis, Wirtembergicus, in quem omnis belli impetus vertebatur, de ſalute et fortunis periclitari coepit. Caeſar, qui ſciret ſecretam foederationem, quae ipſi cum Gallis intercederet, a quibus in recuperatione imperii [1] adjutus fuerat, et metueret, ne deſertus a ſociis, ſi ad deſperationem adigeretur, ad Gallorum auxilia perfugeret, et ita Germanico [β] bellum Gallicum implicaretur, [γ] [a] Roteburgo Eid. Dec. literas ad [b] Wirtembergicum dederat; quibus exprobrata multis verbis ingratitudine, et repetitis ſimultatum antiquarum cauſis, quarum oblivionem tranquillitati Germaniae condonaſſet, offenſionis gravitatem exaggerabat: et, quo multitudini parceretur, edicebat, ut ſtatim redditis literis ſe ſuaſque fortunas omneis ſine conditione ipſius arbitrio permitteret; ni pareret, extrema quaeque interminabatur. Exemplo quoque earum ad illius ditionis populos miſſo ipſos officii admonebat, et eadem, quae domino, [δ] denunciabat. Haec ita palam agebantur, quod ad Caeſaris majeſtatem tuendam ita fieri expediret; ceterum clam ſpe data aequiorum conditionum, ſi nulla mora interpoſita ſe dederet. Ac ne longiore deliberandi ſpatio conceſſo Ulricus ad externa auxilia animum converteret, [c] Albanus, qui jam cum infeſto exercitu in agrum Wirtembergicum deſcenderat, [d] Bertavum ac [e] Vedingam oppida reſiſtere auſa diripit; et [ε] [f] Forzemum, et [g] Caniſtatum, quod ad Nicrum poſitum eſt, deditione capit: mox et [h] Stueardiam provinciae caput et reliqua oppida atque arceis in poteſtatem redigit, [i] Circena ad Nicrum, [k] Scorendorfio ad Remeſum, et [l] Aſpergo, locis munitiſſimis exceptis. Ipſe Ulricus [ζ] in [m] [2] Hohenwiolam arcem in [n] Hegovia extra regionem ſeceſſit; ubi acceptis Caeſaris mandatis, cum a ſuis, ut ſibi et provinciae conſuleret, admoneretur, ſupplici et demiſſa admodum oratione reſcripſit XIII Kalend. Januar. miſericordiam Caeſaris erga ſe miſerum principem et ſuos implorans. Tandem interventu Palatini III Non. Januar. conventum eſt, ut dux, quoniam valetudine impediretur, legatos mittat, qui poenam deprecentur; quo et ipſe venire intra XL diem teneatur: decreta Caeſaris de republica ſervet: Saxonis et Heſſi amicitiae renunciet; Caeſarique opem ferat, ut proſcriptio in ipſos promulgata executioni mandetur: nulla commercia Caeſaris hoſtibus in ſuis provinciis permittat; ſi qui ex ſuis adverſus Caeſarem, Ferdinandum, Auſtriacamve domum militent, in eos ſevere animadvertat: nobilitatem, ne quis ex ea ad militiam abeat, jurejurando adigat: nullum foedus ineat, in quo non et Caeſar et Ferdinandus et domus Auſtriaca comprehendatur: Caeſari det iter per ſuos fineis, et commeatu ac reliquis ad bellum neceſſariis juvet: tormenta ſociorum apud ſe depoſita cum omni inſtrumento tradat: in ſumptus belli CCC aureorum millia dependat; quorum dimidiam partem praeſenti die numeret, reliquam

VAR. LECT. [α] Nunc tempus eſt, ut ad bellum Germanicum redeamus, quod anno ſuperiori affectum, hoc denique omnino confectum eſt. Diſſoluto foederatorum, &c. *P. D. o.* [β] bello *P. D. o. f.* [γ] Rotemburgo *P. D. o.* [δ] ni parerent, denunciabat *P. D. o. f.* [ε] Forzenum *P. D. o. f. d.* [ζ] in Tuelam arcem extra regionem *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Rotenburg.* [b] *Ulric, duc de Wirtemberg.* [c] *le duc d'Albe.* [d] *Bertaw.* [e] *Weding.* [f] *Pfortzheim.* [g] *Canſtatt ſur le Necker.* [h] *Stutgard.* [i] *Kirchen.* [k] *Schorndorf ſur le Remz.* [l] *Aſchperg.* [m] *Hohentwiel.* [n] *Hegoia.*

NOT. [1] Vid. *lib. 1. p. 36, 37. hujus editionis.* [2] *Hohenwielam* Put.

CIↃIↃXLVII. reliquam intra XXV dies; cautioniſque loco [a] Circenam, [b] Scotendorſium et [c] Aſpergum, quae ſola ex omni ditione ſuperabant, tradat; quibus Caeſar pro ſuo arbitratu
HENRICUS II. praeſidia imponat: intra XL dies Chriſtophorus filius et populus haec pacta rata habeant. Cautum poſtremo, ne Georgius frater hujus tranſactionis beneficio frueretur. VI Eid. ejuſdem menſis Wirtembergici legati [d] [1] Alprunum venerunt, qui Ulrici nomine officio defuncti ſunt. Ipſe dein menſe Martio adhuc aegro corpore et in ſella ſedens ſe coram Caeſare ſtitit, magna, quae ad ſpectaculum confluxerat, hominum turba circumfuſus, et per conſiliarios fidum obſequium in poſterum pollicitus facti veniam impetravit.

II. POST Wirtembergicos Sueviae civitatum legati venerunt, [e] Memingenſes, [f] Bibracii, [g] Raveſpurgii, [h] Campodunenſes et [i] Iſenenſes, factique ſupplices in gratiam recipiuntur. Memingenſes L aureorum CIↃ mulctati ſunt. Ii, antequam admitterentur, de religione ſibi caveri a Caeſare poſtulaverant: nam in ea adhuc diſſimulatione perſtabat Caeſar, eo bello religionis cauſam non agi. Ad hoc per [k] Navium, quo praecipue miniſtro utebatur Caeſar, reſponſum eſt, ſatis conſtare ipſis de voluntate Caeſaris; ſi inſtantius urgerent, id diffidentiae tributum iri; eoque irritari poſſe ejus animum, cujus clementiam implorarent. Id eo factum eſt, ne, ſi petentibus omnino denegaretur, aliud agi palam eſſet, quam quod ipſe ſcripto promiſerat; ſi concederetur, in pontificis offenſionem incurreret, qui pro religione ſuſceptum bellum paſſim per miniſtros praedicabat. Inde Ulmam rediens Caeſar per [l] Morbacum et [m] Eſlingam iter habuit; et in treis agri Wirtembergici arceis Hiſpanorum praeſidia impoſuit. Eſlingenſes et [n] Lindavienſes tunc in fidem accepti ſunt. Ulmenſes venienti obviam proceſſere ex praecipuis civibus C; de Wirtembergica victoria gratulati. Caeſar magna pompa et laetitia VIII Kal. Feb. urbem ingreditur, et muneribus honorificis, uti fieri aſſuevit, acceptis; ultro etiam de pecunia, quam ipſis impoſuerat, perſolvenda, interpellatus eſt. Ea humanitate delinito victoris animo effectum eſt, ut conſilium de indicendis Spiram comitiis mutaret, et ad res ordinandas Ulmae ſibi commorandum ſtatueret.

III. JAM [o] Saxo XI Kal. Jan. cum exercitu ad fineis ſuos pervenerat: et datis ad Ordines Mauritianos literis, acriter ad eas, quas ad ipſum III Eid. Oct. nuper ſcripſerant, huc uſque dilato reſponſo, reſcripſit; et fuſe repetita ſuperioris temporis memoria, eorum et Mauritii, qui tot ſibi beneficiis obſtricti ſint, illatas ultro injurias exagitat, et ſe, ut parem referat gratiam, veniſſe profitetur: dolere quidem ſe communis patriae vicem; ſed culpam in eos rejiciendam, quorum ambitione et immoderata cupiditate factum ſit, ut tantum a bello et direptionibus periculum immineat. Primus belli impetus a Saxone in [p] Lipſiae obſidione factus eſt XV Kal. Feb. quam Mauritius ante incenſis ſuburbiis egregie muniverat. Ea de re jam ante Caeſar a Mauritio monitus, Albertum Brandeburgicum cum CIↃ IↃCCC peditibus et II CIↃ equitibus miſerat, addito ei Chriſtophoro [a] [q] Leuchtenbergae Lantgravio; et [r] Meleniano ac [s] Sandaeo cum Italorum et Hiſpanorum manu ſubſequi juſſis: ipſe quantumvis a Ferdinando fratre ſolicitatus a Danubio longius recedere noluit, quod de [t] Fliſcana conjuratione, licet jam oppreſſa, et ſeditionis [u] Neapolitanae nondum compoſitae eventu adhuc ſubvereretur; tum etiam quod a Gallo et [x] Helvetiis, quos ſciret ab [y] Argentinenſibus et Conſtantienſibus per legatos ſolicitari, ſibi metueret. Miſerat Bohemos auxiliareis Ferdinandus; verum illi ſtatim injuſſi non ſine

VAR. LECT. [a] Liechtenbergae *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Kirchen.* [b] *Schorndorf.* [c] *Aſchperg.* [d] *Heilbrun.* [e] *Memmingen.* [f] *Biberach.* [g] *Ravenſpurg.* [h] *Kempten.* [i] *Yſny.* [k] *de Naves.* [l] *Morbach.* [m] *Eſlingen.* [n] *Lindau.* [o] *Jean Frederic, electeur de Saxe.* [p] *Leipſig.* [q] *Leuchtenberg.* [r] *le marquis de Marignan.* [s] *de Sande.* [t] *de Fieſchi.* [u] *de Naples.* [x] *les Suiſſes.* [y] *ceux de Straſbourg & de Conſtance.*

NOT. [1] *Hailpronnam* Put.

ſine regis offenſione domum reverterunt: diſceſſioni cauſam dedere [a] Pragenſes, CIↃIↃXLVII.
qui foedus, quod ipſis cum Saxone intercedebat, cauſati, tum etiam ob religionis HENRICUS II.
cauſam, et multa ac magna Saxonis in Germaniam merita, et nuper egregie navatam in bello Turcico operam, ab hoc bello abhorrebant, et ſocios dehortabantur. Ferdinandus contra, non religionis cauſa ſumpta arma, dicere, ſed ad rebellionem comprimendam: quod de collatis contra Turcam auxiliis in medium afferatur, longe aliter habere; quippe Saxonem per internuncios ante aliquot menſeis Turcam, ut bellum Bohemiae et Pannoniae inferret, ſolicitaſſe; et, ut induciae [α] coeptae reſcinderentur, petiiſſe, data fide, ſe, ubi Turcicae copiae conveniſſent, eodem tempore ad diſtrahendas vireis diverſa parte facturum impetum.

IV. His ferme diebus Anna Ferdinandi uxor, Ludovici [β][b] Pannonii ſoror, tot liberorum parens, Viennae Kal. Febr. fatis conceſſit; cui funus Ulmae a Caeſare magna pompa factum eſt. Dum [c] Lipſia obſideretur, Mauritius initio ad pacem inclinare videbatur; ex eaque occaſione Joac. Brandeburgicus ſeptemvir, ut erat pacis et coocordiae ſtudioſus, interceſſionem ſibi permitti petierat, et Saxonem Heſſumque, ut ſe ac ſuos reſpicerent, praeſentique periculo dilabentibus in dies civitatibus et ſociis eximerent, fruſtra monuerat: atque in primis recens [d] Auguſtanorum, in quorum ope tantam fiduciam collocabant, exemplum propoocbat; ii ſiquidem tentata per Antonium Fuggerum civem ſuum pacis via, aliquot dies ante certis conditionibus Caeſari reconciliati fuerant: eae erant, ut CL aureorum CIↃ dependerent, XII machinas inſtructas traderent, et X vexilla praeſidiariorum acciperent. Cum ſummopere contenderent, ut Schertelius, qui ipſorum ſtipendiis multos annos meruerat, una in gratiam reciperetur, et bonis reſtitueretur, nihil a Caeſare et Ferdinando ob [e] Erebergam arcem captam ſuccenſentibus impetrari potuit; iſque cum omni familia ſolum vertere coactus [f] Conſtantiam ſe contulit. Fruſtra tentata per Brandeburgicum reconciliatione, Saxo continua tormentorum quaſſatione verberata et magna ex parte deformata Lipſia tandem obſidionem ſolvit, et per Thuringiam ac Miſniam omnia amiſſa oppida non ſolum recuperat, ſed et ſuis omnibus, Lipſia et [g] Dreſena exceptis, Mauritium ſpoliat, Magdeburgicique et Halberſtatenſis epiſcopatus ditionem in ſuas parteis pertrahit, facta cum Joan. Alberto epiſcopo tranſactione; confeſtimque ad [h] Argentinenſeis Eid. Febr. literas dat, quibus eos de rebus a ſe geſtis certiores facit, et, ut bono animo ſint, hortatur, neve exemplo Wirtembergici et ceterarum civitatum, quae metu potius quam voluntate ſe dediderint, commoveantur: praeſto eſſe Gallorum et Helvetiorum auxilia; ſe, cum primum bello domeſtico explicuerit, ipſis adfuturum: jam Magdeburgi a ſe nuper in ſocietatem acceptae conveniſſe Saxonicarum civitatum legatos; cum iis ſe de illis rebus, propter quas Francofurti conventus indictus fuerat, agere, et futurum ſperare, ut foedus denuo confirmetur, nec ſe divelli ab eo patiantur. Eodem venerat ante Franciſci mortem Joan. Mendoza, is de quo ſupra diximus, et prolixe omnia a rege pollicebatur: ſed uterque ſerius; quippe cum jam Argentinenſes ad Caeſarem legatos miſiſſent, et in iis Jac. Sturmium, ut de conditionibus, quibus cum Caeſare tranſigi poſſet, cognoſcerent. Ii vero cum Antonio Perrenoto [i] Atrebatum epiſcopo Ulmae egerunt; nam [k] Granvellanus pater [l] Veſontionem, quae illi patria erat, profectus fuerat, et [m] Navius paulo ante vivis exceſſerat. Perſcriptas conditiones cum ſenatus non recuſaret, denuo legati mittuntur, qui Caeſarem [n] Norlingae podagra laborantem nacti XII Kal. April. ei reconciliantur, nullo praeſidio

VAR. LECT. [α] pactae *P. D.* o. f. d. [β] Pannonii, de quo libro 1 locuti ſumus, ſoror *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *ceux de Prague en Boheme.* [b] *roy de Hongrie.* [c] *Leipſig.* [d] *ceux d'Augſpurg.* [e] *Ebrenberg.* [f] *Conſtance.* [g] *Dreſden.* [h] *ceux de Strasbourg* [i] *Arras.* [k] *Nicolas Perrenot de Granvelle.* [l] *Beſançon.* [m] *de Naves.* [n] *Nordlingen.*

praeſidio in civitatem accepto, ſed XXX CIↃ aureorum tantum exſolutis, et traditis XII tormentis.

V. JAM antea Jodoco [a] Groeningo [α] Zelandiae praefecto negotium datum erat, ut conſcriptis copiis bellum finitimis Saxoniae locis inferret, et Saxonis impetus a Mauritio averteret. Is cum XXI peditum ſignis et CIↃ CC equitibus Saxoniam ingreſſus, per Conradum [b] Decelburgium et Lippenſem comites [c] Oſoaburgum et [d] Mindam civitates in verba Caeſaris adigit, et [e] Ritbergi arcem occupatam praeſidio firmat, atque inde [f] Bremam petit: ſed non diu felici ſucceſſu gloriari potuit: nam ſub exitum Febr. eruptione a Bremenſibus facta ipſe inter alios occiſus eſt. Hujus morte ſumma rerum ad [g] Wrisbergerum devenerat: Is cum videret opibus Hamburgenſium res obſeſſorum auctas eſſe, caſtra murat, et longa facta circuitione propter interjectas paludes civitatem alia parte oppugnare coepit. Mox eo venit Ericus Brunſvicus, quem Caeſar [h] Norlinga Eid. Mart. miſerat, ut in iis locis peditum et equitum delectus haberet.

VI. EODEM tempore magni motus initium exigua opera compoſitum eſt, proſcripto a [β] pontifice [i] Hermanno Colonienſi, in cujus locum Adolfus ex [k] Schavenburgorum comitum familia, ab ipſo Hermanno jam ante ob benevolentiam delectus coadjutor, pontificio diplomate ſuffectus fuerat. Cum urgeret pontifex, ut Caeſar ſententiam exſequeretur, ille jam paene victor legatos Coloniam mittit Philippum [l] Lalanium Geldriae praefectum, et Ulricum [m] Viglium Zuichemum juris-conſultum, qui, ad certum diem ordinibus provinciae venire juſſis, nomine Caeſaris imperant, ut veteri relicto praeſule ad novum tranſeant, eique fidem et obſequium uti domino ſuo praeſtent. Id facile ab eccleſiaſticis impetratum: ceteri ſe excuſabant, quod minime ſibi integrum eſſe dicerent, ab eo, cui tam longo tempore paruiſſent, quo ſint uſi tot annos non poenitendo principe, cui fide ſint per jusjurandum aſtricti, deficere. [γ] [n] Clivenſis, qui metueret, ne ob viciniam hae turbae in ſe reciderent, conſiliarios eo interceſſores mittit: per eos ab eccleſiaſticis vix tandem extortum, ut quieſcerent, dum res cum Colonienſi componerentur. Theodoricus [o] Mandereſchitus et Nuenarius comites nobilitatis Weſtfalicae, quae Colonienſi ſubeſt, principes a mitis ingenii ſene facile impetrant, ut in populi gratiam, cui tam ſaeva calamitas immineret, jure ſuo cederet, et jusjurandum ſubditis remitteret. Neque heic tamen odium in Hermannum conceptum ſtetit: nam et Fridericus frater [p] Monaſterii epiſcopus et [q] Bonnenſis eccleſiae [δ] praepoſitus mox ea dignitate privatus eſt, et in ejus locum Jo. Gropperus ſuffectus. Stolbergius item comes Colonienſis eccleſiae decanus, quod Hermanni parteis conſtanter tueretur, dignitate exutus et urbe pulſus eſt. Id actum VIII Kal. Feb.

VII. INTEREA Albertus Brandeburgicus, quem cum exercitu in Saxoniam miſſum a Caeſare diximus, cum a Mauritio [r] Rocliciam oppidum accepiſſet, quod uſusfructus nomine Eliſabetha [s] Heſſi ſoror vidua et Georgii Saxonis nurus poſſidebat, [t] Chemnitio profectus eo cum copiis venit. Conſilium illius erat, occupato eo oppido commeatum, qui Witemberga in [u] Saxonis caſtra veniebat, intercludere, ſicque irritos ejus de [ε] obſidenda Friberga et Zuiccavia conatus reddere. Id clam [x] Pyrrho Columna actum; quem tamen ut omnium conſiliorum participem Mauritio

VAR. LECT. [α] Mattiacorum *P. D.* o. f. d. [β] pontifice, uti diximus *P. D.* o. f. [γ] Clivenſis ergo *P. D.* o. f. [δ] uti vocant, praepoſitus *P. D.* o. f. [ε] obſidendo Fribergo *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *de Groeninghen, gouverneur de Zelande.* [b] *les comtes de Tekelenburg, & de la Lippe.* [c] *Oſnabruck.* [d] *Minden.* [e] *Ritteberg.* [f] *Bremen.* [g] *Wrisberger.* [h] *Nordlingen.* [i] *Herman de Weiden, ou Wida, archevêque de Cologne.* [k] *de Schauemburg.* [l] *de Lalain, comte de Hooghſtrate, gouverneur de Gueldres.* [m] *Viglius, ſieur de Zuichem.* [n] *le duc de Cleves.* [o] *les comtes de Manderſcheit & de Newenar.* [p] *Munſter.* [q] *de Bonn.* [r] *Rochlitz.* [s] *le landgrave de Heſſe.* [t] *Chemnitz.* [u] *l'electeur de Saxe.* [x] *Pirro Colonna.*

Mauritio et Brandeburgico Caeſar attribuerat. Nullo negotio confecta res eſt: nam oppidani appropinquante exercitu ad primam denunciationem ſtatim ſe dediderunt. Saxo tunc [a] Aldeburgi erat, III a Roclicia milliaribus, qui re cognita Kalendis Martii Erneſtum Luneburgicum et Wolradum Mansfeldium cum aliquot equitum turmis, ac deinde Recrodum cum legione ſua de nocte praemittit, ipſe cum reliquo exercitu ſubſequitur: is erat omnino III CIƆ peditum et II CIƆ equitum. Poſtridie, antequam luceret, praemiſſi equites excubias invadunt; parte caeſa, reliqui in oppidum confugiunt. Erant in ſuburbio peditum vexilla IV; cum his aliquot equites urbe egreſſi temere in apertum campum deſcendunt; ſed ſupervenicnte Saxone, et ex colle vicino in ſuburbium tormenta diſplodente Brandeburgici repulſi. Diverſa parte inde pedites per pontem, inde equites per [b] Muldam flumen fuga dilabuntur: quos Saxonici inſequentes incenſo ſuburbio fugientibus immiſti oppidum una ingrediuntur; ubi poſt aliquot certamina Albertus [α] Brandeburgicus et Chriſtophorus [β] Leuchtenbergenſis, cum fruſtra exitum circumſpicerent, ipſi capti ſunt, et oppidum direptum. Ludovicus [c] Avila Hiſpanus, qui hoc bellum, cui interſuit, deſcripſit, memorat Albertum ad Rocliciam, dum muliebribus illecebris per choreas et convivia ab Elizabetha Heſſorum principis ſorore vidua deluſus, ac plane ſui oblitus, intermiſſa militari diſciplina ſecurius ageret, a Saxone oppreſſum fuiſſe: quod poſtea publicatum ſummae injuriae loco accepit Albertus, deque ea apud Caeſarem expoſtulavit, uti ſuo loco deinceps narrabitur. A prima luce ad meridiem uſque pugnatum eſt; capta X ſigna, et [γ] XIII tormenta cum amplo commeatu magnaque et opima praeda, ut quae, ſicuti Caeſariani ſcribunt, alendo exercitui integrum menſem ſuffecerit. Caeſorum numerus circiter CIƆ in urbe, foris autem et in ipſo flumine CCC circiter interfecti: reliqui armis exuti, poſtquam ſe contra Saxonem et ſocios intra VI menſeis non militaturos polliciti ſunt, dimittuntur. IV illa ſigna, quae trans pontem aufugerant, quae ex Italis et Hiſpanis fere conſtabant, a Saxonico equitatu magna ex parte conciſa ſunt. Pauci ex Saxonicis deſiderati; in queis [d] Wolfius Theodoricus Feretenſis, magni animi vir, qui tormento ictus paulo poſt deceſſit. Ipſe Albertus ab Erneſto captus ad Saxonem deducitur; qui cum Aldeburgum ſecum abduxit, ac poſtea Gotham munitiſſimam in Thuringia arcem ſub cuſtodia amandavit. Mauritius, qui jam in itinere erat, ut ſe Alberto conjungeret, cum de accepta clade allatum eſſet, primo non credidit; neque enim bene munitum oppidum et ſitu ac milite firmatum tam cito capi potuiſſe in animum inducere poterat: itaque ulterius progreditur; tandemque de re certior factus conſultare coepit, an Rocliciam pergeret: fieri enim poſſe, ut imparatos et, ut fit in recenti victoria, ſolutos ac confuſos hoſteis facile opprimeret: ſed cum alii contra, cum milite itineris quod ſupererat longitudine feſſo, non niſi periculoſe certaminis aleam tentari poſſe contenderent, [δ] retro cum exercitu et iis, quae ex illa ſtrage ad ipſum confluxerant, copiis [e] Chemnicium, unde profectus fuerat, ac ſequente die [ε] Fribergam ſe recepit. Hujus victoriae fama ſparſa, et literis, quas ſtatim Saxo ad Bohemos dedit, aucta, magna per Bohemiam animorum mutatio conſecuta eſt. Ferdinandus jam ante VIII Eid. Febr. [f] Laetmericiam oppidum in regni finibus cum Ferdinando filio venerat, quo loco unum et alterum diem regni proceres praeſtolatus prolixam orationem habuit, qua eos ad opem Mauritio quamprimum ferendam hortabatur; in eamque rem foedus cum Mauritio initum, et

VAR. LECT. [α] Brandeburgicus *deeſt* *P.D.o.* f.d. [β] Liechtenbergenſis *P.D.o* f.d. [γ] XIIII *MSS Reg. et Samm.* [δ] cum inde *P.D.o.f.* [ε] Fribergum *P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *Altenburg.* [b] *Muldau r.* [c] *d'Avila.* [d] *Wolf Thierry de Ferrete,* Germ. *Pfirt.* [e] *Chemnitz.* [f] *Leitmeritz.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

et auctoritatem Caeſaris, cujus regnum Bohemiae beneficiarium eſſet, obtendebat. Ad ea [α]reſponſum, rem hujuſmodi eſſe, ut de ea niſi de omnium Ordinum conſenſu ſtatui non poſſit: petere igitur illos, ut primo quoque tempore conventus indicat, in quibus lege regni et more gentis legitime agi liceat. Obiter ibi antiquum cum domo Saxonica foedus in medium allatum eſt, quo impediri ſe dicebant, quo minus contra Saxonem militarent: neque enim de regni finibus aut juribus eo bello agi, aut regem ipſum peti, cui adeſſe et militare eo caſu teneantur. Haec major pars: alii tamen offenſionem veriti, ut ſere oppidorum praefecti, obſequium et fidem ultro obtulerunt ac, niſi militent ipſi, ſtipendia pollicentur. Petierat Ferdinandus, quoniam differri res ultra non poſſet, ut de conventibus niſi confecta militia non ageretur. Sed cum nobilitas regni ac Pragenſes poſtea per literas urgerent, ut ad XIII Kal. Apr. conventus [a]Pragae indiceret; quibus ſi intereſſe non poſſet, ipſi decernerent; contra ille iis, quae Laetmericiae acta eſſent, inſiſteret et, ne quid ipſi interim tentarent, poſceret; inter eos conveniri non potuit. Ille tamen, ut Bohemis aliqua ex parte ſatisfaceret, conventus ad XIV Kal. Maii Pragae indicit. Sed cum ii ludificari ſe dicerent, foedus libertatis tuendae cauſa ſolemni more faciunt [1]XIV April. et militaribus legibus conditis Gaſparem [b]Flugium ducem conſtituunt, cui XXX CIↃ peditum et XII CIↃ equitum ex regni delectibus attribuunt. Ferdinandus interea [c]Dreſenam ad [β]Mauritium profectus ad Bohemos ſcripſerat, Saxonem in animo habere ipſos invadere: itaque rebus ſuis conſulerent, et [d]Wintemullo, cui per ſuam abſentiam rei ſummam commiſerat, morem gererent. Dum haec aguntur, Brandeburgicus ſeptemvir, ut erat pacificandae Germaniae ſtudioſus, nihil non hactenus egerat, ut [e]Heſſus Caeſari et Ferdinando reconcilliaretur: ſed cum iniquiores conditiones proponerentur, quam ut in eas vir generoſus et ſummae inter ſuos exiſtimationis conſentire poſſet, quamvis potius fortunam ſibi ſubeundam duxit, quam quidquam indignum ſe et nomine Germanico admittere: itaque datis ad amicos literis, ad inimicorum calumnias, quibus cum bellum in Germania alere et pacem detrectare criminabantur, prolixe reſponder. Caeſar impoſito [f]Auguſtae III CIↃ praeſidio duce Georgio [g]Schaumburgio, et pari numero Ulmae duce Jo. [h]Naſſovio Willelmi comitis filio, quem in locum Georgii Regenſpurgii nuper demortui legioni praefecerat, ac denique [i]Neoburgo III CIↃ peditum firmato, eodem, quo cum [k]Argentinenſibus convenerat, die [l]Norlinga [m]Norimbergam proficiſci conſtituit, praemiſſis [n]Meleniano marchione cum III CIↃ Teutonicorum peditum, Alvaro [o]Sandaeo cum iis Hiſpanorum copiis, quae ex Pannonia ſub belli initium evocatae fuerant. Cum vero de rebus Bohemiae ex fratris literis cognoviſſet, ad Melenianum et Sandaeum mittit, qui eos ſubſiſtere juberent: negotiumque dat Nicolao [p]Madrucio, qui in locum Aliprandi nuper Ulmae defuncti ſucceſſerat, et Anſualdo Suevo, ut militem ſupplerent. Quo facto, ad Mauritianos Ordines dat literas, quibus eos de conſilio ſuo certiores facit, et ut nihil rerum ad alendum exercitum neceſſariarum deſit, qua tranſiturus ſit, petit: in eandem ſententiam Pragae conſiliariis atque praefectis ſcribit. Jam rex et cum eo Mauritius atque Auguſtus fratres [q]Pricciam in finibus Bohemiae cum exercitu venerant; quod admodum graviter tulere Bohemi, deque injuria apud regem conqueſti ſunt: Mauritio autem et Auguſto datis literis denunciant, ut e finibus ſuis quamprimum abſque noxa diſcedant; ni faciant, ſe conſilium ex tempore capturos. Iis rex licet acriter pungeretur, re tamen pro tempore diſſimulata, VII Kal. April. reſpondit,

VAR. LECT. [α] reſponſum eſt P. D. q. f. [β] Mauritium contenderat, unde ad P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Prague.* [b] *Flug.* [c] *Dreſden.* [d] *Windtmulhen.* [e] *le Landgrave de Heſſe.* [f] *Augſpurg.* [g] *Schaumburg.* [h] *de Naſſau.* [i] *Neuburg.* [k] *ceux de Strasbourg.* [l] *Nordlingen.* [m] *Nuremberg.* [n] *le marquis de Marignan.* [o] *de Sande.* [p] *de Madruce.* [q] *Brux.*

NOT. [1] XIV *Kal. April.* Put.

reſpondit, non eſſe quod de exteris in ipſorum fineis introductis querantur; non id CIↃIↃXLVII.
malo aut periculoſo exemplo factum, nec alio conſilio, quam ut Caeſari venienti HENRICUS II.
commodius conjungerentur. Pragenſeis item per literas monet, quaſi ignoraret quorſum delectus in regno habiti pertinerent, ne ſumptibus minime neceſſariis ſe et populareis vexent: Saxonem enim retro ceſſiſſe. Interea Saxo renovandi foederis cauſa Nicolaum [a] Minquitium legatum in Bohemiam miſerat: ſed cum ille morbo in itinere praepeditus per literas a regni Ordinibus petiiſſet, ut ad ſe quoſdam ex ſuo numero delegarent, quibuſcum tranſigeret, illi biduo poſt Saxoni ſcribunt, et de foedere renovando fidem dant, orantque, uti contra Mauritium et Auguſtum, qui regis impulſu in ſuos fineis hoſtiliter ingreſſi ſint, auxilium ferat; ſe enim ab illis bello peti, quod a Saxonico foedere et amicitia diſcedere noluerint. Inde III Kal. April. literas ad Moraviae proceres dant, quibus eos hortantur, ut vireis conſocient, et pro communi patriae ſalute contra impium et Sodomiticum hominum genus, (ita Italos, Hiſpanos et Huſſaros vocabant) quos Caeſar et Ferdinandus in Germaniae perniciem conduxerint, arma ſumant. Non diutius injuriam rex diſſimulare potuit; ſed literis ad Pragenſeis datis jam nudata voluntate graviter et minaciter imperat, ut ab armis diſcedant: ab iis regni Ordines ea de re certiores facti pridie Non. April. per literas excuſant ſe; quod arma ſumpſerint, factum aiunt, ut, dum ipſe abeſſet, a ſe et regni finibus vim injuſtam depellerent; rogantque, ut apud Caeſarem intercedat, ne Saxoni bellum inferat, ſed amicae diſceptationi, quod Saxo petat, rem permittat: de conventibus etiam regem interpellant. Parte alia Thuringi rerum ſucceſſu inflati, ut principi ſuo gratificarentur, in Alberti captivi ditionem manu armata invadunt, [b][α] Plaſſenburgum munitiſſimum ad Moeni ripam caſtellum procul dubio capturi, niſi Melenianus praevertiſſet, et impoſito praeſidio oppidanos confirmaſſet: illi hac ſpe falſi ad laevam [c] Naveſtatum et [d] Rauhenculmum verſus deflexere, loca item Albertinae ditionis. Caeſar, quod podagra familiari morbo detineretur, [e] Albanum cum exercitu praemittit, qui Norimbergam, quamvis Smalcaldici foederis ſociam, neutri adhaerentem parti, et de Caeſaris ſucceſſibus [β] cautius quam honeſtius ominatam, venit. Ibi, ſive odio Italorum et Hiſpanorum, ſive ob militarem laſciviam, in diſtribuendis hoſpitiis exorta rixa, poſt aliquot occiſos milites, vix tandem a ſenatoribus urbis ſic compoſita eſt, ut major militum pars per publica diverſoria hoſpitare coacta ſit. Ita introducto milite utcunque ſecuritati Caeſaris brevi adventuri proſpectum eſt. Tunc per abſentiam Caeſaris confuſae initio et perturbatae res erant, quod a regis et Mauritii exploratoribus ambiguae fidei hominibus incerta aut falſa omnia renunciarentur: itaque Caeſar [f] Sigiſmundum Lodronium ad eos mittit, qui de rebus hoſtium accurate et ſedulo cognoſceret: ipſe [g] Norlinga profectus per [h] Oetingam ad [γ][i] Suabachum, Madruciana tantum cohorte et [k] Boruſſis equitibus ſtipatus, quartis caſtris Norimbergam pervenit; ubi magnifica admodum pompa ingredientem cives excepere, feliceis ſucceſſus gratulati, ac fidelem operam et omnia ſua polliciti, ampliſſimis inſuper muneribus pro more oblatis: ea erant plures carri vino et avena onuſti, ac piſcium et ejuſmodi eſculentorum ingens numerus: Albanum etiam argentea ſupellectile donarunt, cujus manupretium, ut ſunt ingenioſi illius urbis artifices, materiam longe ſuperabat. Sub id tempus Brandeburgicus ſeptemvir, ſive agnati captivitate offenſus, ſive, uti Caeſariani dicunt, quod Saxonis et Heſſi conterminorum principum magnitudinem ſuſpectam haberet, aut, quod veriſimilius eſt, de belli exitu vereretur, qui huc uſque medium ſe geſſerat, in parteis Caeſaris aperte tranſiit; et

Joanne

VAR. LECT. [α] Placemburgum *P. D. o.* [β] rectius *P. D. o. ſ.* [γ] Gunbachum *P. D. o. ſ. d.*

INTERPR. [a] *Minquitz.* [b] *Pleſſenburg, ſur le Mein.* [c] *Neuſtadt.* [d] *Raubenculm.* [e] *le duc d'Albe.* [f] *le comte Sigiſmondo Lodrone.* [g] *Nordlingen.* [h] *Oetingen.* [i] *Schwabach.* [k] *de Pruſſe.*

CIↃIↃXLVII. Joanne Georgio natu grandiore filio cum cccc ad Ferdinandum miſſo, ipſe domum
HENRICUS II. retro abiit. Nec multo poſt Bambergenſes Bohemis et Saxonibus vicini, cum rebus ſuis timerent, legatos ad Caeſarem mittunt, orantes, ut, quando opibus ſuis contra potenteis hoſteis ſe tueri non poſſent, videret, ne quid ipſi ex fide et obſequio damni acciperent. Ille, acceptis ab iis cc omni genere commeatus onuſtis carris, Fr. comitem Landriannm eo mittit, qui de conſiliis hoſtium diligenter cognoſceret, et civitatis ſecuritati conſuleret. Interea Ferdinandus IX Kal. Apr. [a]Dreſena proficiſcitur et, comitante eum Mauritio cum CIↃCC equitibus et Jo. Willelmo Brandeburgico cum ſuis, [b]Laetmericiam verſus per [c]Fribergam iter habuit; inde [d]Egram petrecturus, quo eum Caeſar uno die antevertit. Is Norimberga diſcedens, quod ſciret Egrae ſolum majore ex parte ſterile et infoecundum, exercitum Albano duce ad dextram per [e]Campetum, [f]Naveſtatum et [g]Rauhenculmum loca commeatu abundantia progredi juſſerat: ipſe cum Neapolitana Hiſpanorum legione Egram venit, quod eſt oppidum in Nariſcis, amoeno ſitu, ad Bohemiae fineis, non quidem Bohemicae ditionis, verum ab epiſcopo [h]Herbipolitano [α]aut, ut alii, a Ludovico [i]Baioaro Caeſare, an. ſalut. CIↃ CCCXV, olim Bohemiae regibus oppigneratum, atque ideo religionis antiquae retinens, nec factioni Bohemicae implicitum: a fluvio Egra illi nomen, qui in [k]Monte piniſero oritur, et orientem verſus abit: ex quo monte [l]Sala, [m]Naba ac [n]Moenus ſcaturiunt, qui in treis reliquos mundi cardines fluunt. Ibi Caeſar, cum fratre et Mauritio communicatis conſiliis, VI Eid. April. literas ad Bohemiae Ordines dat; quibus [o]Saxonem ſolum eo bello peti demonſtrabat, nec religionis cauſa ſumpta arma, ſed ut in rebelleis vindicaret: itaque petebat, ut expedito commeatu annonam ſubminiſtrarent, poſitiſque armis ad quietem ſe domum quamprimum conferrent. Quatriduo poſt rex in eandem ſententiam ad eos ſcribit et, ut ab armis diſcedant, monet; alioqui ſe et Caeſarem infeſtum habituros Bohemos, nec impunitam eorum temeritatem fore: quod vero in Saxonis gratiam ſcripſerint, mirum ſibi videri dicit; neque enim illum de Caeſare, et de ſe, aut denique de regno ſic eſſe meritum, ut ipſi nihil offenſionem veriti pro eo intercedere debuerint: jam quod de conventu flagitent, ſe primo quoque tempore ſatisfacturum pollicetur. His acceptis literis, delecti, qui Pragae erant, per omneis regni parteis mittunt, qui rem in ſummum diſcrimen adductam ſignificent, graviſſimiſque verbis moneant, ut omnes pro patriae libertate quamprimum in armis ſint: dein Eid. April. ad regem ſcribunt, petuntque, ne militiam hanc ſuam moleſte ferat ipſe vel Caeſar, neve ipſi Saxonem oppugnent, cujus periculum propter foedus, quod Bohemis cum domo Saxonica intercedit, negligere non poſſint. Dum haec aguntur, rex Johannem [β][p]Dubravium epiſcopum Olmucenſem et alios quoſdam conſiliarios ad conventum [q]Pragam mittit ad XIV Kal. [γ]Maii indictum; per quos abſentiam ſuam excuſat, et ut a foedere cum Saxone inito et armis omnino diſcedant, poſtulat: id ſi denegetur, quando liberi non ſint conventus, intercedere ſe profitentur legati; ſin pareatur, permittunt, ut ex praeſcripto agant, ea lege, ut nihil decernatur, ſed ad regem de omnibus referatur.

VIII. INTEREA Sibylla Saxonis conjux et Willelmi [r]Cliviae ducis ſoror fratrem per literas obſecrat, ut in Caeſaris caſtra veniat, et pro marito apud eum intercedat. Nec ille detrectavit: multiſque precibus et rationibus a Caeſare contendit, ut praeteritorum gratiam Saxoni faceret, nec ultra eum armis perſequeretur. Sed

cum

VAR. LECT. [α] aut, ut alii, a Ludovico Baiaro Caeſare, an ſal CIↃCCCXV *deſunt* P. D. o. f. d. [β] Dubravium *deeſt* P. D. o. ſ. d. [γ] Maii, uti diximus P. D. o.

INTERPR. [a] *Dreſden.* [b] *Leitmeritz.* [c] *Freyberg.* [d] *Egra.* [e] *Campet.* [f] *Neuſtadt.* [g] *Raubenculm* [h] *de Wirtzburg* [i] *de Baviere.* [k] *Fichtelberg.* [l] *Sale r.* [m] *Nab r.* [n] *le Mein* [o] *l'electeur de Saxe.* [p] *Dubraw, evêque de Olmutz en Moravie.* [q] *Prague.* [r] *Cleves.*

cum a Caeſare reſponſum acerbius ſpe ſua tuliſſet, non prius de venia Saxoni impetranda deliberatum iri, quam Ipſe ſupplex ſe et ſua omnia Caeſaris arbitrio permiſiſſet, de voluntate Caeſaris ſorore certiore facta, domum ſe contulit. Id rurſus cum ex uxore reſciviſſet Saxo, nec ullam reconciliationis ſpem ſupereſſe [α] cerneret, veritus, ne Brandeburgici ſeptemviri ſive defectione ſive exemplo in ſuae ditionis terris trans [a] Albim novi motus excitarentur, ſibi tranſeundum flumen quamprimum exiſtimavit, conſcripta prius ex ruſticis et popularibus ſubſidiaria multitudine, quam per oppida et arceis, quas cis Albim complureis tenebat, ad arcendos Caeſarianorum jam adventantium impetus diſtribueret. Itaque ex omni illo numero, qui ad XXVIII CIƆ peditum excreſcebat, primum [b][1] Altorfii ad [β] Eleſterum [γ] III ſigna cum C equitibus impoſuit; [c] Olſinicii item ad Eleſterum [δ] X ſigna; [d] Schenebergae VIII, [e] Aldemburgi ad Pleſſium IV, [f] Roclicia II, [g] Leidſnecii ad Muldam III, [h] Torgae ad Albim IV, [i] Senoballae et [ε][k] Heldruni locis munitiſſimis in Manſeldenſi comitatu IV, [l] Halae ad Salam VI, et inter [m] Gotham, [n] Naumburgum et [ϛ][o] Salfeldiam in Thuringia VI ſigna cum IƆ equitibus diſtribuit. Reliquam multitudinem, quae XVIII circiter hominum CIƆ efficiebat, Willelmo [p] Tumſernio et Alberto comiti Manſfeldio praecipuis ex foederatis ducibus attribuit: quorum hic cum V CIƆ peditum et IƆC equitibus in [q] Joachimi-valle, alter in Saxonia inferiori ad Albim cum ſuis copiis conſederat, eo conſilio ut, Caeſare in Saxoniam deſcendente, inde Vandalicarum civitatum opibus, inde Bohemorum auxiliis adjuti, commeatum omni ex parte intercluderent, et hoſtilem exercitum undique circumfuſi fatigarent. Ita ordinatis rebus, Saxo ad Albim pergit, [ζ] capta in itinere Friberga argenti fodinis nobiliſſimo Miſniae oppido, quod a Mauritianis tenebatur, et mox [r] Miſena in Hermunduris ad Albim occupata: inde fruſtra tentata [s] Dreſena, oppidanis fortiter ſe defendentibus, rurſus Miſenam ſe recepit.

IX. INTEREA Caeſar, qui cerneret Saxonis exercitum, quippe domi ſedentis, copiis in dies augeri, et ſuos in hoſtico minui, anni tempore valde adverſo, quia ſete conſumpta paſſim viatica erant; ad haec timeret, ne, ſi diutius cunctaretur, a Neapolitanis et Florentinis exulibus novi motus per abſentiam ſuam in Italia excitarentur, praevertendum ſibi, et quam primum, ſi hoſtem adſequi poſſet, proelio decertandum ſtatuit. Itaque Dominicae reſurrectionis feriis peractis III Eid. April. caſtra movet, Egrae, unde proficiſcebatur, CCCC peditum praeſidio relicto, et Altorfium verſus et Olſinicium, quamvis inimica oppida, iter habuit: quia per Thuringiam ad laevam, licet ſecurior, tamen adeo montibus et paludibus impedita erat via, vix ut deducendorum carrorum et machinarum ſobvehendarum capax eſſet. [η] Per Bohemiam ſecundo Egrae flumine planior erat via; ſed quia a Gaſpare [t] Flugio et Willelmo Tumſernio obſidebantur aditus, Caeſar per Altorfii vallem, qua compendioſe magis licebat, iter capeſſit: nam licet non diffideret, ſe obices illos facile perrupturum et hoſteis, ſi ſe opponerent, debellaturum, quia tamen in animo habebat, membris relictis, ipſum caput petere, ſic judicabat fore, ut, ſi in itinere cum hoſte

VAR. LECT. [α] *Sic Ed. P. D.* o. f. d. caveret *Ed. Gen utraque.*
[β] Eleſtrum *D.* o. f.
[γ] II *P. D.* o f. d.
[δ] II ſigna *MSS. Reg. et Samm.*
[ε] Heldrunii *P.*
[ϛ] Salfeldium *P. D.* o. f.
[ζ] capto in itinere Fribergo *P.* capeis in itinere Fribergo *D.* o. f. capeis in itinere Friberga *Ed. Gen. utraque.*
[η] ac per Bohemiam quidem *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Elbe r.* [b] *Adorf, ſur l'Elſter.* [c] *Oelſnitz.* [d] *Schneeberg.* [e] *Altenburg, ſur le Pleiſs.* [f] *Rocklitz.* [g] *Leiſnick, ſur le Muldau.* [h] *Torgau, ſur Elbe.* [i] *Schnebal.* [k] *Heldrungen.* [l] *Halle, ſur Saale.* [m] *Gotha.* [n] *Naumburg.* [o] *Saalfeld.* [p] *Tomſhern.* [q] *Joachimſthal.* [r] *Meiſſen.* [s] *Dreſden.* [t] *Pflug.*

NOT. [1] Lege *Adorfii ad Eleſterum fluvium, qui in Salam exoneratur,* III *ſigna* &c. Il faut marquer cette difference à cauſe d'une riviere de meſme nom, qui eſt dans la haulte Saxe, & ſe decharge dans l'Elbe, dont eſt fait mention ci-aprés dans les notes. *Put.*

CIϽIϽXLVII.
HENRICUS II.

hoſte congrederetur, certam quidem victoriam reportaret, ſed Saxo, quem [a] Witembergam verſus tendere rumor erat, ſibi e manibus eriperetur. Iraque praemiſſo Antonio [b] Toletano cum CIϽ Hiſpanis peditibus et CCC equitibus fere Italis, ipſe cum toto exercitu ſubſecutus eſt. Altorfium noviſſimum Saxoniae fere ad meridiem oppidum in anguſta valle ſitum eſt, undique montibus cinctum; quo factum eſt, ut praeſidiarii hoſtem moenibus ſuis imminentem prius conſpicati ſint, quam de ejus adventu certi quidquam comperiſſent, ſubitoque terrore perculſi fuga dilapſi ſint: itaque ab oppidanis mox oppidum deditur. Olſinieiani, ii erant ad IϽCC, ſupervenienre confeſtim Toletano, cum ſe undique circumventos viderent, ut fuga elabi non poſſent, poſt aliquot levia certamina vitam pacti pariter ſe dediderunt. Caeſar inde partito cum [c] Albano exercitu, nam propter anguſtias et aſperitates locorum vix erat, ut ſimul incedere poſſent, ſextis caſtris per [d] Altorfium, [e 1] Gothobergam, [f] Olſinicium, [g 2] Plaunum, [h] Rienbavum pervenit [i] Werdam, loca prius infeſta, ſed quae dedito Altorfio et Olſinicio mox Caeſari portas aperuere: quo comperto, qui [k] Schenebergae erant, II CIϽ videlicet peditum et C circiter equites, conſilium inierunt de relinquendo oppido, per Stolbergam ad exercitum ſe recepturi: quod ubi reſciverunt oppidani, genibus militum advoluti eos obteſtati ſunt, ne ſe praedae et libidini hoſtis expoſitos deſtituerent, aut, ſi decretum eſſet abire, tantiſper ſubſiſterent, dum legatione ad Caeſarem miſſa aequis conditionibus cum eo paciſcerentur: illi etſi omnem moram ſibi exitioſam judicarent, tamen quia verebantur, ne, ſi miſerorum ſupplicationibus non obtemperarent, re per ipſos evulgata, a circumfuſo hoſtili equitatu in itinere circumciderentur, diſceſſionem diſtulerunt. Caeſar infra Werdam tunc [l] Crimitum uſque progreſſus erat, quod a Scheneberga III fere milliaribus abeſt: [α] cum a tergo egregie munitum locum relinquere nollet, Aldanae et Georg. [m] Spachio negotium dat, ut cum CCC Italis et Hiſpanis equitibus, ac II Germanorum peditum millibus, quorum pars ex [n] Zuiccaviae praeſidiariis erat, oppidum ex improviſo aggrederentur. Id ad collis radices jacet, quo ab occidente et ſeptentrione CC fere paſſuum ſpatio circumdatur, ab oriente et meridie latam et porrectam planitiem paludoſam habet, atque ideo acceſſu difficilem. Duces a Caeſare miſſi necopinato collem occupant, et tormenta diſponunt. Praeſidiarii, qui prius de relinquendo oppido deliberaverant, jam de fuga ſoliciti, cum ſe undique circumſeſſos viderent, omnes ad eam partem, quae collem ſpectabat, in armis ſe oſtendunt, eo conſilio, ut hac ſpecie deluſis Caeſarianis ipſi ſenſim diverſa parte elaberentur. Verum cum exitus undique a levis armaturae equitatu occluſos animadverterent, jam non amplius de fuga aut urbis defenſione, ſed de vita cogitare coeperunt; qua ſalva amiſſis armis domum abire permiſſi ſunt, poſtquam ſe ſacramento obſtrinxerunt, intra octavum menſem Saxoni non militaturos: oppidani a praeda immunes Caeſaris benignitate ſervati ſunt. Qua humanitate inducti [o] Aldenburgenſes, monitis ante praeſidiariis, ii CIϽ erant a Saxone impoſiti, adventanti Albano, ea de re per [p] Anguillarium certiori facto, ultro portas aperiunt. Cum ex oppidanis de Saxonis conſiliis cognoviſſet Caeſar, ipſum [q] Miſenae coosediſſe, [r] Albim quamprimum tranſiturum, et ſecundo flumine perrecturum Witembergam, antevertendum ratus, exercitum hac illac propter locorum et commeatus difficultates palantem, jam ſe aperientibus campis, contrahit, et XV Kal. Maii infra [s 3] Glancham ad [t] Muldam caſtra ponit: inde totas copias in duas tantummodo acies diſtribuit, quod minor eſſet numerus, quam ut in treis acies dividi poſſet; vix enim peditatus omnis XVI CIϽ ſuperabat.

VAR. LECT. [α] inde cum *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Wittemberg.* [b] *de Tolede.* [c] *le duc d'Albe.* [d] *Adorf.* [e] *Gutenberg.* [f] *Oelſnitz.* [g] *Plauen.* [h] *Reichenbach.* [i] *Werden.* [k] *Schneeberg.* [l] *Crimitz.* [m] *Spachen.* [n] *Zwickau.* [o] *ceux d'Altenburg* [p] *dell' Anguillara.* [q] *Meiſſen.* [r] *Elbe.* [s] *Glauchen.* [t] *le Muldau*

NOT. [1] *Gutenbergam.* Put. [2] *Plavium, Richembachium.* Put. [3] *Glaucham.* Put.

ſuperabat. Priorem aciem ducebat Albanus, cujus is erat ordo; CIƆL ſcloppetarii in fronte collocati erant in V ordines tributi, cum II loricatorum ordinibus ex eo numero quos vulgo [α]Alabarderios vocant, ſingulique ordines [β]XX peditibus conſtabant; dein expandente ſe acie, ſigna XXXV incedebant; mox ſubſequebantur II CIƆ CC fariſſophori, galeati et loricati omnes, in LXIII ordines item tributi, quorum ſinguli XXXV [1]ordines continebant: ſariſſophori illi veluti mediam aciem faciebant, quorum latera utrinque mille ſcloppetarii cingebant, quae vice primae et poſtremae aciei erant. Praecedebant Itali equites levis armaturae et [γ]Huſſari, quos gravis armaturae equites Neapolitani et Mauritiani ſubſequebantur. Ipſe Caeſar alteram et poſtremam ducebat; in qua legio Madruciana cum Ferdinandi et Maximiliani filiis, necnon Joan. Georgii Brandeburgici equitatu, et iis, quos ad corporis cuſtodiam penes ſe habere ſolitus erat, equitibus: IV illa ſigna, quae ex [a]Zuiccavia eduxerat, pone ſequebantur; quod milites de peſtis contagione, quae eo anno tota illa regione magnam ſtragem dederat, ſuſpecti eſſent. Ejus haec erat vis, ut omnibus aliis morbis in eam mox degenerantibus aegri fere omnes ea corriperentur; ſtatimque intolerandum ex capitis aeſtu dolorem ſentirent, tumentibus et ardentibus oculis; tum ſanguinolenta lingua et difficili reſpiratione ac foetido ſpiritu vexabantur: crebri vomitus et omnigeni coloris bilioſae ejectiones: poſtremo corpora illis liventia potius quam pallida, verminantibus paſſim papulis interfuſa. Intra diem alterum aut tertium exſtinguebantur; et aut deſtituti auxilio propter periculum enecabantur, aut amicos ad eos officii cauſa viſenteis ex contagione ſerpente malo ſtatim enecabant. Eo factum, ut Zuiccavienſes illi ſeorſim ab aliis iter facerent et, cum interquieſceret exercitus, ſeparato hoſpitio uterentur. Inter duas acies tormenta incedebant. Eo die [b][δ][2]Guodeſtinium munitiſſimum in colle ad Muldam caſtellum ventum eſt. Inde levis armaturae equites Itali duce [c]Sulmonenſi [d]Valdemburgum item ad Muldam miſſi, quod ſtatim, quia praeſidiarii, qui CIƆ CC erant, pridie exierant, deditum eſt.

X. MISSI et [e]Rocliciam feciales; quae et praeſidiariis, qui magna ex parte ruſtici erant, domum abeuntibus pariter deditur. Dux illorum a ſuis deſtitutus [f]Leiſnicum ſe contulit, quod cum initio reſtiturum crederetur, veniente Caeſariano milite territis oppidanis, et civium terrore ad praeſidiarios tranſeunte, his conditionibus deditur, ut oppidanis ſalva omnia eſſent, milites armis exuti dimitterentur. Dux ruſticorum, qui ſe Roclicia illuc contulerat, captivus ad Caeſarem perductus eſt. Ibi Caeſar, quod locus eſſet idoneus, duos dies ad recreandum militem commoratus, diſtributo cis et ultra flumen exercitu, exploratores Italos equites et Huſſaros mittit, qui de rebus hoſtium cognoſcerent. Ii, longius provecti ad Albim uſque, in Saxonicos inciderunt, qui de Caeſare cognoſcendi cauſa proceſſerant: Saxonici, ut numero impares, poſt acerrimum certamen ſe dant in fugam: tres ex iis capti; ex quibus Caeſar de rebus Joan. Friderici certior factus caſtra movet, praemiſſis de more Italis et Huſſaris, qui amore praedae confuſo ordine palantes in pagum ſilvae vicinum praecipitant, in qua ruſtici metu militum ſe abdiderant; qui conſpicati praedatores exiguo numero diſcurrenteis, in eos ex improviſo impetum faciunt, et VIII circiter ex illis occidunt, majorem caedem edituri, niſi illi ſe collegiſſent. Verum ruſtici rei militaris rudes, ut videre Huſſaros vice verſa in ipſos irruenteis, continuo abjectis armis diffugiunt; quos inſecuti illi, ut eſt genus hominum crudele atque ultionis avidum, prope omneis immaniter trucidarunt, aeque in infanteis ac ſenes

ſaevi,

VAR. LECT. [α] Alabardieros *P. D. o. f.* [β] XXI *P. D. o. f. d. MSS Reg. et Bamm.* [γ] Huſſari, de quibus diximus *P. D. o. f.* [δ] *Guaudeſtinium* *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Zwickau.* [b] *Guaſtein.* [c] *Phil. de Lanoy, prince de Sulmone.* [d] *Waldenburg.* [e] *Rochlitz.* [f] *Leiſnick.*

NOT. [1] Dele *ordines*: lege *homines* aut *milites*. Put. [2] *Guaſtinium* Put.

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

faevi, et nullius ſexus habita ratione. Pauci ex his in vicinam ſilvam ſe receperunt: quidam ad Saxonicum exercitum confugerunt; quos Saxo benigne acceptos ſolatur et, multa de inſtabili rerum ſtatu communique martis alea praefatus, eos bono animo eſſe jubet; ſe enim foedae lanienae ultionem propediem inſigni victoria facturum. Ita confirmatis ſuorum animis, jam de Caeſaris adventu certior, conſilium de Albi tranſmittendo cepit, [α] in inferiorem Saxoniam deſcenſurus, ubi ſociorum copiis aucto exercitu, ſe mox Caeſari parem oſtentaret: quod ſe commode et ſine periculo facturum ſperabat utriuſque ripae potens: ſicque apud ſe judicabat, Caeſarem, ſi per adverſam ripam pergeret, quo ulterius progrederetur, eo ſemper et latiorem et profundiorem fluvium habiturum; ſeque interim facile Witembergam urbem munitiſſimam et munitiſſima arce firmatam occupaturum: quo ſi incolumis perveniret, ad proelium nullo modo, nec niſi certa victoria, a Caeſare cogi poſſet. Itaque [a] Miſenam reliquit, et trajecto exercitu, pontem ligneum, qui utramque ripam conjungit, incendit, diſpoſitiſque in ulteriore ripa per ea loca, quibus tranſvadari flumen poſſe cognoverat, copiis, Mulbergam tendit. Jam Caeſar III a Miſena milliaribus conſederat, quo decimis ab Egra caſtris venerat: ibi nunciatur, [b] Tumſernium cum copiis ſuis adventare, ut ſe Saxoni conjungeret: idque tam aſſeveranter Ferdinandus et Mauritius affirmabant, quaſi oculis ipſi ſuis vidiſſent. Hoc nuncio excitati omnes ſumma celeritate arma ſumunt, et tota ea nocte in armis fuere: ſolus Caeſar, ut erat animo ſecuro et tranquillo, nihil commotus eſt; ſed miſſis, uti conſueverat, CCCC Italis et Huſſaris, qui de re cognoſcerent, poſtquam inanem rumorem fuiſſe conſtitit, continuo ad Miſenam partem exercitus ducit, partem ad res hoſtium explorandas mittit. In itinere legatos Miſenenſium obvios habuit, qui civeis imperata facturos dicerent. Eo profectus, cum ex Aldana reſciviſſet, Saxonem [c] Mulbergam contendere, ut eum anteverteret, [d] Albano vocato, quid ſui conſilii eſſet, [β] aperuit; nimirum decreviſſe, quomodocunque cum hoſte decertare. Itaque quamvis jam adveſperaſceret, tormenta et pontones praemitti jubet: media nocte Hiſpanus peditatus et Germanorum cohortes cum toto equitatu ſubſequuntur: mane omnes ad [e] [1] Schermeſſerum pagum in adverſa Mulbergae ripa juxta Albim conveniunt. Hic eſt fluvius Caeſaris tranſitu et pugna, quae mox ſecuta eſt, memorabilis, imperii olim Romani ab ea parte limes, qui in [f] Hercynia ex [g] Giganteis montibus, ita vulgo appellantur, ortus, quaſi ab arcto auſtrum verſus tendens, in Bohemiae regnum undique ſilva illa cinctum deſcendit, et cubiti forma paulum in occidentem flexus juxta [h] Cuttembergam locum argenti fodinis nobilem rurſus in ſeptentrionem reflectitur, acceptoque ad [i] Melnichum [γ] [k] Multava, qui [l] Pragam regni caput alluit, et mox [δ] Egra ſupra [m] Laetmericiam, dein [n] Sala ad [o] Calben, ac poſtremo [p] Havelo paulo infra Havelbergam, prope Hamburgum celebre emporium in Oceanum exoneratur. Saxo, cum de adventu Caeſaris cognoviſſet, ex eoque de conſilio ejus facile conjectaret, Mulberga egreditur, et paulum progreſſus quid facto opus eſſet cum belli ducibus conſultat. Complures Mulbergae manendum eſſe cum exercitu cenſebant, quod locus ſervando vado commodus eſſet, quippe caſtello munitus et ripae aggere, quem tenebant, longe altera, unde Caeſariani veniebant, editiore, ita ut a tecto et ex alto pugnante milite vel magnus numerus tranſitu prohiberi facile poſſet. Alii contra deſerendam Mulbergam, et periculoſam omnem moram eſſe dictitabant: tranſmiſſo enim ab hoſtibus fluvio, quid

VAR. LECT. [α] inde in *P. D. o. f.* [β] aperit *P. D. o. f. d.* [γ] Multavia *P. D. o. f. d.* [δ] Egra, de quo diximus *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Meiſſen.* [b] *Tomſhern.* [c] *Muhlberg.* [d] *le duc d'Albe.* [e] *Schirmitz.* [f] *Schwartzwald, ou la foreſt noire.* [g] *Riſenbergen.* [h] *Cuttenberg.* [i] *Melnich.* [k] *le Muldau* [l] *Prague.* [m] *Leitmeritz.* [n] *la Saale.* [o] *Kalben.* [p] *l'Havel.*

NOT. [1] *Schirmitium* Put.

quid ſpei ſupereſſe, niſi ut ſe aut infirmo loco includant, in quo facile minor numerus a majore expugnetur; aut ſe citato gradu in viam dent, et inſtante hoſte vel iniquo certamine congrediantur, vel relicto peditatu, cum equitatu turpi fuga, quae pejor internecione ſit, dilabantur? itaque conſultius videri, trans [a] [1] Eſleram ad [b] Schwinitium ſe conſerre, ut medio fluvio impetus hoſtium frangatur, tantumque morae interponatur, dum auxiliares copiae ex Vandalicis civitatibus a tergo conveniant, et Tumſernius ipſe ac Mansfeldius, quos propediem expectent, conjungi poſſint. Saxo, qui et illorum nimis audacem ſententiam, horum cautius quam honeſtius conſilium eſſe cenſeret, nam neque citra manifeſtum periculum Mulbergae conſiſti, neque honeſte aut etiam ſatis tuto trans Eſleram, qui pleriſque locis vado tranſiri poſſit, exercitum tranſportari exiſtimabat, mediam viam invenit, qua nec Mulbergam omnino deſereret, neque ſe aperto, uti rebatur, exitio objiceret. Itaque impoſitis Mulbergae CC peditibus et C equitibus, qui levioribus tormentis per ripam diſpoſitis pontem [α] ſcaphis et lintribus conſtratum defenderent, aut, ſi non poſſent, in treis parteis ſolutum ſecundo flumine [c] Witembergam avehérent, ipſe cum reliquo exercitu longius a ripa conſtitit, conſilium ex eventu capturus. Caeſar, qui quoquo modo ea die exercitum tranſmittere, et cum hoſte, ſi poſſet, congredi apud ſe ſtatuerat, quantumvis diſſuadente [d] Albano, qui explorato loci ſitu et conditionibus, periculi magnitudinem multis rationibus extollebat, et refragantibus ceteris belli conſiliariis, prudentiane an fortunae ſuae fiducia, in propoſito manſit; miſſoque ipſo Albano, qui fluminis vadum ab inquilinis cognoſceret, ita peditatum ordinavit, ut equitatus a ſtationibus in adverſa ripa diſpoſitis, quo minus tranſirent, impediri non poſſet. Hiſpanos ſcloppetarios in ima rima inter dumeta cum VI levioribus tormentis ſtatuit, adjunctis loricatis, quos in ſilvae nuper caeſae ora abdiderat, et Teutonico peditatu in duo agmina diſtributo; il planitiem, quae pagum et flumen interjacet, IↃC circiter paſſuum ſpatio occupant. Dum quaeritur vadum, morae impatientes Neapolitani aliquot et Hiſpani flumen ingrediuntur: id erat, qua profundiſſimum, IV amplius pedes altum, CCC paſſus latum. Cum illi primo repulſi nullo profectu retro ceſſiſſent, ſcloppetarii Hiſpani relicto tumulo, quo tegebantur, in flumen et ipſi deſcendunt, et diſploſis ſcloppetis ſtationarios, ne vadum tentantibus nocere poſſent, prohibent. Itaque illi redintegrato impetu [β] ad LX paſſus aquam intrant, et brachiis tenus exſtantes ad ſcaphas contendunt; quas cum Saxonici amplius defendere non poſſent, igne injecto et compagibus ſolutis fluminis arbitrio ſerendas permiſerunt. Quod ubi videre Hiſpani, ex iis X exutis veſtibus, creſcente ardore, nihil tormentorum ictibus ſcloppetariorumve grandine territi, gladios ore tranſverſos deſerentes, natando erranteis ſcaphas aſſequuntur, et poſt breve certamen, XXXV ex hoſtibus caeſis, in citeriorem ripam adducunt: ex quibus et iis, quas ſecum plauſtris advexerant, Caeſar pontem mox ſterni imperat, quo tormenta et peditatus traducerentur. Dum in hoc eſſet, ſupervenit Albanus cum juvene ruſtico, qui, quod locorum et vadorum valde gnarus eſſet, patrio ſermone dux viarum vulgo audiebat. Is, ut injuriam a Saxonicis, qui ipſius duo jumenta pridie abegerant, acceptam ulciſceretur, libenter et vadum indicavit, et ſe viae ducem Caeſarianis praebuit. Quod magnum momentum Caeſaris rebus attulit; aliter enim eo die tranſmitti exercitus non potuiſſet: interimque ſatis temporis habuiſſet Saxo, quo [e] Torgam vel etiam Witembergam incolumis cum omnibus copiis perveniret. Tunc ergo levis armaturae equitibus duce [f] Sulmonenſi et Huſſaris praemiſſis,

CIↃIↃXLVII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] ab ipſis ſcaphis *P. D. o. f. d.* [β] ad IↃC pedites aquam *P.*

INTERPR. [a] *Elſter r.* [b] *Schweinitz.* [c] *Wittenberg.* [d] *le duc d'Albe.* [e] *Torgau.* [f] *le prince de Sulmone.*

NOT. [1] Dele *Eſleram*: lege *Elſterum fluvium, qui in Albin exoneratur.* Put

praemiſſis, qui ſingulos ſcloppetarios in tergo vehebant, cum Mauritiano et Neapolitano equitatu mox Albanus ſubſequitur. Caeſar [a] aſturconi badio inſidens ſella holoſerica punicea auro fimbriata inſtrato, ipſe auro radiante lorica tectus, cum faſcia punicei item coloris decuſſata (id inſigne Burgundicae domus) manuque frameam lato ferro geſtans, ſpeciem magni illius Caeſaris referebat, qui tranſito olim Rubicone, omni pacis conditione abjecta, in ſola victoria ſpem ponebat. Ferdinandus, cum Philiberto Emmanuele [b] Sabaudo et Maximiliano ac Ferdinando filiis, poſtremum agmen ducebat. Cuſtodiae imperati pontis relicta erant IX ſigna ex [c] Meleniani, Jo. [d] Valdeſii et Madrucii cohortibus; CCL item equites ex Albertinis, qui poſt Roclicianam cladem ad Ferdinandum profugerant, ac totidem ex iis, quos [1] Jo. Brandeburgicus ſecum adduxerat. Tranſmiſſo fluvio, et vadi duce C aureis ac duobus equis remunerato, Caeſar ulteriore ripa ſine damno potitur. Jam enim praeſidiarii, qui Mulbergae erant, a praecurſoribus Caeſarianis fugati ad ſuos ſe receperant. Itaque ſcloppetariis, quos Caeſar in eum uſum tranſvexerat, in terram expoſitis, Huſſari praegreſſi levibus certaminibus poſtremum hoſtium agmen laceſſunt. Saxo tunc ſacram concionem audiebat, cum ab iis, quos Mulbergae reliquerat, intelligit, Caeſarem jam utriuſque ripae potentem Albim cum toto exercitu tranſire. Quo repente nuncio perturbatus, tamen, ut erat tranquillo et excelſo animo, omnia pro temporis anguſtiis recte ordinat; praemiſſiſque impedimentis ita aciem inſtruit, ut, omni peditatu in duo agmina diſtributo, et collocatis in medio tormentis, ad laevam et dextram pars equitatus incederet; ipſe cum reliquo equitatu aciem clauderet. Ita, fruſtra incurrentibus Huſſaris et levi armatura, aliquanto tempore viam inſtitit, Witembergam petiturus, uti Sleidanus ſcribit; uti Caeſariani, [e] Schwinitium; quamvis hoc conſilium ante repudiaſſet. Proſpera illa ac praeter ſpem omnem arridentia certaminis initia haud dubiam victoriam Caeſarianis ſpondebant; accedentibus ad ea etiam ſignis, quae fiduciae plenus miles, augente alacritatem ſucceſſu, facile ſecundum vota ſua interpretabatur. Viſa enim tunc aquila, quae unius horae ſpatio Caeſarianum exercitum in gyrum volitans luſtravit, et ſeptentrionem verſus poſtremo avolavit. Ab iiſdem partibus mox lupus irruens in Neapolitanos incidit, a quibus gladiorum ictibus ſubito confoſſus eſt. Cumque ad mediam uſque diem aër nebuloſus aſpectum Saxonicis, quo minus Caeſarianos videre poſſent, eripuiſſet, tranſmiſſo ſtatim Caeſare diſcuſſus eſt, et retecto ſole lux repente reddita, inde Saxonicis certamen detrectantibus terrorem injecit, inde Caeſarianis ad hoſtem properantibus animos addidit. Igitur Caeſar, qui ſuorum alacritatem videret, nihil amplius cunctandum ratus, quamvis nondum tormenta et peditatus adveniſſent, glomeratis paſſibus cum ſolo equitatu in hoſtem vadit, et III trans flumen milliaria emenſus ad [f] Lochanam ſilvam Saxonem adſequitur: ejus exercitus tunc conſtabat non amplius V CIↃ peditum et bis CIↃ IↃ equitibus. Prima impreſſio a Bartholomaeo Dalmata facta: is cum Petro [g] Baccio imperabat iis equitibus, quos ſuperiore anno in [h] Pannoniae, Dalmatiae et [i] Sarmatiae finibus conductos ad bellum Saxonicum Ferdinandus ſecum adduxerat, qui uno nomine Huſſari vocabantur: his haſtae oblongae ſimiles noſtris, ſed expeditiores, quia cavae; ſcuta alarum vice latiora ab ima parte ac paulatim in acumen deſinentia, quibus latus tegunt; nam fere ſine loricis pugnant: rari tunicas lamellis ferreis conſertas gerunt, de cetero ſagis oblongis et laxis velati: galeas habent ſine buccula; ſed lamina projecta pro buccula eſt, quam, cum falcatis enſibus comminus rem gerunt, ori tuendo attrahunt: malleis etiam ferreis et clavis utuntur: magno impetu primum invehuntur, ſed non ſervant ordines, palanteſque ac confuſi a

certamine

INTERPR. [a] *genet d'Eſpagne bay brun.* [b] *de Savoie, prince de Piedmont.* [c] *le marquis de Marignan.* [d] *de Valdes.* [e] *Schweinitz.* [f] *la foreſt de Lochawer.* [g] *Bakith.* [h] *Hongrie.* [i] *Pologne.*

NOT. [1] *Joannes Georgius Brandeburgicus.* Put.

certamine redeunt, nec turpe exiſtimant cedere loco, atque etiam fugere, denuo poſt CIƆIƆXLVII.
fugam pugnaturi: quod Saxonicos feſellit, qui, illis magna virtute depulſis, cum HENRICUS II.
jam quaſi de hoſte fugiente triumpharent, ex ingenti pulvere primam aciem appropinquare conjicientes, in eam totis viribus, antequam Caeſar cum reliquo exercitu adventaret, impetum facere ſtatuunt. Verum Caeſar ut pulveris, qui proſpectum adimebat, incommoditatem evitaret, ſimul etiam proſpiceret, ne, ſi prima acies cedere cogeretur, poſteriores ordines turbarentur, aequata cum Albano fronte ad dextram incedebat; nam lata planities erat. Cujus rei Saxo a [a] Wolfio Craſſo caſtrorum praefecto admonitus, non jam de hoſte invadendo, aut Witemberga petenda, ſed de ſilva vicina a peditatu occupanda cogitare coepit: quod ut facilius exſequeretur, [b] Bielingi cohortem, cui multum fidebat, ad dextram, qua hoſtis imminebat, ſtatuit, additis Jo. [c] Ponicavii et Wolfangi [d] Eiſlengenſis equitum alis: ipſe cum c circiter delectis ex praecipua nobilitate ordines circuibat. In prima Caeſarianorum acie omnino erant cccc levis armaturae equites, quorum duces Sulmonenſis et P. [e] Toletanus; ccccL Huſſari, (nam eorum dimidiam partem Caeſar Torgam exploratum miſerat) c ſcloppetarii equites Hiſpani, IƆc haſtati, et cc ſcloppetarii Mauritiani; ccxx Neapolitani, quorum dux [f] Jo. [1] Bapt. Caſtrovilla, qui ſub anni ſuperioris exitum cum IƆ cataphractis equitibus [g] Roteburgum ad Caeſarem venerat: poſtrema et praecipua acies in duas phalanges diviſa fuit; in quarum altera, cui Caeſar praeerat, cccc cataphracti equites at ccc ſcloppetarii erant; in altera, quam Ferdinandus ducebat, IƆc cataphracti cum ccc item ſcloppetariis equitibus; ita inſtructa acie, ut frons porrectior, latera anguſtiora eſſent, ut quae XVII tantum ordinibus conſtarent. Contra Saxonicorum, more gentis, frons contractior, porrectiora latera, ut procedere, flecti, circumagi, retrocedere imperturbata ſerie commodius poſſent: quam rationem prae illa Caeſarianorum minus tutam et firmam eſſe belli peritorum judicio, et hujus inprimis pugnae eventu, alteriuſque ante quadriennium in Menapiis ad [h] Zittardum oppidum debellatae exemplo comprobat Lud. Avila; quamvis noviſſimis noſtris temporibus magni nominis dux, de quo plura deinceps dicenda erunt, Franciſcus [i] Lanovius contrarium ſcripſerit, et experientia proelii ad [k] Cutracum in Santonibus et ultimi ad [α] [l] Euriacum apud nos commiſſi compertum ſit, conſerta quam porrecta acie melius pugnari. Cum jam Huſſari ad manus veniſſent, Caeſar in medium procedens, verſo ad Neapolitanos vultu, Quod votis, inquit, omnibus optaſtis, commilitones, ecce Deus vobis in manus dedit: hoſtem habetis non tam de pugna, quam de fuga ſolicitum; ut non tam quomodo vincendus ſit, quam ne vobis eripiatur, elaborare debeatis. Opportuna veſtra diligentia et felix adeo tanti fluminis tranſitus, quod olim Romani totius orbis domitores videre ſatis habuerunt, ac tot proſpera ſigna, Deum, cujus heic cauſa agitur, nos benigno lumine aſpicere, et hanc lucem fortunaturum, ut credatis, ſuadent. Reliquum eſt, ut eo invocato et auſpice [β] in hoſteis divinae pariter et imperatoriae majeſtatis reos ſigna inferamus. Equitatu, ut videtis, firmiores ſumus, cujus patentibus locis praecipuus uſus eſt: ſed quod cauſa ſuperiores ſumus, longe pluris facio: haec ſiquidem vireis dat militi; quae niſi juſta ſubſit, pudor illi ſuus et crimen arma excutit: hinc illa in hoſtibus animorum conſternatio, et contra vobis ſumma alacritas: neque enim ignaviae gentis, a qua me ortum glorior, et cujus nos heic pars magna ſumus, tribui debet, quod decem abhinc diebus tot munitiſſima oppida vix

VAR. LECT. [α] Euriacum in agro Ebroicenſi facti compertum *P.* [β] in ejus et noſtros divinae *P.*

INTERPR. [a] *Wolf Craſſen.* [b] *le comte de Beichlingen.* [c] *Ponicaw.* [d] *d'Eiſlingen.* [e] *de Tolede.* [f] *Ferrante Signorelli, duca di Caſtrovilla.* [g] *Rotenburg.* [h] *Sittart, au duché de Juliers.* [i] *de la Noue.* [k] *Coutras en Saintonge.* [l] *Ivry.*

NOT. [1] *Ferdinandus Caſtrovillae dux.* Faleti le nomme ainſi p. 173. *Put.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

vix viſo hoſte portas aperuerunt, tot praeſidiarii ſine certamine debellati ſunt: ii ſunt, nec alios fingite, quibuſcum nunc vobis res eſt. Hic eſt dux ille Germaniae potentiſſimus, famoſi illius Arminii, ut ſibi videtur, virtutis heres, qui, cum priore anno nos quaſi proelium detrectanteis increparet, nunc depoſita ferocia ſilvas et latebras ſaluti quaerit. Agite ergo, commilitones, virtutis veſtrae et tot palmarum memores, neque enim aliud ad vos animandos dicere in praeſentiarum attinet; in hoſtem eamus, quem, jam nutantem metu, mox conſcientia in fugam impellet. Pars victoriae eſt conſiſtentem videre, qui nos antea temere laceſſebat. His ſumma fiducia et gravitate dictis exortus omnium quaſi jam de victoria parta clamor, dataque teſſera (id erat S. Georgii, Imperii et Hiſpaniae nomen) ad ſuos regreditur. [a] Albanus conſeſtim compoſito gradu in hoſtem ducit. Interjacebat rivulus paludoſus, in quem, dum porrecta acie incedunt, aliquot equites praecipitaverunt: ſed contracta mox fronte illi erecti, et trajecto rivo expanſa acies, hoſte non movente ſe, neque turbatis ordinibus inſtante. Levis armatura interim diſcurrere juſſa, et mediam ſe inter hoſteis et ſilvam interponere, a Saxonicis generoſe primo repulſa eſt: ſed incurrente ab altera parte Albano, cum metueret Saxo, ne a numeroſiore equitatu undique circumveniretur, agmen, quod ſiniſtrum latus tegebat, in dextrum cornu revocat, ubi pugna increbreſcebat, et ſingulos prenſando et hortando, ut jam turbatis rebus, ad fortiter pugnandum incitabat: Religionis cauſam heic agi ſubinde repetens, et aſtu pontificis Romani haec fieri, qui Caeſarem in ipſos armaverit, et cujus crudelis potentia cum ſumme Deo inviſa ſit, minime dubitare debeant, quin Deus in eam et ejus fautores graviſſime quam primum vindicaturus ſit: de libertate, de conjugum ac liberorum ſalute ac fortunis certamen eſſe; nec mortem exhorreſcere debere eos, quibus graviſſima et morte pejor ſervitus ſubeunda ſit, ſi vincerentur. Ad haec majorum nomen et gloriam ante oculos ponebat, a quorum virtute degenerare illis probroſum ſit, qui ſe eorum heredes haberi velint. Poſtremo in memoriam revocabat proſperos ſucceſſus, quos nuper contra Ferdinandum et Mauritium habuerint: cujus ingratitudini poenam non deſuturam certo crederent, modo ne ipſi ſibi deeſſent. Hac oratione confirmatis aliquantum ſuorum animis, ante peditatum, cui maxime metuebat, conſtitit: et Nic. [b] Bernardi et Jo. [c] Segerii equitum alis, in quibus magnam fiduciam habebat, [d] Erneſtum Brunſvicum praepoſuit; inſuperque ſuis praedixit, ut diſploſis ſcloppetis minime ſe loco moverent, aut extra ordines procurrerent, ea ſpe, ut primus hoſtium excurſus viſque infringeretur, et ſolutis ordinibus acies diſtraheretur: quod contra illis perniciem attulit. Nam ita animi illa incitatio, quae pugnae ſtudio incenditur, repreſſa eſt; et vacuatis ſcloppetis Saxonici irruente ſtatim Albano ab una parte, ab alia petentibus latera Huſſaris oppreſſi, ac poſtremo Caeſare jam confuſis inſtante cum Mauritiano exercitu, qui in tergo primae aciei ſtabat, in fugam verſi ſunt. Major ſtrages circa ſilvam ab Huſſaris immani hominum genere et Mauritianis edita; qui, quamlibet Saxones, propter dominorum ſimultates acerbiore odio efferabantur. Caeſar milliario amplius fugientem hoſtem inſecutus eſt: Neapolitani etiam ad III uſque milliaria. A media fere die ad ſolem occaſum pugnatum fuit.

XI. SAXO, qui nullum generoſi et ſtrenui ducis officium praetermiſerat, a ſuis deſtitutus, et equo fatiſcente, cum prope eſſet, ut in ſilvam ſe reciperet, agnitus, prodente illum vaſtitate corporis et oris majeſtate, ab [e] Hippolyto Portio comite Vicentino capitur. Ita prodidit Hieron. [f] Faletius: at Georg. Fabricius, cui major ea in re fides, ſcribit, Saxonem ſeptemvirum, disjectis in itinere copiis ſuis, contra inſequenteis pugnantem, in adverſum os mala ſiniſtra vulnus accepiſſe, et a [g] Tilone

Droto

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Bernard.* [c] *Seger.* [d] *le duc Erneſt de Brunſwick.* [e] *il conte Hippolito Portio da Vicenza.* [f] *Faleti.* [g] *Thielen Drotten, du dioceſe de Mersburg.*

Droto e dioeceſi Mersburgia ordinis equeſtris viro non procul ab oppido [a] Mulberga captum eſſe; cui in ejus rei teſtimonium annulum de mann detractum tradiderit. Cum tamen Huſſari et Hiſpani milites de eo cum Portio ſiye cum Droto rixarentur, Albanus, qui ſupervenerat, utriſque ablatum ad Caeſarem deduxit. Is equo Friſio vehebatur, thorace nigricante, ſed lineis argenteis diſtincto, et tunica annulata tectus, quod propter obeſitatem graviora arma ferre non poſſet, undante per faciem ſanguine ex vulnere in pugna accepto: in conſpectumque Caeſaris adductus chirothecam exuere, ut more gentis manum victoris contingeret, et ex equo deſcendere voluit: quod cum renueret Caeſar, Quando ita fortuna tulit, (inquit Saxo) ecce me tibi, clementiſſime et potentiſſime Caeſar, captivum ſiſto. Dicturum plura interfatus Caeſar, Ergone tibi nunc ego Caeſar, quem nuper in ſermonibus veſtris et publicis etiam ſcriptis modo Carôlum Gandenſem, modo ſe pro Caeſare gerentem vocabatis? Cum ille pergeret et, ut ſe captivum pro dignitate haberet, conſtanti vultu rogaret, Caeſar nihil aliud reſpondit, quam ſe pro merito illum accepturum; aſpernantique ſimilis obverſo tergo diſceſſit. Saxo, et Erneſtus Brunſvicus (nam et is captus eſt) [b] Alſonſo Vivi Hiſpanorum militum tribuno cuſtodiendi traduntur. Deſiderati eo proelio ex Caeſarianis XL, vulnerati circiter CCC: ipſe Mauritius, dum hoſtem ardentius inſequitur, mortis periculum adiit, lateri ſcloppeto a milite appoſito, nec ignem concipiente; ſed ille mox a circumſtantibus confoſſus audaciae poenas luit. Ex Saxonicis perierunt CIƆ IƆ; capti ad IƆC, in iiſque praeter Saxonem et Brunſvicum Carolus Toringus comes. Pauci, et in iis Jo. Fridericus Saxonis natu maximus filius, accepto in capite vulnere, cum [c] Biclingo et Recrodo et CCCC circiter, qui ex clade ſuperſtites fuerunt, Witembergam pervenerunt; unde ille, antequam Caeſar urbi appropinquaret, ex conſilio matris et patrui Gotham ſe contulit. Capta eo die XIV tormenta; et poſtero VI, quae cum impedimentis longius proceſſerant. Hic exitus pugnae ad Mulbergam commiſſae fuit; cujus loci nomen viris principibus male ominoſum ſemper fuiſſe a curioſis rerum Germanicarum obſervatum eſt: ſiquidem ad Mulbergam in [d] Baioaria Ludovicus IV imperator Fridericum ducem Auſtriae et Henricum fratrem anno ſalutis CIƆ CCC XXIII; Rupertus item imperator, centeſimo circiter anno poſt, Bernardum Badenſem marchionem ad Mulbergam ſupra [e] Nemetes, cepit. Caeſar parta tanta victoria biduum Mulbergae reficiendo militi inſumpſit: inde cum toto exercitu Witembergam pergit. In itinere obvios habuit [f] Torgenſeis, qui proelii fama conſternati, ejecto praeſidio deditionem fecerunt. Erat hoc alterum ſeptemviratus oppidum caſtello tota Germania magnificentiſſimo et amoeniſſimo conſpicuum, quo Jo. Fridericus animi gratia ad venationes praecipua habitatione utebatur. Cum prope eſſet exercitus, ut ex itinere a praetereuntibus Torga conſpici poſſet, Saxo, qui in curru cum Erneſto tanquam in triumphum vehebatur, ingredienteis in oppidum praeſidiarios Hiſpanos cernens, ad Vivem renidenti vultu, En ſpolia, quibus Mauritio, ſi nihil eſt aliud quod eum vexet, licet gloriari; quanquam ne hoc quidem ſuis opibus aut virtuti debet. Quo dicto Mauritii proſperitate elevata, ejus conſilia ut improba ſuggillabat, et ſubinde fortunae adverſae contemptum generoſe prae ſe ferebat. Unde cum Erneſtus illum quaſi calamitati propriae inſultantem increparet, Nam quid ob illa angerer, retulit Saxo, quae, quando in poteſtate noſtra ſita non ſunt, ad nos minime pertinere exiſtimare debemus? Haec coram omnibus admirabili conſtantia: cum nihilominus profundum ex imo pectore ſuſpirium ducentem Erneſtum videret, ſummiſſiore voce ad eum converſus, Conſilium, quod mihi ſumo, inquit, et tibi darem libens, ſi capere

INTERPR. [a] *Muhlberg.* [b] *Alonſo Vivas.* [c] *de Beichlingen.* [d] *Baviere.* [e] *Spire.* [f] *ceux de Torgau.*

CIↃIↃXLVII.
HENRICUS II.

capere poſſes: ſed quamvis tibi in te non tantum juris ſit, ut hinc animi tranquillitatem conſequi et conſolationem capere poſſis, tamen humani ingenii perturbationibus ſedandis et aliqua ex parte explendis, qualia ſunt odium, amor vindictae, juſta indignatio, id valde conducibile arbitror. Ubi enim opibus propriis contra vim potentioris foris ſe tueri quis nequit, reliquum eſt, ut ſe ſapientiae praeceptis tutus muniat. Itaque, ſi te bello inferiorem doles, ut ſuperior ſis, conſtantiam indue, et te calamitatem tuam contemnere oſtende: ſic victoriam hoſti eripies, et victus victorem vinces: haec expedita ratio eſt ultionis de hoſte vel in hac captivitate ſumendae. Magnus utique ille vir, et qui vel inimicorum teſtimonio comitate, liberalitate, prudentia et animi invicti fortitudine excellentiſſimos principes aequans; in eo multis praeponi meruit, quod adverſam fortunam conſtantia ſua omnium judicio ſuperavit. Cum quintis caſtris a Mulberga prope [a] Witembergam conſediſſet Caeſar, oppidani dedere ſe juſſi ſuperbius reſpondent; eodemque modo ſe Albertum habituros minantur, quo Joan. Fridericus a Caeſare haberetur. Itaque Caeſar praeſidia [b] Dreſenae, [c] Lipſiae et [d] Zuiccaviae a Mauritio impoſita evocat, et ſecundo flumine Dreſena XVI majora tormenta ſubvehi jubet. Mauritius XV millia foſſorum ad obſidionem promiſerat; ſed vix CCC reperti ſunt: magna fuit et commeatus, quamvis in treis menſeis promiſſi, penuria, undique praeter expectationem poſt victoriam concurrentibus novis copiis. Caeſar nihilominus tenax propoſiti, cum de loci natura et ſitu per [e1] Pizagrium earum rerum valde peritum hominem cognoviſſet, ipſe eo ire decrevit; magnoque comitatu urbi propinquans, ne cives et praeſidiarii egrederentur, praeſentia ſua effecit; tormentiſque interim praetervectis, et traducto paulo infra urbem per ſubſtratum pontem exercitu, in adverſam ripam tranſiit. Witemberga praecipua ſeptemviralis patrimonii urbs ſpatioſo camporum aequore CCCC circiter a flumine paſſibus ſita eſt, loco et arte munitiſſima; quippe altiſſimo aggere ab omni parte extra cincta eſt, ita ut interior agger, qui LX pedes latus et ex ſolida terra ac vivo ceſpite congeſtus muro lateritio clauditur, ex planitie vel ab equite conſpici nequeat, nullo tumulo aut colle oppoſito, unde tormentis quati poſſit: media foſſa latiſſima et profundiſſima interjacet aqua fluente ſcaturiens: tum murus V propugnaculis prominentibus diſtinguitur: a natura vero non minus tuta eſt, lata palude a ſeptentrione, ab oriente canali ab [f] Albi derivato eam cingente: arcem inſuper, quae anguſtior eſt, habet, tormentorum numero et reliquarum ad bellum neceſſariarum rerum abundantia munitiſſimam. Locum adeo firmum temere aggredi ut periculoſum erat, ita ignaviae adfine poſt victoriam relinquere. Quis enim victoriae tantae fructus, Witemberga intacta, quae ſola Vandaleis civitatibus confirmandis, et bello rurſus redintegrando par eſſe videbatur? rurſus, ea tentata et non expugnata, amitti ejuſdem victoriae fructum, et invictae potentiae opinionem in animis hominum extingui. Cum ergo neceſſarium omnino judicaret urbe potiri, nec facile id ſe vi adſequi poſſe ſperaret, aliam viam inſtitit, ut metu mortis intentato, ſi minus Saxonem, quem ad omneis caſus intrepidum ſciebat, at uxorem ſaltem et liberos charitate impulſos ad Witembergam dedendam adigeret. Nec fefellit eum opinio: nam Saxo, mortis ſententia more ſolemni IIII Eid. Maias lata, et, dum in tentorio cum Brunſvico ſederet, per delegatum ſignificata, nihil commotus aut vultu turbatus eſt, ſed ſereno in eum, qui venerat, ore intuens, Quid tum, inquit, ſi Witemberga non tradita me mori oportet? Haec enim, non vita mea petitur. Ceterum nihil haec me terrent; utinam nec conjugem item et liberos et amicos; quibus a calamitate mea majus periculum, quam

INTERPR. [a] *Wittenberg.* [b] *Dreſden.* [c] *Leipſik.* [d] *Zwickaw.* [e] Faleti le nomme *Luigi Pizzagni.* [f] *Elbe* r.

NOT. [1] *Pizagnum* Put.

quam mihi imminet. Nam quicquid mei contemplatione hoſti dabitur, illis peribit, nec mihi proderit. Quorſum enim acceſſionem paucorum dierum jam effoeto ſeni, neque diu victuro? Itaque ſi optio detur malim re liberis ſalva quamprimum mori quam diu illis ſpoliatis vivere; neque tamen prohibeo, quin pietati aliquid condonent, et ſibi ſatisfaciant, ita ut, dum mei rationem habent, non omnino ſalutis ſuae obliviſcantur. Haec fatus Brunſvicum ad latrunculis ſecum ludendum invitavit; hac etiam ſecuritate contemptum mortis et hoſtis pariter prae ſe ferens. Evulgata ſententiae fama, non contempſere tanti viri periculum, praeter uxorem, fratrem Erneſtum et liberos, qui Witembergae erant, etiam amici principes; in iiſque praecipui Brandeburgicus ſeptemvir, et [a] Clivenſis Sibyllae Saxonis uxoris frater, qui continuo in caſtra Caeſaris advolarunt. Mauritius, qui vereretur, ſi ſententia executioni demandaretur, ne Erneſtus et liberi deſperatione adacti ad extrema quaeque ſe compararent, et ipſe ſeptemvirali dignitate et patrimonio, quae avida ſpe devoraverat, privaretur, ut implacabile Saxonicae gentis odium et invidiam a ſe amoliretur, apud Caeſarem ex compoſito interceſſit. Tandem remiſſa mortis poena, in has conditiones cum Saxone conventum eſt; ut ſeptemvirali dignitati tam ſuo quam liberorum nomine renunciet, juſque ſit Caeſari pro arbitratu ſuo de ea ſtatuere: Witembergam et Gotham alterum ditionis propugnaculum Caeſari tradat, relictis in ea tormentis et cibariorum tertia parte; reliquam omnem ſupellectilem et annonam ſecum auferat; permiſſa praeſidiariis libera abitione, ſed ſine armis: Albertum Brandeburgicum et Chriſtophorum [a] [b] Leuchtenbergae Langravium ſine mulcta liberos dimittat, et ſigna adempta ac tormenta reddat; [c] Mansfeldiis et Solmenſibus comitibus ac Pruſſiae magiſtro ceteriſque eccleſiaſticis per vim ablata reſtituat: camerae imperiali a Caeſare inſtituendae parere, et ſumptus in eam ſubminiſtrare, deque jure, quod contra [d] Lubecenſeis et Halenſeis ſibi eſſe dicit, Caeſaris decreto ſtare promittat: a foedere cum Magdeburgicis et Halberſtatenſibus atque omni alio contra Caeſarem et Ferdinandum inito diſcedat; nec ullum deinceps faciat, quo non ipſi cum ſuis provinciis et ſociis comprehendantur: conſentiat item, ut Henricus Brunſvicus et Carolus Victor filius liberentur, nec ullam adverſus eos actionem moveat: viciſſim Erneſtus Brunſvicus a Caeſare dimittatur. Ita publicata Saxonis bona, eaque a Caeſare fratri Ferdinando et Mauritio donata; ſic ut Saxoni ejuſque liberis L aureorum millia annua Mauritius dependat; et Gothae oppidum, ſi Caeſari videatur, et per Mauritium liceat, una cum omni uſufructu retineat Saxo, arcis munitione ab eo demolienda, nec citra Caeſaris voluntatem deinceps inſtauranda: inſuper Mauritius aes alienum a Saxone ante foedus Smalcaldicum contractum uſque ad C millia aureorum luat; illud omne, quod bonis ipſi a Caeſare donatis inhaeret, diſſolvat; eaque ratione controverſiis, quae inter ipſos ſunt, finis imponatur. Additum et conditionibus, ut nihil Saxo contra illos, qui Mauritio militarent, moveat, ac neque contra Daniae regem Caeſaris ſororium: decreta Caeſaris et Ordinum ſervet; et, quia capitis poena ei remittatur, in Caeſaris aut Philippi Hiſpaniarum principis cuſtodia maneat: hujus pacis beneficio uti poſſint ipſius Saxonis liberi et populi, modo conditiones ratas habeant: ab ea excluſi ſunt Albertus Mansfeldius ejuſque liberi, [e] Biclingus, et [f] Rhingravii comites Recrodus et Tumſernius: placuit tamen, ut hic poſtremus, ſi intra menſem copias dimitteret, comprehenderetur. Urgentibus uxore et Erneſto fratre ac principibus amicis, conditiones eas ratas habuit Saxo XIV Kal. Junias: in quibus cum initio perſcriptum fuiſſet, ut, quae Caeſar aut concilium de religione ſtatueret, ipſe approbaret; verum nulla ratione

VAR. LECT. [a] Liechtenbergae *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *le duc de Cleves.* [b] *Leuchtenberg.* [c] *les comtes de Mansfeld & de Solms.* [d] *ceux de Lubeck & Halle.* [e] *le comte de Beichlingen.* [f] *les reingraves Reckrod & Tumſhern.*

ratione adduci poſſet, ne praeſentis quidem mortis metu, ut aſſentiretur, Caeſar eam particulam induci juſſit: ita religionis cauſa facile omiſſa, modo aliae conditiones, quae Caeſaris auctoritatem et privatam utilitatem reſpiciebant, integrae manerent. Triduo poſt, cum Erneſtus et filii cum conſiliariis urbe egreſſi eſſent, Saxo praeſidiariis, qui ad III millia peditum erant, et CC equites, militiae ſacramentum remittit, et, ut ante triduum illinc diſcedant, imperat: a civibus viciſſim impetratum, Hiſpanorum et Huſſarorum licentia territis, ne praeſidium ex peregrino milite immitteretur. III Germanorum ſigna ductore Nic. Madrucio IX Kal. Jun. introducta ſunt; quo die Saxonis uxor, comitantibus eam Catharina Erneſti uxore et liberis, in caſtra Caeſaris venit, et victoris pedibus advoluta mox a Caeſare erigitur, perhumaniterque audita et honorificentiſſime accepta eſt. Multis cum lachrimis pro libertate viri Caeſarem deprecata hoc reſponſum tulit, in ipſius gratiam mortis poenam, in quam incurrerat, Saxoni remiſſam; quae convenerint ſervari oportere; neque ſe poſſe per temporum rationem illum liberum dimittere; per ſe quidem licere, ut maritum captivum ſequi poſſit. Interim ultro Saxoni permiſſum, ut per octo dies in urbe cum uxore et liberis commoraretur: unde digrediens ſumma liberalitate cuſtodes Hiſpanos remuneratus eſt, in illa etiam fortuna priſtinam animi magnitudinem ſervans. Ferdinandus cum Brandeburgico urbe luſtrata in caſtra redit, ac mox Caeſar poſt meridiem ingreditur in eam, et ad conjugem Saxonis ſalutandam in arcem pergit, iterumque eam conſolatus bono animo eſſe jubet. Ita convaſatis rebus ſuis Sibylla urbem, uti convenerat, reliquit, multis eam lachrimis abeuntem proſequente populo. Deductis [α] a [a] Meleniano, quae quamplurima [β] in arce erant, tormentis, et educto a Caeſare praeſidio, VIII Eid. Jun. Mauritius IIII ſigna ſuorum immittit, averſo eum vultu ſpectantibus civibus; ita ut ipſe pudore confuſus, demiſſiſque oculis, dum per urbem tranſiret, in neminem intuens recta in arcem contenderit; ubi poſtridie, convocatis conſulibus et urbis ſenatu, privilegia et immunitates ipſis confirmat, adactiſque in fidem, ſuam viciſſim fidem dat, de ſchola bellicis tumultibus collapſa mox cura et ſtudio ſuo inſtauranda: atque, ut alienae a ſe plebis animos demereretur, ruſticanos, qui profugerant, revocat, et ad aedificandum materiam, ac ſementem faciendam frumentum pollicetur, tenuioribus ſine pretio, ceteris mutuo. Dein, ut gratificaretur Caeſari, in [γ][b] Numburgenſis epiſcopatus poſſeſſionem Julium [c] Flugium a Saxone ante ſexennium inde ejectum mittit, expulſo Nic. [d] Amſtorfo, qui a Luthero inauguratus fuerat. Eodemque tempore Magdeburgico archiepiſcopo, qui anno ſuperiore cum Saxone tranſegerat, et indignante collegio ei tota ditione ceſſerat, coadjutor datur Fridericus Brandeburgici ſeptemviri filius. Tunc et mittitur Lazarus [e] Schwendius, qui Gotham nomine Caeſaris in poteſtatem redigeret, munitione, uti convenerat, ſolo aequata.

XII. DUM haec geruntur, Ericus Brunſvicus, qui cum Chriſtophoro [f] Wriſpergero et Philippo [g] Eberſtenio comite ad [h] Bremam caſtra poſuerat, X Kal. Jun. obſidionem ſolvit, diviſo exercitu; is erat omnino VIII CIƆ peditum et IIII CIƆ equitum; et Wriſpergero, qui alteram partem ducebat, locum et diem condicit, in quo rurſus convenirent. Interea Albertus Mansfeldius cum Hedeco, Rhingravio, Biclingo, Tumſernio et Conrado [i] Pheningo, Hamburgenſibus copiis, quae Bremenſibus auxilio venerant, conjungitur, tranſmiſſoque [k] Albi Brunſvicum aggreſſus fundit, antequam Wriſpergerus adveniret; qui ſub id momentum ſuperato flumine, ut ſe Brunſvico conjungeret, jam in fugam verſis Brunſvicanis, in Mansfeldianorum impedimenta forte incidit; et, equis ad duo millia captis, magna inſuper praeda, et quod

magis

VAR. LECT. [α] inde a *P. D. o. f.* [β] in arce *deſunt* *P. D. o. f.* [γ] Nuremburgenſis *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *le marquis de Marignan.* [b] *Naumburg.* [c] *Pflug.* [d] *Amſtorf.* [e] *Schwendi.* [f] *Wriſberger.* [g] *Eberſtein.* [h] *Bremen.* [i] *Pheningen.* [k] *Elbe f.*

magis victori, qui interea Brunſvicum inſequebatur, doluit, Tumſernio c millia CIƆIƆXLVII.
aureorum ademit, Brunſvici clade hoc Wriſpergero lucrum conciliante. Is ergo HENRICUS II.
tanta praeda potitus jam nocte adventante pedem retulit, et in Friſiam ſe recepit. Brunſvicus in [a] Wiſurgim cum toto equitatu compulſus multos e ſuis deſideravit; ipſe tormentis omnibus amiſſis incolumis evaſit, rejecta in Wriſpergerum culpa, qui loco et tempore non veniſſet: unde poſt multas altercationes, altero perfidiam, altero rei militaris imperitiam exprobrante, cum res ad duellum ſpectaret, vix tandem amicorum interventu compoſita eſt.

XIII. CONFECTIS in Saxonia rebus, Caeſar, qui Bohemorum proterviam coërcere in animo haberet, et metueret, ne Brunſvici ſtrage inflati Mansfeldiani Bohemis animos adderent, omnem cogitationem eo convertit, ne ingentis victoriae fructum tam parvo momento amitteret. Verum foederati plus Saxonis fortuna conſternati, quam ſua erecti, quod in eo uno principe omne robur Germaniae collocatum eſſe exiſtimarent; ad haec amiſſa grandi illa pecunia, quam alendo diu exercitui ſuffecturam ſperaverant, ubi reſciverunt Saxonem interventu amicorum cum Caeſare tranſegiſſe, copias diſſolvunt; et Mansfeldius quidem cum ſuis Bremam, Tumſernius cum reliquis ducibus Brunſvicum, dilapſo ſtatim milite, conceſſit. Itaque Caeſar eo metu liberatus de bello Magdeburgenſibus inferendo cogitare coepit, quod ab iis ſibi minus ſatisfactum diceret. Eo [b] [1] Pizagrius a Caeſare ſecreto miſſus urbis potiundae ſpem certam fecerat, quod diſcordare civeis et partium ſtudiis diſtringi diceret. Verum ubi de Caeſaris conſilio fama increbruit, ſopitis ad tempus diſcordiis, ad commune periculum propulſandum amicitia inter civeis coaluit. Igitur Caeſar, ex Brandeburgici ſeptemviri et Mauritii conſilio, omiſſa Magdeburgi obſidione, tranſmiſſo flumine per Gezenavicum et [c] Petrofeltum tertiis caſtris [d] Halam ad Salam venit, inde in Heſſiam tranſiturus, niſi [e] Heſſus ſatisfaceret. Inter Germanos et Hiſpanos milites jam a longo tempore ex aemulatione ſimultas alebatur, quae ex eo maxime inflammata eſt, quod Caeſar, hactenus fideli opera Germanorum eo in bello uſus, Jo. Friderici cuſtodiam Hiſpanis commiſiſſet: quod cum ad injuriam ſuam pertinere exiſtimarent Germani, res ex levi cauſa facile in apertam rixam exarſit. A lixis et calonibus initium fuit, Hiſpanis pabulatoribus a Germanis praeda ſpoliatis: cum illi tunc injuriam diſſimulaſſent, mox cum Italis, qui et ipſi petebantur, quamvis alioqui Hiſpanos odiſſent, communicatis conſiliis ſimul in armis ad pontem Salae impoſitum conveniunt: nec mora, Germani ad pugnam ex adverſa parte ſe inſtruunt. Caeſar tunc urbe exierat animi gratia ad venationem; qui, ubi reſcivit, confeſtim advolat; cumque prope eſſet ut concurrerent, fruſtra conatus animos mitigare, ad extremum Madrucianos, quos maxime dicto audienteis ſemper expertus fuerat, ſevocat et, ut urbis ſecuritati conſuleret, ſecum intro abducit. Hoc ſubſidio imminutis Germanorum, qui avidius pugnam appetebant, viribus, dum Mauritiani equites cunctantur, facile Hiſpani et Itali exorati ſunt, ut poſitis armis ad diverſoria ſua redirent. Ita rixae finis impoſitus; nec tantus motus plus quam XVI, et quidem nullius nominis hominum, morte ab utraque parte conſtitit. Interea Heſſus Caeſaris adventu perterrefactus, cum foederatorum exercitum, in quo ſummam fiduciam habebat, diſſolutum videret, nec quidquam ſpei aut opis ſupereſſe, quo ſe adverſus tam potentem hoſtem tueri poſſet, Brandeburgico ſeptemviro et Mauritio genero cum evocantibus, [f] Lipſiam venit. Ibi cum proponeretur, Caeſarem omnino velle, ut Heſſus ſine conditione ſe dederet, et arceis omneis ac tormenta traderet, re infecta diſceditur.

Dum

VAR. LECT. [c] XVII *P. D. o. f. d. MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Weſer r.* [b] *Pizzagni.* [c] *Peiterſeldt.* [d] *Halle ſur Saale.* [e] *le landgrave de Heſſe* [f] *Leipſick.*

NOT. [1] *Pizagnius* Put.

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

Dum domum rediret Heſſus, inter equitandum de pacis conditionibus et fortuna ſua cum Chriſtophoro [a] Eblebo ſermones confert, et, Siquidem certo compertum habetem, inquit, fore, ut Caeſar exorari ſe, meque domi quieſcere pateretur, et ex arcibus mihi unam cum tormentis inſtructam concederet; equidem publicae pacis cauſa reliquas demoliri, et omneis machinas, quae ſupereſſent, tradere minime recuſarem. Quem ſermonem cum avide arripuiſſet Eblebus, et ſe ad Mauritium relaturum recepiſſet, paucos poſt dies redit cum literis a Mauritio et Brandeburgico e caſtris ante [b] Witembergam pridie Non. Jun. ſcriptis; quibus continebatur, ſimul ac de ipſius voluntate certiores facti eſſent, ad Caeſarem denuo rem detuliſſe; quid impetraverint, ex paucis capitibus, quae Eblebus ferat, eum cogniturum: ceterum ſibi videri, leges a Caeſare dictas eſſe tolerabileis, et quas minime repudiare debeat: itaque Caeſari ſeſe permittat ſine conditione: neque enim vereri eum debere, ne graviora Caeſar imponat, aut ipſum captivum detineat: in eam rem ſe fidem ſuam interponere: et ſi quid ipſi praeter ea, quae formula comprehenſa ſint, durius imponatur, aut ſi detineatur, non recuſare, quin eandem ſubeant fortunam, et ab ipſius interpellati filiis ad ſatisfaciendum ſeſe ſiſtant. De religione item cautum iri ſpondent eodem modo, quo ante bellum et Joanni Brandeburgici fratri cautum ſit. Leges eae erant; ut Heſſus ſine conditione ſe dederet, et ad Caeſarem veniens ſupplex culpam ſibi condonari peteret: erga Caeſarem deinceps obſequenter et officioſe ſe gereret; quae Caeſar pro reipublicae ſalute decreta facturus ſit, ſervaret: judiciis camerae a Caeſare conſtituendae pareret, et ſumptus in eam pro virili ſuſtineret; ab omni foedere, ac praecipue a Smalcaldico, diſcederet, traditis omnibus ejus rei literis et monumentis: nullum foedus deinceps iceret, in quo non Caeſar et Ferdinandus comprehendantur: adverſus Turcam auxilia, ut reliqui principes, ſubminiſtraret: hoſtibus Caeſaris omni ſua provincia interdiceret; et ſi quem Caeſar mulctare velit, eum minime defendendum ſuſciperet: Caeſari per ſuos fineis, cum res ita feret, iter daret: in ſuae ditionis homines, qui contra Caeſarem aut Ferdinandum arma ferent, ſevere animadverteret: eos, qui jam militent, revocaret, ita ut ante XIV diem a ſignis diſcedant; ni pareant, bonis omnibus Caeſari addicendis mulctentur: in ſumptus hoc bello factos, intra quartum menſem, CL aureorum millia dependeret: arceis omneis, praeter [α] [c] Caſellas aut [d] Zegenhemum, ad ſolum uſque demoliretur, et quos in eas imponeret praeſidiarios in fidem Caeſaris adigeret; nullas niſi de voluntate Caeſaris poſtea muniret: tormenta omnia traderet; ex quibus Caeſar ei largiturus ſit, quantum ſatis eſſe videbitur, ad ejus loci, [β] qui ipſi concedetur, tutelam: Henricum Brunſvicum ejuſque filium liberos dimitteret, provinciaque reddita ejus ditionis populo jusjurandum remitteret, ac de damno dato cum Henrico tranſigeret: Pruſſiae magiſtro per vim ablata reſtitueret: in regem Daniae atque alios, quod ipſi opem non tulerint, aut Caeſaris parteis ſecuti ſint, nihil moveret: captivos omneis, qui Caeſari militaverint, abſque mulcta dimitteret: iis, qui jure cum ipſo volent experiri, ſe ſiſteret: has leges Heſſi liberi ratas haberent, nobilitas et ipſius ditionis populi; et, ſi quidem Heſſus pacta non ſervet, illi comprehenſum Caeſari tradere teneantur. Pro iis omnibus Brandeburgicus ſeptemvir, Mauritius, et Wolfangus Palatinus generi fidem interponunt; et, niſi Heſſus pareat, ipſi ſe illum ad ſuſcipiendas ſervandaſque conditiones pro virili adacturos ſpondent. Haec ſtatim ab Eblebo accepta Heſſus de ſuorum Ordinum conſenſu recepit; nonnulla tamen amplius declarari poſtulat. Cum adhuc Caeſar in caſtris ante Witembergam eſſet, ad Imperii Ordines literas dederat, ut ſub Eid. Jun. [γ] Ulmam convenirent. Eo legati Otho [e] Truchesius cardinalis Auguſtanus, Jo.

VAR. LECT. [α] Caſellum *P.* [β] quem Caeſar concedet *P. D. o. f.* [γ] Ulmae *P.*

INTERPR. [a] *Ebleben.* [b] *Wittemberg.* [c] *Caſſel.* [d] *Ziegenheim.* [e] *Truchſes, cardinal d'Augsburg.*

Jo. Brandeburgicus, [a] Liranius, [b] Haſius miſſi. Ibi prolixa oratione et egregia Caeſaris voluntas erga Germaniae rempublicam, et Saxonis atque Heſſi perduellium crimen extollitur; ſimul exantlati a Caeſare pro communi ſalute labores et adita pericula commemorantur, ut otium et pacem Germaniae conciliaret; cui conſultum optime videatur, ſi foedus in poſterum ineatur, quo praeſens hic tumultus et ſi qui alii deinceps exoriantur facili momento coërceri et componi poſſint. Fuit irrita deliberatio, graſſante per urbem peſtilentia, qua compulſi legati Auguſtam ſe contulerunt. Interea Heſſus Brandeburgici ſeptemviri et Mauritii fidem ſecutus, qui obviam ei [c] Numburgum uſque proceſſerant, inter utrumque medius Halam ſub veſperam [α] XIV Kal. Quintil. ingreditur. Mox et eo venit eodem die Henricus Brunſvicus cum Carolo Victore captivo et Philippo filiis, quibus obviam ierat Ericus is, quem nuper ad [d] Wiſurgim fuſum fuiſſe diximus. Allata mane per Chriſtophorum [e] Carlebicium pacis formula, uti Heſſus ſubſcriberet, ille ſibi integrum non eſſe dixit, quod in ea Caeſariani miniſtri addidiſſent, Caeſaris eſſe ſingula ejus capita interpretari; quae verba in exemplo Numburgum ſibi ab Eblebo allato perſcripta non erant: cum contra [f] Atrebatenſis epiſcopus urgeret, et id ſcribae negligentia omiſſum cauſaretur, Heſſus ſuadente genero morem gerit. Petierat Heſſus, ut, ſicut antea Brandeburgicis et Mauritio, itidem ſibi de religione caveretur. Viciſſim ab eo Atrebatenſis petiit, ut Caeſari caveret, ſe concilii Tridentini decretis pariturum: quod cum ille renueret, neque ejus rei mentionem apud ſe [β] aut pacis formula factam diceret, adderetque, malle ſe cautione Caeſaris carere, quam ipſe de ea re Caeſari cavere, poſt longam et acrem diſceptationem minae adhibentur, jam conſediſſe in aula Caeſarem, et ipſum opperiri; moleſteque omnem moram ferre: tandem Heſſus liberi, pii, et generalis concilii, in quo et in caput et in membra inquireretur, decretis ſe aſſenſurum recepit, ſicut Brandeburgici et Mauritius facturi eſſent: quod eo additum eſt, quia illi ſe ab Auguſtana confeſſione non diſceſſuros promiſerant. Igitur ſub horam quintam poſt meridiem a Brandeburgico ſeptemviro et Mauritio ad Caeſarem adductus cum in genua ſubſediſſet, per [g] Gunterodum cancellarium ſupplex libellus, ea qua convenerat forma, recitatur, quo ſibi crimen condonari et proſcriptionem aboleri poſtulabat. Ad quem Caeſar re deliberata per Georgium [h] Seldium reſpondit, ſe, quando ſupplex crimen fateretur et veniam peteret, libenter condonare omnia, neque recuſare, quin et a proſcriptione liberetur, et neque ſupplicio, quod ſit commeritus, neque carcere perpetuo boniſve mulctetur amplius, quam ſit pacis formula perſcriptum. Actioni intererant Maximilianus Ferdinandi filius, Philibertus [i] Sabaudus, [k] Albanus, Pruſſiae magiſter, [l] Atrebatenſis, Numburgicus, et Hildeſemius epiſcopi; Henricus et Carolus Victor et Philippus Brunſvici; pontificius legatus; Bohemiae ac Daniae regum, [m] Clivenſis et [n] maritimarum civitatum oratores; aliique magno numero ex nobilitate. Heſſus, qui ſalva putaret omnia, gratias magna fiducia agit, et, cum diutius eum genibus inſidere pateretur Caeſar, injuſſus ſurgit; cumque tanquam Caeſarem affaturus et manum praebiturus propius acceſſiſſet, Brandeburgicus, qui ſciret nolle Caeſarem, medium ſe interpoſuit, et ipſum ac Mauritium unaque ſe apud Albanum coenaturos dicit. Neque tamen aut Heſſus aut Brandeburgicus tunc quidquam de Caeſaris conſilio ſubodorari potuit. Poſt coenam Brandeburgicus et Mauritius cum Albano et Atrebatenſi ea de re ſermonem habent, dum interea Heſſus fallendi temporis ergo alea luderet; tandem, cum nihil ab illis impetrare potuiſſent, multa jam nocte ſevocato Heſſo per Euſtochium [o] Schelebum oſtendunt, ſe per omnem vitam, ut viros principes

VAR. LECT. [α] XIII *P. D. o. ſ. d. MS. Reg.* [β] aut in *P. D. o. ſ.*

INTERPR. [a] *de la Lire.* [b] *Haſen.* [c] *Naumburg.* [d] *Weſer.* [e] *Carlowitz.* [f] *Antoine Perrenot de Gravvelle, eveſque d'Arras.* [g] *Gunterott.* [h] *Selden.* [i] *le prince de Piedmont.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *les eveſques d'Arras, de Naumburg, & d'Hildeſheim.* [m] *le duc de Cleves* [n] *villes Hanſeatiques.* [o] *Schleben.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II. principes docet, ſincera fide egiſſe et, quidquid polliciti ſint, diligenter praeſtitiſſe; eandem fidem ab aliis etiam expectaſſe: Albanum et Atrebatenſem dicere, ipſi ſub cuſtodia ibi pernoctandum eſſe; quod ſibi pergrave et acerbiſſimum ſit; ſperare tamen, ubi cum Caeſare collocuti fuerint, rem ex ejus ſententia confectum iri. Ad haec [a] Heſſus, fidem datam obteſtari, quam ipſe ſecutus huc venerit; rogare, ut ipſi ſatisfaciant, et, quid ſibi, quid uxori et liberis promiſerint, in memoriam revocent. Ita nox illa inter exprobrationes et querelas tranſacta, manentibus cum Heſſo, ut aliqua ex parte illi ſatisfieret, Mauritio et nonnullis ex Brandeburgici conſiliariis. Joanni Guevarae Hiſpanorum militum duci cuſtodiendi ejus cura attributa eſt. Poſtero die magna contentio coram Caeſare inſtituitur. Brandeburgicus et Mauritius, id quantum ad ſuam exiſtimationem pertineat, demonſtrant; neque enim, ſi qua fuiſſet vel minima ſuſpicio, ei auctores futuros, ut ſe ſiſteret, nec illum, ubi libertatem eſſet amiſſurus, venturum fuiſſe: ejus rei nomine ſe illi caviſſe: haberet ipſorum rationem, fidemque a ſe Heſſo datam liberaret. Caeſar contra, quid illi Heſſo promiſerint, ſe ignorare; ſe quidem caviſſe illi, non quod omnino non eſſet detinendus, ſed quod non perpetuo carcere: nec aliud perſcriptum eſſe. Re ad conſiliarios relata, Atrebatenſis interceſſores ad ſcriptum vocat; poſtque animoſam diſceptationem, licere Heſſo, ſi velit, diſcedere pronunciatum eſt: ſed cum, ut incolumis domum deduceretur, fide publica ſibi caveri poſtularet, ab iis denegatum eſt. Biduo poſt ei nunciatur, Caeſarem ſequatur: cum ille recuſaret, nec ſe niſi vi pertrahi poſſe diceret, Brandeburgicus et Mauritius orant, ut pareat, dextraque data coram compluribus ex praecipua nobilitate, ſe non diſceſſuros a Caeſaris comitatu promittunt, antequam liberetur. Numburgum cum eo profecti rurſus apud Caeſarem intercedunt; qui interminatur, Heſſum ſe in Hiſpaniam ablegaturum, niſi ab interceſſione deſiſtant, et ab aula quamprimum diſcedant. Ea de re Heſſum per [a] Carlebicium certiorem faciunt, et, quod aula diſceſſerint, ut ſe excuſet, rogant, exiſtimetque potius ſe in eo ipſius periculi, quam fidei datae rationem habuiſſe: ceterum ſi conditionibus primo quoque tempore ſatisfaciat, de ejus libertate bene ſperare. Digreſſo ex Thuringia exercitu, ubi [b] Gravetellum ventum eſt, Heſſus cum Albano agit, et fidei publicae formula exhibita, cum Albanus non niſi de carcere perpetuo caviſſe Caeſarem diceret, Et quis erit, inquit Heſſus, captivitatis modus? aut quo temporis intervallo terminabitur? Etiamſi, retulit Albanus, per XIV aut eo amplius annos te Caeſar detineat, nihil contra datam fidem fecerit. Ille ergo carceris taedio, ut erat animo inquieto et omnis alienae potentiae impatiens, ut libertatem recuperaret, conditiones, quantum in ſe fuit, adimplet, et omni pecunia dependſa arcis demolitur, et tormenta tradit. Id indigne factum merito pleriſque viſum eſt, Caeſaris candorem et conſiliariorum prudentiam in eo deſiderantibus, qui vafra cavillatione fidem tanti principis in dubium vocaverint, et maximorum principum ac de Caeſare optime meritorum offenſionem ex ea occaſione in eum concitaverint: quod improbitati [c] Atrebatenſis praecipue tributum eſt, hominis callidi, et qui [1] literulae unius inverſa forma interceſſores, ipſumque adeo Heſſum deceperit. Certe ex ea re [d] Eblebus, quem internuncium fuiſſe diximus, tantum dolorem cepit, ut paulo poſt ex moerore deceſſerit. Neque vero ſit ſimile, quod Ludovicus Avila, ut multa alia, in Caeſaris gratiam confinxit, nimirum Heſſum propria manu formulam perſcripſiſſe; ut de ſcripturae aut ſcriptoris errore jure conqueri non potuerit. Nam cum tot ſcripta contraria

ea

VAR. LECT. [a] Lantgravius *ſaepe* *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Carlowitz.* [b] *Groventhal.* [c] *de Granvelle, evêque d'Arras.* [d] *Eblebn.*

NOT. [1] *Einig* un ſeul jour, *Ewig* perpetuellement.

Nicht ein einig tag gefangen ſein	*Nicht ein ewig tag gefangen ſein*
Non un ſeul jour priſonnier eſtre.	Non un perpetuel jour priſonnier eſtre. *Put. L.*

ea ſuper re ab utraque parte edita ſint, nuſquam id Heſſo objectum legitur. Multi CIƆIƆXLVII.
exiſtimant, Caeſarianos fraudulentum et inſidioſum conſilium, cujus Heſſus inſimu- HENRICUS II.
labatur, hac fraude ulciſci aequum duxiſſe: nam cum ante aliquot menſeis prid. Eid. April. a Maximiliano [a] Burano, qui cum XII ſignis et CCCC circiter equitibus Francofurtum tenebat, de Gulielmo [b] Werdenſi et Jo. [c][α] Gelinhauſio Heſſo, ut conjuratis, ſupplicium ſumptum eſſet, ſcriptum evulgatur, quo continebatur, reos, [β] et in carcere et cum ad ſupplicium ducerentur, confeſſos eſſe, ſe ab Heſſo ſummiſſos, qui, unius portae clavibus a fabro comparatis, quatuor diverſis locis urbem incenderent, claviſque ferreis infixis machinarum bellicarum uſum adimerent, ipſum Buranum et ejus familiareis et conſulem atque ſenatum trucidarent, puteos urbis veneno corrumperent, et illum imprimis, unde aqua ad uſum culinae Burani hauriebatur. Et quamvis poſtea Heſſus contrario edito ſcripto objecta crimina diluiſſet, a Caeſarianis tamen conſtanter creditum eſt, vana non fuiſſe quae jactabantur; quod rei in ea confeſſione ad mortem uſque perſtitiſſent. Id ſive odio datum, ſive quod Hiſpani tuta quam honeſta conſilia libentius amplectuntur, undecunque natus ſit error, cum Brandeburgicus et Mauritius pro tempore diſſimularunt; et Caeſaris offenſionem veriti, cujus majeſtati ex eo plagio ignominioſae injuriae nota inurebatur, ad miſeras preces deſcenderunt, et, cum Chriſtina Heſſi uxore ac reliquis principibus et Imperii Ordinibus votis conjunctis, rurſus poſtea [d] Auguſtae in comitiis VI Kal. Decemb. interceſſerunt. Ante intercesſionem, cum Caeſar ſtatum cauſae expoſuiſſet, juſque ſibi per cautiones datas eſſe diceret Heſſum detinendi, Mauritius intercesſorum nomine Caeſarem oravit, ut omiſſis altercationibus, ſive is error ex vitio ſcripturae ſive linguae imperitia admiſſus eſſet, ne eum contra ſe interpretaretur, qui fidem ſuam obſtrinxiſſent; neque tam ea in re Heſſi rationem haberet, quam ipſorum, quorum fides hoc in bello perſpecta ſit, et quorum exiſtimationis interſit, Heſſum libertati reſtitui. Caeſar, qui videret Brandeburgicum et Mauritium tantopere urgere, quod Heſſi uxori et liberis ſcripto caviſſent, per [e] Liranium cum Heſſo, qui tum ab Hiſpanis [f] Norlingam traductus fuerat, egit, ut quas haberet foederatorum literas, etiam illas, quibus ei publice Brandeburgicus et Mauritius caviſſent, redderet, ratus cautione reddita illos ab intercesſione deſituros. Verum cum Heſſus eas in poteſtate filiorum eſſe reſpondiſſet, et, niſi de ſuae liberationis tempore a Caeſare certi fiant, minime reddituros affirmaret, Caeſar, ut cuſtodiae acerbitate ferocem captivi animum infleCteret, remotis ab eo familiaribus unum et alterum tantum ex domeſticis ei relinquit. Verum nihil ea ratione utrinque profectum eſt: nec enim hic ſibi jus ſuum eripi paſſus eſt, nec ille, ut Heſſum liberaret, ullis precibus adduci potuit.

XIV. INTERIM [g] Melenianus mittitur, qui machinas bellicas ex utriuſque captivi principis ac [h] Wirtembergici urbibus et arcibus deduceret. Ad ID fuiſſe memorant: quarum partem [i] Mediolanum et Neapolim, partem in Hiſpaniam miſit, reliquas per [k] Belgium diſtribuit, tanquam partae de Germanis victoriae manubias; non ſine occulto in animis Germanorum injuriae ſenſu, qui ſero errore animadverſo ſua ſibi opera et imprudentia ſuum decus et gentis gloriam ereptam dolebant. Dein reliquis Imperii Ordinibus, quorum contemplatione bellum ſuſceptum dicebat, grandis pecunia imperata; et ii, qui foederatis militaverant, tota paſſim Germania mulctantur. Ea ſumma, ut ex rationibus publicis poſtea apparuit, decies ſexies centena millia aureorum conficiebat. Duriorem et ſe Caeſar erga multos praebuit: nam

VAR. LECT. [α] Geluſio P. *D.* o. f. d. [β] et *deeſt* *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *d'Egmond, comte de Buren.* [b] *Werden.* [c] *Gelenhauſſen.* [d] *Augsburg.* [e] *le ſieur de la Lire.* [f] *Nordlingen.* [g] *le marquis de Marignan.* [h] *le duc de Wirtemberg.* [i] *Milan & Naples.* [k] *Pays bas.*

CIƆIƆXLVII. HENRICUS II. nam Georgium Wirtembergicum Ulrici fratrem, Albertum [a] Mansfeldinm, Jo. [b] Hedecum, Lud. [c] Oetingenſem et cognominem filium, a pacis beneficio omnino excluſit; quorum bona proſcripſir: et Oetingenſis quidem patrimonium Friderico et Wolfango [α] filiis parteis ſuas ſecutis attribuit; unde miſer parens cum nxore, et liberis, qui ſupererant, omnibus bonis exutus, et diu exul, tandem [d] Argentinam venit, vixque mutata demum conditione temporum, ut ſibi ignoſceretur, impetravit. Nec ſolum Caeſarem Germania gravem experta eſt, ſed et Ferdinandum fratrem, qui propter ſuis finibus damna data a foederatis et civitatibus, ac praecipue ab Auguſtanis et Ulmenſibus, magnam pecuniae vim exegit: ac poſtremo Ulrico Wirtembergico antiquam de tota provincia controverſiam movit; quod, quamvis duriſſimis conditionibus pacem a Caeſare redemiſſet, fidem et priora pacta violaſſe cum diceret. Ferdinandi exemplo etiam [e] cardinales Auguſtanus et Tridentinus a civitate uterque ſua ingentem pecuniam emunxerunt; atque hic quidem ex ea occaſione, quod Ferdinando auxilia ſummiſiſſe diceret ad arcem [f] Erembergam recuperandam, quam Schertelius, qui Auguſtanorum ſtipendiis merebat, initio belli occupaverat.

XV. SUPERABAT bellum Bohemicum, quod poſt tot feliceis ſucceſſus levi opera confectum eſt. Ii enim, quamvis in armis eſſent duce Gaſpare [g] Fluglo, ubi de Saxonis clade cognoverunt, ad Caeſarem mittunt [h] Minavium et Storembergum comites, qui victoriam gratularentur, et commeatum atque annonam polliciti cum orarent, ut offenſum ſibi immerito, ſicuti aiebant, Ferdinandum fratrem placatiorem redderet. Illis etiam negorium datum, ut per Caeſarem et regem agerent, ut exercitus in [i] Pannoniam adverſus Turcam, de cujus adventu rumor increbruerat, ducerentur, ad hujuſque belli ſocietatem vicini principes invitarentur. Ambiguo reſponſo cum non amici, ſed ſubirati animi nterque ſignum dediſſet, illi triſtes domum redeunt. Aliquanto poſt Eid. Maiis rex e caſtris ante [k] Witembergam ad [l] Pragenſeis reſcribit: et quia foedus inter eos et cum Saxone nuper initum excuſabant, quaſi nihil in eo novi vel contra morem regionis feciſſent, ille contra rem novi et pernicioſi exempli eſſe demonſtrat, quaeque in ſuam injuriam redundet; et foedus ictum, et, quae per abſentiam ſuam fecerint, omnia in Caeſarem et ſe facta eſſe. Perit ergo, ut illud quamprimum aboleant, et ſigillum cuique ſuum reddant, foederiſque formulam legatis ſuis tradant; hac ratione ſibi ſatisfieri poſſe: niſi pareant, ſe conſilium ex tempore capturum. Dum [m] Halae eſſet Caeſar, Ferdinandus [n] Laetmericiam in regni finibus venerat: inde datis ad omneis Bohemiae Ordines literis rurſus de foedere conqueritur; verbiſque minacibus mandat, ut ab eo diſcedant, et ſinguli quid ſuae ſit voluntatis confeſtim ad eum perſcribant: quippe ſcire ſe multos imprudentia lapſos, quos venia dignos exiſtimet; neque quicquam gravius conſulturum, niſi tantum in eos, qui majeſtatem regiam conſulto violarint. Has ſub id ferme tempus accepere Bohemi, quo de ſucceſſu Mansfeldii et [o] Tumſernii contra [p] Brunſvicum cognoverunt: cumque ex eo animos [β] ſumpſiſſent, et quod Heſſum [q] Lipſia re infecta diſceſſiſſe inaudiviſſent; ubi mox et Heſſum Halam veniſſe et carcere detineri intellexerunt, jam ſpe omni abjecta, de errore emendando, ſed ſero, cogitare coeperunt. Caeſar Hala diſcedens, per Thuringiam iter facturus, [r] Melenianum cum VIII Germanorum vexillis auxilio in Bohemiam miſerat, praemiſſo antea Auguſto Mauritii fratre cum 10 equitibus et duobus peditum millibus. His fretus viribus rex Laetmericia [s] Pragam verſus caſtra promovet; ubi, cum rurſus ope vicinorum oppidorum

extrema

VAR. LECT. [α] filiis ſe ſecutis *P. D. o. f. d.* [β] ſuſtuliſſent *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *le comte de Mansfeld.* [b] *Heideck.* [c] *le comte d'Oetingen.* [d] *Strasbourg.* [e] *les cardinaux d'Augsburg & de Trente.* [f] *Ehrenberg.* [g] *Pflug.* [h] *Minaw & Storenberg.* [i] *Hongrie.* [k] *Wittenberg.* [l] *ceux de Prague.* [m] *Halle.* [n] *Leitmeritz.* [o] *Tomſhern.* [p] *Eric, duc de Brunſwick.* [q] *Leipſick.* [r] *le marquis de Marignan.* [s] *Prague.*

extrema quaeque cives infeliciter tentaſſent, poſtremo a Carolo [a] Saradino profligati tandem ſe regis arbitrio permiſerunt. Ille igitur Kal. Julii ſcriptis ad Pragenſeis literis mandat, ut pridie Nonas in arce Pragenſi ſibi praeſto ſint, et ſeſe cognitioni ſiſtant. Ibi depoſitis armis, et tormentis, quae contra arcem directa erant, remotis, 10 ex civibus ſupplices ante Ferdinandum in genua procubuerunt, talemque orationem habuiſſe perhibentur: Nec Dei tanta erga nos appareat miſericordia, glorioſiſſime princeps, niſi ſcelerum magnitudine provocaretur; nec tua in nos tam illuſtris eſſet clementia, niſi juſtiſſimam iram tuam gravitate criminum in nos acuiſſemus: quippe nuſquam uberior regiae manſuetudinis ſeges, quam in armis civilibus et populorum rebellionibus conſpicitur. In aliis bellis, cum utriuſque par ſit cauſa, par juris ratio, fortunae, non aequitatis arbitrium eſt: heic vero quidquid obtenditur, crimen eſt; quidquid contra a principe opponitur, juris rationem obtinet. Itaque cum altera pars furore, altera jure nitatur, fere ſemper uſu venit, ut haec ſuperior evadat; eoque fit, ut, quo magis illius exorbitet pervicacia, eo magis hujus exuberare debeat gratia. Hac ſpe atque adeo fiducia, potentiſſime rex, pedibus tuis advolvimur rei et ſupplices; nam culpam agnoſcimus, et praecipua in confeſſione defenſio eſt, majore erroris noſtri ſenſu, quam tuae indignationis licet juſtiſſimae metu. Tu in nos, nam potes, in conjuges et liberos, in domos et fortunas non jure victoris, nam hoc minus eſt quam quod tibi licet, ſed jure magiſtratus in convictos et confeſſos reos aut jure principis in rebelleis utere. Quidquid ſtatueris, minus erit, quam quod meriti ſumus. Nam quibus non, aut quot non modis in regiam majeſtatem peccavimus? quo non contumeliarum genere iram tibi principi licet patientiſſimo expreſſimus? Quid ergo ſupereſt, niſi ut, cum culpam poena aequare non queat, contraria via in nos vindices, et, quo majus crimen noſtrum, eo magis animi tui magnitudinem oſtendas? Audivimus Hiſpanos xx abhinc annis ſub [b][a] Chevrio rebellanteis; nuper et [c] Gandenſeis ſub Maria ſorore: audivimus et poenam: audiant Germaniae populi, audiant et exterae nationes, te recentis atque adeo paene domeſtici exempli memorem, cum de ſontibus poenas exigere poſſes, nos indignos ira tua exiſtimaſſe, et ignoſcendo victis benignitatis gloriam mereri, quam in ſupplices reos jure tuo uti maluiſſe. Hunc adde cumulum laudibus tuis, ut, cum nos armis viceris, tui potius quam erroris noſtri rationem habuiſſe videaris; hoc eſt, teipſum vincas. Vita, fama, fortunae, bona, quae dederis, aeternum tuae clementiae et noſtrae ex adverſo ingratitudinis monumentum erunt; et, quam diu iis fruemur, tam diu nos culpae noſtrae poeniteat, neceſſe eſt, quam gratia tua nobis perpetuo exprobrabit. Ejus autem poenitentiae hic erit fructus, ut conſtantius tibi obedientes ſimus, et, dum obſequium tibi praeſtamus, nobis intus et foris ſecuritatem paremus. Quod ratione, quae in furore praepeditis minimum valet, conſequi non potuiſti, id pudore a victis facile extorquebis. Ita rem dignam ſi non errore noſtro, at certe regio faſtigio, illuſtriſſimaque tua familia, ac te ipſo, et illa fortuna, quam Deus pro merito tibi concedit, feceris. Age ergo, clementiſſime princeps, et nos quamlibet indignos in gratiam tuam accipe. Sic invictiſſimo Caeſari fratri tuo Germania pacata libentiſſime quamprimum ſubdat univerſa cervices: ſic Bohemos ac vicinos populos egregio rarae humanitatis exemplo invitatos tam obſequenteis in poſterum habeatis, quam duros et ferocis antea magno noſtro dedecore, ſed ſempiterna nominis veſtri cum laude, uterque experti eſtis. Hac audita oratione rex nihil commotus in conſeſſu rem omnem anteactam repetit, et ſingulorum in ſe admiſſorum criminum accuſationem inſtituit; atque, ut ad ſingula accuſationis capita reſpondeant, jubet: cum illi rurſus eadem ingererent ad inaneis clementiae laudes revoluti, poſtremo rationibus poſt confeſſum

CIƆIƆXLVII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [a] Ceurio P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Saradin,* [b] *Guillaume de Croy, ſieur de Chievres.* [c] *ceux de Gand en Flandres.*

CIↃIↃXLVII.

HENRICUS II.

confeſſum crimen deficientibus, quod ultimum reorum ſubſidium eſt, lachrimas addiderunt. Tum rex ridenti ſimilis, quaſſato leniter capite, feras eas lachrimas dixit; tunc decuiſſe nimirum flere eos, cum initio de armis conſilia inter ſe contulerunt. Igitur illi tam triſti reſponſo attoniti ad Ferdinandum regis alterum filium, et Auguſtum, alioſque qui aderant proceres confugiunt et, ut intercedant, obnixe rogant. In gratiam eorum rex ſingulis quidem crimen remiſit, nihil tamen de univerſorum poena mitigavit: omneſque illi in arce tamdiu aſſervari juſſi, donec de re tota decerneret. Quatriduo poſt ſupplicibus hae dictae leges: Proximis conventibus foedus initum aboleant, concerptis omnibus ſigillis: privilegiorum et immunitatum exempla et documenta omnia exhibeant; ex quibus, quae velit, rex revocet, aut, ſi videbitur, denuo largiatur et confirmet: literas item omneis, quibus tribuum et ſocietatum jura continentur, conſignent; quod ea turbis ac diſſenſionibus cauſam dediſſe conſtaret: arceis tradant, et juriſdictioni omni ac vectigalibus renuncient; foederiſque cum Saxone initi literas tradant: cerviſiae vectigal, quod in annos treis promiſerant, perpetuo dependant: machinas bellicas omneis cum omni reliquo inſtrumento in arcem deducant; et quae privatim quiſque habet arma uſibus publicis in curia deponant. Dum haec perficerentur, omnes in carcere detenti: mox ex iis L dimiſſi; ex ceteris multi ad mortem, alii ad perpetuos carceres damnati ſunt: ex nobilitate complures in jus vocati, cum ad diem non veniſſent, poenam perduellionis omnes commiſiſſe pronunciantur. Etiam in caput Gaſparis [a] Flugii partium ducis pretium [1] XV millium aureorum conſtituitur. Ex publicatis damnatorum bonis CC aureorum millia corraſa, et ex vectigalibus Pragenſis curiae regi addictis in fiſcum redacta fuiſſe CCXV CIↃ aureorum annui reditus ſcripſere Caeſariani. Ex eo certe bello plus emolumenti ad Ferdinandum, quam ex tota fere Germania ſive ſubacta ſive mulctata ad Caeſarem rediiſſe conſtat; quippe cum Ferdinandus ſibi et in ſuo, Caeſar imperatoriae dignitati ac veluti in alieno laboraverit. Nam, ſi tormenta et reliquum apparatum demas, quid ex tanta praeda poſt victoriam reliqui eſſe potuerit, non video.

XVI. DUM haec in Bohemia geruntur, Caeſar Hala ſeptimis caſtris per Thuringiam Bambergam in Franconia venerat. Ibi obvium habuit cardinalem [b] Sfondratum a pontifice miſſum, ut de victoria ipſi gratularetur: eum honorificentiſſime acceptum non ſine aliqua tamen offenſionis ſignificatione dimiſit, quod [c] P. Aloiſium nuper a parente Parmae et Placentiae ducem creatum, occulte res novas in Italia moliri, atque adeo conjurationi [d] Fliſcanae cauſam dediſſe diceret. Inde tertiis caſtris [e] Norimbergam contendit, captivis, quorum ſummam apud civeis gratiam eſſe ſciret, ne quid turbarum ſuboriretur, urbem ingredi prohibitis, ſed extra diligenter ab Hiſpanis cuſtoditis. Ibi Hamburgenſes, quorum civitas in aeſtuario maris ad [f] Albim in faucibus [g] Cimbricae Cherſoneſi ſita eſt, cum captis ducibus et confecto bello Bohemico nulla amplius ſpes eſſet, per legatos ſe a foedere diſceſſuros promittunt, et depenſis in ſumptus belli C millibus aureorum Caeſari reconciliantur: quod eo gratius illi accidit, quia horum exemplo Lubecenſeis, quorum civitas in adverſo litore ad oceanum in faucibus item Cherſoneſi poſita eſt, ac reliquas Saxoniae urbes ad officium redituras ſperaret. Nec ſpe ſua omnino falſus eſt. Nam mox, cum VII Eid. Quintil. [h] Auguſtam veniſſet, [i] Lubecenſes ac Brunſvicenſes legatos miſerunt, et excuſata ſuperiorum temporum conditione, ac perſolutis CC millibus aureorum, a Caeſare in gratiam accipiuntur. Nec multo poſt Philippus et [2] Bernardus Pomeraniae principes

INTERPR. [a] *Pflug.* [b] *Sfondrato.* [c] *Pier Luigi da Farneſe, duca di Parma & Piacenza.* [d] *de Fieſchi.* [e] *Nuremberg.* [f] *Elbe r.* [g] *Jutland & Sleſwick.* [h] *Augsburg.* [i] *ceux de Lubeck & de Brunſwick.*

NOT. [1] Lege V: ſic Sleidanus lib. 19, unde locus deſumptus. *Put.*

[2] Lege *Barnimus*; ut in lib. 21. Il eſtoit fils de Bogiſlas. *Put.*

principes cum Caeſare tranſegerunt. Miſerunt et Luneburgenſes ſuos legatos; ſed, cum interpellati nimis ſuperbe, uti victori videbatur, reſpondiſſent, in gratiam accepti non ſunt. Cum Auguſtam ingrederetur Caeſar, ex captivis alterum ſecum introduxit, Heſſum [a] Donaverdae reliquit; ubi ab Hiſpanis, in quorum cuſtodia erat, ſive quod ferocius ſe gereret, quam captivum decebat, id enim illi aiebant; ſive quod ſuperbae genti victis inſultare ſolemne ſit, omni contumeliarum genere habitus eſt. Mox praeſidiarii, quos Caeſar civitati duce Georgio Schaumburgio impoſuerat, perſolutis ſtipendiis dimiſſi; [b] Meleniani item et [c] Jo. Naſſovii milites, quod iis confecto bello minime opus eſſe videretur; atque ex XL Germanorum vexillis, VIII ſolummodo retenta ſunt: quod ad ſuam injuriam pertinere Germani arbitrati ſunt; nam in agris paſſim Hiſpanorum et Italorum copias cernere erat, quas Caeſar per oppida diſtribuerat; ac [α] [d] Wiſſeburgo quidem oppido [e] Norgoiae IↃ CC Neapolitani equites hyemandi cauſa impoſiti ſunt. Qui fuere immunes, ut [f] Memingenſes et Campodunenſes, magna vi auri vexationem hanc redemerunt; illi XXX, hi XX CIↃ aureorum depenſis. Venerant et ex [g] Belgio IↃ equites per pagos et ipſi diſtributi. Cum autem Hiſpanorum XII ſigna aliquandiu [h] Biberaci ſubſtitiſſent, inde ad [i] Acronium lacum deducti ſunt, ad Conſtantienſem expeditionem deſtinati.

XVII. Hunc exitum eo anno bellum Germanicum habuit, omnium quae geſta ſunt in ea gente et noſtris et majorum temporibus poſt Romani imperii diſſolutionem maxime memorabile; cujus confecti qui gloriam virtuti et prudentiae Caeſaris tribuunt, non hercle reprehenderim: nam in caſtris ad Ingolſtadium ſummum heroicae fortitudinis et imperterriti animi ſpecimen exhibuiſſe eum, ne hoſtes quidem negant, cum a foederatorum numeroſis et adhuc recentibus copiis undique circumventus ac paene oppreſſus non tantum nullam timoris ſignificationem daret, ſed muniendis caſtris intentus ſuos exemplo et generoſis hortatibus confirmaret, quantoque majus periculum imminebat, tanto alacriores ad extrema quaeque ſe duce et teſte ſubeunda redderet. Cum autem de diſſolvendo et in hyberna deducendo exercitu conſultaretur, magni animi fuit, quamvis aſpera admodum hyeme, ſub pellibus cum milite manere, ut ipſe militi militaris patientiae exemplum eſſet. Prudentiae vero ſummae fuit, tot annorum expeditionem ita ordinaſſe, ut ipſi, contra quos parabatur, longo tempore nihil de ea ſubveriti ſint; ac denique ſic animos Germanorum inter ſe commiſiſſe, aliis ſpe, aliis metu in ſuas parteis pertractis, ut ſibi invicem per mutuam lanienam exitio fuerint. His adde privatas Alberti et Joannis Brandeburgicorum contra Heſſum ſimultates, et Mauritii ambitionem, atque adeo occulta in Jo. Fridericum odia, quae ille mira arte et calliditate in ſuam utilitatem vertit, eoque illos furore caecos adegit, ut religionis, quam profitebantur, et libertatis Germanicae ſpreto periculo, arma pro patria ſtringenda in ſeſe ipſi converterint, et extero militi ad illam invadendam et ſubjugandam aditum patefecerint. Nec in poſtrema prudentiae parte numerari debet, quod, recta de foederatorum rebus aeſtimatione facta, Caeſar potius ſibi initio cunctandum, quam proelio decertandum duxerit; quippe cum ex hujuſcemodi ſocietatum ſeu foederationum natura optime conjiceret, non diu conſenſionem inter tot civitates et principes civilis adminiſtrationis ratione diſſidenteis duraturam eſſe; nec aequato ducum imperio et auctoritate ſalutaria conſilia capi, aut tegi, et cum opus eſſet executioni demandari poſſe proſpiceret. Cumque praecipuum foederis robur in civitatibus conſiſteret, quarum pecunia militem ali et bellum duci oporteret, ſic judicabat; ita plebis ingenium eſſe, ut omnis morae impatiens, ſi diutius trahatur bellum,

VAR. LECT. [α] Viſſeburgio P.

INTERPR. [a] *Donawerth.* [b] *le marquis de Marignan.* [c] *le comte Jean de Naſſau.* [d] *Weiſſenburg* [e] *Nordgaw.* [f] *Memmingen, & Kempten.* [g] *Pays bas.* [h] *Biberach.* [i] *Bodenſee,* ou *Lac de Conſtance.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

bellum, illico cunctationem, quae plerumque neceſſaria eſt, ambitioni aut praevaricationi ducum tribuat, et belli pertaeſa tandem denegatis collationibus a ſocietate diſcedat: [*] Tantum virtute et prudentia ſua efficere potuit Caeſar. Sed et multa fortunae debuit; morte abſumptis fere eodem tempore duobus potentiſſimis regibus, quibus nec facultas nec voluntas deerat, ſi diutius vixiſſent, illius victorias retardandi. Certe Franciſcus [a] Saxoni paulo ante mortem c aureorum millia totidemque [b] Heſſo clam numerari juſſerat; et jam ante per Petrum Strozzium Catharinae nurus cognatione proximum virum ſtrenuum et opulentum, quod, pace cum Caeſare facta, ipſe non poſſet, ccc aureorum millia foederatis, ut numerarentur, curaverat, perſoluta Strozzio magna pecuniae ſumma, quam ei debebat: eamque ob rem [c] Argentinenſibus, Auguſtanis et Ulmenſibus fidem interponentibus Strozzius in caſtra Donaverdam ad duces ſuperiore anno cum Jo. Sturmio venerat, et de pecunia dependenda fidem obſtrinxerat: verum ubi tempus venit, nuſquam in Galliis comparuit; quod aſtu cardinalis [d] Turnonii factum foederati ſcripſere, viri praecipuae tunc apud regem auctoritatis et infeſtiſſimi ipſorum ob religionem hoſtis, qui, Strozzio difficultatibus propoſitis et ſcrupulo de regis valetudine injecto, non ſatis ei cautum eſſe perſuaſerat. Nec diſſimulari poſſunt maximi errores a foederatis admiſſi; qui, cum primi in armis eſſent, ſi ſtatim Caeſarem totis viribus adorti fuiſſent, eum procul dubio imparatum et adhuc inermem facile oppreſſiſſent. Nec minus peccatum eſt ab iiſdem, cum [e] Ratiſpona, quam facile capere poterant, et qua capta Caeſarem Danubii poſſeſſione omnino dejiciebant, omiſſa, [f] Rainum et alia non tanti momenti oppida occupaverunt. Inter errores et illud numeratum a Caeſarianis, quod [g] Neoburgum ſitu et pontis annonaeque commoditate praecipuum oppidum, quo conſervato omnia intra [h] Licum, qui [i] Auguſtam Vindelicorum alluit, ad uſque [k] Monacum obtinebant, adeo debili praeſidio firmaverint, III tantum relictis in eo vexillis, ut recedente ſociorum exercitu oppidani ſtatim ejecto praeſidio advenienti Caeſari portas aperuerint. Jam cum Caeſar de mutandis caſtris et hoſte inſequendo conſilium cepit, ſi diviſo hoſtium exercitu, neque enim aliter fieri poterat, foederati in equitatum feciſſent impetum, haud dubiam victoriam, uti Caeſariani fatentur, de hoſte reportaſſent. Poſt diſſolutum autem exercitum maximus is Saxonis error fuit, quod capto Rochlitiae Alberto non recta in Mauritium duxerit; quem poſt tantam cladem aut facile debellatum iri, ſi reſtitiſſet, aut tota Miſnia ceſſurum apparebat. Quem errorem altero longe majore cumulavit Saxo, cum [l] Tumſernium in Bohemiam, Mansfeldium in inferiorem Saxoniam, attributa ſingulis exercitus parte, miſit: quo factum eſt, ut a Caeſare ſine pugna [m] Albim tranſmittente nullo negotio oppreſſus ſit. Sic enim et recenti adhuc fama Franciſcum ad [n] Ticinum diviſo exercitu, et parte [o] Albaniae duci [p] Neapolim proficiſcenti commiſſa, fuſum et captum homines meminerant. Huic victoriae fortuna Caeſaris virtutem et prudentiam adjuvante partae defuit animus, qui ea moderate et ſapienter uti ſciret. Nam cum nec ea mens Caeſaris eſſet, nec vires, ut tot urbes, populos, principes, quos inſolita felicitate in ordinem coëgerat, vi et praeſidiis tenere et Germaniae rempublicam in regnum hereditarium transformare poſſet, reliquum erat, ut humanitate et clementia majeſtatem et exiſtimationem tueretur. Verum cum ſuper ea re variarent [q] Caſtaldi

et

P. [*] *Nam vulgo inſitum eſt, ut ex ſucceſſibus fidem et ſolertiam ducum metiatur: quo fit, ut, ſi quid adverſi accidat, facile poeniteat, et cum fortuna pariter, ſe favore ejus inclinante, in felicium caſtra tranſeat.*

INTERPR. [a] *Jean Frederic, electeur de Saxe.* [b] *le landgrave de Heſſe.* [c] *ceux de Strasburg, Augsburg, & Ulm.* [d] *de Tournon* [e] *Ratisbonne.* [f] *Ram.* [g] *Neuburg.* [h] *le Lech.* [i] *Augsburg.* [k] *Munchen, ou Munick.* [l] *Tomſhern.* [m] *Elbe r.* [n] *Pavie.* [o] *Stuart, duc d'Albanie en Ecoſſe.* [p] *Naples.* [q] *Caſtaldo.*

et [a] Albani ſententiae, Caeſar, corrupto tot proſperis ſucceſſibus judicio, potius Albano, qui ſeveritate fructum victoriae conſervari debere ſentiebat, aſſenſus eſt; traductiſque per totam Germaniam et [b] Belgium integro biennio injurioſe captivis, ſub Hiſpanorum, quod invidiam augebat, cuſtodia, non triumphum ex victoria, ſed truculentiſſimum odium ex triumpho reportavit. His acceſſit et privata Mauritii offenſio, qui quod ea, quae a Caeſare ſperabat, nondum conſecutus fuerat, ſumma calliditate injuriam diſſimulavit, tempus opportunum ſcilicet opperiens, quo voti compos ſe et ſocerum ulciſceretur, et invidiam, quam de oppreſſa Germania apud omneis ordines ſuſtinebat, expulſo Caeſare et reſtituta patriae libertate aliquando dilueret. Sane felicitatem eam diuturnam non fore viri rerum prudentes jam tunc ex eo conjecturam fecere, quod, cum Caeſar triumphanti ſimilis Auguſtam ingreſſus eſt, ſuborta ſubito Madrucianorum militum, quibus adeo fidebat, ob non ſoluta ſtipendia, ſeditione, Germaniae totius victor in privatam domum non ſine vitae diſcrimine confugere ſit coactus: nam cum ad tumultum cives repente arma ſumpſiſſent, ut praedam et rapinas a domibus ſuis prohiberent, Caeſar, qui furorem militum metueret, et civium fidem ſuſpectam haberet, in magnis anguſtiis trium horarum ſpatio fuit; donec miſſis, qui inde civium duces continerent, inde milites ſtipendiorum promiſſione placarent, tandem ſeditio compoſita eſt. Ibi mox Caeſar, ut a religione initium fieret, cardinali Auguſtano primarium templum reſtituit; ac quaedam alia ſibi ſumit, quibus luſtratis et expiatis antiquum cultum inſtaurat: cetera omnia ſenatui et civibus permiſit. Michaël Sidonius [c] Moguntini praeſulis vicarius magni nominis concionator ei muneri praeficitur: et quia magna in templis ſolitudo erat, oblata pecunia tenuiores, ut adeſſe vellent, ſolicitatos quidam ſcripſere. Comitiis interfuerunt ſemptemviri omnes; ac novi illi inprimis, Adolphus [d] Colonienſis et [e] Mauritius. Aderant et cardinalis [f] Tridentinus, Henricus Brunſvicus, [g] Clivenſis, regina Maria, et Fr. [h] Lotaringi vidua Chriſtierna. Kalendis Septembris facto comitiorum initio, Maximilianus Auſtrius nomine Caeſaris pauca praefatus eſt. Multa deinde Caeſar ſcripto (legebat illud quidam a ſecretis ejus, ſicut moris eſt) repetita ſuperiorum annorum memoria, atque in primis conventuum, quos [i] Wormatiae ante biennium indixiſſet, et mox Ratiſponam tranſtuliſſet, de egregia ſua erga patriam voluntate diſſeruit; invitum ſe nimirum ad arma compulſum, quorum juſtam cauſam proſperos ſucceſſus habuiſſe eo impenſius laetetur, quod iis effectum videat, ut componendorum motuum expeditior in poſterum ſe via aperiat; cumque vel experientia conſtet, religionis diſſidium belli hujus cauſam exſtitiſſe, ob idque, ipſis principibus efflagitantibus, Tridenti concilium, quod jam inchoatum ſit, cogendum curaverit, cupere ejus rei primam eſſe deliberationem. Deinde de camera imperiali conſtituenda agit, cujus curam ſibi permitti poſtulat, conſultum ſibi videri inquiens, ut numerus judicum augeatur, propter litium frequentiam, x additis, qui jus aequabile inter parteis dicant. Poſtremo privatas coïtiones et deliberationes ſibi non placere teſtatur, quod eae ad invidiam ſuam pertineant, quaſi libertate ſuffragiorum adempta. De Turcicis auxiliis dilata actio in adventum Ferdinandi fratris. Jam enim Gerardus [k] Velvicius, quem a [l] Pannoniae rege Conſtantinopolim miſſum antea diximus, ſuperiore menſe redierat, pactus in quinquennium inducias. Non eodem animorum ſenſu poſtulata Caeſaris ab omnibus accepta ſunt; in eo praeſertim, quod ad religionem ſpectabat. Nam inter ſeptemviros eccleſiaſtici non alia ratione, quam per Tridentinum concilium, quod ſine conditione urgebant, religionis diſſidium componi poſſe exiſtimabant: Palatinus vero et Mauritius ac Brandeburgici legati non illud quidem repudiabant; ſed, ut liberum eſſet, neque pontifex in eo praeeſſet;

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Pays bas.* [c] *de Mayence.* [d] *l'electeur de Cologne.* [e] *Maurice, electeur de Saxe.* [f] *de Trente.* [g] *le duc de Cleves.* [h] *le duc de Lorraine.* [i] *Wormes.* [k] *Welwick.* [l] *Hongrie.*

CIƆIƆXLVII. HENRICUS II.

praeeſſet; quinimo epiſcopis, qui intereſſent, jusjurandum remitteret; ſuis doctoribus decidendi aeque cum aliis facultas eſſet; atque, ut decreta jam facta retractarentur, poſtulabant: ceteris placebat, ut ſynodus continuaretur; atque in ea Proteſtantes accepta a Caeſare et pontifice fide audirentur, ſeque decretis ejus parituros viciſſim fide data obſtringerent. Caeſar, ut ſententiarum variationem omnino reſecaret, XIII Kal. Nov. ſcripto reſpondet, et, ut omnes concilio ſe ſummittant, petit; privatimque cum Palatino nuper reconciliato ac tremente adhuc minis agit: Mauritium vero, qui ſocerum liberatum vellet, ſpe injecta eo compulit, ut uterque rem ipſius arbitrio permitterent, cum ſibi prolixe de Caeſaris voluntate in religionis cauſa prius eaurum eſſe dicerent. Itaque VII Kal. Nov. poſtulatis Caeſaris ſe aſſentiri omnes profitentur. Majus negotium fuit cum civitatibus, quae et religioni periculum imminere, ſi ſe concilio ſubjicerent, judicabant, et offenſionem Caeſaris minas adhuc ſpirantis ſubverebantur: tandem interpellatae a [a] Granvellano et [b] Haſio, ut principum reſponſa corrigerent, invidiae declinandae cauſa modeſte reſpondent, ſcriptoque tradito conditiones, in quas conſenſuri eſſent, explicant. Modeſtia pro aſſenſione a Caeſare accipitur: et ſuppreſſa ſcripti mentione per [c] Seldium reſpondet, ſibi pergratum eſſe, quod ceterorum exemplo rem ſuae fidei permiſiſſent: verum poſtea edito in eam rem ſcripto, conditiones ab iis ſunt expoſitae, quas in probando a ſe concilio deſiderarent; omneſque palam moniti, quod Caeſaris poſtulatis conſenſiſſent, id eo factum eſſe, ne illuſtriſſimorum principum ſententias flocci feciſſe poſſent videri. Haec exeunte menſe Octobri acta, cum Ferdinandus victor ex Bohemia ac Braudeburgicus ſeptemvir [d] Auguſtam primum venere.

XVIII. EODEM ſtatim tempore Caeſar cardinalem Tridentinum Romam mittit, qui de rebus omnibus pontificem certiorem faceret, et de concilio Tridentum revocando urgeret. Jam enim menſe Aprili, ante Caeſaris cum Saxone congreſſum, Tridentinorum patrum major pars [e] Bononiam ſe contulerat. Cauſa obtendebatur, quod aër minus illic eſſet ſalubris; quod Hieron. [f] Fracaſtorius aſſeverabat, ex eoque graviſſimum contagionis morbum ſub autumni tempus imminere patres monuerat. Is ſummus juxta philoſophus et medicus ac rerum coeleſtium in primis peritiſſimus facile rem ita habere pleriſque perſuaſerat, ad id, uti creditur, a pontifice inductus: cui cum male cum Caeſare ob quaſdam occultas ſimultates conveniret, conſultum viſum erat, ex Germania ſynodum in pontificiae ditionis civitatem aliquam in Italia transferre: quod Caeſar incepto adhuc bello neque dum confecto occupatus diſſimulaverat; ſed mox, ubi Auguſtam venit, auctor principum ſenatui fuit, ut de revocanda ſynodo pontificem interpellarent. Itaque epiſcopi [*] Eid. Sept. datis ad eum literis, quo in diſcrimine Germaniae ſalus verſetur, exponunt; orantque, ut, quandoquidem totos XXVII annos ob religionis cauſam novis ſubinde motibus et ſeditionibus Germania concuſſa fuerit, cui malo remedium ſanctius aut aptius, quam legitimum concilium, inveniri non potuerit, velit illud tranſlatione paene diſſolutum reſtituere; alioqui fore, ut, ni aequiſſimis ipſorum poſtulatis annuat, aliae rationes atque conſilia negotii hujus expediendi ineantur.

XIX. CUM haec quae modo retulimus ſcripta ſunt, nondum de morte P. Aloiſii cognoverat Caeſar, quae in IIII Eid. Sept. incidit. Ejus cauſas has fuiſſe accepimus. Paulus III, cui nihil ſuorum charitate proximius, triennio ante Parmam et Placentiam a Gallis olim conſervatas, demum eccleſiae ademptas, P. Aloiſio attribuerat, [g] Camertium principatu et [h] Nepe dominio, quae contracto cum Octavio nepote et

Margarita

INTERPR. [a] *le ſieur de Granvelle.* [b] *Haſen.* [c] *Selden.* [d] *Augsburg.* [e] *Bologna.* [f] *Fracaſtoro.* [g] *Camerino.* [h] *Nepi.*

NOT. [*] Dele *Eid. Sept.* Il y a faute en cette datte. Lege XVIII *Kal. Oct.* ſuivant Sleidan; c'eſt le XIV de Septembre. *Put.*

Margarita Auſtria matrimonio avus ipſis liberiſque ipſorum conceſſerat, permutationis titulo in locum illarum civitatum viciſſim eccleſiae attributis, cum penſione VIII CIↃ aureorum. CIↃIↃXLVII. HENRICUS II. Id non ſine contentione in conſiſtorio actum, Jo. Dominico [a] Tranio cardinali magnae auctoritatis viro reclamante, qui, ſpecie libertatis favore collegarum ſibi conciliato, ad ſummum ſacerdotium hac via graſſabatur: contra ſuadente Nic. [b] Ardingello, qui paulo ante in cardinalium collegium allectus ac tam recenti beneficio obnoxius pontifici ac ſuorum libidini ancillabatur. Rem graviſſime tulit Caeſar, quippe qui has civitates ad [c] Mediolanenſe imperium pertinere contenderet: eaque de cauſa Joannes Vega, qui ipſius nomine legatum apud pontificem agebat, actioni non interfuit. Margarita ipſa, quae Camertium et Nepe ditionem ſibi et marito ereptam dolebat, id non ſatis aequo animo tulit; quippe quae de patris et ſoceri ſimultatibus, quorſum evaderent, anxia, ſi quidem permutatio valitura eſſet, in ſe quam ſocerum, eas civitates transferri mallet. Enimvero jam P. Aloiſii fides Caeſari ſuſpecta eſſe coeperat, quod [d] Fliſcanae conjurationis particeps fuiſſe crederetur; atque ipſius pontificis, quem [e] Senenſium imperio inhiare haud dubiis indiciis conſtabat. Negotio confecto pontifex Venetias, Florentiam, et poſtremo Mediolanum ad [f] Vaſtium mittit: cumque urgeret, ut id ratum haberet Caeſar, ille primo excuſare et tergiverſari, ad extremum dicere, ſuarum non eſſe partium, ſi quidem illae civitates eccleſiaſticae ditionis eſſent, de his ſtatuere; ſi vero ad Imperium pertinerent, non poſſe ſe in ditionis ac dignitatis imperialis praejudicium eas alienare. Qua ex denegatione offenſio aucta animum pontificis adeo exulceravit, ut, quamvis ad tempus injuriam diſſimularet, ſummiſſis ad bellum Germanicum tam florentibus copiis, mox tamen revocato nepote Octavio, omnia conſilia in id intenderit, ut Caeſaris potentiam, quantum poſſet, in Italia labefactaret. Solicitatis inde Venetorum animis, et contracta cum Henrico novo rege affinitate, alieno ſe prorſus a Caeſare animo eſſe oſtendit. Sub id tempus [g] Guidus Ubaldus Urbini dux, mortua uxore Joannis Mariae [h] Camertium ultimi ducis filia, Victoriam [i] Farneſiam pontificis neptim in matrimonium accepit. His affinitatibus ſubnixo pontifice, apparebat Farneſios non diu quieturos, quin aut injurias illatas ulciſcerentur, aut acceſſione aliqua res ſuas locupletarent. Auxit ſuſpicionem, quod, cum Caeſar omni ope contenderet, ut Senas, a quibus metuebat, praeſidio teneret, id palam pontifex, qui et ipſe Senenſium imperio imminebat, praeoccupatis metu civium animis impediebat. Itaque ab illis vix tandem poſtea impetratum eſt, ut [k] Didacus [α] Urtadus Mendoza cum praeſidio in civitatem reciperetur, urgente eam rem maxime Coſmo Florentinorum duce, qui, ſi Caeſarianum praeſidium reciperetur, Senis ſe aliquando potiturum ſperabat. Hae ſimultatum cauſae Caeſari cum pontifice et P. Aloiſio intercedebant: quibus acceſſere et privatae Ferdinandi Gonzagae [l] Inſubrum proregis inimicitiae, prioratu ſe [m] Barulenſi in regno Neapolitano a pontifice ſpoliatum, et [n] Soraniae marchionatu in agro Parmenſi, caſtelliſque aliquot a Gonzagae domo pridem poſſeſſis vi depulſum a P. Aloiſio, querentis.

XX. HIS odiorum fomitibus ad incendium excitandum facem intulerunt ex nobilitate ſubdita praecipui, privatis et ipſi injuriis a novo [β] principe irritati; quem alioqui ſua vitia ſumme inviſum reddebant, recenti adhuc [o] Coſmi Gerii epiſcopi Faventini memoria, quem primo fruſtra blanditiis tentatum, ad extremum ſpecie colloquii in ſecretius cubiculum ſevocatum, ope ſervorum, quamlibet renitentem, per vim compreſſerat; unde ille ex moerore animi paulo poſt deceſſit. Id vero pergrave nobilitati

VAR. LECT. [α] Urtadus deeſt P. D. o. f. [β] duce P. D. o. f.

INTERPR. [a] *de Trani.* [b] *Ardinghelli.* [c] *la duché de Milan.* [d] *de Fieſchi.* [e] *Siena.* [f] *il marcheſe del Guaſto.* [g] *Guidobaldo, duca di Urbino.* [h] *Camerino.* [i] *da Farneſe.* [k] *Diego Hurtado di Mendoça.* [l] *le Milanois.* [m] *de Barletta.* [n] *Soragna.* [o] *Coſmo Gheri, evêque de Faenza.*

nobilitati accidit, quod homo contaminatiſſimus longe diverſo a vicariis ſive Mediolanenſibus ſive pontificiis inſtituto, qui procerum benevolentiam, ut plebem in officio continerent, humanitate et liberalitate demerebant, contra in eos, ſpecie aequitatis, quo plebis gratiam aucuparetur, vel ex leviſſima cauſa ſevere animadverteret; eo conſilio, ſicuti apparebat, ut ſummis capitibus, a quibus ſibi metuebat, decuſſis, in reliquos poſtea pro arbitrio ſtatueret. Jamque arces, quas ad firmandam potentiam [a] Placentiae exſtruebat, in eo erant, ut altera quidem vetus, in qua [α] domicilium habebat, in dies milite et omni inſtrumento bellico muniretur; altera nova, quae approperato opere aedificabatur, ad ſummum jam prope faſtigium eſſet perducta. Princeps conjurationis fuit [b] Joannes Anguiſciolae comes, qui mira animi prudentia et conſtantia difficultates omneis, quae ſe in hujuſcemodi negotiis vulgo offerunt, unus ſuperavit. Is communicato cum Camillo Pallavicino Scipionis filio conſilio, eum virum recenti offenſione irritatum facile in ſententiam pertraxiſſet, de ceteris ducibus, qui in ſocietatem tanti facinoris citra periculum admitti poſſent, egit: poſitique a Joanue Auguſtinus [c] Landus Complani comes, et Joan. Aloiſius [d] Confalonerius, quorum opera uteretur. Cum Camillus conſilium de ſociorum delectu laudaret, ſi quidem illi conſenſiſſent, Joannes eorum compellandorum negotium ſibi ſumit: et, quia cum Lando non ita arcta amicitia conjunctus eſſet, aemulatione quadam, quae interceſſerat, eam dividente, ut primo congreſſu de re tanti momenti ſermones conſerre poſſet, eum ſibi prius adfinitate devincire ſtatuit. Itaque per Hieronymum Camilli frattem adfinitate cum Lando contracta, Joannes primum Hieronymo, quid ſibi mentis in ea contrahenda fuiſſet, aperit: quod cum ille approbaret, uterque Lando [β] poſt contractum matrimonium magis familiari effecto, rem detegunt, et injuriarum, quas ille a novo duce accepiſſet, revocata memoria, virum generoſum et ſibi propter fortunae et divitiarum amplitudinem magis in dies a teterrimo tyranno metuentem ad vindictam ſumendam facile accendunt: cumque is Confalonerii electionem mire adprobaret, et, ut Alexander Camilli et Hieronymi frater, qui [e] Auguſtae Taurinorum exulabat, evocaretur, peteret, jam de conficiendi negotii ratione agi coeptum eſt: qua de re cum ſociis ſigillatim Joannes contulit, ne, ſi univerſi ſaepius convenitent, ex crebris coitionibus aliqua ſuſpicio ſuboriretur. Tanta vero erat de Joannis virtute inter ſocios opinio, ut nuſquam communicatis invicem conſiliis omnes conſentientibus animis ipſius fidem ſecuti ſint. Cum id Gonzaga per Ludovicum [f] caſtri Godofredi dominum patruelem ſuum et Anguiſciolae cognatione proximum reſciviſſet, occaſionem avide arripit, et, conſociatis ſtudiis, apud Caeſarem crebris accuſationibus P. Aloiſium, ut res novas in Italia molientem, atque ad Galli parteis inclinantem, traducit. Caeſar, cum primo haereret, ad extremum crebris nunciis de periculo, niſi praeverteret, admonitus, Gonzagae aſſenſus eſt. Scribunt tamen Caeſariani, eum de caede non conſenſiſſe; illa excepta, cetera comprobaſſe. Sed peritis rerum aeſtimatoribus haud vero ſimile fit, conjuratos quidquam auſuros fuiſſe in eum, qui tam arcta adfinitate Caeſari conjunctus eſſet, niſi Caeſare ipſo caedis conſcientia obſtricto; aut Caeſarem exiſtimaſſe, conjuratos ducem vivum capere contentos fore tantis opibus et favore ſubnixum, quem ſcirent, ſimul atque Caeſari ſatisfeciſſet, neglecto ſociorum periculo, libertatem, et cum libertate priſtinam dignitatem ipſius Caeſaris beneficio recuperaturum. Die condicta, interea et oſtentis et nunciis undique certior fiebat P. Aloiſius, conſilia de ſua pernicie agitari: atque in primis a Paulo patre admonetur, ut a IIII Eid. Sept. ſibi caveret; aſtra enim ei cladem inſignem portendere: ſiquidem ille pontifex aſtrologiae divinanti

VAR. LECT. [α] dux novus domicilium P. D. o. f. [β] jam poſt P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Piacenza.* [b] *il conte Giovan-Franceſco Angoſcivola.* [c] *Lando, conte di Compiano.* [d] *Confalonieri.* [e] *Turin.* [f] *Caſtel-guſfredi.*

divinanti, quae de ſingulorum fortunis judicat, valde addictus erat; ob idque [a] Lucam CIↃIↃXLVII.
Gauricum Geophanenſem, aetate ſua magni nominis aſtrologum, ſemper, dum vixit, HENRICUS II.
familiariter habuit, privato colloquio et menſa dignatus, ac tandem [b] Civitatenſi epiſcopatu donavit. Verum ea monita cum hactenus contempſiſſet P. Aloiſius, jam appetente die, ex agro Cremonenſi amici quidam ad eum ſcribunt, periculum ipſi imminere a conjuratis, quorum nomina detecturi ſint, ſi quem ex ſuis fidum ad ſe mittat: qui nuncius miſero exitium attulit. Nam, cum tunc primum de re toties nunciata et neglecta ſerio ſolicitus eſſe coepiſſet, continuo Bartholomaeum [c] Villaclarae comitem, cui plurimum tribuebat, quemque paulo ante ditionis ſuae praefectum creaverat, ad amicos mittit, ut ab iis de facto cognoſceret, juſſo interim ad ſe venire ſtatim poſt prandium Alexandro [d] Interamnate praecipuo militiae ſuae duce, ut de ea re ſermones conferret: quod et conjuratos ad maturandum incitavit, et caedis facilius patrandae tanto defenſore abſente commoditatem dedit. Ferunt, nec vanus rumor eſt, ducem jam de conjuratione certum, ceterum de perſonis ac loco ignarum, ad vetitas arteis, quas a patre, ut conjurati aiebant, edoctus familiariter colebat, poſtremo confugiſſe, et incantationibus evocatum daemonem de conjuratorum nominibus interrogaſſe; illum vero nihil aliud, quam ut diligenter in ſuam monetam inſpiceret, reſpondiſſe; in ea quippe locum conjurationis et conſciorum nomina reperturum: id vero [α] tunc minime intellectum pro deluſione habitum, quod facta caede verum fuiſſe compertum eſt: nam, cum in antica parte Farneſianorum nummorum ſcriptum ſit, P. ALOIS. FARN. PARM. ET PLAC. DUX, vocis Placentiae, ubi caedes facta eſt, prima quatuor elementa [e] Pallavicinos, Laodum, Anguiſciolam, et Confalonerium deſignaſſe: quod inter memorabilia magicae deluſionis exempla merito recenſeri poteſt. Convenerat primum inter ſocios, ut mane ducem in arce aggrederentur: nam extra, etſi res facilis factu eſſet, tamen verebantur, ne caede patrata arx in Farneſianorum poteſtate remaneret, et civitas in libertatem, qui conjurationis finis erat, ope Caeſarianorum aſſeri non poſſet. Mutata etiam hora, quod Anguiſciola animadvertiſſet ducem mane conſueſſe ad novam arcem itare, et luſtrata civitate non ante horam prandii in veterem redire. Id cum praecedenti Veneris die feciſſet dux, veritus Anguiſciola, ne poſtridie idem repeteret, quod accidit, horam prandii ſociis condixit, eo ordine, ut Landus cum Camillo et Alexandro Pallavicinis fratribus arcis portam, Confalonerius cum ſuis interiorem aulam occupandam ſumeret, ipſe, cum mane ducem lectica vectum officii cauſa praecedens per urbem comitatus eſſet, illo in arcem reverſo, cum duobus comitibus in procoetone ſubſtitit, quaſi ad eum mox a prandio ingreſſurus. Igitur dilapſis poſt prandium miniſtris, ſigno a Lando ſcloppi diſploſi ſonitu, uti convenerat, dato, pons penſilis ab iis, qui cum Lando erant, reducitur, ſtatione, quae ad portam erat, ipſorummet militum haſtilibus arreptis facile obtruncata. Cum vero Germani ſtipatores, qui in aula poſitis armis aleae intenti erant, itidem facile a Confalonerio et qui eum ſequebantur oppreſſi eſſent, eodem tempore Anguiſciola interius cubiculum irrumpit, miſerumque hominem membris captum et inermem gladio transfigit, vix a Camillo [f] Foliano et [g] Capellato, qui forte aderant et enſeis ſtrinxerant, temperata injuria.

XXI. CAEDE facta Hier. Pallavicinus claudus, qui cum delecta manu in civitate remanſerat, ut, ſi quid novi ſuboriretur, praeſto eſſet, ſtatim intra arcem a ſociis accipitur. Moxque foribus obſeratis tormenti majoris ter diſploſi ſonitu Caeſarianis, qui a Gonzaga [g] Mediolano [h] Ticino et Cremona miſſi haud longe aberant, ſignum

VAR. LECT. [α] ab eo tunc P.

INTERPR. [a] *Gaurico de Giffoni nella Marca d'Ancona.* [b] *Civita Caſtellana.* [c] *Villachiara.* [d] *da Terni.* [e] *Pallavicino, Lando, Angoſcevola, Confalonieri.* [f] *Fogliano, e Capellati.* [g] *Milan.* [h] *Pavia.*

NOT. [g] *Capellate* Put.

ſignum datur. Cum interim plebs initio fremeret, conjurati de feneſtra accurrentem multitudinem alloquuntur, et tyrannum ſe interfeciſſe ac patriam in libertatem aſſeruiſſe gloriantes, ut fidem facerent, cadaver catena ſuſpenſum e muro oſtentant, et ad ludibrium aliquandiu agitatum in foſſam praecipitant, addito elogio, quo nefandae libidinis crimen mortuo exprobrabatur. Quo viſo ingens animorum mutatio ſecuta eſt, plebe ſubito dilabente, et officinas, ut in pacata civitate, aperiente. Caeſarianis mox auxiliaribus, quorum [a] Ruſcino dux, a conjuratis in arcem introductis, cum Farneſiani, qui ſuperabant, de [b] Placentia actum eſſe cernerent, Alexander [c] Interamnas copiarum praefectus, relicta ſine praeſidio arce nova, de Parmae conſervatione cogitare coepit; cumque iis militibus, qui Placentiae merebant, ſub veſperam diſcedit. Eodem tempore [d] Sfortia Fani Florae comes, qui tum forte in finibus Parmenſibus erat, fruſtra a Gonzaga tentatus, ut Parmam, quae ad Mediolanenſe imperium ſpectaret, Caeſari, in cujus clientela eſſet, traderet, in urbem cum IIII CIↃ armatorum a civibus introducitur; quem mox Jo. Angelus [e] Medicinus legati Bononienſis vicarius conſcriptis VI peditum ſignis ſecutus eſt. Ita Parma pontifici, et Octavio nepoti, qui paulo poſt eo venit, ac deinde pontificis nomine Camillus [f] Urſinus, conſervata eſt. Pontifex, de morte filii nuncio [g] Peruſiae accepto, etſi de illa ante ſe et cognoviſſe et monuiſſe teſtatus, tamen, ut par erat, in illa aetate immodicum dolorem ſenſit; continuoque ad tanti ſceleris vindictam converſus conſilia cum rege per legatos communicat: ſed cum ille rebus imparatis contra potentem hoſtem et tot ſucceſſibus elatum, dolori quamlibet juſto pontificis non indulgendum eſſe cenſeret, alienum id tempus ratus, nullis perſuaſionibus nullave magnarum rerum ſpe a Paulo impelli potuit, ut, quamvis jam conſilia de bello apud ſe agitaret, tunc arma contra Caeſarem ſumeret. Itaque pontifex placandi Caeſaris, quod reliquum erat, conſilium cepit; quod cum per nepotes commodius fieri poſſe duceret, mittitur Julius Urſinus, qui Margaritae filiae et nepotum nomine Caeſarem exoraret, ut Farneſios, quos in fidem accepiſſet, et adfinitate ſibi junxiſſet, tuendos ſuſciperet, ac Placentiam ipſis per mortem patris deteſtanda fraude occiſi ablatam reſtitui imperaret. Benigne acceptum legatum Caeſar eximiis ſuae benevolentiae promiſſis onerat; quod ad Placentiae negotium attinebat, ad [h] Granvellanum remittit, qui longe alio vultu et oratione cum Julio egit, objectis P. Aloiſii mortui criminibus et inſigni perfidia, quod homo, quem Caeſar adfinitate ſua dignatus eſſet, tanti beneficii immemor ad Galli parteis tranſiiſſet: cujus perfidiae conſcium fuiſſe ipſum pontificem aiebat; neque enim patris injuſſu tantas res moliri auſurum filium, quas ſine illius opibus exſequi non potuiſſet. Exprobratum et legato, quod, cum Octavius ſuperiori anno cum florentiſſimo exercitu ab avo ad Caeſarem miſſus ad viſendum parentem in via deflexiſſet, P. Aloiſius ei auctor fuerit, ut omiſſa Germanica expeditione contra Mediolanenſem ditionem omni tunc fere praeſidio deſtitutam arma verteret; fore enim, ut Caeſare longinquo et difficili bello implicato, et Gallis tam propinquam opem deferentibus, nullo negotio res confici poſſet. Quod cum Octavius facere recuſaſſet, hoc anno paulo ante mortem eadem conſilia cum Joanne [i] Bellaio cardinali, quem Romam proficiſcentem honorificentiſſime acceperat, retractaverit. Refricata et [k] Genuenſis conjurationis memoria: de qua tamen nunquam certo conſtitit, [l] Apollonio intimo ducis ſcriba et omnium arcanorum et libidinum conſcio, qui hero occiſo captus, et [m] Mediolani diu in carcere aſſervatus, [α] poſtremo vivus in fovea defoſſus periit, ut ipſe [n] Gauricus ſcripſit, tormentis ſaepius ſubjecto, et, herum ſuum aut

VAR. LECT. [α] poſtremo vivus in fovea defoſſus periit, ut ipſe Gauricus ſcripſit *deſunt* P. D. o.

INTERPR. [a] *il capitano Ruſcbino.* [b] *Piacenza.* [c] *da Terni.* [d] *il conte Sforza di Santa fiore.* [e] *di Medicino, ou de Medici, vicelegat de Bologne.* [f] *Orſino.* [g] *Perugia.* [h] *le chancelier de Granvelle.* [i] *du Bellay.* [k] *de Genes.* [l] *Apollonio.* [m] *Milan.* [n] *Gaurico.*

aut auctorem [a] Janetini caedis aut omnino conſcium fuiſſe, ſemper conſtantiſſime CIϽIϽXLVII.
pernegante. Cum contra Parmam Caeſar reddi poſtularet, et compenſationem HENRICUS II.
amplam ultro offerret, ea non accepta, Julius eum Caeſaris literis peramanter ſcriptis, re nihilominus infecta, ad pontificem revertitur. Id initium fuit literas invicem dandi; quo officii genere uterque poſt P. Aloiſii necem abſtinuerat. Rurſus ſemel atque iterum Julius ad Caeſarem mittitur, qui de Placentiae reſtitutione eum urgeret; quam cum ad ditionem eccleſiaſticam pertinere pernegaret Caeſar, Julius contra et Placentiam et Parmam, poſtquam oppigneratae fuiſſent, ex novo foedere in eccleſiae Romanae ditionem tranſlatas diceret, Caeſar foederis tabulas exhiberi poſtulat, laetitiam animi prae ſe ferens, ſi ſibi ex foedere facultas daretur, qua ſine invidia rerum Imperii alienatarum Farneſiis, quos filiorum loco habeat, gratificari poſſet. Sed cum tabularum tantum exemplum exhiberetur deſcriptum ex codice in [b] Hadriani mole adſervato, in quem jura Romanae eccleſiae referri ſolent, et ſe ejus minime memorem Caeſar diceret, quippe quod ſe juvene cum Clemente VII tranſactum fuiſſet, res ad Didacum Urtadum Mendozam, reipublicae Senenſium praeſidem, remittitur. Julius rem confectam exiſtimans [c] Senis Mendozam adit, et cum eo Romam proficiſcitur. Ibi cum archetypum Caeſaris manu ſubſcriptum non exhiberetur, Mendoza re cum juris-conſultis deliberata fidem nullam habendam tabulis reſpondet, inſcio Caeſare aut ipſius legato non adhibito deſcriptis. Ita ludificatus pontifex ad conſilia cum Gallis omiſſa tandem redire compellitur. Interea Gonzaga, qui ad [d] Laudem Pompeii ſubſtiterat, [e] Placentiam venit, et, civibus in verba Caeſaris jurare juſſis, poſt quattriduum exanime ducis corpus, quod ad omne injuriae et contumeliae genus in viis expoſitum horrifico ſpectaculo inimicorum ac plebis oculos huc uſque paverat, ejus juſſu terrae mandatur. Capta mox a Gonzaga [f] Sandoninium et [g] Vallielarium, antea [h] Fliſcanae ditionis oppida in agro Parmenſi: alia parte [i] Hier. Pallavicinus [k] Curia-majore occupata arcem oppugnabat. Multa alia caſtella, ut in tali rerum perturbatione, a privatis dominis ſine belli denunciatione armis infeſſa. [l] Rupes Alba et Fontanella magni momenti caſtella a Gonzaga tentata, ſed irrito conatu. Munitum Sandoninium, et [m] Guelfi-caſtellum Parmae proximum. Jamque III CIↃ peditum et CCC equites in armis habebat Gonzaga; nec Octavius interim ceſſabat, cum inter eos pactae induciae, quod appetente hyeme, et continuo atque inſolito imbre paene agris merſis, ad haec intumeſcentibus paſſim fluviis et extra ripas ſe diffundentibus, ſub dio ſtare et caſtra metari non liceret: in [n] Etruria praecipue ab illa inundatione damnum datum; ac Florentiae maxime, ubi [o] Luciae fanum ac pleraeque domus [p] Magnolorum podio ſubjectae, ſolo vi torrentium aquarum quaſſato, everſae ſunt; cum eodem anno prid. Eid. Sextil. in vicinis montibus exorto ſubito imbre tanta violentia per ſubjectam vallem aqua decurriſſet, ut dirutis fluviorum aggeribus improviſus per [q] Crucis portam irrumpens, et ſaxa atque avulſas arbores ſecum trahens, civitatem paene totam ſubmerſiſſet, furiali vento tanta vi aquam rapiente, ut nulla ope humana reſiſti poſſet: utrumque loco prodigii habitum, et decretae publicae ſupplicationes ad iram Numinis avertendam. Cum in eo eſſet pontifex, qui ſe a Caeſare promiſſis ludificari, a Germanis odio haberi, ab aliis principibus propter decrepitam aetatem contemni cerneret, ſuorum fortunae metuens, ſi incompoſitis rationibus decederet, de reſtituenda eccleſiae Parma, et [r] Camertium ditione Octavio nepoti cum CCC aureorum millibus, reſoluta permutatione, rurſus concedenda, quod minore cum [α] invidia fieri poſſe exiſtimabat, cogitare coepit: ſic enim fore judicabat, ut

VAR. LECT. [α] invidia et ſua et ſuorum fieri *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Gianettino Doria.* [b] *Caſtel S. Angelo.* [c] *Siena.* [d] *Lodi.* [e] *Piacenza.* [f] *Borgo a ſan Domnino.* [g] *Borgo di Valditaro* (ſuivant *Hadriani*, de qui cet endroit eſt pris. C.) [h] *de Fieſchi.* [i] *il conte Girolamo Pallavicino.* [k] *Corte maggiore.* [l] *Rocca-bianca.* [m] *Caſtel-guelfo.* [n] *la Toſcane.* [o] *S. Lucia.* [p] *il Poggio de Magnoli.* [q] *porta della Croce.* [r] *Camerino.*

CIↃIↃXLVII. HENRICUS II.

ut eadem opera gratiam ab eccleſia Romana iniret, et ſuis munimentum quaereret. Verum Octavius, qui ſperaret ſe aliquando cum Caeſare, quicum tanta neceſſitudine eſſet conjunctus, tranſacturum, nunquam adduci potuit, ut Parma excederet. Interim, dum Caeſaris animus placaretur, ſe veluti in regis tutelam dedit, a quo et conchyliati torquis honore ornatus, et L haſtatorum equitum praefectura donatus eſt.

XXII. SUB id tempus cardinalis [a] Tridentinus IIII Eid. Decembr. Romam venit, et in frequentiſſimo cardinalium ſenatu coram pontifice Caeſaris ſtudio et ingentibus pro eccleſiae pace laboribus dilaudatis, quo ſe principes Germaniae ſynodi Tridentini congregatae decretis ſummitterent, rogat inprimis, ut patres, qui [b] Bononiam Caeſare inconſulto migraverant, Tridentum reverti jubeat; deinde legatos in Germaniam mittat, de quorum ſententia ad exitum uſque concilii formula et modus recte vivendi in eccleſia perſcribatur, et abuſus, qui in Ordinem eccleſiaſticum irrepſerint, corrigantur: poſtremo, quod ad pontificis offenſionem et contemptum juſſus eſt addere, conſideret et ſtatuat, ſi concilii tempore contingat ipſum decedere, utrum eligendi poteſtas ad patres in ſynodo congregatos, an ad cardinaleis, qui iſtic ſint, pertineat: jure enim pleroſque metuere, ne, ſi res forte ad eum caſum devenerint, ex illa occaſione novis turbis anſa praebeatur. V poſt die, et XIX Kal. Januar. Mendoza Caeſaris legatus eadem eodem in loco repetit; et inſuper addit, ni pontifex quamprimum ſatisfaciat, aut ſi res excuſatione vel dilatione protelетur, in mandatis ſe habere, ut coram ceterorum regum et principum oratoribus palam ſynodum vitii arguat, et univerſum aſtantium coetum conteſtetur. Eodem die in conſiſtorium introducitur Carolus Lotaringus cardinalis Guiſianus, qui longa et ornata oratione, laudato primum Franciſco nuper demortuo, Henrici novi regis egregium erga ſedem Romanam ſtudium et voluntatem ſupra modum extulit; qui nihil antiquius habuerit, ſimul atque regnum inivit, et parentis optimi manibus parentavit, quam ut ſuam erga ſummum pontificem obſervantiam hoc ſolemni officio teſtaretur. Dein, repetita meritorum Franciae regum memoria, qui primas in tuenda religione et protegendo pontifice parteis ſemper tenuerint, eoque nomine merito primum locum inter reges Chriſtianos obtineant, huc ſe miſſum dicit, ut potentiſſimi regis primogeniti eccleſiae filii et gentis Chriſtianae anteſignani nomine ſe et ſua eccleſiae more majorum ſummittat, et opes ac facultates omneis pro illius ac pontificis ſalute ac dignitate conſervanda polliceatur: ſacris legibus eſſe cautum, ut ſtatim ac ſummum hoc ſacerdotium inierint pontifices, amicitiae firmandae cauſa legatos in Galliam mittant: Henricum viciſſim inito nuper magiſtratu eodem officii genere defungi voluiſſe; ſimulque monere, ut naſcentibus factionibus, quae magnas ex parvis initiis plerunque vireis acquirant, ſe opponat: neque enim latere pontificem, in quas ſe olim nimia ſecuritate Joannes XIII, Gregorius VII et Paſchalis [1] III calamitates induerint, ac poſtremo Alexander III, donec eorum ſucceſſores ope Gallorum ereptam ab imperatoribus auctoritatem recuperaverint. Id a Guiſiano additum, ut in pontificis animo Caeſari infenſo vulnus caede P. Aloiſii acceptum refricaret, et, cum ob concilii tranſlationem offenſiones quotidie inter eos creſcerent, utriuſque inimicitias ad uſum et compendium noſtrum converteret. Cum inſtarent Tridentinus et Mendoza, ut pontifex ad poſtulata reſponderet, ille per [c] Bloſium ea eſſe hujuſcemodi dixit, de quibus fratrum cardinalium ſententias vellet exquirere. Itaque re in quaeſtionem propoſita, alii, ſalva pontificiae auctoritatis majeſtate, Caeſari quantum fieri poſſet indulgendum eſſe exiſtimabant; alii, quod non ſatis idonee a Caeſare et Ferdinando fratre Germanos concilii decretis parituros caveri dicerent, contrariam ſententiam tuebantur, neque concilium loco, hoc eſt, Bononia moveri debere cenſebant; alii denique ad patres, qui Bononiae eſſent, rem integram deferendam eſſe: hanc ut

INTERPR. [a] *le cardinal Madrucci evêque de Trente.* [b] *Bologne.* [c] *Bloſio.*

NOT. [1] Lege *Paſchalis* II. Il n'y a que deux papes de ce nom. *Put.*

ut mediam opinionem pontifex amplexus legatis reſpondet, velle ſe ad patres, qui Bononiae ſint, referre, et ad ceteros Chriſtiani orbis principes perſcribere: quod eo conſilio faciebat, ut, cum plus de [a] Placentiae reſtitutione quam concilii exitu angeretur, moram tantiſper concilio interponeret, quouſque Caeſar Placentiam reſtituiſſet. Itaque privatim cum Tridentino agit, planeque ſe Caeſari de concilio transferendo minime ſatisfacturum declarat, niſi prius ſibi a Caeſare de Placentia fieret ſatis; quod vereretur, ne hoc impetrato Caeſar Germanorum benevolentiam demereretur, et Germanicarum opum potens, ſe neglecto, cujus gratia amplius non egeret, promiſſa de Placentiae reſtitutione ſive compenſatione minime praeſtaret. Igitur re infecta Tridentinus ad Caeſarem redit, relicto Romae Mendoza, qui contra pontificem Caeſaris nomine proteſtaretur: xx tamen dierum ſpatium Tridentinus in pontificis gratiam ſibi dari poſtulavit, quo Caeſar de re tota certior factus, quid ſuae voluntatis eſſet, denuo ad Mendozam perſcriberet. Ne quid interea turbarum in regno Neapolitano exoriretur, Mendoza exules, qui Romae erant, et a Farneſiis ſolicitabantur, monet, ut domum redeant: omnibus quippe, praeter xx priore ſeditione et xv altera exceptos, offenſionum praeteritarum gratiam factam eſſe: et quod ad exceptos attinet, juri ſiſtant ſe; treis enim judicea delectos P. [b] Toletani proregis partibus haudquaquam obnoxios, qui de cauſa illorum cognoſcant. Ita pro tempore motibus Neapolitanis obviam itum eſt. Pontifex, biduo poſt Mendozam in ſenatu auditum, ad patres, qui Bononiae erant, atque Jo. Mariam [c] Montanum legatum primarium literas dat. Ille, ut erat praeceptum, convocatis in conſilium patribus, ex eorum ſententia reſcribit; viſum ipſis, maxime pertinere ad ſynodi contemptum, quod, cum legitime concilium Tridento Bononiam ſit tranſlatum, monitique ſint omnes peramanter eo die, quo decretum de tranſlatione factum eſt, ut ad iter ſe accingerent, aliqui tamen ſint, qui ibi pertinaciter remanſerint: igitur de reditu deliberari non poſſe, priuſquam ii, qui Tridenti ſint, Bononiam veniant, ac ſociis ſeſe conjungant, conciliique poteſtatem agnoſcant: petere inſuper, ut ante caveatur, fore, ut Germania ſe ſynodi decretis ſummittat, quae vel jam facta ſint vel deinceps fient, ita ut a nemine in dubium revocari poſſint: caveatur item, non futurum populare concilium; ut tuto libereque ibi poſſint commorari et, cum viſum fuerit, illinc diſcedere: liceat item patribus, ſi ex juſtis cauſis majori parti videbitur, alio concilium tranſferre: denique, cum apparebit, iis cauſis, ob quas convenerint, ſatisfactum eſſe, liberum ſit patribus concilio finem imponere. IV Kalend. Januar. recitatae ſunt literae, praeſente Mendoza, addita pontificis oratione egregiam ſuam et ſanctae ſedis voluntatem erga Caeſarem et Germanicum imperium teſtificante. Cum Mendoza in eo eſſet, ut mox proteſtaretur, interceſſit cardinalium collegium, ab eoque impetravit, uti proteſtatio differretur, quoad reſponſum hoc Caeſari renunciatum eſſet. Nec interea a cura rerum civilium quieſcebat pontifex: cumque Alexander [d] Vitellius ab Octavio Parmae gubernator impoſitus, Caeſaris, in cujus ditione amplum patrimonium obtinebat, et pontificis ac Farneſiorum, quibuſcum arctiſſima neceſſitudo ei intercedebat, offenſionem vereretur, ideoque in eo negotio ſe tepidiorem praeberet, pontifex [e] Camillum Urſinum magni nominis ducem in ejus locum ſuffecit; Juliumque Urſinum cum copiis ad regni limitem miſit, quoniam ibi Aſcanium [f] Columnam et [g] Sulmonis principem in armis eſſe audiverat: [h] Peruſiam etiam praeſidio firmavit. Cum Gallis lente agebatur: nam et illi ingenio aut aetati pontificis parum fidebant; et pontifex non magnum in eorum amicitia praeſidium collocabat, quos difficili contra Anglos bello implicatos videret.

JACOBI

INTERPR. [a] *Piacenza.* [b] *de Tolede.* [c] *dal Monte.* [d] *Vitelli* [e] *Camillo Orſino da Lamentano.* [f] *Colonna.* [g] *Sulmone.* [h] *Perugia.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUINTUS.

EPITOME.

PONTIFICIS ad Germaniae praeſules ſuper concilii tranſlatione literae. II. *Cum perſtaret pontifex, Mendoza Romae coram principum oratoribus, atque eodem tempore Bononiae Fr. Varga et Martinus Velaſcus coram patribus de Synodi vitio ac defectu proteſtantur.* III. *Inde Senas Mendoza revertitur, et Plombinum divertit. Apianorum Plombini dominorum gens et origo.* IV. *Pontificis ad proteſtationem reſponſio, a Reginaldo Polo cardinale, ut creditur, facta.* V. *Inter has Caeſaris et pontificis contentiones, pendente concilii celebratione, religionis formula ſeu declaratio a Julio Flugio et Michaële Sidonio juſſu Caeſaris perſcribitur. Heſſus nutat. Argentinenſes intercedunt.* VI. *Pruſſiae et Teutonici Ordinis negotium in comitiis agitatum. Sigiſmundi Poloni mors; moderatio.* VII. *Septemvirali dignitate in Auguſtanis comitiis inſignitus Mauritius. Sebaſtianus Vogelſpergerus, qui regi militaverat, Caeſaris juſſu a Lazaro Schuendio amicitiae colore Wiſſeburgi captus, et magna cum Schuendii invidia ſecuri cum duobus centurionibus percuſſus; proſcriptique denuo Buclingius comes, Schertelius, Ringravius, Heidecus, Recrodus, Riſebergus. Camerae aſſeſſores loco moventur. Circulus* x *ex provinciis Belgicis Caeſaris edicto adjectus. De Cattorum ditione controverſia contra Heſſum, ſecundum Willelmum Naſſovium Arauſionenſem pronunciatum.* VIII. *Auguſtae et Ulmae mutata reipublicae ordinatio; indeque Caeſar in Belgium deſcendit. Contra Conſtantienſes verſa arma: urbs capta et Auſtriacae familiae addicta. Lindavienſes adacti, ut formulae ſubſcriberent.* IX. *Caeſar imperii hereditariam ſucceſſionem adfectat.* X. *Maximilianus Pinciae Carpetanorum in Hiſpania Mariam Caeſaris filiam uxorem ducit. Philippus filius Hiſpania evocatur. Genuae exceptus de arce urbi imponenda cum Albano conſultat, Andrea Auria intercedente, cui raro charitatis exemplo patriae libertas proprio periculo propior viſa eſt.* XI. *Lutherani Lutetiae capite plectuntur. In ſuſpectos Venetiis exercita item ſeveritas; ſed cum moderamine. Paulus Vergerius epiſcopus Juſtinopolitanus ex qua occaſione ad Proteſtanteis defecit.* XII. *Rex in Subalpinam provinciam facto per Aeduos itinere proficiſcitur.* XIII. *Per abſentiam levis Lutetiae motus: major in Aquitania ob rem ſalinariam exoritur, ingenti Burdigalae, quae provinciae caput eſt, exorta ſeditione; cui comprimendae miſſus A. Momorantius equitum magiſter, qui magna ſeveritate rem geſſit. Stephani Boëtiani ſenatoris Burdigalenſis in eam rem evulgatus Anthenotici titulo elegantiſſimus libellus.* XIV. *Rex ex Italia reverſus Molinii in Boiis Ant. Borbonii Vindocini et Joan. Labretanae, quae Clivenſi deſponſata fuerat, nuptias celebravit; ut et mox ad Germani fanum Fran. Guiſiani et Annae Ateſtinae, cum eum paulo ante Franciae patricium creaſſet.* XV. *Scotica expeditio, duce Deſſio. Maria regni heres Britannoduno, quo ſuperiore anno ſepoſita fuerat, a matre in manus Philippi Mallii Brezaei conſignata in Galliam magno comitatu deducitur. Letha ex*

aliarum

aliarum urbium ruinis in Forthae aeſtnario crevit. De Myrtoo lacu, Septo flumine, & Magotiis avibus, mira a Bellovadio prodita. Poſt rem per annum geſtam Deſſius exercitum Paulo Thermo tradit, cui Joannes Monlucius Valentiae epiſcopus comes additus. XVI. *Prodigium annonae coelo impluentis.* XVII. *Mortes clarorum virorum Gregorii Corteſii cardinalis, Marii Molſae.* XVIII. *Bellum Perſicum paucorum menſium.* CIƆIƆXLVIII. HENRICUS II.

Ex auctoribus,

Jo. Sleidano, Lud. Beccatello, Jo. Bapt. Hadrianio, Flavio Blondo, Anguſtino Dato, Actis imperialibus, Lud. Avila, Hier. Faletio, Nic. Mamerano, Carolo Sigonio, Jo. Bapt. Giraldo, Thoma Cormerio, Gul. Paradino, Stephano Boëtiano, Actis curiae P. Jo. Bellovadio, Georgio Buchanano, Gul. Camdeno, Conrado Lycoſthene, Georgio Fabritio, Gabriele Lurbeo, P. Paſchalio, Jo. Leunclavio.

LIBER QUINTUS.

KALEND. Jan. anni ſequentis, qui fuit hujus ſaeculi XLVIII, Pontifex ad Germanorum epiſcoporum literas Auguſta ante XVIII Kalend. Octobr. datas reſpondet; laudataque ipſorum pietate, quae ſua egregia fuerit in religionis cauſa voluntas et ſtudium, repetita ſuperiorum temporum memoria, exponit: in id a ſe nimirum indictum concilium, qui optimus et ſanctiſſimus diſſidiorum de religione componendorum modus ſit, primum [a] Mantuae, dein [b] Vicetiae, ac poſtremo [c] Tridenti; quod paucis abhinc menſibus ſe inſcio ex patrum decreto, penes quos id juris eſſe non ambigatur, [d] Bononiam non ita longe a Tridento tranſlatum ſit: nihil vero ſua referre, Tridenti an Bononiae celebretur; neque recuſare, quin Tridentum rurſus revocetur, modo aſſentiantur patres, et ordine omnia atque ex eccleſiae dignitate fiant: ideo ſe ad eos miſiſſe; quid patribus viſum fuerit, re in deliberationem deducta, ex literarum exemplo, quod nunc mittat, ipſos cogituros: eadem de re cardinalem Tridentinum et Mendozam Caeſaris nomine apud ſe egiſſe; cujus utriuſque poſtulata cum ipſorum literis congruerent, non prius ad ipſos ſcribere voluiſſe, quam Caeſari eadem opera reſponderet: igitur quid poſtulent patres, antequam de transferendo rurſus concilio agatur, ut attente conſiderent, et ipſi ſuper ea re Bononiam conſultaturi veniant, aut legatos mittant, obnixe rogare: quod vero extremis ſuis literis addant, Niſi prius concilium Tridentum revocetur, fore, ut alia conſilia rei expediendae ineantur, id ſe minime reformidare, abunde ſibi conſcium, nihil in ſe deſiderari poſſe; neque de Caeſare aut ipſis, quorum perſpecta ſit integritas et explorata conſtantia, quidquam ſiniſtri ſuſpicari poſſe: ſi qui tamen ſint, qui ſpreta Romanae ſedis auctoritate id tentare audeant, eorum ſe vicem dolere potius, quam inaneis conatus metuere: itaque hortari, ut eccleſiae paci conſulant, nec remota ab ejus dignitate conſilia in ſuis conventibus agitari patiantur.

II. CUM in eadem ſententia et pontifex et Bononiae patres perſiſterent, Mendoza Romae petito ſenatu coram pontifice, adhibitis etiam exterorum principum oratoribus, atque eodem tempore, hoc eſt, XV Kal. Feb. Franc. [e] Varga et Martinus [f] Velaſcus Caeſaris legati Bononiam miſſi de ſynodi vitio ac defectu profeſſi ſunt; atque

INTERPR. [a] *Mantoue.* [b] *Vicenza.* [c] *Trente.* [d] *Bologne.* [e] *de Vargas.* [f] *Velaſco.*

atque ibi quidem, cum Varga Caeſareum diploma, quod non ad concilium, ſed ad conventum Bononienſem dirigebatur, in conſeſſu exhibuiſſet, [a] Montanus concilii praeſes a pontifice delectus, cum XL circiter tam epiſcopis quam ejus ordinis proceribus, Vargam [α] interfatur: Cum haec quae affers mandata ad hanc ſanctam ſynodum minime pertineant, ſi vos ſuper iis audiverimus, vel quidquam ad ea reſponderimus, ea cautione accipi debere intelligimus, ut ea res in poſterum fraudi ne ſit nobis; liberumque ſit patribus, qui huc convenerint, concilium jam inchoatum perſequi, et in contumaces atque auctoritatem ejus detrectanteis poenas ſacris legibus definitas decernere. Cum Varga in acta publica referri poſtulaſſet hoc ipſum, quod interpellatus eſſet, quo minus ipſe prior verba faceret, fiduciariarum literarum, quas Montanus vidiſſet, hanc ſummam eſſe ait, ut patres, qui iſtic ſint, Caeſaris nomine obteſtentur, quo mutata ſententia decretum de ſynodi translatione mutent, et Tridentum denuo ſe conferant. Heic rurſus interfante Montano, et omnia legitime a patribus facta inclamante, quae non niſi magna cum imminutione auctoritatis eccleſiae in dubium vocari poſſint, ideoque, ut liceret ipſis cum bona Caeſaris gratia in ſententia perſtare, legatos magna conſtantia obteſtante, Varga mandati literas recitat; Velaſcus vero proteſtationis formulam coram omnibus perlegit, qua exponebatur, quanta contentione Caeſar a Leone, Hadriano, Clemente concilii celebrationem efflagitaſſet; ut id poſtremo a Paulo impetraverit; quod Mantuae primum, dein [b] Vicetiae, tandem Tridenti indictum ſit, quo commodius Germani, quorum praecipue cauſa agebatur, eo venire poſſent; ut omni ſtudio interea cum Germaniae principibus ac civitatibus egerit, ut concilio, quod ipſis poſtulantibus indicendum curaverat, ſe ſummitterent: quoſdam tamen eſſe, qui ſe pro Romanae ſedis legatis gerant, qui pontifice inconſulto, ut ipſi aiunt, certe inſcio Caeſare, temere et ob frivolas cauſas [c] Bononiam illud tranſtulerint, dum Caeſar interea bello Saxonico detineretur; quo feliciter confecto, cum conſentientibus omnium votis res illius labore et induſtria eo adducta eſſet, ut ex oecumenicae ſynodi ſententia diſſidiis de religione finis imponeretur, Caeſarem multoties per literas et internuncios cum pontifice egiſſe, ut juberet patres Bononia Tridentum reverti; alioqnin verendum eſſe, ne principes ac civitates, a quibus vix tandem nuper in comitiis Auguſtanis extortum ſit, ut ſine ulla conditione concilii decretis ſe parituros eſſe promitterent, mutato conventus loco, una et ipſi ſententiam mutent: miſſum ea de cauſa Romam cardinalem [d] Tridentinum, et Mendozae negotium datum, ut pontifici et cardinalium ſenatui iſta explicaret, ac Caeſaris et totius Imperii nomine, uti concilium Tridenti continuaretur, oraret: pontificem autem ad eos, qui Bononiae ſint, rem detuliſſe; a quibus ex compacto, uti veriſimile eſt, vario, ſubdolo et captioſo reſponſo accepto id actum ſit, ut ipſe parum apte et idonee legatis reſponderit, ſed tergiverſando et procraſtinando ſatis oſtenderit, ſe parum de republica Chriſtiana ſolicitum eſſe: nam quae afferuntur tranſlationis cauſae, ſcilicet febriculae cujuſdam et aëris vitium, commenta eſſe medicorum pretio corruptorum: id videre omneis quorſum pertineat, nimirum ut, cum Bononiam in medio Italiae poſitam et pontificiae ditionis urbem patres migraverint, ſine conſenſu Caeſaris, cui conciliorum univerſalium cura commiſſa eſt, aut concilium omnino diſſolvatur, nequaquam eo venientibus Germanis, aut ad pontificis et illorum, de quibus Germani conqueruntur, arbitrium peragatur: rogare igitur vehementer Caeſarem, ne tot pro republica exantlatos labores, tot profectiones magno ſuarum rerum ac valetudinis damno ſuſceptas, tot ſumptus in eam rem factos inutiliter perire ſinant, ut, qui locus concilio deſtinatus ſit, ad eum redeatur: jam

VAR. LECT. [α] interfatus P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *le cardinal del Monte.* [b] *Vicenza.* [c] *Bologne.* [d] *le cardinal Madrucci,* ou *Madruce, évêque de Trente.*

jam enim tuta et pacata eſſe omnia; ſi recuſent patres, ſe, Caeſaris nomine et juſſu, ſynodi tranſlationem hanc frivolam et illegitimam, quaeque in ea fient, nullius eſſe momenti profiteri; inſuper reſponſum illud patrum ineptum eſſe, et figmentis plenum teſtificari; et quae ex eo poſtea detrimenta reſpublica ſit acceptura, non Caeſari, ſed ipſis tribuenda, quorum in poteſtate minime ſit citra conſenſum Caeſaris concilium transferre; quia vero ab iis ſalus publica negligatur, Caeſarem, ut eccleſiae propugnatorem decet, quantum per jura et ſanctorum patrum leges licet, et reipublicae Chriſtianae expedit, ejus curam ſuſcepturum. His recitatis, proteſtationis formulam exhibet Velaſcus, et, ut in acta publica referatur, petit. Tum Montanus de voluntate patrum multa graviter elocutus, injuriam ſacroſancto huic coetui fieri queritur; Deumque teſtatur, ſe paratos extrema quaeque ac mortem denique potius oppetere, quam adeo pernicioſo eccleſiae exemplo pati, ut civilis magiſtratus pro arbitratu ſynodum cogat: Caeſarem quippe non dominum aut magiſtrum, ſed eccleſiae filium eſſe; ſe vero et collegas, qui adſint, Romanae ſedis legatos eſſe, penes quos ordinandi et transferendi concilii jus ſit: neque tamen recuſare, quin Deo in primis, dein et ſummo pontifici ſuae legationis rationem reddant: quod ad proteſtationem attinet, ei intra paucos dies reſponſum iri. CIↃIↃXLVIII. HENRICUS II.

III. Dum haec [a]Bononiae aguntur, Mendoza, Romae facta conteſtatione, uti diximus, [b]Senas, quibus praeſes a Caeſare impoſitus fuerat, revertitur, et, [α][c]Plombinum profectus, negotio de Plombino [β][d]Apianis veris et antiquis dominis adimendo finem poſtremo impoſuit. Plombinum, et in ejus territorio [e]Burianum, Scarlinum et Suberetum praecipua caſtella, atque adeo [f]Ilvam inſulam in [g]Tyrrheno mari ferrifodinis nobilem ad Caeſaream juriſdictionem pertinere non ambigitur. Ea in Apianorum familia jam ab illo tempore fuere, quo Petrus, cui [h]Gamba-curtae nomen, poſt Joannem [i]Agnellum, res Piſanorum, in quorum ditione Plombinum erat, diſcordiis civilibus labefactatas in ſaeviſſimam ſervitutem redegit. Hujus temporibus circa annum CIↃ CCCXC celebratur Jacobus Apianus, ab Apiano in ora Piſana pago cognomentum adeptus, vir ingenio nobilis, qui primum ſub Petro ſcribae munus obiit. Poſtea ortae inter eum et Petrum capitales inimicitiae, quarum exitus fuit, ut Petro cum filiis a Jacobo occiſo, hinc diſtrahente civeis Florentinorum republica, inde Galeacio [k]Vicecomite ac [l]Senenſibus arcto foedere cum eo conjunctis, opera Jacobi Piſae in Galeacii poteſtatem devenirent; qui, ut Jacobo gratiam rependeret, Plombinum cum omni illo territorio ei emancipavit. Ab hac origine Apianorum gens fluxit, qui fuere, Jacobus ille, de quo locuti ſumus, et Gerardus Jacobi filius, cui ſucceſſis Jacobus II, huic Emmanuel, quem Jacobi III, IV, V ordine ex eadem familia ſecuti ſunt. Hic poſtremus Joannis cardinalis Salviati ſororem in uxorem duxerat, et in rebus ſuis ſororii conſilio praecipue utebatur: quod Coſmum Florentinorum ducem maxime angebat, qui ſciret, Salviatos, quamvis arctiſſima neceſſitudine ſecum conjunctos, praevalente apud eos patriae libertatis amore, a rebus ſuis alieno prorſus animo eſſe: itaque omni ſtudio enitebatur, ut tanti momenti oppido et territorio potiretur: jamque a Ferrando Apiano, ut paulatim in Plombinenſi ditione pedem poneret, aluminis fodinas conduxerat; quotidieque Caeſarianos miniſtros ſolicitabat, ut Senarum ſecuritati proſpicerent: Plombinum enim hujuſcemodi eſſe, ut [m]Etruriae totius interſit illud in Caeſaris poteſtate eſſe, aut ejus, qui Caeſaris partium ſtudioſus ſit; propter praetenſam litori vicino inſulam Ilvam, quam ſi quis in poteſtate habeat, is toti orae maritimae immineat: id ante quinquennium experientia fuiſſe cognitum, cum Hariadenus [n]Ahenobarbus [o]Maſſilia rediens huc classem

VAR. LECT. [α] et inde P. D. o. f. [β] Appianis P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Bologne.* [b] *Siene.* [c] *Piombino.* [d] *da Appiano.* [e] *Buriano, Scarlino, & Subereto.* [f] *Elba.* [g] *mar Toſco.* [h] *Gambacorta.* [i] *Agnolo.* [k] *Viſconti.* [l] *ceux de Siene.* [m] *la Toſcane.* [n] *Barbaroſſa.* [o] *Marſeille.*

CIƆIƆXLVIII. Henricus II. claſſem ſubduxiſſet, et Gallis eo receptum tutiſſimum eſſe exemplo ſuo docuiſſet: eam igitur, et arcem [a] Plombini ſedulo muniendam atque praeſidio firmandam. In eam rem CL aureorum millia numerari juſſerat Coſmus: qua pecunia accepta Caeſar fidem interpoſuerat de ea reddenda, aut de Plombino ejuſque territorio in Coſmi manus conſignando, prius compenſatione illius Jacobo tradita. Sub id tempus cum is mortuus eſſet, relicto Jacobo VI puero in matris tutela, Coſmus rem confectu faciliorem ratus novis ſuſpicionibus Caeſarianorum animos exſtimulat: Petrum Strozzium in [b] Taurinis delectus habere, et Leonem fratrem Capuae priorem Maſſiliam cum triremibus rediiſſe, quo [c] Othobonus Fliſcus nuper convolaverit, ut cum claſſe propediem in Ilvam deſcendant, et res novas in Etruria moliantur; rediiſſe etiam nuper e Gallia Carolum [d] Urſinum Anguillariae comitem multis honoribus cumulatum cum VI triremibus. Itaque Mendoza juſſu Caeſaris cum vidua agit, et omnino inſulam muniendam eſſe demonſtrat: quod ſi non poſſit ſuis opibus, videri e re Etruriae eſſe, ut juſtam a Caeſare compenſationem accipiat, et totius ditionis poſſeſſionem ei tradat. Illa primo renuere, et miſſo Hieronymo mariti fratre ſummopere Caeſarem orare, ut antiqui patrimonii poſſeſſio filio conſervaretur: poſtremo ut Caeſari aliqua ex parte ſatisfaceret, [e] Didacum Lunam cum Hiſpanorum praeſidio in Plombini arcem recipit; a quo poſtmodo arce expulſa, et in urbe habitare cum filio coacta eſt. Interea Coſmus Caeſarianos urgebat, ut aut pecunia exſoluta die dicta redderetur, aut promiſſa repraeſentarentur. Igitur re a Mendoza cum Gonzaga [f] Ticini, quo ad eum venerat, communicata, Coſmo muniendi [g] Portus-ferrati, ſic vulgo praecipuam in inſula urbem vocant, facultas datur. [h] Ilva a continentis promontorio (ubi hodie Plombinum, olim paulo ſupra ad occidentem Populonia erat, quae nunc [i] Portus Baratus dicitur) X circiter milliarium ſpatio abeſt, interjacente [1] Pandataria deſerta fere et nullis operibus munita inſula, [2] Agrippinae exilio ſolum nobilitata. In Ilva portus eſt navium maxime capax, cui duo colles imminent, quos ex conſilio Jo. Baptiſt. [k] Camerini, muniendarum arcium peritiſſimi architecti, Coſmus erectis caſtellis firmavit; atque humiliori quidem, a propugnaculorum forma, quibus tanquam radiis undique ſe porrigentibus cingitur, [l] Stellae nomen; editiori, quod alteri tanquam praedae accipiter incumbit, [m] Falconis datum eſt: tertium propugnaculum in portus faucibus aedificatum eſt, quia linguae ſpecimen referat, [n] Lingula appellatum: ea, quod a ſe invicem longius diſtarent, muro conjungere inſtituit, ut eo magis et portum et urbem ſecuram redderet, tecto milite, et inde tutius, cum opus eſſet, ultro citroque ad arceis commeante. Magna operum vi et inſolita celeritate feſtinatae munitiones, jampridem lecto milite et proviſis rebus omnibus ad eam rem neceſſariis, quae Populonia, [o] Campilia et [p] Liburno, ubi Coſmus ipſe ſubſtiterat, comportabantur; ac infra XV dierum ſpatium caſtella ad eam altitudinem perducta ſunt, ut portum ab incurſionibus tutum praeſtare poſſent. Id graviter tulere Genuenſes; parumque abfuit res a tumultu domeſtico, plebe proceres incuſante, quod rem tanti momenti nimia ſecuritate neglexiſſent, ignaviam etiam ipſis exprobrante, qui arcem in oculis ſuis urbi veluti imponi paterentur. Itaque multi cenſebant, non expectandum diutius, ſed manu armata quamprimum in inſulam, ad diſturbandas operas et ſolo aequandas munitiones, invadendum eſſe: ſic enim fore, ut portus et inſula, deſtructis propugnaculis, in eorum poteſtate ſit, qui maris potentes ſint; liberaque Tyrrheni maris navigatio omnium ſit, quam novus in [q] Etruria exortus dominus ſui juris facere arcibus impoſitis contendat. Verum eorum impetum auctoritate

INTERPR. [a] *Piombino.* [b] *Piedmont.* [c] *Ottobuono dal Fieſco.* [d] *Orſini, conte dell'Anguillara.* [e] *Diego da Luna.* [f] *Pavie.* [g] *Porto ferraio.* [h] *Elbe.* [i] *Porto barato.* [k] *Camerini.* [l] *la Stella.* [m] *il Falcone.* [n] *Linguella.* [o] *Campiglia.* [p] *Livorno.* [q] *la Toſcane.*

NOT. [1] Dele *Pandataria:* lege *Palmariola;* vulgo *Palmaruola.* Pandataria inſula eſt in Puteolano ſinu, où fut releguée Agrippine. *Put.* [2] Dele *Agrippinae exilio ſolum nobilitata.* Put.

auctoritate ſua repreſſit Andreas [a] Auria, vir prudenti juxta et miti ingenio, cum diceret, Coſmum minime inſulam ſibi vindicare, ſed eam juſſu Caeſaris muniendam ſuſcepiſſe. Miſſi tamen legati, qui ea de re apud Caeſarem expoſtularent, et CCC aureorum millibus oblatis inſulam ſibi dari peterent: interea cum Salviata vidua egerunt, ut CL aureorum millibus acceptis, quae muniendis Plombinenſis ditionis arcibus impendi oportere Mendoza dictitabat, oppida et filium eorum dominum fidei ſuae committeret. Nec illa, odio Coſmi, abnuit: nam et filium Genuam amandavit, et apud Caeſarem, ſe Genuenſium fidem potius quam Coſmi ſecuturam, teſtata eſt. Verum Coſmus, qui aſtu et ſparſa de Gallorum molitionibus fama rem ſibi feliciter ſuccedere hactenus cerneret, ex occaſione coeptum negotium ad exitum tandem perduxit. Cum enim tum forte Leo Strozzius cum XX triremibus [b] Maſſilia ſolviſſet, accidit, ut eodem tempore [c] Orbitelli, quod Coſam olim fuiſſe autumat Onufrius Panvinius, alii rectius meo judicio Vetulonium, populus, ſeditione orta ob militis Hiſpani proterviam contra praeſidiarios, arma ſumpſerit; quod cum ex compacto factum Caeſarianis miniſtris perſuaſiſſet Coſmus, aucta de Gallorum conſiliis ſuſpicione, tantum apud eos potuit, fortaſſe etiam munerum ſpe corruptos, ut Plombinum et reliquas arceis in ejus manus conſignandas Mendoza ex Gonzagae conſilio decerneret, traditis etiam [1] teſſeris, quas Joan. Luna penes ſe habebat. Lucas Antonius [d] Cupanus Coſmi nomine arcium armis firmandarum curam ſuſcepit; Mendoza et [e] Didaco Luna, qui Plombini arcem praeſidio tenebat, ampliſſimis praemiis, ut Hadrianius ſcribit, remuneratis. Interea Jacobus Apianus a Genuenſibus perſuaſus ad Caeſarem adit; quem Adamus [f] Centurio praecipuae inter civeis ſuos auctoritatis aliquot diebus praeceſſerat: ii, jam invidia ex multorum aemulatione Coſmum apud Caeſarem praegravante, facile a Caeſare impetrant, ut reſciſſa Gonzagae et Mendozae cum Coſmo tranſactione Plombinenſis ſtatus cum arcibus et munimentis rurſus Mendozae, uti prius, committeretur: neque enim aequum aut juſtum eſſe, ut legitimus dominus nondum accepta compenſatione bonis expelleretur, in ejus commodum, qui alieni cupidus nihil juris in his habeat. Haec Caeſari a Dominicano quodam, qui eum peccata ſecreto confitentem audiebat, ſaepius inculcata: quibus acceſſere Centurionis plena prudentiae monita, ſi Coſmus in eorum bonorum poſſeſſione remaneret, Auriam, qui Caeſaris auctoritatem Genuae tuebatur, magna apud ſuos invidia laboraturum dictitantis; qua fieri poſſet, ut exſules alienatis populi erga Auriam ſtudiis multitudinem in ſuas parteis pertraherent, ex eoque rerum in civitate novandarum occaſionem caperent. Ita Plombinum et [g] Ilva Caeſarianis reddita, et triennio poſt rurſus Coſmo tradita; quae deinde anno hujus ſaeculi LVII per Philippum Hiſpaniarum regem a Coſmo certis conditionibus recepta, et Jacobo vero domino reſtituta ſunt.

CIↃIↃXLVIII.
HENRICUS II.

IV. JAMQUE a conteſtatione per Mendozam in cardinalium ſenatu facta menſis effluxerat, cum pontifex Kal. Feb. accurato et artificioſo ſcripto reſpondet, ex ea conteſtatione ſe initio magnopere commotum et incredibili dolore affectum fuiſſe: quippe cum res ſit peſſimi exempli, neque hactenus uſurpata, niſi ab iis, qui ab eccleſiae obſequio atque adeo religione ipſa defecerint; quod tantum abeſt, ut de Caeſare credere vel ullo modo ſuſpicari velit, ut potius eum legitimam eccleſiae poteſtatem detrectanteis ad officium reducturum, et in eos ſeveriſſime animadverſurum ſperet: quod cum bello nuper, in quo pontificiis praecipue copiis adjutus eſt, confecto

INTERPR. [a] *Doria.* [b] *Marſeille.* [c] *Orbitello.* [d] *il colonello Cuppano.* [e] *Diego da Luna.* [f] *Centurione.* [g] *Elba.*

NOT. [1] Hadriani, de qui cet endroit eſt tiré, met *conſegnandoli le fortrezze, con li contraſegni.* C'eſt le contre-ſeing d'un gouverneur de place, que P. Jove appelle *ſecretiores teſſeras de dedendis arcibus.* Put.

CIↃIↃXLVIII. confecto oſtenderit, mirari ſe eo magis Caeſarem pro tanto beneficio tam diſparem
HENRICUS II. gratiam rependere: verum ſe ſummo illo dolore poſtea levatum, poſtquam mandati formula inſpecta deprehenſum eſt, Mendozae minime datam facultatem, ut contra pontificem et cardinalium ſenatum proteſtaretur; ſed legatis tantum Bononiam miſſis, ut coram patribus, qui illic ſunt, agerent, injunctum fuiſſe: itaque mandati fineis egreſſum eſſe Mendozam, et modeſtiſſimo principi ſuo injuriam feciſſe, qui non aliter, quam contra tranſlationis ſynodi auctores, conteſtari ſuos intellexerit, totiuſque negotii et controverſiae, ſi qua ſit, judicium ad pontificem pertinere exiſtimaverit; qui ſi a Caeſare interpellatus recuſaſſet, tunc proteſtationi contra ipſum merito locum futurum fuiſſe: id cum nuſquam factum ſit, iniquum eſſe, quod petat Mendoza, ut pontifex praejudicio uſus decretum de concilii tranſlatione factum reſcindat: ita corruere omni ex parte Mendozae actionis fundamentum, qui nec aequum petat, nec agendi facultatem habeat. Quod ad criminationes attinet, quaſi ipſe negligenter in eccleſiae cauſa verſetur, non ſe quidem invidere [a] Caeſari gloriam, quod egregiam operam in hoc negotio navaverit; ceterum ſibi ſuam eripi minime pati poſſe: ſi Caeſari conſtans deſiderium fuit, ut perageretur concilium, eandem et ſibi mentem fuiſſe, etiam antequam de eo Caeſar cogitaret, quippe cum illum aetate antecedat: id cum bellis Germanicis interturbatum ſit, relinquere in medio diſceptandum, uter in eo negotio ardentior fuerit; Caeſarne, qui bellicis motibus ſynodi celebrationem impedierit, an ipſe, qui nulli principi operam ſuam addixit, praeterquam uni Caeſari, quem in eo bello, cujus ſucceſſus ad tam optatum finem munire viam videbatur, opibus ſuis adjuvit, quique nullam non inivit Chriſtiani orbis pacificandi rationem, ex quo ad ſummum hoc ſacerdotium vocatus eſt: nec patrum migrationem adeo exaggerandam eſſe, cum ea majoris ſive ſanioris partis decreto facta ſit, et in eorum poteſtate ſit ex juſtis et legitimis cauſis concilium transferre: in praeſentiarum quidem, an legitime tranſlatum ſit, nolle pronunciare; verum, ſi in controverſiam veniat, ejus rei ſibi judicium reſervare; atque interim coetum illum, qui [a] Bononiae ſit, concilium jure appellare: nunquam ſe prorſus recuſaſſe, quin [b] Tridentum redeatur, modo id legitime fiat, hoc eſt, citra eccleſiaſticae auctoritatis detrimentum, et ſine aliarum nationum offenſione: ſatis conſtare, quam de Germaniae ſalute ſolicitus fuerit, jam bis indicto Tridentum concilio; verum id fruſtra hactenus fuiſſe, diſcedentibus Caeſaris legatis, ac nullis fere epiſcopis Germanicis eo venientibus; quamvis ex Gallia, Hiſpania et aliis remotioribus provinciis multi confluerent: laetari ſe quidem magnopere, temporum ac rerum ſtatum in Germania mutatum eſſe, libenterque audire ſucceſſibus tam proſperis auctoritate et potentia auctum Caeſarem in ſe recipere, Germanos, ſi Tridentum redeatur, concilio ſubſcripturos; ceterum mirari, qui fiat, ut, ſi Germani tam bene affecta voluntate ſint, adeo ſalutare remedium intra unius civitatis moenia concludant: etſi enim eorum praecipue gratia cogatur, cogitare tamen debere illos, cum eodem morbo teneantur hodie Dani, Gothi ac Britanni, hoc exemplo neceſſitatem induci, ut in eorum finibus etiam ſynodus habeatur; contra vero multis teſtimoniis oſtendi poſſe, extra provincias, in quibus haereſes exortae ſint, ſaepius celebrata fuiſſe concilia: unde appareat, nihil illa tam acri et feſtinata denunciatione opus fuiſſe, et conditiones a patribus propoſitas neque novas eſſe neque iniquas; quippe ſolere iſta non tantum pontificum ſed et Caeſarum legibus hoc modo definiri: itaque non fuiſſe, cur patrum reſponſum frivolum eſſe ac figmentis plenum dixerit Mendoza; nec vero pontificem, quamvis negligentiae vere accuſari non poſſit, moleſte ferre, ſi quando contingat eum officio deeſſe, eo diligentiam

Caeſaris

VAR. LECT. [a] ſuam Caeſari P.
INTERPR. [a] *Bologne.* [b] *Trente.*

Caeſaris excitari, modo intra cancellos, qui illi circundantur, conſiſtat, et juris formulam ac ſanctorum patrum leges Chriſtianique orbis conſenſum in eo ſequatur; quod ſi fiat, minime dubitare, quin utriuſque functio, licet diverſa et diſtincta, ſit eccleſiae futura ſalutaris: poſtremo, quod migrationem patrum illegitimam eſſe contẽndat Mendoza, quoniam in hoc controverſiae cardo vertatur, ejus rei cognitionem pro ea, quam in eccleſia obtinet, poteſtate ſibi vindicare, eamque viris ampliſſimis, collegis ac fratribus ſuis, [a] Pariſio, [b] Burgenſi, [c] Polo et Creſcentio demandare; et, ſi quidem finito judicio parebit, illegitime concilium Bononiam tranſlatum fuiſſe, omni ratione curaturum, ut Tridentum revocetur: interea, dum illi cognoſcent, petere, ne quid ab alterutra parte in contrarium fiat; ſed, quicquid hac de re velint in medium afferre, id ut intra proximum menſem faciant, edicere. Ac ne Germaniae deeſſe videatur, legatos eo ſe miſſurum pollicetur, qui populorum illorum infirmitati, ſi Caeſari et ipſis non ingratum eſſe cognoverit, commoda ratione medeantur. Haec eo ſcripto continebantur, cujus auctorem fuiſſe Reginaldum Polum, unum ex delegatis illis judicibus praecipuae et dignitatis et doctrinae inter cardinaleis, ſcribit in ejus vita Lud. [d] Becatellus archiepiſcopus [1] Racuſinus; deploranda ſane tanti viri conditione, cui neceſſe fuerit, ut ſectarii mali ſuſpicionem, cujus falſo inſimulabatur, purgaret, pontifici in ea cauſa, in qua minime illum ſincere verſari ſciret, induſtriam ſuam elocare.

V. Caesar, cardinali Tridentino jam [e] Auguſtam reverſo, cum ex Mendozae literis, etiam antequam ſcriptum illud in ejus manus veniſſet, exiguam ſpem eſſe de concilio inſtaurando cognoviſſet, rem ad Imperii ordines XIX Kalend. Febr. detulerat, negotiumque Mendozae dediſſe dixerat, ut, ſi pontifex in ſententia perſeveraret, concilium vitii palam argueret: quod etſi non omnem de concilio ſpem praecideret, tamen, quia longior mora interponeretur, exiſtimare e re publica eſſe, ut interim via aliqua conciliationis ineatur; ejus quidem rei ſibi ab ipſis curam permiſſam eſſe; verum aequius videri, ut ex omni theologorum numero pauci deligantur viri, pii, docti et concordiae ſtudioſi, qui negotium illud citra ullam aſperitatem tractent. Igitur deliguntur nonnulli; inter quos cum minime conveniret, rurſus res tota Caeſaris arbitrio committitur. Is ergo Julio [f] Flugio epiſcopo Numburgico et Mich. Sidonio, quorum ſupra mentionem fecimus, Joanni item [g] Iſlebio Agricolae, qui ante XX annos pro Saxonica confeſſione cum Phil. [h] Melanchthone et Jo. [i] Brentio ſteterat, negotium dat, ut doctrinae, ceremoniarum atque emendationis eccleſiaſticae formulam conſcriberent. Brandeburgicus ſeptemvir, ut erat et rerum Caeſaris et pacis ſupra modum ſtudioſus, cum ſerio rem agi crederet, communicato cum Jacobo Sturmio conſilio ad [k] Argentinenſeis ſcribit, et, ut Martinum Bucerum ad ſe mittant, orat; Caeſarem enim, poſtquam pontificem concilium detrectare videat, aliam viam inſtitiſſe, ac demum aliquam ſpem emendationis in eccleſia bonis effulgere. Cum Bucerus Auguſtam veniſſet, apud ſeptemvirum divertit; qui ab Iſlebio perſuaſus, librum de religione ab delectis confectum ferri poſſe, quem moderatione ſumma ſcriptum eſſe dicebat, eum propterea Bucero evolvendum dat, ut ei ſubſcriberet: ille, quod in eo pontificiam doctrinam conſtitui diceret, probare ſe non poſſe reſpondit; et, quamvis graviter ei ſuccenſente ſeptemviro, et uti ſubſcriberet omni ope Granvellano contendente, a ſententia dimoveri non potuit; magnoque vitae diſcrimine per Wirtembergicum agrum, qui tunc ab Hiſpanis paſſim inſidebatur, ſeſe Argentinam recepit. Liber ille capita complectebatur receptae hactenus religioni prorſus

INTERPR. [a] *le cardinal Pariſio.* [b] *de Burgos.* [c] *Pole, & Creſcentio.* [d] *Beccatelli, archevêque de Raguſe.* [e] *Augsburg.* [f] *Pflug, evêque de Naumburg.* [g] *Eyſleben.* [h] *Melancthon*; Germ. *Schwartzerde*; Latinis, *nigra terra*; Gr. *μελάγχθων.* [i] *Brentzen.* [k] *ceux de Strasbourg.*

NOT. [1] Raguſinus *Put.*

prorſus conſentientia; niſi quod ſacerdotum conjugium non penitus damnabat, nec carnis et ſanguinis CHRISTI ſub utraque ſpecie communionem omnino rejiciebat, ſed utrumque tolerandum eſſe proponebat, donec de tota re ex concilii ſententia decerneretur: quo factum eſt, ut is liber, quamvis Caeſar graviſſimis verbis id vetuiſſet, contrariis editis ſcriptis ab utraque parte impugnatus ſit; inde quidem a Gaſpare Aquila [α] [a] Salodienſis eccleſiae in Thuringia miniſtro, quod eum Iſlebius libro aſſentiri paſſim jactaret; inde a Roberto [b] Cenali Abrincarum epiſcopo ob ſacerdotum conjugium et coenae dominicae ſub pane et vino uſum; ac deinde Romae a [c] Romaeo ordinis Dominicani, uti vocant, Generali. Itaque pontifex id in ea formula dignum cenſura pronunciavit; et per cardinalem Sfondratum reſpondit, inauditum eſſe, ut presbyter ordinatus uxorem ducere et ſacrum officium adminiſtrare poſſit; conſuetudinem illam coenae dominicae ſub utraque ſpecie ſumendae jampridem in eccleſia abrogatam eſſe: et in his duobus indulgendi poteſtatem nulli competere, praeterquam Romano pontifici. Hac adhibita cenſura, ſeptemviri praeſules ad Caeſarem ſcribunt, et ſe eam formulam ut eccleſiae ſalutarem amplecti paratos oſtendunt; et Colonienſis quidem, cum poſtea formulam per dioeceſim publicaret, facto decreto matrimonia ſacerdotum jam contracta reſcidit, atque inceſta pronunciavit, liberoſque ex iis ſuſceptos ſpurios eſſe juſſit: non eadem ſententia erat Palatini et Mauritii ſeptemvirorum; verum uterque ſive metu ſive ſpe inductus urgenti Caeſari non admodum reclamavit. Itaque poſtquam formula Eid. [1] Martiis in comitiis palam recitata fuit, cum [d] Moguntinus non exquiſitis ordinum ſententiis publico nomine gratias egiſſet, gratiarum illam actionem pro aſſenſu Caeſar accepit, nec ullam poſtea excuſationem admiſit, librumque typis Latino et vernaculo ſermone evulgari juſſit. Nec multo poſt Mauritius [e] Auguſta diſceſſit; reque [f] Miſenae coram ditionis ſuae hominibus propoſita, cum illi Caeſaris et ipſius promiſſa repoſcerent, et, ut ſibi in Auguſtana confeſſione perſiſtere liceret, orarent, [g] Begae primum, dein [h] Cellae, poſt denique [i] Juterbocis convenitur. Interfuit ipſe Iſlebius a Brandeburgico ſeptemviro miſſus. Ibi ex Phil. Melanchthonis ſententia, qui, ut erat miti ingenio, pacificandae eccleſiae unice ſtudebat, de rebus mediis et iis, quae adiaphora vocantur, decretum fit: poſtremoque [k] Lipſiae a Witembergenſibus et Lipſienſibus theologis habita deliberatione religionis formula perſcribitur, quam omnes per Mauritii ditionem ſequerentur. Inde poſtea inter ipſos Auguſtanae confeſſionis ſocios controverſiae exortae ſunt; Lubecenſis, Luneburgenſis et Hamburgenſis eccleſiarum miniſtris acriter Auguſtanum decretum oppugnantibus; quibus mox ſe adjunxerunt Magdeburgici doctores, Nic. Amſtorfius, Matthias Flaccius [l] Albona Illyrici urbe natus, quondam Melanchthonis auditor, et Nic. Gallus, qui per res illas medias pontificiae religioni viam aperiri contendebant: ritus enim ac ceremonias et res hujuſmodi deſinere eſſe adiaphora, cum iis opinio cultus ac neceſſitas Chriſtianae libertati contraria accedit; ſic enim impietati tandem cauſam dari. Quibus uno verbo Melanchthon reſpondit; nimirum aliquam ſervitutem ferendam eſſe, modo cum impietate conjuncta non ſit. Sed haec anno ſequenti acciderunt. Joannes Brandeburgicus, Joachimi ſeptemviri frater, cum inſtaret Caeſar, ut libro ſubſcriberet, coram Ferdinando ſe excuſavit, et, de ſuis in ipſum meritis quaedam modeſte praefatus, hac ſe fiducia utrique militaſſe dicit, quod de religione ſibi caviſſent. Cum nihil impetrare poſſet Caeſar, veritus, ne ille vel exemplo vel voce alios confirmaret, comitiis hominem abire jubet. Wolfangus etiam [m] Baioarus Bipontinus, cum ab ea, quam hactenus

VAR. LECT. [α] Saloedienſis *P. D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *Salfeld en Thuringe.* [b] *Cenalis, evêque d'Avranches.* [c] *Romeo.* [d] *l'electeur de Mayence.* [e] *Augsburg.* [f] *Meiſſen.* [g] *Pega.* [h] *Cell.* [i] *Juterbock.* [k] *Leipſick.* [l] *Albona en Sclavonie.* [m] *de Baviere, duc de Deux Ponts.*

NOT. [1] Dele *Martiis*, lege *Maii*: ſic Sleidanus, lib. 20 et 21. et ita Thuanus ipſe paulo inferius. *Put.*

hactenus profeſſus fuerat, religione ullo modo diſcedere recuſaret, dimittitur; qui poſtea inſtante Caeſare ad eum reſcribit, ſe quidem in praeſentiarum invulnerata conſcientia ipſi ſatisfacere non poſſe: ſed, ſi miniſtros ſolum vertere jubeat, quanquam id admodum grave ſit et ſibi et ſuae ditionis populo, illos tamen mandatis ejus obtemperaturum. Joachimus ſeptemvir, qui ſemper hoc egerat, ut quieta conſilia ſequeretur, et Caeſari in omnibus morem gereret, et Palatinus non ita pridem Caeſari reconciliatus, cum ab illo ſibi adhuc metueret, ſubſcripſere. Mox concinnatores Lutherani paſſim exacti. Wolfangus Muſculus [a] Auguſta relicta [b] Bernam Helvetiorum ſe contulit. Joannes [c] Brentius, qui ante biennium, cum Caeſar [d] Halam, ubi jam XXVI annos docuerat, adventaret, in magno fuerat diſcrimine, hoc tempore extremum vitae periculum adiit: nam datum a Granvellano legatis Halenſibus negotium fuerat, ſi Caeſari gratificari vellent, curarent, ut Brentius vinctus Auguſtam adduceretur; quod cum ille reſciviſſet, in agrum vicinum ſubito ſeceſſit, atque ibi per ſilvas latitans diuque incertis errans ſedibus, amiſſa interim uxore, tandem apud Ulricum [e] Wirtembergicum, quantumvis ſibi ab Hiſpania undique circumfuſis metuentem, perfugium [α][f] Horbergae invenit. Cumque reliquae [g] Sueviae urbes imperata ſe facturas recepiſſent, Andreas Oſiander, qui [h] Norimbergae docebat, in Pruſſiam ad Albertum confugit: idem fecere, qui [i] Spirae et Wormatiae erant. Mox et Willelmus [k] Naſſoviae comes Eraſmum [l] Sarcerium, et Wirtembergicus ipſe Erardum [m] Schneſium dimittere coactus eſt. Idem juris Caeſari in Saxonem captivum non fuit, qui a Granvellano et [n] Atrebatenſi filio ſolicitatus, facta etiam libertatis ſpe, a ſententia dimoveri non potuit; cum diceret, inter conditiones anno ſuperiori a Caeſare praeſcriptas hanc quidem fuiſſe, ut et ipſius et Tridentinae ſynodi decretis ſe ſubſcripturum reciperet; ſed poſtmodo remiſſam fuiſſe, poſtquam nullo terrore adduci potuiſſe eum intellexit Caeſar, ut in eam conſentiret; neque quidquam de religione ſecum ab illo tempore actum eſſe: id vero ſe ſummi beneficii loco duxiſſe, eoque aequiori animo captivitatem tuliſſe, quod interea ſuam in religione libertatem ſervare licuerit; in qua cum indies aſſidua ſacrorum librorum lectione confirmatior evadat, nolle ſe committere, ut, ſi contra quam fieri debere ſentiat, in religionis negotio ſe gerat, et divinam majeſtatem et Caeſarem ipſum ludificaſſe dicatur: qua re cum nihil flagitioſius fieri poſſe exiſtimet, (hoc enim illud eſſe peccatum contra Spiritum Sanctum, quod nullo unquam tempore condonatur) majorem in modum orare Caeſarem, per Dei miſericordiam, qua per Filii immolationem humano generi reconciliatus ſit, ne factum hoc ſuum implacate ferat: non gloriolam in eo affectare, ſed id unum ſpectare, ut vero Dei cultu regni coeleſtis hereditatem conſequatur; hoc ut Caeſar certo credat ſibique perſuadeat, vehementer optare: ceteris in rebus omnibus promptiſſimam ſuam fuiſſe et fore perpetuo in illum voluntatem; quamque ei dederit fidem, eam, ut virum bonum et illuſtri loco natum deceat, inviolatam ſervaturum: itaque obſecrare, ut offenſionem omnem remittat, ſeque tandem ab hac captivitate liberet, ne primus omnium principum ſit, qui ſuam aetatem captivus apud ipſum exegerit. Cum hoc in propoſito conſtanter haereret, durius et inclementius aliquanto cum eo agi coepit, adempto librorum ſacrorum uſu, et eo, quo hactenus Caeſaris permiſſu uſus fuerat, doctore; qui, cum praeſens exitium imminere cerneret, veſte mutata clanculum ſe periculo eripuit. Cum deinde Saxonis filii interpellati formulam recipere nollent, eamque in concionibus oppugnari paterentur, Caeſar ea de re apud patrem

CIƆIƆXLVIII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] Horbergae *deeſt* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *Berne en Suiſſe.* [c] *Brentzen.* [d] *Halle.* [e] *le duc de Wirtemberg.* [f] *Horuberg.* [g] *la Souabe.* [h] *Nuremberg.* [i] *Spire, & Wormes.* [k] *Naſſau.* [l] *Sarcerius.* [m] *Schnepffen.* [n] *l'evêque d'Arras.*

CIↃIↃXLVIII. patrem conqueſtus eſt: a quo hoc reſponſum tulit, non poſſe ſe filiis auctorem eſſe, ut, quod pacata conſcientia facere nequeat, hoc illi faciant. Non eadem Heſſi conſtantia fuit; ſi verae ſunt literae, quas ille ad Caeſarem ſub id tempus dedit, a Caeſarianis evulgatae, quibus continebatur, mandaſſe ipſum uxori et conſiliariis, ut reliquas conditiones omneis implerent, et iis, qui propter anteactum bellum querimoniam inſtituiſſent, ſatisfacerent; de cetero, librum de religione ſibi lectum eſſe, in quo licet quaedam eſſent, quae non ſatis intelligat, quaeque ſacris literis confirmari non poſſe exiſtimet, tamen, quod vetuſtate ſtent et patrum auctoritate nitantur, non ſe plus illis velle ſapere: itaque ratum habere ſcriptum illud, et curaturum, ut a ſuis obſervetur: interim fidem ſuam ei deferre, ſive contra Turcam ſive contra pontificem vel quoſcunque reges atque ipſos Helvetios bellum gerat, ſive per Germaniam ipſius opera uti velit; ſed orare per Deum et omneis divos, ut depoſita omni offenſione ſe liberum dimittat: jam enim annum integrum detineri, et ſatis duras poenas dediſſe: majoris porro cautionis loco, ſi opus ſit, daturum duos filios obſides; et quaecunque ratio praeſcribatur, ea ſe paratum cavere, donec ipſi plene ſatisfiat. Has literas, de quarum veritate Sleidanus addubitat, captivitatis taedium ab Heſſo extorſiſſe puto; cum is eſſet, qui proſpera ſuperbe, adverſa impatienter ferret, longe diverſo a Saxone ingenio, quem ſecundis rebus nunquam ſupra modum elatum, multo minus adverſis fractum hoſtes [α] unquam videre. Certe non magnam Heſſi propterea rationem habuiſſe Caeſarem conſtat, alio atque alio loco ſubinde a cuſtodibus Hiſpanis traducti, [a] Donaverda primum [b] Norlingam, et inde [c] [a] Alprunum, ac denique [d] Halam in Suevia. Tunc et perſcripta emendationis eccleſiaſticae formula et in comitiis recitata atque ab epiſcopis comprobata eſt, moxque juſſu Caeſaris typis evulgata. Petierant legati, ut ſibi tempus daretur, quo de decreto ſuis renunciarent. Interim cum omnibus fere ſingillatim actum eſt, et minae additae, juſſis manere legatis, donec reſponſum a ſuis allatum eſſet. Serius ab [e] Argentinenſibus legati miſſi, quorum princeps Jac. Sturmius. Cum iis agit [f] Granvellanus per Henricum [g] Haſium, quo utebatur interprete, de formula, cui omnes fere principes ac multae civitates ſubſcripſerant, recipienda; et, quae ſit ſenatus voluntas, ut exponant, rogat. Cum eadem, quae reliqui, in medium afferrent, et in eam rem literas a ſenatu exhiberent, interfatur Granvellanus et decretum Auguſtanum urget, cui illi parere neceſſe habeant. Heic rurſus legati replicant, quod fidei Caeſaris res permiſſa ſit, id ſe ceteroſque legatos de civilibus tantum negotiis intellexiſſe, qui religionis cauſam ad concilium rejectam exiſtimarent, in quo partibus auditis aequo utrinque jure diſceptaretur. Cum rurſus inſtaret Granvellanus, ut, publico imperii decreto parere necne paratus eſſet ſenatus, claro et aperto reſponſo declararent, (jam enim in Gallia paſſim jactari Argentinenſeis in decretum non conſenſuros) illi nihil ſe aliud in mandatis habere dixerunt, quam ut ſenatum in reliquis rebus imperata facturum promitterent, in religionis negotio vim deprecarentur: quid in Galliae regis aula dicatur, ignorare ſe, nec valde de eo eſſe ſolicitos, modo ſibi ſuae innocentiae et obſequii ratio conſtet; cujus rationem, prout debeant, Caeſari ſemper reddere parati ſint. Ita illi non acceptis literis dimiſſi. Igitur ſenatus mox alias ad Caeſarem dat Gallice ſcriptas, quoniam ea lingua magis capiebatur; et, quandoquidem priores a Granvellano receptae non ſint, denuo apud ipſum ſupplicare ſe aiunt, ne vis afferatur in cauſa, quae legitime tractari non poſſit, niſi libertas in ea ſervetur; petere igitur, ut theologis ſuis liceat ea, quae proponuntur, antequam cogi poſſint, expendere. [h] Grempius juriſconſultus cum his literis aliiſque mandatis ad

HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] unquam fui videre. P. D. o. f. d.
INTERPR. [a] *Donawerth.* [b] *Nordlingen.* [c] *Hailbron.* [d] *Hall, en Souabe.* [e] *ceux de Strasbourg.* [f] *le chancelier de Granvelle.* [g] *Hasen,* [h] *Gremp.*
NOT. [a] *Hailpronnam* Put.

ad Caeſarem miſſus hoc reſponſum tulit, aliud decerni non poſſe, neque jam quaeſtionis tempus eſſe; fore enim propediem, ut in concilio, quantum ſatis eſt, audiantur. Hoc Argentinenſes perculſi reſponſo magnum reipublicae ſenatum cogunt, quod non niſi difficillimis temporibus fieri conſuevit: is ccc civibus conſtat, qui ex ſingulis tribubus deliguntur. Cum plerique exquiſitis ſuffragiis primo decretum omnino repudiarent, aliquot diebus interjectis, tepidiores multi reperti ſunt, jam adventantibus Caeſaris copiis. Tandem rurſus ad Caeſarem vi Eid. Septembr. ſcribunt: et, quoniam ad concilium rejiciantur in eo audiendi, ne interea contentioſi et pervicaces plus juſto videantur, ſe minime recuſare dicant, quo minus civitatis epiſcopus formulam perſcriptam in templis per ſui ordinis miniſtros inſtituat; fidemque dant, ſe cum eo de templis tranſacturos, et curaturos, ne pro concione vel aliis in locis quidquam dicatur vel fiat, quod offenſionis cauſam praebere poſſit; dum liberum ſit, quam quis volet, vel quam rectam putabit, religionem profiteri. Has conditiones, Jac. Sturmio viro ſummae eloquentiae copioſe perorante, [α] accepit Caeſar; et, ut cum epiſcopo tranſigant, jubet, ea lege, ut, ſi inter ipſos non conveniat, penes ſe cauſae ſit arbitrium. Cum epiſcopo poſtea egerunt, (is erat Eraſmus ex [a] Limpurgenſium regulorum familia:) et cum initio duriorem ſe, ut quidem ipſis videbatur, praeberet, tandem delecti utrinque arbitri; ex quorum ſententia ſenatus tria templa epiſcopo permittit, et eccleſiaſticos in ſuam fidem ac tutelam accipit, qui annuum certum vectigal ſenatui pendunt, et in reliquis immunitatem obtinent: epiſcopus viciſſim in uſum ſcholae [b] Thomenſe collegium, de quo magna controverſia fuerat, efflagitantibus profeſſoribus ac civibus, ac reliqua templa ſenatui concedit. Pridie Kalendas Quintileis hujus anni comitia diſſolvuntur, poſtquam factum eſt decretum de ſynodo Tridenti continuanda, et Caeſar curaturum ſe recepit, [β] ut quamprimum ibi redintegretur. Publicata et denuo religionis formula, gravibus verbis edicitur, ut omnes ſine conditione pareant, ſicuti jam Eid. Maii praeceptum fuerat. Auctores libri magnis praemiis remunerati ſunt; Michaël Sidonius epiſcopatu [c] Merſeburgenſi in Saxonia donatur: unde Proteſtantium dicterium locum habuit, ob id videlicet illos chriſmatis et ſacri olei uſum tueri, quod inde caput unctius referrent.

VI. Iis in comitiis praeterea hujus anni initio Pruſſiae cauſa acta eſt magna contentione inter Staniſlaum [d] Laſcum, a Sigiſmundo Poloniae rege miſſum, et Wolfangum [e][1] Melchingum, quem Caeſar ante quadriennium in Ordinis Teutonici magiſtrum Spirae inauguraverat. Petebat Polonus, ut proſcriptio contra Albertum decreta aboleretur, et [f] Gedanum atque [g][γ] Elbinga, quae Polonici juris eſſent, non amplius ad Imperii comitia evocarentur. Contra Pruſſiae magiſter contendebat, Pruſſiam in Imperii clientela ſemper fuiſſe, jam ab eo tempore repetitis Ordinis ſui initiis, quo Conradus Mazoviae dux a Boruſſis, qui hodie Pruſſi, tunc Chriſti hoſtibus, bello attritus Ordinem hunc ſibi conjunxit, et, [h] Culmenſi agro conceſſo, totam Pruſſiam occupandam dedit: quod Fridericus II illis confirmaverit; annoque deinceps LIII ac ſalutis noſtrae CIↃ CCLXXIX debellata provincia Chriſti nomen a Teutonicis equitibus in ea conſtitutum; deinde ab iiſdem acerrima bella contra Lithuanos et [δ] Tartaros pro Polonis pugnata, arctiſſimamque tunc inter hunc Ordinem et Poloniae reges amicitiam coiiſſe, donec extincta vetere regum ſtirpe, et Chriſti nomine a Lithuanis ſuſcepto, Jagello Lithuaniae princeps a Polonis in regem acceptus eſt: ejus progeniem, quae inultas tot cladeis a Teutonico Ordine illatas ad ſuum dedecus pertinere exiſtimabat, nihil non ab eo tempore feciſſe, quo Teutonicos aſtu

VAR. LECT. [α] accipit *P. D. o. f. d.* [γ] Elvinga *P. D. o. f. d.*
[β] ut primo quoque die ibi *P.* [δ] Tataros *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *de Limpurg.* [b] *de St. Thomas.* [c] *Merſeburg en Miſnie.* [d] *de Laski.* [e] *de Melchingen.* [f] *Dantzick.* [g] *Elbing.* [h] *Culm.*

NOT. [1] *Melchingum* Put.

CIↃIↃXLVIII.
HENRICUS II.

aſtu ſeu vi antiqua poſſeſſione depelleret, infelici quidem per initia ſucceſſu; ſed rebellantibus deinde Boruſſis, ac LXX circiter oppidis et arcibus una die deficientibus, Caſimirum Sigiſmundi, qui nuoc imperat, pareotem occaſionem arripuiſſe, Ordinemqoe in eas anguſtias redegiſſe, ut Ludovicus [a][1] Erlichauſenus, cum de univerſis fortunis periclitaretur, metu, qui io conſtantiſſimum cadere poteſt, adigente, nulla Caeſaris et imperii interveniente auctoritate, in eas conditiooes cum Polono tranſegerit, ut ſinguli deinceps Ordinis magiſtri intra ſextum ab inito magiſtratu meoſem Poloniae regem adire et eum pro ſupremo domioo per jusjurandum agnoſcere tenerentur: iis conditiooibus poſtea ſtare ooloiſſe Fridericum Saxonem, atque poſt eum Albertum Brandeburgicum primo; ſed acceptis aliquot cladibus poſtremo in avuoculi gratiam deterioribus longe conditionibus cum Polonis tranſegiſſe: unde appareat, maximam huic Ordini injuriam ab Alberto, Polooorum ope, fieri, atque adeo Caeſari et Imperio, in quorum tutela jam ab initio continuata poſſeſſione equites Teutonici ſemper fuerint: petere igitur, ut rata Alberti proſcriptio maneat, et auxilia adverſus eum ab Imperii ordinibus decernantur. Haec ille. Conſtat, equites illos, qui et [b][1] Cruciferi et Mariani dicti ſunt, aſſiduis in Lithuaniam et Samogitiam incurſionibus aſſuetos, etiam poſt ſuſceptum ab iis populis Chriſti oomen, et conjuoctam cum Polonia Lithuaniam, ab illis abſtinere ooluiſſe: iodeque exorta inter eos et Polonos bella; ingentique tandem clade affectos equites prope [c] Tannebergam anno CIↃ CCCC X, Eid. Quintil. ſub [2] Wenceſlao Jagellone, amiſſis L hominum millibus; vix tamen adductos, ut quieſcerent, donec poſtremo a Caſimiro victi leges acceperunt. Re cognita, exitus actionis illius fuit, ut ſententiam cootra Albertum pronunciatam tuendam eſſe cenſerent; cetera, in quibus major difficultas, ad Caeſarem rejicerent. Sub id tempus Sigiſmundus octogenario major fato conceſſit Kal. April. ipſo Domioicae reſurrectionis die, cum regnaſſet annos XLII, menſes II, dies VII, ſummae moderationis princeps, ut qui Hungariae regnum [β] poſt mortem Ludovici Ladiſlai fratris filii ab ordinibus regni delatum accipere noluerit, reipublicae Chriſtianae periculum potius quam ſuum veritus; quippe qui ſciret, Auſtriacos, ambitioſam gentem, oequaquam quieturos; et provinciis illis bello domeſtico implicatis metueret, ne communi hoſti ad eas invadendas porta aperiretur: Jo. Alberto et Alexandro fratribus aetate majoribus, cum ſine liberis deceſſiſſent, in regno ſucceſſit; regnique heredem Sigiſmundum Auguſtum filium reliquit, qui Elizabetham Ferdinandi regis filiam ante quioquennium uxorem duxerat.

VII. IIS etiam in comitiis Mauritius, quem jam in caſtris ante Witembergam proſcripti Saxonis boois a Caeſare donatum diximus, ſolemni ceremooia in ſeptemviri fidem acceptus eſt VI Kal. Mart. die natali Caeſaris, et eo ſine liberis maſculis decedente frater Auguſtus. Id magna pompa actum, tabernaculo in foro erecto, in quo Caeſar per Moguntinum verba praeeuntem coram ceteris imperii proceribus ipſum jurijurando adegit, et fratri Auguſto, eandem dignitatem petente comite [d] Mansfeldio Hoiero, poſt Mauritium adjudicavit. Haud longe [e] Saxonis hoſpitium aberat; ita ut is ex feneſtris rem commode ſpectare poſſet. Cum ergo ad fremitum equorum magna turba Mauritium circumſtantium in forum deſpiceret, Ecce quam magna laetitia, inquit, Mauritiani exultant de dignitate, qua me praeter jus et aequum ſpoliaruot; faxit Deus tam ea pacate et feliciter io poſterum utantur fruantur, ut mei meorumque ounquam deinceps opera egeant. Nec gravius ea re commotus ad familiarem librorum ſacrorum lectionem ſe contulit. Sebaſtianus [f] Vogelſpergerus, quem ſuperiore anno pro rege oostro in Saxonia delectus habuiſſe diximus, tunc

VAR. LECT. [α] Erlinſuſius *P. D* o. f. d. [β] uti diximus, poſt *P. D.* o. dimiſſis

INTERPR. [a] *Elrickhauſen.* [b] *Portecroix, & de la vierge Marie.* [c] *Tanneberg.* [d] *le comte Hoiern de Mansfeld.* [e] *Jean Frederick de Saxe.* [f] *Vogelsbergern.*

NOT. [1] *Cruciferi.* Ils portoient une croix blanche, & ſe tenoient à Marienburg. *Put*
[2] Dele *Wenceſlao Jagellone*; lege *Vladiſlao* IV. Put.

CIƆIƆXLVIII.
HENRICUS II.

dimiſſis copiis [a] Wiſſeburgum, ubi domicilium habebat, redierat. Id cum graviſſime tuliſſet Caeſar, Lazaro [b] Schuendio negotium dat, ut illum comprehenſum [c] Auguſtam perducat. Familiaritas, quae Schuendio cum illo intercedebat, ejus capiendi commoditatem praebuit. Res ſevere et crudeliter tractata, et adhibitis tormentis reus de iis, quos ſocietatem nobiſcum iniiſſe ſuſpicio erat, interrogatur. Cum nihil ab eo extorqueri potuiſſet, nihilominus a Birvieſca Hiſpano et Nic. [d] Zinnero Germano caſtrenſibus judicibus ad mortem damnatur, quod Caeſaris edicta violaſſe, et inſidioſa adverſus eum conſilia agitaſſe diceretur. Ad ſupplicium ductus cum in ligneum pegma aſcendiſſet, cum alia de ſe multa honorifice, tum hoc inter cetera dixit, non aliam ſuae necis cauſam eſſe, quam quod regi Galliae, cum inauguraretur, ante annum, copias adduxiſſet. Vir erat egregia admodum ſpecie et firmo corporis et animi robore; qui, cum nullam horroris ſignificationem daret, ſpectantium oculos in ſe converſos in admirationem primum, dein et commiſerationem traxit. Ibidem et ſecuri percuſſi ſunt [e] Jac. Mantellus et [α] Wolfangus [f] Thomaeus centuriones, qui ſub illo meruerant. Hujus facti, quod ad injuriam noſtram pertinebat, invidia laboravit Schuendius, quaſi parum ſincere in eo negotio, multorum judicio, verſatus, qui egregium virum ſpecie amicitiae circumveniſſet: quod delecti illi judices edito libro excuſarunt, nihil Schuendium praeter Caeſaris mandata egiſſe affirmantes. Proſcripti et denuo Hubertus comes [β] [g] Buclingius et Sebaſtianus [h] Schertelius iiſdem tabulis; dein et [i] Ringravius, [γ] Heideccus, Recrodus et Riſebergus: literiſque datis principes exteros orat Caeſar, ne proſcriptos in tutelam ſuam recipiant, ſed in eo ſibi gratificentur, et viciſſim idem a ſe, cum res ita feret, exſpectent. Propoſita religionis formula, Caeſar, eum, quanto ſuo labore et ſumptu pax in Germania conſtituta ſit, prolixa oratione commemoraſſet, perutile ſibi videri et neceſſarium dixerat, ut magna vis pecuniae ab Imperii Ordinibus conferretur et in publico aerario aſſervaretur, ut, ſi quis repentinus motus intra vel extra Imperii fineis exoriretur, praeſto eſſet ſubſidium: nec multo poſt, Ferdinandum gravibus de cauſis, quas omnes intelligant, nec explicare nunc attineat, cum Turca in quinquennium inducias pepigiſſe dicit, quarum ante annum factum ſit initium: petere igitur, ut, quamvis ille praeſidiariis ſuis mandarit, ne quid ſecus faciant, nihilominus auxilia jam ante promiſſa ſumminiſtrent, ut, ſi Turca forſan a pactis diſcedat, parata ſint omnia, quibus ei reſiſti facile poſſit: ſibi nihil heic fuiſſe negligendum: et, quoniam ille validis praeſidiis limitem muniat, ſe quoque munitiones et praeſidia in [k] Pannonia paſſim inſtituiſſe; quibus conſtruendis et alendo militi cum, exhauſto ſuperiorum temporum bellis aerario, par non ſit, poſtulare, ut in hos uſus, dum induciae durabunt, pecuniam annuam dependant; hoc enim ad communem Germaniae ſalutem ac quietem pertinere. Poſtulata Caeſaris Ordines, etſi grave erat in futuros uſus pecuniam conferre, comprobant; et Ferdinando regi in ſingulos induciarum annos c millia aureorum promittunt. Permiſſum et Caeſari, ut Imperii cameram arbitratu ſuo conſtitueret, et judices ſuppleret; ſumptuſque in eam rem ab Ordinibus promiſſi: itaque Kal. Octobr. inchoatur; et advocati tres, qui de Lutheri doctrina ſuſpecti erant, ordine moventur, ceteriſque inter alia praeſcribitur, ut majorum religionem colant, aut ſe dignitate abdicaturos promittant. Ibi renovatae contra Smalcaldici foederis ſocios lites, ab Henrico Brunſvico primum, licet, cum carcere emitteretur, nihil ſe tentaturum promiſiſſet; deinde ejus exemplo a [l] Moguntino, Pruſſiae magiſtro, [m] Naſſovio, Solmenſi, aliis ictum et in comitiis foedus, quo

VAR. LECT. [α] Thomas Volfius *P.D.o.f.d.* [β] Bichlingus *P.D.o.f.d.* [γ] Hedecus *P.D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *Weiſſenburg.* [b] *Schwendi.* [c] *Augsburg.* [d] *Zinner.* [e] *Mantel.* [f] *Thoma.* [g] *Bechlingen.* [h] *Schertel.* [i] *le Rhingrave, Heideck, Reckrod, & Reiffenberg.* [k] *Hongrie.* [l] *l'Electeur de Mayence* [m] *les comtes de Naſſau, & de Solmes.*

quo Caeſaris provinciae omnes, quas per Germaniam et [a] Belgium obtinet, ſint in tutela et patrocinio Imperii et in uſus publicos contribuant; ita tamen, ut ſuis utantur legibus et juriſdictione; Germania invicem a Caeſaris provinciis eandem tutelam et auxilia exſpectet. Lis erat jam a multis annis inter Heſſiae principes et Naſſovios de Cattorum ditione: Caeſar pro tribunali ex ſeptemvirorum ſententia ſecundum Willelmum Naſſovium pronunciavit; eique [b] Catzenellebogenſem comitatum addixit cum ſuperiorum annorum fructuum reſtitutione, qui ad duodecies centena millia aureorum et amplius aeſtimati ſunt: ſed poſtea pacificatione [c] Paſſavienſi reſciſſum fuit judicium; et Heſſus in Cattorum poſſeſſionem miſſus, ſalvo Naſſoviis ſuo jure.

VIII. Antequam [d] Auguſta diſcederet Caeſar, III Non. Sextil. conſules, ſenatum et e praecipuis civibus nonnullos ad ſe vocat, clauſis interea urbis portis et ſtationibus per plateas diſpoſitis. Ibi, per [e] Seldium multa de ſua erga ipſos egregia voluntate praefatus, jam multos annos turbulenter et ſeditioſe ipſorum rempublicam adminiſtratam, dolere prae ſe tulit; idque propterea fieri confirmat, quod viles perſonae maximam partem opifices ex infima plebe in ſenatum allecti fuiſſent: cui malo ut medeatur, ipſis dignitatem abrogare, non ignominiae ſed publicae utilitatis cauſa, ſtatuiſſe. De ſcripto deinde recitata nomina eorum, quos in ſenatorum album cooptari vellet: in iis erant [f] Velſeri, [g] [α] Reclingeri, [h] [β] Baumgarteneri, [i] Fuggeri, [k] Peutingeri; quos jurejurando, ut factum de religione decretum ſervent, obſtringit. Tribus etiam abolet, quod id cauſam ſeditionibus praebere diceret, et capite ſanxit, ne qua civium deinceps conventicula ſocietateſve fiant; et literas omneis, quibus tribuum jura atque privilegia et immunitates continentur, novo ſenatui exhiberi, et hanc novam reipublicae formam voce praeconis publice pronunciari jubet. Ita Auguſta proficiſcitur, relicto in civitate praeſidio, ne mutata religione in republica novi motus exorirentur. Cum reliquis copiis Ulmam venit, ſenatuque antiquo abrogato novum inſtituit; et eccleſiae miniſtros, in queis erat Martinus [l] Frechtius quod religionis decretum amplecti nollent, poſt gravem et acrem diſceptationem per apparitores catenis oneratos cuſtodiae mandari juſſit: XVII Kal. Septembreis inde curribus impoſiti [m] [1] Circenam deducuntur; ac denique anno, qui hunc ſecutus eſt, pridie Non. Mart. poſtquam pro alimentis ſatisfeciſſent, ſine mulcta liberi dimiſſi ſunt. Sub exitum Auguſti Caeſar Spiram venit; ubi paululum commoratus, [n] Moguntiacum [γ] ſecundo flumine, abductis ſecum Saxone et Heſſo, quos diverſis navibus impoſuerat, [o] Coloniam Agrippinae acceſſit, ac poſtremo per [p] Moſae-Trajectum in Belgium deſcendit, Saxonem penes ſe habens, et ablegato [q] Aldenardum Flandriae oppidum Heſſo; copiaſque, quas ſecum Auguſta abduxerat, ſimul ac Brabantiae fineis attigit, ſolutis ſtipendiis dimiſit. Soli in [r] Suevia [s] Conſtantienſes, quod Helvetiis vicini eſſent, ſicut in Saxonia Magdeburgici et Bremenſes ſuperabant nondum Caeſari reconciliati. Ii, cum tandem legatos accepta fide Auguſtam miſiſſent, et conditiones a Caeſare propoſitae duriores viderentur, quam ut in eas conſentirent, ad ſenatum referunt, qui III Eid. Quintil. datis ad Caeſarem literis admodum demiſſe orant, ne vim conſcientiae ſuae afferre velit; de cetero ſe paratos imperata facere: nihil eſſe cauſae, cur durius, quam reliqui, tractentur, cum non gravius deliquerint: non eſſe obſcura vetera ſua erga domum Auſtriacam merita, cujus fidelis obſervantia magno ipſis conſtiterit: obſecrare igitur clementiſſimum et aequiſſimum principem, ut priorum meritorum velit meminiſſe: pro mulcta VIII aureorum millia

depenſuros,

VAR. LECT.[1] [α] Relingeri *P.* Redingeri *D.o.f.d.* [β] Burigarteneri *P.D.o.f.d.* [γ] inde ſecundo *P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *Pays bas.* [b] *Catzenelnbogen.* [c] *traitté de Paſſau.* [d] *Augsburg.* [e] *Selden.* [f] *Welſer.* [g] *Rechlinger.* [h] *Baumgartner.* [i] *Fugger.* [k] *Peutinger.* [l] *Frecht.* [m] *Kirchein.* [n] *Mentz,* ou *Mayence.* [o] *Cologne* [p] *Maſtricht.* [q] *Oudenarde.* [r] *la Souabe.* [s] *ceux de Conſtance.*

NOT. [1] *Kircheimum* Put.

depenſuros, exhauſto ac pertenui alioqui aerario magnam ſummam; et IV majora tormenta traditūros: petere viciſſim, ut ſibi liceat, ad [α]legitimam uſque concilii celebrationem, in ea, quam profiteantur, quamque ſalutarem exiſtiment, religione vivere. Per [a]Atrebatenſem breviter reſponſum; quoniam ſe paci minime ſtudere oſtendant, Caeſarem aliam rationem initurum. Ita re infecta dimittuntur. Caeſari grave non fuiſſe, quod Conſtantienſes formulae ſubſcribere noluiſſent, pletique exiſtimant, cum illi eſſet in animo armis potius ſub ditionem Auſtriacam civitatem redigere, quam religionem per foedus in ea inſtituere. Igitur hinc capta occaſione Alfonſo [b]Vivi Neapolitano, ſed Hiſpania oriundo, militum ductori ſtrenuo committit, ut imparatos aſtu militari invadat. Ille [c]Uberlinga profectus cum II CIϽ Hiſpanorum peditum et CC equitibus de nocte per ſilvam iter facit, ubi parte copiarum relicta, cum mane illuceſcente propius acceſſiſſet, excubitores aliquot, qui ad ſtrepitum explorandi cauſa exierant, capit, mortemque comminatus, ſi quod ſignum darent, in loco depreſſo prope lucum inſidias locat: id clam cuſtodibus, qui in ſuburbio trans Rhenum erant, fieri non potuit; a quibus per praefectum certior factus conſul ſenatum cogit, et ad arma conclamat. Remiſſius initio res agebatur, quod hoſtes nondum apparerent: mox, cum ſe proderent Hiſpani exiguo numero, CC cives emittuntur. Jamque Hiſpani murum [1] ex materia conſtructum, qui foſſam dividebat, machinis evertebant, apertoque muro per foſſam tunc prope ſiccam in excubitores invadebant, cum ſuccedentibus [β]illis, qui in ſilva remanſerant, adverſa porta refringitur: heic fortiter civibus propugnantibus ipſe Vives ictu ſcloppeti primo congreſſu tranſverberatur, ejuſque filius graviter vulneratur; quod Caeſarianis perturbationem attulit. Nam poſt acrem in ponte Rheni dimicationem, cum cives ſe in urbem recepiſſent, Hiſpanos portam quatienteis facile tormentorum diſploſu repellunt, et multos ex illis interficiunt: itaque hi, cum fruſtra ſe conari viderent, amiſſis ducibus fuga ſuburbium petunt, et pontem extremum incendunt, ne quam cives in eos eruptionem facerent. Ibi cum nullum libidinis et crudelitatis genus non exercuiſſent, crematis ſuorum cadaveribus, ne de caeſorum numero conſtaret, diſcedunt. IϽ ex iis deſideratos, ex civibus C ſcribit Sleidanus: multo minorem numerum utrobique caeſorum edunt Caeſariani; puto, ne, quia infeliciter ipſis pugnam illam ceſſiſſe conſtat, majus damnum ea ſtrage accepiſſe crederentur. Ad ſignum Conſtantiae datum, uti fieri amat inter foederatos, accurrentibus undique Helvetiis, praefectus regionis, qui Lucernenſis erat, odio religionis eos maxima denunciata poena revocavit. Cum aſtu non ſucceſſiſſet, alia via Caeſar Conſtantienſeis aggreditur, evulgatiſque literis eos proſcribit, quod ſciret civeis recenti illa clade perculſos in diverſa ſtudia ſcindi. Cum igitur in diſcordibus animis parum virium eſſet, ſenatus ad preces confugit, et datis literis Helvetios ac nonnullos principes orat, ut apud Caeſarem intercedant. Helvetii ſtatim agunt conventus, et operam ſuam promittunt, ea lege, uti decretum nuper de religione factum recipiant, et eccleſiaſticos expulſos in urbem admittant. Id ad populum refertur, et ſuffragante majore plebis parte decretum recipiendum eſſe pronunciatur. Eo facto plebiſcito ſenatus, quid actum ſit, Helvetiis renunciat; qui miſſa legatione, antequam intercederent, per praecipuos miniſtros Caeſaris animum periclitantur. Cum gravate laturum interceſſionem eum intellexiſſent, a negotio deſiſtunt. Illi ergo, cum in extremis eſſent anguſtiis, nec aliud perfugium eſſet, deditionem faciunt. A quibuſdam civibus, qui rerum ſtatum mutatum vellent, clam aliis milites Ferdinandi introductos eſſe ſcripſere Caeſariani. Praefectus eo ſtatim a rege miſſus, qui eos in tutelam ſuam reciperet. Poſtea Eid. Octob. hae dictae leges: regem regiſque liberos et heredes in

poſterum

VAR. LECT. [α] legitimi *P.* [β] mox illis *P. D. o. f.*
INTERPR. [a] *l'evêque d'Arras.* [b] *Vivas.* [c] *Uberlingen.*
NOT. [1] *forſan* maceria.

Digitized by Google

CIƆIƆXLVIII. HENRICUS II.

poſterum pro dominis agnoſcant, nec ab eis ullo tempore deficiant, aut ſoedus ullum ineant; decretis, quae ipſe ejuſque praefecti de religione ceteriſque rebus facturi ſint, omnino pareant; in bellis aliiſque negotiis, ſicut alii provinciales, regi regiſque liberis et heredibus praeſto ſint, et imperata faciant. In has conditiones ſacramento adacti cives. Biduo poſt aliae leges proponuntur ad ſecuritatem urbis. Ac poſtremo eccleſiae miniſtris, ut intra diem octavum urbe excedant, edicitur. [a] Lindavienſes, qui adverſam [b] Acronii lacus partem tenent, cum prius viriliter ſe adverſus Caeſarem geſſiſſent, Conſtantienſium vicinorum exemplo ſive territi ſive admoniti, decreto et ipſi ſubſcribunt. Hoc menſe Auguſtus Mauritii frater Annam Chriſtiani III Daniae regis filiam in matrimonium duxit: pactis dotalibus conventum, ne quid bonorum, quae Jo. Friderici fuiſſent, pro portione hereditaria acciperet, hac clauſula Dano Mauritii factum ut iniquum improbante.

IX. DUM adhuc Auguſtae Caeſar eſſet, Maximilianus Ferdinandi filius inde digreſſus in Hiſpaniam contenderat, ut Mariam natu majorem Caeſaris filiam et propiorem ſobrinam ſuam in uxorem acciperet, ibique proregis titulo regna adminiſtraret. Nam Caeſar Philippum filium tunc XXI annos natum ad ſe vocare ſtatuerat, ut eum Germaniae ordinibus ac Belgii populis oſtenderet; eaque de cauſa confecto bello Saxonico [c] Albanum paulo ante in Hiſpaniam ad illum miſerat. Mens erat Caeſaris, retractata fratris in regem Romanorum facta [d] Coloniae inauguratione, filium per ſeptemviros metu aut beneficiis obnoxios in imperio ſucceſſorem deſignandum curare; eoque conſilio Maximilianum arctiore ſibi adfinitate junxerat; et quavis alia conditione oblata cum fratre poſtea egit, ut aſſentiretur. Rebus enim tam proſpere ſuccedentibus, jam non de Caeſarea dignitate fratri ſecundum Imperii leges relinquenda, ſed filio jure hereditario attribuenda cogitare coeperat. Verum neuter ulla ratione adduci potuit, ut aſſenſum praeberet.

X. UBI Maximilianus in Hiſpaniam venit, peramanter a Philippo patruele accipitur, moxque magna pompa [e] Pinciae Carpetanorum nuptiae celebrantur: quibus peractis Philippus, tradita ſororio rerum adminiſtratione, cum Albano et cardinali [f] Tridentino [g] Barcinonem terreſtri itinere profectus eſt, ubi eum Andreas [h] Auria cum XL triremium claſſe, et illa praetoria in primis, quam ipſius in Italiam tranſportandi gratia magno ſumptu exaedificaverat, quaque nuper Maximilianum advexerat, ad oram maritimam cum Joan. Andrea Janetini filio opperiebatur. Ibi veneranda canitie ſenex juvenem in tot regnorum ſpem natum praerogativa aetatis familiariter complectitur, fauſta omnia filio, ut olim parenti precatus; idoneamque tempeſtatem nactus VII Kal. Decemb. cum tota familia Genuae exponit, atque in ſuis aedibus extra urbem magnifico omnium rerum apparatu excepit. Dum Genuae eſſet, de arce civitati imponenda cum Albano conſilia agitata memorant Italici ſcriptores; et circumfertur hodie in Italia dialogus vernaculo ſermone ea de re conſcriptus. Id quo facilius Auriae perſuaderent, ſine cujus ope res confici non poterat, periculi ſui eum admonebant, recenti adhuc [i] Fliſcanae et Ciboae conjurationis memoria. Verum ille in conſtanti patriae libertatis aſſerendae propoſito manſit, nec ulla ratione adduci potuit, ut, licet periculum ſuum cum Caeſaris fortuna conjunctum eſſet, ei hac in parte gratificaretur; quamvis multi alioqui boni cives ſibi potius quam reipublicae metuentes conſentirent, et in iis [k] Adamus Centurio, quem ad Caeſarem miſſum modo diximus. Itaque alia via poſtea inita eſt, qua Caeſar Genuenſeis in obſequio contineret, grandi ſcilicet aere alieno ab iis contracto. Accidit vero eo tempore, ut, cum populus in ejus rei ſuſpicionem veniſſet, ex levi occaſione inter Hiſpanos et praeſidiarios ingens tumultus excitaretur. Nam cum cives Philippi rogatu

INTERPR. [a] *ceux de Lindau.* [b] *le lac de Conſtance.* [c] *le duc d'Albe.* [d] *Cologne.* [e] *Valladolid.* [f] *le card. Madruce, eveque de Trente.* [g] *Barcelone.* [h] *Doria.* [i] *de Fieſchi, & de Cibo.* [k] *Centurione.*

rogatu nefarios quoſdam homines Hiſpania profugos, qui tum forte Genuae erant, in praetorii carcerem conjeciſſent, praefectus cuſtodum Philippi cum valida manu ad eos conſtringendos acceſſit: qui cum a cohorte praetoriana totius negotii ignara aditu prohiberetur, repulſae impatiens vim parat, ſubitoque ad arma tota urbe concurritur, vulgo hominibus Hiſpanos ad praetorium occupandum in armis veniſſe ſerentibus. Itaque ut in extremo urbis periculo, clauſae tabernae: ſed mox Auriae auctoritate, ad tumultuanteis ſine armis egreſſi, ſeditio ſedata eſt, ſtatimque dilapſa turba et apertis tabernis priſtina urbi forma facieſque reſtituitur. Altero die Decembris magno paratu urbem ingreditur; et, ludis atque ſpectaculis extracto tempore, magnificis inſuper muneribus donatus, octavo poſt die diſcedit, et terreſtri itinere per [a] Alexandriam [b] Ticinum pergit; quo jam tormenta, quae Jo. Friderico adempta diximus, Caeſar pater transferri curaverat: quibus inſpectis et reliquis urbis munitionibus [c] Mediolanum [α] IV Kal. Januar. venit. Ibi omni publicae laetitiae genere excipitur, arcubus paſſim triumphalibus et ſtatuis poſitis, cum honorificis elogiis et inſcriptionibus; ac nuptiis Fabricii [d] Columnae Aſcanii filii, qui Hippolytam Gonzagae proregis filiam ducebat, interfuit. Venere eo officii cauſa Venetorum reipublicae, Ferrariae ducis, et [e] Senenſium legati. Praeſto fuit et dux Sabaudiae. Coſmus, rebus Senenſium, quibus ſolicita cura cum Mendoza incumbebat, ordinandis impeditus, eo etiam Franciſcum natu majorem filium cum magno comitatu miſit. Mediolano Mantuam, ubi ad eum ſalutandum ipſe dux Ferrariae Hercules amplo et ſupra modum ſplendido cultu venit, atque inde Tridentum profectus eſt Philippus, ubi obvium habuit Mauritium, qui mox inde parvo comitatu per equos diſpoſitos Mantuam et Venetias excucurrit, et honorificentiſſime ob recentem rerum geſtarum famam a ſenatu fuit habitus. CIↃIↃXLVIII. Henricus II.

XI. Apud nos initio hujus anni rex Franciſcum Lotaringum Aumaliae comitem, ut digniore titulo honeſtaret, ducem ac patricium creavit; jam tunc ea gente [ad [β] ſupremos honores, per novos] titulos et multiplicatas dignitates viam adfectante. Tunc et in Lutheraniſmi ſuſpectos ſevere animadverſum: [*] ex eorum numero Joannes [f] Brugiera Arvernus, de quo [g] Iſſoriae de haereſi quaeſtio habita fuerat, Pariſienſis ſenatus decreto damnatus [γ] et vivus crematus eſt V Non. Mart. Eo praeterea ſenatus conſulto edicitur, ut, quoniam illo judicio intellectum eſt, multos eſſe in Arvernis improbatae religionis ſectatores, omnes ad eccleſiae Chriſtianorum parentis normam, ſe, vitam moreſque componerent, neque quidquam, quo offendi piae aures poſſent, contumelioſum in Deum et eccleſiam dicerent agerentve; neque a ritibus hactenus in ea receptis atque majorum inſtitutis ullo modo declinarent: ut Chriſtianae religionis formula a Sorbonicis theologis conſcripta, regiaque lege comprobata dominicis diebus in templis publice coram populo recitetur, neque quiſquam praeter theologos de iis publice aut privatim aliiſve eccleſiae inſtitutis ac ceremoniis diſputare audeat. Enimvero mire auctus erat numerus eorum, qui Lutheri doctrinam amplectebantur, non ſolum in Gallia, ſed etiam in Italia. Itaque et eodem anno XIII Kal. Sextil. ſenatus Venetus edictum renovavit, jam ante anno hujus ſaeculi XXI factum, cum in agro [h] Brixiano in homines de religione ſuſpectos, tanquam

in

P. [*ad ſummam potentiam, innata ambitione, per novos*]

P. [*] *ſuaſu praecipue Aumalii, qui a cardinali fratre, qui Romae erat, admonitus, ſummam inde gratiam apud pontificem et in Gallia apud eccleſiaſticos et plebem aucupabatur:*

VAR. LECT. [α] XIV *P. D.* o. f. d. *MS. Reg.* [β] immodicos *D.* o f. d. [γ] et igni vivus *P.*

INTERPR. [a] *Aleſſandria della Paglia.* [b] *Pavie.* [c] *Milan* [d] *Colonna.* [e] *de Siene.* [f] *Brugiere d'Auvergne.* [g] *Iſſoire.* [h] *territoire de Breſcia.*

CIƆIƆXLVIII. HENRICUS II.

in veneficos et cum humani generis hoſte commercium habenteis, ſeverae quaeſtiones haberentur. Eo cautum erat, ut, qui libros improbatae lectionis haberent, intra diem octavum ad homines delegatos perferrent; alioqui fore, ut anquiratur, et de noxiis poenae exigantur: delatoribus ſilentium et praemium promittebatur. Flagitantibus legatis pontificiis id a republica impetratum, ſed ea cautione, ut epiſcopis et inquiſitoribus minime permittatur judicium, ſed adhibeantur ſemper locorum praefecti et juriſconſulti, qui teſtimonia cognoſcant, et videant, ne quid religionis praetextu inique aut avare in ſuae ditionis homines admittatur: quam eandem cautionem, etiam poſtquam altioribus radicibus Lutheri doctrina haeſit, quantumvis fremente pontifice, uſque hodie ſervant. Tunc et Paulus [a] Vergerius epiſcopus Juſtinopolitanus, cujus ſedula opera Clemens VII ac Paulus per Germaniam uſi fuerant, vir magnae doctrinae, et Ferdinando regi, cujus filiam ex ſacro lavacro, cum in Pannonia eſſet, ſuſceperat, valde charus, ne concilio intereſſet, aut Juſtinopolim reverteretur, a pontifice prohibetur: unde ille primum Venetias, dein [b] Patavium ſe contulit; ubi Franciſci [c] Spierae nuper in ſumma deſperatione mortui exemplo territus, in agrum [d] Bergomatem ſeceſſit, atque inde ad [e] Rhaetos abiit, apud quos in [f] Telina valle aliquanto tempore Lutheri doctrinam profeſſus, poſtremo a Chriſtophoro [g] Wirtembergico [h] Tubingam evocatus fuit.

XII. INTEREA rex ex [i] Annae Momorantii conſilio, ut ſtatim in regni auſpiciis conceptam de ſe apud exteros populos ac praecipue in Italia, ubi tunc res calebant, opinionem augeret, Alpeis ſuperare conſtituit. Antequam ad iter ſe accingeret, Gaſpari [k] [α] Colinio negotium dat, ut ad [l] Turrim-ordinis vulgo vocatam juxta [m] Bononiam propugnaculum erigeret, quod, Anglis operas nequicquam interturbantibus, et constructum et valido praeſidio firmatum eſt, manentibus induciis. Profectionis initium fuit ab [β] [n] Auguſtobona Tricaſſium, quo rex magno comitatu cum omni familia Eidibus Maii venit; inde per [o] Lingones, [p] Divionem, [q] Belnam, [r] Axonam et [s] Burgum in Sebuſianis iter habuit: quibus omnibus locis publica laetitia exceptus eſt. Mox per [t] Allobroges in [u] Subalpinam regionem deſcendens [x] Auguſtam Taurinorum venit. Hujus profectionis, praeter eas quas diximus, has etiam cauſas aſſignant Italici ſcriptores: quod ardentibus Farneſiorum in Gonzagam odiis, ob recentem [y] P. Aloiſii caedem, Henricus, qui ſciret quacunque via eos decreviſſe de Gonzaga ultionem ſumere, in eamque rem percuſſores ſubornatos, in Italiam venerit, quo, ſi caſus tuliſſet, ut Gonzaga de medio tolleretur, praeſto eſſet ad omneis motus, qui tanti ducis mortem videbantur conſecuturi: quod et ſex conjuratorum, qui propter ſuſpicionem comprehenſi ſunt, confeſſione comprobant; ac Corſi cujuſdam in primis, cui [z] Cortinio nomen, teſtimonio, qui poſtquam longo tempore in Gonzagae comitatu fuiſſet, patrandi facinoris commoditatem opperiens, tandem ex indicio Franciſci [aa] Vintae, qui Coſmi negotia [bb] Mediolani procurabat, captus ac tormentis ſubjectus, ab Horatio Farneſio ad Gonzagae perniciem ſummiſſum ſe, idque Henricum per Farneſios reſciviſſe, confeſſus eſt: itaque Henricum, Cortinio capto reque detecta ſolutius egiſſe, quaſi ad luſtrandam Subalpinam regionem tantum veniſſet, et evocato Hercule [cc] Ferrarienſi, nuptiarum Fr. [dd] Lotaringi et Annae Herculis filiae gratia Italicam profectionem a ſe ſuſceptam ſimulaſſe. Gonzaga igitur, percuſſoribus deprehenſis ac punitis, jam de ſalute ſua minus ſolicitus, de Mediolani conſervatione, rege tam vicino, cogitare coepit: quod cum infirmis admodum moenibus

VAR. LECT. [α] Colinio Caſtellionaeo *P. D. o. f.* [β] Auguſta *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Vergerio, evêque de Capo d'Iſtria.* [b] *Padoue.* [c] *Speira.* [d] *Bergamaſco.* [e] *Griſons.* [f] *Valteline.* [g] *le duc de Wirtemberg.* [h] *Tubingen.* [i] *le connestable de Montmorency.* [k] *de Coligni, ſieur de Chaſtillon.* [l] *Tour d'Ordre.* [m] *Boulogne.* [n] *Troies.* [o] *Langres.* [p] *Dijon.* [q] *Beaune.* [r] *Auſſonne.* [s] *Bourg en Breſſe.* [t] *Savoie.* [u] *Piedmont.* [x] *Turin.* [y] *Pierluigi da Farneſe, duca di Parma & Piacenza.* [z] *Cortigno.* [aa] *Vinta.* [bb] *Milan.* [cc] *duc de Ferrare.* [dd] *de Lorraine, duc d'Aumale.*

moenibus cinctum eſſet, novam munitionem inſtituit, et eadem opera ſuburbia, quae bonam urbis partem hodie efficiunt, incluſit: quod opus, illius conſilio coeptum, poſtea magno urbis ornamento et praeſidio omnino conſummatum eſt. CIↃIↃXLVIII. HENRICUS II.

XIII. DUM inter ludos et ſpectacula in [a] Taurinis tempus teritur, de tumultu Pariſienſi, levis quidem momenti, ſi ad perſonas ſpectes, ſi ad exemplum, non contemnendo affertur. Ultra [b] Sangermanum ſuburbium ſpatioſa planities ſecundum flumen porrigitur, in qua ſibi jus regum liberalitate eſſe dicebat [c] ſchola Pariſienſis, eamque locum propterea vulgo [d] Clericorum pratum appellari: quem cum contra [e] Sangermani fratres ſui coenobii eſſe contenderent, domibus aedificandis, viridariis conſtruendis, viis dirigendis et urbis purgamentis exportandis coenobitarum conceſſione major pars illius a privatis poſſeſſoribus occupabatur. Itaque ſcholae Pariſienſis juventus manu armata ſine ulla denunciatione in eum locum deſcendit, et dirutis aedificiis, caeſis arboribus atque avulſis vitibus magnum tumultum excitavit: qui cum contraria vi citra periculum componi non poſſe videretur, ſenatus ſcholae Pariſienſi et Sangermanis diem dixit VI Eid. Quintil. quo lis magna contentione acta, et, inſpectis utriuſque partis documentis ac poſſeſſione, duo ex ſenatoribus delecti ſunt, qui limitibus poſitis tam pernicioſi exempli controverſiam terminarunt. Ita ſedatus hic tumultus, qui multo gravioris per [f] Aquitaniam propter [g] ſalinarum vectigal exorti velut omen fuit. De quo ubi allatum eſt, ludis in triſtitiam verſis, ſtatim rex [h] Auguſta Taurinorum deſcendit, et Annam Momorantium magiſtrum equitum cum Fr. Lotaringo, attributis ei CIↃ cataphractis equitibus et VIII CIↃ peditum, in quibus IV Germanorum vexilla erant, eo quamprimum ire jubet, ut rebellanteis comprimeret, et ſevere in ſonteis animadverteret. Seditionis haec origo fuit: Aquitania cum ceterarum rerum abundans, tum ſalis optimi proventu ſumme foecunda eſt; litoris et inſularum ejus litori praetenſarum ſitu, ſoli natura et ſinuum commoditate tantam ubertatem provinciae conciliantibus. Nam inde in Belgicam ac Celticam fere omnem per [i] Ligeris, [k] Sequanae ac [l] Somonae oſtia adverſis fluminibus ſal ſubvehitur, et in regia horrea certis locis diſpoſita reconditur, poena capitis in eos ſancita, qui aliunde, quam ex illis horreis, emerint; ne vectigalibus ſcilicet, quae graviſſima ſunt, fraus fiat. Major libertas in Aquitania erat; unde ad vicinas provincias atque adeo externas nationes ſal comportabatur. Sed pervincente publicanorum malitia et hominum hujuſmodi, quorum ad perniciem publicam ingenioſa induſtria eſt, contracta illa libertate magnam ad vectigalia regia acceſſionem fieri praedicantium, Franciſcus lege lata in ipſis ſalinis vectigal capi voluit, aucto ſupra modum pretio; in eamque rem, paulo antequam moreretur, plureis praefectos ac miniſtros inſtituit: unde ejus rei ſumma caritas in Aquitania, cujus antea propter abundantiam magna vilitas erat; frementibus paſſim provincialibus, ſalis, quod in ſuo ſolo naſceretur, liberum commercium ſibi eripi. Jamque ſuperiore anno ad [m] Conſum oppidum in Santonibus multitudo, furore concita, VIII ex praefectis occiderat: et [n] Veſunae Petrocoriorum cives, eos, qui legi ſalariae promulgandae illuc venerant, contumelioſe habitos ſuis moenibus ac finibus ejecerant: et vulgo in Aquitania publicis in horreis ſabulum atque arenam ſali admiſceri ad excitandam invidiam calumnioſe criminabantur: quibus acceſſit coactorum duritia, atque acerbitas, quos exoſi provinciales multis in locis, licentia creſcente, e regio horreo ſal emere detrectabant. [o] Jonzaceni ac Barbeſienſes anteſignani fuere; in quos cum praefecti regii animadvertere vellent, ita a plebe accepti ſunt, ut ni Carolus [p] Rupifulcaudius Barbeſii regulus vim prohibuiſſet, multitudinis armatae manus evaſuri

INTERPR. [a] *Piedmont.* [b] *fauxbourg S. Germain.* [c] *univerſité de Paris.* [d] *pré aux clercs.* [e] *Religieux de l'abbaye de S. Germain des Prez.* [f] *Guienne.* [g] *gabelle du ſel.* [h] *Turin.* [i] *la Loire.* [k] *la Seine.* [l] *la Somme.* [m] *Conſe en Saintonge.* [n] *Perigueux.* [o] *ceux de Jonſac, & de Barbeſieux.* [p] *de la Rochefoucaud, ſieur de Barbeſieux.*

CIↃIↃXLVIII. Henricus II.

evaſuri non fuerint: quae cum jam ad IV CIↃ hominum excreviſſet, [a] Caſtrum-novum in agro [α] Engoliſmenſi invadit, et quoſdam, quod legem violaſſent, inibi a praefectis in carcerem conjectos vinculis exemit, [b] Texetoni ſumme inviſo coactori mortis terrore injecto. Cui malo ut obviam iretur, [c] Henricus Navarrae rex atque provinciae totius praeſes, ut Barbeſienſium audaciam comprimeret, eo centum cataphractos equites mittit; quorum pauci occiſi, reliqui contra tantam multitudinem impares retro ceſſere. Amblevilla L equitum ſignifer vir illis regionibus potens, cum ſui eſſe officii exiſtimaret rem peſſimi exempli prohibere, militem cogit: ſed repentino multitudinis concurſu oppreſſus regione excedere neceſſe habuit, Amblevillae caſtello, ubi habitabat, relicto: in quod, cum nihil amplius in ipſum poſſet, irata multitudo incendio ſaeviit, ac ceteras ejus arceis et domos complanavit. Et jam indicto palam ſalinatoribus bello armatorum greges ubique diſcurſabant, cum regium rei ſalariae per totam Aquitaniam procuratorem nomine [d] Bochonem forte in [e] Cognaciorum finibus nacti diu excruciatum interficiunt, et cadaver ejus trabibus ſuffigunt, ut per [f] [β] Carantonum amnem ad oppidanos, ſive terrendos ſive in ſceleris partem vocandos, deveheretur. Duces ſe iis praebuere perditae vitae homines [g] Bullo, [h] [γ] Galafra, [i] Cramalus et [k] Caſtro-Rodulfius: [l] Pimoreus etiam ex nobilitate dux cum XVI circiter millibus prid. Eid. Sextil. [m] Mediolanum Santonum irrumpit, ac propraefecti urbis regiique cognitoris domos depraedatur, et carceribus effractis vinctos liberat, majora utique auſurus; ſed aſtu confictis literis territus, quibus magnum equitum numerum adventare nunciabatur, illinc diſcedit; et Cognacio, utcunque initio oppidani reſiſterent, capto, bona eorum diripit. Mox et [n] Rufeci ſal conditum a multitudine diripitur. Ad [o] Amandium vero vicum XVII amplius hominum millia cum conveniſſent, [p] Severinus vir nobilis ſparſa de auxiliariorum equitum adventu fama territos parva admodum manu capit, duceſque comprehenſos [q] Engoliſmam ad Franciſcum [r] Rupebellacurium regionis legatum perducit: verum is, concurrente ſtatim ad civitatis portas XX amplius armatorum millium globo, ut civeis attonitos periculo eximeret, duces captos repoſcenti multitudini tradere coactus eſt. Fruſtra edictis ac ſenatus decretis contra eos certatum, fruſtra poenae propoſitae. Ab agris tandem in urbeis coepit gliſcere malum, ac [s] Burdigalam ipſam provinciae caput invaſit; ubi cum jam res ad ſeditionem ſpectare videretur, magiſtratus Triſtanum [t] Moninium Henrici Navarri legatum [u] Lapurdenſi agro, cujus hodie Baiona caput eſt, evocant; qui poſtquam advenit, in aedibus publicis, ubi legatos habitare conſuetudo eſt, ſenatus rogatu concilium publice cogit; convocatis ex omnibus ordinibus, atque etiam ex plebe, qui intereſſent, ne qua conquerendi aut tumultuandi cauſa praeberetur. Heic multitudine ſive exemplo incitata, ſive privato ſenſu irritata, ad IV circiter hominum millia in armis aedeis circumſiſtunt: cumque Moninius humaniter et demiſſe ad quietem et concordiam hortaretur, et de regis benignitate juberet bene ſperare, temperatis verbis perſtricta ceterorum per Aquitaniam tumultuantium vecordia, quidam Guillotinus nomine homo turbido et inſolenti ingenio legatum interfatur, vicina oppida, quae arma ceperint, bene et e re communi feciſſe dictitans: debere idem civeis Burdigalae facere; aliorumque praeclaros ac laudabileis conatus non modo non damnandos, ſed omni ope adjuvandos, vel mortis acerbiſſimae periculo, quandoquidem de libertate a majoribus accepta nunc recuperanda agatur. His arroganter dictis quaſi ſigno dato excitata plebs jam non verba

ſed

VAR. LECT. [α] Engoliſmenſi *P.D.* o. f. d. [β] Carentonum *P.D.* o. f. [γ] Calafra *D.* d.

INTERPR. [a] *Chaſteauneuf en Angoulmois.* [b] *Texeron.* [c] *Henri d'Albret, roy de Navarre.* [d] *Bouchoneau.* [e] *ceux de Cognac.* [f] *la Charente.* [g] *Bouillon.* [h] *Galafre.* [i] *Cramaillon.* [k] *Chaſteauroux :* Paradin le nomme *Chaſtellerault.* [l] *Puimoreau.* [m] *Saintes.* [n] *Ruffec.* [o] *St. Amand.* [p] *St. Severin.* [q] *Angouleſme.* [r] *de Rochebeaucour.* [s] *Bourdeaux.* [t] *de Moneins, lieutenant de roy.* [u] *le Labourd,* ou *Lapourdan*

ſed vim miſcet, legatum quaſi extraneum exſecrata, et Fridericum [a] Foxium Candalam [b] Aquitaniae regulum depoſcens, non tam ejus amore, quam alterius odio. Itaque ex primariorum civium conſilio [c] Moninius in arcem, cui [d] Bucinae nomen, ſe recepit; quo ante, et in [*] [e] Farum caſtellum alteram urbi impoſitam arcem, commeatus quantum per temporis anguſtias licuit comportari juſſerat. Plebs eo magis fremere ac tumultuari, et, occupato publico civitatis armamentario, pro libidine arma expedire, tormenta etiam bellica arcibus expugnandis admovere, [f] tintinnabulorum addito claſſico, in repentinis rebus ad vulgus commovendum acerrimo telo. Tum ſenatus, qui videret Moninium ſine milite eſſe, atque infirmiorem, quam ut vi contra majorem vim tueri ſe poſſet, Georgio [g] Caſſaneo curiae praeſidi viro gravi, et qui gratia apud plebem plurimum valebat, tribus item delectis ſenatoribus negotium dat, ut populum alloquantur, et ſpe regiae benignitatis facta multitudinis commotae animos mitigent, ac praeſentis periculi admoneant; jam enim [h] Blaviam, [i] Burgum et [k] Liburnum vicina oppida in armis eſſe; adeoque verendum, ne ſeditioſi ac rerum novarum cupidi bonorum civium conjunctionem dirimant, et totius Aquitaniae ſentina libertatis ſpecie ad Burdigalam diripiendam confluat; ſibi mature, dum eſt tempus, conſulerent, ne poſtmodum, cum voluerint, non ſit integrum. Cum reſponſum eſſet, quieturum populum, ſi Moninius arce egrederetur; Caſſaneus magna egentium per civitatem diſcurrentium turba ſtipatus legatum adit, et, quid illi pro tempore faciendum cenſeat, exponit. Moninius re deliberata haec [l] decurionibus renunciari jubet: ſi decuriones ac magiſtratus ſibi de ſalute caveant ubi arce exceſſerit, et eum praeſidio praefectum urbis affuturum, neque ab ejus latere diſceſſurum, appoſitis chirographis promittant; ſi delecti e plebe ad ipſius pedes provoluti admiſſorum veniam pro cetera multitudine petant, ſe, XV e praecipuis civium, qui ſibi videbuntur, in arcem acceptis, ea egreſſurum, et in publicas aedeis rediturum, ac populi poſtulata eo loci cogniturum. Haec omnia a Caſſaneo populo renunciata, praeter id, quod de venia a plebe ſuppliciter petenda additum erat, quod a tempore illud alienum eſſe videretur. Cum plebs morae impatiens nihilominus inſtaret, poſtquam jurijurando a [m] Cerio ſenatore ac cognitore regio decurionibuſque, qui aderant, adacta eſt, non futurum fraudi legato, ſi arce egrederetur, Moninius omni aliunde ope deſtitutus a Caſſaneo et decurionibus in publicas aedeis deducitur, inclamato ſaepius per vias quaſi ab exſultantibus et mox quieturis Franciae nomine. Verum ubi domum ventum eſt, turba ſummoveri nuſquam potuit, ſed contumelioſe una irrumpens arce potiri omnino poſtulat. Heic Moninius, qui occaſionem quaeri cerneret, quibus poteſt lenibus verbis multitudinem demulcet, dum interim Caſſaneus ad praefectum urbis adiret, et ſtipatores, uti receperat, ſui protegendi cauſa adduceret. Dum redit, confluente ex agro manu irritatiores ſeditioſi atque audaciores redditi legatum circumſtant, et, dum torque aureo magni ponderis e collo detracto et in turbam projecto inter luctanteis ac rixanteis elabi tentat, unus e numero, qui motus ejus omneis obſervabat, eum in maxillam dextram ferro petit: alii mox ſe gladio diſtricto defendere conantem incumbentes humi ſternunt, ſtratumque innumeris vulneribus confodiunt, [n] Montilocumque Moninii familiarem, qui cum eo venerat, una trucidant: tum utriuſque exanime corpus domo extractum et plagis miſere deformatum in viam projiciunt, ubi ad efferatae plebis paſcendos oculos integrum biduum in coeno jacuit. Caſſaneus, qui fidei de vita et ſalute Moninii a plebe interpoſitae ſponſor fuerat, ubi videt legato interfecto nullam plebis

ad

VAR. LECT. in Faſum alteram *P. D. o.*

INTERPR. [a] *de Foix, ſieur de Candale.* [b] *Guienne.* [c] *de Moneins.* [d] *Chaſteau Trompette.* [e] *Chaſteau du Haz,* ou *Faz*: quaſi *Facis caſtellum.* [f] *le tocſin.* [g] *la Chaſſagne.* [h] *Blaye.* [i] *Bourg.* [k] *Libourne.* [l] *jurats.* [m] *de Ciret.* [n] *Montlieu.*

CIↃIↃXLVIII.
Henricus II.

ad ſanitatem reducendae ſpem eſſe, in proximum Dominicanorum coenobium confugit; unde per vim, cum aras teneret, a ſeditioſis abſtractus mortem et immania quaeque minitantibus, poſtremo, ut vitae conſuleret, ducem ſe illis etiam ſacramento adactus praebuit. Sub veſperam, ut ſcelus ſceleri adderent, eorum, quos ex ſalinatorum numero eſſe aut rebus illorum favere arbitrabantur, domos tumultuoſe invadunt ac diripiunt; atque in iis [a] Pontacorum locupletum [α] civium, [b] Andronii vectigalium coactoris, [c] Contii denique praeſidis, et [d] Boerii ſenatoris aedeis: verum ii omnes, praeter Andronium, ſe periculo ſubduxerunt: Andronius, dum veſte mutata fugam parat, comprehenſus, et exuta veſte pedicis ferreis ingentis ponderis oneratus in profundam tetri carceris caveam praecipitatur, eoque lapſu graviter ſaucius rurſus educitur, ac pluribus iiſque exiguis plagis acceptis, ut diutius ſe mori ſentiret, quatuor paene horarum ſpatio excarnificatus, tandem inter ſaevientium manus efflavit animam. Monacho etiam, qui jam moriturum de more peccata ſecreto confitentem audierat, quod is enunciare nollet, multa vulnera inflicta, ex quibus haud multo poſt obiit. Ad xx praeterea ex iis, qui rem ſalinariam adminiſtrabant, capti et crudeliter occiſi, eorumque cadavera ſale conſperſa per vias ad ludibrium expoſita ſunt. Ad hos motus Nic. Arnoldus [e] Sanſimo ſenator, integris adhuc viribus, cum familiam convocaſſet, ad eam verba facturus, initio dicendi tanto pavore corripitur, ut ſtatim exſpiraverit. His patrandis exacta nox. Illuceſcente die cum [f] Caſſaneum, quem ſibi ducem per vim ſumpſerant, per vias aliquanto tempore traduxiſſent, ille arrepta ſenſim auctoritate, ut rapinas ac caedeis prohiberet, magiſtratus et ſacerdotes ipſos vocari jubet, et cum multitudine in armis urbem circumire imperat, ut bonis ſcilicet civibus multitudini inconditae admiſtis perditorum hominum audacia refraenaretur. Nec latuit illos Caſſanei aſtus: ſed, in eos quamlibet frementeis jure imperatoris uſus, praecipuos ex ſeditioſis capta occaſione quaſi dicto minus audienteis per commilitones ſtatim confodi jubet. Ita paulatim per quatriduum furore deſaeviente, portae urbis clauſae, quae initio undique accurrenti ex agro et vicinis oppidis multitudini patebant; diſpoſitiſque per vicos ſtationibus, de communi omnium conſenſu ſenatui ac reliquis magiſtratibus ſua cuique auctoritas et procuratio reſtituitur. Jamque [g] Momorantius [h] Toloſam cum copiis advenerat; et edictum a rege propoſitum fuerat, quo quatriduum conſtituebatur, intra quod omnes ab armis diſcederent, ſpe facta, ut propediem de poſtulatis eorum cognoſceretur. Itaque ſenatus jam recuperata auctoritate, ut regis animum leniret, et ſe culpa omni vacare illuſtri publicae vindictae exemplo oſtenderet, in Fr. [i] Verniam mercatorem, qui pulſandorum tintinnabulorum auctor fuiſſe ferebatur, hoc ſupplicii genus decrevit, ut ab equis in contrarias parteis actis membratim diſcerperetur: quod non niſi in graviſſimis laeſae majeſtatis criminibus apud nos uſurpari ſolet. Jam [k] Candala populo valde acceptus in urbem venerat, et, [l] Deveſa cum praeſidio in arcem [m] Buccinam introducto, omneis ordines, ut Momorantio venienti obſequentes eſſent, hortatus fuerat. Obviam procedunt cives, et imperata ſe facturos oſtendunt: tantum orant, ne militem Germanum rapinis deditum in urbem intromittat. Eos vero vir imperioſus et aſſerendae regiae majeſtatis ſumme ſtudioſus aſpere increpuit; Germanos enim, ut et Gallos, pariter ſub rege ſtipendia facere: et fiduciae ac temeritatis plenam petitionem videri; quippe minime illorum eſſe leges praeſcribere aut dicta interpretari, quibus parere ſine conditione ſit neceſſarium: ſe ergo pro arbitrio ac poteſtate, quam obtineat, quod aequum videbitur, facturum: habere ſiquidem penes ſe claveis, (tormenta bellica hoc dicto innuebat) quibus, ſi urbem patefacere recuſent, eam reſerare poſſit.

VAR. LECT. [α] mercatorum P.

INTERPR. [a] *Pontac.* [b] *le receveur Andrault.* [c] *le preſident le Comte.* [d] *Bohier conſeiller.* [e] *de St. Simon.* [f] *de la Chaſſagne.* [g] *le connetable de Montmorency.* [h] *Toulouſe.* [i] *la Vergne.* [k] *Frederic de Foix, comte de Candale.* [l] *de la Veſe.* [m] *Chaſteau Trompette.*

poſſit. Nuſquam major poſt tantam animorum commotionem tranquillitas ac fere malacia, quantumvis praeſenti caſtigationis metu: nuſquam poſt immanem rebellionem major ad obediendum omnium conſenſio: ut vel eo exemplo illud veriſſimum eſſe comprobatum ſit, longas principibus manus eſſe, & poteſtatum ſeriem, quaſi catenis invicem alia aliam connectentibus, univerſos occulto neceſſitatis vinculo conſtringere. Quod Stephanus [a] Boëtianus Sarlacenſis, qui poſtea Burdigalenſis ſenatus magnum ornamentum fuit, vix tunc XIX annos natus, ſed judicio ſupra aetatem excellens juvenis, ſumpta hinc occaſione, elegantiſſime perſecutus eſt in eo libello, qui [b] Anthenotici titulo ſive de ſpontanea ſervitute inſcribitur; quem tamen in longe alienum ab auctoris mente uſum ac ſenſum ii detorſerunt, qui cum poſt Pariſienſem lanienam, quae poſt annos XXIV atque adeo poſt ipſius Boëtiani mortem accidit, ad commovendos vulgi animos in lucem emiſerunt. Igitur Momorantius, dejecta murorum parte, per ruinam cum exercitu XIII Kal. Septembr. ingreditur, diſpoſitoque vicatim milite tormenta bellica, quibus locis eſt viſum, collocat: dein arma civium et machinas omneis in arcem comportari jubet: ſic biduum conſumptum. Tertio die a [1] Stephano [c] Nullio libellorum ſupplicum magiſtro de ſeditione quaeſtio habetur. Is a Momorantio in eam rem cum aliis a rege delectis judicibus adductus, alioqui magnae auctoritatis vir, ſed vehemens et iracundus, ut qui in pacis ad [d] Crepiacum factae negotio, Dominicano monacho, cujus mutua opera et Caeſar et Franciſcus tunc utebantur, arrogantius, ut quidem ipſi videbatur, loquenti injurioſe manus intulerit: quo facto ampliſſima cancellarii dignitate, quae ultro deferebatur, indignus habitus eſt, monente [e] Turnonio nequaquam ſummo magiſtratui impotens et violentum ingenium convenire. Summa ſeveritate res acta, Gulielmo [f] Blanco decurione et famoſo patrono ad ſingulas interrogationes in jure factas pro civitate ac decurionibus reſpondente. Tandem Burdigalenſes ſeditionis, perfidiae ac laeſae majeſtatis damnantur; privilegiiſque omnibus, decurionatu, concilii ac ſigilli jure, juriſdictione, pecunia communi, poſſeſſionibus publicis mulctantur, aedibus etiam publicis complanatis et tintinnabulis omnibus e templis in caſtella comportari juſſis: iis praeterea caſtella communire et triremeis duas, quae contra ipſos praefectis regiis praeſidio eſſe poſſint, armare ſuo ſumptu [α] injunctum: inſuper decretum, quo de nefanda Moninii caede ſatisfieret, ut humum, qua tectus erat, nullo ferramento, ſed [β] unguibus revellerent, et erutum cadaver a decurionibus ac CXX civibus ardenteis taedas praeferentibus lugubri veſtitu efferretur. Id magna pompa confectum, plus quinque millibus ex omni multitudine cum accenſis cereis funus ſequentibus. Ubi ad Momorantij aedeis ventum eſt, ſiſtitur funus; omneſque in genua prolapſi lamentabili voce, uti juſſi erant, miſericordiam implorant, ac ſuum ipſi delictum agnoſcunt et exſecrantur, regique, quod non in eos gravius animadverterit, gratias agunt. Tum decuriones literas omneis, quibus civitatis immunitates ac privilegia continebantur, exhibent, quae ibidem cremantur, ipſiſmet ignem ſuccendentibus: praeterea CC librarum millia Momorantiano exercitui dependi juſſa. Inſecutis diebus in ſeditionis et factionis auctores anquiſitum: plus C ad mortem, aut, quod morti proximum, ad triremeis damnati: in iis [γ] Guillotinus vivus exuritur. [g] Leſtonaeus ac [h] Salictetes fratres, quorum alter vigilum, alter [i] [δ] Fari caſtelli praefectus erat, ſecuri percuſſi ſunt. Cuidam, qui terrificantem campanae ſonum excitaverat, laqueo ad crepitaculum gulam frangi judices decrevere. Quidam etiam ſenatu moti, aliis e curia Pariſienſi in eorum locum ſuffectis;

CIƆIƆXLVIII.

HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] imperatum *P. D. o. f.* [γ] Guillotinus, de quo diximus, *P. D. o. f.*
[β] unguibus ac digitis *P.* [δ] Faſani *P.*

INTERPR. [a] *de la Boëtie de Sarlat.* [b] *le Contre Un.* [c] *de Neully, maître des requeſtes.* [d] *Crepy.* [e] *le cardinal de Tournon.* [f] *le Blanc jurat.* [g] *de l'Eſtonnac.* [h] *du Sault.* [i] *Chaſteau du Haz.*

NOT. [1] Carolo *Put.*

ſuffectis; vixque poſt annum, ut in priſtinam dignitatem reſtitucrentur, impetravere. [a]Caſſaneus ipſe mortis quidem periculo tunc eximitur, non moleſtiae, qua diu poſtea in comitatu regio vexatus fuit, quod ſe ſeditioni, quamvis animo res pacificandi, infeliciter miſcuiſſet. Tintinnabula etiam omnia, quibus ſeditionis ſignum dabatur, in tota circum regione comminuta aut conflata, materiaque in arceis et oppidorum caſtella cum civium armis inferri juſſa. Haec ita a Momorantio et delectis illis judicibus tunc graviter decreta non minus ſevere executioni demandata ſunt: multa tamen pro clementia ſua rex poſtea mitigavit; multitudine reorum numero exempta, et privilegiis ac bonis publicis, praeter pauca, civitati reſtitutis: publicae etiam aedes conſervatae. Momorantius, relicto praeſidio et Joan. [b]Dallonio Ludenſi, v Eid. Novembr. [c]Burdigala diſcedit, pacata fere [d]Aquitania. [e]Pimoreus mox comprehenſus capite luit: [f]Galafrae ac Talemagnae praecipuis ruſticae multitudinis ducibus brachia ac crura fracta ſunt, impoſitis rotae corporibus.

XIV. Interea rex de rebus Aquitaniae compoſitis certior ad confluentem [g]Rhodani et Araris xi Kalend. Octobr. ſub veſperam deſcendit; ubi olim ara Lugdunenſis erecta fuit, nunc coenobium [α] [h]Athenacenſe eſt; poſtridie urbem magnifica pompa ingreſſurus. Venere obviam honorifico cultu Genuenſes, Lucenſes, Florentini, Mediolanenſes, ac poſtremo Germani; quorum omnium magnus in illa urbe mercatura et negotiatorum concurſu toto orbe nobiliſſima numerus: tum magiſtratus ac decuriones ſubſecuti ſunt. Erant paſſim diſpoſiti ad portam triumphalem, cui [i]Petrae inciſae arx imminet, per vias ac plateas civitatis, obeliſci, arcus, trophaea, columnae, extemporanea ſtructura et inſcriptionibus ornata omnia. Lautiſſimo dein epulo rex excipitur, et antiquorum more poſt convivium exhibita multa gladiatorum paria, ſed citra caedem et cruorem. Acta et a Florentinis coram rege veteris ſcenae imitatione fabula, adminiſtrante et procurante ſingula [k]Albono Santandreano provinciae praeſide, peritiſſimo omnis luxus et deliciarum hujuſmodi arbitro. Ut rex terreſtri itinere, ita die ſequenti regina inſtructis ad id triremibus et artificioſis navigiis per Ararim urbem ingreſſa eſt: inibique naumachiae et euripi atque iſtiuſmodi nauticae pompae et ſpectacula edita ſunt. [β] [l]Lugduni conſumptis aliquot diebus, atque habito equitum conchyliatorum [m]concilio, quod diu ante intermiſſum fuerat, rex Kal. Octob. illinc proficiſcitur; et [n]Molinium in Boiis venit, Borboniorum olim familiae praecipuum caſtellum, ſed poſt [o]Caroli defectionem patrimonio regio adjudicatum. Ibi xiii Kal. Novembr. celebratae nuptiae Antonii [p]Borbonii Vindocini et Joannae [q]Labretanae Henrici Navarrae regis heredis, quae ante viii annos Willelmo [r]Clivenſi ad [s]Caſtrum-Eraldi in Pictonibus deſponſata fuerat; ſed ſponſo a pactis, uti diximus, diſcedente, et ducta Ferdinandi filia, liberum et ipſi fuit alii nubere. Tunc et Franciſcus Lotaringus Aumaliae dux Annam Herculis Ferrariae ducis et Renatae a Francia filiam uxorem duxit; [nuptiarumque ſolemnia magna pompa ad San-Germanum celebrata ſunt.] Quod eo anno armis

ſumptis

P. [*qui, pactis dotalibus Ferrariae obſignatis, ut audio, quo ſe familiae regiae mentito nomine inſinuaret, ex cardinalis fratris conſilio, Andegavenſis nomen aſſumpſit. Certe Jo. Baptiſta Giraldus, qui ſynopſim rerum Ferrarienſium ſcripſit, eum regio ſanguine prognatum memorat: et Hier. Faletius, qui a ſecretis epiſtolis ſub Ferrarienſibus ducibus fuit, in libris de bello Germanico ubique Claudium et*

Franciſcum

VAR. LECT. [α] Athanatenſe *P. D. o.* [β] Ita Lugduni *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *la Chaſſagne.* [b] *de Daillon, comte du Lude.* [c] *Bourdeaux.* [d] *Guienne.* [e] *Puimoreau.* [f] *Galafre, & Talemagne.* [g] *le Rhoſne, & la Saone r.* [h] *abbaye d'Aiſnay.* [i] *Pierre-Enciſe.* [k] *d'Albon, mareſchal de St. André.* [l] *Lyon.* [m] *chapitre des chevaliers de l'Ordre de St Michel.* [n] *Moulins en Bourbonnois.* [o] *le conneſtable de Bourbon.* [p] *de Bourbon, duc de Vendôme.* [q] *d'Albret.* [r] *le duc de Cleves.* [s] *Chatelleraule en Poictou.*

Digitized by Google

ſumptis in Gallia tumultuatum eſſet, VI Kal. Decemb. edicto renovantur poenae, quas Franciſcus ante triennium in eos ſanxerat, qui ſcloppetis, quorum geſtatio denuo interdicitur, aut hujuſmodi vetitis armis extra belli cauſam uterentur. CIↃIↃXLVIII. HENRICUS II.

XV. FUIT et hic annus inſignis Gallica in Scotiam contra Anglos expeditione. Solnta [α][a] Brochteae arcis obſidione, Angli [b] Hadinam, quam vulgo Hadingtonem vocant, ad [c] Tinam amnem ſitam in [d] Lothiana, quod inde longe fertiliſſimae regioni imminerent, ſumma diligentia muniendam ſuſceperunt; ac, ne obſidendi oppidi hoſtibus facultas eſſet, vicinum agrum incendiis et direptionibus vaſtarunt; coeptumque ex alia parte ad [e] Lauderam praeſidium interea urgebant. Henricus, qui auxilia [β] ſuperiore anno miſſa, Leone Strozzio duce, feliciter rem confeciſſe gauderet, ne gratiam ac fructum tanti ſucceſſus amitteret, audito Anglos magnas copias parare, dum majores ſummitteret, Jac. [f] Carbonarium Capella-Bironium virum ſtrenuum cum delecta nobilium juventute praemittit; ne, ſi quid urgeret, penuria ducis, Scotis alioqui pugnaciſſimis, uti ſaepe uſu veniſſe compertum habebat, ſiniſtri quid accideret. Datum negotium interea [g] Caſtellio, Armoricae praefecturae per Jo. [h] Broſſii ducis Stampenſis abſentiam legato, et Jo. [i] Moio Millaregio, maris praefecti per [k] Neuſtriam vicario, [l] Carneoque Breſti praefecto, uti claſſem, qua exercitus in Scotiam quamprimum exportaretur, diligenter inſtruerent: miſſus et Antonius [m] Noallius, qui regis nomine exercitus luſtrationi intereſſet, et commeatus curam gereret. Ad [n] Peregrini vicum infra [o] Namneteis cum conveniſſent copiae, dum recenſentur coram Fr. [p] Colinio Andeloto peditatus Gallici praefecto, ſcloppetis, ut aſſolet, diſploſis, Fr. [q] Guſierius Bonivetus eques Hieroſolymitanus ingentis animi juvenis forte interfectus eſt, magno Andeloti dolore, qui vix tandem caedis auctorem ex conjecturis convictum laqueo ſuſpendi juſſit. Erat exercitus omnino VI millium hominum: ex quibus III Germanorum millia ducebat comes Ringravius; II Gallorum millia ſub Andeloto erant, ac CIↃ diverſi generis equites duce Franciſco [r] Anglurio Eraugio. Iis omnibus [γ] Andreas [s] Montalambertus Deſſius, bello [t] Landreciano et aliis poſtea expeditionibus magnam laudem adeptus, dux cum ſummo imperio praeficitur. Expeditionis comites fuere Petrus Strozzius, [u] Oartiſius, H. [x] Clutinius Oiſellus. [y] Dumbarum appulſa claſſe XIIII Kalend. Quintil. et expoſitis in terram militibus, ut ſe a nauſea recrearent, ſuadente [z] Hamiltonio prorege, Hadinam exercitus ducitur. Ibi ad coenobium, quod urbi proximum eſt, convocato concilio de regina in Galliam tranſportanda et Delfino deſpondenda conſultatur; factionis Scoticae principibus regina ablegata ab Anglis bellum perpetuum, a Gallis ſervitutem Scotiae imminere, dictitantibus; proptereaque conditiones ab Anglis propoſitas tolerabileis videri, quippe qui pacem decennalem offerrent, nec ullo vinculo aut

gravioribus

Franciſcum Claudii filios non Lotaringos ſed Andegavenſeis appellat. Janus denique Vitalis Panhormitanus, non contemnendus poeta, inter elogia ſacro-ſanctae Romanae eccleſiae cardinalium, Romae anno LIII *publicata, Carolum cardinalem, Andegavenſem et regiam progeniem ac maximum Andegavae gentis honorem appellat; non utique id facturus, niſi hominem hos ſibi titulos ſumere et affectare ex ipſo aut domeſticis ejus cognoviſſet. Inde Fontem-bellaqueum et mox Sangermanum itum eſt.*]

VAR. LECT. [α] Brechteae P. [β] priore P. [γ] Andreas Montalambertus *deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Brochty-Craig.* [b] *Hadington.* [c] *Tyne.* [d] *Lothian.* [e] *Lauder.* [f] *Carbonieres de la Chappelle-Biron.* [g] *du Chaſtel, lieutenant de roy en Bretagne.* [h] *de Broſſe, duc d'Eſtampes.* [i] *de Mouy, ſieur de la Meilleraie.* [k] *Normandie.* [l] *de Carney, gouverneur de Breſt.* [m] *de Noailles.* [n] *Pelerin.* [o] *Nantes.* [p] *de Coligni, ſieur d'Andelot, depuis* (i. e. A. D. 1555.) *colonel de l'infanterie Françoiſe.* [q] *Gouffier de Bonnivet, chevalier de Malte.* [r] *d'Anglure d'Etauges.* [s] *de Montalambert, ſieur de Deſſe.* [t] *de Landrecy.* [u] *d'Ouartis.* [x] *Clutin d'Oiſel.* [y] *Dunbar.* [z] *Hamilton, comte d'Arran.*

CIƆIƆXLVIII. HENRICUS II.

gravioribus pactis Scotos illigarent; id quippe unum hoc foedere eſſe quaeſitum, ut, vel rege Anglorum vel regina Scotorum intra decennium e vita migrante, omnia utrinque ſint integra; moram in hujuſmodi conſultationibus ſaepe ſalutarem fuiſſe, cum ex adverſo praecipitem feſtinationem repens poenitentia ſequi conſueverit. Alii, et in iis eccleſiaſtici, quod ab Anglorum amicitia minus tuto religioni conſultum exiſtimarent, etiam ii, qui Gallorum beneficiis obſtricti erant, contra cenſebant, Anglorumque amicitiae noſtram praeferendam eſſe diſputabant: atque horum vicit ſententia, praevalente vetere Scotorum et Anglorum odio ſive aemulatione, et adſtipulante prorege, qui in ſpem magnorum emolumentorum erectus haud dubie Gallorum partibus favebat. Igitur claſſis, quae ad eam devehendam venerat, [a] Letha, ubi ſtabat, ſimulato in Galliam diſceſſu, duce Nic. [b] Durando Villagaguono equite Hieroſolymitano, de quo deinceps plura dicenda erunt, totam retro Scotiam praetervecta, contra omnium opinionem, quod [c] Hibernicum mare minime patiens triremium eſſe crederetur, [d] Britannodunum appulit. Ibi regina ſexennis, conſignante eam matre in [α] manus Philippi [e] Mallii Brezaci, et comitantibus [f] Jacobo fratre, [g] Areskino et Gulielmo [h] Leviſtonio, conſcendit, et, diu adverſis tempeſtatibus colluctata, tandem in [i] Armoricae peninſulam exponitur; unde mox ad aulam modicis itineribus fuit perducta: quod Anglorum inſidias feſellit, qui, cum [k] Caletum Villagagnonum contendere perſuaſum haberent, diu fruſtra in illo freto tempus conſumpſerunt. Jam [l] Somerſetus et regni conſiliarii, quod miſſas ſuperiore anno literas ante pugnam a prorege et iis qui circa eum erant ſuppreſſas fuiſſe ſcirent, Non. Febr. ſcriptum valde prolixum ediderant; quo eadem quae prioribus literis repetebant, et variis rationibus ac inprimis per recentis cladis memoriam, qua quidem non adeo laetari ſe ac commiſeratione affici teſtabantur, Scotos ad pacem et quietem ampla et honorifica omnia a rege ſuo polliciti hortabantur: verum nihil illis profectum eſt. Itaque de Hadina obſidenda ſerio agi coeptum; quod ejus potentes Angli inde vicinae regioni, ac praecipue [m] Edimburgo, totius regni primariae urbi, magna damna quotidie inferrent. Hadina in magna et lata planitie ſita eſt, ita ut a nullo colle deſpici poſſit; ampliſſima foſſa et quatuor aeque diſtantibus propugnaculis muro ex [β] ceſpite interjecto cingitur; poſt quem rurſus altera foſſa interjacet; rotundiſque quatuor propugnaculis murus alter urbem claudit ſpatioſo pomoerio firmatus: in illa foſſa humilia porriguntur munimenta, quae tormentis verberari non poſſunt: intra pomoerium latiſſima planities, ut et in ea explicari et ordinari commode copiae, et, ſi opus ſit, foſſa ſecundaria duci et rurſus agger erigi poſſit. Velitariis aliquot certaminibus initio pugnatum; in iiſque [n] Villanovanus peditum dux magnae ſpei juvenis deſideratus eſt. Tum arctius obſideri coepta urbs, exiguo tamen profectu. Admirationi [γ] fuerunt [o] Orcadenſes homines ſeminudi, quorum arma enſis et clypeus, quibuſdam etiam lorica annulata, qui Gallorum aemulatione ad quaevis pericula ſe impavidos praebebant, niſi quod diſploſis tormentis humi procumbebant, obturatis auribus, ne fragorem ſentirent. Nullo ordine aut arte, ſed confuſi ac ſolo impetu in hoſtem ruunt. Ex iis unus, cum Gallos fortiſſime pugnanteis conſpicaretur, in confertum hoſtium globum incurrit, Anglumque manibus correptum, et in humeros magna vi ſublatum, majore pertinacitate et robore in caſtra ad ſuos detulit, captivo interim dentem rabidum [δ] ac paene mortiferum in Scoti tergum [ε] diſtringente; ob

VAR. LECT. [α] manus Mellii *P.* [β] ceſpite conſtructo interjacente cingitur *P.D.* o.f. [γ] tum fuerunt *P. D.* o. f.d. [δ] ac paene mortiferum *deſunt* *P. D.* o.f. [ε] diſtringente, unde paulum a pernicie abfuit; ob *P.* diſtringente, unde paulum abfuit quin mox mortuus ſit; ob *D.* o.f.

INTERPR. [a] *Leith.* [b] *Durand de Villegagnon.* [c] *Pitchland mer.* [d] *Dunbritton.* [e] *Mailly de Brezé.* [f] *Jacques Stuart, puis comte de Murray.* [g] *John lord Erskine.* [h] *le lord Levingſton.* [i] *Bretagne.* [k] *Calais.* [l] *le duc de Somerſet.* [m] *Edimbourg.* [n] *le capitaine Villeneuve.* [o] *des iſles d'Orkney,* ou *les Orcades*

CIↃIↃXLVIII.
HENRICUS II.

ob egregium façinus a [a] Deſſio XX aureis et lorica annulata donatus: id ſummi et honorificentiſſimi praemii loco accepit. Jamque [b] Hadina tormentis quatiebatur: ſed cum murus ceſpite et [α] argilla conſtructus exceptos ictus frangeret, parvaque aut nulla omnino [β] ruina ſequeretur, a verberatione ceſſatum eſt. Nec multo poſt CC auxiliares a [c] Somerſeto, dum fraude exploratoris deluſus Deſſius alia via quam qua veniebat hoſtem opperitur, in urbem noctu introducti ſunt. Tum Scoti, quod ſumptibus ſuis militarent, et obſidionem in longum extrahi dolerent, dilabi ſenſim coepere; vixque circa proregem et [d] Gordonium comitem Huntilaeum IↃ C remanſerunt. Itaque Somerſetus, qui magnam ſolitudinem in hoſtium caſtris eſſe intelligeret, opportunum tempus noſtros invadendi ratus, equitum quantum poteſt undique ſumma celeritate cogit: ſed cum Deſſius celerius Somerſeti opinione de hoſtium conſilio per exploratores cognoviſſet, confeſtim ad reginam viduam, quae tunc Edimburgi erat, ſcribit; quae convocatam quantum per temporis anguſtias licuit nobilitatem, et omnem eam, quae arma ferre poſſet, multitudinem virili oratione ad iter capeſſendum cohortatur. His ſuppetiis Deſſius confirmatus, [e] Humium cum aliquot praemittit, qui de hoſtium adventu cognoſceret: ipſe ſummo mane copias educit; ſuoſque hortatur, ne ab hoſtibus metuerent, qui totam noctem cum tenebris colluctati, inſidiis quam virtute meliores, lucem timerent. Mox illuceſcente jam die Anglicus exercitus (is erat omnino V millium equitum) a noſtris ad Hadinam conſpicitur: ubi dum duces circa moenia adequitantes oppidanorum et obſeſſorum fortitudine et conſtantia collaudanda tempus terunt, Deſſius relangueſcente paulatim Anglorum ardore aciem inſtruit, et locatis in fronte [f] Andeloto et Ringravio, qui impetum hoſtium ſuſtinerent, cum ſuo equitatu in latus incurrens Anglos in fugam vertit; fugientibuſque inhaerens II CIↃ ex iis cepit, IↃ CCC occidit, nec amplius quam XV ex ſuis deſideravit. Haec ita Joannes [g] Bellovadius, qui ei bello interfuit: at Buchananus CIↃ pedites et CCC equites Roberto [h] Bovio et Thoma [i] Palmerio ducibus Bervico miſſos ſcribit, qui omnes inſidiis excepti paene ad unum interierint. Hoc ſucceſſu repreſſa Anglorum audacia et injecto obſeſſis metu, cum Deſſio ſpes eſſet, Hadinenſeis fame ceterarumque rerum penuria deditionem tandem facturos, caſtra longius ſed commodiore loco ponuntur, diſpoſitis per aditus ſtationibus, ne quid commeatus in urbem importari poſſet. Angli tamen minime clade illa infracti, dum vatum praedictionibus, vitio gentis, nimium creduli tempus veniſſe certo ſibi perſuadent, quo Scotiae regno potirentur, de penetrando in interiora Scotiae cum potenti exercitu conſilium ineunt; quod periculo ſuo compertum habere dicerent, Scotos in finium propugnatione invictos internis diſcordiis facile ſuperari. Haec agitanti Somerſeto commodum accidit, quod [k] Millaregius paulo ante bellicas naveis in Galliam abduxerat, ſolaque Scotica claſſis ſuperabat, multis partibus Anglica inferior. Igitur [l] Levinius, qui Anglorum parteis tunc ſequebatur, terreſtribus copiis praeficitur; eae XVIII millium peditum, VII CIↃ equitum erat: Thomae Scimoro Somerſeti fratri maris praefecto nauticae rei cura datur. Quo comperto Deſſius, qui V tantum hominum millia in exercitu haberet, obſidionem ſolvit, atque VIII fere ab Hadina milliaribus, [m] Graio cum XXV circiter armatorum millibus tergis inhaerente, ſine noxa ſe recepit. Pulcherrimam tunc rei bene gerendae occaſionem a Graio praetermiſſam memorant; qui aliquanto tempore noſtros inſecutus, nulla re geſta, Hadinam rediit, militeque ac commeatu invecto urbem munivit. Cum ad Hadinam bellum ſubſtitiſſet, Angli, quatuor navibus onerariis Scotorum incenſis, in [n] Merniam regionem minus frequentem cum

claſſe

VAR. LECT. [α] argilla uti diximus P. D. o. f. [β] inde ruina P. D. o. f.

INTERPR. [a] *de Deſſé.* [b] *Hadington.* [c] *le duc de Somerſet.* [d] *George Gordon, comte d'Huntley* [e] *le lord Hume.* [f] *d'Andelot* [g] *de Beaugué.* [h] *Bowes.* [i] *Palmer.* [k] *de Mouy, ſieur de la Meilleraie.* [l] *le comte de Lenox.* [m] *le lord Grey, baron Grey de Wilton.* [n] *Merns*

claſſe deſcendunt, [a] Montem-roſarum oppidum ad mare, quod Jo. [b] Areskinus Dunenſis paulo ante caſtello exſtructo egregie firmaverat, noctu occupaturi: ſed dum ſenſim per tenebras allabuntur, ipſi imperitia ſua conſilii occulti rationem accenſis in ſingulis navibus lucernis prodiderunt. Igitur Dunenſis contractis, quae potuit, undiquáque navigiis, et impoſito in navigia ad excurſiones impediendas et oppidum firmandum, quantum ſatis viſum eſt, praeſidio, ruſticam multitudinem ex vicinis pagis evocatam pone collem, qui oppido adjacet, collocat, et ad tormenti iterum diſploſi ſonitum ſe hoſti oſtendere jubet: ipſe cum jaculatoribus in portum exit; prolectoſque ad certamen Anglos cum levibus proeliis aliquandiu detinuiſſet, ad ſuos, uti conſtituerat, ſe recepit. Illi cum ad aggeres uſque inſequerentur, ruſtici, ſicuti juſſi erant, antequam omnino illuceſceret, ſigno dato ſe proferunt: quibus viſis Angli attoniti confuſa fuga ad naveis confugiunt: qui remanſerant, non exſpectatis ſociis confeſtim ſolvunt tanta trepidatione, ut ex ıↄ ccc, qui in terram deſcenderant, vix tertia pars incolumis Scotorum manus evaſerit. Nec multo poſt [c] Graius ipſe, constructo duobus a [d] Dumbaro milliaribus [e] caſtello, admodum incommodo loco propter aquae penuriam, et quod a vicino colle in illud deſpectus eſſet, retro in Angliam abiit. Eodem tempore, cum ex [f] Humio et Faſcaſtello Angli hoſtiliter in loca vicina excurrerent, Humius quoſdam e ſuis mittit, qui circum arcem ruſticorum habitu cum cibariis oberrantes a praeſidiariis capti et introducti ſunt. Cum de rebus Gallorum interrogati vero conſentanea reſpondiſſent, Angli, fidos rati, ſaepius ad eos redire et ibi manere paſſi ſunt. Igitur, cum obſervaſſent negligentius vigilias obiri, dicta die, cum propter violentum et continuum imbrem repente ortum, ut pernoctarent, a praeſidiariis invitati eſſent, nocte ſopitis excubiis ea parte, qua didicerant fiducia loci minus diligentiae adhiberi, milites ab Humio ſummiſſos excipiunt, qui per rupem in ſummum aſcendunt et caeſis cuſtodibus arce potiuntur. Mox et cum Faſcaſtelli praefectus agricolis vicinis imperaſſet, ut ad certam diem magnam commeatus vim conveherent, illi occaſionem nacti frequentes cum oneribus adſunt, quae cum e jumentis depoſita in humeros ſuſtuliſſent, per pontem, qui duas rupeis committit, ingrediuntur, ſubitoque quod ferebant excuſſo cuſtodes ſigno dato confodiunt, et arcem in poteſtatem redigunt. Nec melius maritimus Anglorum exercitus acceptus eſt; qui cum ad [g] Fanum Miniani appuliſſet, ut inde in propinqua loca excurreret, Jac. Stuartus reginae frater collecta tumultuaria multitudine tanto ardore incubuit, ut eos funderet ac fugaret. Ex Anglis, dum ad naveis properant, depreſſa navicula ſummerſis deſiderati circiter ıↄ c, capti c. Interea Hadinenſes novo praeſidio confirmati cum Edimburgum uſque praedas agerent, [h] Deſſius [i] Etaugium cum x armatis praemittit, qui praeſidiarios ad certamen eliceret; ipſe cum [k] Capella-Bironio [α] [l] Rotauſioque Germanorum duce ſubſequitur. Hadinenſes ardentius initio in Etangium invecti ſero errore animadverſo ſe in fugam dant, amiſſis ex ſuis cc, et captis fere intra oppidi portas cxx. Sub id tempus P. Strozzius et Andelotus, quorum opera Henricus in bello [m] Bononienſi uti volebat, cum Carolo [n] Rupiſulcaudio, [β] [o] Volurio Ruſeco, [p] Cruſſolio, [q] Monpeſatio, [r] Joiſa et [s] Bordillonio in Galliam renavigant. Capella-Bironius per Andeloti abſentiam peditatui praeficitur. Seditio tunc forte orta Edimburgi inter Gallos et Scotos, alioqui toto eo bello maxime concordeis, ex levi cauſa, ut [t] Bellovadius ſcribit, milite Gallo nullius nominis et Scotis aliquot mutuis ſe conviciis proſcindentibus.

Verum

VAR. LECT. [α] Rotuſaque *P. D. o. f. d.* [β] Philippo Volurio *P.*

INTERPR. [a] *Montroſs.* [b] *Erskine, ſieur de Dun.* [c] *le lord Grey.* [d] *Dunbar.* [e] *le fort de Dunglaſs.* [f] *Humes-caſtle, & Faſtcaſtle.* [g] *St. Mnan's kerk.* [h] *de Deſſé.* [i] *d'Anglure, ſieur d'Etauger.* [k] *la Chappelle-Biron.* [l] *le capitaine Routaune.* [m] *de Boulogne.* [n] *de la Rochefoucault.* [o] *de Volure, ſieur de Ruffec.* [p] *de Cruſſol.* [q] *de Monpeſat.* [r] *de Joyeuſe.* [s] *de Bourdillon.* [t] *de Beaugué.*

Vorum [a]Buchananus aliam cauſam aſſignat; quod videlicet Galli in reditu ab [b]Hadina, CIↃIↃXLVIII.
praefectum Edimburgi ingredi eos urbem cum omnibus copiis prohibentem, quia Henricus II.
vereretur ne ſe a praedandi licentia continerent, una cum filio et civibus aliquot interfeciſſent. Utcunque ſit, Deſſius, ut ſeditionis invidiam aliquo facinore elueret, de Hadina, quam vi non potuerat, aſtu intercipienda conſilium iniit: tota ea nocte cum delectis copiis profectus prima luce muro urbis ſuccedit; et vigilibus occiſis ac munimento, quod ante portam erat, [α]occupato, alii portam effringere conantur, alii horrea Anglorum proxima invadunt: ad molientium fragorem et Gallorum alacritatem victoriam ingeminantium vix tandem excitatis Anglis, Gallus transfuga, veritus, ne urbe capta perfidiae poenas lueret, tormento majori, quod in portam adverſam ſtabat, ignem ſubjecit, cujus globus praefracta porta per denſos noſtrorum ordines tranſvolans tantam ſtragem dedit, ut primi in medios, medii in extremos, qui ſubitae trepidationis, ut in tenebris, cauſam ignorabant, revoluti omneis poſtremo in fugam verterint. Ita cum damno repulſus Deſſius [c]Lethae muniendae in [d]Forthae aeſtuario animum intendit, quod ſitus arrideret, et Edimburgo ſecuritas per eam pararetur. Eo poſtea multi commoditate loci allecti, [e]Sterlino, [f]Fano Andreae, [g]Glaſcua, Hadina primariis urbibus relictis, migraverunt; quo effectum eſt, ut tractu temporis Letha ex ignobili oppido nunc inter maximas totius regni urbeis annumeretur. Inde cum Angli [β][h]Brochteam a Graio [γ]traditam arcem muniviſſent, etiam [i]Dondam praecipuum [k]Anguſiae oppidum occupaverunt: ſed, ſupervenientibus Ringravio et [l]Etaugio a Deſſio miſſis, illi retro incenſa urbe in arcem illinc milliario diſtantem ſe receperunt. Nec multo poſt, cum Ringravius in Galliam reverſus eſſet, v Germanorum vexillis in Scotia ſub [m]Rotauſio duce relictis, Etaugius, qui Dondam praeſidio tenebat, Brochteam arcem ſolus accedit, ut locum ipſe oculis luſtraret; quem ipſius injuſſu, ſed ut ſedulitatem oſtentaret, [n]Bellocaſtrenſis cum xxv cataphractis ſubſecutus eſt: ibi egredientibus promiſcue Italis, Anglis et Hiſpanis qui in arce erant, poſt acrem dimicationem Etaugii equus in paludis voragine herbida haeſit; unde cum nulla ope expedire ſe poſſet, equo relicto, pedes, ſociis fruſtra certantibus, a circumfuſa multitudine capitur. Is caſus ſimili hoſtium clade mox penſatus eſt, capto [δ]Jacobo [o]Wilfordio Hadinae praefecto, qui, ex nimio noſtrorum, qui [p]Dumbari arcem duce [q]Acautio tenebant, contemptu contracta temere fiducia, facta in Dumbarum impreſſione in inſidias incidit, et, poſt ſuffoſſum a Vaſcone milite equum, poſtremo fide data ei ſe tradere coactus eſt. Sub id tempus quatuor peditum ſigna [r]Burdigala a [s]Momorantio miſſa, ducibus comite [t]Vico et [ε]Raimundo a [u]Papia Furcovallio in Scotiam appulerunt; ſtatimque de Etaugio capto Deſſius certior Brochteam arcem oppugnare ſtatuit: verum a regina revocatus in [x][1]Teviotiam, quam Angli crudeliter vaſtabant, exercitum ducit. Ejus adventu ſtatim hoſtes [y]Jedburgo depulſi ſunt; moxque [z]Fatneſum caſtellum a noſtris primo impetu captum, praefecto arcis, ob adulteria, ſtupra ac rapinas ſumme inviſo, a Scotis in conſpectu Deſſii quamlibet repugnantis necato. Cum annonae penuria laboraret exercitus, Deſſius, ut tumultuanteis milites et ob neceſſitatem ad injurias inferendas proniores contineret, in [aa]Northumbriam Angliae provinciam vicinam praedatum

VAR. LECT. [α] oppreſſo *P. D. o. f.* [β] Brauti-Graium *P. D. o. f. d. et utraque Gen.*
[γ] contignatam *P.* [δ] Joanne Olliforcio *P. D. o.* [ε] Raimundo a Papia *deſunt* *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Buchanan.* [b] *Hadington.* [c] *Leith.* [d] *frith de Forth.* [e] *Sterling.* [f] *St. Andrews, ou St. André.* [g] *Glaſgow.* [h] *Brochty-Craig.* [i] *Dundee.* [k] *Angus* [l] *d'Anglure d'Etauges.* [m] *Rentouze.* [n] *Beauchaſtel.* [o] *le chevalier Wilford.* [p] *Dunbar.* [q] *le capitaine Achaut.* [r] *Bourdeaux.* [s] *le conneſtable de Montmorency.* [t] *de Vicques.* [u] *de Pavie, ſieur de Fourquevaux.* [x] *Teviotdale.* [y] *Jedburg.* [z] *Fernihurſt.* [aa] *Northumberland.*

NOT. [1] *Teviotia*; vallis ad Teviotum fluvium. *Put.*

CIƆIƆXLVIII. HENRICUS II.

praedatum mittit: in eaque [a] Cornvalliam [b][1] Tiſſumque caſtella, commeatus et pretioſae ſupellectilis plena capit, et diripienda militi concedit. Jamque Angli, ut excurſiones Gallorum prohiberent, iu limire ad IƆ ccc equites convenerant, cum [c] Cobio Scotus junior, levis armaturae dux, noctu Jedburgo in hoſtem egreditur cum aliquot ex nobilitate Gallica; vixque v milliaria progreſſus erat, cum ſe intra IƆ equites Anglos ſero delapſum ſenſit; cumque teceptus non eſſet, periculi magnitudinem audacia ſuperavit, facta tanto impetu impreſſione, ut Anglos, qui in tenebris nihil de Scotorum paucitate cognoſcere poterant, fuderit, multis caeſis et pluribus captis, ita ut captivorum numerus victores longe vinceret. Inde per Northumbriam [d] Novum-caſtrum uſque magna damna data ductore [e] Capella-Bironio: luſtratuſque e noſtris [2] lacus [f] Myrtous, ita eum vocat [g] Bellovadius, cujus pars ſemper eriam per aeſtatem concreta, pars u e hyeme quidem congelatur. Biduo poſt Deſſius [h] Febrium caſtellum in hoſtico tormentis verberatum capit; magna hine praeda abducta, iu cujus partem noſtri Scotos vocari minime paſſi ſunt. Inter captivos quidam, ſacrificum ſe dictitans, repertus eſt, homo tanta vecordia, ut etiam contumelioſis verbis victoribus illuderet, Galloſque in Angliam veniſſe diceret, ut vice equorum aratro terram verterent, ſervaris Anglorum in uſum belli equis, cum queis propediem in Galliam eſſent deſcenſuri, ut eam ſub jugum mitterent; id enim indigenas vates ſuos praedixiſſe, quibus non minotem quam Dei verbo fidem haberet. Cum ergo is Gallos praeter opinionem victores cerneret, tantum moerorem animo ex indignatione concepit, nt iu terram proſtratus clauſis oculis nec cibum capere, nec coelum, quod victores Gallos videre tuliſſet, aſpicere, ad mortem nſque voluerit. Hoc ſuperbi et obſtinati animi exemplum a Bellovadio relatum, nos etiam non indignum exiſtimavimus, quod monumentis conſignaretur. Interea major in dies rei frumentariae penuria noſtros urgebat, multique ſame enecti: qui ſupereſſe potuerant, piſcatu vitam tolerabant: ac ferunt, Germanos tanta aviditate et aſſiduitate in [i][3] Gepto flumine piſcatos eſſe, nt ex illo piſcibus caruiſſe ab incolis credatur. [α] Cum interim Angli coactis majoribus copiis adventare nunciarentur, quibus pares Galli eſſe non poſſent, in interiorem Scotiam Deſſius cum ſuis receſſit, minime inſequentibus cum Anglis, quod vererentur, ne te male cum Gallis geſta Somerſetus vir imperioſus ſeverius in eos animadverteret. Itaque cum claſſe inſulam in [k] Forthae aeſtuario aggrediuntur, [l] Magotiam vocant, ab avibus, quae anſerum ferinorum ſpecie inibi nidulantur, tanto quidem numero, nt praeſidiarii c, qui caſtellum [m] Baſſum dictum tenent, non alio cibo, quam recenti piſce in horas ab his avibus delato, uec ligno aliunde petito, quam arborum fruſtis, quae nidis illae conſtruendis vere comportant, ad frigus pellendum utantur. Haec a Bellovadio de Myrtoo lacu et illis avibus prodita, de quibus tamen Geor. Buchananus et [β] Guil. Camdenus, qui diligentiſſime Britanniam deſcripſerunt, prorſus ſilent, in medium relinquo, ut penes auctotem ſit fides. Tota illa inſula rupe undique praerupta et inacceſſa conſtat, conſtructo in imo caſtello, quo niſi corbe per funem attracto aſcendi uullo modo poteſt; quod ab indigenis ſervatur. Eotum praefectus dedere ſe juſſus, oblata ab Anglis grandi pecunia in ſingulos milites diſtribuenda, facete reſpondit, non patere homini onuſto tanto auro in locum tam arduum, qui ſolis avibus pervius ſit, aditum: ceterum eam

pecuniam

VAR. LECT. [α] cum igitur *P. D. o. f.* [β] Jo. Camdenus *P.*

INTERPR. [a] *Cornwal.* [b] *le chateau d'Etall ſur la riviere de Till, qui eſt à deux lieues de Cornwal.* [c] *Cobios le jeune.* [d] *Newcaſtle.* [e] *la Chappelle-Biron.* [f] *le lac Myrtoun.* [g] *de Beaugué.* [h] *le chateau de Foord.* [i] *Jed r.* [k] *Frith de Forth.* [l] *Gooſe-iſle.* [m] *Chateau de Bas.*

NOT. [1] *Tiſſum.* De Beaugué dit, que c'eſtoit un chateau ſur le fleuve de *Tiff*: mais ce chateau etant en Northumberland, etoit ſitué ſur le fleuve de *Till.* *C.*

[2] De hoc lacu, Northumbris prorſus incognito, Bellovadius non idem quod Thuanus narrat; partem quidem gelatam, partemque alteram fluidam, vel in aeſtate, ſolummodo affirmans. *C.*

[3] Jedo *Put.*

pecuniam majori uſui Anglis futuram ad belli Gallici ſubſidia: ſibi abunde de commeatu proſpectum, quem neceſſario cibo quotidie aves paſcant. Ita eluſi Angli, cum potiundae inſulae ſpe excidiſſent, [a] Ketham ſive Equitiam inſulam, quae poſtmodo recepta a regina [b] Divae nomine dicta eſt, claſſem appellunt, praemiſſis qui, Lethae oppugnandae ſpecie, interea noſtros levibus proeliis diſtinerent: eam, quod difficili acceſſu, ceteroqui rerum omnium commoditatibus abundans, in aeſtuario item Forthae poſita, magnum ad ducendum bellum Anglis adjumentum praebere videretur, arce ſumma celeritate conſtructa, et Iↄ ccc militum praeſidio et commeatu impoſito firmant; continuoque domum renavigant. Dum [c] Aemonae ſuperiori anno captae et munimentis firmatae pars Anglicae claſſis adhuc haereret, conſilium de recuperanda inſula regina inſtante initur: miſſus [d] Capella-Bironius cum [α] Villagagnoni trireme, qui, ut appropinquavit, quod ſcopulis undique emergentibus ulterius progredi non poſſet, ſcapham ſumit, et circundata inſula ac luſtrata ad ſuos rediit: poſtridie Deſſius conſcendit, regina ſpectante et ſingulos adhortante: litore vix tandem, gravi inflicto Capellae-Bironio vulnere, et [e] Deboria viro ſtrenuo a munitionis praefecto occiſo, potiuntur noſtri; moxque Anglos in altiſſimum inſulae angulum compulſos ad deditionem occiſo duce non ſine ſanguine coëgerunt, XVII, poſtea quam ab Anglis Ketha occupata fuerat, die. Angli circiter CCCC deſiderati; magna inſuper praeda capta, quam militibus ſumma liberalitate diſtribuit Deſſius: quo facto, exercitum Paulo [f] Thermo magni nominis duci nuper a rege in Scotiam miſſo tradit. Regem, ut id faceret, reginae et proregis literis ſollicitatum ſcribit Buchananus, quod dicerent Deſſium levibus ac nullius momenti expeditionibus magnos ſumptus facere, atque ex iis gloriam potius affectare, quam regni tranquillitati proſpicere: denique graviorem amicis quam inimicis eſſe, praecipue poſt Edimburgi ſeditionem, per quam Gallorum aucta inſolentia res non procul a pernicie ex inteſtinis odiis abeſſet, quamvis ejus auctores mox juſſu Deſſii capite luiſſe et abunde civibus ſatisfactum eſſe ſcribat [g] Bellovadius. Antequam adventaret Thermus, Jo. Monlucium [h] Valentiae epiſcopum, jam [i] Byzantina legatione feliciter adminiſtrata clarum, rex ad reginam miſerat, qui negotiorum regni procurationem ſuſciperet, ac cancellarii munere fungeretur. Quam tamen dignitatem, ſive Scotorum aemulatione, hanc gloriam in externum hominem non niſi ſummo gentis ſuae probro transferri exiſtimantium, ſive reginae ipſius ſuſpicacis foeminae invidia, quae ſibi a viro turbulento et contentionis cupido, ita eum obtrectatores fingebant, metueret, obtinere non potuit. Cum per hos dies haud procul a [k] Lethae portu VI ingentis magnitudinis ceti, quos alii thynnos, alii pelamidas eſſe falſo exiſtimabant, recedente mari in litore deſtituti eſſent, idque Scoti ſuperſtitione priſca decepti pro ſiniſtro augurio ducerent, vanum eorum metum ridens Monlucius fortunam Anglorum hac imagine repraeſentari dixit; qui quidem navibus in Scotiam veniſſent, ſed inſtar belluarum aeſtu reſorbente in ſicco relictarum, amiſſa claſſe ad internecionem brevi perituri eſſent: quod et eventu mox comprobatum eſt, VI Anglorum ſignis in Equitia inſula relictis.

CIↃIↃXLVIII.
HENRICUS II.

XVI. FUERE et alia alibi tunc prodigia. Nam in Carinthia non longe a [l] Clagenfurto et Villaco oppidis X Kal. April. horarum duarum ſpatio per duo amplius milliaria annonam pluit, ex qua regionis incolae optimum panem confecerunt, qui ad Caeſarem cum granis ſiligineis coelo delapſis perlatus et ſumma admiratione conſpectus eſt: quanquam Conradus Lycoſthenes id biennio poſt accidiſſe ſcribat. Jam olim Probi imperatoris temporibus in eadem Germania geminum huic prodigium contigiſſe narrat Zoſimus libro primo. Idem et quibuſdam [m] Aquitaniae noſtrae locis

VAR. LECT. [α] Villagagnonis P.

INTERPR. [a] *Iſle aux chevaux*, vulgo *Inch-Keith*. [b] *l'Iſle-Dieu*. [c] *Inch-Colm*. [d] *la Chappelle-Biron*. [e] *Desbories*. [f] *Paul de la Barthe, ſieur de Thermes* [g] *de Beaugué*. [h] *Valence en Dauphiné*. [i] *Conſtantinople*. [k] *Leith*. [l] *Clagenfurt, & Villach*. [m] *Guienne*.

locis accidiſſe in annalibus Burdigalenſium annotatum eſt a Gabriele [a] Lurbeo ad annum CIↃ CCCXXVIII. In Miſnia etiam XVIII Kal. Maii infans in lucem editur, diviſa fronte et cranio, ſine labiis, ſine aure dextra, ſine manibus denique et pedibus, tantum oris loco exiguum foramen habens, qui integrum diem vix fuit ſuperſtes. Lutetiae vero Pariſiorum in [b] San-Mederici vico pullus gallinaceus cum quatuor alis ac totidem pedibus, duobus item in uno corpore uropygiis natus, biduum integrum vixit, qui, modo ante, modo pone, ad dextram ac ſiniſtram, contrariis veſtigiis ſumma cum deformitate gradiebatur. In Anglia hoc anno ſolenne ſacrum publico decreto prorſus abolетur: quod cum Steph. [c] Gardinerus Wintonii epiſcopus minime probaret, domi ſe continere et publico jubetur abſtinere: cum vero ſententiam mutaſſe crederetur, poſtea dimiſſus eſt; ſed mox concione coram rege et proceribus palam habita cum priorem ſententiam conſtanter tueretur, et decreta, quae a tutoribus in ea regis adoleſcentuli aetate fierent, nullius eſſe momenti contenderet, in carcerem conjicitur, ac biennio poſt epiſcopali dignitate exuitur.

XVII. EXEUNTE Decembri Maximilianus Egmondanus [d] Burae comes, vir pace et bello magnus, ac propter magnificentiam et fidem Caeſari admodum charus, recenti adhuc auxilii tam opportuno tempore ad bellum Germanicum adducti memoria, [e] Bruxellis ex angina mortuus eſt; cum paulo ante ex Anglia rediiſſet, quo eum Caeſar ardente tunc in Aquitania ſeditione miſerat, ut cum [f] Somerſeto ac reliquis regni tutoribus ageret, ut tam pulchram occaſionem arriperent, et, ſine pactis nobiſcum induciis impoſito, conjunctis copiis bellum Galliae inferretur. Verum compoſitis repente praeter illorum ſpem domeſticis motibus, Caeſar poſtea id apud Henricum excuſavit, et alia ob negotia eo Buranum profectum multis et officioſis verbis conatus eſt oſtendere. Ferunt Buranum, jam deplorata ſalute, cum ei Andreas [g] Veſalius rarae doctrinae ac judicii medicus mortis horam ac paene momentum praedixiſſet, magno apparatu convivium inſtrui juſſiſſe, et omni gaza ac ſupellectile argentea expoſita amicos vocaſſe, quibuſcum menſae aſſidens dona liberalitate ſumma diſtribuerit, atque extremum vale nihil commoto animo dixerit; inde lecto impoſitum hora et momento a Veſalio praedictis exſpiraſſe. Hoc anno debitum naturae perſolvit Gregorius [h] Corteſius, a Paulo III in collegium cardinalium cooptatus, olim in S. Benedicti [i] Caſſinenſi coenobio profeſſus, et poſtea ipſius coenobii praeſul: qua ex eadem officina eodem tempore prodierunt Iſidorus [k] Clarius et Jo. Baptiſta [l] Folengius: is antiqua et nobili familia [m] Mutinae natus, ſed moribus ac erudito ingenio longe nobilior fuit; cujus tamen paucula ad nos monumenta pervenerunt, ab Herſilia Corteſia fratris filia diu poſtea publicata: obiit Romae XI Kal. Octobr. in baſilica XII Apoſtolorum perhonorifice ſepultus. [α] Ex eadem urbe Mutina natus Marius Molza eodem anno in vivis eſſe deſiit, verſibus Latina et vernacula lingua ſcriptis apud ſuos cum primis clarus.

XVIII. HOC etiam anno bellum contra Perſas a Solimano ſuſceptum eſt: de quo pauca admodum habeo, quae ſcribam, niſi quae in Annalibus Turcicis leguntur. Ii ergo memorant, Scacho Teemaſi Perſarum regi, qui Thamus Sophus aliis dicitur, fratrem Ercaſem Imirſem cognomento fuiſſe, qui Mediae ſummo cum imperio a rege praefectus ſit; cum certas ob cauſas a fratris amicitia diſceſſiſſe, et ad Solimanum transfugiſſe, ac ſe fidei ejus permiſiſſe; iter autem per [n] Circaſſorum fineis longis ambagibus, quod viae a regiis emiſſariis undique obſiderentur, ſecundum Caſpii maris litus Theodoſiam verſus, quae hodie [o] Caſa eſt, habuiſſe, atque inde Conſtantinopolim petiiſſe; ubi cum magno honore exceptus ampliſſimiſque praeterea muneribus

VAR. LECT. [α] Molzae elogium *deeſt* P.D.o.

INTERPR. [a] *de Lurbe.* [b] *rue S. Mederic.* [c] *Gardiner, evêque de Winchester* [d] *Buren.* [e] *Bruxelles.* [f] *le duc de Somerſet.* [g] *Veſale.* [h] *Cortez.* [i] *du mont Caſſin.* [k] *Clario.* [l] *Folengo.* [m] *Modene.* [n] *la Circaſſie.* [o] *Caſſa.*

muneribus a Solimano donatus, poſtremo ei auctor fuerit, ut in Parthiam cum exercitu deſcenderet: Solimanum ergo ab Ercaſe perſuaſum cum oumeroſis copiis in [a] Aſiam tranſmiſiſſe, IX die menſis Sepheris, anno Muhamedicae Hegirae [1] IƆ CCCCLV, quod menſi Junio ineuntis anni CIƆ IƆ LVIII putatur reſpoodere: cum recta io Parthiam duxiſſet, mox in hoſticum ingreſſum [b] Vani civitatem in Armeniae majoris finibus nullo negotio cepiſſe; in arcis vero obſidioue diutius haeſiſſe; qua tandem potitum, ad faciendas praedas, ut hoſtem ad proelium eliceret, militem late vaſtatum emiſiſſe: cum ouſquam interea Tecmaſes compareret, nuſquam conſpiceretur, noſquam ſe Turcis populabundis oppoueret, et interim Ercaſes nihil omitteret, ut ſuam fidem ac diligentiam Solimano approbaret, hinc inde cum ſuis excurreudo, et theſauris, quoſcunque nanciſci poſſet, ad Turcos delatis, tandem purpuratos et ceteros belli duces ac conſiliarios tam dioturni et infructuoſi belli pertaeſos ratiouem excogitaſſe, qua Ercaſem apud Solimanum calumniis traducerent, et de eo, ut belli tam damnoſi auctore, vindictam ſumerent: cum itaque cum falſis perfidiae criminibus ooeratum Solimano ſuſpectum reddidiſſent, ipſi conſilium dediſſe, ut lepore omiſſo canem, ita Ercaſem inuuebaut, caperet: Ercaſem vero, cum procerum coujuratiooem praeſenſiſſet, et vitae ſuae inſidias tendi animadverteret, graviter, ut par erat, animo perturbatum, poſtremo, ot ſaluti conſuleret, in arcem cujuſdam [c] Chaldaeorum reguli, de quo optime, ut ſibi videbatur, meritus erat, prae formidine coufugiſſe; ſed illum benefactorum immemorem, mutata Ercaſis fortuna pariter mutaſſe, et Tecmaſi ſupplicem hoſpitem prodidiſſe, quem rex cuſtodiae maucipatum in carcere aſſervari juſſerit: Solimanum vero, nulla alia re geſta, et inſumpto in ea expeditiooe anno ac oovem menſibus, non ſine gravi rerum ſuarum jactura Conſtantinopolim ſub anni ſequentis exitum rediiſſe. [α] Abſentia autem Solimani factum eſt, ut interea in [d] Pannonia Ferdinandus, quod id ſibi manentibus induciis licere [β] exiſtimabat, poſt Petri Perennii Pannoniae reguli obitum Agriam eelebre municipium ſui juris fecerit; uec multo poſt [a] Zabragium, Levam, Zythnam et Muranum Nicolai Salmenſium comitis, ſtrenui docis et bellis Pannonicis magnum nomen adepti, opera expugnaverit; quod magnarum calamitatum in Pannonia principium fuit, ruptis indociis, ut deinceps annis ſequentibus [γ] videbimus.

CIƆIƆXLVIII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] Haec ita in Turcorum annalibus referuntur Abſentia *P.*
[β] exiſtimaret *P. D. o. f.*
[γ] videbimus. Nunc ad hujus initium revertamur, qui fuit XLIX, et in quo deſiit illa, de qua modo diximus, Solimani expeditio Perſica. *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Natolia.* [b] *Van.* [c] *pays des Curdes.* [d] *Hongrie.*

NOT. [1] Le premier nombre IƆ CCCCLV eſt aſſez juſte; mais en l'autre il y doit avoir CIƆ IƆXLVIII, puiſqu'il traitte de cette année. Car l'Æra de Mahomet commence environ l'an IƆ CXXI; auquel adjouſtant les IƆ CCCCLV ans Arabiques, ici marqués de CCCLIV jours, font CIƆ IƆLXXVI; mais de IƆCCCCLV ans ſolaires, en oſtant un bon mois intercalaire de trois ans en trois ans, font environ XXVI ans, leſquels oſtés de CIƆ IƆLXXVI, reſtent CIƆ IƆL. Ainſi il faut qu'au premier nombre il y ait IƆ CCCCLIII, & au ſecond CIƆ IƆXLVIII. *Put.*

[a] Vel forſan *Zagrabiam.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXTUS.
EPITOME.

PHILIPPUS *ad patrem in Belgium venit; ubique a provinciae urbibus regia magnificentia exceptus.* II. *Senis res turbant.* III. *Soli in Germania Magdeburgici reſtabant a Caeſare proſcripti; qui, peti ſe cum viderent, apologetico ad commiſerationem et invidiam ſimul compoſito ſe purgant.* IV. *Moderandae amplitudini Lutetiae in immenſum ſe effundentis lata lex. Renovata contra Lutheranos ſupplicia. Odoardi Biezii E. T. cauſa agitata et Jacobi Cuciaci Vervinii generi: uterque ob amiſſam Bononiam tunc damnatus, et poſtea utriuſque reſtituta memoria.* V. *Anglicana diſſidia inter Somerſetum, et Thomam fratrem, maris praeſectum, qui adfectati regni accuſatus capite luit. Martinus Bucerus et Paulus Fagius Argentina a Thoma Cranmero Cantuariae archiepiſcopo accerſiti. Ipſe Somerſetus in carcerem truſus.* VI. *Cum Helvetiis Gallicum ſoedus renovatur.* VII. *Apud nos varia varie decreta. Leges Salinariae per Aquitaniam ſancitae. Duplicata equitibus ſtipendia, populi levamento.* VIII. *Margaritae Navarrae Franciſci ſororis ac regis amitae obitus et elogium: Chriſtinae Heſſi uxoris: Jacobi Ziegleri, Lindavia ad Acronium lacum nati.* IX. *Motus in Italia, Genuae et Parmae.* X. *Pauli* III *mors, virtutes, ſecus facta. Sciſſum factionibus collegium in eligendo novo pontifice. Jubilaeus annus, et ejus origo. Tandem Julius* III *creatus; qui ſtatim principatus ſui initio ſpecimen animi ſui dedit.* XI. *Leges graves a ſenatu additae in promulgatione diplomatis pontificii de Remenſi academia a Carolo cardinali Lotaringo inſtituta.* XII. *Petrus Lizetus primarius praeſes a Pictavienſi et Lotaringo magiſtratu motus: ac mox Fr. Olivarius cancellarius domum relegatus.* XIII. *Pax inter regem et Anglos. Bononia a rege recepta.* XIV. *Edictum grave contra ſcribas pontificios, ut crebris falſitatibus occurreretur: ad quod cum Car. Molinaeus juriſconſultus liberius ſcripſiſſet, paternum ſolum vertere pro tempore coactus eſt.* XV. *Carolus Coſſaeus Briſſacus in Subalpinam provinciam cum ſummo imperio miſſus et E. T. creatus.* XVI. *Valdenſium provincialium cauſa in ſenatu Pariſienſi agitata: eorum origo jam a primis initiis repetita, doctrina, mores, mala Franciſco* I *rege fortuna, et ſevera contra eos judicia. Alenii cum Barth. Chaſſanaeo primario praeſide ex occaſione ridiculae murium cauſae in graviori altercatio: exitus cauſae non reſpondet publicae exſpectationi.* XVII. *Caeſar Belgio ad Imperii Ordines dat literas, quibus et de egregia novi pontificis voluntate fidem facit, et comitia Auguſtae Vindelicorum indicit. Magdeburgici altero apologetico ſe purgant. Argentinenſes tumultuantur. Edictum de libris Lutheranorum.* XVIII. *Brunſvica in Saxonia ab H. Brunſvico obſeſſa; ac mox obſidio ſoluta, copiis ad Magdeburgum oppugnandum traductis. Mauritius Saxo ſeptemvir bello ſummus dux delectus, qui Heidecum et alios militareis tribunos ſibi clam conciliat.* XIX. *De concilio variae in comitiis concertationes, et principum pro Heſſi libertate deprecationes.*

deprecationes. XX. *Anglicus ſudor.* XXI. *Ulrici Wirtembergici mors.* *Jo. Vaſaei, Jo. Pierii Valeriani* [α] *et Georgii Triſſini obitus.*

EX AUCTORIBUS,

Jo. Sleidano, Cornelio Grapheo, Actis publicis, et Curiae Pariſienſis, Georgio Buchanano, Nic. Sandero, Jo. Bapt. Hadrianio, Lud. Beccatello, Car. Molinaeo, Blaſii Monlucii commentariis, Vido Perpiniano, Gregorio IX. Jo. Zonara, Vincentio Bellovacenſi, Philippo Bergomate, Barthol. Chaſſanaeo, Seb. Beſſelmeiero, Hippocrate.

LIBER SEXTUS.

JAM tempus appetebat, quo Caeſar Philippum filium Bruxellis exſpectabat: verum ille ſerius [β] ac diu poſt venit: per [a] Oenipontem, [b] Monacum Vindelicorum, Ulmam, Heidelbergam, [c] Spiram Nemetum cum iter habuiſſet, quibus omnibus locis a Ferdinando patruo, Alberto Baioaro, Palatino, et civitatibus magnifice exceptus eſt; demum per Lotaringiam, Lucemburgum, [γ] tandem Bruxellas Kalendis April. comitatu magno pervenit. Parens ei inſignem equitatum in Germaniam uſque obviam miſerat, ductore [δ] Philippo [d] Croio Arafcoti duce. Igitur Philippus a patre peramanter atque indulgenter acceptus, cum apud eum pro [e] Heſſo Mauritii generi rogatu interceſſiſſet, ambiguo ac fraudulento reſponſo, fraudis ipſe, ut creditur, patri particeps, Mauritium eluſit; nimirum ſibi liberaliter promiſiſſe patrem; ideo bene ſperare in poſterum jubere, modo monenti credat, et rem diſſimulet, neque ullam offenſionis ſignificationem ob dilationem nimiam oſtendat.

II. INTEREA pontifex, cui propior ſuorum quam reipublicae cura, jam non ſolum de recuperanda [f] Placentia ſolicitus, ſed de [g] Bononia et Peruſia conſervanda anxius, diverſas in cogitationes animo rapiebatur. Nam inde Bentivolii, Herculis Ferrarienſis opibus ſubnixi, Bononiae, ab ejus poſſeſſione non ita pridem a Julio II dejecti; inde Rodulphus [h] Baleonus Peruſiae, unde majores ſuos a Leone X nuper expulſos meminerat, totis animis et viribus imminebant: et hic quidem in Peruſinum agrum procul dubio impetum feciſſet, niſi a Coſmo Florentinorum duce, cujus auxiliareis copias ante biennium in Germaniam ad Caeſarem duxerat, diſſuadente, et tutiora in poſterum pollicente, revocatus fuiſſet. Cum vero [i] Senarum ditionem Parmae ac Placentiae loco a Caeſare compenſatione accepturum ſe hactenus ſperaſſet pontifex, nam de eo negotio, rebus adhuc Hiſpanorum dubiis, jamjam morituro ſeni a Caeſarianis miniſtris ſpes injecta fuerat, tandem deluſum ſe ſero animadvertit. Tunc enim res Hiſpanorum ea in urbe confirmatae ſunt, et ad majorem ſecuritatem mutata reipublicae forma a Didaco Hurtado Mendoza, qui ultra praeſidium antea introductum CCCC Hiſpanos ex [k] Inſubribus evocatos, quaſi [l] Neapolim ituros, in [m] Camolliano ſuburbio ſubſiſtere juſſerat, iiſque in Dominicanorum fano, quod in tumulo poſitum urbi imminet, ejectis fratribus, diverſorium attribuerat, aperta ab ea parte, qua Florentiam itur, urbe, ut introire et exire cum vellet tuto ſuis liceret. Rempublicam vero ita

ordinaverat,

VAR. LECT. [α] et Georgii Triſſini *deſunt in editione Rob. Stephani.* [β] neque diu *P.* [γ] et mox tandem *P. D. a. f.* [δ] Crouiaco *P.* Croo *D. o.*

INTERPR. [a] *Inſpruck.* [b] *Munchen,* ou *Munick en Baviere.* [c] *Spire.* [d] *de Croy, duc d'Arſcot.* [e] *le Landgrave de Heſſe.* [f] *Piacenza.* [g] *Bologna, & Perugia.* [h] *Baglione.* [i] *Siene.* [k] *le Milanois.* [l] *Naples.* [m] *nel borgo di Camollia, & nel convento di S. Domenico*

Digitized by Google

CIƆIƆXLIX.
HENRICUS II.

ordinaverat, ut ex XL civibus, penes quos ſumma rerum erat, qui a quatuor montibus deligebantur, ipſe Caeſaris nomine XX arbitrio ſuo imponeret: ultra hos in ſingulos annos VIII ex praecipuis civibus ſumerentur, qui de rebus ad civitatis ſtatum pertinentibus ad concilium XL virorum referrent: cumque res ejuſmodi incidiſſet, quae aut ſecretum aut majorem diligentiam requireret, V ex iis de ea ſtatuere poſſent; eos autem deligendi Caeſari, aut ei, qui Caeſaris in republica parteis fungeretur, intra proximum triennium jus eſſet. Sic urbi impoſita veluti arce, et ſumma rerum auctoritate ad ſe contracta, apparebat, Caeſarem omnino in animo habere Senas retinere. Itaque pontifex, qui verba ſibi a Caeſare dari videret; et a [a] rege, qui, cum [a] Taurini eſſet, nuper ad eum Claudium [b] Albaſpineum ab epiſtolis Romam legaverat, res in longum extrahi doleret; ut non tam Caeſaris voluntati, quam ſuae exiſtimationi in religionis negotio ſatisfaceret, [c] Veronenſem, [d] Fanenſem et [e] Ferentinum epiſcopos, quos pridie Kalend. Septembr. anno ſuperiore ad Caeſarem deſtinaverat, hoc demum anno legatos miſit. Ii ſerius profecti VIII Kal. Junias tantum in [f] Belgium [g] cum his fere mandatis pervenerunt, pontificem, partim ſua ſponte et pro paſtoralis muneris neceſſitate, partim Caeſaris rogatu, ex collegarum conſenſu legatos in Germaniam miſiſſe, qui ad eccleſiae gremium redeunteis recipiant, et ipſis omnia laeta de ejus benignitate polliceantur, modo leges accipiant, non autem praeſcribant: hoc vero beneficium omnibus in univerſum impertiri, nullo pravae opinionis crimine excepto, quamvis in eo per multos annos perſeveraverint; ea lege, ut, qui ea peſte infecti fuerint, ſuum errorem apud ſacerdotem orthodoxum profiteantur juxta praeſcriptam poenitentiae formulam; publicam proinde confeſſionem, abjurationem et ſatisfactionem jure praefinitam ipſis omnino remittere; poteſtatem inſuper facere legatis, ut eos, qui pacto aut jurejurando aut quovis alio modo Lutheranis obſtricti ſint, iis vinculis ſolvant; monachos in haereſim lapſos et extra coenobia ſua vaganteis in eccleſiam admittant, iiſque reſumpto priſtino ſuo amictu ſuum munus, ut ante, in eccleſia fungi concedant; eſu lactis, caſei, butyri, ovorum et carnium, habita locorum et hominum ratione, permiſſo: coenae Dominicae integrae uſum iis permittant, qui ceteris abjuratis erroribus concilii Conſtantienſis decreto ſubſcripſerint, atque ſub altera ſpecie tantum, quantum ſub utraque, ſumi, quique eccleſiam ob factum de una ſpecie decretum non erraſſe palam declaraverint; quod tamen ad tempus conceſſum intelligatur, et ita, ut illi ipſi, qui ita ſument, ſeorſim ab aliis, neque tunc, cum aliis ſub una ſpecie tantum miniſtratur, ſumant: additum, ut cum ſacrorum bonorum uſurpatoribus et poſſeſſoribus de fructibus perceptis atque conſumptis tranſigere poſſint, modo in poſterum eccleſiaſticis poſſeſſionem vacuam relinquant, ad idque contumaces cenſuris cogant, implorato etiam civilis magiſtratus auxilio; et, ut res commodius ac celerius executioni demandetur, per Germaniam alios epiſcopos delegent ac ſubſtituant. Ex eorum numero Argentinenſis fuit, cui ſacerdotes, qui defecerint, in gratiam recipiendi datur poteſtas; modo uxores a ſe removeant et omnino expellant. Hujus rei publicum diploma cum Caeſar ad Germaniae epiſcopos miſiſſet, et, ut placide ac ſine vi, precibuſque et adhortationibus potius quam exſecrationibus ac minis, experirentur, ſeparatim omneis commonuiſſet, Moguntinus, qui, ut Colonienſis ac Trevirenſis, provincialem ſynodum nuper habuerat, ad Heſſi praefectos ac conſiliarios ſcribit, et de ſolicitudine paſtorali ſua ac Caeſaris egregia voluntate multa praefatus petit, ut concionatoribus ſuis formulam a pontifice praeſcriptam exhibeant, eique omnes parere jubeant: quod illi facere recuſarunt; ſuam quippe doctrinam cum prophetarum

et

VAR. LECT. [a] Gallo, P. D. o. f. d. [g] cum mandatis pervenerunt, quibus exponebatur, pontificem P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Turin.* [b] *l'Aubeſpine, ſecretaire d'etat.* [c] *di Verona.* [d] *di Fano.* [e] *di Ferento*: Hadriani l'appelle *il veſcovo Pighino.* [f] *Pays bas.*

CIↃIↃXLIX.

HENRICUS II.

et apoſtolorum teſtimoniis conſpirare; et, quamvis vita a profeſſione diſcrepet, quod ingeoue agnoſcant, et infirmitati ſuae condonari petant, nullum tamen errorem io doctrina, quam profiteantur, agnoſcere: nihil igitur opus eſſe gratia ac largitate pontificis Romani; neque vero ſe uxores ac liberos deſerere poſſe, quos diligendos et cura ac benevolentia complectendos didicerint, auctore Chriſto, qui conjugium ampliſſimo elogio cohoneſtaverit, et illud impuro coelibatui praetulerit, cum melius eſſe nubere quam uri per Paulum praecipit: fruſtra etiam improbari, quod io eccleſiis ſuis integrae coenae uſus omnibus permittitur; id enim juxta Chriſti mandatum et veteris eccleſiae morem fieri, nec eſſe quod in eo mutationem ullam recipiant: parum profectum iis aut ſeris aut minus idoneis remediis. Interea Caeſar filium per Flandriam, [a] Hannoniam, [b] Atrebates circumducit; in ejuſque fidem populos jurejurando adigit: tandem uterque [c] Antuerpiam Eid. Septembr. venit; ubi magnifico ſupra fidem apparatu, noo a civibus tantum, ſed etiam ab externis mercatoribus, Hiſpanis, Italis, Germanis, Anglis exceptus eſt. Quae omnia ſingulari libro [d] Corn. [1] Scribonius Grapheus diligenter perſecutus eſt, ut pauca de iis dicere infra rei dignitatem ſit. Magna quoque pecunia praeſtationis gratuitae nomine [α] exacta. Inde Philippus a Maria Hungariae et Helionora Franciae reginis viduis amitis per reliquas Belgii urbeis deductus; atque inprimis [β] [e] Bincii a Maria honorificentiſſime acceptus eſt, ubi illa palatium regali ſumptu et magnificentia antiquis operibus uodique conquiſitis exſtrui curaverat.

III. FLORENTIBUS utriuſque rebus, patris inquam, et filii, qui de ſua fortuna mirificam in illa jam aetate ſpem apud omneis excitarat, [f] Magdeburgici et Bremenſes in Germania ſuperabant, qui ſeu conſtantia ſua ſeu pertinacia efficiebant, oe plenam de domitis illis provinciis victoriam reportaſſe Caeſar diceretur. Ac Magdeburgici quidem antea proſcripti crebris etiam tunc edictis urgebantur, ſolicitatis de auxiliis contra ipſos Saxoniae Ordinibus: nec abnuebant plerique, ſed, ut reliqui Imperii Ordines idem facerent, poſtulabant. Itaque licet noodum palam oppugnarentur, in magnis tameo anguſtiis verſabantur; quippe cum in eos tanquam proſcriptos quiſque fortunam impune experiretur. · Cum igitur antea Senatus de vi et injuria conqueſtus eſſet, poſtremo ad omneis in univerſum ac praecipue ad finitimos edito ſcripto jactatas criminationes diluunt; et, Immerito accuſamur, inquiunt, quod pacem repudiemus, et totius Germaniae quietem contumacia noſtra turbemus. Magna illa crimina, et quorum poenis, ſi quidem vera ſint, ſuſtinendis pares eſſe non poſſimus. Nam quid mali civile bellum ſecum trahat et omnes ſciunt et nos jam noſtro periculo nimis experti ſumus. In ambitioſos et perditae vitae homioes, quibus omnes, in perturbatione publica, ſpes ac fortunae ſitae ſunt, ſuſpicio cadere poſſit: de nobis, quorum opes pace et ſub legibus creverunt, oihil tale probabili ulla ratiooe cogitari poteſt aut debet. Pacem et foedera cum vicinis urbibus ac populis colere nobis aequum et honeſtum; utriſque vero ſumme utile ac oeceſſarium eſt. Nec vero ſimile fit, oos cum illis, quorum amicitia non ſolum utilis, ſed etiam neceſſaria nobis eſt, cupere ultro bellum gerere. Nec ignoramus, noſtrarum oon eſſe virium tam potenti principi reſiſtere, qui tot adoreis mactus victoriam et omoeis imperii opes ſecum trahat. Non ea caecitas, non vecordia eſt, ut ſponte in apertum exitium prudentes videnteſque praecipiteis nos demus, vitae, dignitatis ac denique fortunarum aleam ſubituri. Nos vero omnem viam rei amice tranſigendae hactenus inivimus;

VAR. LECT. [α] exacta. Dein a Maria *P.D.o.* [β] Balnei, vulgo Bincii *P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *Hainaut.* [b] *Artois.* [c] *Anvers.* [d] *Corneille Grapheus, ſecretaire de la ville d'Anvers.* [e] *Bins.* [f] *ceux de Magdeburg & de Bremen.*

NOT. [1] Dele *Scribonius.* Put.

CIↃIↃXLIX.
HENRICUS II.

inivimus; neque quidquam praetermiſſum eſt, quod ad placandum nobis Caeſarem pertinere exiſtimaremus, aut quod ipſum cauſae noſtrae reddere aequiorem poſſet. Nam et eum ſemper pro ſummo magiſtratu coluimus, et, ne quid in ipſum aut ceteros Imperii Ordines verbo aut facto peccaretur, quo offendi poſſent, graviſſimis poenis propoſitis, quantum in nobis fuit, prohibuimus. Cur ergo armis petimur? Cur tanquam rebelles ac perduelles edictis proſcribimur? Cur omnibus omnium injuriis expoſiti etiam amicis ad praedam proponimur? Nam quae objiciuntur hoſtiliter facta, ea defenſionis ergo, et ut vim illatam contraria vi propulſaremus, et imminenti periculo praeverteremus, a nobis facta ſunt. Aedificia quaedam vicina diruimus: haud diffitemur. Caſtella etiam aliquot, oppidula ac vicos armis occupavimus: an crimini verti debet, quod ad injuriam repellendam actum eſt? Crudelia illa et iniqua quae prima ſpecie videntur, neceſſariae defenſionis excuſatione abunde ſe apud aequos judices tuentur. Quid ſi, ne in exteras manus devenirent, ea occupavimus? Accuſari propterea an potius laudari meruimus? Atqui potius ab illis ipſis, quorum ea ſunt, gratiae agi debuerunt; quibus res ſalva eſt, et quibus non recuſamus omnia reſtituere, modo pacem colant, neque in nos quidquam in poſterum moveant. Quid eſt ergo quod tam infeſtis animis nos proſequuntur? Nam abſurdum eſt atque adeo injurioſum de injuriis eorum queri, qui praeter jus omni injuriarum genere obruuntur. Nimirum religio petitur. Hoc eſt cur rebelles, cur perduelles vocamur, imperii edictis proſcribimur, ad perniciem et internecionem deſtinamur. Quo magis miramur, illos, qui nobiſcum idem in religione ſentiunt foedere et antiqua neceſſitudine conjuncti, nos in manifeſto ac communi diſcrimine non ſolum deſerere, ſed etiam bello perſequi; neque videre arma in nos ſumpta in ipſos tandem recaſura eſſe; atque a nobis fieri initium, ut, qui univerſi vinci ſimul non poterant, ſinguli ac ſeparatim facile ſuperentur. Non enim jam latere poſſunt aſtus inimicorum, qui ſuperioribus annis datis ad Helvetios, ad Proteſtanteis, ad Bohemos atque alios literis religionis cauſam non agi, ſed in perduelleis ſuſceptum bellum jactabant: nam contrarium non ſolum exitus poſtea docuit, ſed dum Caeſar adhuc in ea diſſimulatione eſſet, et plerique partim ſimplicitate decepti, partim ſponte ambigerent, Romanus pontifex evulgato jam ante foedere nullum dubitationi locum reliquerat. Itaque et Jo. Brandeburgicus et [a] Bipontinus princeps opinione et ſpe ſua falſi Caeſarem de fide data interpellarunt, et ſero errore animadverſo domum indignabundi abierunt; quippe cum nullum alium hujus belli et victoriae fructum viderent, quam ut libertate Germanica oppreſſa etiam animis ac conſcientiis compedes injicerentur. Ac de bonis quidem et fortunis quamvis certamen juſtum eſſet aut ſaltem excuſabile, ſi privilegia atque immunitates, quas ab Othone glorioſiſſimo principe accepimus, quaſque conditionibus propoſitis eripere nobis Caeſarem in animo habere cernimus, armis tueri ac conſervare vellemus, tamen ut tranquillitatis publicae nos potius habere rationem, quam ad privatum commodum ſpectare, omnibus appareat, ultro ac libenter de jure noſtro remiſiſſemus, modo id ſalva conſcientia licuiſſet. Nunc bello abſumptis ac direptis facultatibus, etiam vis animis et mentibus infertur. Quid enim formula illa Auguſtana aliud agitur, quam ut pontificiae auctoritatis jugum, quod adeo generoſe excuſſimus, rurſus cervicibus noſtris imponatur? ut errores nuper detecti et certis ſcripturae teſtimoniis revicti iterum in domum Dei invehantur? ut tot annorum contentionibus ac laboribus parta libertas turpi obſequio ac morigeratione, quae non ſolum ad noſtrum dedecus, ſed ad Dei ignominiam et offenſionem [α] pertinet, corrumpatur et penitus amittatur? At enim aliorum exemplo cedere tempori, et tranquillitati publicae conſulere

VAR. LECT. [α] pertineat *P.D.o.f.*
INTERPR. [a] *le duc de Deux Ponts.*

conſulere nos decuit. Id enim maxime omnium urgent adverſarii; in eoqoe criminationum ſuarum veluti arcem conſtituunt. Verum id in ceteris, quae ad fluxae hujus vitae commoda pertinent, [α] locum habere poſſit: ad ea vero, quae Dei gloriam ſpectaot, minime porrigi debere ooo ambigitur. Hoc eoim nos magna illa veteris eccleſiae lumina Joannes Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius docuerunt; teſtimonioque B. Petri, cujus ille, qui nos per Caeſarem oppugnat, ſe immerito ſucceſſorem jactat, confirmarunt, Deo, non hominibus, in iis quae Dei ſunt, parere homines debere admooentis. Itaque et in veteris eccleſiae annalibus legimus, Gordium Caeſarienſem, qui ſub Licinio Imperatore Ordines duxit et poſtremo verae gloriae corona inſignitus eſt, cum ad ſupplicium raperetur, rogatum ab amicis, ut periculi evitandi gratia ſententiam retractaret, reſpondiſſe, non oportere linguam in contumeliam ejus, qui eam creaſſet, quidquam pronunciare. Et Baſilius magnus hanc etiam civi ſuo laudem tribuit, quod, cum moneretur, ut de Deo, quod vellet, ſentiret, ceterum in ſinu tegeret, neque motum animi palam evulgaret, monitorem aſpernatus ſit; veritatem non ſolum ab iis prodi dictirans, qui eam deſerunt, ſed etiam ab illis, qui eam agnitam non audent publice profiteri: id enim exemplo Danielis confirmari, qui contra Darii regis edictum magno et conſtanti animo apertis feneſtris verum Deum adoraverit, cum id privatim et clanculum facere poſſet; verum, quod ea res ad divini Nominis gloriam pertineret, nullam inſtantis periculi rationem habuerit, quod ei ab Invidis et aemulis conflatum poſtea Deo ita volente in ipſorum caput recidit. Valeanr ergo, qui nos facto Chriſtum agnoſcere, verbo autem rejicere ſuadent. Quid enim magis pudendum, quam nomen ejus erubeſcere, qui mundum condidit, qui nos ad imaginem ſui creavit, tot beneficiis licet indigoos cumulavit; per quem vivimus, ſpiramus; cujus denique nos hereditas ſumus? Haec ſumma eſt accuſationis. Videte nunc, o qui non omnino iniqui eſtis, quam immerito apud vos traducamur; quam injuſte nos armis perſequantur, qui tranquillitatis publicae ſpecioſum nomen obtendunt. Quapropter oramus omneis et obnixe admodum obteſtamur, tam qui oobiſcum idem in religione ſentiunt, quam ad quos juſtiſſimae hujus querelae vox perveniet, ur vota, ſuffragia, lachrimas conſocient, quibus iram victoris flectere, et hactenus infeſtas nobis ipſius aureis in poſterum benigniores reddere poſſimus. Id et humanae conditionis vioculum et communis patriae calamitas exigit; quae utraque magnam cum religione et pietate communionem habent. Quod ſi impulſu ejus, qui has turbas ciet, qui tanquam rugiens leo ovilia circuit, qui ex publica rerum perturbarione commodum captat, Caeſar, cujus ſecundum Deum omnia noſtra ſunt, inexorabilis eſſe pergar, [β] vos ſaltem arma, vim, injuriam abſtinete. Nihil enim legitimi magiſtratus auctoritas vos permovere debet, ubi manifeſta Dei offenſio cernitur. Mauritii ioprimis et Thebaeae legionis exemplum io memoriam revocate: ii enim quam virtute bellica tam pietate inclyti milites, cum conrra imperii hoſteis ſemper fortiter ac gnaviter ſe geſſiſſent, ad omnia ducum dicto audientes, [γ] in quibus Dei gloria vertebatur, Deo quam hominibus obedire maluerunt; et, ut hanc inconcuſſam animi conſtantiam retinerent, nulla ſupplicia horruerunt. Quod ſupereſt, nobiſcum, ſi non arma adverſus implacatos hoſteis, at preces apud Deum conjungite, ut is pro ſua ineffabili clementia et miſericordia ad res noſtras reſpiciat; regum ac magiſtratuum, quorum mentes, conſilia, affectiones in ipſius poteſtate ſunt, moderetur, flectat, molliat; corda noſtra ad veram poenitentiam inclinet; calamitoſos et bonis ſpoliatos atque ob purioris doctrinae profeſſionem huc illuc cum uxoribus, liberis atque omni familia exulanteis conſoletur, et mutuis chariratis ac pietatis officiis ſublevet; atque, ut in eo laudabili

propoſito

VAR. LECT. [α] uti jam diximus, locum *P. D* o f. [β] vos ſaltem *deſunt* *P. D.* o f d.
[γ] in iis, in quibus *P. D.* o. f.

CIↃIↃXLIX.
HENRICUS II.

propoſito ad extremum uſque ſpiritum perſeveremus, efficiat; noſque omneis adverſus externos generis humani hoſtis impetus et aſtus interno Spiritus ſui robore et prudentia muniat. Hac oratione, quae ſtatim evulgata ad omneis Imperii Ordines miſſa eſt, factum, ut mitigatis pro tempore animis, a vi aperta eo anno temperatum ſit, Caeſare abſente et langueſcentibus vicinorum odiis; donec anno ſequenti redintegratis conſiliis et renovatis factionibus in eos publice bellum decretum eſt; cujus exitus is fuit, ut, quod de conſiliis olim contra Danielem initis praedixerant, arma contra ipſos ſumpta tandem in Caeſaris caput verterint.

IV. IN Gallia interea, ut in Belgio, annus a publicae laetitiae feſtivitatibus ac ludicris inchoatus, quaedam etiam ſeria et triſtia admiſta habuit. Jam ante menſe Novembri rex edicto ſanxerat, ne cui liceret extra ſuburbia aedificare, ne magnitudine jam ſua laborans Lutetia in immenſum exereſceret. Legi cauſam dedit, quod, ex pagis et oppidis vicinis illuc propter loci commoditatem et immunitates confluente populo, agri vicini et oppida deſerebantur, et ii, qui domi remanebant, tributis ac vectigalibus exſolvendis impares ultra modum onerabantur. Accedebat ad hoc, quod, qui alicui arti ſub opificibus operam dabant, antequam periculo artis facto adprobati fuiſſent, dominis relictis in ſuburbia ſecedebant, ubi nullo artis periculo facto tabernas aperire et merceis extrudere illis jus erat. Praeterea maleficorum, ganeonum, et otioſorum hujuſcemodi hominum colluvies iſtic per luſtra et popinas tanta multitudine nidulabatur, ut non ſolum privatus quiſque, ſive ab exemplo ſive a maleficio, ſed etiam civitas ipſa ſibi jure metueret. Ea lex in ſenatu XVI Kal. Febr. recitata eſt. Demum III Non. Febr. ad Sangermanum regi filius naſcitur, cui nomen ac titulus Ludovico [a] Aurelianenſium duci fuit attributus; ac XIV Kal. Junias ſacro lavacro ibidem abluitur. Fidejuſſere Conſtantinus [b] Bracantiae ducis frater Joannis [c] Luſitanorum regis nomine, et [d] Aumalius pro Hercule [e] Ferrarienſium duce, Anna item [f] Ateſtina Aumalii uxor pro Maria Scotorum regina. Is vix trimus poſtea deceſſit. Jam ante rex urbem in armis ingredi decreverat, et haſtiludium magno paratu celebrare, cui poſtremo diem dixit IX Kal. Quintil. A reginae coronatione initium pomparum factum, cui IV Eid. Junias diadema more ſolemni [g] Sandionyſii impoſitum eſt, praeeuntibus Lud. Borbonio, Carolo [h] Vindocino, Philippo Bononienſi, Odeto Caſtellionaeo et Carolo Guiſiano cardinalibus: nam [α] ceteri Romae commorari juſſi fuerant. Sexto poſt die regia ac militari magnificentia rex magno primariae nobilitatis numero circumfuſus Lutetiam [β] intrat: ac biduo poſt regina in lectica item urbem ingreſſa eſt, eo magnificentiore apparatu, quod muliebreis pompas major luxus comitari ſolet. Haſtiludio deinde die condicta factum initium, propugnantibus Aumalio, Rob. [i] Marciano Sedanenſi et Santandreano equitum tribunis, Cl. [k] Guſerio Boëſio Franciae hipparcho, Gaſpare [l] Saulio Tavanio et Philiberto [m] Marſilio [γ] Sipetra, L equitum ductoribus. Primus rex ipſe eos oppugnavit pedes et eques, magno utrobique virtutis et tractandorum armorum peritiae de ſe ſpecimine dato: dein Ant. [n] Borbonius Vindocinus ac reliqui poſt eum principes et proceres, ſecundum leges haſtiludii praeſcriptas ac publicatas. Id frequenti theatro celebratum XV dierum ſpatio, ſpectante regina et foederatorum principum legatis. VI Non. Quintil. rex, agnatis principibus, cancellario ac libellorum ſupplicum magiſtris comitantibus, in palatium, ubi ſenatus habetur, venit; et in aurea camera [o] juſtitiae lectiſternium, quod vocant, celebravit. Dies ſequens naumachiam

VAR. LECT. [α] ceteri, uti diximus *P. D. o. f.* [β] ingreditur *P. D. o f.* [γ] Cipetra *P.*

INTERPR. [a] *d'Orleans.* [b] *Bragance.* [c] *Portugal.* [d] *François de Lorraine, duc d'Aumale.* [e] *Ferrare.* [f] *d'Eſte.* [g] *S. Denis.* [h] *les cardinaux de Vendoſme, de Boulogne, de Chaſtillon, & de Guiſe.* [i] *de la Marck prince de Sedan, & le mareſchal de S. André.* [k] *Gouffier de Boiſy, grand ecuyer.* [l] *de Saulx, ſieur de Tavannes.* [m] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [n] *de Bourbon, duc de Vendoſme.* [o] *lict de juſtice.*

naumachiam exhibuit, concurrentibus XXXII triremibus ad id inſtructis inter [a] Lupatinam, in qua caſtellum exſtructum erat, et [b] Vaccinam inſulas: poſt longum certamen, ſpectantibus rege ac regina ex navigio ad ripam, quae Coeleſtinorum coenobium ſpectat, ad id deſtinato, diſploſis magno ſtrepitu utrinque tormentis, caſtelloque expugnato, multa jam nocte diſceditur. Poſtridie ſupplicationes publice habitae, pro regis ac regni incolumitate, pro Franciſci parentis ac majorum ſuorum manibus; item, ut eccleſiae concordia ſarciretur, et a pravis erroribus, a quibus rex ſe abhorrere edicto profeſſus eſt, prorſus repurgaretur. A [c] Pauli ſano, quod proxime a [d] Turricularum palatio, ubi tunc aula diverſabatur, aberat, ad [e] Mariae aedem ſacerdotali pompa itum eſt. Ibi celebrato ſacrificio, cum in epiſcopi aedibus rex publice epulatus eſſet, poſt prandium, dum Turriculas redit, [aliquot ob Lutheri doctrinam ad ignem damnatorum ſupplicium ſpectavit, quorumdam qui in ejus comitatu erant inſtigatu,] cum alioqui mitiſſimus regis animus ab omni crudelitate penitus abhorreret; cujus [α] violenta regni initia, cum ſuperiore anno reſediſſe quodammodo viderentur, hoc anno veluti recruduerunt. Nam [f] Odoardus Biezius equitum tribunus, qui, quod orae maritimae a Franciſco praefectus male rem adminiſtraſſe diceretur, accuſatus jam a multo tempore carcere attinebatur; cum cauſam judicibus non probaret, tunc damnatur, et ei, [g] conchyliati ordinis inſigni adempto, honos abrogatur, perpetuoque carceri mancipatur: poſtea regis clementia ſolutus cuſtodia, in aedibus ſuis in [h] San-victoriano ſuburbio, ex moerore animi deceſſit. Vir ſtrenuus ac pugnax, ſed qui prudentia ac conſilio minus valeret, et cui generi culpa potius quam ſua nocuit: is fuit Jacobus a [i] [β] Cuciaco Vervinius, qui menſe Junio ob Bononiam Anglis praeter ducum ſententiam et oppidanis reclamantibus deditam damnatus capite luit: quod ipſe confeſſione ſua ignaviae, quam proditioni cujus inſimulabatur, tribui maluit. Verum poſtea Jacobus ejus filius, illuſtris adeo familiae ac tot meritorum erga Galliae reges contemplatione, ab Henrico III impetravit, ut, Biezii et patris teſtituta memoria, ſententia contra eos, non a ſenatu ſed a delegatis judicibus lata, aboleretur: ejuſque rei diploma in ſenatu recitatum eſt Kal. Octobr. anno hujus ſaeculi LXXV; et magna pompa utriuſque funus celebratum, cui regis juſſu fecialis [k] Valeſius, quod non niſi in illuſtrium virorum exequiis fieri ſolet, interſuit.

CIↃIↃXLIX.

HENRICUS II.

V. INDE rex in Bononienſem agrum ex ea occaſione copias duxit, quod, Anglia domeſticis diſſenſionibus vexata, feliciorem ſucceſſum ſperaret. [l] Somerſetus prorex Thomam fratrem maris praefectum, qui Catharinam [m] Parram Henrici regis nuper mortui viduam in uxorem duxerat, orta ex aemulatione muliebri inter eos invidia, quaſi de adfectato regno ſuſpectum in carcerem trudi juſſerat; et, ut in rebus, quae ad rempublicam ſpectant, ea gens praeceps ac praepoſtere ſevera eſt, tormentis ſubjectum ac tandem Hugone [n] Latimero ſuggerente capitis damnatum XIII Kal. Aprilis ſecuri percuſſerat. Tunc etiam Thomas [o] Crammerus Cantuarienſis praeſul atque Angliae primas, cum videret viros doctos in Germania periclitari, crebris literis impetravit, ut Martinus Bucerus et Paulus Fagius, de quibus ſupra locuti ſumus, in Angliam venirent. Illi de ſenatus [p] Argentinenſis voluntate Kal. April. ſe dant in viam: et in Anglia a rege puero et proceribus ſumma benevolentia accepti, cum apud

P. [*quorundam, qui ob Lutheri doctrinam ad ignem damnati erant, ſupplicium ſpectavit. Id Aumalii, cardinalis Guiſiani et Santandreani conſilio factum conſtans fama eſt,*]

VAR. LECT. [α] violenta, uti diximus P. D. o. f. [β] Codiciaco P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *l'iſle de Louviers.* [b] *l'iſle aux Vaches* [c] *S. Paul.* [d] *des Tournelles.* [e] *Noſtre Dame.* [f] *Oudard du Biez.* [g] *Ordre de S. Michel.* [h] *fauxbourg S. Victor.* [i] *de Coucy, ſieur de Vervins.* [k] *Valois, herauls d'armes.* [l] *le duc de Somerſet.* [m] *Parr.* [n] *Latimer.* [o] *Cranmer, archevêque de Cantorbery* [p] *de Strasbourg.*

CIↃIↃXLIX.
HENRICUS II.

apud Cantuarienſem aliquanto tempore ſubſtitiſſent, [a] Cantabrigiam ambo docendi cauſa mittuntur. Verum Fagius paulo poſt ex ſebre quartana prid. Eid. Novembreis, annum agens vitae XLV, vix ſalutata academia, deceſſit. Jam diffundente ſe eorum doctrina, Petrus Martyr Vermilius, quem ante in Angliam veniſſe diximus itidem a Cranmero evocatum, diſputationem de coena Dominica publice [b] Oxoniae habuit, Ricardo [c] Coxo [α] praeſide; et praeter Lutheri explicationem Zuinglii et Calvini ſententiam aſſeruit, [d][β] Treſhamo et Chedſeio eam oppugnantibus, editoque libro copioſe poſtea confirmavit. Nec multo poſt ingens per Angliam orta ſeditio eſt a popularibus, partim ob rem agrariam, (querebantur enim, agros publicos, qui antea promiſcuae multitudinis fuiſſent, a nobilitate ad venationes et uſus privatos claudi, eorumque uſum ſibi violenter eripi) partim ob mutatam religionem: nam Henrici regis decreta, quae prorex abolenda curaverat, reſtitui ſumma contentione depoſcebant. Igitur tutores ac regni conſiliarii, cum res in eo eſſent, ut nulla ratione et admonitionibus componi [γ] poſſe viderentur, poſtremo copias in tumultuanteis quamvis inviti emittunt, et variis aliquot proeliis majore parte per [e] Devoniam profligata ſeditioni finem impoſuere. Hac occaſione arrepta rex, cum bello Anglos domi implicatos videret, et in Scotia res proſpere cedere intelligeret, expeditionem, quam dixi, ſuſcepit, praemiſſo Leone Strozzio cum XII triremium omni re inſtructiſſimarum claſſe; qui, cum V Eid. Quintil. [f] Franciſcopoli ſolviſſet, obviam Anglorum claſſi factus proelio commiſſo Kal. Sextil. multas ex iis naveis depreſſit; ceteras in [g] Grenſiam inſulam, quae ab Anglis tenebatur, fuga dilapſas compulit. Crebra circa [h] Bononiam caſtella exſtruxerant Angli, ut noſtros populationibus atque incurſionibus prohiberent, videlicet ad [i] Lamberti-montem, [k] Sellaquam, [l] Ambletellium, [m] turrem Ordinis atque [n] Blanconetium. Rex viciſſim, ne commeatu intercluderetur, haud procul a Lamberti-monte, cui proximus erat [o] Surrenius ſaltus, et ipſe caſtellum erexerat, validoque praeſidio firmaverat. Primus impetus in Sellaquenſem munitionem a noſtris factus, quae a duobus ſignis defendebatur: ea tormentis acriter quaſſata, et, dum hoſtis parum caute cum Momorantio colloqueretur, vi capta eſt, VIII Kal. Septembr. Anglique omnes capti, praeter eos qui ſe in arcem recepere, qui et ipſi caſu perturbati clam noctu profugere, et arce relicta Ambletellium ſe contulerunt. In eo VI peditum vexilla erant, qui, cum ſe gnaviter, oppugnantibus noſtris, per aliquot dies defendiſſent, ad extremum incolumitatem pacti caſtellum regi dediderunt. In oppido erat [p] Mirandulanus ſpurius, qui cum Italis aliquot ad Anglos transfugerat: huic, quamvis pactione excluſus eſſet, veniam rex dedit, de ceteris Italis, qui cum eo erant, ſumpto ſupplicio. Magna commeatus, magna tormentorum omnis generis ibi reperta copia, quod haec veluti ſtatio eſſet capiendis iis omnibus quae ex Anglia in Galliam apportabantur. Territi eo ſucceſſu Blanconetiani legatos e ſuo numero mittunt, et vita ac re ſalvis abire permittuntur. XXV machinas aeneas ac pulverem tormentarium ſatis multum abeuntes reliquere. Nec terror heic ſtetit; nam praeſidiarii, qui in Lamberti-monte erant, Blanconetio capto, incenſis tabernaculis et commeatu corrupto, retro [q] Guinam petierunt. Qui caſtellum ad turrem Ordinis tenebant, loco admodum munito irritos diu noſtrorum impetus ſuſtinuere: tandem, cum nec caſtellum illud facile expugnari, minus vero urbs Bononia arte et ſitu munitiſſima, niſi longa obſidione capi poſſe a peritis rei bellicae judicaretur, jam appetente hyeme, ſatiſque magno operae pretio facto, exercitus dimittitur,

caſtellis,

VAR. LECT. [α] praeſide, et ſummoto Ricardo Smitheo; et *P. D.* o. f. [β] Treſſano *P.* [γ] poſſent, cum omnia prius tentaſſent, poſtremo *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Cambridge.* [b] *Oxford.* [c] *Cox.* [d] *Treſham, & Chedſey.* [e] *Devonſhire.* [f] *Havre de Grace.* [g] *Guernſey.* [h] *Boulogne ſur mer.* [i] *Mont S. Lambert.* [k] *Selacque.* [l] *Ambleteul.* [m] *tour d'Ordre.* [n] *fort de Blaconet.* [o] *Souvraim,* ou *Suraine.* [p] *le baſtard de la Mirandole.* [q] *Gunes.*

caſteilis, quae capta fuerant, validо praeſidio firmatis, ut noſtri oppidanos vexare et commeatu intercludere poſſent. Diverſa parte in Scotia [a] Thermus accepto a [b] Deſſio exercitu copias in ſeptentrionaleis regiones praemittit, eaſque mox ſubſecutus [c] Brochteam arcem et vicinum caſtellum de Anglis cepit, utrobique fere deleto omni praeſidio. Cum in [d] Lothianam rediiſſet, ne commeatus [e] Hadinam ſubveheretur, impediturus, paene ex improviſo Anglorum ac Germanorum copias inſtructas ad proelium obvias habuit. Ipſe ſuos magno gradu, donec ad tutiorem locum perveniret, retroduxit. Inde Scotorum equitatus, Germanorum incuſtodita impedimenta conſpicatus, ad ea diripienda ſolutis ordinibus procurrit; interimque commeatus nullo prohibente ab Anglis Hadinam infertur: ſed neque id obſtare potuit, quo minus Hadina, quantumvis a forti milite teneretur, vaſtatis circum agris et difficili adeo commeatus e longinquo ſubvectione, dum Angli domeſtica diſſenſione laborarent, tandem Thermo [1] dederetur. Id actum Kal. Octobris, cum paulo ante ad [f] Coldingamiam Julianus [g] Romerus, dum incautius, uti rebus pacatis, evagatur, oppreſſus ac captus fuiſſet, tota paene Hiſpanorum cohorte ad internecionem caeſa. Has ob cladeis, quae alia ſuper aliam nunciabantur, cum maximam invidiam [h] Somerſetus prorex ſuſtineret, recenti adhuc fraternae mortis odio, a Jo. [i] Dudleio Warwicenſi comite, uti creditur, criminatione conflata, quod negligentia ſua ac praepoſtera ſeveritate rempublicam perditum iret, nec opportuna loca rebus neceſſariis in tempore muniviſſet, mox eodem menſe de communi procerum conſilio [k] Windeſorae, ubi Edvardus diverſabatur, capitur, et Londinum in carcerem abducitur; unde anno ſequenti liberatus, et contracta cum Warwicenſi [2] adfinitate in priſtinam dignitatem reſtitutus eſt, infelici tamen poſtmodum exitu, uti ſuo loco dicemus.

CIↃIↃXLIX. Henricus II.

VI. Dum haec in Anglia et Scotia aguntur, rex Helvetios de foedere renovando ſolicitabat: quod cum patri utile fuiſſe, tum vero ſibi ad graviſſima bella ſe comparanti ſumme neceſſarium fore judicabat. Itaque per Nic. [l] [3] Gagneum libellorum ſupplicum magiſtrum, [4] Gul. [m] Pleſſium regii palatii diſpenſatorem, et [5] Jac. [α] Menagerium juriſconſultum a rege delegatos, et XI pagos, [n] Valeſios item, [o] Lepontios, ac III [p] Rhaetorum pagos tandem in has conditiones conventum eſt: foedus cum Franciſco initum, quamdiu Henricus viveret, et in quinquennium poſt ejus mortem cum Henrici heredibus ſervaretur: mutua auxilia utrinque praeſtarentur; regi quidem ab Helvetiis omnium ſuorum dominiorum tam ultra quam citra Alpeis conſervandorum cauſa, ſeu quoquo modo pro iis bellum geratur, tam quae modo obtinet, quam quae olim a patre poſſeſſa in Italia poſtea armis recuperaturus ſit, non minus VI CIↃ equitum, neque plus XVI CIↃ peditum, niſi de ipſorum conſenſu; quibus in ſingulos menſeis ſtipendia, uti convenit, perſolvantur: inſuper XXV CIↃ aureorum ſingulis anni quadrantibus [q] Lugduni dependantur, et ultra CIↃ argenti libras in ſingulos menſeis a Franciſco ſolvi conſuetas II CIↃ librarum ſingulis item menſibus [β] numerentur: rex viciſſim CC cataphractos equites et XII machinas bellicas, ſi [r] Helvetii bello petantur, aut ſuorum dominiorum ratione bellum geſturi ſint, cum omni apparatu neceſſario ſubminiſtret. Foederis legibus excipiuntur

a

VAR. LECT. [α] Oeconomum J. C. *P. D. o. f. d.* [β] Lugduni numerentur *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Paul de la Barthe, ſieur de Thermes.* [b] *de Deſſé.* [c] *Brockty-craig.* [d] *Lothian.* [e] *Hadington.* [f] *Coldingham.* [g] *Romero.* [h] *le duc de Somerſet.* [i] *Dudley, comte de Warwick.* [k] *Windſor.* [l] *Meſnager, ſieur de Caigné.* [m] *du Pleſſis de Liencour, maitre d'hôtel du roy.* [n] *ceux du Valais.* [o] *ceux de Mulhauſen.* [p] *les trois ligues Griſes.* [q] *Lyon.* [r] *les Suiſſes.*

NOT. [1] Hadinam non Thermo deditam, ſed a Rutlandiae comite, tormentis et commeatu in tutum ſine proelio aſportatis, XII Kal. Octobr. penitus dirutam, unanimes tradunt Hiſtorici Angli. *C.*

[2] Joannes primogenitus Warwicenſis filius Annam Somerſeti filiam ex ſecundis nuptiis primogenitam in uxorem duxit. *C.*

[3] *Jac. Menagerium Cagneum* Put.

[4] Lege *et Gul. Pleſſium Liencurium regii palatii diſpenſatorem a rege delegatos,* Put.

[5] Dele *Jac. Menagerium juriſconſultum* Put.

CIↃIↃXLIX.
HENRICUS II.

a rege pontifex, ac ſedes Romana, ſanctum Imperium, Luſitanorum, Scotorum, Daniae, Poloniae ac Sueciae reges, ſenatus Venetus, Lotaringiae ac Ferrariae duces, contra quos auxilia mittere non teneatur. Ab Helvetiis item pontifex, Romana ſedes, [a] purpuratorum collegium, ſanctum Imperium, domus Auſtriaca et Burgundica juxta antiquam cum iis contractam foederationem, Florentinorum etiam reſpublica et Medicea domus: promiſſa et contra Anglum auxilia pro [b] Bononiae et agri vicini recuperatione. Haec [c] Soloturnii utrinque acta VII Eid. Junii, rex poſtea rata habuit pridie Nonas Octobr. Eo foedere minime comprehendi voluerunt [d] Tigurini et Bernates, monitorum Huldrici Zuinglii ſcilicet memores, turpem hanc atque impiam militiam eſſe inclamantis: quid enim foedius et magis inviſum Deo, quam ſanguinem ſuum mercede principibus externis addicere? Is ergo ab eo foedere, quod cum Franciſco ante XXVIII annos ictum eſt, Helvetios habitis concionibus vehementi oratione dehortatus erat, perviceratque ne, ceteris illud approbantibus pagis, Tigurini ſui ſubſcriberent. Baſileenſes et Schafuſiani aegre pertracti ſunt, ut aſſentirentur, quod in eos, qui eandem ſecum doctrinam amplectebantur, in Gallia graviſſimis ſuppliciis vindicaretur.

VII. EODEM tempore [e] Pictones, [f] Rupellani et [g] Alnetenſis regio, [h] Engoliſmenſes, [i] Lemovices, [k] Petrocorii ac [l] Santones, miſſis e ſuo numero delegatis, a rege, qui tunc in [m] Ambianis erat, impetraverunt, ut, quae a Franciſco parente de inferendo in horrea publica ſale conſtituta fuerant, quod ſeditionibus in illis regionibus exortis cauſam dediſſent, abrogarentur, et recepto more ſalis venalis vectigal triente ac beſſe definiretur. Numerata ab iis in ſumptus bellicos, et [n] vectigaleis quoſdam agros, qui a regibus alienati fuerant, redimendos, CC aureorum millia. Renovatae et ſumptuariae leges ſuperioribus annis promulgatae; et, ad tollendas difficultates, quae luxu creſcente quotidie exoriebantur, ampliori interpretatione declaratae, atque in ſenatu XIX Kal. Septembr. approbatae ſunt. Cum vero pravo more invaluiſſet, ut milites, ſive ad exercitum proficiſcerentur, ſive domum e caſtris redirent, vel ſicubi hyberna aut ſtativa haberent, eorum, apud quos diverſabantur, vel quorum domos manſionarii metatores annotaſſent, ſumptibus alerentur, indeque magna damna paſſim per agros et in oppidis darentur, et, quaſi in hoſtico verſarentur, nullum non vexationis, injuriae ac libidinis genus erga populareis exercerent; huic malo ut obviam iretur, duplicata fere ſunt cataphractis, ferentariis ac levis armaturae equitibus ſtipendia, poena capitis propoſita in eos, qui quid ab aliquo ſine pretio ſumpſiſſent. In delectibus habendis et proſpectum, ut a popularium vexatione abſtineretur. Ea lex publice Lutetiae pronunciata XII Kal. Decembr. Lex itidem de coërcitione in haereſim lapſorum lata; qua magiſtratibus regiis de crimine quaerere et reos legibus interrogare mandatur, tum judicii faciendi cauſa reos ad epiſcopos cum quaeſtionis inſtrumentis remitti. Antea hujuſmodi judicia a regiis magiſtratibus exercebantur: ſed cum epiſcopi ſuam ſibi juriſdictionem in eo ademptam quererentur, eamque ob cauſam minus diligenter de his criminibus quaeſtiones haberi dicerent, Franciſcus ante decennium juriſdictionem ſuam epiſcopis reſtituerat; verum, quia lex in ſenatu recitata non fuerat, denuo ab Henrico filio idem ſancitur. Quanquam judicia tunc maxime ſevere in haereticae pravitatis ſuſpectos exercerentur, et querelis ipſorum epiſcoporum hoc condonatum fuiſſet, ut de his criminibus in poſterum cognoſcerent, tamen non defuere, qui arte regii [α] conſiſtorii procerum id factum calumniarentur, ut, cum pontificis et epiſcoporum hac lege auctoritas extolli et amplificari in ſpeciem videretur, re ipſa perverſae

VAR. LECT. [α] concilii *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *le college des cardinaux.* [b] *Boulogne ſur mer.* [c] *Soleurre.* [d] *ceux de Zurich & de Berne.* [e] *ceux de Poitou.* [f] *la Rochelle.* [g] *pays d'Aunis.* [h] *Angoumois.* [i] *Limouſin.* [k] *Perigord.* [l] *Saintonge,* [m] *Amiens.* [n] *les terres du domaine.*

perverſae doctrinae rei, atrociſſimis poenis, quibus in eos a regiis judicibus animadvertebatur, in poſterum eximerentur: quippe eum graviorem carcere perpetuo poenam epiſcopi non irrogent, adempto ipſis jure gladii.

VIII. SUB anni exitum XII Kal. Januar. [a] Odoſii Bigerronum deceſſit Margarita Franciſci ſoror, Henrici [b] Labretani Navarrae regis conjux, foemina omnibus ingenii et animi dotibus exculta: quae tamen apud eccleſiaſticos male audiebat, quod fratris in Lutheranos male animati iras pro viribus temperaret, et apud ipſam tutus eſſet illis receptus. [α] Certe Jacobum [c] Fabrum Stapulenſem, a theologis Pariſienſibus, poſt Gul. [d] Briçoneti epiſcopi Meldenſis obitum, exagitatum apud ſe retinuit; et Girardum [e] Rufum, qui [f] Cleriacenſe opimum admodum in Aginnatibus coenobium a Franciſco in ejus gratiam obtinuerat, ſaepius apud fratrem, quod Lutheri doctrinae ſectator eſſet, accuſatum, fremente licet Sorbonicorum collegio, conſtanter tutata eſt, et poſt omnia [g] Oleronenſi epiſcopatu in Benearnenſi provincia donavit. Ejus nomine et fabellarum volumen imitatione Jo. [h] Bocatii editum circumfertur: ſi tempora et juvenilem aetatem, in qua ſcriptum eſt, reſpicias, non prorſus damnandum, certe gravitate tantae heroinae et extrema vita minus dignum. Decima Muſa, et quarta Charis a ſtudioſis omnibus, aut una IX Muſarum, et trium Charitum inſtar appellari meruit; verſibuſque paſſim editis, et nummis percuſſis, his elogiis ornata eſt: praecipue vero a III ſororibus Anglis, Anna, Margarita et Jana [i] Selmoriis, non minus ob ſplendorem generis, quam ingenii elegantiam et eximiam eruditionem cum [β] rara morum probitate conjunctam aeterna commendatione dignis, celebrata eſt edito hecatondiſticho; quod Joan. [k] Auratus, [γ] Joachimus [l] Bellaius, Joan. Antonius [m] Baifius, Nic. [n] Deniſotus, praeclara Galliae noſtrae [δ] ingenia, vario carminum genere poſtea [ε] expreſſerunt. Mortuam funebri oratione laudavit Carolus [o] Sammarthanus. Ante Margaritam Chriſtina [ϛ] Georgii Saxoniae ducis filia Heſſi uxor, moerore ac curis confecta, cum contra fidem datam virum carcere detineri cerneret, et novis quotidie ludificationibus a Caeſare et Mauritio genero deludi aegre ferret, fato conceſſit, menſe Sextili. [ζ] Eodem anno in Norico in vivis eſſe deſiit Jacobus Zieglerus [p] [1] Lindavus, vir exquiſitae doctrinae, qui diu Viennae Auſtriacae docuit, et Turcicorum armorum terrore ſparſo apud Wolfangum epiſcopum [q] Pataavienſem ex illuſtri comitum [r] Salmenſium familia receptum habuit: quo in otio multa commentatus eſt; ex quibus quaedam in ſelectos ſacrae Scripturae locos cum contrariis Candidi Ariani et Marii Victorini rhetoris de divina generatione epiſtolis Jo. Jacobi Fuggeri ſtudio publicata ſunt. Et haec in Germania et Gallia eo anno acta ſunt.

IX. IN Italia pontifex, cum videret nihil ullis hactenus officiis aut illa trium epiſcoporum legatione profectum, neque Caeſarem adduci poſſe, ut Placentiam Octavio genero reſtituere vellet; quin potius urgere, miſſo nuper in eam rem Alfonſo Delrio, ut Parmam in manus ſuas traderet, et compenſationis loco amplum patrimonium cum honorifico titulo in regno Neapolitano acciperet; ad antiquam de Parma eccleſiae reſtituenda cogitationem revolvitur, et [s] Camertium principatum Octavio

VAR. LECT. [α] *A voce* certe *ad* Girardum Rufum *duae lineae deſunt* *P. D.* o. f. d. [β] rara pietate et morum *P.* [γ] Joachimus Bellaius *deſunt* *P. D.* o. f. d. [δ] lumina *P. D.* o. f. [ε] expreſſerunt. Mortuam funebri oratione laudavit Carolus Sammarthanus. Ante Margaritam *deſunt* *P. D.* o. f. d. [ϛ] Georgii Saxoniae ducis filia *deſunt* *P. D.* o. f. d. [ζ] *Ziegleri elogium deeſt* *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Audos, chateau de Bigorre, près de Tarbes.* [b] *d'Albret.* [c] *le Fevre d'Eſtaples.* [d] *Briçonnet, evêque de Meaux.* [e] *le Roux.* [f] *Clairac en Agenois.* [g] *Oleron en Bearn.* [h] *Boccace.* [i] *Seymour, filles du duc de Somerſet.* [k] *Dorat.* [l] *du Bellay.* [m] *Baif.* [n] *Deniſot.* [o] *de Ste. Marthe.* [p] *de Lindau:* M. Bayle dit qu'il étoit né à Landſhut en Baviere. [q] *de Paſſau.* [r] *de Salmes.* [s] *ducato di Camerino.*

NOT. [1] Lege *Landavus Bavarus.* C.

CIↃIↃXLIX. HENRICUS II.

Octavio cum ccc aureorum millibus, Horatio [a] Caſtri dominium deſtinat: quod metueret, ne, ſi ante reſciſſam illam cum eccleſia factam permutationem decederet, jam amiſſa [b] Placentia et Parma periclitante, omnibus bonis et honoribus ſpoliati nepotes ſui remanerent. Verum cum id Octavio nullis rationibus perſuadere poſſet, qui ex libero principe privati patrimonii dominus effici nollet, magna in anxietate verſabatur. Ut tempus ducerent Caeſariani, de [c] Senarum [α] imperio ſpem pontifici fecerant: et quoniam negotium illud magnas et longas difficultates in ſe haberet, ſic judicabant, cum brevi moriturum eſſe pontificem appareret, impune Caeſari fore, ſi de ea re fidem interponeret. Nec latuit aſtus verſutum ſenem, qui eodem tempore ab Hippolyto [d] Ateſtino cardinali Ferrarienſi nuper e Gallia reverſo de Parma tradenda Horatio alteri ex nepotibus, qui Romae tunc temporis morabatur, regis nomine ſolicitabatur. Quod eo fieri a rege exiſtimabatur, non ſolum quod Horatium deſtinatum ſibi generum prae Octavio fratre diligeret, ſed quod, ubi primum bello Scotico et Anglicano, de quibus quotidie laeti afferebantur nuncii, foret liberatus, arma in Italiam vertere cogitaret. Eam enim mentem ipſius eſſe vel ex foedere nuper cum Helvetiis inito conjectabatur; nec Anglicanum bellum brevi compoſitum iri dubitabatur: quippe regni tutores Gulielmum [e] Pagetum a ſecretis, praecipuae auctoritatis virum, ad Caeſarem nuper miſerant, ut de auxiliis eum urgeret; bello enim hinc a Gallis inde a Scotis foris premi, et domeſticis intus ſeditionibus exagitari; ni ſuppetiae ferantur, neceſſitatem imponi, ut vel iniquis conditionibus cum Gallo paciſcantur, quod majoris damni vitandi cauſa procul dubio ſint facturi: nec aliud ille reſponſum a Caeſare tulit, quam foedere ſe obligatum ad tuendam Britanniae eam partem, quae ad Anglos pertineret; ſi in Gallia vel Scotia res geratur, de auxiliis non teneri. Haec cum pontificem animi dubium hinc tenerent, inde Octavium occulta invidia exſtimularent, Coſmus, qui ea omnia ad bellum Italicum ſpectare proſpiceret, et pacem principatui novo confirmando magis idoneam judicaret, id unum ſatagebat, ut pontificis animum natura ſua lenem propoſito publicae calamitatis metu ad Caeſaris parteis pertraheret, et Octavii conſilia cum avo conciliaret. Sed averſus a Caeſare Pauli animus, cum ob contumelioſas ludificationes, tum ob indignam filii necem, quae Ferdinandi Gonzagae [β] ſuggeſtu, Caeſaris juſſu patrata [γ] credebatur, denuo patres, qui Tridenti remanſerant, Romam gravibus verbis revocat, ſpecie, ut emendationi eccleſiaſticae a ſe promiſſae initium faceret; revera, ut Caeſaris res in Germania conturbaret. His acceſſit, quod Dragute [δ] pirata mare Inferum cum expeditiſſimis navigiis infeſtante, cui apud nos tutus receptus erat, Liguria, Etruria, et [f] utraque quae vulgo vocatur Sicilia, magnas calamitates perpeterentur; quod Gallorum odioſa ſimul et ſuſpecta conſilia Caeſarianis reddebat. Ac ſub id tempus Genuae occultus quidam motus retectus fuit, capto monacho quodam Franciſcano, qui illuc [g] Maſſilia quotidie cum literis commeabat. Is cum ſevere torqueretur, Jo. Baptiſt. [h] Furnarium nominaverat, cujus opera Galli in ſolicitandis ad jugum Caeſaris excutiendum civibus utebantur, promiſſis e propinquo, Maſſilia videlicet et [i] Subalpina regione, auxiliis. Sed cum Furnarius id admodum leviter excuſaſſet, a non prorſus iniquis judicibus miti exilii poena mulctatus eſt. Itaque ab Hiſpanis ex eo de arce Genuae imponenda rurſus conſilia inita ſunt. Tunc et [k] Didacus Hurtadus Mendoza, qui ſummum Senis nomine Caeſaris imperium gerebat, auctor fuit urbis ſenatoribus, ut legatos ad Caeſarem mitterent. Ii fuere ex novemvirorum ordine Laelius [l] Peccius, et ex plebeio numero

VAR. LECT. [α] dominio P. D. o. [β] ſuaſu D. o. [γ] erat P. D. o. [δ] archipirata P. D. o. f.

INTERPR. [a] *ducato di Caſtro.* [b] *Piacenza & Parma.* [c] *Siena.* [d] *d'Eſte, cardinal de Ferrare.* [e] *Paget, chevalier de la jarretiere, & controlleur de la maiſon du roy, puis baron de Beaudeſert.* [f] *Royaumes de Naples & de Sicile.* [g] *Marſeille.* [h] *de' Fornari.* [i] *Piedmont.* [k] *Diego Hurtado de Mendoça.* [l] *Pecci.*

numero Alexander [a] Gulielmius, homo Laelio longe aſtutior, et qui Mendozae ad omnia morem gerebat. Mandatorum haec ſumma erat: ut de recta Mendozae adminiſtratione et aequabili reipublicae ſub eo ordinatione Caeſari gratias agerent: ceterum Hiſpanorum praeſidium, quod admodum Senenſibus grave eſſet, ut amoveretur, enixis precibus contenderent, et aliunde urbis ſecuritati proſpiceretur. Quod eo pertinebat, ut ſumma imperii Mendozae a Caeſare committeretur, eique arcis conſtruendae negotium daretur, delineatione munitionis ex peritorum ſententia factae et Gonzagae antea communicatae ad eum miſſa. Muniendorum item Hiſpano praeſidio aliorum oppidorum in ora maritima, videlicet portus [b] Herculis et [c] Orbitelli, Mendoza per Gulielmium Caeſari conſilium dederat. Id cum intellexiſſet Octavius, ſeque de Senarum imperii Placentiae ac Parmae loco ipſi attribuendi ſpe ludificatum certo cerneret, neque propterea de reſtituenda eccleſiae Parma pontifici aſſentiri vellet, deſperatis utrinque rebus, de aſtu ſeu vi invadenda Parma, praeter avi voluntatem, ac cardinale fratre inſcio, conſilium cepit: eaque mente cum aliquot e ſuis Parmam improviſus advolat, ubi ei [d] Sfortia Sanfloriarius, uti creditur, rei conſcius ac fortaſſe auctor praeſto fuit. Camillus Urſinus urbi a pontifice impoſitus, cum, diplomate nuper miſſo nemini vel etiam ex nepotibus urbem aut arcem tradere, ſed ut ſedis Romanae nomine eas teneret, juberetur, ita praeſidiarios per urbem diſponit, ut nihil Octavius in ea movere poſſet: ad convivium vocatus, ubi eum aut retinere aut etiam occidere Octavius deſtinaverat, ire recuſavit: cum vero Octavius ab arcis praefecto peteret, ut in eam introduceretur, [α] reſpondit, citra pontificis et Camilli, cui ſuberat, voluntatem id ſibi non licere. Ita ſpe ſua falſus Octavius indignanti animo quaſi Parmenſibus et Camillo bellum illaturus diſceſſit. Quod poſtquam avus reſcivit, et graviter, ut par erat, nepoti ſuccenſuit, et, ut quamprimum Romam ad ſe veniret, imperavit: cum ille abnueret, [e] Montano concilii praeſidi, qui [f] Bononiae erat, mandat, ut imperium detrectantem praeſens ad officium reduceret, et bene de ſe in poſterum ſperare juberet. Montanus ad Octavium adit, et apud [β] [g] Torciaram Pallavicinorum caſtellum, ubi Octavius diverterat, officio defungitur: atque inde Parmam profectus pontificis nomine urbis ſenatoribus denunciat, ut Camilli dicto obedientes ſint; Camillo autem et arcis praefecto, ut, niſi ipſis de pontificis voluntate certo conſtaret, Octavium minime in urbem ac multo minus in arcem admitterent. [γ] Itaque Octavius, Parma et omni alia ſpe excluſus, tandem ad conditiones ipſi a Joanne [h] Luna poſt amiſſam mox Placentiam propoſitas animum addidit: quas cum tunc repudiaſſet, recenti adhuc parentis caede, et flagrante juſtae ultionis deſiderio, nunc averſo a ſe avo in memoriam revocavit, ſatiuſque duxit, omiſſa in praeſens paternae caedis ultione, Caeſaris ſoceri et ejus miniſtrorum fidem ac fortunam ſequi, quam intempeſtiva conſtantia, avi jam deliri, ut ipſi videbatur, ac brevi morituri voluntati acquieſcere. Igitur Hippolytum Pallavicinum Mantuam, quo Gonzaga ad nuptias Franciſci Frederici fratris filii et Catharinae Ferdinandi Romanorum regis filiae celebrandas cum cardinali Tridentino venerat, mittit, ut cum eo ageret. Et Gonzaga quidem operam ſuam et ſinceram amicitiam Octavio pollicetur, modo res Caeſaris commodo cedat. Ille intellecto reſponſo, nec acceptata aut repudiata pro tempore conditione, continuo ad cardinalem fratrem literas dat, quibus eum rogabat, ut pontificem de rerum ſuarum ſtatu certiorem faceret, et ab eo impetraret, ut ſibi Parma reſtitueretur; alioqui fore, ut cum Gonzaga tranſigeret, et injuſte ſibi ablata Caeſaris ope et armis perſequeretur.

X. CARDINALIS, qui non tam de fratris fide dubitaret, quam id eo pertinere arbitraretur, ut pontifex ad reſtituendam Octavio Parmam cogeretur, acceptas literas ad

VAR. LECT. [α] ille reſpondit *P.* [β] Torciarum *P. D. o.* [γ] ita *P. D. o.*
INTERPR. [a] *Guglielmi.* [b] *Porto-Hercole.* [c] *Orbitello.* [d] *conte di Santafiore.* [e] *del Monte, legat al concil.* [f] *Bologna.* [g] *Torchiara de' Pallavicini.* [h] *di Luna.*

CIƆIƆXLIX. HENRICUS II. ad pontificem deſert. Is tunc ſorte obleƈtandi animi gratia in [a]Quirinaleis hortos ſeceſſerat; qui, ubi literas perlegit, longe alio ſenſu, quam rebatur cardinalis nepos, affeƈtus eſt: nam dolore atque ira ſimul et indignatione ſubito oppreſſus in deliquium incidit; ac parum abfuit, quin pronus in terram caderet; ſed a circumſtantibus miniſtris ſurreƈtus leƈto imponitur, ubi vocis uſu amiſſo quatuor horarum ſpatio pro mortuo eſt habitus: demum colleƈtis ſpiritibus expergefaƈtus febre violenta corripitur, ex qua intra triduum deceſſit, IV Eid. Novembreis, cum annum LXXXII ageret, et jam XV annos, dies XIX ſedem tenuiſſet. Motiens ſuorum ingratitudinem ſaepius incuſavit, ſe felicem diƈtitans, ſi nunquam genuiſſet; ac ſubinde illud ex Pſalmo XVIII, quod in tertio noƈturno decantari ſolet, ingeminans; ***Si mei non fuiſſent dominati, tunc immaculatus eſſem et emundarer a deliƈto maximo.*** Vir fuit prudentiae ſummae ac moderationis, ad haec rarae, ut erant illa tempora, in quae juventus illius incidit, eruditionis; ſed qui, plus juſto privatis charitatibus indulgens, exiſtimationis ſuae ac reipublicae Chriſtianae periculum parvi fecerit, dum ſuorum ambitioni ac libidini ſatisfaceret. Pridie quam obiit, veƈtigalia, quae ſalinis et aliis rebus non ſine populi gemitu impoſuerat, abolevit, tardiore beneficio, quam ut ex eo gratiam ſperare potuerit. Mortuo plurima etiam editis libris et per Italiam ſparſis vitio criminoſe data: [* inter alia,] quod bona pauperum dilapidaſſet; in nepotes et ſororum filios omnem eccleſiae ſubſtantiam abſumpſiſſet; [b]Mutinam et Regium Lepidi, quae ad imperium pertinent, Ferratienſium duci vendidiſſet; Parmam et Placentiam, quas eccleſiae minime quaeſiſſet, alienaſſet; Aſcanium [c]Columnam et [d]Baleonos injuſte profligaſſet; calumnioſe Caeſarem et Galliae regem incuſaſſet, quod hic cum Proteſtantibus, ille cum Anglo amicitiam coluiſſet, cum ipſe cum Turco Alexandri VI exemplo occultum commercium habuiſſet; quod denique in conſiliis capiendis ac ceteris rebus ſuis ſemper aſtrologos, [*] atque adeo Lucam [e]Gauricum, quem et menſae adhibebat, conſuluiſſet. Exprobrata et patri filii flagitia et obſcaenitates, quas vivus diſſimulaverat, et de quibus, cum nonnunquam audiret, hoc ſolum conſueſſet dicere, filium non commonſtrante parente haec didiciſſe. Quae, ſive vera ſive propter odium a pleriſque credita, magnum mortuo ac familiae dedecus in Italia, longe vero maximam ſedi Romanae apud Germanos et Anglos ad offenſionem proniores infamiam peperere. Poſt novendialeis preces, quae nono poſt mortem die coeptae ſunt, itur in conclave ad eligendum novum

pro

P. [* *quod ſub Innocentio* VIII *ob matrem et fratris filiam ſpe ſucceſſionis veneno ſublatas in carcerem conjeƈtus eſſet; quod, cum purpureum galerum ambiret, jamque ter ob illam infamiam a collegio rejeƈtus eſſet, favore tandem Juliae Farneſiae ſororis, copiam ſui Alexandro* VI *facientis, in cardinalium ſenatum alleƈtus ſit; quod alteram ſororem impudicitiae ergo, quam in Julia tuliſſet, et ex qua commodum captaſſet, veneno interemerit; quod ſub Julio* II, *cum per Anconitanam provinciam legatus eſſet, puellam quandam, ſe unum ex legati familiaribus mentitus, ſpe matrimonii faƈta, compreſſerit, ex qua P. Aloiſius, Conſtantia et alii nati; quod cum Laura Farneſia fratris filia rem habuerit, in ipſo furto a Nicolao Quercaeo marito deprehenſus, et pugionis vulnere accepto, cujus cicatrix ſemper manſerit; quod Conſtantiam filiam corruperit, quoque liberius ea potiretur, etiam conjugem ipſum Boſium Sfortiam veneno ſuſtulerit; quod epiſcopatum Parmenſem Alexandro nepoti decenni a Clemente* VII, *cum in mole Hadriani obſideretur, vi ac fraude ex. orſerit*;]

P. [*] *et necromanteis,*

INTERPR. [a] *jardins de monte Cavallo.* [b] *Modena & Reggio.* [c] *Colonna.* [d] *i Baglioni.* [e] *Gaurico.*

Digitized by Google

pro mote pontificem. Jam Tridenti qui erant, Jo. [a] Salviatus, Hercules [b] Gonzaga CIↃIↃXLIX.
Mantuanus, Innocentius Cibo, Joan. Maria [c] Montanus, Otho [d] Truchesſius Auguſtanus, Hier. [e] Auria, Julius [f] Roboreus Urbinas advolaverant; et ante illos Chriſtoph. [g] Madrutius Tridentinus Mantua venerat; qui omnes funeri interfuere: ſexto poſt die P. [h] Pachècus Tridento, ac prid. Eid. Decembr. [i] Bellaius, [k] Vindocinus, [l] Caſtellionaeus, [m] Guiſianus; ac, ſub exitum menſis, [n] Bononienſis, [o] Amboſius, [p] Lotaringus, ac poſtremo Lud. [q] Borbonius jam aetate gravis, Galli omnes; praeter eos, quos ante biennium rex eo miſerat. Tres omnino erant cardinalium factiones, Caeſariana, Gallica, et Farneſiana; quae media utri parti acceſſiſſet, in ſuffragiis ferendis vincebat: ejus princeps Alexander cardinalis a collegis, qui ipſius opera egere ſe quiſque ſentiebant, facile impetraverat literas ſenatus nomine ad [r] Camillum ſcriptas, quibus Parmam tradere Octavio jubebatur; eoque ante etiam Pauli mortem Antonium [s] Delium Polae epiſcopum cum diplomate quaſi a moriente ſcripto miſerat. Verum Camillus nec pontificis literis (nam contrarium mandatum habere ſe dicebat, ipſius Montani cardinalis voce confirmatum) nec collegii permoveri potuit, ut a priore ſententia diſcederet; ſedis Romanae nomine civitatem ſe tenere dictitans, quam non niſi ejus, qui creatus foret, pontificis juſſu traderet; quibuſdam in eo gratum animum deſiderantibus, ſed pluribus fidem et conſtantiam laudantibus, qui juris et tranquillitatis publicae potius, quam amicorum rationem habuerit: nam et interea a Gonzaga ſolicitabatur, XXX CIↃ aureorum oblatis, ſi Parmam Caeſari tradere vellet. Romae vero majoris motus metus erat, [t] Palliano ſtatim poſt Pauli obitum et aliis Columniae familiae caſtellis in [u] Latio a Camillo Columna receptis: quod tamen ille non rerum novandarum, ſed juris ſui conſervandi cauſa a ſe factum excuſabat; ne ſcilicet Sulmonenſis, qui in iis ſibi jus arrogabat, prior illa occuparet. Itaque Horatio Farneſio cum IV CIↃ armatorum urbis cuſtodia committitur: foris vero ad portas palatii in Vaticano excubabant IↃ Itali, ductore Nic. [x] Urſino Petiliano, et ſatellites Helvetii cum levi armatura. Cum vero moris eſſet, ut poſt diem X a morte pontificis cardinales conclave ingrederentur, dilata res fuit in XXIX menſis diem, quod nondum omnes conveniſſent; inſtantibus etiam Gallis, qui aderant, ut in adventum eorum, qui e Gallia expectabantur, res differretur, et, niſi fieret, regem ei, qui creandus eſſet, obedientiam non praeſtiturum interminantibus. Ante tamen, quam reliqui adveniſſent, de Reginaldo [y] Polo agi coeptum; in quo nobilitas gentis (nam proxima cognatione Angliae regem contingebat) et morum gravitas juxta et probitas cum doctrina eximia conjuncta erat. Concurrentibus ergo Caeſarianorum et Farneſii in eum votis, accedente etiam Guiſiano Gallicae partis principe, qui, cum rem confectam crederet, gratiam illius demereri ſatagebat, Polus admonebat eos, qui cum animi benevoli ſignificatione ad ipſum adibant, viderent, ne quam animi perturbationem in conſilium adhiberent, aut aliquid amicitiae et gratiae darent, ſed omneis ſuas cogitationes ad Dei honorem et eccleſiae utilitatem referrent. Itaque cum quodam die cardinalium ſuffragia more ſolito per ſcrutinium recenſerentur, et duo tantum ad ſummum ſacerdotium adipiſcendum ſuffragia deeſſent, obſervatum eſt a circumſtantibus ea re Polum nihil mutatum fuiſſe, ſed eundem vultum, quem ſolebat, retinuiſſe. Cum vero a Ludovico [z] Priulo patricio Veneto familiari ſuo et ob morum ſimilitudinem percharo e ſomno excitatus et admonitus eſſet, adeſſe cardinaleis ipſum procul dubio adoraturos, amice eum increpuit, et jam ad ſe accedenteis hac voce repulit, Nolle ſe nimirum tantam rem, quam pertimeſcendam potius

Henricus II.

INTERPR [a] *Salviati.* [b] *Gonzaga, cardinal de Mantoue.* [c] *del Monte.* [d] *Truchſes, cardinal d'Augsburg.* [e] *Doria.* [f] *della Rovere, cardinal d'Urbino.* [g] *de Madruce, cardinal de Trente.* [h] *Paceco, cardinal de S. Jago de Compoſtella.* [i] *du Bellay.* [k] *de Vendoſme.* [l] *de Chaſtillon.* [m] *de Guiſe.* [n] *de Boulogne.* [o] *d'Amboiſe.* [p] *de Lorraine.* [q] *de Bourbon.* [r] *Camillo Orſino.* [s] *Delio, evêque de Pola.* [t] *Paliano.* [u] *campagna di Roma.* [x] *Orſino, conte di Pitigliano.* [y] *le cardinal Pole.* [z] *Priuli.*

CIƆIƆXLIX. HENRICUS II. potius quam appetendam cenſebat, tumultuoſe et temere, ſed recte atque ordine agi: alienum eſſe noctis tempus; Deum lucis non tenebrarum eſſe: rem igitur in lucem proximam differri debere; tum enim, ſi Deo ita placeret, melius confici poſſe. Hoc tarae modeſtiae exemplum eum invidi et aemuli metnerent, ne tandem in ejus creationem unanimiter omnes aſſenſum praeberent, cum aliud non poſſent, ad calumnias et obtrectationes convetſi ſunt: male eum de religione ſentire, et in legatione [a] Viterbienſi non ea, qua par erat, ſeveritate in ſuſpectos de haereſi animadvertiſſe. Id a Joan. Petro Carafa docto et pio ſed moroſo ſene jactatum aliorum ſuggeſtu tam ptaeclaram de optimo pontifice eligendo conſenſionem perturbavit. Erat in ſenatu et Joan. Alvarus [b] Toletanus Petri proregis Neapolitani frater, gravitate et morum probitate conſpicuus, qui ſummo Caeſaris et Coſmi favore, quippe eum Helionorae ejus uxoris patruus eſſet, ad hunc ſummum gradum provehebatur. Farneſius privata affectione nrgebat, ut Marcelli Cervini familiaris ſui ratio haberetur: ſed recuſabat Caeſar. [c] Salviatus et Rodolfus Florentini [α] a noſtris propoſiti: ſed mutuo concurſu alter alterum remorabatur; Rodolfus enim favore reginae et Strozziorum opibus nitebatur; at Salviatus auctoritate et rerum agendarum peritia potior erat, quippe qui maxima quaeque negotia ſub Leone x et Clemente VII ſumma cum laude geſſiſſet; nec aberat Galli favor, ſed diſtractis ſtudiis invalidior: accedebat ad hoc, quod, quamvis noſtrarum partium eſſe crederetur, tamen ita Ferdinandum Gonzagam et Herculem cardinalem ejus frattem, atque ipſum denique Mendozam, qui Caeſaris nomine negotium illud procurabat, ſibi devinxerat, ut illi omni ope niterentur, ut Caeſariani in eum conſentirent; ſpe, ut multi exiſtimant, F. Gonzagae facta ampliſſimarum in [d] Gallia Ciſalpina poſſeſſionum, et Mendozae de attribuendo ipſi Senarum Imperio, quod jam alieno nomine obtinebat: verum obſtabat Coſmus utrique ob animoſas in ipſius principatus initio contentiones infeſtus; nec addnei poterat Alex. Farneſius, ut eum adprobaret, quem injuriae a Paulo acceptae memorem futurum metuebat; quamvis eo nomine et a ſuis et ab Hercule Ferrarienſi de Parmae reſtitutione etiam ingenti pecuniae ſumma depoſita abunde caveretur. Cum nihil ab Alexandro impetrare poſſet, Ranutium ejus fratrem per [e] Sfortiam Sanflorianum, qui Salviati fratris filiam uxorem duxerat, periclitari coepit: nec abnuebat ille a cognato perſuaſus, magnamque ſecum Farneſianorum partem attracturus videbatur. Sed negotio in longum contentionibus extracto, Alexander ſatis temporis habuit, ut de re tota ad Caeſarem perſcriberet, miſſo ad eum Hippolyto Pallavicino, qui tam ſuo quam Octavii fratris nomine demonſtraret, quam Gonzaga et Mendoza, qui Salviato ſavebant, in eo negotio hallucinarentur. Igitur Caeſar ſtatim ad utrumque dat literas, et, ut de Salviato

CIƆIƆL. cogitationem omnino deponerent, imperat. Jam annus exiverat, et novus inſtabat, qui Jubilaeus dicitur, a Boniſacio VIII primum inſtitutus, ſaecularis inſtar, centeſimo quoque anno celebrandus; quamvis annus Judaeorum ſabbaticus, cujus imitatione iſte renovatus eſt, [1] ſepties ſeptem hebdomadis abſolveretur; ut habetur in Levitico: poſtea cum longius tempus illud videretur, ad L a Clemente VI, et tandem a Sixto IV ad XXV contractum eſt. Eo anno, qui ad beatorum Petri et Pauli limina acceſſerint, iis plena omninm peccatorum expiatio confertur. Id Panlns ad omneis populos dimiſſis diplomatis inſinuaverat, et, ne tam praeclaram conſcientias exonerandi occaſionem praetermitrerent, hortatus fuerat: ipſe vero magna ſe laetitia affici teſtabatur, maximaſque Deo gratias habere, quod ſenectutem ſuam in eum uſque annum reſervaſſet, quo de genere humano tam bene mereri poſſet: ſed, quo minus ſolido gaudio frueretur, morte diem illum aliqnot hebdomadis antevertente impeditus eſt. Multi eo

peregre

VAR. LECT. [α] uterque a noſtris proponebantur P. D. o. ſ. d.

INTERPR. [a] *de Viterbe.* [b] *de Tolede,* dit *le cardinal de Burgos.* [c] *Salviati & Ridolfi.* [d] *Lombardie.* [e] *Sforza, comte di Santafiore.*

NOT. [1] Dele *ſepties*: lege *ſeptem hebdomadis annorum abſolveretur.* Put.

peregre ex omnibus orbis partibus confluxerant, expectaotes ſcilicet, dum aurea, quae dicitur, porta a novo pontifice aperiretur, quibus diuturnior mora videbatur. Tandem, cum ioter parteis hactenus non coovenisſet, intereaque duo ex collegio Ennius [a] Philonardus [1] Baucus XIV Kalend. Januar. et Nic. Rodulfus, de quo diximus, Kalendis Febr. anoi ſequentis deceſſiſſent, in Joannem Mariam [b] Montanum Aretinum Farneſianae factionis, humili loco ortum, ſed qui Antoniom Montanum cardinalem et epiſcopum Portuenſem patruum habuerat, omnes conſeoſere: et Galli quidem, quod eum Caeſari ſemper adverſatum eſſe, et praecipue in concilio Trideotum revocando legatis ipſius geoeroſe reſtitiſſe cernerent; necdum animo injuriam excidiſſe crederent, quam in epiſcopatus [c] Papienſis repulſa tulerat. Verum is per Coſmum apud Caeſarianos egerat, ut de ſe optimam opinionem conciperent, et eorum omnium, quae [d] Tridenti et [e] Booniae praeter Caeſaris voluntatem acciderant, culpa in Marcellum [f] Cervinum rejiceretur. Igitur VI Eid. Februar. tertio vacantis ſedis menſe jam paene tranſacto, praeter omnium expectationem pontifex renunciatur, et VIII Kalend. Mart. ab Innoceotio [g] Cibo ſuſceptis inſignibus inauguratur. Is ſoluti ad omnem licentiam animi homo, ſtatim adepta dignitate, qualis eſſet, omnibus manifeſtum fecit. Nam cum antiquae conſuetudinis ſit, ut novus pontifex galerum, cui velit, ſuum largiatur; eum juveni cuidam, cui Innocentio nomen, quique, quod in familia ſimiae curam gereret, Simiae etiam poſt adeptam dignitatem nomen retinuit, cognomine etiam ſuo atque inſignibus attributis, donavit. [*1] Querentibus vero cardinalibus, quod indignum hominem ad tantum faſtigium evexiſſet, non inurbane reſpondit; Et vos quid taodem in me meritorum comperiſtis, quem Chriſtianae reipublicae principem conſtitueretis? [*2] Julius III ergo, nam ſic nominari voluit, ſtatim pootificatus initio, ut ſe gratum erga Farneſios oſtenderet, Parmam, uti receperat, Octavio reſtituit, et ſummam eccleſiae praefecturam, quam ſub Paulo avo tenebat, eidem attribuit; tum Aſcanium [h] Columnam a Paulo profligatum, qui tuoc Venetiis degebat, Romam revocavit, et bonis ac dignitati priſtinae reſtituit.

XI. APUD oos [2] prid. Kal. Febr. in ſenatu recitata ſuot regis ac pootificis diplomata, oam in iis rebus auctoritatem Romani pootifices ſibi arrogant, quibus jus [i] academiae Durocortoro Remorum attribuitur, et omnium artium ac diſciplinarum in ea urbe ſchola conſtituitur. Id ambitioſe a Carolo [k] Lotaringo Remorum praeſule adfectatum, qui ſciret et maximi momeoti eam rem ad famam exiſtimationemque futuram, et, ſi tempus aliquando incideret, ad res novas moliendas ac commovendos plebis animos potentiſſimum telom ſubminiſtraturam. Interceſſit initio ſenatus: poſt juſſionem tandem diploma regium, quo pontificium confirmabatur, audito cognitore regio, promulgatum eſt; his additis et in acta publica relatis conditionibus; Ut, quoniam diplomate pootificio [α] rex a [3] cenſuris abſolvebatur, propterea rex ooo intelligatur potuiſſe aut poſſe nunc aut in poſterum ullo modo ex quacunque cauſa cenſuris apoſtolicis ſubjici, aut ea re regis regniqoe juribus, libertatibus ac praerogativis derogari aut praejudicium ollum fieri: ut de cauſis, de quibus ad judicem ſaecularem

itur,

P. [*1] *et, cum antea in deliciis habuiſſet, rurſus in priſtinam conſuetudinem admiſit.*

P. [*2] *Dum adhuc in conclavi eſſent cardinales, interceptae ſunt quorundam, qui cardinalibus aderant, ad catamitos ſuos ſcribentium literae; quibus abſentiae deſiderium adeo flagitioſis verbis teſtabantur, ut inde conjecturam multi fecerint, obſcaenum aliquem pontificem ex eo conclavi proditurum, ex quo tam pudendae literae emanaſſent.*

VAR. LECT. [α] rex, quod ad illud, a cenſuris P.

INTERPR. [a] *Filonardi.* [b] *del Monte, natif d'Arezzo.* [c] *de Pavie.* [d] *Trente.* [e] *Bologne.* [f] *Cervino.* [g] *Cibo.* [h] *Colonna.* [i] *univerſité de Reims.* [k] *de Lorraine, archevique de Reims.*

NOT. [1] Dele *Baucus.* *Put.* [2] Cette datte doit eſtre oſtée, puiſqu'en la page ſuivante elle y eſt miſe ſuivant l'arreſt *Put.* [3] Ce ſont cenſures *a jure* dont il eſtoit abſous. *Put.*

CIϽIϽL. HENRICUS II.

itur, [a] praefectus Veromanduorum cognoſcat, et in actis publicis conſervatoris regiorum ſcholae Remenſis privilegiorum titulum ſibi ſumat: archiepiſcopus autem conſervatorem privilegiorum apoſtolicorum, oon officialem ordinarium, ne haec munia confundantur, ſed alium dicat; ita nt in cauſis criminalibus ſacrae perſonae coram archiepiſcopi officiali aut ejus vicario comparere teneantur, ſolutae coram praefecto Veromanduorum aut ejus legato; modo de crimine ſpeciali et notionis regiae noo agatur, quo caſu etiam ſaeris addicti juriſdictioni regiae ſubjacebunt, et praefectus Veromanduorum tanquam judex regius, non tanquam ſcholae privilegiorum conſervator, de cauſis eorum cognoſcet. Quod ad appellationes a conſervatoris apoſtolici ſententiis interjectas, forma a Mathurinorum et [b] S. Genoveſae conſervatoribus in ſchola Pariſienſi uſurpari ſolita diligenter obſervetur. Numerus tabellariorum ad duo tantum reſtriogatur, qui ipſi per ſe oon per alios, ne jura regia defraudeotur, officio defungentur. In rectore cooſtitueodo haec forma ſervetur; tres a doctoribus ac praeceptoribus electi proponantur, ex quibus, quem velit, archiepiſcopus deligat, juxta praeſcriptam in ſtatutis, quae deinceps conficientur, formulam. Literae de gradu adepto aut tempore curriculi ſtudiorum fidem facientes juxta pacta inter pontificem regemque inita ac conſtitutiones regias, eoque quo in academia Pariſienſi fit modo, concedaotur. Statuta jam facta, et quae deinceps ad diſciplinam in Remenſi ſchola conſtituendam ab archiepiſcopo fient, in curiam afferantur, ut, poſtquam ea viſa et, ſi res exigat, correcta, emendata ac in meliorem formam redacta fuerint, ſicuti correcta et emendata erunt, a ſenatu promulgatione publica approbentur. Promotiones ullae ab archiepiſcopo non fiant, niſi candidatis prius a doctoribus et profeſſionum praepoſitis diligenter examinatis, et fide de idonea eorum doctrina ab ipſis doctoribus interpoſita: quo facto, candidati ab archiepiſcopo aut ejus vicario in promotionis ſignum benedictionem accipiant, eadem prorſus, qua in ſchola Pariſienſi a cancellario Academiae, in Aurelianenſi a [1] ſcholaſtico fit, ratione. Actum id in ſenatu III Kal. Febr. Eodem menſe [α] et ſenatus Burdigalenſis antiquae dignitati et honoribus a rege reſtitutus eſt. Lata et lex Non. Januar. qua pretio conſtituto rebus, quae venatu quaeruntur, luxui obviam itum eſt, et agreſtes ac ceteri opifices a furtivis aucupiis ac venationibus revocati. Cum vero uſque adeo graſſata eſſet adulteratorum monetae licentia, ut vix ullus oummus juſto pondere reperiretur, lata lex plebi initio et privatis quibuſque gravis, ſed qua publicae regni utilitati optime conſultum eſt, ut, ſi quid in nummis juſto ponderi deeſſet, pro adulterinis reputarentur. Jam cardinales Galli Roma redierant, eum paulo ante Philippus [c] Camerarius Bononienſis dictus, vir gravis et literatus, ac proxima cognatione Catharinae reginae conjunctus Romae obiiſſet IX Kal. Martias: et mox in itinere VI Eid. Maias Joannes Lotaringus [d] [2] Noviani ad Ligerim vico, cum coenaret, apoplexia correptus, ſolo [voluptatum] miniſterio et ſtolida liberalitate Franciſco charus, quibus juſtam regis indignationem erga [e] Claudium fratrem conceptam olim mitigaverat. Paulo aote Claudius ipſe XIV Kal. Maii deceſſerat, bello dux ſuo tempore magnus, et pace gravis; magnaque pompa funeratus eſt, etiam edito pompae funebris libro, ut in regum exequiis fieri ſolet, ne quid familiae jam tunc ad [ſumma quaeque adſpiranti] deeſſet, quod illi ornamentum et dignitatem conciliare poſſet.

Joannis

P. [*libidinum.*] P. [*ſummam potentiam anhelanti*]

VAR. LECT. [α] et anno *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *le bailli de Vermandois, qui eſt juge roial.* [b] *Ste Geneviève.* [c] *de la Chambre,* dit *le cardinal de Boulogne.* [d] *Nevers.* [e] *Claude de Lorraine, duc de Guiſe.*

NOT. [1] *ſcholaſtico.* Ce ſcholaſtique d'Orleans eſt eccleſiaſtique, & a charge dans la cathedrale: il eſt chef des lecteurs avec prebende; il baille la benediction aux promeus au doctorat; il y en a en d'autres cathedrales: ce qui verifie que ce font eſté des colleges, d'où vient l'egliſe collegiale. *Put. L.*

[2] *Noviani* Tous les autheurs du temps ecrivent que le cardinal eſt mort à Nevers, que M. de Thou appelle par tout *Nivernium,* ou *Noviodunum Aeduorum.* Il eſt vrai qu'il y a un lieu entre Baugency & Blois, qui s'appelle *Neun.* Je voudrois lire *Niverni ad Ligerim.* *Put.*

Joannis cardinalis morte Robertus [a] Lenuncurius Mediomatricum epiſcopus creatus CIƆIƆL.
eſt, qui magnum ad eam civitatem poſtea occupandam momentum regi attuliſſe HENRICUS II.
creditur.

XII. At Carolus [b] Guiſianus, qui demum Lotaringus dici coepit, cum patruo mortuo opulentiſſimorum ſacerdotiorum poſſeſſionem adeptus eſſet, nequaquam grande aes alienum exſolvit, ſicuti receperat; quo ille merſus pleroſque creditores ſecum una merſit. Is in arctiorem [c] Pictavienſis familiaritatem, quae totum regis animum occupaverat, turpibus obſequiis cum ſe inſinuaviſſet, auctor illi fuit, quo regni negotiorum adminiſtrationem penes ſe haberet, ut poteſtatem, quam ipſa ob ſexum non poterat, per homines medios uſurparet. Quod conſilium ambitioſa aeque atque avara foemina avide arripuit; neque vero ſibi expectandum duxit, dum illis mortuis, qui praecipuas dignitates obtinebant, alii in eorum locum ſufficiendi eſſent; verum iis vi aut aſtu ſummotis, novos etiam ſuperſtitibus illis ſubſtituit. Principium a Petro [d] Lizeto Arverno factum, juris veteris et noſtri, uti tempora ferebant, peritiſſimo, qui primarii praeſidis locum in ſenatu Pariſienſi diu magna cum laude tenuerat. Huic crimini datum, quod in principis conſiſtorium vocatus, cum a cardinali Lotaringo tunc praeſide ſententiam ſtans rogaretur, arrogantius reſpondiſſe videretur, cum diceret, neminem videre ſe, cujus praeſentiae reſpectu ſtans ac nudo capite ſententiam dicere deberet. Nondum enim pravus mos invaluerat, ut promiſcue omnes, ſicut hodie fit, in ſanctiore illo concilio ſederent; quo fiebat, ut is quantumvis primariae auctoritatis vir indignius, quam par fuit, a Lotaringo haberetur. Haec occaſio quaeſita, ut ei dignitas adimeretur, utque Jo. [e] Bertrandius homo gratioſus et nulla alia re quam projecta comitate et adfectata magnificentia commendabilis, qui nuper [f] Toloſa evocatus et [g] Momorantii commendatione praeſes in Pariſienſi curia conſtitutus fuerat, in ejecti locum ſufficeretur. Lizetus, qui ſe initio virum praebuerat, in conſtantia minime perſeveravit; verum ſe ad Lotaringi pedes humiliter abjecit, et ignavo metu perculſus turpiter magiſtratu ceſſit; tantum paupertatem deprecatus innocentiae ſuae teſtem; ſubinde ingeminans, non alia ſe latifundia in illo decrepito ſenio poſſidere, quam quae pedum veſtigiis incedendo occuparet; cumque tot annos Lutetiae cum ſummo magiſtratu praefuiſſet, in alienis adhuc et conductis aedibus habitare. Miſeris his precibus emeritus ſenex impetravit a miti principe, ut Sanvictoriano coenobio in urbis ſuburbio donaretur; in quo reliquum aetatis exegit, extrema clauſula minime priori vitae et famae reſpondente, dum literarum ſacrarum homo rudis, theologicis libris in illo otio ſcriptis ſe deridendum propinat: quibus contrario ſcripto artificioſe ridiculo, ſub Benedicti Paſſavantii nomine a Theodoro Beza, [α] ut creditur, reſponſum eſt. Ita loco ſummotus eſt Lizetus ex Lotaringi conſilio, ſuggerente et inſtigante, [β] ut jactabatur, [h] Aegidio Magiſtro, [*] qui tunc patronum regium in ſenatu agebat; et, promoto ad primariam ſenatus dignitatem Bertrandio, ipſe ad praeſidis dignitatem evehitur. [Nec contenta eo Pictavienſis, Franciſcum] [i] Olivarium cancellarium virum ſummo loco digniſſimum, ſed [ipſi minus aequum, aula expulit,] quaeſito colore, quod crebris defluxionibus caligante viſu in diplomatis regiis perlegendis caecutiret. Sed cum lege regni non niſi ad mortem damnatis aut alioqui peractis

P. [*] *Pictavienſis emiſſario,*

P. [*Nec contentus hoc loco homo ambitioſus, conſilium dedit Pictavienſi, ut Franciſcum*]

P. [*impotentis foeminae libidini minus aequum, aula expelleret*]

VAR. LECT. [α] ut creditur *deſunt* *D. o. f.* [β] ut jactabatur *deſunt* *P.* ut creditum eſt *D. o. f.*

INTERPR. [a] *le comte de Lenoncour, evêque de Metz.* [b] *le cardinal dit de Guiſe, puis de Lorraine.* [c] *Diane de Poictiers, ducheſſe de Valentinois.* [d] *Lizet, Auvergnat.* [e] *Bertrand.* [f] *Toulouſe.* [g] *le connétable de Montmorency.* [h] *Gilles le Maiſtre.* [i] *Olivier.*

CIϽIϽL.
HENRICUS II.

peractis et convictis reis magiſtratus ille adimi poſſit, nullo metu vir integer et generoſus adduci potuit, ut loco cederet. Itaque tantum ſigilla adempta, et eorum procuratio eidem [a] Bertrandio demandata, quem tanquam larvam et alienis nervis lignum mobile ducebat et circumagebat Magiſter, in alterius promoti locum ſemper ſuccedens. Verum heic rurſus difficultas incidit, quod, cum Bertrandius, quantumvis ſtolidus, ab amicis monitus ſigillorum procurationem tantum precariam dignitatem eſſe diceret, ad nimiam cancellarii potentiam deprimendam nuper inventam, priorem magiſtratum relinquere detrectabat, [qui Magiſtro deſtinabatur.] Sed et hic nodus Magiſtri induſtria ſolutus eſt, et lege in ſenatu recitata ſigillorum procuratio veri et legitimi magiſtratus titulo Bertrandio attribuitur. Ita Bertrandius fortunae ludibrio per omneis dignitatum gradus ad ſummum honoris faſtigium impellente Magiſtro proximo ſemper herede perductus eſt. Olivarius vero magno omnium bonorum moerore honorificentius aula pedem extulit, quam alter ingreſſus eſt. Magiſter denique ſenatus princeps creatur [b] Pictavienſis favore, duobus illis primariis viris expulſis, et novis ad gratiam factis, ſuo nutu et arbitrio aulam et ſenatum Pariſienſem, ut ſibi videbatur, moderaturae.

XIII. INDE de pace cum Anglo agi coeptum, quod regni tutores ob cladeis in Gallia et Scotia acceptas et exhauſtum aerarium res ſuſtinendo diutius bello impares cernerent: ad haec novis quotidie in regno exorientibus diſſidiis, aſtu et conſilio [c] Warwicenſis comitis, qui univerſam regni adminiſtrationem his artibus ad ſe trahebat; et, cum occulte de antiquo cultu reſtituendo ſe ſolicitum oſtenderet, multorum gratiam et favorem ſibi conciliaverat. Itaque cum [d] Somerſetum rei male geſtae accuſaſſet, facile obtinuerat, ut in carcerem conjiceretur. Verum cum Warwicenſis fraus retecta eſſet, metuens homo callidus, ne priſtina gratia deſtitutus mox concideret, quod videret eos, qui antiquae religioni ſtudebant, a ſe deluſos ad Somerſetum, quem clementiori ingenio eſſe ſcirent, ſenſim tranſire, praevertendum periculo exiſtimavit; et contracta cum Somerſeto adfinitate ipſum carcere liberandum curavit, minime ſincera reconciliatione, ut exitu comprobatum eſt. His auctoribus, Antonii Guidoti patritii Florentini, qui tunc temporis in [e] Britannia degebat, ultro citroque ad nos negotiorum praetextu commeantis interventu pax inter regem et Anglos facta. Interfuerunt regis nomine Fr. [f] Momorantius Rupipotius Picardiae praeſes, Gaſpar Colinius Caſteilionaeus Gallici peditatus praefectus, Andreas [g] Gillarius Mortarius ſanctioris concilii ſenator, et Gul. [h] Bocetellus ab epiſtolis: pro Edvardo Joannnes [α] [i] Bedfordienſis comes, Gul. [k] Pagetus, et Gul. [l] Petreus. In has conditiones conventum eſt; ut Anglus [m] Bononiam et arceis omneis in agro Bononienſi exſtructas cum tormentis et omni apparatu bellico tradat; rex viciſſim in ſumptus belli proque tormentis et inſtrumento illo bellico CCCC aureorum millia duabus penſionibus dependat: [n] Laudera ac Duglaſſia in Scotia ab Anglis occupatae reſtituantur; [o] Aemonam item et Roſemburgum ab ipſis munita, ſi reginae videbitur, demoliri teneantur. Carolus Caeſar eo foedere ab utraque parte comprehenſus eſt. Obſides utrinque dati: hinc quidem Joannes [p] Borbonius Angianus, [q] Cl. Lotaringus Meduanae marchio, Fr. Momorantius Annae magiſtri equitum filius, [r] Lud. Tremollius, Fr. [s] Vindocinus Carnutum vicedominus, Claudius [t] Annebaldus: inde [u] Suffolciae dux, Hertfordiae

P. [*quem Magiſter horum conſiliorum auctor conſequi ſperaverat.*]

VAR. LECT. [α] Betefordienſis *P. D. o. ſ. d. ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Bertrand.* [b] *Diane de Poiſtiers, ducheſſe de Valentinois.* [c] *Jean Dudley, comte de Warwick.* [d] *Edw. Seymour, duc de Somerſet.* [e] *Angleterre.* [f] *de Montmorency, ſieur de la Rochepot, frere du Conneſtable.* [g] *Guillart, ſieur du Mortier.* [h] *Bochetel, ſecretaire d'etat.* [i] *Jean Ruſſel, comte de Bedford.* [k] *le lord Paget, baron de Beaudeſert.* [l] *le chevalier Petre, ſecretaire d'etat.* [m] *Boulogne ſur mer.* [n] *Lauder, & Douglaſs.* [o] *Aymond, & Roxbourgh.* [p] *de Bourbon, comte d'Anguien.* [q] *Claude de Lorraine, marquis de Mayenne.* [r] *de la Tremoille.* [s] *de Vendoſme, vidame de Chartres.* [t] *d'Annebaud, baron de la Hunauldaye.* [u] *Henry Grey, duc de Suffolk.*

CIƆIƆL.
HENRICUS II.

[a] Hertfordiae comes Somerſeti filius; [1] Eſtrangius Fitſaverenus Batomenſis comitis filius, Arundeliae comes, et Talbotus Salopienſis comes. Ad Lauderam, cum res in eo eſſet, ut rerum omnium neceſſariarum inopia Angli oppidum dedere parati eſſent, ſubito affertur de pace inter Gallos et Anglos ſacta, quae Kal. Aprilis fuit in Scotia promulgata: ac ſequenti Maio Paulus [b] Thermus claſſe cum omni exercitu domum revectus eſt. Ea pax inter Anglos et Scotos circiter triennium duravit: ſed graviſſimo bello nihilo fuit minus moleſta et periculoſa, [c] prorege et Fani Andreae archiepiſcopo proregis fratre libidine et avaritia impune per regnum graſſantibus. Nec multo poſt rebus domi uteunque pacatis regina vidua in Galliam venit, ut patriam, filiam ac propinquos viſeret: [d] Dieppamque menſe Septembri appulit, a rege honorifice [e] Rotomagi accepta; qua in civitate III Kal. Octobr. qui dies B. Michaëli ſacratus eſt, rex conchyliati ordinis anniverſarium ſolemne celebravit, IV equites creavit, et paucis poſt diebus menſe inſequenti civitatem armatus publica laetitia ingreſſus eſt, ac poſtridie regina uxor; Dieppamque mox profectus, inde per reliquas provinciae civitates atque urbeis publice ac magnifice exceptus eſt. Quae vero inter noſtros et Angli miniſtros tunc acta ſunt, poſtea uterque rex rata habuit: et arctioris amicitiae jungendae gratia utrinque equeſtria inſignia miſſa; ab Henrico quidem S. Michaëlis conchyliatus torques, ab Edvardo periſcelis magni pretii lapillis ornata. [f] Santandreanus, qui torquem in Angliam pertulerat, cum rediret, in itinere periclitatus eſt, diſpoſitis a Maria [g] Pannoniae regina inſidiis, quo eum interciperet. Quod ubi rex intellexit, quidquid Dieppae navium Belgicarum erat, quoad Santandreanus rediiſſet, retineri juſſit: idem a regina in Belgio de noſtris factum. Eodemque tempore Antonius [h] Croius Rutii comes Joannem [i] Tuttavillam Villabonium, quo minus [k] Tarvennam commeatum inferre poſſet, interturbavit: quod eo gravius regi accidit, quod paulo ante in Caeſaris gratiam [l] Lineantium [m] Rognaci viri fortiſſimi in Arduenna ſilva caſtellum funditus everti curaverat, quod ex eo Caeſariani aſſiduis ſe excurſionibus infeſtari quererentur. Id adeo munitum erat, ut olim Caeſaris ac Franciſci conjunctis viribus illud oppugnantium impetus per XV dies ſuſtinere potuerit: eas munitiones Rognacus poſtea magna operum vi firmaverat. Haec prima initia bellorum, quae ſequenti anno inter Caeſarem et regem exarſerunt. Pacificatione cum Anglis facta, et [n] Bononia tradita, rex Eid. Maii urbem ingreditur, et appenſo aedi primariae donario, voti ante biennium nuncupati religione ſe exſolvit [α].

XIV.

VAR. LECT. [α] *In calce tomi primi editionis Drouartianae, forma octava Pariſiis an. 1604 typis vulgatae, fabula de lapide Indico heic loci inſeri jubetur: qua licet primo ſibi imponi Thuanus incaute paſſus eſt, cito tamen, errore comperto, e poſterioribus ſuis editionibus eam expungi curavit. Ne tamen quivis lector in ſuſpicionem induceretur, quaſi heic aut alibi quidquam de induſtria ſuppreſſum eſſet, fabellam ipſam integram ſubjicere viſum eſt.*

exſolvit. Dum rex Bononiae eſſet, allatus eſt ad eum ex India orientali ab homine incognito, ſed ut apparebat, moribus barbaro, lapis ſtupenda ſpecie et natura, videlicet lumine et fulgore mirabiliter coruſcantibus, quique totus veluti ardens incredibili ſplendore micabat, et jactis quoquoverſus radiis ambientem aërem luce nullis fere oculis tolerabili latiſſime complebat; erat et in eo mirabile, quod terrae impatientiſſimus, ſi cooperiretur, ſua ſponte et vi facto impetu confeſtim evolabat in ſublime; contineri vero includive ullo loco anguſto nulla hominum arte poterat, ſed ampla liberaque loca duntaxat amare videbatur: ſumma in eo puritas, eximius nitor, nulla ſorde aut labe coinquinatus: figurae ſpecies nulla ei certa, ſed inconſtans et momento commutabilis; cumque eſſet aſpectu longe pulcherrimus, contrectari tamen ſeſe impune non patiebatur, et diutius contra adnitentibus aut obſtinatius cum eo agentibus incommodum afferebat; quod multi multis ſpectantibus ſunt experti: ſi quid fortaſſis ex eo enixius conando detrahebatur, nam durus admodum non erat, nihilo minor fiebat. Hujus virtutem ac vim eſſe ad quamplura cum utilem, tum praecipue regibus neceſſariam aiebat hoſpes, qui miraculum oſtentabat, ſed quam revelaturus non eſſet, niſi ingenti pretio prius accepto. Haec ut in literis Jo. Pipini oculati rei teſtis, qui in familia An. Momorantii magiſtri equitum medicinam faciebat, ad Ant. Mizaldum, et ipſum inſignem medicum, pridie Aſcenſionis Bononia datis perſcripta ſunt, ita trado, et amplius diſcutienda phyſiologis relinquo. Nam veteribus qui de rebus hujuſmodi ſcripſerunt, ſimilis lapis necne cognitus fuerit, nec Pipinus iis literis ſe ſcire dicit, nec ipſe affirmaverim.

INTERPR. [a] *Edward comte de Hertford, fils du duc de Somerſet; Henry Stanley, lord Strange, fils du comte de Derby; Jean Bourchier, lord Fitzwarine, fils du comte de Bath; Henry Fitz-Alan, lord Matravers, fils du comte d'Arundel; & Georges lord Talbot, fils du comte de Shrewsbury.* [b] *de Thermes.* [c] *Jacques comte d'Arran, & Jean Hamilton archevêque de St. André.* [d] *Dieppe.* [e] *Rouen.* [f] *le mareſchal de St. André.* [g] *Hongrie.* [h] *de Croy, comte de Raux.* [i] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon.* [k] *Terouenne.* [l] *Linchamt.* [m] *Rognac.* [n] *Boulogne.*

NOT. [1] Lege *Henricus Strangius comitis Derbienſis, Joannes Fitzwarinus comitis Bathonienſis, Henricus Matraverius comitis Arundeliae, et Georgius Talbotus comitis Salopienſis, filii primogeniti.* C.

XIV. MENSE Junio poſt, edictum a rege promulgatur, et VIII Kalend. Quintil. in ſenatu recitatur, quo ſuperius de [a] ſcribis pontificiis et eorum numero coërcendo ante quadriennium ſactum confirmatur, ac fraudibus quotidianis, quae in adipiſcendis ſacerdotiis a pleriſque patrabantur, unde frequentes adeo per omnia Galliae tribunalia, magna nominis eccleſiaſtici infamia, paſſim lites ſerebantur, obviam itum eſt. Nam pravo uſu invaluerat, ut plures falſae literae reperirentur, quibus ejurandorum ſacerdotiorum gratia procuratores conſtituebantur, atque ab iis, qui in rationes reſerunt quae cui a pontifice beneficia conceduntur, crebrae conceſſi ſacerdotii teſtationes ſumerentur; nec procuratoriae literae ante promerentur, quam eum opportunum videretur mandatum ſacerdotium profiteri; et ita ad duos uſque annos ſaepius premerentur, nec ante ejus mortem, qui ſacerdotium ejuraſſet, exhiberentur. Eadem ſerpente licentia fiebat, ut plerique ſub conditione ſacerdotiis cederent, ut ea certae perſonae pontifex attribueret, ac nihilominus, quoad ſuperſtites eſſent, in abdicati ſacerdotii poſſeſſione remanerent, quod eos, quibus pontifex ſacerdotium largitus fuerat, gratiam illius ſpreviſſe praetexerent, cum tamen ſimulate poſſeſſionem adipiſcerentur, idque pontificii ſcribae in acta referrent: item quod, cum legibus pontificiis irrita ejuratio habeatur, niſi intra trimeſtre evulgetur, plerique, qui procuratores abdicandi ſacerdotii cauſa conſtituerant, confeſtim mandatum revocabant; quod innumeris fraudibus et calumnioſis in jure captinnibus occaſionem praebebat. Itaque ſancitum, ut trapezitae, quorum curae hujuſmodi negotia committi ſolent, in actis diem perſcribant, quo aditi, et quo procuratoriae literae ipſis oblatae, et per quos ſcribas confectae ſint, quique teſtes iis ſubſcripſerint; quo item die ipſi et qua de cauſa pernices tabellarios Romam miſerint, et quid reſponſi Roma acceperint. Hoc ut neceſſarium ſic ſalutare admodum remedium eſt adhibitum, et tanquam fraenum graſſanti falſariorum audaciae impoſitum, quo numeroſae deinceps et inextricabiles lites per omneis regni curias explicarentur et terminarentur. Id initio Romae male acceptum, quod regi minime [α] liceret de iis, quae ad juriſdictionem eccleſiaſticam ſpectent, cujus ſe pontifex ſummum magiſtratum profitetur, leges ferre, et in eo pontificiam auctoritatem minui paſſim jactarent. Verum id juris noſtris regibus eſſe, et uſu receptum eſt, et argumentis atque exemplis docuit Carolus [b] Molinaeus juriſconſultus, tam eruditione ac judicio quam probitate conſpicuus; qui commentariis in illud edictum publicatis tantam invidiam ſuſtinuit, praevalente jam tum inter [β] Gallos eorum, qui auctoritatem pontificiam adverſus jura regni tuebantur, potentia, ut ob id calumnioſe accuſatus ſolum vertere et apud [c] Sequanos et Germanos divertere cogeretur; ubi vir de ingrata patria optime meritus tutum et honorificum perfugium nactus eſt, donec bello inter regem et Julium III exardeſcente ab exilio revocatus [γ] eſt.

XV. SUB id tempus [d] Carolus Coſſaeus Briſſacus, vir militari ſcientia clarus, a rege in [e] Subalpinam regionem cum ſummo imperio ſpecie honoris ablegatur; ut inter aulicos rumor erat, ob inſanum Pictavienſis amorem, in quo rex Briſſacum, cui illa haud obſcuris indiciis bene cupiebat, rivalem ferre non poterat. Cum vero jam in itinere eſſet, ut in Jo. [f] Caracioli Melphorum principis, qui ſumma cum laude iis in locis inſtaurata militari diſciplina et coërcita Gallorum temere rixantium petulantia praefuerat, e provincia decedentis locum ſuccederet, accidit, ut ille ſenio effoetus [g] Suſae, [δ] quam Seguſionem olim fuiſſe putant, moreretur; quo factum eſt, ut Briſſacus tam nobilem provinciam nactus, cui ſe parem rebus praeclare in ea geſtis praebuit, etiam [h] Pictavienſis commendatione Caracioli loco tribunus equitum crearetur.

XVI.

VAR. LECT. [α] licere dicerent *P. D. o.* [β] Gallos pontificiorum potentia, ut ob id calumnioſe *P. D. o.* [γ] eſt, uti deinceps videbimus *P.* [δ] quam Seguſionem olim fuiſſe putant *deſunt P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *notaires apoſtoliques.* [b] *Du Moulin.* [c] *ceux de la Franche Comté.* [d] *de Coſſé, mareſchal de Briſſac.* [e] *Piedmont.* [f] *Caracciolo, prince de Melfi.* [g] *Suſe.* [h] *la ducheſſe de Valentinois.*

XVI. Tunc et [a] Merindoliani et Caprarienſes [b] Provinciae oppidani de [c] ſenatus CIↃIↃL.
Aquenſis crudelitate et iniquitate apud regem querimoniam inſtituerunt; et oratione HENRICUS II.
ad commiſerationem compoſita pervicere, ut ad ſenatum Pariſienſem referretur, et denuo de cauſa cognoſceretur, poteſtate facta in eos quaerendi, quorum fraude vel culpa quidquam praeter jus et aequum in eo negotio admiſſum eſſet. Accuſati fuerant, quod Valdenſium damnatas olim de religione opiniones jam a multis annis foverent, peſſimoque exemplo magiſtratibus parendum non eſſe docerent. Verum res haec altiorem indaginem requirit. Petrus [d] Valdus locuples civis Lugdunenſis anno Chriſti circiter CIↃ CLXX Valdenſibus nomen dedit. Is (ut monumentis teſtatum reliquit [e] Vidus Perpinianus praeſul [α] Elnenſis, qui quaeſitoris in Valdenſeis munus exercuit) domo ac bonis relictis totum ſe evangelicae profeſſioni devoverat, et prophetarum atque apoſtolorum ſcripta populari lingua vertenda curaverat, antiquorum etiam patrum aliquot teſtimoniis adjunctis, quibus in animum defixis, ingenio ſuo et ſenſu fretus, praedicationis munus ſibi ſumpſerat, perque plateas ac vicos evangelium plebi interpretabatur. Cum jam multos ſectatores exiguo tempore circa ſe haberet, eos tanquam diſcipulos ad evangelium promulgandum in omneis parteis ablegat; qui, quod plerumque literarum ignari eſſent, facile in varios errores prolapſi a [f] Lugdunenſi archiepiſcopo in jus vocantur; et, quamvis (ut ait ille) convicti, in ſola pertinacia praeſidium poſuerunt, cum dicerent, in iis, quae religionis ſunt, Deo non hominibus obediendum eſſe: itaque ab eccleſia rejecti, cum ſe coram pontifice ſtitiſſent, [1] proxima ante Lateranenſe concilium ſynodo omnino tanquam pertinaces et ſchiſmatici damnati ſunt. Unde omnibus inviſi et execrabiles facti, paſſim exules ſine lare per [g] provinciam Narbonenſem, [h] Galliam Ciſalpinam, ac praecipue inter Alpeis effunduntur; ubi tutiſſimum perfugium nacti complureis annos latuerunt. Eorum haec dogmata ferebantur; Eccleſiam Romanam, quoniam verae Chriſti fidei renunciaverit, Babylonicam meretricem eſſe, et arborem illam ſterilem, quam ipſe Chriſtus diris devovit et revellendam eſſe praecepit; proinde minime parendum pontifici, et epiſcopis, qui ejus errores fovent: monaſticam vitam eccleſiae ſentinam ac Plutonium eſſe; vana illius vota, nec niſi foedis puerorum amoribus ſervientia: preſbyterii ordines magnae beſtiae, quae in Apocalypſi commemoratur, notas eſſe: ignem purgatorium, ſolemne ſacrum, templorum encaenia, cultum ſanctorum, ac pro mortuis propitiatorium, Satanae commenta eſſe. His praecipuis ac certis eorum doctrinae capitibus alia affictа, de conjugio, reſurrectione, animae ſtatu poſt mortem, et de cibis. Igitur P. Valdus eorum anteſignanus patria relicta in [i] Belgium venit; atque in Picardia quam hodie vocant, multos ſectatores nactus, cum inde in Germaniam tranſiiſſet, per Vandalicas civitates diu diverſatus eſt, ac poſtremo in Bohemia conſedit; ubi etiam hodie ii, qui eam doctrinam amplectuntur, Picardi ea de cauſa appellantur. Habuerat Valdus et ſocium Arnoldum, qui diverſo itinere in [β] [k] Septimaniam deſcendit, et [γ] [l] Albae Auguſtae ſive Helviorum olim dictae haeſit; unde Albigei, qui [m] Toloſates, [n] Rutenos, [o] Cadurcos, [p] Aginnates brevi tempore pervaſerunt. Poſt [q] Arnoldum, [r] Speronus, et Joſephus ſucceſſere; atque ab iis [s] Arnoldiſtae, Speroniſtae, Juſepini, Gregorio IX dicuntur; atque alio nomine Gazari, quomodo hodie omnes haeretici per Germaniam et ſeptentrionaleis regiones vocantur, a Leone III imperatore, uti putant, Gazaro dicto, qui omnium maxime a Romanis pontificibus ſacrilegiorum et pravae doctrinae inſimulatus eſt: quanquam aliis in libris [t] Cathari dicuntur, quibus reſpondent, qui hodie in Anglia puriorem doctrinam prae

ſe

VAR. LECT. [α] Lodevenſis *P. D.* o f. d. [β] Occitaniam *P. D.* o. [γ] Albii haeſit *P. D.* o.

INTERPR. [a] *ceux de Merindol & de Cabrieres.* [b] *Provence.* [c] *parlement d'Aix.* [d] *Valdo.* [e] *Guy de Perpignan, evêque d'Elna en Rouſſillon.* [f] *de Lyon* [g] *Languedoc.* [h] *Lombardie.* [i] *Pays bas.* [k] *Languedoc.* [l] *Alby.* [m] *ceux de Toulouſe.* [n] *de Rouergue.* [o] *du Quercy.* [p] *de l'Agenois.* [q] *Arnauld.* [r] *Eſperon.* [s] *Arnaudiſtes, Speroniſtes, Joſephiſtes.* [t] *Puritains.*

NOT. [1] *In tertia Lateranenſi ſynodo* Put.

ſe ferunt. Iidem Leonini rurſus appellati ſunt, ab illo Leone; qui nihilo minus juſti ac prudentis principis a Zonara ipſo, qui cum haereticae pravitatis accuſat, elogium meruit. Is Theodoto monacho ſuadente ſimulacra et imagines omneis e templis ſuſtulerat, tanquam impietais pabulum et ignarae plebis decipulas, quae ad Dei offenſionem pertinerent; ob idque Iconomachus [a] vocatus eſt. Quanquam alii potius a Leone quodam Gallo ei ſectae addicto Leoninos dictos exiſtiment, quod longius ab his locis et temporibus Leonis imperatoris illius memoria abeſſet. Ita ab auctoribus aut fautoribus illi cognominari. A loco vero pauperes Lugdunenſes, Albigei, et diverſis regionibus ob diverſas cauſas [a] Paſſageni, Patareni, Lollardi, Turelupini, ac denique [b] Gynici dicti ſunt. In eos omneis diverſas quidem facies, ceterum caudas ad invicem colligatas habenteis, ſicuti aiebat idem Gregorius IX; quod in opes, faſtum ac viria pontificum vehementius inveherentur, et populos ſenſim ab eorum obedientia alienarent, Innocentius III primum gladio dominico uſus eſt. Miſſis ad Albigeos XII abbatibus ordinis Ciſtercienſis; poſt etiam Didaco [c] Oſmenſi epiſcopo, qui Dominicum, a quo poſtea Dominicanorum ordo inſtitutus eſt, ſecum duxerat: ſed cum parum ea ratione proficere ſibi videretur, dominico gladio poſito, ferreum ſtrinxit, et Leopoldum VI Auſtriae ducem per Germaniam, in Gallia [d] Simonem Monfortium, quibus multi alii ſe adjunxerunt, ſacro bello praefecit. [e] Biterras primum exercitus ducitur: ibi promiſcua caedes civium facta eſt, quantumvis nocentes [1] atro carbone a legatis pontificiis notati eſſent. Carcaſſona vero occupata, incolae cum ſolis veſtibus abire permittuntur, reliquis bonis ad praedam relictis. In [f] Minervae caſtro CL, quod errorem abjurare nollent, vivi cremati ſunt. Hoc exemplo territi [g] Albienſes vim deprecantur; quo impetrato deditionem faciunt: defectionis tamen auctores, eum pertinaciter ſententiam tuerentur, capite luerunt. Multa etiam [h] Vauri crudeliter perpetrata, praefecto urbis reſte ſuſpenſo, et nobilibus cunctis ſecuri percuſſis: nec mulieribus abſtinuere pontificii legati; ſed Girardam Vauri dominam in puteum praecipitatam ſaxis ſuperinjectis obruerunt, quod eam ex fratre vel filio concepiſſe dicerent. Mox et [i] Cureum, [k] Rapiſtagium, [l] Galliacum, [m] Fanum Marcelli, [n] Fanum Antonii, [o] Cauſacum, [p] Moïſacum vi expugnata, et magna ſtrages iis captis a victore edita. [q] Pennenſis arx in Aginnenſi agro cum diu obſeſſa tandem victoris arbitrio ſe dedidiſſet, LXX milites, qui in ea erant, in furcam acti; ceteri, qui errorem tuebantur, ignibus exuſti ſunt. Nec Lutetia Pariſiorum ab hac contagione immunis fuit: nam XIV, in quibus plerique ſacerdotes, hujus erroris convicti, et flammis pariter cremati ſunt. In Anglia cum iis mitius, ſi poena vitae amiſſione aeſtimatur; ceterum ignominioſius agebatur, iis, qui ejus rei arguebantur, candenti ferro in humero aut etiam in fronte notatis. His actis aliquanto tempore furor armorum interquievit: ſed cum pontifex intelligeret, Raimundum [r] Toloſatium comitem Albigeis favere, rurſus eo auctore armis reſumptis, atque inſtigantibus Toloſae, [s] Agathae, [t] Lodevae, et [u] Convenarum epiſcopis, Simo contra Toloſatem exercitum duxit, cumque licet Petri Tarraconenſium regis et [x] Foxenſis ac Fani Aegidii comitum, qui copias conſociaverant, opibus ac viribus ſubnixum, ad [y] Mirellum ſupra Garumnam fudit, XVII hoſtium millibus caeſis, ex ſuis vix octo deſideratis: qua clade affectus Raimundus ſupplex pontifici fieri et publice errorem ejerare coactus eſt. Nec multo poſt Ludovicus VIII Avenionenſeis, quod Albigeis receptum darent, bello adoritur, et iis victis moenia urbis ſolo aequavit, ampliuſque CCC civium domos evertit; in Albienſeis ipſos perrecturus, niſi repentino morbo

VAR. LECT. [a] vocatus eſt. *Hinc ad* Ita ab, *duae lineae deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Paſſagers, ou Tramontains, Patareniens, Lollards, Turelupins.* [b] *Chaignards.* [c] *evêque d'Oſma en Eſpagne.* [d] *Simon, comte de Montfort.* [e] *Beziers.* [f] *Menerbe.* [g] *ceux d'Alby.* [h] *Lavaur.* [i] *les Cures.* [k] *Rabaſteins.* [l] *Gaillac.* [m] *St. Marcel.* [n] *St. Antonin.* [o] *Cauſac.* [p] *Moiſſac.* [q] *Penne en Agenois.* [r] *Toulouſe.* [s] *Agde.* [t] *Lodeve.* [u] *Comminges.* [x] *les comtes de Foix, & de St. Gilles.* [y] *Muret ſur Garonne.*

NOT. [1] *atro carbone.* C'eſt une metaphore, pour dire que ceux que l'on vouloit faire mourir, avoient eſté deſignez par les legats du Pape. *Put.*

[y] Lege *Muretum.* Put.

morbo correptus mox deceſſiſſet. Cum huc illuc ab eo tempore diſperſi ubique exagitarentur, tamen extitere ſemper per intervalla, qui eorum doctrinam intermortuam renovarent: Joannes [a] Wiclevus in Anglia, in Bohemia Joannes [b] Huſſus et Hieron. [c] Pragenſis: noſtra vero aetate, poſtquam Lutheri doctrina obvio tam multorum favore accepta eſt, reliquiae illorum ubique ſparſae colligi, et creſcente Lutheri nomine vireis et auctoritatem ſumere coeperunt; praecipue in regionibus Alpinis et provinciis Alpibus vicinis. Igitur cum [d] Merindoliani et Caprarienſes ad famam eorum, quae in Germania gerebantur, animos ſuſtuliſſent, jamque conductis ex Germania doctoribus manifeſtius quam antea ſe proderent, a [e] ſenatu Aquenſi, inſtante regio procuratore, in jus vocantur; cumque ab amicis admoniti, periculoque, quod ipſis haud dubie impendebat, ſi ſe judicio ſtitiſſent, deterriti non comparerent, trinundino citati, uti fieri aſſuevit, tanquam contumaces, horrenda et ſupra modum atroci ſententia, XIV Kal. Decembr. ante decennium, damnati fuerant, praeſidente tum ſenatui Bartholomaeo [f] Caſſanaeo magni nominis juriſconſulto. Senatuſconſulti illius ſententia in patres-familias igne vindicatur, damnatorum bona, conjuges liberique et cetera familia fiſco addicuntur: et quia Merindolium hactenus hac peſte infectorum ſpelunca ac receptaculum fuerit, edicitur, ut aedificia omnia a fundamentis evertantur, antra, cavernae ac fornices ſubterranei, quibus latitent, diruantur et obturentur, ſilva circum caedatur, et arbores etiam hortorum evellantur; poſſeſſiones vero eorum, qui Merindolii domicilium habuerint, ejuſdem vel ſtirpis vel etiam nominis cum prioribus dominis nemini colendae elocentur. Tam duri decreti executio mandatur Aquenſi, [g] Torveſienſi, [h] Fani Maximini, et [i] Aptenſi judicibus ordinariis; quam plerique ſuſpendendam cenſebant, et expectandum dum legibus et conſuetudine regni tam ſevera ſententia in abſenteis et contumaces lata, temporis lapſu in rem judicatam tranſiret. Alii contra praecipitandam et odio criminis et ratione periculi, quod ab ea contagione certum erat, ſi mora interponeretur, executioni demandandam eſſe arbitrabantur. Inprimis [k] Aquenſis et Arelatenſis epiſcopi Caſſanaeum urgebant, et, ut manu armata in contumaces iretur, inſtabant, ultro in belli ſumptus grandi pecunia tam ſuo quam reliquorum eccleſiaſticorum nomine promiſſa. Cum gravis ab utraque parte altercatio eſſet, ridicula ſed perſonae accommodata ratione res dilata eſt. Erat Aquis-Sextiis Nicolaus [l] Alenius ex Arelatenſi nobilitate vir probus et literis non mediocriter tinctus, Caſſanaeo perfamiliaris, qui, cum judicii iniquitatem aegre ferret, et ſummopere differri illud cuperet, in colloquium privatum admiſſus, tali nutantem praeſidem oratione aggreditur. Qui de ſententia nuper in Merindolianos lata ſermones ubique jactentur, non ignotas: nec mei eſt animi aut officii de iis pronunciare; quippe qui ſciam quantum reipublicae bene conſtitutae interſit, judiciis auctoritatem ſuam conſtare, nec temere illa in dubium revocari. Sed perpenſa rei gravitate, an executio differri et mora interpoſita mitigari judicii acerbitas debeat, id vero quaeritur: in quo, cum variae eaeque magni momenti rationes afferantur, pro familiaritate et arcta, qua conjuncti ſumus, amicitia, tecum quoque familiariter et tuis argumentis agere conſtitui. Meminiſti quid olim, cum adhuc in minoribus ſubſelliis [m] Auguſtoduni in Aeduis ſederes, in cauſa murium ſenſeris: id enim et [1] libris editis conſignaſti, et te, qua animi modeſtia et candore es, libenter horum temporum memoriam recolere animadverti. Sic autem rem enarras. Cum in [n] Aeduenſi praefectura ingens murium multitudo corroſis paſſim ſegetibus magnum damnum daret, nullum praeſentius remedium novo malo populareis inveniſſe, quam ſi epiſcopus ejuſve vicarius mureis diris devoveret; igitur re cum epiſcopi vicario communicata

INTERPR. [a] *Wickliff.* [b] *Huſs.* [c] *de Prague.* [d] *ceux de Merindol, & de Cabrieres.* [e] *le parlement d'Aix.* [f] *Chaſſeneux,* ou *Chaſſanée.* [g] *de Tourves.* [h] *St. Maximin.* [i] *Apt.* [k] *les archevêques d'Aix & d'Arles.* [l] *d'Alence.* [m] *Autun en Bourgogne.* [n] *le bailliage de Lauſſois.*

NOT. [1] In libro ab ipſo Caſſanaeo ſcripto, cui titulus eſt, *Catalogus gloriae mundi.* C.

CIↃIↃL.
HENRICUS II.

municata, illum cenſuiſſe, ternis mureis praeconiis forenſibus in jus vocandos; quo facto, tamen noluiſſe de concilii ſententia judicium fieri, niſi prius muribus patronus daretur, iſque pro abſentibus cauſam diceret: quapropter te murium patrocinium ſuſcepiſſe, in eaque cauſa pro perſona, quam ſuſtinebas, multis rationibus perſuaſiſſe judicibus, haud rite atque ordine in jus vocatos mureis, atque, ut iis de integro diem curiones in ſingulis parocciis dicerent, impetraſſe, propterea quod eo judicio omnium murium ſalus ageretur; quo impetrato, rurſus in brevius tempus comperendinatum judicium demonſtraſſe, quam ut mures adeſſe poſſent, quibus per omneis vicos inſidias a felibus ſtructas eſſe conſtaret: plurima deinde, quae ad murium defenſionem pertinerent, e ſacris libris adduxiſſe; et, ut diem latius judices proferrent, tandem obtinuiſſe; eoque facto magnam aequitatis et juris peritiae laudem te conſecutum. Nunc ad tuum te librum, ad tua argumenta voco. Quid enim magis auribus et animis hominum inauditum, quam ut, qui in murium cauſa ordinem judiciorum ſervandum duxeris, eum, cum de vita, ſalute et fortunis hominum agitur, pervertendum exiſtimes? Cave ergo, ne in ignavorum laniſtarum aut gladiatorum culpam incurrere dicaris, qui, cum rudibus batuunt, gladiatoriae artis praecepta ſervant, et victores ſaepius evadunt; ubi ſtricto enſe cum inimico res eſt, furore aut perturbatione incenſi artis obliviſcuntur, et ſe plerumque confodiendos praebent. Quod in ludicro judicio ſervaſti, cum adhuc juvenis ac ſere privatus eſſes, id in re tam ſeria iſtuc aetatis et dignitatis, in qua tantam de te omnium opinionem concitaſti, non ſervabis? Adeone viles tibi tot miſerorum hominum animae, ut duriorem ſortem te nunc judice, quam olim mures te patrono, experiantur? De eorum innocentia non loquor: ſed ſcis ipſe, quam multa illis calumnioſe affingantur, alioqui ſedulis Dei cultoribus, et dominis ſua jura principique et magiſtratibus tributum et obedientiam praeſtare nuſquam detrectantibus. Quamobrem pro neceſſitudine, quae inter nos eſt, iterum te etiam atque etiam rogo, ut has rationes mature perpendas; tibique perſuadeas, nuſquam de morte hominum, ſalute et bonis, cunctationem longam eſſe. Hoc ſermone [a] Alenius apud [b] Caſſanacum pervicit, ut res differretur, copiaeque, quae jam magno numero convenerant, dimitterentur, donec regis ſententia exquiri poſſet; qui ubi de ſenatuſconſulto per Gul. [c] Bellaium Langaeum, qui [d] Subalpinae provinciae praeerat, reſcivit, eidem negotium dat, ut de cauſa ipſe cognoſceret, et ea cognita ad ſe referret. Ille ergo quaeſtione habita ſic reperiebat, [e] Valdenſeis, qui dicuntur, homines eſſe, qui CCC circiter abhinc annis aſperum et incultum ſolum vectigale a dominis acceperint, quod improbo labore et aſſiduo cultu frugum ferax et aptum pecori reddiderint; patientiſſimos eos laboris et inediae; a litibus abhorrenteis, erga egenos muneis eſſe; tributa principi et ſua jura dominis ſedulo et ſumma fide pendere: Dei cultum aſſiduis precibus et morum innocentia prae ſe ferre; ceterum raro Divorum templa adire, niſi ſi quando ad vicina ſuis finibus oppida mercandi aut negotiorum cauſa divertant: quo ſi quandoque pedem inferant, non Dei Divorumve ſtatuis advolvi; nec cereos eis aut donaria ulla ponere: non ſacerdotes ab eis rogari, ut pro ſe aut propinquorum manibus rem divinam faciant: non cruce frontem inſignire, uti aliorum moris eſt: cum coelum intonat, non ſe luſtrali aqua aſpergere, ſed ſublatis in coelum oculis Dei opem implorare: non religionis ergo peregre proficiſci; non per vias ante crucium ſimulacra caput aperire: ſacra alio ritu et populari lingua celebrare: non denique pontifici aut epiſcopis honorem deferre; ſed quoſdam e ſuo numero delectos pro antiſtitibus et doctoribus habere. Haec ubi ad Franciſcum relata, VI Eid. Feb. anni ſequentis ad ſenatum Aquenſem diploma mittit, quo criminibus condonatis trimeſtre ſpatium Valdenſibus praeſtituit, intra quod ſententiam publice revocare teneantur: utque intelligatur, qui ſint ii, qui beneficio uti velint, poteſtatem per ſenatum fieri decernit, ut delecti ex oppidis et vicis Aquas-Sextias ceterae multitudinis nomine veniant, et publice

INTERPR. [a] *d'Alenco.* [b] *Chaſſeneux.* [c] *du Bellay, ſieur de Langey.* [d] *Piedmont.* [e] *les Vaudois.*

publice errorem ejerent: ſi in ſententia perſtent, de iis more majorum ſupplicium, implorata a ſenatu, ſi opus ſit, praefectorum militarium ope, ſumatur. Diplomate in ſenatu recitato, Merindolianae plebis nomine Franciſcus [a] Caius et Gul. [b] Armantius [c] Aquas veniunt, ſuppliciqne libello porrecto a ſenatu petunt, ut denuo de cauſa cognoſcatur, et vocatis theologis res in diſputationem deducatur; iniquum quippe eſſe, ut, antequam convicti fuerint, ſe haereticos fateantur, aut inauditi damnentur. [d] Caſſanaeus, cui amici monita alte in pectus deſcenderant, ſevocatos legatos, adhibitis etiam cognitoribus regiis, viciſſim admonet, ut errorem agnoſcant, nec judicibus nimia ſua contumacia neceſſitatem imponi patiantur, ut in eos acerbius, quam ipſi velint, decernant: cum nihilo minus, ut de erroribus ſuis cognoſceretur, Caſſanaeum interpellarent, ille tandem a contumacibus impetrat, ut doctrinae ſuae capita ſenatui, qui ea ad regem deferri curet, exhiberent. [e] Caprarienſes, qui in [f] Venaſcinenſi comitatu ſunt, eodem tempore ab [g] Avenionenſibus bello petebantur; ii in communi periculo communem quoque religionis profeſſionem conſcribunt, cum Lutheri doctrina fere conſentientem; et inde ad Franciſcum, qui eam [h] Caſtellano examinandam tradidit, inde ad Jac. [i] Sadoletum cardinalem Carpentoracti epiſcopum mittunt; qui, ut erat pio et miti ingenio, perbenigne ſupplices accipit, et, quae ultra ea capita libro comprehenſa de ipſis ſpargantur, ad invidiam conficta et meras nugas eſſe ingenue declarat; id enim quaeſtionibus ſuper ea re habitis ſibi certo conſtare: ceterum oblato libello videri multa ineſſe, quae partim integra ſententia in melius mutari, partim acerbius in pontificem et praeſules dicta temperatiore ſtylo mitigari poſſint; ſe nihilo minus eis bene velle; minimeque ex animi ſui ſententia futurum, ſi cum his hoſtiliter ageretur: ſe quamprimum Caprariam ad aedeis ſuas venturum, ibique coram de re tota plenius cogniturum. Ad haec verba propenſae nec fictae erga eos voluntatis ſignificationem addidit; [k] legato Avenionenſium, qui cum manu armata adventabat, repreſſo, et ut retro cederet admonito. Exhibita Merindolianorum confeſſione, ſenatus decreto Joan. [l] Durantius et [m] Cavalionenſis epiſcopus, adjunctis quibuſdam doctoribus, Merindolium proficiſcuntur, qui miſeros vicanos erroris coarguant, et errorem quidem ejerantibus veniam et impunitatem impertiantur; ſi recuſent, rem ad ſenatum referant. Quamvis illi contra animum obfirmarent, ſuperſtite tamen Caſſanaeo a vi et injuria abſtinetur, quod totius rei cognitionem rex ad ſe revocaverat: verum eo ſubita morte abſumpto cum Jo. [n] Minerius Oppeda in ipſius locum ſucceſſiſſet, homo vehemens et ob acceptas a Caprarienſibus, quibus vicina praedia habebat, injurias infeſtiſſimus, renovatum contra Valdenſeis odium. Is enim cum ſummum ſibi per [o] Ludovici Aemarii comitis Griniani, qui ad [p] Wormatiae comitia a rege miſſus fuerat, abſentiam, in [q] Provincia imperium arrogaret, Franciſcum per literas certiorem facit, Valdenſeis coactis circiter XVI hominum millibus [r] Maſſiliae occupandae conſilia capere, et res novas in Provincia moliri, miſſo etiam Philippo [s] Curtinio curiae apparitore, qui cognitoris regii nomine peteret, ut judicium contra contumaces datum executioni demandaretur. Rex hoc nuncio exaſperatus, ſubdente odiis faces cardinali [t] Turnonio, Griniani propinquo, et acerrimo hujus generis hominum hoſte, ad ſenatum dat literas menſe Januario anno hujus ſaeculi XLV, quibus, ut in Merindolianos et reliquos Valdenſeis legibus agatur, ſenatui permittit: cumque Imperii Ordines datis Ratiſpona literis et Helvetiorum Proteſtantium pagi inſtarent, ut non ſolum poena ſed etiam conditio de errore agnoſcendo remitteretur, quod ea gratia conſtantiae et conſcientiae vim afferri dicerent, conſtanter pernegavit: et cum poſtea,

INTERPR. [a] *Chay.* [b] *Armant.* [c] *Aix.* [d] *Chaſſeneuz*, ou *Chaſſanée.* [e] *ceux de Cabrieres.* [f] *comtat Venaiſſin.* [g] *ceux d'Avignon.* [h] *du Chaſtel*, ou *Caſtellan*: Beze le nomme *Chaſtelain.* [i] *le card. Sadolet, evêque de Carpentras.* [k] *le Vicelegat d'Avignon.* [l] *Duranti.* [m] *de Cavaillon*, [n] *Meinier, baron d'Oppede.* [o] *Louis Adhemar de Monteil, baron de Grignan.* [p] *Wormes.* [q] *Provence.* [r] *Marſeille.* [s] *Courtain, huiſſier du parlement.* [t] *de Tournon.*

CIↃIↃL.
Henricus II.

poſtea, ut in profugos miſericordia uteretur, ab ipſis rogaretur, praefracte reſpondit, non debere eos, quid domi agat, aut quomodo in ſonteis animadvertat, magis ſolicitos eſſe, quam ſit ipſe de illorum negotiis. [a] Minerius ergo acceptas literas aliquanto tempore premit, rei gerendae occaſionem opperiens: nam interea delectus Anglici belli nomine paſſim habebantur: nec ſecretum evulgari volebat, ut facilius imparatos opprimeret. Cum omnia parata eſſent, et [b] Aquis, Arelati, Maſſiliae ceteriſque frequentioribus locis militiam gravi denunciata poena iis omnibus imperaſſet, qui arma ferre poſſent, jamque ut peditum ſigna cum equitum ala, cui [c] Polinius praeerat, ex [d] Subalpina regione atque [e] Avenione auxiliares copiae conveniſſent, hactenus ſuppreſſae regis literae in ſenatu recitantur: quibus lectis patres pridie Eid. April. ſententiam contra Merindolianos latam exequendam pronunciant: reſque Fran. [f] Fundanio praeſidi, [g] Honorato Tributio et Bernardo [h] Badetio ſenatoribus committitur, adjuncto N. [i] Guerino patrono regio, praecipuo belli incentore. Ipſe Oppeda poſtridie, magna procerum caterva ſtipante, [k] Cadenetum ad exercitum venit, CCCC ſecum foſſoribus adductis. Primus in agrum [l] Pertuſio oppido vicinum fit impetus. [m] Pupis, [n] Motha, et [o] Martiniacum, vici ad Druentiam capiuntur, diripiuntur, inflammantur. Sequenti die [p] Villa-laurea, [q] Lauromarinum, [r] Genſonium, [s] Trezeminae, [t] Rupes, vici, unde multitudo profugerat, crudeliter incenduntur, pecore omni abacto. Mox de Merindolio oppugnando Oppeda conſultat: ſed cum vicani omnia circum ardere cernerent, ut periculo praeverterent, in ſilvas proximas confugiunt cum conjugibus et liberis, lamentabili admodum ſpectaculo, cum paſſim per avia ſenes cum pueris miſti incedere, et mulieres in cunis, inter brachia, in ſinu denique infanteis ejulanteis geſtare conſpicerentur. Ad [u] Sanfaleſium vicum primae noctis hoſpitium fuit; quo loco et incolae jam fugam parabant, quod ſcirent a Cavalionenſi epiſcopo pontificio legato ſuis imperatum eſſe, ut ipſos trucidarent: poſtridie ulterius tuti ſilvarum opacitate progrediuntur, alioqui undique ſibi metuentes. Oppeda quippe [x] Valdenſibus aqua et igni interdixerat, et capite ſanxerat, ne quis re ulla illos juvaret, ſed quocunque loco deprehenſi, nullo ſexus aut aetatis diſcrimine habito, omnes occiderentur. Jamque ad conſtitutum hoſpitium pervenerant, difficili ſupra modum itinere, pondus ventris et liberorum onus mulieribus vix ſufferentibus, et multi, qui ſedibus relictis ſaluti fuga conſuluerant, jam eodem quoque confluxerant; cum ſub noctem nunciatur, Minerium cum omnibus copiis adventare. Tum vero, cum conſilium ex tempore capere cogerentur, et relictis ibi conjugibus et cetera imbelli turba, cui parſurum hoſtem rebantur, iter arripere, gemitus audiri, lamentis et foemineo ululatu perſonare omnia, montibus et ſilvis repercuſſam vocem ingeminantibus, tumultu cuncta et perturbatione miſceri. Cum totam noctem eundo conſumpſiſſent, tandem ſuperato [y] Leberiae monte ardenteis paſſim vicos et praedia deſerta conſpicati [z] Muſſium oppidum petunt. Heic Oppeda copias bipertito dividit, et partem ad inſequendos profugos mittit, nam per indices aufugiſſe reſciverat, partem Merindolium ſecum ducit: tum ex Oppedanis quidam commiſeratione tactus praecurrit, et e ſummo rupis culmine, qua Merindolianos conſediſſe conjectabat, duo ſaxa dejicit, et per intervalla, illis, ut ſe fuga periculo ſubducerent, miſerabili voce acclamat: continuoque Muſſio egrediuntur, qui cuſtodes cum inermi turba relictos et paſtorem fugere juberent, commonſtrato per vepreta avio itinere: nec multo poſt Oppedani adſunt, et rabiem ſpirantes ſtrictis gladiis omneis ad caedem depoſcunt, in foeminas foedius invaſuri, quae omnino ↀ erant, niſi a centurione, mortem ni temperarent interminante, prohibiti fuiſſent. Inde ſpoliatis iis et pecore omni abacto diſcedunt.

INTERPR. [a] *Meinier, baron d'Oppede.* [b] *Aix, Arles, Marſeille.* [c] *le capitaine Polin, baron de la Garde.* [d] *Piedmont.* [e] *Avignon.* [f] *le preſident de la Fonds* [g] *Honoré de Tributiis.* [h] *Badet.* [i] *Guerin.* [k] *Cadenet.* [l] *Pertuis.* [m] *Pupin* [n] *la Mothe* [o] *St. Martin ſur la Durance.* [p] *Ville-laure.* [q] *Lourmarin.* [r] *Genſon.* [s] *Treizemines.* [t] *la Roque.* [u] *Saintfalaiſe.* [x] *les Vaudois.* [y] *Mont-Leberon.* [z] *Muſſi.*

CIϽIϽL.
HENRICUS II.

diſcedunt. [a] Oppeda Merindolium incolis vacuum ingreditur, et unico inibi adoleſcente reperto, cui [b] Mauritio Candido nomen erat, furorem, quem in univerſos non poterat, in eum effudit, ſtatimque oleae alligatum ſcloppetis crudeliter necari juſſit. Incenſo deinde et diruto vico recta Caprariam ducit. Cum oppidani initio, qui vix LX cum XXX circiter foeminis remanſerant, portas venienti clauſiſſent, tormenta admoventur; ſed mox vitam pacti deditionem faciunt, [c] Polinio fidem interponente et loci domino: verum intromiſſo praeſidio omnes capti, etiam ii, qui in caſtelli cavea latebant, aut templi religione ſe tutos credebant, inde extracti, et in pratum ſubjectum deducti, nullo aetatis aut fidei datae reſpectu, jugulantur. Caeſos tam intra quam extra oppidum IϽCCC numerum expleviſſe memorant. Foeminae juſſu Oppedae in horreum ſtraminis plenum conjectae, et ſubjecto igne, cum per feneſtram ſe ſaltu dejicere molirentur, contis et haſtis repulſae fumoque ſuffocatae ac flammis poſtremo omnes conſumptae ſunt. [d] Coſtam inde petunt; cujus dominus cum incolumitatem oppidanis pollicitus eſſet, modo arma in caſtellum comportarent, et muros quatuor locis demolirentur, creduli illi imperata faciunt, et nihilo minus adventante Oppeda incenſis ſuburbiis et capto oppido, qui reliqui in eo reperti ſunt, omnes ad unum trucidantur. Foeminae, quae in hortum caſtello vicinum ſeceſſerant, ut primam militis rabiem evaderent, a furentibus violatae, et ſatiata libidine tam crudeliter habitae, ut pleraeque, quae uterum geſtabant, nec non etiam virgines, ſive ex animi moerore ſive fame et cruciatibus perierint. Qui Muſſii latebant, tandem detecti, eandem quam ceteri ſortem ſubierunt: reliqui huc illuc per ſilvas ac montium ſolitudines vagi miſere vitam tolerabant, amiſſis conjugibus et liberis; ex iiſque quidam Genevam, alii ad Helvetios ſe contulere. XXII omnino vici numerantur, de quibus ſummum ab Oppeda ſumptum ſupplicium eſt: quo auctore rurſus delecti ex judicibus, qui de haereticis quaeſtionem haberent: ii partem reliquiarum ad triremeis damnant, partem grandi pecunia mulctant: quidam et abſoluti; in his [e] Centalii clientes, qui errorem more ſolemni publice ejeravere. His confectis Oppeda ac delecti judices conſcientia attoniti, cum merito vererentur, ne inde olim ipſis capitis periculum crearetur, [f] Fundanium praeſidem ad regem delegant, qui immaniter partim necatos partim vexatos atrocibus criminibus oneraret, et pro gravitate facti admodum leniter cum iis actum doceret. Is a rege diploma impetrat XV Kal. Septembr. [g] Turnonio, ut creditur, ſuggerente, quo ſupplicium de nocentibus ſumptum comprobare videbatur; cujus tamen eum poſtea poenituit. Plerique ſcripſere, inter noviſſima mandata, quae moriens Henrico filio dedit, hoc etiam addidiſſe, ut de injuriis a ſenatu [h] Aquenſi Provincialibus in ea cauſa illatis quaeri juberet: ante vero quam moreretur, Joannem [i] Romanum monachum comprehendi juſſerat, et ſenatui Aquenſi mandaverat, ut in eum animadverteret: is ſiquidem, cum de haereticis quaeſtionem haberet, novum tormenti genus repererat, iis qui tormentis ſubjiciebantur ocreas ſebi bullientis plenas induere juſſis, quos ridens coram contemplabatur, et admotis calcaribus, Ecquid belle inſtructi eſſent, ut peregre proficiſcerentur, rogabat. Verum ille de ſenatus decreto certior factus [k] Avenionem profugit; ubi ab hominibus, ut ſibi videbatur, ſecurus, divinam ultionem non effugit, omni peculio a domeſticis ſpoliatus, et ad extremam inopiam redactus, cum ſcatente foedis ulceribus corpore mortem ſaepius optaret, quam non niſi ſero, et poſt horrendos cruciatus, votis propitiam expertus eſt. Mortuo ergo Franciſco, cum Turnonius cardinalis et [l] Grinianus, qui in gratia regis diu floruerant, iis, qui circa novum regem erant, ſumme inviſi eſſent, Merindoliani ac ceteri Valdenſes, qui ſcirent eos gratia excidiſſe, reliquiis ſuorum collectis, querimoniam de iniquitate ac crudelitate ſenatus Aquenſis inſtituunt,

INTERPR. [a] *Meinier, baron d'Oppede.* [b] *Mauriſi Blanc.* [c] *le capitaine Polin.* [d] *la Coſte.* [e] *Cental.* [f] *de la Fonds.* [g] *le cardinal de Tournon.* [h] *d'Aix.* [i] *de Roma Jacobin.* [k] *Avignon.* [l] *le baron de Grignan.*

tunnt: et odio illorum facile impetrant, ut denuo de cauſa cognoſceretur, [α] Guiſio praecipue auctore; ſic enim Aumalius, Claudio patre nuper mortuo, vocabatur, qui ab [β] Ludovico Aemario Griniannm comitatum donationis ſeu venditionis titulo, ut ſe periculo eximeret, obtinuit. Etſi enim omnia per ejus abſentiam geſta erant, uti diximus, tamen quod ab Oppeda ipſius legato ejuſque juſſu geſta dicerentur, in partem et ipſe periculi vocatus eſt. Res primo in magno, quod vocant, concilio acta eſt; deinde cum Oppeda, [a] Fundanius, [b] Tributius, [c] Badetius ac Guetinus ad cauſam dicendam citati ſe rei judicatae exceptione adverſus accuſatores tuerentur, cognitore regio nequicquam ab illorum judiciorum executione appellante, tandem diplomate novo XVI Kal. April. rex cauſam ad ſe revocat; et quoniam de ſenatuſconſultorum ſupremae Aquenſis curiae vi et auctoritate agatut, tam rei ipſius, quam appellationum cognitionem magnae Pariſienſis ſenatus claſſi attribuit; ubi cauſa publice magna contentione et corona per L dies acta eſt, a Jacobo [d] Auberio pro [e] Merindolianis, Petro [f] Roberto pro [g] ſenatu Aquenſi, et Dionyſio [h] Riantio cognitoris regii loco. Ad tot immanium facinorum, quorum rei inſimulabantur, mentionem, cum animi audientium in ſummam expectationem erecti eſſent, exitus judicii ſpem omnium fruſtratus eſt, Guerino ſolo, quod aulicorum favore deſtitueretur, pro reliquis capitis poenam luente. Oppeda, qui cum Griniano Guiſii itidem commendatione periculo exemptus fuerat, priſtinae dignitati cum collegis reſtituitur: ſed paulo poſt ſaevis inteſtinorum doloribus diu vexatus, crudelem animam inter crudeliſſimos cruciatus exhalavit; et meritam poenam, quam judices non exegerant, ſerius, ſed eo graviorem, Deo pependit.

XVII. DIVERSA parte in [i] Belgio Caeſar, ſtatim atque de novo pontifice creato reſcivit, litetas ad Imperii Ordines dat IV Eid. Martias; quibus ſignificabat, ſibi conſilium fuiſſe ſuperiore anno in Germaniam proficiſci; ſed majore ejus parte rebus Belgii ordinandis et filio accipiendo atque per urbeis deducendo inſumpta, cum in eo eſſet, ut ad iter ſe accingetet, de pontificis morte accepiſſe; itaque expectandum duxiſſe, dum novus ſufficeretur: tandem Julium III creatum eſſe; qui cum de ſua egregia in rempublicam Chriſtianam voluntate liberaliter admodum et prolixe omnia polliceatur, eam rei bene gerendae occaſionem minime praetermittendam videri; ſed in hoc laborandum, ut diſſidiorum cauſae ac ſemina evellantur, pax et aequabile jus in eccleſia et civili adminiſtratione conſtituatur, ac rebelles coërceantur: igitur decreviſſe conventus Imperii habere [k] Auguſtae Vindelicorum ad VI Kal. Quintil. quibus ut omneis interſint et rogat et jubet, nec ulla re, quo minus ipſi veniant, impediri ſe patiantur, niſi adverſa valetudine, cujus tamen fidem jurejurando facere teneantur: quod ſi citra fraudem contingat, ne qua mora [γ] deliberationi interponatur, legatos cum plenis mandatis de rebus omnibus, quae ad rempublicam pertinebunt, mittant. Interea Magdeburgici crebris edictis proſcripti, cum procellam imminentem metuerent, rurſus VIII Kal. April. novum ſcriptum edunt, quo, iiſdem quas ſuperiore anno adduxerant rationibus, neque divino neque humano jure perduelleis ſe eſſe demonſtrant; quinimo eos, qui contra ſe arma ſumant, Chriſto ipſi bellum inferre: poſtremo objecta crimina et calumnias, quas Dei et libertatis Germanicae hoſtium figmenta eſſe aiunt, multis verbis diluunt. Cum vero [l] Argentinae ante aliquot menſeis epiſcopus in tribus illis templis, quae ſenatus ei per tranſactionem conceſſerat, veſpertinas preces et poſtridie ſolemne ſacrum celebraſſet, ad novum ſpectaculum (jam enim totos XXI annos haec intermiſſa fuerant) ex plebe quidam, dum concio haberetur, per laſciviam excitato ſtrepitu illudentes tantum metum ſacerdotibus injecerunt, ut ſibi, quo vitae conſulerent, inde quamprimum fugiendum eſſe ducerent, nequicquam renitente magiſtratu, qui facti invidiam ad urbis dignitatem et tranquillitatem

pertinere

VAR. LECT. [α] Guiſiano P. [β] Ludovico *deeſt* P. D. o. [γ] deliberationibus P.

INTERPR. [a] *de la Fonds.* [b] *de Tributiis.* [c] *Badet, & Guerin.* [d] *Aubery.* [e] *ceux de Merindol.* [f] *Robert.* [g] *parlement d'Aix.* [h] *de Riants.* [i] *pays bas.* [k] *Augsburg.* [l] *Strasbourg.*

pertinere haud immerito arbitrabatur. Nihilominus illi diſcedunt, et [a]Tabernas ad epiſcopum ſe conferunt: ſicque a divino ſacrificio per aliquot menſeis ceſſatum fuit, donec Caeſar auditis partibus, epiſcopo, ut opus inchoatum inſtauret et perſequatur, mandat. Itaque ad Pentecoſten, qui dies erat IX Kal. Junii, rurſus ſacerdotes cum epiſcopo Argentinae conveniunt; conſulibus et ſenatoribus aliquot in diverſa primarii templi parte obſervantibus, ne quis motus excitaretur. Sub exitum Maii Caeſar Bruxellis diſcedens cum Philippo filio [b]Auguſtam ad conventus peragendos proficiſcitur, adducto ſecum Saxone, et relicto [c]Mechliniae Heſſo, ne praeſentia ejus Mauritius et Brandeburgicus ſeptemviri ad praeſtandam ſponſionem urgerentur. [1] XIX Kal. Maii edictum graviſſimum in Lutheranos ante profectionem promulgaverat Caeſar; quo prohibebatur, ne quis libros a M. Luthero, Jo. Oecolampadio, Uld. Zuinglio, Mart. Bucero, Joan. Calvino XXX abhinc annis editos emeret, divenderet aut quoquo modo ſive iſtos haberet ſive alios ejus generis quoſcunque, qui theologorum Lovanienſium indice [α] continerentur: quem idcirco pro librariorum tabernis palam proponi jubet: conventus item occultos celebrare, de ſacra ſcriptura diſputare, aut vero eam interpretari, imagines ullas ad beatae virginis contemptum aut ſanctorum ludibrium depictas habere, eodem edicto interdicitur, poena in viros capitis, in foeminas defoſſionis in terram, ſi ab errore reſipiſcant; ſin pertinaces fuerint, exuſtionis; atque utroque caſu publicationis bonorum propoſita. In ſuſpectos et multa ac gravia conſtituuntur, inquiſitoribus et eorum juriſdictioni data ſumma poteſtate, ut non plebeios tantum, ſed etiam magiſtratus ad ſe in jus vocare et interpoſito jurejurando cogere poſſint, ut ad interrogata reſpondeant, compertaque deferant: praemium etiam partis bonorum delatoribus propoſitum. Ita calumniis et vexationibus in omneis [d]Belgii ſubditos, et eos ſimul, qui magno numero negotiandi cauſa illuc confluebant, feneſtra aperta eſt; quo factum, ut Angli ante omneis inde demigrandum ſibi eſſe exiſtimarent. Antuerpienſis vero ſenatus, cujus urbs libertate et immunitatibus in ſuſpiciendam illam ſupra omnia orbis Chriſtiani emporia magnitudinem excreverat, cum magno ſuo diſpendio id futurum videret, inquiſitionis ac decreti ſeveritatem deprecatus, apud Mariam reginam, quam Caeſar frater Belgio praefecerat, tandem pervicit, ut decretum, licet [e]Antuerpiae praecipue cauſa factum, donec de re tota ad Caeſarem referretur, interquieſceret. Itaque Maria ipſa Auguſtam ea de cauſa venit; et a fratre aegre tandem impetravit, ut decretum mitigaretur, et mutatis iis, quae ad exteros negotiatores ſpectant, inquiſitionis odioſum nomen prorſus aboleretur, manente quod ad cetera edicto. Tunc etiam Matthias Flaccius edito lingua Germanica [β] ſcripto, quorſum pertinerent arma in Germania excitata, oſtendit; quibus tamen multi ſupina ſeu maligna ignorantia occaecati, religionis cauſam non agi, impudenter hactenus, ut ipſe aiebat, contenderent. Initium comitiorum factum VII Kal. Sextil. quae et ipſa, ſicuti ſuperiora, quamvis pacatiore tum ſtatu, armata multitudine circumſtrepebant. Ibi de continuando concilio, de ſervando Auguſtae facto decreto, de perduellibus compeſcendis, de juriſdictione conſtituenda, ac bonorum ſacrorum belli tempore uſurpatorum reſtitutione agitur. Affuerunt [f]Moguntinus et Trevirenſis ſeptemviri; nam Colonienſis rebus domi componendis diſtinebatur: ex principibus Willelmus [g]Baioarus, et Henricus tandem Brunſvicus; item Pruſſiae magiſter; et epiſcopi [h]Herbipolenſis, Auguſtanus, Tridentinus, Conſtantienſis, [i]Eiſtetenſis, [k]Cameracenſis, [l]Merſburgenſis: ceteri principes legatos miſerunt. Ac Mauritius quidem non aliter concilium ſibi probari poſſe declarat, quam ſi res omnis ab initio retractetur; et

VAR. LECT. [α] non continentur P.D.o.f.d. [β] decreto P.D.o.

INTERPR. [a] *Zabern en Alſace.* [b] *Augsburg.* [c] *Malines.* [d] *Pays bas.* [e] *Anvers.* [f] *les electeurs de Mayence, & de Treves.* [g] *le duc de Baviere.* [h] *les evêques de Wurtzburg, Augsburg, Trente, Conſtance.* [i] *d'Eychſtadt,* ou *Aichſtadt.* [k] *de Cambray.* [l] *de Mersburg.*

NOT. [1] Lege *prid. Kal.* Put.

CIↃIↃL.
HENRICUS II.

er Auguſtanae confeſſionis theologi non ſolum audiantur, ſed etiam judices ſedeant; pontiſex vero concilio ſe ſummittat, neque praeſidis locum obtineat; jusjurandum etiam epiſcopis remittatur, quo libere ſententiam dicant. Cum conteſtationem publice recitatam legatus in acta referri poſtularet, id ei a Moguntino, penes quem ejus rei facultas eſt, denegatur; quod a Mauritio homine callido, et qui huc uſque diſſimulaverat, factum plerique exiſtimant, ut, cum jam omnia, quae a Caeſare ſperaverat, conſecutus eſſet, invidiam, quam apud Proteſtanteis ſuſtinebat, quaſi Pontificiis faveret, amoliretur: quas ſuſpiciones ut dilueret, jam anno ſuperiore ad ditionis ſuae praefectos acreis et offenſionis plenas literas [a] Lipſia miſerat. Sub id tempus Nic. Perrenotus [b] Granvellanus, cum [c] Veſontione Sequanorum metropoli, quae ipſi patria erat, nuper Auguſtam veniſſet, diem clauſit extremum: vir magnae prudentiae, ob idque arcanorum fere omnium Caeſaris conſcius, qui poſt Mercurium [d] Herborium Gatinaram cardinalem, cujus adeo honorifica apud Fr. Guicciardinum mentio fit, ſummum dignitatis locum in aula Caeſaris jam totos xx annos tenuerat. In ejus locum ac dignitatem Antonius filius [e] Atrebatum praeſul, quod raro accidit, ſucceſſit, in illa aetate exactam rerum agendarum ſolertiam ſub parente adeptus; ſed qui per obliqua conſilia, dum nimis obſequioſe principum ſuorum magnitudini ſtudet, male apud ſuos audiit, et Belgis ac poſtremo Neapolitanis inviſus maxima quaeque negotia ſub Philippo in Hiſpania geſſit.

XVIII. JAM omnia in Saxonia armis ſtrepebant. Principium ab Henrico Brunſvico homine turbido et otii impatienti fuit, qui Brunſvicam urbem tota ea regione opulentiſſimam et ob religionem atque alias offenſiones Caeſari atque ipſi ſummopere inviſam copiis undecunque collectis eo tempore obſedit, et, cum aliud non poſſet, incendiis ac direptionibus vicinum agrum vaſtavit: quod non omnino praeter Caeſaris voluntatem accidit; qui, cum videret Brunſvicum, quod moliebatur, exſequi non poſſe, ut honeſtius obſidio ſolveretur, civibus et [α] Brunſvico [β] ipſi mandat, ut poſitis armis coram ſe ad cauſam dicendam ſiſtant. Ita dimiſſae utrinque copiae; quas omneis, ſic enim convenerat, Georgius dux [f] Megalopolenſis adoleſcens, qui Henrico Brunſvico militaverat, ut bellum in [γ] Magdeburgicos transferretur, ad ſe traduxit; ab eccleſiaſticis, [δ] uti fama erat, amplis praemiis ac pollicitationibus oneratus, qui ſe eo ductore de injuriis a ſenatu acceptis vindictam ſumpturos ſperaverant. Nam cum nuper Jo. Albertus Brandeburgicus archiepiſcopus deceſſiſſet, totius provinciae dominium ei fuiſſe pacti, ſi quidem illud occuparet, et treis praecipuas arceis, [g] Wandelebium, [h] Dreilebium et [i] Wolmerſtadium oppigneraſſe per literas dicuntur. Hanc autem conditionem conducto militi Georgius impoſuit, ut ante xv diem, quiſnam imperator ſummus eſſet, non reſciret, ita propoſita ad praedam opima regione: id enim pro vetere conſuetudine iis copiis licet, quae duce carent. Igitur ille per Halberſtatenſem agrum tendens in [ε] Magdeburgicum mox deſcendit, et, omni militaris licentiae genere graſſatus, Wandelebium oppidum primo impetu capit, et direptum xv Kal. Oct. incendit, fruſtra arce tentata; qua omiſſa nonnulliſque ibi e ſuorum numero deſideratis ulterius progreſſus, quaecunque iter habuit, caedibus, rapinis, incendiis paſſim ſaeviit. Itaque promiſcua per agros et oppida multitudo cum conveniſſet, ſenatus Magdeburgici fidem atque opem implorans, ſumptum et operam pollicetur, modo ne periculum ſuum negligeretur. Iis, ut cum armis, equis et curribus inſtructi praeſto ſint, dies ad xi Kal. Octob. a ſenatu dicitur. Eodem quo advenere die ſenatus III equitum turmas ac peditum aliquot cohortes, quae tam agricolis quam civibus conſtabant, emittit: quae ad Wolmerſtadium II ab urbe milliaribus uſque progreſſae ibi pernoctavere.

VAR. LECT. [α] Brunſvicenſi mandat *P. D. o.* [β] ipſi *deeſt D. f.* [γ] Magdeburgenſeis *P. D. o. f.* [δ] uti creditur *P. D. o. f.* [ε] Magdeburgicum oppidum *D. o. f.* Magdeburgicum agrum *D. d.*

INTERPR. [a] *Leipſik.* [b] *le chancelier de Granvelle.* [c] *Beſançon, capitale de la Franche Comté.* [d] *Herborio Gatinara.* [e] *Arras.* [f] *de Mecklenburg.* [g] *Wanſleben.* [h] *Drieleben.* [i] *Wolmerſtadt.*

pernoctavere. Ante auroram promotis caſtris Magdeburgici hoſtibus, qui [α][a] Hilderſlebii ſubſtiterant, ſe oſtendunt, qui vico egreſſi effunduntur: utrinque inſtituitur acies. Magdeburgici impedimentis omnibus intra vallum receptis, civeis et optimos quoſque milites, in primis ordinibus, ubi plus periculi fore putabatur, agricolas vero et reliquam turbam aut inermem aut armorum ignaram in tergo collocant: quod ubi hoſtes animadvertere, ſtatim converſa acie frontem declinant, et in latus incumbentes ſeminudam agreſtium multitudinem adoriuntur, priuſquam primi ordines ſe cum impedimentis obvertere aut opem ferre poſſent: illi partim caeſi, partim in fugam verſi ſuos auxilio venienteis turbant, qui inde fugientium incurſu, inde hoſtilis equitatus frontem et latera petentis impetu, ſternuntur et trucidantur: major pars capitur; multi tranato fluvio elapſi. Tormenta et currus in poteſtatem hoſtium venere. [b] Megalopolenſis ſucceſſum urgens, in confertos ruſticos cum equitatu invectus, magnam ſtragem edidit, nemini, niſi qui ſe magno pretio redimere poſſet, parcens. Ipſe arma cruore conſperſa gladiumque ſanguine undantem et dextram adhuc fumantem oſtentans juveniliter inſoleſcebat; ſuaque virtute effectum dicebat, ne reliqui principes ſecum vireis conjungere ad Magdeburgicos oppugnandos amplius dubitarent. Poſtridie Jo. Georgius [c] Mansfeldius in caſtra venit, copiaſque ſe adducturum pollicetur: nec multo poſt Mauritius et Joachimus ſeptemviri, Albertus Joachimi patruelis, Marchio [d][β] Columbacenſis et Henricus Brunſvicus cum valido equitatu ad exercitum advolarunt, a militibus mox imperatores ſalutari: Megalopolenſis magiſter equitum creatur. Tum nobilitas undique, ut equitatum adducat, edicto citatur. Mauritium et Joachimum eo veniſſe a multis creditum fuit, ut Megalopolenſi imperium abrogaretur, et in eos, qui illo moderatius uti ſcirent, transferretur. Georgius a [e] Sconbecia, ubi caſtra habebat, ad [f] Fermeſlebium ad Albim procedit, eoque in loco urbem verſus vallo ducto, caſtra quoque foſſa undique circumdat. Id conſpicati Magdeburgici unam atque alteram cohortem emittunt, ut opera hoſtium turbent. Acerrime utrinque pugnatur, hinc pudore civeis propter acceptam cladem incendente, inde alios recentis victoriae alacritate ſtimulante, qui tandem receptui cecinere. Dein VI Eid. Octob. ſublato ingenti clamore hoſtes undique moenia invadunt faces portis admoturi, aut ſaltem obſeſſorum animos periclitaturi et muniriones exploraturi; ſed tormentis magna cum ſtrage ſuorum repulſi multum de priſtina alacritate remiſerunt, et contra obſeſſis animos addiderunt. Rurſus poſtera die fit eruptio, in qua multis e ſuis deſideratis Megalopolenſis poſt acrem dimicationem leproſorum valetudinarium contra militaris diſciplinae leges incendit: miſeri tamen aegri flammas evaſere, et in urbem a civibus accepti ſunt. Sequentibus diebus utrinque velitaribus pugnis certatum: cumque obſeſſi hortum montanum arduo loco ſitum occupaſſent, et adverſus hoſtem magna ſe diu virtute defendiſſent, tandem impetu facto ſe effudere, et hoſtes in foſſam adverſam praecipites egere: ibi quoque magna edita ſtrages. Induciae deinde pactae; et Wolfangus Anhaltinus princeps in urbem introducitur, ut de pace ageret, [γ] Mauritio moras quantum poterat nectente, ut interim in armis cum ſummo imperio eſſet, et occaſionem rei gerendae opperiretur. Durioribus propoſitis conditionibus, nihil actum eſt; manentibus tamen induciis beati Michaëlis ſuburbium per laſciviam hoſtium ſubjecto igne conflagravit. Rurſus ad certamina reditum, et a Joachimo ſeptemviro, cum [g] Wolmerſtadium peteret, ſcloppetariorum ad urbis praeſidium [h] Goſlaria venientium manipulus intercipitur et obtruncatur. Poſtero die, cum obſeſſi in planitiem, quae ſupra [i] Bugoam eſt, ſe effudiſſent, hoſtem in fugam vertunt; ſed quatriduo poſt longius provecto equitatu et ipſi male a Caeſarianis accepti cum damno intra urbem ſe recepere. Nonis deinde Novembris juxta

VAR. LECT. [α] Hilderesbii *P.D.o.f.d.* [β] Coblacenſis *P.D.o.f.d.* [γ] Mauritio, uti creditur *P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *Hilderſleben.* [b] *le duc de Mecklenburg.* [c] *le comte de Mansfeld.* [d] *de Culmbach.* [e] *Sconbec.* [f] *Fermeſleben ſur Elbe.* [g] *Wolmerſtadt.* [h] *Goſlar.* [i] *Bugt.*

CIↃIↃL.

HENRICUS II.

juxta Albim in agro Bugoenſi hoſtes aggerem jaciunt, vallumque terra paliſque conſtructum munire coeperunt. Ibi haud procul a lacu [a] Roſterdorfenſi, cum praeſidiarii urbe exiiſſent, concurſum eſt iniquiore obſeſſorum conditione, qui tamen integri in urbem rediere. Interea in comitiis, poſtquam Caeſar gravem de Magdeburgicorum ac Bremenſium praefracta et obſtinata audacia qoerimoniam habuiſſet, principes, qui aderant, interceſſionem ſibi dari poſtulant, et aſſentiente Caeſare literas ad utramque civitatem x Kal. Octobreis dant; quibus ad IV Non. Novembr. ipſis diem condicunt, quo [b] Auguſtam fide publica legatos cum plenis mandatis mittant, et ſe coram Caeſare dicendae cauſae ſiſtant. Cum vero principes et ordines a Caeſare quaererent, quibus conditionibus cum eis paciſci vellet, has ille quidem Bremenſibus proponebat; ut ipſius poteſtati ſe ſummitterent, et ſupplices culpam deprecarentur; ab omni foedere diſcederent, nullumque poſtea ierent, in quo non ipſe et tota ejus familia comprehendatur; ipſorum ditionis nemo contra ſe militet; camerae imperiali ſe parituros recipiant, ſumptuſque in eam pro virili ſubminiſtrent: cum archiepiſcopo ſuo et eccleſiaſticis tranſigant; ſi non poſſint, delectorum arbitrio, quos ipſe daturus ſit, rem permittant: machinas bellicas Erico Brunſvico ereptas reſtituant, et de damno dato ſatisfaciant; CL aureorum millia dependant; XXIV tormenta inſtructa tradant; ſuperiorum comitiorum decreto et iis, quae deinceps in comitiis decernentur, pareant. Eaedem Magdeburgicis leges propoſitae; hoc inſuper addito, ut ſe judicio omnibus ſiſtant, et ſententiae pareant; a tempore factae rebellionis nullam in quenquam actionem moveant; munitiones et propugnacula demoliantur; ſe ſuoſque legatos quocunque tempore cum quantiſvis copiis ſine ulla conditione in urbem recipiant; CC aureorum millia perſolvant, ratis manentibus bonorum publicationibus Caeſarea auctoritate factis, ne turbentur poſſeſſores. Ad haec Bremenſes reſcribunt, ſe pacis ſumme ſtudioſos ſemper fuiſſe, atque non ſolum per internuncios ſed etiam per Daniae regem et Vandalicas civitates egiſſe, ut Caeſarem placatum habere poſſent; in eadem voluntate perſeverare, et, quamvis durae admodum dicantur leges, tamen, ut oſtendant quanti Caeſaris auctoritatem et amicitiam faciant, non recuſare mittere legatos; et, ſi quidem religio ipſis integra et libertas maneat, nihil ſe non facturos, quo Caeſari omni ex parte ſatisfiat. Magdeburgicorum eodem die recitatur reſponſum, quod praeter eaſdem excuſationes etiam gravem de injuriis ſibi factis et bello nuper ſine Caeſaris mandatu a [c] Megalopolenſi ob id tantum, quod puriorem doctrinam colerent, illato, querelam admiſtam habebat: petebant igitur, ut eorum ratio haberetur, et copiae, quae nunc denuo ad urbem hoſtiliter venerant, recederent; de cetero legatis ſuis idonee caveretur, [α] ut, cum Caeſaris poſtulata intellexerint, ad ſe referre liceat; quod ſi concedatur, non recuſare, quo minus ex ſuo numero legatos ad Caeſarem mittant. Ad ea Caeſar, qui cum Bremenſibus mitius agendum duceret, quod nondum proſcripti eſſent, et aequiores ſe conditionibus oblatis praeberent, eorum expectandos legatos pronunciat, non eandem erga Magdeburgicos aequanimitatem exhibuit; quippe qui jam obſeſſi eſſent, et ſecus quam res haberet alieniuſque juſto et contemptim reſpondiſſe viderentur. Itaque petit a principibus et imperii Ordinibus, ut, quid in illos ſtatuendum ſit, nulla mora interjecta deliberate pergant; et quoniam eccleſiaſticus ordo de ſumptibus in illud bellum conferendis, et ut in eos tanquam perduelleis ſeveriſſime animadverteretur, in comitiis nuper egerat, ut illorum poſtulata diligenter expendant, in eoque faciant, quod e re et dignitate Imperii ſit, monet. Tam duris conditionibus propoſitis cum bellum potius quam rei pacificandae rationem quaeri appareret, plerique Caeſaris offenſionem veriti, quamvis aegre, aſſentiuntur et auxilia promittunt, invicemque orant, ut Caeſar ipſe pro virili conferat, et, ſi bello praeeſſe per valetudinem aut negotia non poſſit, aliquem ex Imperii

VAR. LECT. [α] et ut *P D.o.*

INTERPR. [a] *de Roſterdorf.* [b] *Augsburg.* [c] *le duc de Mecklenburg*

Imperii principibus praeficiat, Mauritio ad id deſignato, pecuniaque in eam rem deſtinata, quae jam ante in futuros reipublicae uſus collecta fuerat. Caeſar de Mauritio ſibi placere reſpondit, quo neminem eo tempore huic rei magis idoneum noverit; de pecunia etiam aſſentitur, modo quidquid ex aerario publico ſumptum fuerit, intra certum tempus ſarciatur; neque enim ea fine id coactum fuiſſe. Monet inſuper graviſſimis verbis, ut ſedulam in ea expeditione navent operam, quippe in qua et dignitas et tranquillitas Imperii verſetur: quod ita commode confici poſſe demonſtrat, ſi caſtellis ad urbem exſtructis continuetur obſidio: verum opus eſſe celeritate, propter anni tempus et brevem rei gerendae occaſionem. Ita Mauritius, qui ſe jam huic bello immiſcuerat, Caeſaris et ordinum decreto rerum ſummae praefectus eſt. Pro belli ſumptibus jam factis C aureorum millia, et deinceps in ſingulos menſeis LX CIↃ decernuntur.

XIX. CUM Caeſar Auguſtanum decretum urgeret, et cauſas quaereret, cur emendationis formula ſuo juſſu conſcripta minime obſervaretur, ſic comperiebat: non tam brevi tempore, quod diu ante homines perſuaſum haberent, ex eorum animis revelli poſſe: docendos enim eſſe et ſenſim aſſueſaciendos: nam ſine motu et ſeditione nihil violenter in eo negotio mutari poſſe: neque vero concionatores huc poſſe adigi; alioqui fore in templis ſolitudinem: vix enim reperiri, qui propter coelibatum et coenae Dominicae contractum uſum aſſentiri velint. Hae a Proteſtantibus, qui decreto ſubſcripſerunt, cauſae afferebantur. Archiepiſcopi vero ſeptemviri obeſſe quaſdam immunitates et privilegia aiebant: reliqui id gymnaſiis et ſcholarum ludis, in quibus prave juventus inſtituatur, tribuebant. Multi etiam in Auguſtanae confeſſionis miniſtros culpam rejiciebant, qui populum ab eo decreto, quaſi cum ſacris literis pugnante, abſterreant: denique ſacerdotum penuriam, magiſtratus negligentiam, qui formulam contumelioſis concionibus et libellis impune proſcindi patiatur; vitam denique eccleſiaſtici ordinis cauſabantur pleriſque locis impuram, quae offenſionis cauſam alienatis jam e ſe animis praeberet. Caeſar ad ea concilii rurſus Tridenti continuandi ſpem facit; ad quod ut legatos univerſi mittant, et ejus decretis ſe parituros recipiant, poſtulat. Nec multo poſt Julius III Eid. Novembr. concilium ad Kal. Maias indicit, et, ut omnes, qui jure, conſuetudine aut privilegio intereſſe debeant, et quos Paulus III ante vocaverat, eo veniant, hortatur: nam eo die continuatum iri ſynodum; quo, ſi per valetudinem aut reipublicae occupationes ipſe proficiſci non queat, legatos miſſurus ſit, qui ejus nomine actioni praeſint: ipſius enim eſſe concilia indicere, dirigere, et in iis ſummam poteſtatem habere, qui Chriſti in terris ſit vicarius. Poſtrema haec, cum tanquam aſperiora, et quorum ratione vereretur Caeſar, ne Germani aut denunciationem omnino rejicerent, aut moram negotio et impedimentum interponerent, cum pontifice egit, ut mitigarentur. Verum ille a ſententia dimoveri non potuit, quod nihil contra ſuam et eccleſiae dignitatem in cujuſquam gratiam ſe facturum diceret. Conſulto vero id eum feciſſe, Proteſtantes ſcripſere, ut vel Germanos, quo minus venirent, abſterreret; aut, ſi venirent, praejudiciis illaqueatos teneret. Interea continuata Magdeburgi obſidione, praeſidiarii equites ac pedites facto agmine Eid. Novembribus erupere, et juxta [a] braſſicanum hortum conflixerunt. Cum longius progreſſi eſſent, hoſtes leviore proelio conſerto quoſdam e ſuis ad noſocomium uſque praemittunt, ut recipientibus ſe Magdeburgicis viam intercluderent. Verum ipſi in inſidias urbanorum, qui poſt noſocomii macerias latebant, praecipitavere; qui repente effuſi hoſtem circumveniunt, et in fugam vertunt. Quatriduo poſt motis caſtris extra vicum Harſdorfenſem aggeres et foſſas ducere aggrediuntur, recta verſus moenia proſpectanteis, quas cratibus et magno ahenorum tormentorum

INTERPR. [a] *Kraut garten*, i. e. *jardin des choux*.

CIↃIↃL.
Henricus II.

torum numero munivere, duoque militum vexilla impoſuere, reliquo exercitu ad [a] Deſſedorſium ſubſiſtente. Biduo poſt acre proelium conſeritur; in quo dux ipſe Megalopolenſis cum tota ala ſua ſummum periculum adiit, vexillo paene amiſſo, nec ceſſante interea tormentorum ex urbe diſploſorum procella. Cum vero omiſſis his velitaribus proeliis Mauritius propius copias admoviſſet, telonium, quod ab urbe remotius eſſet, nec ſervari poſſet, ſenatus incendi juſſit. At Mauritius civitatis eam partem, quae [b] nova dicitur, noctu ſummo ſilentio conſcenſis moenibus ac refractis portis, occupat; non prius ſigno dato, quam militem introduxiſſet. Cives, cum heſterna compotatione languidi vix ſe lectis molirentur, majorem partem trucidantur; reliqui capti aut ſpoliati ſunt. Igitur ſenatus, qui videret locum defendi non poſſe, ut hanc commoditatem hoſti eriperet, emiſſo milite incendi juſſit. Hoſtes juxta pontem, longum dictum, jaciunt aggerem, ibique propugnaculnm erigunt, atque unius cohortis praeſidio firmant: reliquae copiae in [c] Cragoa conſederunt, quam vallo et foſſa circumdedere, coemeterio machinis atque omnis generis telis munito. Ita trinis caſtris, [d] Bugodenſibus, Deſſedorſenſibus, et iis, quae juxta pontem communita ſunt, obſidebatur civitas. Cum vero metus eſſet, ne hoſtis [e] Sudeburgum occuparet, tandem et illud ſenatus decreto incenſum eſt; conceſſo inquilinis ſpatio, quo vaſa et ſarcinas colligere, ac ſe cum conjugibus et liberis in urbem recipere poſſent. Jamque magna multitudo ad XL CIↃ hominum uſque mendicantium aut egentium tam ex agro quam ſuburbiis in urbem confluxerat. Itaque Senatus, quo urbis ſecuritati conſuleret, decrevit, ut, qui ſe alere non poſſent, ejicerentur; verum diſtributo iis viatico et inſtructis navigiis, quibus per [f] Albim deveherentur: cum abitionem pararent, tanta tempeſtas coorta eſt, ut in urbe remanere coacti ſint: cognitoque ſenatus conſilio, ita ſtationes ab hoſte per fluminis ripas diſpoſitae ſunt, ut eandem urbis exonerandae occaſionem poſtea obſeſſi naneiſci non potuerint. Sub id tempus Lazarus [g] Schuendius a Caeſare venit, [α] inſpector Mauritii conſiliorum futurus: nam ejus cunctatio, quod in longum obſidio extrahi videretur, Caeſarianis ſuſpecta eſſe coeperat. Cum aliquot dies velitaribus procliis conſumpti eſſent, Mauritius, qui copias a civitatibus maritimis auxilio ſummiſſas duce Alberto Mansfeldio et [h] Heideco adventare reſciverat, miro artificio eas intercepit ac diſſipavit. Nam cum aliquot ante diebus de redimendis captivis, qui in hunc uſque diem a proelio [i] Hildereſlebenſi apud hoſtem detenti fuerant, actum fuiſſet, deque pretio conveniſſet, eo pernumerato, antequam liberarentur, haec neceſſitas impoſita eſt, ut ſacramento ſe obligarent, obſeſſis non militaturos. Id cum centurio nomine Vidomarus homo jam canus et rei bellicae experientia clarus conſtanter recuſaſſet, reliquiſque, ne aſſentirentur, auctor fuiſſet, captivi omnes [k] Quedeburgum deducti et jurejurando adacti ſunt, ne inde, niſi quatriduo elapſo, diſcederent. Interim Mauritius obviam venientibus auxiliaribus progreſſus, quatuor ex illis ſigna clam promiſſis corrupta ad ſe pertrahit, auctiſque inde ſuis copiis et Mansfeldianis debilitatis reliquos facile profligat: nec multo poſt ipſum Heideeum licet a Caeſare proſcriptum in ſuam familiam aſcripſit, et [l] Lipſiae praefecit, auctorem et conſiliarium illius belli, quod poſtea contra Caeſarem geſſit. Mansfeldius in urbem cum paucis e ſuis pervenit. Is, quamvis minime a Caeſare proſcriptus, tamen bonis omnibus ſpoliatus fuerat, quod in Joannis Friderici amicitia et fide conſtans remanſiſſet. Dum haec ad Magdeburgum geruntur, Caeſar poſtridie Eid. Decembr. in rebelleis gravibus verbis invehitur; ac, ne quis obſeſſis opem ferat, edicit, et militibus ac ducibus, qui in urbe ſint, mandat, ut intra XIV diem poſt allatas literas urbe excedant, ejuſque rei fidem Mauritio faciant, aut per illius abſentiam Lazaro Schuendio, impunitate parentibus, poena atroci imperium detrectantibus propoſita. [β] Pro Heſſo Mauritius

VAR. LECT. [α] inſpector, ut creditur, Mauritii conſiliorum: nam *P. D. o. f.* [β] Interea pro *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Deſſedorf.* [b] *Neuſtadt.* [c] *Cregon.* [d] *de Bugt.* [e] *Sudeburg.* [f] *Elbe r.* [g] *Schwendi.* [h] *le comte Heideck.* [i] *Hilderſleben.* [k] *Quedelburg.* [l] *Leipſik.*

ritius et Joachimus ſeptemviri apud Caeſarem inſtabant, ut ſponſionis fide ſolverentur: quibus [α] cum reſponderetur, ita ſe gerere Heſſi liberos et conſiliarios, ut ipſe liberari non poſſit, ſolemni addita interminatione, niſi ab interceſſione deſiſtant, fore, ut Heſſus in Hiſpaniam ablegetur. [β] Heſſus filios urget, ut juxta ſponſionis formulam Mauritium et Brandeburgicum in jus vocent. Morem gerunt filii et acribus verbis illos non ſemel monent citantque: verum illi modo conjunctim, modo pro ſe quiſque ſeparatim excuſant, et dilationem petunt; neque enim Heſſo fore conſultum, ſi urgeantur, et viciſſim Caeſarem urgeant: novaſque ſubinde rationes adducunt, quibus eum confidunt propediem ſine periculo liberari poſſe. Ad haec Caeſar, qui antea per [a] Liranum ſolicitaverat [γ] Heſſum, de reddendis cautionis literis, cum denuo a ſponſoribus interpellaretur, Lazarum Schuendium mittit, qui cum Heſſi filio et conſiliariis agat, ut non modo non citent Mauritium et Joachimum, ſed omneis obligationis literas ad ſe tranſmittant, et actioni renuncient: ni pareant, poenam graviſſimam interminatur. Cum nihil obtineret, principes, quod unum reſtabat, a fide data abſolvit, et obligationis nexu liberos pronunciat. Heſſus carceris impatiens, cum nullam amplius libertatis ſpem videret, profugere omnino, ſi poſſet, conſtituit; diſpoſitiſque equis omnia ad fugam neceſſaria comparaverat, adminiſtris Conrado [b] Bredenſtenio et Joan. [c] Romelio, quos ex [d] Cattis evocaverat: verum re detecta, et quibuſdam e domeſticis partim ſubito confoſſis, partim poſtea morte mulctatis, cum Caeſar ea de re apud principes per literas expoſtularet, illi, ut Caeſari ſatisfacerent, ad Willelmum Heſſi filium ſcribunt; et, ſi quid deinceps ejuſmodi fiat, nullo ſe ipſis vinculo teneri denunciant. Haec ita palam agebantur. Nam mox Mauritius ſecretiores literas dat, quibus eum ſolabatur, et pro parentis libertate non ſolum fortunas, ſed vitam et ſanguinem, ſi opus ſit, ſe profundere paratum oſtendit; tantum orat, ut actio tantiſper in idoneum tempus differatur, quo minus metuendae ſint quorundam offenſiones: quibus verbis, et irritatum ſibi animum eſſe teſtabatur, et Heſſi liberorum injuriam tanquam ſuam ſe interpretari oſtendebat. Interea Magdeburgici XII Kalend. Jan. facinus audax et temeritatis plenum aggrediuntur. Nam pedites et equites, qui ea nocte ab excubiis immunes erant, ſummo ſilentio ſecunda fere vigilia urbe excedunt, magna fiducia freti, ſe equitatum hoſtilem, qui [e] Oſterlebii in ſtativis erat, caſtris exuturos. Intra bina caſtra Bugodenſia et [f] Deſſedorſenſia illis fere ſingulatibus incedendum erat: verum ſoluto hoſte, et a nimia compotatione profundius ſtertente, ad hoc neglectis ſtationibus et vigiliis, eodem paene, quo ipſi paulo ante Neoſtatenſeis ceperant, modo oppreſſi ſunt. Nam Magdeburgici vico potiti, quia nox admodum opaca eſſet, ſubito ignem quibuſdam domibus ſubjiciunt, ut ſe in conflictu ex lineis interulis, quas ſuperinduerant, ut in hujuſmodi furtis militaribus fieri amat, dignoſcerent. Caeſi multi, capti complures, iique ex primaria nobilitate, qui omnes CCL numero cum equis in urbem tanquam in triumphum ducti ſunt: captum etiam canonicorum, quos vocant, vexillum. Poſtridie hac victoria inflati rurſus in campum apertum exeunt, hoſtem contumeliis et incurſionibus laceſſentes: quorum cum inſolentiam [g] Megalopolenſis non ſuſtineret, equeſtria praeſidia [h] Neoſtato et [δ] Olſenſtato ſenſim educit, et ipſe ad pugnam ſe comparat. Verum ſupervenlente turma, quae Oſterlebii rem pridie geſſerat, et praemiſſis ante captivis longe poſt alios a tergo remanſerat, a fronte et a tergo praeter ſpem petitus, cum diu magna virtute reſtitiſſet, tandem conciſo peditatu et dilabentibus equitibus undique circumfuſus ac poſtremo captus eſt; civibus de acceptis cladibus ſibi abunde ſatisfactum exiſtimantibus, quod qui belli initium fecerat, et eos adeo proterve oppugnaverat, in ſuas manus captivus deveniſſet. Gemino ſucceſſu confirmatis obſeſſorum animis, jam non res armis ſed verbis agi coepit: ac

ſacer

VAR. LECT. [α] reſponſum, ita *P. D. o. f.* [β] Igitur Heſſus *P. D. o. f.* [γ] Heſſum, uti diximus *P. D. o. f.* [δ] Elſenſtato *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *le ſieur de la Lire.* [b] *Brendeſtein.* [c] *Rommeln.* [d] *pays de Heſſe.* [e] *Otterſleben* [f] *Deſſedorf.* [g] *le duc de Meckleuburg.* [h] *Neuſtadt & Olſenſtadt.*

CIƆIƆL.
HENRICUS II.

ſacer ordo quidem ſcriptum evulgat, quo ſenatum perduellionis in Imperium et erga ſe accuſat, et tanquam Othonis I decretorum et privilegiorum violatores, cujus ipſius oſſa nefanda impietate revellerant, objectis etiam ſaepius antea jactatis criminibus, inſectatur. Ad quae ſenatus poſtea reſpondit, et violati Othonis, cujus memoriae ipſi et tota Germania plurimum debeat, crimen diluit, et odio religionis, quam profiteantur, hanc querimoniam inſtitui dicit: nullas enim ſe pacis conditiones hactenus repudiaſſe, modo puriorem religionem et priſtinam libertatem retinere liceat. Igitur a Mauritio et Joachimo ſeptemviris rurſus hae leges obſeſſis proponuntur, ut ſe dedant, et archiepiſcopo fidem praeſtent; in urbem praeſidium recipiant, donec apud Caeſarem ipſi intercesſerint: viciſſim de religione ipſi cavent; et, niſi Caeſar, quae egerint, rata habeat, quamprimum educto praeſidio ſenatui urbem ſalvam et qualem acceperint reſtituturos promittunt. Verum cum praeſidium in urbem accipere recuſarent cives, nihil actum eſt.

XX. Hoc anno [a] Britannia gravi ac peſtilenti morbo infeſtata eſt, qui temporibus Henrici VII olim in inſula graſſatus anno CIƆ CCCCLXXXVI, poſtea per alias orbis parteis recruduit, et Germaniam anno CIƆ IƆXXIX invaſit, magna ſtrage edita, quippe ut in re nova incognitis remediis; et colloquio Marpurgi inter Ulricum Zuinglium et Martinum Lutherum alioſque praeterea utriuſque partis doctores inſtituto, ob inſoliti mali vehementiam diſſolvendo cauſam praebuit. Eo correpti homines intra XXIV horas aut animam exhalabant aut, ſi virus exſudaſſent, valetudinem paulatim recuperabant; vi mali tanta violentia ac celeritate ſerpente, ut in una civitate Londinenſi ad IƆ CCC intra VII dierum ſpatium abſumptos conſtet. A loco huic ſudori Anglico nomen inditum: ſicut elephantiaſis Phoenicius apud Hippocratem in prorrheticis; lues venerea noſtro tempore exorta, et [b] Neapoli Gallorum expeditionem ſecuta, morbus Gallicus vocatus eſt; quanquam Indicus potius dici debuerit, quippe ab Hiſpanis inde illatus, ut ex ipſorum hiſtoriis conſtat. [*]

XXI. Sub exitum Novembris Ulricus Wirtembergicus arthritide diu vexatus moritur. Is belli in juventute appetentior, cum ſuorum animos exaſperaſſet, ſeditionem immanem excitavit, quam dum uſitato inter ſuos ludo ſerpentem violentius reprimere conatur, a vicinorum principum et civitatum injuria non temperavit: quo factum eſt, ut foederis Suevici ſociis in ſe concitatis ditione ſua omnino exutus ſit, etiam ſociorum vireis adjuvante Ferdinando, qui jus in ea ſibi ab Auſtriaca domo arrogabat: ſed in ejus poſſeſſionem poſtmodo ab Heſſo et Baioaris fratribus haud occulto Franciſci favore reſtitutus, tandem ſe Germanico bello implicuit; cujus exitus is fuit, ut grandi mulcta exſoluta, et accepto in arceis praecipuas Hiſpanorum praeſidio, in gratiam utcunque a Caeſare acceptus ſit, indeciſa tamen Ferdinandi lite. Ita varia fortuna uſus princeps, bis exutus bonis ac bis reſtitutus, admodum effoeto corpore e vita demigravit, Chriſtophoro filio ſuperſtite; qui eandem, quam pater, nobiſcum amicitiam coluit. [α] Ut viri literis clari dicantur, Joannes Vaſaeus Belga, quippe Brugis in Flandria natus, hoc anno obiit Octobri ineunte, [c] Salmanticae, jam adſecta aetate, ad Mathurinorum ſeu verae crucis aedem ſepultus; qui diu in Hiſpania moratus res etiam Hiſpanorum continua ac luculenta hiſtoria complexus eſt. Sub id et Joan. [d] Pierius Valerianus Bolzanus, Beluno in Venetis oppido natus, [e] Patavii annum LXXXII ſupergreſſus deceſſit, ad S. Antonii conditus; quo vergente ſenio conceſſerat, ut poſt longam veluti peregrinationem in nidulo ſuo, ex quo puer evolaverat, ad quietem aeternam ſe componeret.

P. [*] *Poſtea et in ea Germaniae parte, quae a Marcomannis inſidetur, anno* LXXVII *novus morbus exortus eſt, qui, ob multa cum lue venerea affinia, a Bruno oppido Bruno-Gallicus eadem ratione itidem appellatus eſt; de quo ſuo loco dicemus.*

VAR. LECT. [α] *Jo. Vaſaei, Jo. Pierii Valeriani Bolzani, et J. Georgii Triſſini elogia, deſunt* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Angleterre.* [b] *Naples.* [c] *Salamanque.* [d] *Pierio Valeriano Bolzanio di Belluno, o Bellunese.* [e] *Padoue.*

componeret. Is Urbani patrui Franciſcani, qui Leonis x praeceptor fuit, cura in literis educatus, inter doctiſſimos ſaeculi ſui meruit recenſeri; et Mediceae familiae, cujus ſavori ac munificentiae ſua incrementa literae in Italia debent, addictus, diu in aula Romana ſtudiis invigilavit, et magna negotia tractavit. Ejus inter alia Virgilianae lectiones, et Hieroglyphica maxime commendantur; quae virum, alioqui poëtica praeſtantem, in omni politioris literaturae, antiquitatis et ſcientiarum genere tota vita verſatum oſtendunt. [α] Obiit et hoc anno J. Georgius [a] Triſſinus, perantiqua nobilique [b] Vicentiae familia ad virtutem et literas natus, linguarum peritiſſimus, et in omni ſcientiarum genere exercitatiſſimus; quae omnia ad decus et illuſtrationem ſuae Italiae, atque adeo linguae vulgaris contulit, quam non intra anguſtos Etruriae, atque adeo unius Florentiae limites coërceri paſſus eſt, ſed univerſae Italiae eam gloriam communem eſſe voluit: qua in re Florentinos et famoſam in ea civitate academiam adverſariam habuit, magnamque ſibi apud eos invidiam conflavit. Primus genus [ı] carminis ſoluti feliciter uſurpavit, cum a temporibus Fr. Petrarchae Itali rythmis uterentur: et poëſim ad Ariſtotelicam normam exegit, luculento de ea ad interpretationem tam a multis triti quam a paucis intellecti operis ſcripto edito. Multa ſcripſit; et imprimis Italiam Liberatam. Novo etiam literarum genere a ſe inventarum uſus, non pari felicitate, paucos quippe nactus ſectatores, cum in verſibus ſolutis plures eoſque viros maximos habuerit; et in iis [c] Ludovicum Alamanium, et Torquatum [d] Taſſum, qui Hieroſolymam ſuam eo carminis genere ſcriptam maluiſſe ſatis teſtatus eſt, cum ultimum opus, quod Divinam Hebdomada indigitavit, his verſibus ſcripſit. Primus item inter Italos comoedias dedit et tragoedias: et Sophonisba ejus magno in pretio habetur. Architectura maxime delectatus eſt: ab eoque Andreas [e] Palladius, et ipſe Vicentinus, cujus quae in eo genere extant tantopere commendantur, ex communi fama, etiam ab iis qui alioqui Palladii gloriae minime invident, ſecreta artis praecipua didiciſſe creditur. Inter commentandum, nam ejus vita nunquam fuit deſidioſa, magna negotia ſub Leone x et Clemente VII geſſit, et obitis pleriſque eorum juſſu legationibus et apud Carolum v et Ferdinandum fratrem praecipuae exiſtimationis fuit, comitis titulos ob nobilitatem et virtutem ab iis promeritus: cumque ſummos honores in aula, in qua conſenuit, ſperare poſſet, vitae coelibis pertaeſus conjugalem elegit, ſemel atque iterum ducta uxore; tandemque Romae laborioſae vitae finem impoſuit anno aetatis LXXII. Dituto monumento, dum templum inſtauratur, in quo conditus fuerat, heredes aliud ei ad S. Laurentii in majorum ſepulchro Vicetiae poſuerunt, ubi et aedeis familia ſua dignas in urbis ſuburbio diu ante conſtruxerat.

VAR. LECT. [α] *Totum hoc J. Georgii Triſſini elogium deeſt in editione Rob. Stephani.*

INTERPR. [a] *Triſſino.* [b] *Vicenza.* [c] *Luigi Alamanni.* [d] *Taſſo.* [e] *Palladio*

NOT. [ı] *carminis ſoluti.* Ce que les Italiens appellent *verſi ſciolti*, qui ne ſont point aſtreints aux rimes. *Put. L.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTIMUS.

EPITOME.

C AESAR fratris filiorumque ejus animos pertentat, an de Imperio ſibi, ut illud in filium transferat, reſtituendo adſentiri velint. Maximiliani, ut intercederet, ex Hiſpania feſtinatus reditus. Is ſecum Buaçonem regis Feſſani agnatum adduxerat: II. *Ex eoque nata occaſione, de Feſſae, Marochi, Tremeceni ac Tunetis regnis ac regibus priſcis et regionibus illis agitur.* III. *Scirifiorum in utraque Mauritania origo et ſucceſſus, qui veterum regum ſtirpem ad extremum aboleverunt.* IV. *Nata inter fratres Scirifios diſcordia, et inde ortum bellum inter Feſſanum Oatazenum et Mahametem Scirifium.* V. *Capto Oatazeno illudit humanitatis ſpecie Scirifius; et Feſſa potitur.* VI. *Bellum Aphrodiſienſe a Joanne Vega Siciliae prorege ſuſceptum. Tunetani regni deſcriptio. Monaſterium et ad extremum Aphrodiſium capitur.* VII. *Solimanus Meningis rex Caeſari tributarius fidem fallit. Dragutem ad inſulam venientem Andr. Auria inſequitur.* VIII. *Vindicandae ſuperioris anni injuriae claſſis a Turcis inſtructa; quae primo Siciliam, dein Melitam petens, poſtremo in Africam deſcendit et Tripolim obſidet et capit.* IX. *Captae urbis invidia a Gallis removetur.*

Ex AUCTORIBUS,

Cl. Ptolemaeo, Auguſtino Curione, Lud. Marmolio Carvajali, Antonio Errera, Horatio Nucula, Jo. Chriſtophoro Calvetone, Carolo Sigonio, Jo. Bapt. Hadrianio, Nic. Durando Villagagnono, Nicolao Nicolaio, literis Omedis et actis.

LIBER SEPTIMUS.

CIƆIƆL.
HENRICUS II.

MAXIMILIANUS Caeſaris gener his ferme diebus ex Hiſpania [a] Auguſtam venit, a patre Ferdinando evocatus, ut de ſucceſſione Imperii in commune conſulerent. Nam Caeſar, qui ſciret ad res ſuas firmandas magnum momentum allaturam Germaniae conjunctionem, interventu Mariae reginae, quam ex [b] Belgio, quo proximo Septembris menſe redierat, accivit, cum fratre egerat, ut regno Romanorum Philippo filio cederet, ampliſſimis oblatis conditionibus. Contra Ferdinandus, cui omnia bona, quae in Germania erant, portionis hereditariae loco obvenerant, cum idem ſpectaret, neque commoda ſua et filiorum expectationem deminui pati poſſet, adduci nequibat, ut fratri, cui ceteris in rebus ſemper morem geſſiſſet, ullo modo ea in re aſſentiretur. Maximilianus vero, qui ad ſpem Imperii educatus fuerat, aſſiduis fratris ac ſororis flagitationibus nutantem ac paene victum ſuſtinuit, et, ut in priore propoſito de dignitate conſervanda perſeveraret, effecit; haud obſcura Caeſaris ac Philippi erga patrueleis

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *Pays bas.*

patrueleis offenſione. Ex Hiſpania ſecum Maximilianus [α][a] Buaçonem regis Feſſani agnatum adduxerat, qui a Scirifio multis injuriis nuper affectus atque ad extremum ditione ſua pulſus in Hiſpaniam venerat, ut auxilia a Caeſareis legatis contra communem hoſtem impetraret.

II. Heic ego rem non ingratam legentibus me facturum exiſtimavi, ſi quae ſuper [b] Feſſae et Marochi regibus, ac [c] Scirifiorum, qui nunc in Africa rerum potiuntur, origine, comperta habemus, quoniam de his a Paulo Jovio diligentiſſimo alioqui rerum externarum ſcriptore nihil in hiſtoriis, ac pauca admodum in elogiis tradita ſunt, ea paulo altius ducto initio explicentur. Africae, quae tertiam orbis veteribus cogniti partem efficit, eam ferme ſolum portionem, quae citra aequinoctialem lineam ad nos pertinet, Cl. Ptolemaeus cognitam habuit; ulteriorem Luſitanis debemus. De citeriore, ſic enim eam nobis liceat appellare, heic tantum ſermo eſt. Haec duas primo Mauritanias, Tingitanam, in qua Feſſae et Marochi regna; et Caeſarienſem, in qua Tremecenum regnum, ejuſque primaria urbs [β] Algeria, olim Julia Caeſarea, ſuo ambitu complectitur. Inde ad orientem protenditur Africa veteribus proprie dicta, quae hodie Barbaria quibuſdam vocatur, aliis Barbariae pars eſt; in qua Tunetanum regnum. Sequitur Cyrene, Marmarica, [1] et quae de vetuſtiſſimo nomine [d] Barcaea terra dicitur; ac denique Aegyptus, quam plerique, ſaltem eam regionem quae trans Nilum jacet, Aſiae attribuerunt. Hae omnes provinciae, quae vel oceanum Atlanticum vel mare Mediterraneum reſpiciunt, cetera Africa magis cultae ſunt magiſque populoſae. Harum a tergo mons Atlas porrigitur, qui uſque a Marmarica CCC circiter ab Alexandria Aegypti milliaribus, continuo fere tractu ab ortu in occaſum tendens, juxta [e] Suſi fauces [f] Meſſam tergeminam urbem alluentis, in mare de ſuo nomine Atlanticum dictum excurrit. Ulteriora occupant [g] Numidae, Getuli, ubi minor hominum frequentia; tum interior Africa et deſerta quidquid vacui intra aequinoctialem lineam implent. Quae omnia Romanis olim paruerunt: dein inclinante imperio, et Alanis, Vandalis ac Gepidis ſe in Gallias ac Hiſpanias effundentibus, ab illis poſtremo inſeſſa ſunt; donec ab Arabibus Mahometanae peſtis ſequacibus Vandali expulſi totaque Africa exterminati ſunt, nomine Chriſtiano cum iis prorſus his in locis abolito. Sub Arabibus deinde varia regna exorta; quae, mutantibus principum, ut fit, familiis, pariter mutavere. Quo factum eſt, ut propter tot migrationes nomina antiqua populorum, civitatum et oppidorum confuſa ac fere obliterata ſint, novis ſubinde dominis nova imponentibus et vetera antiquantibus. Tingitana, de qua heic agitur, ab occidente oceano, a ſeptentrione mari [h] Iberico et Sardoo terminatur; ab oriente Caeſarienſem Mauritaniam contingit; Auſtrum verſus ad Atlantem uſque protenditur. Verum, ut hodie res ſunt, Marochenſe regnum, quod in Tingitana eſt, quaſdam etiam regiones continet, quae aut in Atlante aut etiam trans Atlantem verſus Auſtrum porriguntur. In ea provincia et Feſſanum regnum jacet, quod dignitate olim poſterius, nunc everſo aut deſolato majori ex parte Marochenſi, principem locum tenet: ab illo tamen ordiemur: hujus caput Marochum, olim, ut multi credunt, [γ][2] Bocchi regia, VII regiones ſub ſe complectitur; et in iis [i] Suſiam, quae trans Atlantem jacet, et uſque ad [k] Garguetzenum arcem porrigitur, [l] Tedſio, [m] Tagavoſto, [n] Tarudanto, [o] Tejuto ac Meſſa denique oppidis frequentiſſimis nobilis; reliquae provinciae non ita populoſae et abundantes, majorem partem in montibus plerumque aſperrimis et aeterna nive horridis ſitae; ſi Marochenſem agrum excipias, cujus in planitie XIV paſſuum CIↃ ab Atlante et VI a [p] Tenſiſto flumine Marochum,

quod

VAR. LECT. [α] Buaxonem *P. D.* o. f. [β] Algerium *P. D.* o. f. [γ] Bochi *D.* d.

INTERPR. [a] *Bubaçon.* [b] *Fez & Maroc.* [c] *Cheriſs.* [d] *terra di Barca.* [e] *Sus rio.* [f] *citta di Meſſa.* [g] *Biledulgerid.* [h] *mer d'Eſpagne & de Sardaigne.* [i] *Suſa.* [k] *Garguessem.* [l] *Tedſi.* [m] *Tagavoſt.* [n] *Tarodant.* [o] *Tejut.* [p] *Tenſiſt.*

NOT. [1] Dele *et quae*; lege *quae et.* Marmarica et Barcaea terra, ſe prennent pour le meſme pays dans Ptolemée, Mugin, Ortel. *Put.* [2] Pline le nomme *Bogud*, & Strabon *Bogus.* C.

quod rurſus alii Bocanum Hlmetum quondam dictum volunt, abeſt, juxta [a] Agmeti pylas, qnibus ad ſolitudines a [b] Lamptuniis populis frequentatas itur. Nobiliſſima illa totius Africae urbs plus c domorum millia olim complexa XXIV portis intrabatur, templis, ſcholis, balneis et diverſotiis publicis conſpicua; turri inſuper amphitheatri ſpecie a Manſore rege ſtructa arce ampliſſima, et in ea auguſtiſſima aede et gymnaſio temporibus illis celeberrimo. Poſt Marochenſe regnum in Tingitana Feſſanum numeratur, quod quamvis dignitate et fama poſterius, tamen amplitudine, opibus et potentia longe illud antecedit, ab occidente [c] Ommirabiho fluvio, [d] Ducala et Tedela Marochenſis regni provinciis; ab oriente [e] Melvia a Tremeceno regno dirimitur; a ſeptentrione [f] Herculeum fretum, a meridie Atlantis radices habet; a quibus in [g] Geruliam uſque et Numidiam porrigitur. Itidem in VII provincias dividitur: prima [h] Temezena vocatur, ſive hodie [α] Saevia, fertilis admodum et olim oppidis ac populis frequens; ſed ab [i] Almohadis et Merinenſibus ob continua bella et ſuſpectam provincialium potentiam illis deſtructis, hodie populi in ea per mapalia et ſub tentoriis habitant. Superant etiam nunc [k] Anaſa, Mançora, [l] Rabatum, Menzala, [m] Nuchele, Adendum, [n] Tegegiltis, [o] Madaravanium, [p] Dacia, [q] Azarſa, ſemidirutae urbes. Olim plus quam XL urbes populis et aedificiis frequentes in ea regione viſebantur. Secunda Feſſana dicitur; in qua [r] Sala ad Salam cognominem fluvium, [s] Mequines, [t] Feſſa ipſa, omnium hodie Aſticae civitatum potentiſſtma, et ideo a Saracenis Aula occidentalis et quaſi Mahumetani imperii altera ſedes dicta. Ea triplex, et tribus urbibus conſtat; quarum prima et antiquiſſima eodem loco ſita, quo [t] Bilibilis, cujus Ptolemaeus meminit, Salam fluvium ad orientem habet; Beleida nunc dicitur IIII CIϽ domorum capax, ab Idri altero Africae Calipha condita anno Chriſti IϽCCIIC. Quo tempore poſt mortem Aaronis Raſidii armis certatum eſt inter Mahumetem et Abdalam ejus filios; et poſt gravia ac diuturna bella, pace utcunque inter fratres facta, imperii ſedes a Mahumete Damaſco tranſlata eſt Baldacum, [β] ubi olim Seleucia, urbem prope antiquae Babylonis ruinas ab ſe exſtructam. Abdala vero ſedem in Aegypto fixit. Tuncque eorum exemplo in Hiſpania etiam conſtitutus unus Calipha, pari cum Baldacenſi et Aegyptio poteſtate: in Africa duo; qnorum prior [u] Carvani ſive Curubi, urbe ab Occuba Naſici filio ante CC annos in Cyrenaica condita, poſt unam et alteram de Chriſtianis reportatam ab Arabibus victoriam, id enim nomen ſonat, ſedem habuit: cumque urbs confluentis ad habitandum multitudinis capax non eſſet, juxta eam et altera civitas exſtructa eſt, Raqueda dicta. Haec orientalis in Africa imperii ſedes; ut occidentalis vetus Feſſa ab Idri, quem diximus, ex Halis familia et Fatima Mahumetis filia genns trahente condita. Secunda urbs, Feſſa vetus dicta, ab occidente fluvio alluitur, in qua majus [x] Caravini templum, LXXX CIϽ domorum continet, ſontibus et rivis paſſim ſcatens; diu poſt Haſcenis Idris nepotis mortem ex ea occaſione condita, quod diſſidentibus de imperio fratribus, ut ſeparatis ſedibus in pace regnarent, ex iis unus veterem Feſſam condidit, ſed tam vicinam, ut ſolius fluvii et anguſti callis ſpatium interſit: unde cum crebrae contentiones orirentur, Joſephus II rex Almohadarum Abdaluci filius pacificandae provinciae praetextu jam occupato Tremeceno regno potens eam ſecit ſuam; ac poſtremo inter ipſos factus arbiter, ut diſſidiis finem imponeret, ambos de medio ſuſtulit, ac ſolo aequatis muris, qui civitates dividebant, pontibus junctas unam effecit ex duabus. Tertia, quae panlo remotior, VIII circiter focorum millia capit, a Jacobo ex [y] Merinenſium regum familia aedificata

VAR. LECT. [α] Savia *P. D.* o. [β] ubi olim Seleucia *deſunt* *P. D* o. f. d.

INTERPR. [a] *il paſſo di Agmet.* [b] *popolo di Luntuna.* [c] *Omirabih.* [d] *Duccala & Tedela.* [e] *Maluvia*, al. *Mulvia riv.* [f] *deſtroit de Gibraltar.* [g] *Biledulgerid* [h] *Temeſna.* [i] *Almohadas & Merinis.* [k] *Anfa, Mançora.* [l] *Rabato, Menzala.* [m] *Nuchaila, Adendum.* [n] *Tegeger.* [o] *Mader Auvan.* [p] *Taghia.* [q] *Zarfa.* [r] *Sala*, ou *Sella.* [s] *Mequinez.* [t] *Fez.* [u] *Cairoan*, Hiſp *Carvan.* [x] *Carven.* [y] *Rei de los Beni Merinis.*

NOT. [a] Ptolemée lib. IV. c. I. le nomme *Volubilis.* Put

cata, regio palatio, templis, noſocomiis, balneis ac diverſoriis publicis magnifice ſtructis ornata; muro item duplici ac crebris turribus munita. Sunt et aliae in regione Feſſana urbes et oppida; ac major pars in montibus Atlanti vicinis, quique adeo Atlantis radices ſunt. Aliae item provinciae in eo regno: [a] Aſgarena ſolo dives ab Arabibus hodie poſſeſſa, quorum [b] [1] Haloti et Malici Sophiani principes regi Feſſano tributarii: in ea [c] Laracha, [d] Alcazara, et [e] Arzila, contra oppoſitam [f] Tingim quam noſtri habent, valido Maurorum praeſidio tenentur; quanquam haec ultima ad provinciam [g] Habatam, quae quarta numero eſt, verius pertinet; in qua [h] Ezagena, [i] Benlteudia, [k] Amergo, [α] [l] Tenzertum, [m] Aguila, [n] Bezatum, [o] Tetuana, civitates, ac pleraque oppida ſita ſunt; ac denique Tingis, quae univerſae provinciae nomen dedit, et poſtea ab Arabibus altera Mecha dicta eſt, ab Alfonſo v Luſitanorum rege poſt Arzilam captam, quae mox a Mauris recepta eſt, Chriſtianorum imperio ſubdita. Deinde ſequitur Arzila, [p] Caſara-zagira in Habatenſi regione, et [q] Septa ſive Ceuta, nobiliſſima urbs quondam, quamque ſcriptores Africani, quod a Romanis conditam eredant, civitatem Romanorum vocatam dicunt, Exiliſſam alio nomine a Ptolemaeo appellatam. Ea ab Joanne I Luſitanorum rege ante CLXXX annos in poteſtatem redacta eſt. Poſt Habatam [r] Errifana numeratur, montana fere tota, in qua [s] Bedis ſive Vellezum Gomeranum recentibus bellis famoſa urbs, a Garzia [t] Toletano XXX abhinc annis Hiſpanorum imperii facta. Recenſentur et in ea [u] Hiellezium, [x] Tagaza, [y] Geba, [z] Megima oppida. [aa] Garetia VI regio eſt, quae Tremeceno regno conjungitur; in qua Melilla civitas Ruſſadirum Ptolemaeo dicta, a Jo. Guſmano Medinae Sidoniae duce, Ferdinando et Iſabella regibus capta, et poſtremo Hiſpaniae regibus tradita; [bb] Caſſaca item, [cc] Teznota, et [dd] Megenum. Poſtrema et ampliſſima omnium regio eſt, ſed vaſta, Numidiae vicina, quae [ee] Chauſa vel Elcaon dicitur, [ff] Teureto, [β] [gg] Dubudo, [hh] Tezara, [ii] Ainelginuno, [kk] Mehedia, [ll] Umeginnabe et [mm] Garcilivo oppidis nobilis. Rerum potiti ſunt in Tingitana, poſt virus Mahumetanum diſſeminatum in eas regiones, ſparſi Arabes, partim Calipharum duces, partim ipſi reges; omnes externi. Quibus de medio ſublatis, [nn] Abul-Texifius Almohavidarum ſive [oo] Lamptuniorum gentis princeps, exterorum imperium exoſus, circa annum Chriſti CIↃ LI adminiſtrationem rerum ſuſcepit, ſedemque imperii Agmeti fixit; et poſt eum Joſephus filius, qui XXXV annis regnavit, et urbem a patre inchoatam condidit; Tremecenum inſuper regnum et Feſſanum ac Tunetanum ſubegit, multas civitates in Hiſpania cepit, ac tota fere [pp] Baetica potitus eſt. Hujus filius Halis primarium templum exſtruxit; quod, quamvis dirutum et poſtea inſtauratum, ſemper de nomine ejus cognominatum eſt. Is ab Alfonſo VII in Baetica victus et magna ſtrage accepta occiſus eſt, cum regnaſſet VII annos. Poſt Halim Abrahamus filius, Joſephi nepos, in regno ſucceſſit, cujus triſtis exitus fuit; vili quodam homine exorto, natione Barbaro, qui Abdala antea vocabatur, ſed unionis et concordiae praetexto nomine ſe [qq] Elmuahedinum a ſuis appellari juſſerat: is ex ludimagiſtro et concionatore tantam potentiam arripuerat, ut cum eo, tanquam fortunae aemulo, proelii aleam ſubire Abrahamus coactus ſit, anno CIↃ CXL; in quo victus et ingreſſu urbis excluſus Oranum confugit, cum alibi tuto conſiſtere non poſſet: ad quem perſequendum ab Elmuahedino miſſus [γ] Abdul-Mumen, cum Oranenſes venienti portas aperuiſſent, et fugitivus rex noctu elapſus deſperatione ſe cum uxore praecipitaſſet, debellato hoſte ad Elmuahedinum redit; quem ex morbo forte

VAR. LECT. [α] Tenzerrum *D. f. d.* [β] Dudubo *D f. d.* [γ] Abdul-mumen ſuum, ut nonnulli ſcribunt, filium, cum *P. D. o f.*

INTERPR. [a] *Aſgar.* [b] *Holotos.* [c] *Larache.* [d] *Alcazar.* [e] *Arzilla.* [f] *Tanger.* [g] *Habat.* [h] *Ezagen.* [i] *Banteude.* [k] *Mergo.* [l] *Tanſor.* [m] *Agla.* [n] *Bezat.* [o] *Tetuan.* [p] *Caſarezzaghir.* [q] *Ceuta.* [r] *Erriſ.* [s] *Velez de la Gomera.* [t] *de Tolede.* [u] *Jelles.* [x] *Tegazza.* [y] *Gebba.* [z] *Mezemme.* [aa] *Garet.* [bb] *Chuſaſa.* [cc] *Tezzota.* [dd] *Mezzao.* [ee] *Chaus.* [ff] *Teurerto.* [gg] *Dubdu.* [hh] *Teza.* [ii] *Ainelginna.* [kk] *Mahdea.* [ll] *Umenginnaib.* [mm] *Gerſeluin.* [nn] *Abu-Texifien.* [oo] *Lamptuna.* [pp] *Andalouſie.* [qq] *Mouahedin.*

NOT. [1] *Holoti et Malechi* Put.

forte defunctum nactus, ipſe ex Indimagiſtro a XL diſcipulis et XVI ſcribis primus in Africa pontifex et imperator ab exercitu ſalutatur. Is cum Marochum diu obſediſſet, tandem anno vertente cepit, et Iſaacum Abrahami filium in ea repertum propriis manibus jugulavit: extinctaque ejus ſtirpe, rerum in Africa, producto ad Tripolim uſque imperio, potitus eſt. Hujus filius [a] Joſippus, et [b] Jacobus Manſor nepos, cui ad fortunae amplitudinem etiam ſcientiarum cognitio acceſſit, et ſub quo maxime ſcholae Marochi et aliis locis in Africa floruerunt; dein et Manſoris filius Mahemetes Enaſer a ſuis Miramulinus appellatus, in Hiſpania et in Africa longe lateque jure ſucceſſionis dominati ſunt: hic vero ingenti proelio ab Alphonſo X Caſtellae rege anno CIƆ CC victus, LX bellatorum millibus amiſſis, retro in Africam ſe contulit; nec multo poſt, Chriſtianis ſucceſſum urgentibus, recuperata Valentia, [c] Carthago, [d] Corduba, Murcia, [e] Hiſpalis XXX annorum ſpatio. Sub id tempus Mahemetes deceſſit, relicta numeroſa ſobole, quae cum in bene concordibus familiis munimento eſſe ſoleat, Maurorum imperio et ſuae genti exitio fuit. Nam cum ejus liberi mutuis ſeſe caedibus confeciſſent, rebellantibus Feſſani, Tremeceni, et Tunetani regnorum praefectis, [f] Gamarazanus a Tremecenſibus regibus originem ducens populos illos ad libertatem vocavit, et [g] Ceieda Mahemetis nepote, occiſo atque Almohadis victis, ita Mumenis poſteri vocabantur, novam dominationem inſtituit. Parte alia [h] Abdulacus ex Merina familia, aliquot regni Tremeceni urbibus captis, Feſſae rerum potitus eſt. Is Merinenſium regum conditor circa annum CIƆ CCX cum late imperium protuliſſet, et poſteri ejus Feſſae ſedem fixiſſent, Marochum paulatim deſeri et in vaſtitatem redigi coepit, Marocho aula principum Feſſam tranſlata, et vicariis, qui illuc a Feſſanis regibus mittebantur, omni ſaevitiae et avaritiae genere graſſantibus. Verum Abdulaco ultimo Merinae gentis conditoris cognomine a Scirifio occiſo, [i] Saidus ex Oatazenorum familia [k] Arzilae praefectus, regem ſcelerate occiſum ulturus, arma contra Scirifium ſumpſit, et eum anno CIƆ CCCCLXXXI proelio profligatum longe Tunetem confugere coëgit. A Saido, qui Feſſae regnavit, duxere genus Oatazeni reges: ſub quibus Africae regna et ſingulae regnorum provinciae atque urbes a praefectis deficientibus occupatae et miſere dilaceratae ſunt; donec Scirifiorum gens Oatazenis depulſis rurſus ſparſas regnorum reliquias collegit, et noſtra memoria imperium novum in Africa excitavit. Eorum autem haec origo fuit.

III. [l] SCIRIFIUS Haſcenes [m] Tigumedeto [n] Darenſis provinciae oppido in Numidia natus, homo vafer, et philoſophiae ſtudiis, quae inter eos tunc vigebat, ac praecipue magicis artibus inſtructus, ut gratiam ſibi apud populos et ex eo potentiam conciliaret, ad Scirifium illum, quem Abdulacum ultimum Merinenſium regem occidiſſe diximus, atque adeo ad ipſum Mahumetem peſtiferae ſectae auctorem genus referebat, et affectata gravitate ac vitae ſanctimonia ſimplicis plebis, cui religionis praetextu facile illuditur, gratiam aucupabatur, Abdul-Mumenis, de quo modo locuti ſumus, veſtigiis inſiſtens. Huic erant tres nati, digna patre ſoboles, Abdelquivirus, Hametes et Mahametes; quos ut gratioſiores vulgo redderet, Mecham ad viſendum Mahumetis ſepulchrum in Arabia Deſerta peregre proficiſci jubet: ii, cum ex illa peregrinatione rediiſſent, ſimulata religione, ſeque divino ſpiritu afflari et ſurſum mente rapi fingentes, magnum retro hominum concurſum trahebant, qui ſe felices contacta et deoſculata eorum ſumma veſte exiſtimabant. Ita ad patrem, qui Tigumedeti erat, adeunt: ex cujus conſilio Hametes et Mahametes, ſtudiis magicis et ipſi eo doctore inſtructi, Feſſam veniunt, regnante tunc Mahamete Oatazeno circa annum hujus ſaeculi [α] octavum: et propter doctrinae opinionem Hametes cathedram in [o] ſchola Modoracenſi meruit; Mahametes vero, ut regis filiorum praeceptor eſſet, obtinuit.

VAR. LECT. [α] VII D.f.d.
INTEPRR. [a] *Aben-Joſeph.* [b] *Abu-Jacob Almanſor.* [c] *Cartagene* [d] *Cordoue* [e] *Seville.* [f] *Gamarazan.* [g] *Ceied.* [h] *Abdalak.* [i] *Said el Oatati.* [k] *Arzilla* [l] *Huſcenus Scherif.* [m] *Tigumedet.* [n] *Dara.* [o] *colegio de Modaraça.*

CIϽIϽL. HENRICUS II.

obtinuit. Creſcente eorum ſama et gratia, Sciriſius parens ex occaſione conſilium cepit. Tingitana, everſo Merinenſium imperio, tunc a variis dominis et populis poſſeſſa ac debilitata, Luſitanorum indies per Africam gliſcente potentia, crebris incurſionibus vexabatur. Itaqne Sciriſius, qui videret Sectarios aegre ferre per regulorum ſuorum diſſidia Chriſtianorum opes augeri, conſilium filiis dat, ut a rege tympanum et vexillum peterent cum aliquot equitibus, quibuſcum populos illos circumire et officii ſui in propugnanda Mahumetis lege admonere, atque ipſius auſpiciis Chriſtianorum conatibus opponere ſe valerent; id enim ad Sciriſios pertinere, qui legis intepretes ſint, et quorum maxime intereſt, cum a Mahumete genus ducant, ut Arabas pro religione et libertate patriae ad arma ſumenda exhortentur; petere igitur, ut ſibi [a] Suſiae, [b] Hacenſis, [c] Ducalae, [d] Marochenſis ac [e] Temecenae provinciarum praefectura demandetur, quam regis nomine gerant, et a Chriſtianorum injuriis vindicent. Rem etſi minime rex improbaret, tamen de ea cum [f] Mule Nacero fratre ſuo conſultare voluit; qui, cum rerum domeſticarum ſcientia ac memoria polleret, maxime dehortatus eſt regèm, ne Sciriſiorum poſtulatis aures praeberet: id enim agi, ut, religionis colore velata ambitione, majora indies audeant; et qui jam magnam pietatis opinionem excitarint, et quaſi principatum in religione occupaverint, ea nunc quae ſunt magiſtratus et ipſum denique ſucceſſu temporis regnum uſurpent: exempla harum rerum recentia eſſe; ſic Idris propaginem, ſic Magoravos ante IϽC annos, et [α] [1] Almoravidas, quorum princeps Abul-Texiſius, ſic denique [2] Almohavidas [β] Monahedino duce horum regnorum tyrannidem invaſiſſe; quibus Merinenſes adeo de religione et Africa bene meriti principes ſucceſſerint; quorum rurſus majores noſtri ultores, cum ſceptrum diis dantibus acceperint, et, quod alii per ſcelus, id illi pietate ſua et fide aſſecuti ſint, minime committendum eſſe, ut, dum religionis praetextu aciem ſuam praeſtringi ſinunt, caeci in inſidias et ſe et regnum praecipitent: ſpecioſa et ſimplicia initio videri, quae petantur; ceterum ſe animo providere, ſi Sciriſiis concedatur, ut religionis defenſorum titulum induant, eos una et regia inſignia aliquando ſumpturos. Verum rex nequaquam recte monenti fratri credidit: ſed ſive falſa Sciriſiorum religione deceptus, ſive quod parvi illas provincias faceret, a variis regulis infeſſas et quotidianis Chriſtianorum incurſionibus obnoxias; veritus etiam, ne, ſi id tam vulgo gratioſis hominibus denegaret, commune omnium odium incurreret, et religionis, quam iſti tuendam ſuſcepiſſent, contemptor aut etiam deſertor haberetur, tandem, quae petebantur, tympanum ac vexilium conceſſit, additis etiam literis, quibus Sciriſios fratres regulis ac praefectis earum regionum commendabat. Prima expeditio in Ducalam regni Marochenſis provinciam fuit, periclitandae fortunae et amicorum cauſa ſuſcepta potius, quam quod inde aliquod operae pretium ſperaret, tam modicis initio copiis, et contra adeo valido [g] Aſaphii, ad quod uſque excurrerant, praeſidio. Inde ad [h] Agueri promontorium duxere, quod ut Aſaphium a Luſitanis tenebatur. Jamque late Sciriſiorum nomen percrebuerat; quibus cum deeſſet pecunia, qua militem alerent, a populis in tam piam cauſam fructuum decimam partem impetraverant; atque in Darenſi quidem provincia [i] Quietevenſes, Timeſgultatenſes, Tuizulini, [k] Teuzetenſes, Tagamurdenſes, alii denique frequentium civitatum populi in id conſenſere: ac [l] Tarudantini, qui direpta urbe jam liberi vivebant, Tedeſienſibus et vicinis populis auctores fuerunt, ut Sciriſium patrem ducem deligerent, bellum adverſus Chriſtianos, qui Agueram tenebant, geſturum, IϽ equitibus illi attributis. Igitur Mahametes [3] ſenior Sciriſius Tarudanti ſedem fixit, ubi quondam

VAR. LECT. [α] Almohadas D. f. d. [β] Elmuahedino D. f. d.

INTERPR. [a] *Suſa.* [b] *Hea.* [c] *Ducala.* [d] *Maroc.* [e] *Temeſen.* [f] *Muley-Nacer.* [g] *Azafi.* [h] *Cap Cautine* [i] *eeux de Quiteva, Timeſguita, Tinzulin.* [k] *Teuzeta, Tagamadert.* [l] *Tarudante.*

NOT. [1] Almoranidas *Put.* [2] Almohadas Mouahedino *Put.* [3] Dele *ſenior*: lege *junior*. Paulo inferius Mahametes aetate minor eſſe dicitur et Hamet natu grandior.

quondam Metinenſes per initia principatus imperii ſui ſedem habuerunt; et haud longe ab urbe arcem exſtruxit, cui [a] Faraiſſae nomen impoſitum. Ita et armorum ducatum et adminiſtrationis civilis principatum ſavore Maurorum adeptus, hoc duce Chriſtianorum ſe jugo eximere feſtinantium, Suſiam verſus copias ducit; et bello [b] Mezuaribus, qui Chriſtianis Aguerenſibus favebant, illato, victis illis, Darenſi provincia, in qua dominabantur, potitus eſt. Dein, cum [c][1] Mahamete Elca (is erat Genuenſis, qui fidem Chriſtianam ejeraverat, et [d][2] Tignitum oppidum ad Atlantis radices, qua in Suſiam iter eſt, praeſidio tenebat) pactus de tranſitu, in Suſiam deſcendit, ut Haeenſibus, Ducalenſibus et Temecenis, qui a praeſidiariis Aſaphianis et Arabibus montanis infeſtabantur, opem ferret; eoque obtentu illarum provinciarum dominationem [α] arripuit. Jamque aucto cum ampliata potentia exercitu, tot locis decimam conferentibus, [e][3] Teduestum Haeae caput, quod non longe ab Aſaphio et [f] Azamore abeſt, vi capit, ibique palatium exſtruit, quaſi hanc ſibi ad ſenectutis otium requiem pararet. Cum huc uſque proſpera fortuna uſus eſſet, [g] Fiaſa Tabuti filius, Luſitanorum regis tributarius et ſumme Scirifiis infeſtus, creſcenti inimicorum fortunae iri obviam omnium maxime intereſſe exiſtimans, [h] Nonio Ferdinando Ataidae, qui Aſaphium praeſidio tenebat, conſilium dedit, ut conjunctis viribus Scirifium Teduesti otiantem opprimerent. Igitur coactis quanta celeritate fieri potuit CCCC equitibus Hiſpanis et III CIↃ Mauris, inſuper IↃ CCC peditibus Arabibus, ex iis, qui in Ducala regione [i] Abdam et Garbiam monteis accolunt, magno ſilentio Teduestum cum exercitu iter arripiunt. Sed neque id Scirifium latere potuit, qui gnarus res ſuas fama ſtare, ut conceptam exiſtimationem tueretur, obviam hoſtibus prodit cum IIII equitum millibus; neque plus quam quatuor a Teduesto milliariis, ac citius quam putarat, in hoſtem ſummo mane incidit. Fiaſa primam aciem ducebat; qui non expectato Nonii adventu in Scirifium magno impetu fertur, et odio animos addente in fugam vertit, totoque die cum Nonio, qui mox ſupervenit, eum inſecutus, IↃ CCC ex Scirifianis occidit, CC cepit, magna praeterea praeda potitus. Nemo ex veteranis Chriſtianis; ex Fiaſanis Mauris CXII circiter deſiderati ſunt. Scirifius cum filiis fuga periculum evaſit, Teduesto relicto, quo poſt cladem acceptam includi minime tutum duxit: quod ſtatim victori, dilapſis in proximos monteis incolis, patuit. Inde Nonius cum Joanne [k] Meneſe Azamoris praefecto, qui IↃC equites et CIↃ pedites adduxerat, vicinas circum regiones partim deditione partim armis ſubjugavit. Sed mox in ſua reverſis Luſitanis, Scirifii refecto exercitu, Teduestum, tumultuantibus civibus, receperunt; nec multo poſt Scirifius pater ex morbo deceſſit, tribus illis liberis ſuperſtitibus, qui paternis artibus inſtructi et ingenio ſuo freti ſibi minime defuere. Igitur [l] Alguelem oppidum, quod a [m] Cidi Bugima Luſitani tributario tenebatur, vi capiunt, et impoſito praeſidio firmant: tum Salſaviam caſtellum infra [n] Marochum contra noſtrorum incurſiones muniunt, decima ab iis locis in exercitus cibaria erogata. Varia deinde cum Luſitanis fortuna congreſſi, cum Lopezius Barriga, qui caſtrorum magiſtri officio fungebatur, [o][4] Amegam oppidulum obſediſſet, illi auxilio improviſi advolarunt, commiſſoque proelio noſtros vicerunt, ipſo Barriga capto: ſed damnum penſavit mors Abdelquiviri ex Scirifiis fratribus natu maximi, qui in pugna cecidit.

Hametes

VAR. LECT. [α] arriperet P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Faraixa.* [b] *ceux de Mezuar.* [c] *Mahamet Elche.* [d] *Tigutut.* [e] *Tedueſt.* [f] *Azamor.* [g] *Yahay ben Tafuf.* [h] *Nuno Fernandez de Atayde.* [i] *Abda & Guarbia.* [k] *Meneſes, gouverneur d'Azamor.* [l] *Alguel.* [m] *Cidi Bugima.* [n] *Maroc.* [o] *Anega.*

grandior. *Put.* Ita quidem *Puteanus*; ſed perperam. Mahametes enim hic, de quo agitur, idem eſt ac Scirifius Haſcenes in ſuperiore pagina memoratus, Abdelquiviri, Hametis et Mahametis pater. Huic primitus fuit *Mahametis Ben Hametis* nomen, altero *Scirifis Haſcenis* ſibi poſtea arrogato. V. *Marmol lib. 2 de los Xeriſes, fol.* 243. Llamato Mahamete Ben Hamer, que por otro nombre ſe hazia llamar Xeriſe el Huſceni, diziendo ſer del linage de Mahomet. C.

[1] *Mahamete Elca.* Un peu plus bas, il le nomme *Mumenis Belechi*: mais il y a faute, car ce *Mumen Belechi* eſtoit fils de ce *Mahomet Elche.* Put.

[2] *Tigutum* Put.

[3] *Tedueſtum* Put.

[4] *Anegam* Put.

Hametes et Mahametes victores, abducto ſecum Barriga, [a] Salſaviam redierunt, moxque de Marocho occupando conſilium inierunt: id ſub Merinenſium imperio, uti diximus, paene deſtructum, tenebat tunc temporis [b] Nacer Buxentufius ex Heutetenſium regulorum familia haud valde potens; quippe infrequenti urbe, et Arabibus, qui vicina omnia occupabant, eam quotidie infeſtantibus. In ejus ſe amicitiam vafri homines parte ſpoliorum data inſinuaverunt, ſpe etiam facta ejus imperii producendi: ita in urbem admiſſi, et ut homines religioſi honorifice habiti, hominem ſimplicem facile circumſcripſerunt: et cum venatum una ſaepius ireot, venenum in placenta more gentis ex ſaccharo et triticea farina confecta praebuerunt; unde mox ille urbem reverſus deceſſit, incognita tamen tunc morbi cauſa: eoque mortuo, ſtatim Hametes grandior oatu civium favore, qoos donis et promiſſis devinxerat, rex ſalutatur, rejectis Buxentufii liberis; quos novus tyrannus, ut invidiam amoliretur, longinquioribus poſſeſſionibus compenſationis loco donavit. Hujus rei mox Feſſanum regem per legatos certiorem facit, miſſis etiam muneribus fidem de tributo annuo praeſtando obſtringit, et ad omnia paratum ſe pollicetur. Sub id tempus ingens bellum intet [c] Arabas Sarquienſeis et Garbienſeis in Ducala provincia exortum eſt. Scirifii, quibus ſolemne erat ex alienis damnis emolumentum capere, ſeparatim ſe utriſque praeſto futuros recipiuot: hac ſpe deluſi ambo populi ad [d] Quecheram ſeptem a Marocho milliaribus occidentem verſus caſtris poſitis confligunt, Scitifiis cum exercitu ad ſpectaculum ſedentibus: cumque viderent Scirifii ancipiti diu pugna utrinque bellantium attritas vireis, ut de utroque facilis eſſet victoria, in utrumque jam certamine diuturno fractum, tanquam in hoſtem, integras vireis vertunt, iiſque ita nullo negotio caeſis, onuſti ſpoliis Marochum revertuntur: per tot victorias equis, armis, militum numero et omni bellico apparatu inſtructi, jam Feſſae regem contemnere, occ quintam, ut ante, manubiarum partem pendere, non tributum promiſſum ſolvere; ſed miſſis ſtrigoſis aliquot equis in proelio captis regem ludificare. Quod ubi ille animadvertit, per legatum, qui Marochi oegotia ſua procurabat, Hametem de fide data interpellat, et, niſi pactis ſtet, bellum denunciat. Verum cum ſub id rex ſenior deceſſiſſet, Hametes [e] Oatazenus Mahametis filius, qui Mahameti Scirifio ſuo olim praeceptori operam dederat, patris injuriam minime ulciſcendam ratus, cum Hamete tranſegit, exiguo ſed honorifico in ſingulos annos pacto tributo. At Scirifii arrideote fortuna audaciores redditi, tum vicinorum regulorum montana habitantium amicitia confirmati, cum pactis ſtare nollent, ubi tributi pendendi dies venit, regi renunciari juſſerunt, ſe ab omni tributo immuneis eſſe, quippe legitimos Mahumetis heredes; qulbus plus juris in Africano imperio eſſet, quam regi ipſi: proinde, ſi ſe amicis uti vellet, ultro benevolentiam polliceri; ſin aliquod impedimentum daret, quominus cum Chriſtianis bellum gerere poſſent, Deum et Mahumetem violatae religionis ultores eum habiturum, neque ſibi ant animos aut vireis defuturas ad improbos ejus conatus ſuſtinendos et coërcendos. Interea Mahametes Scirifius Suſiae provinciae praeſes infeliciter tentata Aguera Tarudantum redierat, quod aedificiis et propugnaculis feſtinato opere, quantum poterat, muniebat. Hametes vero frater regulorum amicorum ope omneis circumcirca regiones in poteſtatem redegerat, decima ad alendos exercitus undique coacta: oam adhuc in ementira religione perſeverabat, oeque praeter decimam aliud a deditis aut vi captis oppidanis exigere audebat. Tandem ſero errore cognito Hametes Feſſae rex, cum Scirifiorum creſcentem in dies potentiam merito ſuſpectam haberet, bello illis indicto Marochum obſidet; ſed irrito conatu, introducto in urbem a Mahamete auxilio, moxque eruptione facta regiis caſtris dirutis, et magna cum ſtrage milite repulſo. Acceſſit hinc, quod eodem tempore

INTERPR. [a] *Xauxava.* [b] *Nacer Buxentuf del linage de Henteta.* [c] *Arabes de Zarquia & Garbia.* [d] *Quebera.* [e] *Oataxe.*

CIↃIↃL.
HENRICUS II.

tempore rex certior factus eſt, [a] Mule-Mulcadinum germanum contra ſe arma ſumpſiſſe, et Feſſae res novas moliri: itaque rex continuo obſidionem ſolvit et recta Feſſam tendit. Interea Scirifii fratres, tam pulchram occaſionem minime praetermittendam rati, abeuntem regem inſequuntur, et ultimos ſemper premendo in Heſcuram provinciam deſcendunt, magniſque illatis damnis, ex ea et [b] Tedelenſi regione decimam et tributum, quod Feſſae regi pendebatur, corradunt. Jamque ſe Hametes regem Marochi, Mahametes itidem minor frater Suſiae regem appellari patiebatur, ſimulationem et modeſtiam natura et fortuna ſuperantibus. Igitur Oatazenus eo ſibi maturius enitendum duxit, ut, tam formidando hoſte protinus oppreſſo, naſcentem in Africa peſtem extingueret; pacatiſque domi rebus rurſus adverſus Scirifios expeditionem ſuſcipit: qui, non jam obſidioni ſuſtinendae, quod infirmioris eſt, ſed proelio conſerendo pareis ſe arbitrati, ultro obviam cum exercitu hoſti venienti prodeunt; et in [c] Nigritarum fluvii ripa, ad vadum, quod [d] Buacuba dicitur, caſtra metantur. Rex XVIII equitum millia in exercitu habebat, et in his IICIↃ ſive ſcloppetarios ſive baliſtarios cum XVII campeſtribus tormentis. [α] Scirifiani cum VII equitum millibus et CC ſcloppetariis in adverſa fluminis parte conſidunt; ubi poſtquam uterque exercitus triduum eſſet commoratus, cum Scirifiani hoc tantum agerent, ut Oatazenos tranſitu prohiberent, Feſſanus, qui omnino tranſire flumen decreverat et cum hoſte confligere, ſic aciem ordinat, ut Mahameti filio et Abdalae [e] Zogoibio, qui nuper Hiſpania excedens avitum [f] Granatae regnum Ferdinando et Iſabellae tradiderat, primos ordines ducendos committeret; in ſecunda acie ſtabat [g] Mule-Drius regi cognatione proximus, qui [h] Aliſam ejus ſororem in matrimonio habebat, et [i] Latatius vicinae orae regulus; ultimum agmen rex ſibi ſumpſit, cum praecipuis regni praefectis ac regulis. Zogoibius primus flumen tranſmittit, et in ulteriore ripa conſiſtit, dum ceterae equitum turmae tranſirent. Scirifiani, qui in duas omnino acies exercitum partiti fuerant, quarum primam Suſiae rex, poſteriorem Marochenſis ducebat, ut videre hoſteis vadum ingreſſos, antequam omnes tranſmiſiſſent, in Zogoibianos totas vireis effundunt; quibus profligatis et in flumen revolutis, ceteri qui in vado adhuc haerebant, dum fugientibus ſuccurrere parant, mutuo ſe occurſu permiſti implicant, et a Scirifianis ſcloppetariis ac baliſtariis ex adverſa ripa infeſtati magnam cladem accepere, partim ictibus enecti, partim fluvio hauſti. Periere in eo certamine Mahametes Feſſani filius, et Zogoibius Granatae olim rex, magno ludentis in rebus humanis fortunae exemplo; quae illum proprii regni amiſſioni ſupereſſe voluit, ut vitam, quam in ſuo defendendo non profuderat, in alieni regni propugnatione amitteret. Feſſanus, qui nondum flumen ingreſſus fuerat, cum nullam ſpem videret, fuga ſibi conſuluit, amiſſis tormentis et tentoriis, quodque omnium moleſtiſſimum illi accidit, gynaeceo, et recta Tedelam atque inde Feſſam ſe contulit. Scirifii parta tanta victoria et praeda ſucceſſum urgent, et ſuperato Atlante [k] Tafiletum praecipuam Numidiae urbem, quae ab [l] Acmare regulo tenebatur, tormentis in proelio captis verberatam deditione capiunt, et abducto ſecum Acmare [m] Marochum revertuntur, multis in itinere oppidis et populis montanis partim ad victoris fortunam inclinantibus, partim vi ſubactis, ac undique coactis ex illis regionibus, quae antea Feſſae regibus parebant, vectigalibus ac tributo. Interea Feſſanus, ut exiſtimationem regiam tueretur, neve pro deploratis res ſuas habere videretur, Latario et Mule-Drio negotium dat, ut cum iis, quas habebant, copiis Suſiae quantum poſſent damni inferrent, et vectigalia colligerent: quos Mahametes Scirifius venienteis repulit, et firmata praeſidiis regione retro Tarudantum regni ſedem, quam diligenti ſtudio muniebat, revertit. Inde terrore ſeu gratia pluribus Numidiae et Libyae ſibi adjunctis ac conciliatis

VAR. LECT. [α] Scirifii *P.*

INTERPR. [a] *Muley-Muçaud.* [b] *Tedla.* [c] *rio de los Negros.* [d] *Buacuba.* [e] *Zogoibi.* [f] *Grenada.* [g] *Muley-Dris.* [h] *Axa.* [i] *el alcaide Laatar.* [k] *Tafilet.* [l] *Xech Amar.* [m] *Maroc.*

conciliatis populis, cum [a] Agueram ſuis rebus officere aegre ferret, omni conſilio et ope enititur, ut oppido potiretur. Aguera in promontoriu antiquis [1] Viſagro dicto ſita eſt, ad radices Atlantis inter Meſſam et [b] [2] Teduestum verſus occidentem, portu commodo et piſcatiunibus nobili. Ibi Didacus [c] Lopezius Sequera, qui poſtea in Indiam orientalem profectionem ſuſcepit, caſtellum aedificaverat; quod poſtea Emmanuel Luſitanorum rex magno pretio a Sequera redemptum muro ampliavit, et praeſidiu ac machinis bellicis egregie munivit, quod illud ad res in Africa gerendas magnu ſibi uſui fore exiſtimaret. Eo Mahametes, anno hujus ſaeculi XXXVI, L CIↃ armaturum exercitum duxit, cui Mahametem [d] Harranum filium praefecit. Oppidum praeſidio tenebat [e] Guterius Monregius Luſitanus, qui contemptu periculo Emmanuelem initiu tantum de munitionibus et commeatu ſolicitabat. Cum diſploſis tormentis et impetu ſaepius facto, defendentibus ſe gnaviter praeſidiariis, Scirifius conatus ſuos non ſuccedere cerneret, conſilium cepit de aedificanda in colle proximo, qui urbi imminebat, turre, quo impoſitis iu eam majoribus aliquot ſcluppetis praeſidiarios, quo minus ad murorum defenſionem tuto accedere poſſent, arceret; quod ut facilius exſequi poſſet, inducias in duos menſeis cum Monregio paciſcitur, intra quas utrinque deſtructa reficere, et munitiones novas inſtituere liceret. id quo pertineret non primo intellexit Monregius, qui e re ſua eſſe arbitrabatur tempus concedi, quo auxilio ſummiſſo juvaretur, et ruinae murorum ſarcirentur: ſero ſenſit, ſed rebus non amplius integris. Nam exeunte induciarum tempore conſtructa turre rurſus oppidum ut antea machinis quati coepit, et magna murorum parte dejecta, cum defenſores a turre nuper exſtructa infeſtarentur, tamen VI amplius menſeis magna virtute obſidionem ſuſtinuerunt, ſummiſſo interea per mare auxilio, quod exitio obſeſſis potius quam ſubſidio fuit. Nam cum ad eam urbis partem, quae mare proſpectat, unde minor ab hoſte metus, auxiliares ſtationem haberent, fugae initium prupter commodiorem exirum ab iis factum eſt. Accidit autem, ut, acri impetu per ruinam ab hoſtibus facto, dolium pulvere tormentario plenum forte ignem conciperet, et propugnaculum, ſub quo ſtabat, ſubverteretur, amiſſis LX amplius propugnatoribus. Ita ruina majore affecta et addita hoſti ferocia, dum noſtri interea a fragore et improviſu caſu animos colligunt, redintegratur impetus, et auxiliaribus ad parata navigia, quibus ex Hiſpania nuper tranſportati fuerant, confugientibus, hoſtes, quantumvis ſe gnaviter obſeſſis defendentibus, urbe potiuntur. Magnam ſuorum cladem (nam amplius XVIII CIↃ hominum in ea obſidione Mahametem amiſiſſe conſtat) crudelitate penſavere victores, omnibus fere, qui iu oppido reperti ſunt, occiſis, nullo aetatis aut ſexus diſcrimine: qui ſe ad turreis receperunt cum Monregio capti, et [f] [3] Mumenis Belechi illius Genuenſis, de quo diximus, humanitate ſervati ſunt. [g] Meuenia etiam Monregii filia capta, eleganti admodum forma: cujus cum inſano amore Mahametes arderet, nec illa adduci poſſet, ut vel patris redimendi cauſa furenti barbaro morem gereret, ille rabie efferatus recuſantem foediſſimae mollium Nigritarum libidini exponi jubet; a qua injuria ut ſe vindicaret, in eas conditiones cum Mahamete convenit, ut eam legitimae uxoris loco haberet, neque vim conſcientiae afferret. Ita pactae inter eos nuptiae; moxque ex Mahamete gravida ſcelere aemularum conjugum veneno una cum partu extincta eſt: gratia tamen ejus apud barbarum pervicit, ut etiam ea mortua Monregium patrem carcere liberaret, et honorifice eum muneribus in Luſitaniam remitteret. Hoc ſucceſſu firmata Scirifiorum potentia, et metu vicinis regulis, qui Luſitanu parebant, injecto, facile omnia in eorum poteſtatem devenere; [h] Luſitanis ipſis ad rei famam [i] Aſaphium, Azamorem et Arzilae atque Alcazerae arceis

INTERPR. [a] *Aguer.* [b] *Teduest*: Marmol met *Teſtana.* [c] *Lopez de Sequeira.* [d] *Harran.* [e] *Gutierre de Monrei.* [f] *Mumen Belelche.* [g] *Donna Mencia.* [h] *les Portugais.* [i] *Azafi, Azamor, Arzilla, & Alcazar.*

NOT. [1] *Viſagro.* Ptolemaeus vocat *Uſadium.* Put.
[2] *Teduestum* Put.
[3] Lege *et Mumenis Belelchi illius Genuenſis, qui fidem Chriſtianam ejeraverat, filii, de quo diximus* Put. Car ce Mumen Belelche eſtoit fils de Mahomet Elche renegat de Gennes. *Put. L.*

arceis a ſe ante dirutas ſubito deſerentibus, quod majore ſuo damno quam rei Chriſtianae emolumento et commodo eas ſervari dicerent.

IV. TANTAM novorum dominorum felicitatem diſcordia, ut fit in pleniore rerum copia, inter fratres exorta turbavit. Nam Mahametes, etſi aetate minor, tamen virtute, comitate et fide in ſpeciem omnibus partibus major, cum ſe initio pro praefecto Suſiae geſſiſſet, jam regem agebat, et tributum fratri penſitare recuſabat: cum Hametes detrectantem interpellaret, ille contra non ſolum id ſibi juris eſſe contendebat; ſed etiam poſtulabat, ut communis theſaurus a patre poſt Feſſani regis cladem Taxaroti depoſitus inter ipſos divideretur, et Mahametes Harranus filius regni ſucceſſor deſignaretur; quod ita a patre teſtamento ordinatum diceret, ut, utri primum filius naſceretur, is Vezirus eſſet, et in imperio avito ſuccederet. Cum in eo eſſent, ut ad arma venirent, Cidius Arrahal, ſapientum, quos ipſi [a] Aiſacos indigitant, unus, prudentia et morum ſanctitate vir ſpectabilis, medium ſe interpoſuit. Deſtinato ad colloquium loco et modo, cum ad [b] Huedum-Iſſinum fluvium conveniſſent, inter amplexus Hametes fratrem in terram dejicere voluit; verum ille, ut erat expedito corpore, protinus in pedes erectus, perfidia tantum fratri exprobrata, nullaque praeterea, cum poſſet, injuria facta, a colloquio re infecta diſceſſit. Inde Hametes [c] Zidanum majorem natu filium et mox [d] Caidium alterum filium contra Mumenem Belechum et [e] Haſcenem Gelbium fratris duces miſit; quibus victis triumphantes illi [f] Marochum ingreſſi ſunt, et patri ad majora audenda animos fecerunt. Mahametes igitur convocatis amicis, cum bellum illud ſe ſummopere deteſtari diceret, ejuſque culpam in Hametem rejiceret, a quo contra jus perfidioſe oppugnaretur, juſtae defenſioni opem petit, et conciliatis eorum animis, qui vera dicentem libenter audiebant, magna omnium conſenſione auxilium impetrat: impetrato, manu barbae more gentis admota, fiduciae plenus de belli eventu fidem ſuam apud illos obſtringit, certam victoriam pollicens: fore quinetiam praedicit, ut propediem eorum opera fratrem captivum abducat. Igitur contracto quam maximo potuit exercitu ad Maſcarotani pylas, quae in Atlante ſunt verſus meridiem Marocho [g] Tarudantum tendentibus, partem copiarum praemittit; anguſtiiſque illis inſeſſis, cum Hametes de fratris conſilio per exploratores cognoviſſet, ad laevam iter flectit, et diſtributo in quatuor partes exercitu, primam aciem Mule-Nacero alteri filio cum IIII CIϽ equitum attribuit; ſecundam ipſe Hametes cum totidem equitibus et Buaçone filio juniore; tertiam Mule-Zidanus natu grandior ex filiis cum IIII CIϽ item equitum ducebat; Mule-Caidius ultimus filiorum poſtremam, in qua impedimenta erant, claudebat. Neutri peditatus erat; ſed res tantum equitatu geſta. Ut vidit Mahametes fratrem relicta regia via alio deflexiſſe, Mahameti Harrano filio negotium dat, ut cum III CIϽ equitum eum antevertat, et cum primis quibuſque ordinibus, ſimul atque in planitiem deſcenderint, antequam ſocii ſuperveniant, confligat. Id ſumma fide et diligentia ab Harrano factum; qui, oppreſſis inter anguſtias hoſtibus, cum Nacero congreditur; et, cum marte ancipiti per horae ſpatium pugnatum eſſet, tandem ingruentibus ex vicino monte ſcloppetariis, et ſuperveniente cum reliquo exercitu Mahamete patre, moxque occiſo Hamete [h] Fereſii filio, praecipuo Naceri duce, Marochenſes, magna accepta clade, retro cedere coacti ſunt, amplius VIII CIϽ bellatorum in eo conflictu deſideratis; ipſe Hametes pater, comitatus Buaçone filio, cum, ut Nacero opem ferret, ſe confuſis jam ordinibus miſcuiſſet, captus, et cum omnibus impedimentis Tarudantum, ſicuti Mahametes frater praeſagierat, deductus eſt. Mule-Zidanus incolumis cum paucis Marochum revertitur, patriaeque et ſuam vicem dolens, alioqui non adeo nomini Chriſtiano infenſus, de amicitia cum Caeſare jungenda et imploranda ejus ope conſilium inivit; eaque de re cum Hiſpanis aliquot atque in primis cum [i] Ludovico Marmolio Hiſpalenſi

INTERPR. [a] *Alfaquis.* [b] *Hued-Iſſin.* [c] *Muley-Zidan.* [d] *Muley-Caid.* [e] *Haſcen Gelbi.* [f] *Maroc.* [g] *Tarudant.* [h] *Muley-Ferez.* [i] *Luys de Marmol, de Sevilla.*

Hiſpalenſi prudenti juxta ac diligenti harum rerum ſcriptore egit: ſed dehortante [a] Janio Marochi praefecto, quod, ſi cum Chriſtianis amicitiam jungeret, Maurorum animos atque adeo totam Africam in ſe concitatum iri diceret, propoſitum matavit, et per Mariam uxorem Mahametis patrui filiam tractari pacem placuit, quae in has conditiones tandem inter eos facta eſt; Ut bello ſubactae regiones inter eos dividerentur; et Mahameti Suſia ac regio omnis trans Atlantem ad meridiem, Numidia item et Libya, cederet; Hameti ceterae regiones, quae ſeptentrionem ſpectant, et [b] Tafiletum, attribueretur; theſaurus a patre [c] Taxaroti relictus inter ipſos item aequaliter divideretur; et ex avi voluntate Mahametes Harranus regnorum ſucceſſor, ut ante omneis natus, deſignaretur, ac poſt eum Mule-Zidanus Hametis filius: captivi utrinque ſine pretio liberarentur; atque ii, qui Tarudanti detinerentur, jurejurando fidem obſtringerent, nunquam ſe adverſus Mahametem militaturos, aut huic pacificationi contra ituros. Conventum item, ut ad Hametem tanquam natu grandiorem quinta pars eorum omnium, quae communibus copiis bello quaererentur, pertineret; et, ſi ſimul ambo fratres in exercitu eſſent, ſupremum imperium penes Hametem eſſet, Mahametes Veziri ac ſecundae a fratre dignitatis munere fungeretur. His Mariae interventu anno XLIII conventis, Hametes, ſimul ac libertati reſtitutus Marochum rediit, ut per vim extortis ſtare noluit, quod filio ſuo natu majori illis grave praejudicium factum diceret; belloque fratri ſtatim indicto, inſequenti anno trans Atlantem VII a Marocho milliaribus, ad diverſorium, quod [d] Quecheta dicitur, rurſus cum fratre infeliciter conflixit XIIII Kal. Septembr. ubi mirum illud et ſiniſtri augurii accidit, quod ſudo et ſereno coelo, nullaque aura agitato aëre, vexillum regium, cum exercitus incederet, ad ſpinam tot ſinibus ſe implicuit, ut vix quarta horae parte inde explicari potuerit; intereaque Mahametes tanto impetu in hoſteis impreſſionem fecit, ut, dum illi circa regem et vexillum haerent, fuſi et in fugam verſi ſint: quos inſecutus Mahametes uſque ſub veſperam, dein et tota nocte iter proſequens ſummo mane ad Marochi portam ſubſtitit, miſſiſque, qui civeis rei nuncio perterritos ad deditionem compellerent, Janius, non expectato dum admotis tormentis victoris iram experiretur, cum Hametem aut occiſum aut captum crederet, a Mahamete gratiam inire voluit, deditaque urbe portas aperiri juſſit; continuoque ipſe Mahametes laetis omnium acclamationibus rex ſalutatus magnum fidei et temperantiae ſpecimen dedit. Nam ſecretioris palatii potitus, cum pretioſa quaeque et fratri chariſſima, theſauros et gynaeceum in poteſtate haberet, ab iis manus et oculos abſtinuit, et fratris conjuges ac filias conſolatus bono animo eſſe juſſit. Nec multo poſt, cum armamentarium in poteſtatem redegiſſet, Hametes, qui tota nocte deerraverat, ad palatii poſticum parvo comitatu acceſſit; reſcitoque fratrem intro eſſe, tam triſti nuncio conſternatus ad diverſorium Cidii Abdalae Ben-Ceſi ſolitariam vitam agentis, quales ſunt illis in locis plurimi, ſeceſſit, et inde Nacetum et Zidanum filios ad Oatazenum Feſſae regem antea contemptui habitum ſupplices ablegat, qui expoſitis Mahametis injuriis auxilium contra communem hoſtem peterent. Ille acceptarum injuriarum immemor benigne acceptos cum in ſpem auxilii erexiſſet, Mahametes profundae ſagacitatis vir, qui, conciliatis civium et vicinorum regulorum ſtudiis, militi etiam perſolutis, quae a fratre debebantur, ſtipendiis, merito verebatur, ne conjunctio cum Feſſano inita utrique exitioſa eſſet, per interpretes de pace cum Hamete agere coepit. Dies et locus Aprili menſe anni, qui proelium illud ſecutus eſt, ad [e] Lnidam fluvium condicitur, duobus a Marocho milliaribus orientem verſus. Ibi in tumulo tentorio erecto, loco ab inſidiis tuto, ut hinc inde a cuſtodibus diſpoſitis, anguſto calle ad ſolium, in quo ſedebat victor, tantum eſſet aditus, primi introducti ſunt Hametis filii, quos patruus amice

INTERPR. [a] *Gibani.* [b] *Tafilet.* [c] *Tazarot.* [d] *Quekera* [e] *Luden.*

CIƆIƆL.
HENRICUS II.

amice complexus eſt: poſtremo venienti Hameti aſſurrexit, et obviam prodiens multis utrinque lachrimis prae gaudio profuſis ad dextram in ſolio juxta ſe ſtatuit. Heic cum alter in alterum intuens, dum prior loqueretur, diu moratus eſſet, tandem Mahametes ad fratrem converſus, De fortuna queri potes, frater, ego vero de te, qui fidem nuper Tarudanti datam tam parvi feceris, ut me confeſtim libertati reſtitutus, quamvis ſanguine et recenti beneficio obſtrictus, bello petere aequum duxeris. Fluxa fides, cum in omnibus, tum maxime in principibus reprehendi ſolet, quibuſcum legibus, queis ſoluti ſunt, agere non licet. Itaque uſu quotidiano cernimus, Deum in perjuros acerrimas ultiones exercere; quod tute tuo periculo ſatis didiciſti, tot exercitibus amiſſis, ac magno regno tam brevi ſpatio ſpoliatus. Id enim neque virtuti neque diligentiae meae tribuo; qui niſi praeſenti Numine tam potenteis exercitus tam parvis copiis fundere, tot civitates ac provincias in poteſtatem redigere nunquam potuiſſem. Sed averſus a te Deus has calamitates infligit, qui te inviſum tuis ac filiis etiam propter perfidiam minus amabilem reddit. Frater es, agnoſco, et natu major, cui me propterea obſequium et reverentiam debere minime inficior; nec debitam denegaſſe hactenus conſcientia arguit, nec arguet, modo is ſis, qui debes, et me viciſſim ut fratrem redames, et fraterna benevolentia complectaris; immo paterna; id enim tibi in me juris aetas tribuit. Itaque, et te regis ac ſupremi domini loco habere profiteor, et ut ab omnibus habearis omni ope enitar, tibique in Veziri munere omnem obedientiam me in poſterum praeſtiturum recipio. Unum eſt, quod te rogo, quo fidem praeſtem, et civeis [a] metu, ne videlicet in illos crudelius vindices, liberem, ut Tafiletum cum familia ad aliquod tempus ſecedas. Nam ſi Deus votis annuet, et concordibus animis et viribus, uti ſpero, bellum pro religione perſequemur, quae nunc tenemus, ad illa, quae porro quaeſituri ſumus, in appendicis tantum loco cenſebuntur; nec provinciae et regna multo ampliora deficient, quae et ipſe poſſidere, et liberis relinquere poſſis. Tu interea quietam, tu ſecuram cum liberis et familia vitam age. Mei officii et pietatis erit, ſi opus fuerit, filios tuos in partem laudis ac victoriae, cum ſe occaſio dabit, vocare. Haec in ſpeciem praeclara, ſed a profunda diſſimulatione profecta, Hametes, pauca in ſui excuſationem praefatus, in bonam partem accipere teſtatus eſt; et cum ibi pernoctaſſet, poſtridie cum filiis Tafiletum ſe contulit. Mahametes jam in certam maximae potentiae ſpem erectus, cum videret Oarazenum conſiliis ſuis obeſſe, cujus non tam vireis et potentiam quam nomen et generis dignitatem reverebatur, de eo evertendo cogitare coepit: ac primum [a] Abdelem-Caderum alterum ex filiis miſit, qui cum [b] Mumene Belecho conjunctis copiis [c] Tedelam provinciam, quod Marochenſis regni eſſet, repoſceret: cum recuſaret Oarazenus, ex ea occaſione inter eos bellum ortum eſt. Scirifiani igitur, cum magna damna per eas regiones populationibus dediſſent et tributum collegiſſent, poſtremo [d] Fixetellam caſtellum, quod ab [e] Onezaro praeſidio tenebatur, in regionum finibus obſidendum aggrediuntur: quod cum infeliciter ceſſiſſet, vi repulſa et cuniculis apertis, interea ſupervenit rex Feſſae cum exercitu, in quo XXX CIƆ armatorum erant, ex praecipua [f] Feſſani, [g] Veleziani et [h] Dubudenſis agri nobilitate, quibus ſe addiderunt Haloti Arabum reguli, et [i] Ben-Melechus Sophianus cum IƆ CCC Turcis, duce [k] Martiano Perſa, qui haud multo ante [β] [l] Algeria ad eum venerat: praeterea CIƆ equites ſagittarii cum XXIV machinis bellicis aderant. Hoc ubi vidit Mahametes, collecto per [m] Suſiam et [n] Marochenſem agrum exercitu ſubito advolat, et Tedelam ingreſſus cum XVIII CIƆ armatorum et CIƆ CC ſagittariis ac machinis bellicis ad [o] Nigritarum flumen ſe cum Belecho conjungit. Inde modicis itineribus profectus, quod ſperaret Feſſanos familiae viſendae cupidos haud diu ſub ſignis fore, et Arabas, ut ſunt varia et mutabilia eorum ingenia, ſi

VAR. LECT. [a] metu, in quo ſunt, *P. D. o. f.* [β] Algerio *P. D. o. f.*
INTERPR. [a] *Abdel-Cader.* [b] *Mumen Belelche.* [c] *Tedla.* [d] *Fixtela.* [e] *Onzar.* [f] *de Fez.* [g] *de Velez de la Gomera.* [h] *Dubdu.* [i] *Ben-Melech.* [k] *Marjan.* [l] *Alger.* [m] *Suſa.* [n] *de Maroc.* [o] *de los Negros.*

ſi cunctaretur, domum protinus remigraturos, quamvis ſummopere cuperet cum hoſte confligere, aliquanto tempore ſubſtitit. Cum vero videret Feſſanum prope [a] Fixetellam ad [b] Dernae ripas orientem verſus caſtra poſſuiſſe, munito admodum loco, et, dilabentibus quotidie Arabibus et Feſſanis, regis vireis ſenſim debilitari, demum ſe manus conſerere velle oſtendit, ut Oatazenum prolectaret, et tam munitis caſtris egreſſum in apertum campum eliceret. Ille igitur, qui antequam dilaberentur omnino copiae congredi vellet, ad pugnam mox ſe comparat, in quinque acies diviſo exercitu; quarum primam [c] Buaço ex Merinenſinm Oatazenorum familia, [d] Velezii regulus Feſſani legatus in dextro cornu, ſecundam [e] [1] Buſquerius Feſſani frater et Dubudenſium regulus in ſiniſtro cornu locati ducebant: aliae duae, quae pone ſequebantur, Mule-Cazerio et [f] [2] Mule-Checo attributae erant: in medio rex cum [g] [3] Mule-Bucero filio et praecipuo robore ſtabat, tormentis in tumulo ad montis radices diſpoſitis, quorum cuſtodiae Martianum eum ſuis praefecerat. Mahametes pridie, cum filios, praefectos atque amicos vehementi oratione ad proelium capeſſendum confirmaſſet, ſpe certae victoriae facta, quae ad Africae imperium viam aperiebat, eos, qui pugnam detrectarent, cum bona ſua gratia abire juſſerat, et ſeductis praefectis magica ſe ſcientia compertum habere dixerat, non niſi unum ex ſuis eo proelio amiſſum iri, eumque Nigritam; Feſſanum vero in ſuas manus venturum. Ita animati milites ſummo mane ad pugnam ſe comparant, diſpoſito in arcum exercitu, qui omnino in ſeptem agmina tributus erat. Ad dextram Belechus, ex adverſo Dubudenſium reguli, erat; in ſiniſtro cornu [h] Mule-Mucaldus Scirifii filius Buaçoni oppoſitus: in medium Scirifius eum quinque equitum millibus receſſerat, utrinque duobus agminibus cinctus; ante ſe inter duo cornua ſcloppetarios Turcos, cum aliquot campeſtribus tormentis, quae minime ab hoſte cerni poterant, ſtatuerat; reliquas machinas in jugo vicino depoſuerat, unde facile duci et circumagi foſſorum ope poſſent. Neutri peditatus erat. Scirifius ſuis, ne excurrerent, donec ſignum daretur, gravi denunciata poena imperaverat. Ita cum longo temporis ſpatio utrinque acies conſtitiſſent, jam ſole poſt terga converſo et radios in Feſſanorum oculos dirigente, Scirifius procedit: tum explicato vexillo, quod ſignum erat, et diſploſo tormento, ſclopperarii Turci ſe aperiunt, et diſploſis ſubito tormentis tumultu majore quam periculo res geritur, Feſſanorum ordinibus nec opina machinarum procella mox confuſis: et quamvis Buaço, qui ſolus pugnam eo die capeſſere auſus eſt, ſtrenue admodum cum ſuis ſe defenderet, impreſſionem faciente Scirifio, temporis momento fuſi hoſtes et in fugam verſi ſunt: XL ſolummodo ex iis copiis, ex Scirifianis Nigrita unus, uti praedictum fuerat, deſiderati. Nuſquam tam pauco ſanguine tam magna victoria conſtitit. Rex, ut exercitus adeo perturbati reliquias colligeret, in adverſam fluvii ripam tranſmiſſurus in vado inter confragoſa ſaxa equo labente concidit, et multis in capite acceptis vulneribus vix tandem agnitus a Mule-Mucaldo capitur, et una [i] Mule-Bucerus filius, qui, cum a patris latere nunquam diſceſſiſſet, ne in manifeſto quidem periculo eum deſerere voluit. Rege capto Buaço, poſtquam omnia ſtrenui ducis munia impleviſſet, cum iis, quos potuit, ſervatis ordinibus ſe recepit, per intervalla ſaepius frontem obvertens, ne a victore inſequenti gravius damnum acciperet. Martianus ſuos in tumulum itidem recipit, et diſpoſitis in fronte contra Scirifium tormentis ſe continebat, ut primam victoris rabiem et iram evitaret. Miſſo igitur [k] Mule-Caidio filio Scirifius eos ſibi conciliat, et eadem ſtipendia, quae ipſis a Feſſano ſolvebantur, pollicetur. Multi ex Feſſanis, qui cum Martiano erant, et ad uxores et liberos redire in urbem ſatagebant, relictis armis dimiſſi ſunt.

V. CAPTIS

INTERPR. [a] *Fixtela.* [b] *Derna.* [c] *Muley-Bubaçon.* [d] *de Velez de la Gomera.* [e] *Buzquerri.* [f] *Muley-Xequt.* [g] *Muley-Bubquer.* [h] *Muley-Muçaud.* [i] *Muley-Bucar.* [k] *Muley-Cayd.*

NOT. [1] *Buzquerius* Put. [2] *Mule-Checo filiis attributae* Put. [3] *Mule-Bubcero* Put.

V. Captis et direptis hoſtium caſtris, Sciriſius adductum ad ſe Oatazenum coram praefectis et amicis tali oratione compellavit: Quod mihi nunc juris in te fortuna, quod olim actae me magiſtro tuae pueritiae memoria dat, id in liberum et ſalutarem tibi ſermonem ſine victi offenſione expromere liceat. Juſta in te ira Numinis excanduit, utque captivus in meas manus incideres, effecit, ob multa et gravia, quae inter populos tibi a Deo commiſſos quotidie, te ad ea praepoſtera prudentia connivente, patrantur; maxime vero Feſſae, religionis quondam noſtrae et bonarum artium matrice atque alumna urbe, ubi et divinum cultum vigere et bonos mores ac diſciplinas florere oportuit. Ceterum te minime perditum, ſed monitum hac calamitate voluit Deus. Neque enim in Chriſtianorum manus incidiſti, ſed in eorum, qui et tecum idem in religione ſentiunt, et ex animo tibi bene volunt. Noli enim putare, me, propter adjutum contra me fratrem, et filios ejus a te tam humaniter acceptos, cum conſilia adverſus me agitarent, tibi ſuccenſere: has ſiquidem injurias, quarum apud alios acerrimus ſenſus eſſe ſolet, facile tibi pro mea natura et propenſo in te animo condono; ſatiſque habeo, ſi errorem agnoſcas et de eo emendando cogites, alia vivendi in poſterum inita ratione, qua nec in Deum ingratus neque erga amicos injurioſus eſſe pergas. Itaque bono animo eſto, et omni moerore depoſito quamprimum ſanatis vulneribus te in regnum beneficio meo incolumem reverſurum ſpera. Ad haec Oatazenus, quantumvis ob aeſtum diei, ſed multo magis ex vulneribus debilis, cum victoris impudentiam non ferret, tamen ut captivus, erecta paulum cervice, ſic modeſte reſpondit: Separata omnino ac longe diverſa ſunt, o Mahametes, ea jura, quibus in me uteris: nam raro quiſquam tam moderate victoria uſus eſt, ut intra innoxiae libertatis cancellos erga victum ſe geſſerit: at praeceptoribus cum alumnis, ſicuti parentibus erga filios, ſemper ſumma humanitas atque benevolentia intercedit. Itaque cum tecum agendum ſit, non tanquam captivus ad victorem iratum, verum ut alumnus ad benevolum pueritiae meae moderatorem verba faciam. Fer in me eandem libertatem, fortaſſe etiam aliquando tibi ſalutarem, quam tibi in me ſumpſiſti. Aliena peccata, quae objicis, corrigere, et populos licentiae aſſuetos ad ſanitatem revocare non ſemper in regum poteſtate ſitum eſt: et quamvis iis Deum graviter irritari non diffitear, tamen ea minime juſta cauſa fuit, ut me de te et fratre tuo ſemper optime meritum ultro armis oppugnares: neque enim negare potes, a patre, dum viveret, meo rogatu, et poſtquam ad regnum acceſſi, a me, antequam vos fortuna ad hoc culmen evexiſſet, in te ac fratrem tuum omnia collata beneficia, quae ab amico expectari poſſunt; quibus talem referri gratiam neque oportuit, neque vero ſperare potui. Haec ergo, quae in tuam invidiam magis quam in meum crimen recidunt, miſſa facito; et illud potius cogita, Deum me in tuas manus dediſſe, ut te periclitaretur, an eodem animo, quo olim tenuem, ita nunc magnam fortunam ferre poſſis, et ego tot beneficiorum, quae a parente meo et omni noſtra familia accepiſti, aliquem fructum ſentirem. Nunc ergo tuum eſt, quemadmodum officii mei me admonuiſti, ut Deo idem a te repoſcenti ſatisfacias, et expectationi meae et omnium bonorum reſpondeas; tibique ſic perſuadeas, ita res humanas eſſe, ut, vices alternante fortuna, omnes opera mutua et gratia egeamus. Nam quod humanitatem, qua erga fratrem tuum et ejus filios nuper uſus ſum, dure adeo accepiſti, non ideo te id mihi par erat ſuccenſere, quin potius idem a me, ſi te fortuna eo adduxiſſet, officium expectare. Deſinentem blando vultu excepit Mahametes, conſolantis an illudentis animo, et ut curanda vulnera in tentorium juxta ſe proximum dimiſit. Eodemque die [a] Onczarus eladis nuncio perterritus ad victorem venit, et [b] Fixetellae clavibus traditis, a Sciriſio multum ejus virtutem et conſtantiam laudante in fidem acceptus eſt. Inde promota ad Feſſam caſtra, quod captivus rex ſpem feciſſet, ſi Mahametes ad urbem accederet,

INTERPR. [a] *Aben-Onzar.* [b] *Fixtela.*

accederet, fore, ut cives ſui redimendi cauſa [a] Mequinenſem agrum ei traderent. Verum aliter accidit, Buaçone cum [b][1] Mule-Buceto regis fratre, et Mule-Cacerio filio, quem pater ex Cordubenſi foemina Chriſtiana ſuſceperat, in urbem a civibus cum reliquo exercitu acceptis: quibus tumultuantibus, quod ſine rege eſſent, cum inde frater inde filius captivi ob oculos verſarentur, re in interiore conſiſtorio agitata, Buaço, rejecto fratre, in Mule-Cacerium filium conſenſit, ea conditione, ut, quamprimum pater liberatus eſſet, ipſe regno cederet. Igitur Buaço in terram provolutus Mule-Cacerii pedem more gentis deoſculatus eſt, moxque prodiens ille ab omnibus rex ſalutatur. Is viciſſim Buaçonem, utpote ex [c] Merinenſium Oatazenorum familia ortum, Vezirum et ſummum regni moderatorem conſtituit; monuitque, ut, quando res ſua ageretur, videret, ne quid detrimenti regnum a communi hoſte acciperet. Cum paternae cladis cauſas ſuperſtitioſi Mauri aſſignarent, quod rex captivus a Chriſtianis vinum Feſſam comportari paſſus eſſet, et leones aleret; ille reipublicae emendationem prae ſe ferens, protinus quidquid erat vini in cellis per urbem effundi et leones ſagittis configi juſſit. Interea Scirifius per Atlantis anguſtias, quae [d] Honegenſes appellantur, XXIIII ab urbe milliaribus exercitum traducit, et inde promotis ad [e] Azaguenſeis pylas V a Feſſa milliaribus caſtris, captivi regis literas ad matrem et Mule-Cacerium filium atque ad ipſum Buaçonem ſcriptas perferri curat: quibus rogabat, ut, ſi ſe ſalvum vellent, Mequinenſem agrum Mahameti traderent; ſic enim fore, ut libertati et regno protinus reſtitueretur. Ad haec Buaço, cum blando vultu ſe omnia pro regis ſalute ac libertate facere paratum oſtenderet, injecta mora, de Scirifii fraudulenti aſtu contraria fraude revincendo conſilium cepit; Mequinenſibuſque ſcripſit, ut anguſtias Honegenſeis occuparent: ipſe cum omnibus, quas habebat, copiis in Scirifiana caſtra noctu impetum facere decernit, ratus, faucibus illis occupatis, hoſtem, cum receptum non haberet, facile oppreſſum iri: ſed quantumvis ſecretum Buaçonis conſilium ſagacem Scirifium latere non potuit, qui vindicta ardens ſtatim ad urbis portas uſque hoſtiliter excucurrit, et CC ex civibus, qui ſoluti pone moenia obambulabant, captos ante ſe jugulari juſſit: moxque nocte inſequenti ad anguſtias uſque Honegenſeis incolumis pervenit, antequam Mequinenſes eas, ut juſſi erant, occupare potuiſſent; et inde regem ac regis filium injurioſe compedibus oneratos ſecum Marochum abduxit. Nec multo poſt, anno ſequenti, qui fuit XLVIII, Mahametem Harranum et Abdel-Caderum filios cum exercitu mittit, qui [f] Ganemis [α] Halotorum reguli gratia freti, impetrato tranſitu, in Feſſanum agrum ducerent. Jam plerique vicinorum regulorum contra Mule-Cacerium rebellaverant; in iiſque Mahametes [g] Barraſſius Seſuani dynaſta conſilia cum [h] Haſcene Tetuani praefecto conjunxerat: in quos cum novi regis juſſu infelicem expeditionem Buaço ſuſcepiſſet, et [i] Caçara-Quibiviri, [k] Laraches et [l] Eſſegenes dynaſtas fruſtra ad ſuas parteis pertrahere tentaſſet, in urbem reverſus, ibi rurſus praefectos inter ſe diſſidenteis et ſibi adverſanteis offendit; unde concepta indignatione arrepto confeſtim equo urbe exceſſit, et [m] Velezium ſe contulit. Sed mox regis enixis precibus revocatus, et denuo in ſummi moderatoris dignitatem reſtitutus, cum Scirifii filiis, quos dixi, qui tranſitum per Caçaram-Quibivirum impetraverant, convenit, Mequinenſi agro tradito. Antequam dimitteretur Oatazenus Scirifius, qui fraudulenter de pacis a filiis factae conditionibus nihil cognoviſſe fingebat, ab eo exegerat, ut de tradenda ſibi Feſſa, ubi primum fuiſſet rogatus, fidem ſuam obſtringeret. Atque ille libertatis ſupra modum cupidus ſe urbis ſemel potitum,

VAR. LECT. [α] Holotorum *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Mequinez.* [b] *Muley-Buzqueri.* [c] *les Beni-Merinis Oatazes.* [d] *Honegui.* [e] *Azaaga.* [f] *Gauem, ſeigneur des Halotes.* [g] *Barrax,* ou *Beurez, ſieur de Seſuan.* [h] *Heſcin, gouverneur de Tetuan.* [i] *Caçarquibir.* [k] *Larache.* [l] *Eſſegen.* [m] *Velez.*

NOT. [1] Lege *Mule-Buzquerio regis fratre.* Car Mulei Bucar eſtoit le fils, & non pas le frere de ce roi. *Fut.*

tum, ad primam interpellationem, ejus claveis ipſi miſſurum receperat. Hanc inijquam pollicitationem homo vafer a miſero rege extorſerat, cauſam novo bello quaerens, quod jam animo deſtinaverat, quodque adverſus eum geſturus erat, ſimul atque Mequinenſem urbem imperio ſuo ſubjeciſſet. Ita Oatazenus libertati reſtitutus, ſtatim ubi Feſſam rediit, a Mule-Caecrio ſponte regno cedente rex denuo ſalutatur: vixque ab eo duo menſes effluxerant, cum Sciriſius jam Mequinenſis agri dominus effectus, cum potentia ſemper creſcente alieni cupiditate, juxta Feſſam conſedit, et ad Oatazenum mittit, qui eum de pollicitatione nuper facta interpellaret. Ille, Sciriſii indignationem veritus, ſtatim mittit, qui ſe excuſaret et urbem non in ſua ſed filii et civium poteſtate eſſe diceret. Quam excuſationem, quod praeter ſpem accidiſſet, tam graviter Sciriſius tulit, ut animi impotens protinus legatum ſecuri percuſſerit, et hoſtiliter ad portas uſque urbis excurrens, quoſcunque caperet, nulla gratiae ſpe occideret. Ibi aliquot e ſuis amiſſis, capta inde occaſione ingentem exercitum cogit, et Abdalam atque [a] Abdarrhamanum juniores filios Dara evocat, et introducto per [b] Caçaram, uti prius, exercitu, per [c] Haſgarenam provinciam facto itinere ad [d] Subum flumen juxta urbem caſtra metatur. Oatazeno adverſus patruum Zidanus auxilio venerat, Tafileto a patre Hamete miſſus, et in itinere in Subi tranſitu cum hoſte conflixerat, dubio exitu, multis utrinque occiſis. Sed cum ei poſtea cum Buaçone non conveniret, reſque propter diſcordias aliter, quam ſperaverat, ceſſuras auguraretur, retro ſe ad patrem Tafiletum recipit. Jamque arctius Feſſa obſideri coeperat; et cives ipſi infelicis regis dominatum peroſi, et Sciriſii proſperitati occulta benevolentia faventes, tacitis votis ejus fortunam adjuvabant; eoque extrema rerum omnium penuria redacti erant, ut eum regem vellent, qui panem, quo ſe ſuſtentarent, dare poſſet; ac plerique fame victi ex antiqua Feſſa in Sciriſii caſtra tranſierant. Continuata item per biennium obſidione, cultus erga regem et reverentia priſtina tractu temporis in odium verterat. Itaque occulto cum obſeſſis tractatu habito, Sciriſius propius urbem tentorium figit, et noctu vectibus atque uncis parte muri diruta antiquam Feſſam ingreſſus eſt, tanto civium favore, ut citius urbe potitus ſit, quam rex, qui in Feſſa nova ſedem habebat, de eo quidquam reſciret: qui ſubito expergefactus cum accurriſſet, et civium animos a ſe averſos videret, retro ceſſit; ſicque Sciriſius urbis veteris potens, impoſito in ea [e] Hamubendendo praefecto, in caſtra reverſus eſt. Regi, quid ageret incerto, Buaço conſilium dederat, ut ſecum ea nocte Velezium confugeret, ita fore, ut ibi metu ſoluti cum Chriſtianis principibus amicitiam inirent, et ab iis contra formidabilem etiam ipſis hoſtem auxilia impetrarent. Sed cum ille non aſſentiretur, nec adduci poſſet, ut neglecta matris, conjugum ac liberorum ſalute ſuae conſuleret, ſed in animo haberet viam pacis cum Sciriſio tentare, Buaço conſcenſo equo admodum pernici per poſticum noctu egreſſus Velezium contendit. Rex extemplo, per [f] [1] Letam Mahabibam parentem ad Sciriſium miſſam, cum multis lachrimis vitam et conditionem regiae fortunae convenientem pactus, ſe dedidit. Sciriſius urbem novam intromiſſis cuſtodibus, regem [g] Marochum, [h] Nacerium et Cacerium filios ſeorſim a patre [i] Tarudantum attributo illis viatico ablegavit; et ducta, contumelioſiuſne an intemperantius incertum, regis filia, quod illi quotannis ſolemne erat; ad fratrem Hametem miſit, qui eum Tafileto excedere, quod per filios cum Feſſano conſilia communicaſſet, et [k] Tiguretum in [l] Zaharenſi provincia migrare ſuo nomine juberet. Ille, excuſato apud fratrem facto, filios omneis ad eum, ut ipſi praeſto eſſent, miſit; ex quibus ille Nacerium et Zidanum natu grandiores, quod ab iis ſibi metueret, ad patrem remiſit; Buaçonem et Manſorem juniores cum duabus filiabus ſuis matrimonio junxit, affectata, etiam cum maxime falleret, pietatis et

humanitatis

INTERPR. [a] *Abdarraman.* [b] *Caçarquibir.* [c] *Haſgar.* [d] *Subu.* [e] *Hamu ben Deud.* [f] *Lela Mahabi.* [g] *Maroc.* [h] *Abu-Nacer & Caceri.* [i] *Tarudant.* [k] *Tiguret.* [l] *Zahara.*

NOT. [1] *Lelam* Put.

humanitatis opinione. Mox per Abdatthamanum filium [a] Tafileti poſſeſſionem arripuit; et [b] Amarem Dubudenſium regulum, cum ipſe venire juſſus, ut obedieuriam victori praeſtaret, excuſatione hactenus imperium ludificaſſet, relictis laribus cum filio Melillam in Hiſpaniam confugere coëgit: dein Harranum, Abdel-Caderum et Abdalam filios [c] Tremecenum mirrit, qui eivitatem ne ſtricto quidem enſe, dedente eam Mahumete praẽfecto, occuparunt. Inde Harranus, relicto Tremeceni Abdala fratre, tanquam [d] Oranum obſeſſurus proficiſcitur; ſed in itinere morbo correptus, ac [e] Feſſam delatus, paulo poſt deceſſit. Cum vero fama eſſet, Turcos recipiendi Tremeceni cauſa cum magnis copiis adventare, Scirifius Abdel-Caderum cum IIII CIↃ equitum eo mittit, et Abdarrhamanum, qui Tafileti erat, cum totidem equitibus eum ſubſequi jubet: ſed nata intet aemulos fratres diſcordia, utrique exitio fuit. Nam Turcis ad manus venientibus, cum Abdarrhamanus ſpectator cum ſuis ſederet, Scirifiani victi, et Abdel-Caderus in conflictu occiſus, atque Abdala frater graviter vulneratus eſt. Hujus facti dein poenas luit Abdarrhamanus [f] Bahamio Abdel-Caderi filio de fratricidio apud avum Mahametem expoſtulante; qui eum veneno, uti creditur, paulo poſt tollendum curavit. Scirifius hactenus felix, trium filiorum ſubita morte efferatus, cum Feſſanum regem et ejus filios rebellioni Barbarorum, qui [g] Derenderenſem provinciam tenent, cauſam dediſſe ſuſpicaretur, in eum et innocentem ejus filium non indagata veritate rabiem effudit, et per Marochi ac Tarudanti praefectos eodem tempore ambos ſimul jugulari juſſit. Quo cognito Buaço ſtatim ad [h] Alvarum Baſſanum mittit, qui et paratum ſe Caeſari tributum pendere et [i] Penonium munitiſſimum caſtellum ei traditurum promitteret, ſi ſe in regnum familiare reſtitueret. Cum cunctaretur Baſſanus, expedita duo navigia Buaço inſtruit, et captivis Chriſtianis compedes ſolvi jubet, ut cum iis in Hiſpaniam trajiceret; ſimulata interim Feſſam profectione, quo a Scirifio, qui de fuga ejus jam per emiſſarios cognoverat, negotiorum cauſa vocabatur. Cum fruſtra Penonii praefectum tentaſſet, relicto in foro equo, quem quaſi Feſſam cogitans inſeſſurus erat, clam per mare conſcenſa piſcatoria nave aufugit, et Melillam profectus cum Maximiliano egit, iiſdem propoſitis conditionibus de tradenda Penonii arce. Igitur negotium datur Bernardino Mendozae triremium praefecto, ut cum Buaçone illo proficiſceretur. Cumque Melilla VII Kal. Septembr. Mendoza ſolviſſet, et fruſtra [k] Soronii praefecti animum ampliſſimis oblatis conditionibus periclitatus eſſet, an Buaçoni Penonium tradere vellet, [l] Malacam cum eodem Buaçone re infecta revertitur; qui inde rurſus [m] Pinciam ad Maximilianum profectus, cum nihil impetrare poſſet, hoc, de quo loquimur, anno cum eo [n] Auguſtam Vindelicorum ad Caeſarem venit. Verum Caeſare negotiorum mole oppreſſo, et ob id ad ſupplicis poſtulata minus ex ejus ſententia reſpondente, tandem Buaço in Hiſpaniam cum Philippo Caeſaris filio reverſus, et, omiſſis cum eo fruſtra initis conſiliis, nova cum Joanne [o] Luſitanorum rege communicare coepit; quorum ſucceſſus initio felix triſtem poſtmodo exitum habuit, uti deinceps videbimus.

VI. Hoc etiam anno bellum [p] [1] Aphrodiſienſe a Caeſarianis hanc ob cauſam ſuſceptum et confectum eſt. Poſt [q] Horuccii et Hariadeni Mitylenaeorum fratrum mortem, qui piraticis excurſionibus mare Inferum totos XL annos infeſtarunt, et Algeriae regnum diu tenuerunt, (quae omnia copioſe et diligenter a Paulo Jovio XXXIV hiſtoriarum libro perſcripta ſunt) Dragutes humili vico Rhodi inſulae natus, qui longo tempore ſub Hariadeno meruerat, magnam ſeu virtute ſive rei navalis et locorum peritia in eo mari famam conſecutus, infeſtam item negotiatoribus Italiae et Africae oram adverſam reddebat. Ante decennium Hariadeno [r] Ahenobarbo ad Turcicae claſſis praefecturam evecto, cum piratarum dux a Solimano conſtitutus eſſet,

erebriſque

INTERPR. [a] *Tafilet.* [b] *Amar, ſeigneur de Dubdu.* [c] *Tremeſen.* [d] *Oran.* [e] *Fez.* [f] *Babani.* [g] *Derenderen.* [h] *Alvaro Baſſan.* [i] *Penon de Velez.* [k] *Soronet.* [l] *Malaga.* [m] *Valladolid.* [n] *Augsburg.* [o] *Portugal.* [p] *d'Afrique.* [q] *Horuccio & Arradin nez à Metelin.* [r] *Barbaroſſa.*

NOT. [1] *Aphrodiſium; Mahadia* Mauris: dicitur etiam *Africa.* Put.

crebriſque incurſionibus per Tyrrhenum et Siculum mare diſcurſaret, multis Chriſtianis in ſervitutem abductis, Caeſar Andreae [a] Auriae negotium dederat, ut collecta claſſe praedonem inſequeretur, et, quoquo modo poſſet, aut tolleret aut in ſervitutem redigeret. Igitur Janetinus Auria cum claſſe ad eum perſequendum a patruo miſſus tanta felicitate et diligentia uſus eſt, ut, cum ille ad [b] Giralatam juxta [α c] [1] Caſiae litus in Corſica ſecurus ſtationem haberet, adverſis ventis remigii vi ipſum oppreſſerit, et cum XIII triremibus captum in catenas conjecerit. Tulit indigne veteranus praedo a tirone ſe circumventum, aucta etiam indignatione ob aliquot contumelias a Janetino, dum captivus eſſet, acceptas: ſed quadriennio poſt, cum Ahenobarbus in [d] Provinciam veniſſet, et [e] Tolonium cum Turcica claſſe appuliſſet, Auria patruus ab illo exoratus, ut furentem barbarum hac humanitate deliniret, accepto pretio Dragutem liberavit; qui, ſeu pudore ſive recenti injuriarum memoria inflammatus, eo capitaliora contra Chriſtianos odia et inimicitias poſtea exercuit: ac mortuo Hariadeno [f] Meningenſium et [g] Ruſpinenſium ope armatis XXIV biremibus Neapolim uſque excucurrit, direptis in ora Calabriae vicis, capta etiam Rhodienſium equitum triremi, quae nuper Guleta ad [h] Lucrinum lacum appulerat. His injuriis irritato Caeſare, Andreas ejus juſſu cum XLIII quadriremium claſſe totam Africae oram anno ſuperiore pervagatus praedonem in fugam compulerat, et [i] Siagulem, [k] Monaſterium, [l] Aphrodiſium, Ruſpinam ac [m] Clupeam, quae contra Tunetanum regem rebellaverant, ad officium revocaverat, [n] Bucaroque regis filio ſubjecerat. Antequam ulterius progrediar, de toto illo tractu et inſulis adjacentibus ac regibus, qui iis in locis rerum potiti ſunt, quaedam dicenda occurrunt. In Africa, poſt Tingitanam Mauritaniam, de qua modo diximus, Caeſarienſis ad orientem ſequitur, quae [o] Ampſaga fluvio et [p] Bugiae regno terminatur; et in qua Caeſarea Julia, quae hodie Algeria eſt, Turcorum praecipuum in Africa emporium, atque adeo totum regnum Tremecenum ſitum eſt: deinde ſemper orientem verſus ad Cyrenaicam uſque porrigitur illa regio, quae a veteribus proprie Africa dicebatur; in qua nunc eſt Tunetanum regnum, quod in quatuor provincias tribuitur; in [q] Conſtantinam, quae [r] Collobeſum, [s] Ruſicadam, [t] Tacacciam, [u] Hipponem, cujus olim epiſcopus Aurelius Auguſtinus, [x] Biſertam, [y] Conſtantinam ipſam, a qua regioni nomen, [z] Miliam, [aa] Tifeſam, [bb] Tebecam urbeis continet; in Tunetanam, in qua [cc] Utica illa nobilis morte et nomine Catonis junioris, hodie Farinae portus, [2] Carthaginis rudera, [dd] Tunes ipſa, [ee] Cammartia, [ff] Martia, [gg] Abdirana, [hh] Nebelis, [ii] Hamametha, [kk] Clupea, [ll] Heraclia, Siagul, Monaſterium, [mm] Tobulba, Aphrodiſium, Ruſpina, [nn] Lorbuſia, [oo] Ainzamitha, [pp] Caſabatha, [qq] Curubis, quae et Carvenna; in Tripolitanam, quae [rr] Pentapolim ad orientem attingit, et [ſſ] Cercennam ac [tt] Meningem olim Lotophagitidem dictam inſulas, [uu] Zoroatam, [xx] Lepidem, Tripolim ipſam civitates ambitu ſuo complectitur: [yy] Zebenſis regio, quae quartam regni Tunetani provinciam facit, pars Numidiae eſt, et ad interiorem Libyam pertinet. Nulla provincia migrationibus gentium et externo imperio majorem mutationem paſſa eſt. Itaque Gothis et Vandalis Romanos, atque illos viciſſim Arabibus exigentibus, captae et dirutae urbes, aliae aedificatae, et propter aut linguarum diverſitatem aut conditorum ambitionem mutatae appellationes, ut antiqua

VAR. LECT. [a] Caeſiae *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Doria.* [b] *porto di Giralatto entre Calvi & Layaco.* [c] *Cacria.* [d] *Provence.* [e] *Toulon.* [f] *ceux de Gerbe.* [g] *ceux de Ruſpina*, al. *Esfacos.* [h] *golfe de Pozzuolo*, ou *de Baia.* [i] *Souſa.* [k] *Monaſtier.* [l] *Afrique.* [m] *Calibia*, ou *Clupea.* [n] *Muley-Bucar.* [o] *Amſaga*, vulgo *Suſ-gemar.* [p] *Bugia.* [q] *Coſantina*, ou *Cuçuntina.* [r] *Col.* [s] *Eſtora.* [t] *Sucaycada.* [u] *Bona.* [x] *Biſerta.* [y] *Coſantina.* [z] *Mila.* [aa] *Tiſex.* [bb] *Tebeca.* [cc] *Porto Farino.* [dd] *Tunis.* [ee] *Cammart.* [ff] *Martia.* [gg] *Arriana.* [hh] *Nebel.* [ii] *Hamamota.* [kk] *Calibia.* [ll] *Eraclia.* [mm] *Tobulba.* [nn] *Lorbus.* [oo] *Ainzamith.* [pp] *Cazbat.* [qq] *Carvan.* [rr] hodie *Cires.* [ſſ] *Cherchenes*, ou *Querquenes* Hiſpan. [tt] *Gerbe*, al. *Gelves.* [uu] *Zaorat.* [xx] *Lepide.* [yy] *Zeb.*

NOT. [1] *Caſiae:* ita Ptolemaeus; ſed Marmol vocat *Cacria.* Put. [2] *Carthaginis rudera.* Il y a maintenant en ce lieu un tour, que les Chrêtiens appellent *Roca de Martinacci*, les Africains *Almenara.* Put.

antiqua nomina indagare difficile atque adeo ſupervacaneum ſit. Totus autem iſte tractus initio ſub Poenis, dein ſub Romanis fuit; poſt Vandali, et iis ejectis Mahumetani Arabes ſucceſſere: ac circiter annum Chriſti [α]CIↃ CCCLXX [a]Abdalecitus pietatis et ſanctimoniae ſpecie magnam inter Arabas auctoritatem adeptus, ſub Caimo Adamo Calipha Carvennae rebellavit; qui, quamvis ab Arabibus Caimi auſpiciis ſubito oppreſſus et occiſus eſt, duos filios reliquit, quorum unus Bugiae, alter Tuneti regnavit, et uterque, quo ſe alienis opibus in regno tueri poſſent, Joſepho [b]Texifio, cujus ſupra mentionem ſecimus, ac ejus ſucceſſoribus Almoaravidis tributum exſolverunt. Deinde Almoaravidis ab Almoadis Africae imperio dejectis, Jacobus Almanſor Tunetanum regnum occupavit, ex eoque [β]Abdaleciti heredes expulit: ſed poſtquam ingenti illa pugna ad [c]Naveis Toloſanas, de qua nuper diximus, commiſſa, Almoadarum vires profligatae ſunt, rurſus Arabes in Tunetanum regnum invaſere; et eo praefectum, qui Marochenſis regis nomine urbem tenebat, redegerunt, ut longe illi petito auxilio opus eſſet. Eo miſſus [d]Abdul-Hedius Hiſpalenſis, qui [e]Carthagine Conteſtanorum cum XX onerariis navibus ac numeroſo milite in eas impoſito ſolvit, et Tunetem appulſus prudentia et animi moderatione tantum effecit, ut pace ab Arabibus infeſtiſſima gente modico tributo redempta, quod poſtea ſemper a Tunetanis regibus penſitatum eſt, labente Almoadarum imperio, res ſuas in eo regno firmaverit. Hujus filius Zacharias, bello feliciter contra [f]Merinenſeis geſto, omne robur contra Tripolitanos et Numidas vertit; ac fere ſemper victor magnas opes decedens Abu-Ferezi filio reliquit: qui ex diſſenſionibus inter Feſſanos, Tremecenos ac Marochenſeis reges ortis occaſionem captans, poſt dejectos [g]Zeienenſeis, qui diu Tremeceno regno potiti fuerant, et pacem cum Feſſano factam rex Africae appellari metuit, relicto poſt mortem [h]Humene, patris fortuna ac tantis opibus digno filio. Quo mortuo rurſus Merinenſes Africae imperium recuperarunt, porrectis ad [i]Philaenorum uſque aras finibus; Humenis nepotibus, qui ſe in vicinos monteis ac deſerta receperant, interea occaſionem opperientibus, qua in avitum regnum reſtitui poſſent: inter quos [k]Mule-Bulabes, cum magno proelio ab [l]Abu-Henuno Feſſae rege victus et captus eſſet, poſtea [m]Abu-Celeni, qui Abu-Henuno patri in regno ſucceſſerat, beneficio liberatus Tunetem recepit, et Tripolim ac reliquas regni Tunerani provincias rurſus imperio adjecit. Ab eo in eadem gente, mutuis interdum, quod inter eos ſolemne eſt, caedibus interrupto ordine, per XXXV regum intra CCCCL annorum ſpatium ſucceſſionem regnum ad Mahumetem Mule-Aſſis partem pervenit: qui Mule-Aſſes, cum neſario ſcelere ac tot fratrum nece cruentus in paternum ſolium invaſiſſet, ab Hariadeno Ahenobarbo divinae, ut apparuit, vindictae miniſtro, regno ſpoliatus eſt: verum mox a Caeſare reſtitutus, ab Hamida filio, nondum una regni ſpoliatione vindicato ſatis digne ſcelere, rurſus regno expulſus, poſtremo oculis orbatur. Is eſt, qui ante triennium ad Caeſarem poſt partam de Joanne Friderico Saxone victoriam [n]Auguſtam Vindelicorum venit, paricidii ultorem quaerens: verum Caeſar, qui non tam ejus cauſa in Africam trajeciſſet, quam ut inde Hariadenum expelleret, et aedificata in faucibus [1]Carthaginienſis portus arce pacatum et tutum a piraticis depraedationibus mare Siculum redderet, poſtquam ejus vicem dolere ſe oſtendit, quod aliis negotiis diſtineretur, eum, ut in Siciliam ſe conferret, hortatus eſt, honorifica in viaticum attributa penſione, donec rebus compoſitis juſtae de ingrati filii paricidio querimoniae ſatisfaceret. Dragutes igitur, qui domeſticas illas diſſenſiones ſuis conſiliis idoneas exiſtimaret,

VAR. LECT. [α]IↃ CCCLXX *MS. Reg.* [β]Abdeleciti *P. D o.* Abdaliciti *D. f. d.*

INTEPRR. [a]*Abdelchit.* [b]*Texif.* [c]*las Navas de Toloſa, montagnes d'Eſpagne, entre la nouvelle Caſtille & l'Andalouſie.* [d]*Abdul-Hedi de Seville.* [e]*Cartagene.* [f]*Beni-Merinis.* [g]*Beni de Zeyenes.* [h]*Humen.* [i]*Capo di Meſurata,* al. *porto de Saba*; appellé par les anciens, *ſepulchra* ou *arae Philaenorum*; Marmol. lib 6 p. 243. col. 4. [k]*Mulei-Bulabes.* [l]*Abu-Henun.* [m]*Abu-Celen.* [n]*Augsburg.*

NOT. [1]*Tunetani* Put.

CIƆIƆL. Henricus II.

exiſtimaret, occaſionem nactus, [a] Aphrodiſium commodum ſuis et ſibi neceſſarium oppidum occupare ſtatuit: id aſtu primo tentatum; cum non ſuccederet, mox vi aggreditur, ac poſtremo digna ſcelerato praedone perfidia conſummavit. Nam dum in [b] Meninge proxima hyematet, intellecto Aphrodiſienſeis, excuſſo Tunetani regis jugo, rempublicam per ſe adminiſtrare, nec in [c] Carvennae reguli, id quamvis arte et conditione ambientis, clientelam ſe tradere voluiſſe, quinimo Haſcenem Meningenſem pitatam, qui Solymani nomine venerat, quod exſtructo caſtello tyrannidem affectare videretur, civitate exegiſſe; menſe Februario hujus anni Meninge ſolvit, et [d] Siagulem, [e] Monaſterium, [f] Taphnem, ſolicitatis ad ſeditionem civibus, in fidem accepit, ejecto [g] Bucaro Mule-Aſſis juniore filio, quem ſuperiore anno ab Andrea [h] Auria reſtitutum diximus. Quo facto jam vicinior Aphrodiſio per [i] Abrahamum Embarcam ſummum amicum ſuum et magnae inter Aphrodiſienſeis auctoritatis civium animos periclitatur, an vellent eum in civitatem admittere et claſſi ſuae receptum dare; ſic enim fore dicebat, ut civitas, ab incurſionibus ſecura, brevi in opulentiſſimam evaderet. Abrahamus, ut Dragutes in publico conſilio audiretur, a civibus impetravit. Cum ergo in eam rem Dragutes orationem artificioſam habuiſſet, cives, Haſcenis recenti exemplo admoniti, gratias pro benevolo ejus in ipſos animo agunt, et tutam quidem claſſi ſtationem pollicentur, ceterum Turcos in civitatem admittere omnino recuſant. Hac ſpe deluſus praedo vim furtivam parat, et [k] Ruſpina profectus, adjutore eodem Abrahamo, ad eam urbis partem, quae inter orientem et meridiem portum reſpicit, ſuos diſponit, et appulſa extra urbem claſſe, quod illi a civibus permiſſum erat, in terram ꟾↃ C Turcis expoſitis urbem intrat; et, occupatis vicinis turribus, ac perſonantibus repente lituis et tubis, quaſi certa jam victoria, tantum terrorem oppidanis injecit, ut, quamvis initio gnaviter ſe defendiſſent, multis utrinque occiſis, cum viderent hoſtem creſcere, et Abrahamum pro Dragute ſtare, tandem poſitis armis deditionem faciunt, et, quem modo tanquam civem admittere noluerant, ſaeviſſimum tyrannum experti ſunt, arce mox etiam dedita. Cum Dragutes omnia pro tempore ordinaſſet, relicto in urbe [l] Heſſaraiſio propinquo ſuo cum CCCC Turcis, ut Abrahami perfidiam erga patriam inſigniore perfidia penſaret, negotium dat, ut eum de medio tolleret; quod jure metuere ſe diceret, ne qua nuper in patriam, cui plurimum debebat, uſus fuerat, perfidia, eadem erga ſe, cui minus debebat, uteretur. Ita Dragutes ſolvit, abductis ſecum obſidum loco praecipuis civibus. Fama rei ſparſa, continuo Auria, qui minime ignoraret quantum momentum illius oppidi adeo muniri commoditas ad res Dragutis in Africa firmandas afferret, cum ante experientia ſatis didiciſſet, quantum ob liberum tantum in Meningem et vicina loca munita receptum Chriſtiana res detrimenti antehac accepiſſet, quamprimum obviam iri debere praedonis tam formidandi conatibus cenſuit: et, ſummiſſis a Gonzaga CIↃ Hiſpanis, quibus praeerat Ferdin. [m] Lupus Luſitanus, iiſque in naveis impoſitis, Genua ſolvens Neapolim verſus navigavit; atque in itinere [n] Liburni III triremeis a Coſmo Florentinorum duce Jordani [o] Urſini ductu, totidem a pontifice [p] Centumcellis Carolo Sfortia duce, accepit. [q] Neapoli vero ꟾↃ CCC Hiſpanis ſibi adjunctis duce Garſia [r] Toletano Petri filio, [s] Panhormum appulit; ubi Joan. Vega Siciliae prorex, adhuc quo res pertineret ignarus, alios ꟾↃ Hiſpanos, qui [t] Cephaledi et [u] Thermis Himerenſibus per praeſidia diſpoſiti erant, V triremibus impoſitos, duce Alvaro Vega filio, Auriae attribuit; unaque cum ipſo Bucarum Tunetani regis filium, et IV Hieroſolymitanorum equitum duce Cl. Sangleo naveis longas optime inſtructas, proficiſci jubet. Auria, nondum conſtituto quid ſibi agendum eſſet, donec in rem praeſentem veniſſet, et cum Lud. [x] Perſio Varga Guletae praefecto conſilia communicaſſet, [y] Drepanum, et

Drepano

INTERPR. [a] *Africa*, Mauris *Mahadia*. [b] *Gerbe*. [c] *Carvan*. [d] *Souſa*. [e] *Monaſtier*. [f] *Tabula*: ſic Marmol, p. 272. T. 2. [g] *Budcar*. [h] *Doria*. [i] *Brahem*, ou *Hebraim Embarc*. [k] *Eſfacos*. [l] *Hez-Rais*. [m] *Lopez Portugais*. [n] *Livorno*. [o] *Orſino*. [p] *Civita Vecchia*. [q] *Naples*. [r] *de Tolede*. [s] *Palerme*. [t] *Ceſalu*. [u] *Termine*. [x] *Perez de Vargas* [y] *Trapani*.

Drepano [a] Aeguſam cum tota claſſe pervenit. Ibi vocatis ducibus, cum conſultare- CIↃIↃL.
tur, [b] Aphrodiſiumne quamprimum tentandum, an Dragutes bello perſequendus vi- HENRICUS II.
deretur, [c] Sangleus XV triremeis, quibus Bernardinus Mendoza praefectus a piratarum excurſionibus oram Hiſpaniae tutabatur, accerſendas cenſuit; quarum pars [g] citeriori Hiſpaniae defendendae, pars Sardiniae inſerviret, tertia ad Africae oram excubaret; ſic enim fieri poſſe, ut Dragutes interciperetur, aut, ſi elaberetur, tum de Aphrodiſio obſidendo ſtatueretur. [d] Cicada ante omnia Aphrodiſium obſidendum exiſtimabat: nam evenire poſſe, ut, quemadmodum Dragutes nuper urbem ſubito occupaſſet, ſic nondum illius firmata ibi potentia, ad claſſis conſpectum rebellantibus civibus, rurſus facile capi poſſet: Marcus antem Centurio Auriae legatus nihil decernendum eſſe, donec re cum Varga communicata de Dragure et Aphrodiſii ſtatu certius cognoviſſent. Honoris potius cauſa tunc duces belli convocati fuerant, quam quod Auria inpraeſentiarum de ſumma quidquam decernere ſtatuiſſet. Claſſis tempeſtate jactata [e] Mercurii promontorium appulit a [f] Rubricato fluvio, qui aliis Ardalio, hodie Ladogus paulum inverſo nomine vocatur: ad [g] Hipponem continuo tractu orientem verſus ora porrigitur: inde paulum intra recedens ad [h] Hipponitidem paludem et Thiniſſam olim dictam ſinuatur, atque in mare excurrens [i] Apollinis promontorium efficit: in cujus dextro latere Utica ſive Farinae portus; in interiore ſinu trans [k] [*] Corneliana caſtra [l] Bagrada in mare exoneratur; inter quem rurſus et [m] Catadam fluvium ruinae Carthaginis viſuntur, Romae olim ad perniciem ſuam aemulae: tum recedente ſemper orientem verſus terra Carthaginienſium olim qui fuit portus aperitur, qui XX milliaria ambitu ſuo complectitur, cum in longitudinem et latitudinem non plus VII pateat; in bujus capite Tunes urbs provinciae hodie caput: tum coëuntibus utrinque litoribus gulae ſpecie in anguſtas fauceis deſinit; in quibus ante XV annos arx a Caeſare aedificata fuerat, ob id Guleta dicta, quae deinde a Turcis capta ac diruta eſt. Ab altero litore in orientem tendentibus Mercurii promontorium prominet; in quo [n] Clupea, et in imo ſinu [o] Neapolis; tum [p] Siagul, Aphrodiſium, [q] Ruſpina, quae [r] Cunicularias inſulas reſpicit; ac tandem recedens primum [s] Cercinam, et [t] Cercinitidem, quae ponte huic olim jungebatur, deinde in interiore ſinu [u] Meningem, omneis inſulas, quae in Syrte minore ſunt, obvias habet, ac poſtremo ab ea parte [x] Tritone fluvio terminatur. Cum ergo ad [y] Hermeam claſſis appuliſſet, nec, uti conſtitutum erat, Guletam reflante vento contendere potuiſſet, in terram egreſſi milites, ut aquam haurientibus praeſto eſſent, Clupeam edito loco juxta mare poſitam, in qua complures juges putei, capiunt ac diripiunt: inde in [z] Larneſias inſulas delati, ibique propter adverſam tempeſtatem biduum morati in Aphrodiſii conſpectum veniunt. Duces urbem propius contemplati, dein recedente claſſe, quod crebris ab urbe diſploſis tormentis infeſtarentur, etiam vicinae orae ſitum eminus ſpeculati, bellone tentanda videretur, conſultant; ac plerique ſine mora rem aggrediendam cenſebant, idque expeditu facile exiſtimabant. Nam etſi urbs admodum munita eſſet, et foſſa ac muro valido firmata, tamen, quod tantum CC Turcos praeſidiarios haberet, ſpatioſis adeo moenibus defendendis nequaquam pareis, nec bene concordarent inter ſe cives, ſic judicabant, ſi, antequam obſeſſi vireis ac ſpiritus collegiſſent, urbs oppugnaretur, fore, ut ſua vi haud ſatis potentes et alioqui civium animis diffidentes eam protinus deſererent, aut parva interjecta mora deditionem facerent. Sed Berengarius Requeſenes claſſis Siculae praefectus, qui, ſi bellum terra gerendum eſſet, ejus adminiſtrationem

INTERPR. [a] *la Favigliana.* [b] *Africa.* [c] *de la Sangle.* [d] *Cigala.* [e] *Capo Bono.* [f] *Hued il Barbar*, ſelon Marmol. [g] *Bona.* [h] *Guadilbarbar.* [i] *Capo Zaffran*, ſelon les cartes & Paul Jove: Foglieta l'appelle *Capo Farina.* [k] *Biſerta.* [l] *Bagrada*, vulgo dicitur *Megerada.* [m] *Catada.* [n] *Calibia.* [o] *Mahometa.* [p] *Souſa.* [q] *Esfacos.* [r] *le Cumgliere.* [s] *Cherchene.* [t] *Cercinitis.* [u] *Gerbe.* [x] *Triton:* Marmol l'appelle *Capes.* [y] *Capo Bono.* [z] *le Cumgliere.*

NOT. [g] *citeriori Hiſpaniae.* Elle contient la Catalogne, Arragon, Navarre & Biſcaie, avec une partie du roiaume de Tolede. *Put.*

[*] *Corneliana caſtra.* Le nom moderne ne ſe trouve point Foglieta croit que c'eſt *Biſerta.* *Put.*

CIƆIƆL.

HENRICUS II.

ſtationem ad Vegam Siciliae proregem pertinere ſciebat, adductis in medium rei difficultatibus, de ea cum Vega agendum, et majores conquirendas copias eſſe, ſententia ſua obtinuit. Interea cum aqua egeret claſſis, [a]Monaſterium peti placuit, ubi et probatarum aquarum copia, et tutiſſimus portus, ſi oppidum expugnari poſſet, capiendae claſſi eſſe oſtendebatur. Expoſitis igitur in terram militibus ad oppidum itur. Primum agmen Alvarus Vega ducebat: Garſias Toletanus cum iis, quos [b] Neapoli advexerat, ſubſequebatur. Cum Auriae juſſu, qui in claſſe remanſerat, aliquantulum ſubſtitiſſent, opperientes, an oppidani, ſicuti ſignificarant, dedere ſe vellent, conſpecto illos per averſam portam auſugere, jam omnis morae impatientes, non expectato ſigno et Auriae juſſu, ad oppidum confuſis ordinibus ſubeunt, et, haſtis praelongis partim innixi, partim manibus ad projecta applicatis, in murum evadunt; et oppidum expugnant ac diripiunt. CCC in eo ex incolis capti; reliqui in arcem confugiunt, quae ſtatim corona ab Alvaro cincta, ac poſtridie tormentis tam ex claſſe quam aliis in terram expoſitis, et vehiculis, quorum in opere ruſtico uſus eſt, tumultuario comportatis, verberata, tandem impetu capitur Antonii Auriae, cujus ſignum ante reliqua in ſummo muro ſtatutum fuerat, militibus magna virtute annitentibus. Qui reſiſtere auſi ſunt, omnes interfecti: IƆC circiter capti. Ex Chriſtianis Fr. Mendoza Hieroſolymitanus eques, Didacus Ruiſius, [c] Navarretus et [d] Gerrus deſiderati. Acceptum et damnum in Sicula claſſe, tormentis vitioſe conflatis, dum diſploduntur, ruptis; et una trireme ſalvo remigio et armamentis depreſſa, altera prorae parte deminuta, et carina perſorata. Nullum praeſidium in oppido relinquendum eſſe cenſuit Auria, civibus magna ex parte caeſis et diruta arce: ſed recto curſu Guletam ad Vargam contendit, quo curſum antea tenere non potuerat; a quo in ſententia de Aphrodiſio obſidendo confirmatus, Ferdinandum Vegam, qui cum ipſo venerat, ad patrem remittit, ut, quid belli ducibus viſum eſſet, exponeret, et, ut ille de numero militum et rebus in eam expeditionem neceſſariis provideret, et ſe quamprimum ad profectionem pararet, ſuo nomine hortaretur. Miſſus et Neapolim Garſias, qui de terreſtrium copiarum imperio ſpem conceperat. Poſtquam [e] Lilybaeum ambo appuliſſent, ille [f] Panhormum, hic Neapolim petiit. Interim ex Bucari conſilio Auria Siagulem mittit, qui oppidanos ad deditionem invitarent; Bucarum enim adeſſe Mule-Aſſis filium, quem Caeſar ipſis praeeſſe cuperet. Illi protinus Bucarum accepere, ejecto Hali ſtrenuo milite, qui cum parva manu, quam ſecum habebat, [g] Aphrodiſium ingreſſus ſuo ingenio et virtute diu obſidentium victoriam moratus eſt. Vega per Ferdinandum filium de Auriae conſilio certior factus, quanquam [h] Meningem inſulam prius petendam eſſe, in eam rem à Caeſare dux antea electus, et non niſi rebus abunde proviſis in Africam trajiciendum eſſe cenſeret, tamen, quod ſententiis ducum in contrarium raperetur, et periculum eſſe cerneret, ſi longius Aphrodiſii muniendi ſpatium Draguti concederet, ut urbs ſitu munita vix ulla vi poſtea expugnari poſſet, et ipſe aſſenſus eſt: ac proviſis pro tempore, quae ad obſidionem neceſſaria videbantur; impoſitis etiam in naveis III Hiſpanorum centuriis et Graecorum una, eo proficiſci decrevit, quod huc uſque tamen diſſimulaverat. Ea res Garſiam feſellit, qui comparatis rebus omnibus, quaſi expeditionis illius dux futurus, patrui Garſiae ſibi cognominis, qui in bello contra Meningenſeis ante XXXIX annos Ferdinandi auſpiciis ſuſcepto perierat, manes ultum ibat, adductis ſecum omnibus fere praeſidiariis, qui in regno Neapolitano erant. Cumque recta in Africam omiſſa Sicilia navigare vellet, quaſi, antequam rei fama ad Vegam perveniſſet, bellum confici poſſet, Berengario et Franc. [i] Chimerano, qui cum eo venerant, prius ad Vegam eundum eſſe urgentibus, conſilium mutavit, et quamvis aegre cum illis [k] Drepanum contendit; quo jam ante triduum Auria, partim ut rebus ad obſidionem neceſſariis triremeis inſtrueret, partim

ut

INTERPR. [a] *Monaſtier.* [b] *Naples.* [c] *Navarreto.* [d] *Gherro.* [e] *capo di Marſala.* [f] *Palerme.* [g] *Africa.* [h] *Gerbe.* [i] *Guimeran.* [k] *Trapani.*

ut diſceſſu ſuo Afros ſolutiores redderet, appulerat: quod prudenter factum, tamen ex eventu intempeſtivum fuiſſe compertum eſt. Nam interim tria navigia commeatu et militibus onuſta ex Aegypto venere, ita ut jam IↃC Turci in urbe eſſent; qui, conjectis in carcerem iis qui ſuſpecti erant, reliquam multitudinem ad urbis defenſionem bene concordem ſemper experti ſunt. Jamque omnia a Vega parata erant; qui veritus, ne quis ſe abſente motus in Sicilia excitaretur, aut ne, quod ſummo ſtudio in hanc expeditionem a Garſia parabatur, ſi ſpe praefecturae excideret, intermitteretur, ſive, quod verius eſt, quia nondum conſilia cum [a]Auria contuliſſet, demum ſe in Africam, quod huc uſque celaverat, profectum palam profeſſus eſt; relictoque Ferdinando filio, penes quem per ſuam abſentiam rerum ſumma eſſet, XI Kal. Quintileis prima vigilia, abducto ſecum Mule-Aſſe, [b]Panhormo ſolvit, ac ſecundo poſt die Drepanum ad Auriam venit; quo jam ante triduum Garſias Neapoli appulerat, qui, diſſimulato dolore, ſe Vegae ut imperatori ſummo in illa expeditione ſemper morigerum praebuit. Inde [c]Aeguſam, ac poſtridie [d]Coſyram ſub meridiem venere, ac mox Aphrodiſium. Ibi cum Vega Auriam officioſe conveniſſet, et initio modeſtiae certamen inter ipſos de ſummo imperio fuiſſet, altero alteri illud deferente, Vega ſe facile vinci paſſus eſt, ut ſententias rogaret: et cum omnino obſideri urbem placuiſſet, omneſque in id conſenſiſſent, Antonius Auria ad haec addidit, ſibi videri, e re praeſenti eſſe, ut locus prius in littore muniretur, quo commeatus et quidquid munitionum cauſa converherent tuto deponi poſſet, antequam propius urbem caſtra admoverentur. Ea urbs in humili ac plano ſaxo fundata majorem partem mari alluitur, eoque plerumque vadoſo, ut triremes ad eam commode accedere non poſſint; qua parte terram attingit, CCXXX tantum paſſuum ſpatio, valido muro crebris per intervalla turribus et propugnaculis diſtincto vallata. Urbi collis imminet, acclivi a ſeptentrione deſcenſu, ſed a tergo undique praeruptus, qui a praeſidiariis Turcis tenebatur. Eum continuo capiendum duces decrevere, quod eo occupato contra Afrorum incurſiones, et auxilia, ſi qua ſummitterentur, tutiores ſe exiſtimarent, et urbs a re frumentaria ceteriſque neceſſitatibus atque omni denique ſubſidio intercluderetur. Erecto igitur munimento illo, de quo diximus, a Jo. [e]Oſorio Quinonio, collis invaditur, et cedentibus praeſidiariis nullo negotio occupatur. Commodum vero accidit, ut Numidae quidam in caſtra ſcitatum venerint, an Tunetanus rex in triremibus eſſet: poteſtateque illis per Auriam et Vegam facta eum alloquendi, Mule-Aſſes Auriae renunciavit, veniſſe illos, ut fidem ei ſuam et operam offerrent; haud longe C equites abeſſe, qui eadem de cauſa ipſum convenire cupiant. Inter eos primaria foemina erat tanta prudentia et pudicitia, ut virtutis opinione conciliatis militum, qui marito militaverant, animis, etiam eo mortuo idem in eos imperium retinuerit. Eorum Numidarum toto obſidionis tempore fidem conſtantem Caeſariani experti ſunt, comportato ab illis in caſtra copioſo commeatu. Jamque admoveri coepere machinae, quae duobus locis, novenae ſingulis, diſpoſitae ſunt ad collis nuper occupati radices, ubi caſtra erant, CCCL ab urbe paſſibus; et alia parte, qua murus ad orientem mari proximus eſt, CCL, nec amplius itidem ab eo paſſibus. Ejus rei cura Garſiae commiſſa erat; qui ita ab inferiore loco in ſuperiorem reflexo aggerem duxerat, ut tuto commeandi ultro citroque ad utrumque militi facultas eſſet. Poſt longam et nunquam intermiſſam verberationem cum parum profici Vega animadverteret, quod interius pomoerium terra ad ſummum eſſet oppletum, et firmiſſimo ſtructurae genere muri aedificati, expectandum tantiſper cenſuit, dum novis munitionibus et auxiliis firmatior redintegrata verberatione in urbem impetum faceret; neque enim verendum eſſe, adeo copioſo commeatu, ut miles deficeret, aut Numidae Turcis infeſtiſſimi

INTERPR. [a] *Doria.* [b] *Palermo.* [c] *la Faviglian.* [d] *Pantalarea.* [e] *Oxorio Quinones.*

CIϽIϽL.
HENRICUS II.

infeſtiſſimi voluntatem mutarent, profligato Dragute, quem poſt captum Monaſterium a ſuis magna ex parte deſertum, et nuper in Sardinia CCCC circiter amiſiſſe conſtaret. Cum tandem dies aggreſſionis veniſſet, [a] Mamertinus puer quidam transfuga ad Vegam venit, et eum monuit, murum, qui foris ruinam minabatur, a parte urbis adhuc integrum et altiſſimum eſſe, ac ſub eo Turcos profundam latamque foſſam duxiſſe, in eaque aſſeres praelongos clavis adactis, et ſtipites praeuſtos a ſummo peracutos deſtituiſſe, taleas inſuper ferreis hamis confixas defodiſſe, ut, qui forte in illam praecipitarent, ſe vallis acutiſſimis ac mucronibus ferreiſque hamis inducrent; atque, ut facilius irruenteis fallerent, tabulis teretibus foſſam conſtraviſſe, ceſpitibus ſuperinjectis, ut nihil ſubeſſe doli intuentibus appareret; actos etiam ſub terra cuniculos, et igneis artificioſe praeparatos, atque ab utroque latere diſpoſita tormenta, ut, qui inſidias evaſiſſent, flammis ambientibus correpti, aut a tormentis diſcerpti exanimarentur. Ita omiſſum quaſi Deo monitore oppugnationis conſilium. Sed cum ducibus videretur, turreis interim quaſdam occupandas eſſe, atque eam inprimis, quae occidentem ſpectabat, negotium quibuſdam datum, ut noctu admotis ſcalis impetus in eam fieret: quod infeliciter ceſſit, LX circiter occiſis; quorum capita illico Turci contis affixa pro moenibus, ut ab omnibus conſpici poſſent, tanquam trophaea ſtatuere. Communi itaque ducum conſenſu decretum, ut in moenium quaſſationem acrius incumberetur, ac cunei agerentur, machinaeque atque inſtrumenta bellica reficerentur. Miſſae interim Guletam IV triremes, II in Siciliam, ad pulverem tormentarium et pilas convehendas; milites item saucii [b] Drepanum deportati: has ſubſecutae ſunt V triremes, quae [c] Neapolim petierunt, et inde CCC circiter milites in Africam reportarunt. Nec multo poſt Marcus [d] Centurio cum longis XVI navibus in Siciliam navigavit, ſicubi Dragutem, quem inter [e] Pachynum et [f] Pelorum viſum eſſe percrebuerat, intercipere poſſet. Sub id tempus Mule-Aſſes ſive ex moerore animi ſive belli diuturnioris incommodis in gravem morbum incidit, et vindictam adhuc ſpirans fato conceſſit anno aetatis LXVI; cujus corpus arca conditum [g] Bucarus filius [h] Carvennam deportari et in majorum monumentum inferri curavit. Carvennae tunc rex erat Mahametes Botuibi filius, Cidiarſci nepos, qui ſummo odio Turcas et [i] Hamidam parricidam proſequebatur: huic cum Pereſio Varga arctiſſima intercedebat amicitia: per Mahometem Beuccinum Scitiſium cum eo agitur, ut vireis contra Turcam communem hoſtem jungeret: tandemque in eas conditiones conventum eſt, ut adverſus Hamidam infeſtiſſimum ipſi hoſtem auxilia a noſtris ſummitterentur, pignoriſque loco [k] Monaſterium ac [l] Siagulem a Bucaro derelicta oppida, quod iis tuendis impar eſſet, Caeſaris beneficio retineret; quorum etiam, ſi Bucarus in regnum reſtitueretur, dum vita frueretur, poſſeſſionem non amitteret. His ita tranſactis Carvennae rex, qui exitum belli opperiretur, haud magnopere conditionibus inſtitit, donec Dragutes, quem undique copias, ut obſeſſis ſubſidium ferret, parare audiebat, a Caeſarianis fuſus ac fugatus eſt. Is enim poſt Monaſterium et Siagulem amiſſa, et cladem in Sardinia acceptam, cum intellexiſſet [m] Aphrodiſium a noſtris arctius in dies obſideri, ex [n] Meninge XIII Kal. Sextil. cum VII biremibus et IV celocibus ſolverat, quibus CIϽ CC partim Turcos, partim Afros homines delectos vehebat; et cum antea [o] Tacapae, quae urbs Aphrodiſio CXXC paſſuum millibus abeſt, atque aliis locis finitimis ad II CIϽ Numidarum coëgiſſet, [p] Tafrae portum juxta Tritonem fluvium tenuit; ibique expoſitis in terram militibus, cum exploratores a Carvennae rege miſſi juxta [q] Marnaben ipſum adiiſſent et de ejus conſilio cognoviſſent, ad regem ſuum retulere, qui ancipiti adhuc animo rei eventum expectans minime ad Caeſarianos ſcripſit; tamen ſe apud Dragutem contra communeis hoſteis opem implorantem excuſavit. Conſilium praedonis

INTERPR. [a] *un Meſſinois.* [b] *Trapani.* [c] *Naples.* [d] *Centurione.* [e] *capo Paſſaro.* [f] *capo del Faro:* [g] *Bubcar.* [h] *Carvan.* [i] *Mulei-Hamida.* [k] *Monaſtier.* [l] *Souſa.* [m] *Africa.* [n] *Gerbe.* [o] *Tacape,* vulgo *Capes.* [p] *port de Sfax.* [q] *Marnabe.*

nis erat, die Jacobi feſto, quo inaudierat Caeſarianos in urbem impetum facturos, caſtra a tergo aggredi; et obſeſſos monuerat, ut eodem tempore eruptionem facerent, quo undique circumventi Caeſariani opprimerentur atque ad internecionem caederentur. Sed, cum prius cuniculos agi et puteos altiores exſtrui placuiſſet, ad quod vallis ac viminibus et ſimili materia opus eſſet, eodem illo Jacobi die, qui erat VIII Kal. Sextileis, Vega lignandi cauſa proficiſci ſtatuit; et, quamvis de Dragutis adventu ignoraret, tamen quod a vagis quibuſdam ad praedam errantibus paſſim Afris atque adeo ab Hamida paricida ſibi metueret, curatis corporibus, paulo ante meridiem IↃ CC ex omni numero delectos educit; quos ſub tria ſigna ſic ordinat, ut in primo agmine duo vexilla, ducibus Pereſio [a]Varga et Ferd. [b]Lupo, ex ſeloppetariis fere conflata incederent; qui ligna caeſuri erant et vimina ac virgarum faſceis in caſtra relaturi cum lixis et calonibus in medio eſſent; ipſe cum tertio vexillo ultimum agmen clauderet. Sic inſtructa acie Vega olivetum verſus tendit. Cum in itinere admoneretur, viſos hoſteis multo majore, quam ſui eſſent, numero, iter non intermiſit: verum, ubi ad locum ventum eſt, et lignatores operi incumbere coepere, ſubito a laeva ex edito colle magna Afrorum multitudo, quae II CIↃ IↃ numerum excedere videbatur, a dextra CL equites cum non exigua peditum turba apparuere. Heic Vega ſuos cohortatus, ſeloppetarios in prima fronte locat, qui magna virtute hoſteis repulere; nec ſegniorem operam, qui cum Pereſio in dextro cornu erant, navabant: ſed numero victi paulum initio recedere coacti, demum ſuccedente Vega recreati, collectis animis et viribus proelium redintegrant, et hoſteis jam de victoria quaſi certa triumphanteis rejiciunt: in quos renitente Vega Pereſius ardentius invectus, ut [c]Palumbari ſignifero periclitanti ſuccurreret, Meningenſibus, quos Dragutes in inſidiis collocaverat, repente irrumpentibus ictu ſeloppeti equo deturbatus interiit. Quo animadverſo Turci, cum Vegam ipſum interemptum crederent, id ex habitu et armorum ſplendore conjectantes, animos reſumunt, ingentique circa corpus certamine utrinque pugnatur: ſed virtute Franciſci [d]Amatoris militum praefecti corpus ſervatum, multiſque ex hoſtibus occiſis reliqui ſe in fugam dederunt. CLXXX ex Turcis deſiderati, CCC amplius vulnerati; ex Chriſtianis LXX circiter occiſi, LXXXII ſauciati ſunt. Parta inſigni Dei beneficio ea victoria, Vega Pereſii morte triſtis ad ſuos regreditur; et Garſiam in itinere, quem ſuis ſubſidio venire juſſerat, jam re confecta obvium habuit: comperitque obſeſſos, uti moniti a Dragute fuerant, dum pugnaretur, eruptionem feciſſe, ſed fortiter a ſuis intra muros urbis compulſos eſſe. Hac ultima clade accepta, Dragutes, ſuis paſſim dilabentibus, (nam ſocii jam cum eo conjunctionem diremerant) fugienti ſimilis continuo ad naveis iiſdem itineribus revertitur; quibus conſcenſis Meningem repetiit, ibique cum XVI reliquis navigiis ſubſiſtere conſtituit, dum de rebus noſtris certior reſarcire damna poſſet, et rurſus ſe mari committeret. Haec poſtea ex transfugis et captivis, qui effractis catenis ex [e]Lotophagitide inſula aufugerunt, ab Auria et Vega cognita ſunt. Interea Ant. Auria cum X triremibus inſtructis miſſus, ut Dragutem interciperet; ſin minus, in Siciliam trajiceret, et luſtratis Syracuſarum, [f]Meſſanae, [g]Mylarum et [h]Panhormi arcibus, quidquid tormentarii pulveris ex iis corradi poſſet, ſumeret, et novum etiam militem tranſportaret. Miſſus et Marcus Centurio Genuam, qui terra Ferdinandum Gonzagam conveniret, et novum militem poſceret. Ii aliquanto poſt, quae juſſi erant diligenter executi, reverſi ſunt; hic quidem CIↃ L Hiſpanis cum munitionibus ac non exiguo commeatu intra menſis ſpatium adductis; ille CC circiter Hiſpanis, quos Jo. Guſmanus ex praeſidiis Vegae mandatu conſcripſerat, ac centuria una ex Italis Graecis et Hiſpanis, ultro nomen militiae dantibus, compoſita. Dum in eo eſſent, inter lignandum aliquot certamina commiſſa; et in iis ex Caeſarianis Matthaeus et Andreas Graeci deſiderati; etiam

Ferramolius

INTERPR. [a] *de Vargas.* [b] *Lopez.* [c] *Palomarez.* [d] *Amador.* [e] *Gerbet.* [f] *Meſſina.* [g] *Melazzo.* [h] *Palermo.*

CIↃIↃL.
HENRICUS II.

[a] Ferramolius Bergomas machinator eximius, dum cuniculos ageret, contrario cuniculo ab hoſte oppreſſus eſt, magno Vegae dolore, qui ſummam in illius viri induſtria fiduciam collocaverat: in ejus locum Andronicus [b] Spinoſa ſucceſſit. De cetero omnia ad victum neceſſaria abunde a Numidis ſuppeditabantur; maxime poſtquam Dragute profligato Mahametes [c] Carvennae rex [d] Monaſterium et [e] Siagulem, uti convenerat, accepit. Jam, quod ab ea parte, quae terram reſpiciebat, parum continua tormentorum quaſſatione proficeretur, decretum fuerat, ut ab adverſo latere, quod mari alluitur, qua murus debilior, machinae dirigerentur: ſed, cum propter aquae humilitatem et crebra vada propius triremes appellere non poſſent, rurſus ſe magna difficultas obſidentibus objiciebat, quae tamen induſtria Garſiae ſuperata eſt. Is triremem voluptarii ſpectaculi gratia conſtructam propius vi remorum et operum admovit, adjunctis duobus utrinque navigiis, quae catenis et tranſverſis tabulis cum illa conjungebantur; ſubſtratis etiam doliis vacuis, quibus efficiebatur, ut diſploſis majoribus tormentis triremis altius non mergeretur; tum ſupra plutei erecti in tantam altitudinem, ut iis complures capi milites et tegi poſſent. Inſtitutum etiam, ut ab oriente, nam hactenus ab occidentali parte verberatio facta fuerat, tormenta diſponerentur, quod intellexerant duces, murum eo loci admodum debilem eſſe; quo dejecto, quanquam aqua intercedebat, tamen, quod humilis eſſet, miles ea parte commode ſubire et in murum tuto poſſet evadere. Atque ab occidente quidem, quod murus omnino ſolidus eſſet, parum proficiebatur. Sed Vega, a Mauro ex [f] Baetica transfuga admonitus, ad locum cavum, in quo per cochleam in turrim proximam aſcendebatur, dirigi tormenta jubet: ita factum, ut magna ruina brevi tempore ederetur, et aſcenſus in turrim Turcis impediretur. Heic vero contentio inter Auriam et Vegam incidit de ſumma poteſtate, quam, cum Auriae huc uſque detuliſſet, Vega demum imperioſe arripuit. Ex eo originem ſimultas habuit, quod Auria initio in terreſtris praefecturae petitione Garſiae faviſſe diceretur: unde Vega toto obſidionis tempore adeo ſe alienato ab Auria animo oſtenderat, ut in conſiliis capiendis contrariam ſemper ſententiam tueretur; et, dum tuta potius quam audacia conſilia ſe amplecti ſimulat, quo magis feſtinandum ille cenſeret, tanto hic cunctaretur et moras necteret; quo factum eſt, ut parum ad illam victoriam momenti Vega attuliſſe creditus ſit. Contentio tamen utcunque, Philippino Auria ultro citroque ad eos commeante, pro tempore compoſita eſt; et magno impetu tribus locis, ut hoſtium vires divellerentur, continuata verberatione, aggreſſioni dies dicitur IV Eid. Septembreis. Garſias cum IↃ CCC et Franc. [g] Amatore et Gaſpare Guſmano partem occidentalem oppugnandam ſuſcepit: alteram aciem in urbem irrupturam, qua turris octanguli formam habentis pars decem continuis diebus quaſſata murique illi commiſſi corruerant, ducebat Ferdinandus [h] Toletanus: haec CIↃ L militibus conſtabat, quibus Ant. [i] [1] Moreus et [k] Morerola duces attributi. Ferdinandus [l] Lupus a maris parte urbem aggreſſurus IↃ CCCCL praeerat; quorum partem ipſe, partem Hier. [m] Manrices ducebat. Ad tormentorum cuſtodiam relicti Ferd. Silva, Petrus [n] Acunea et Rodericus [o] Paganus cum ſuis ordinibus. Poſt hos CCC circiter collocati erant, qui extra ordinem militabant, Siculi fere omnes, quorum dux Conſtantinus [p] Sacanus, a Jacobino Sacano Mamertino originem trahens, qui Rogerium comitem, Sergii IV pontificis maximi temporibus, ante IↃ LXXX annos comitatus eſt in illa felici expeditione, quam contra Mauros ſuſcepit, profligatiſque quinque illorum ducibus Siciliam eorum jugo liberavit. Caſtrorum praeſidio Jo. Guſmanus ac Bernardus Solerius relicti; quibus praeerat Alvarus Vegae filius. Aderant et Carolus Sfortia et Jordanus Urſinus;

INTERPR. [a] *Ferramolo da Bergamo ingenieur.* [b] *Eſpinoſa.* [c] *Carvan.* [d] *Monaſtier.* [e] *Souſa.* [f] *Andalouſie.* [g] *Amador* [h] *de Tolede.* [i] *Moreno.* [k] *Moreruela.* [l] *Lopez.* [m] *Manriquez.* [n] *de Acuna.* [o] *Pagan.* [p] *Sacano di Meſſina.*

NOT. [1] *Morenus* Put.

Urſinus; Aſtor item [a] Baleonus et Antimus [b] Sabellus, qui Caeſaris nominis ſtudioſi ſe ultro ad id bellum contulerant. Aderant et Hieroſolymitani ordinis milites, quorum dux Bernardus [c] Chimeranus. Cum vero viderent Turci a mari, quod minime rebantur, urbem peti, ipſi ſubito tormenta ad illam partem diſponunt, et machinam adverſam quatiunt, magnoque detrimento impoſitos milites afficiunt: ſed diſploſis a noſtris viciſſim tormentis, et, oppoſita murorum parte diruta, revictus hoſtium impetus. Heic ſuos cohortatus Vega tubae ſono ſignum dari jubet. Nec ſegnius obſeſſi quiſque pro parte ſua laborabant. Diſpoſiti erant per muros praeſidiarii; intus vero in foro urbis equites ſe collegerant, ut ſuos fugienteis ſuſtinerent, et, ſi defenſores repelli contingeret, ipſi irrumpenteis Caeſarianos obtererent, et recentes pugnam redintegrarent. Halis ante omneis ſtrenuus ductor ad pugnam fortiter capeſſendam ſuos incitabat, urbem ſe vivo nunquam in hoſtium manus deventuram audacter ſpondens: nec verbis fides defuit; nam in primis ordinibus pugnans occubuit. Concurrentibus undique ad ſignum militibus, ex iis, qui ab orientali parte veniebant, quod e longinquo incedentes hoſtium telis expoſiti eſſent, CII deſiderati; plerique vulnerati antequam ad manus venirent; atque ipſe Ferd. Lupus inprimis militum tribunus. Verum incitati per cadavera ſuorum et pectoribus ac plerumque humeris tantum e fluctibus exſtantes in murum tandem evaſerunt, et, quantumvis ſtrenuam operam navantibus Turcis, ſignum in muri pinna ſtatuunt. Octangulari illa, quam diximus, turre diſturbata, Turci, ut ad conjunctum illi utrinque murum commeare liceret, tignum longiſſimum ſed anguſtum deſtituerant, quo ipſi ad illius partis defenſionem tranſibant; atque id magno fune colligaverant, ut, cum Caeſariani illac irrumperent, tignum ac ſe hoc cum adminiculo ſubducerent: quod illis perniciem attulit: nam impetu ingreſſi milites tanto pondere tignum gravaverunt, ut a Turcis ſubtrahi non potuerit: ac Fr. Toletanus ante alios in urbem illac ingreſſus diviſis copiis ad forum vadit, ubi graviter vulneratus paulo poſt obiit; cum eoque Melchior [d] Smarraga fortiſſimus centurio interfectus fuit. Mox Bartholomaeus Pereſius [e] Sumelſus P. Acuneae ſignifer per ſcalam in murum, qui ad mare eſt, ſubiit, et ſignum ſtatuit; continuoque Andreas Auria admotis actuariis navibus et ſcaphis milites deſtinatos auxilio ſummiſit; qui cum ad Mahametis aedem perveniſſent, negotiumque jam confectum exiſtimarent, ecce obvii Turci, qui in foro ſtabant, et oppidani pro conjugibus, liberis et vita pugnantes certamen redintegrant: quo animadverſo Vega, jam omni externo metu vacuus, ad ea quae intus agebantur, animum intendit; et Garſiam cum iis, qui ſervandis caſtris relicti fuerant, in urbem immittit; qui, occiſis aut captis qui reſiſtebant hoſtibus, tandem urbe potitus eſt LXXIV die poſtquam obſideri coepit. Ominis fauſti loco acceptum, quod cerva, quam domi alebat Vega, quamvis ex ignavorum animalium genere maxime omnium natura ſua pavida, aggreſſionis die ſponte ac nemine impellente per ruinam inſilierit, nec militum clamore aut tormentorum fragore ſtrepituve ullo revocari potuerit, quo minus in urbem ante milites ingrederetur. Periere ex Turcis et Afris IↃCC; ſub jugum miſſa X CIↃ hominum omnis generis et ſexus. Ex Chriſtianis CCCC in oppugnatione deſiderati ſunt, IↃ ſauciati. Praeter eos, quos diximus, [f] Lupus Ulloa et [g] Monregius equites Hieroſolymitani in conflictu interempti ſunt; item [h] Morerola, cujus etiam duo fratres, alter alteri in ſtatuendo eodem ſigno invicem ſuccedentes, eadem honeſtiſſima morte ceciderunt. Ex Turcis CXX, qui ſe capta urbe in turreis receperant, dedere ſe paratos, modo de vita caveretur, per Sciriſium ſignificarunt. Miſſus continuo ad eos Bucarus, cui, quod Afer eſſet, fidem habere noluerunt. Itaque mox Alfonſus Coua, qui in Pereſii Vargae locum praefectus Guletae a Caeſare impoſitus fuerat, teſſera Vegae exhibita, eos

INTERPR. [a] *Baglioni.* [b] *Savello.* [c] *Gumeran.* [d] *Zumarraga.* [e] *Perez Sumel.* [f] *Lopez de Ulloa.* [g] *Morroy.* [h] *Moreruela.*
NOT. [d] *Sumarraga* Put.

CIↃIↃL. HENRICUS II. eos in fidem accepit. Captus [a] Heſarraeſius Draguti conſanguinitate conjunctus, et [b] Cicadae in cuſtodiam datus, ut cum ejus filio, quem Dragutes captivum tenebat, permutaretur. Dein Garſias ſuorum corpora, ne barbari ea ſtrage cognita intumeſcerent, terrae mandari curavit. Templum primarium ante omnia luſtratum, et in Chriſtianorum uſum conſecratum eſt. Quibus actis Vega rei geſtae nuncium per Jo. Oſorium [c] Quinonium ad Caeſarem in Germaniam miſit; cui Romam tranſituro literas etiam ad ponrificem dedit, mox ampliore legatione eum dignatus, miſſo Horatio [d] Nucula Interamnate hujus belli ſcriptore non contemnendo, ſi in Vegae laudibus nimius non eſſet; cui novo oſtentationis genere, praeter leones cicures et equos more gentis inſtratos, magnum carceris vectem ac clauſtrum ipſum, quo Chriſtiani ſaeviſſime conſtringebantur, Romam uſque perferendum commiſit. Jamque de munienda urbe agi coeptum; quae cum amplior Vegae videretur, quam ut ab exiguo militum numero cuſtodiri poſſet, contrahi eam placuit: deſignataque munitionis figura et ad Caeſarem miſſa eſt. Interim ruinae inſtauratae, et commeatu ac CIↃIↃ veteranorum praeſidio urbe firmata, ejuſque cuſtodiae praefecto Alvaro filio; Vega cum Auria, cui jam ſummam poteſtatem deferebat, de perquirendo et perſequendo Dragute conſilium iniit; quod a captivis, qui effractis catenis [e] Lotophagitide aufugerant, intellexerat, Othomanum ex re cognomento Caecum, quod rebus Turcorum faveret, et Dragutis gratiam omnibus rationibus aucuparetur, ab altero ejus inſnlae praefecto occiſum eſſe; qui loci incolis gravi poena denunciata edixerat, ne quis Turcos exciperet, aut ulla ope ſublevaret: itaque Dragutem cum uxore, liberis ac reliqua familia ſubito ſarcinas collegiſſe, et, quo ſe tuto recipiat, adhuc dubium circumſpectare: rumorem tamen ſparſum Cercinam inſulam illum cum [α] XIV reliquis navigiis appuliſſe, ibique hyemare decreviſſe. Igitur XV Kal. Octobr. orientem verſus curſum direxerunt: ſed reflantibus ventis [f] Taphrae ſubſiſtere coacti, [g] Aphrodiſium omiſſo Dragute repetierunt. Aphrodiſio mox in Siciliam navigaverunt; ac, poſtquam periculoſa tempeſtate jactati ſunt, tandem [h] Drepanum appulere. Ubi rurſus Vega cum [i] Auria altercari coepit, quod Drepani partem claſſis relinquendam eſſe contenderet, ut, ſi quid novi Dragutes iis locis moliretur, ad omneis caſus praeſto eſſet; contra Auria claſſem ſuperiore tempeſtate fere conſumptam ad rem bene gerendam prorſus inutilem eſſe diceret, et veris tempus expectandum eſſe, quo refectis triremibus eo redirent. Itaque quantumvis [β] obteſtante Vega, Auria retro Neapolim, atque inde Genuam Novembri menſe rediit, re in proximum menſem Martium rejecta.

CIↃIↃLI. VII. [γ] INTELLECTO poſtea Dragutem proxima hyeme, pactis cum Solymano [k] Meningis inſulae regulo induciis, eo ſua omnia navigia redegiſſe, Auria, triremium ſuarum ac Neapolitanarum aſſumpta parte, in Africam ineunte Martio profectus eſt; ac forte accidit, ut eodem tempore Meningem appulerit, quo Dragutes inſtructa piratica claſſe praedatum iturus erat. Sed de Auriae adventu certior, cum evadendi facultatem non haberet, [l] Cantara (ſic locus, nbi ſtationem habebat, appellabatur) ſe continuit, quod eo propter canalis anguſtias et vadi brevitatem, quod Auriae intrandum erat, triremeis inſerri non poſſe ſciret. Itaque navigiis, quantum potuit, interius in ſiccum deductis, aggerem moliri terra adverſus Antiae impetus coepit. Cum ille nec mari nec terra ullum praedoni detrimentum inferre ſe poſſe cognoſceret, tam parvo pugnatorum ac triremium numero, niſi a Solymano et inſulae incolis adjuvaretur, ſubito ad eum miſit, qui, quo Dragutes ingenio eſſet, qua fide Mauros Aphrodiſio ejeciſſet, atque ad exitium objeciſſet, multis verbis exponeret; petiitque, ut ſibi hominem Deo et mortalium generi inviſum in manus traderet, eoque beneficio imminentem peſtem averteret; et intermiſſi erga Caeſarem officii, non perſoluto integre tributo,

VAR. LECT. [α] XIII P. D. [β] obſtante P. D. o. f. d. [γ] Auria poſtquam intellexit P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Hes-Rais.* [b] *Cicala ou Cigala.* [c] *Quinones.* [d] *Nucula da Terni.* [e] *Gerbe.* [f] *port de Sfax.* [g] *Africa.* [h] *Trapani.* [i] *Doria.* [k] *Gerbe.* [l] *Cantara.*

tributo, gratiam reſarciret; ſic enim fore, ut Caeſar ei omnia remitteret, cumque ipſum, perinde ac Tunetanum regem, in clientelam reciperet. Solymanus ad haec, omnia, quae ab Auria proponerentur, veriſſima eſſe non inficiari; ſed, quo minus in eo ipſi gratificari poſſet, fide Draguti data prohiberi: itaque, ſi auxilium ſuum expeteret, incaſſum eum expectaturum; ſin ipſe per ſe rem gerere vellet, impedimento minime futurum. Auria ergo, cum nihil in Solymano ſpei eſſe cerneret, ex Sicilia, Campania, Liguria partem triremium cum magna militum manu atque omni oppugnationis inſtrumento accerſit. Verum heic Dragutes minime ſibi defuit; cumque canalis exitum obſervantibus Aurianis aperte elabi non poſſet, clam alia via ſe ſubduxit; et alveo novi canalis, qui inter inſulam et continentem relinquebatur, x dierum ſpatio effoſſo, navigia ſua omnia oneribus per noctem ejectis diligenti ac fideli II CIↃ ſervorum opera in diverſam inſulae partem occulte traduxit; neque id aut Auria proſpicere, aut ab incolis, quippe Draguti faventibus, reſcire, nec, ſi reſciviſſet, omnino impedire, poterat; cum ab eo loco, in quo erat, ad eum, per quem canali ducto Dragutes evaſit, L paſſuum millia intercederent: neque vero tutum exiſtimabat diducere aut partiri claſſem, ſingulis ejus partibus univerſae praedonis claſſi oppugnandae minime ſufficientibus. Ita cum periculum effugiſſet Dragutes, [a] Cercinam ſe recepit, et in itinere obviam factam Siciliae praetoriam, in qua Bucarus Mule-Aſſis filius erat, intercepit, unaque captum Bucarum Conſtantinopolim ſecum abduxit: ubi in turrem, quam vocant, [b] Nigram incluſus miſerabili exitu diem ſummum clauſit.

VIII. Eo curſum tenuit Dragutes, ut claſſem, quae ad vindicandam injuriam Aphrodiſio capto illatam inſtruebatur, praeſentia ſua ad accelerandam profectionem magis incitaret. Huic praefectus Sinan purpuratus a Solymano, qui, cum nuper ex infeliciter ſuſcepta in Parthiam expeditione rediiſſet, ob violatas a Ferdinando inducias in Pannonia et a Caeſare in Africa, non amplius expectandum duxit, dum illae exirent; ſed vim vi quamprimum repellere ac coërcere conſtituit. Claſſis erat omnino CXII triremium, II navium onerariarum cum myoparone, additis XXX biremibus atque aliquot celocibus, quibus XII CIↃ pugnatorum impoſita ſunt. Sinani praefecto attributi Dragutes et [c] Sala-Raiſius. Cum Sinan oram Italiae legere inciperet, et prudens quiſque merito metueret, ne in Melitam curſum dirigeret, Joannes [d] Omedes Hieroſolymitani ordinis princeps nunquam adduci potuit, ut crederet, in alios uſus tantam claſſem paratam eſſe, quam ut in regis gratiam in Provinciam deſcenderet, et rex tanto robore potens res novas in Italia moliretur, bellumque Caeſari inferret. Itaque, ſive quod ita crederet, ſive quod omnium rerum inopia preſſus aliud non poſſet, arceis munire et commeatu ac milite firmare prorſus neglexit: cumque in Siciliam claſſem tendere, jamque Sinanem cum Vega per interpretem de Aphrodiſio, Monaſterio ac [e] Siagule recuperandis egiſſe intellexiſſet, id ſimulate prae ſe ferre Sinanem cauſatus, in propoſito pertinaciter haeſit. Vega autem Purpurato de violatis induciis expoſtulanti et de captorum oppidorum reſtitutione Solymano ſatiſfieri flagitanti, cum reſpondiſſet, Dragutem, non Caeſarem inducias violaſſe; cui manentibus induciis liberum fuerit, praedonem, qui prior eum aggreſſus ſit, bello perſequi, et oppida capta recuperare, aut adempta iis, qui in ſua clientela erant, reſtituere; Sinan, qui belli occaſionem quaereret, hoc reſponſo commotior, protinus in Siciliam deſcendit, et, cum ſe [f] Meſſanae oſtendiſſet, ad [g] Catanam deflectit, quaſi eam oppugnaturus; et mox [h] Auguſtam petit, quod eſt oppidum in peninſula ſupra [i] Syracuſas poſitum, anno CIↃ CCXXIX a Friderico II conditum; captaque prius arce illud capit, diripit, incendit. Id actum XVI Kal. Sextilibus. Inde levi vento delata claſſe [k] Melitam appulit, portumque ſubit, alteri portui, qui arcem ſubluit, conjunctum, modico collis jugo interjecto, ubi hodie [l] S. Anſelmi caſtellum eſt. Id eo majorem terrorem

INTERPR. [a] *Cherchena, ou Cercenna.* [b] *les tours noires.* [c] *Sala-Rais.* [d] *Omedes, grand maitre de Malte.* [e] *Souſa.* [f] *Meſſine.* [g] *Catanea.* [h] *Agoſta.* [i] *Saragouſſe*; Ital. *Siracuſa.* [k] *Malte.* [l] *chaſteau St. Elme*

terrorem incuſſit, quod praeter Omedis ſententiam accidiſſet, qui claſſem Turcicam [a] Tolonii in Provincia expectari pertinaci aſſeveratione confirmabat, ſed brevioris itineris compendio meridianum Siciliae litus legiſſe. Itaque paſſim trepidare omnes, et, quo quiſque poterat, cum rebus chariſſimis confugere. Duo omnino oppida erant in inſula: unum ſub radicibus arcis, quod, quia collibus undique impendentibus cingebatur, defendi non poſſe apparebat; alterum VI ab eo milliaribus diſtans: quae ambo cum tantae multitudinis minime capacia eſſent, reliquum erat, ut in arcem, receptus et majoris ſecuritatis cauſa, multi confugerent. Rurſus, cum arx vix equites ac defenſores caperet, eo fiebat, ut plerique ad vehementeis caniculae aeſtus ſub dio miſerabiliter exponerentur, et ſuperante multitudine ac foetore excrementorum obſeſſi multa incommoda acciperent. Praedis abactis, et pecore vel capto vel ſuffoſſo, cum Turci aliquot e ſuis, qui longius evagari fuerant, inter anguſtos calleis, quos muris e vivo lapide ſine luto ſepire inſulanis uſus eſt, intercepti fuiſſent, et arcis eam naturam eſſe perſpicerent, ut facile tunc oppugnari non poſſet, VI CIↃ paſſuum progreſſi rurſus militem effundunt, et ad urbem mediterraneam invadendam pergunt: ab ea parte, quae orientem ſpectat, et a qua colubrinae jactu ſuburbia abſunt, primus fit impetus. Commiſſo levi certamine, cum Sinan ſaxo impoſitam urbem duabus partibus extare cerneret, tertia quamvis aſpera declivi tamen jugo in vallem deſinente, quae colle arduo et undique circumciſo, qui urbem faſtigio exaequat, clauderetur; quod minus ab illa parte munita eſſet urbs, utpote nullis turribus ac propugnaculis in ea erectis, illac quaſſationem et aggreſſionem facere inſtituit. Urbi Georgius [b] Adornius praeerat; qui nullum ſtrenui ducis officium praetermittebat: ſed municipe tantum milite fretus verebatur, ut, ſi arctior obſidio eſſet, eam diutius ſuſtinere poſſet. Itaque petito ab Omede auxilio, Nic. Durandus [c] Villagagnonus, qui nuper e Gallia venerat, et de Turcica claſſe aliter rem habere, quam ſibi ab initio finxerat Omedes, perſuadere ei non potuerat, cum VI tantum viris mittitur; inutili prorſus, ſi Turci in inſtituto perſeveraſſent, ſubſidio. Interea obſeſſi ea parte, quae infirmior videbatur, murum diligenter muniunt, ducta foſſa XVI pedes lata et X alta, et in exteriori labro extructa maceria treis pedes ſolummodo alta, ne diſploſis tormentis ruina maceriae foſſa compleretur: utrinque ad extremum aggerem ex duobus tectis a ſummo ad medium dirutis et terra oppletis duo humilia propugnacula eriguntur, in quae machinae impoſitae, quae etiam diruta maceria hoſteis in foſſam irruenteis ab latere, ſine ullo obſeſſorum incommodo, deturbarent. Verum hoſti ad ſubvehendas machinas inſtrumenta deerant, et longo tempore opus habebat, ut nova fabricarentur: ad haec metuebat, ne, interim longe relicta claſſe idoneo defenſorum numero vacua, Caeſariana claſſis ſuperveniret, et, diviſis viribus, aut a conjunctis opprimeretur, aut, amiſſis tormentis, quod aeque incommodum ac turpe erat, fuga facienda eſſet. His difficultatibus aliquot dies conflictatus, poſt multas ac ſaevas populationes reductis tormentis ad claſſem revertitur, et [d][1] Coſyram inſulam, quae IV a Melita ad latus occidentale milliaribus abeſt, deſertur. De ea ante tractatum fuerat, defendi placeret an deſeri: cumque pleriſque videretur, deſerendam eſſe, Omedes, qui Melitam minime peti exiſtimaret, defendi quidem debere, ſed non propterea externa auxilia eo vertenda cenſuit, quod arx edito loco ac fere undique praerupto ſaxo ſita a paucis contra numeroſum hoſtem, aditu tam difficili, facile defendi poſſet: eo ſe inſulanos recipere poſſe, quos patriae ac ſuorum charitas ad defenſionem et extrema quaeque ſubeunda incitaret: praeterea in ducis Hiſpani, qui inſulae praeeſſet, virtute ſummam fiduciam ſe collocare: neque certo conſtare, eo claſſem Turcicam tendere: levitatis autem ſummae eſſe, atque etiam turpitudinis, ad levem rumuſculum ira commoveri, ut inſulam, magno municipum detrimento, nec minore totius ordinis dedecore putent deſerendam.

INTERPR. [a] *Toulon en Provence.* [b] *Adorne.* [c] *de Villegagnon* [d] *Gozzo*
NOT. [1] Dele *Coſyram*, lege *Gaulon.* Put. Ind. Th.

deſerendam. Itaque cum inſulani ſpe auxiliotum ſe deſtitutos cernerent, atque uxores ac filios et imbelleis ſenes ideo in tutum transferre ſtatuiſſent, duas naviculas onuſtas Melitam traducunt. Id ubi Omedi renunciatum eſt, protinus oneribus minime expoſitis eas revehi jubet, ut propinquorum miſericordia alacriores ad inſulae defenſionem redderentur. Igitur eo delati Turci protinus caſtellum, quod mari vicinum eſſet, expoſitis xx tormentis tertia vigilia quatere incipiunt: ac, licet continua verberatione murus labeſactatus ruinam minaretur, tamen arx eo ſitu erat, licet moenibus nudata, ut undique praecipiti ſaxo inacceſſa tam cito expugnari non poſſet. Nihilominus [a] Sinueſſanus praefectus, cui adeo Omedes fidebat, cum omni ſpe auxilii deſtitueretur, animum deſpondens, quantumvis oppidanis, ut defenſionis curam ſuſcjperet, neque ſe deſereret, eum animoſe hortantibus, tecto ſuccedit, omiſſa propugnationis cura. Heic, vir Anglus cum conſternatos ſuorum animos inſolita virtute erexiſſet, hoſtes primo repulſi: ſed eo occiſo a pugnae ſubſidio ad deditionis conſilium recurritur. Conditio haec erat, ſi incolumibus municipibus exire liceret, arcem udituros: ſed cum Sinan poſt tormentis verberatum murum id peti inſolens eſſe diceret, et, ut ſine conditione ſe dederent, haud incerta miſericordiae ſpe, urgeret, praefectus cc capita eximi petiit; quibus poſtremo ad xl redactis, fit deditio, et portae obſtructae apetiuntur. Inter obſeſſos vir Siculus erat, qui, cum ſervitute mortem optabiliorem duceret, deſperatione adactus, crudeli admodum facinore ſe et ſuos periculo eripuit. Is contracto apud inſulanos domicilio uxorem duxerat, ex qua duas filias ſuſtulerat; quas, cum videret prope eſſe, ut in miſerabilem ſervitutem abducerentur, gladio tranſadigit, matremque ad ſtrepitum accurrentem una interficit: ipſe, ne ſuorum morti diu ſupereſſet, neque tamen inultus caderet, baliſtam et ſcloppetum inſtruit, et, reſeratis foribus, duos ex hoſtibus, qui ad praedam feſtinabant, audacius provectos miſſilibus petit ac perimit; tum ſtricto gladio in medios ruens ſe confodiendum praebuit. VI CIↃ ac CCC capita ſub jugum miſſa. Caſtello capto et abducta praeda incenſo, atque inſula exinanita, Sinan, ut fidem in ſpeciem liberaret, imbelleis ac ſenes ex omni turba delegit, qui XL numerum explerent: in quibus cum ſe non comprehendi praefectus quereretur, et fidem Sinanis imploraret, veſte exutus remigio addicitur. Eum tamen Omedes, ut facti invidiam clueret, tormenti ictu ſublatum ſparſerat; hoc addito, quamdiu anima exſuperaſſet, arcem conſervatam fuiſſe; eo mortuo, municipibus territis ſtatim deditam. His actis, Sinan idoneam tempeſtatem nactus in Africam vela facit, et de Tripoli aggredienda conſilium capit. Ea [1] quartae ac poſtremae regni Tunetani ad orientem provinciae caput eſt. Nam a Tritone fluvio, [b] Tacape eſt, atque inter [2] Hipponae et [c] [3] Lethae promontoria [d] Syrtis minor jacet, in qua [e] Cercinna et [f] Meninx inſulae. A Lethae promontorio tractu continuo ad veterem Tripolim itur; a Phoenicibus, uti vero ſimile fit, olim conditam, cognomine ei quae in Syria eſt appellatione: in eam [g] Cyniphus, ſi Ptolemaei tabulis fides, influit. Verum illa ab Arabibus, Omare Calipha, qui ſecundus a Mahomete fuit, capta, et ejectis Gothis omnino diruta, aliam haud ita longe ejuſdem nominis Afri condiderunt; de qua heic ſermo eſt. Hinc ad [h] Philaenorum uſque aras major Syrtis porrigitur. Ab eo tempore Tripolis ſub Tunetanis regibus ſemper fuit, aut eorum praefectis, aliquando ut fit, rebellantibus; donec Petrus Navarrus, qui poſtea ſigna noſtra ſecutus eſt, Bugia capta anno hujus ſaeculi decimo, peſtilentia in urbe graſſante, ut ſuorum ſaluti conſuleret, [i] Didacum Valentinum Neapolim miſit cum duobus navigiis, quibus IↃ CCC milites portabantur: ipſe cum exercitu, qui

INTERPR. [a] *Galatiau de Seſſa, gouverneur.* [b] *Capes.* [c] *cap de Zette.* [d] *Pali.* [e] *Iſola de' i Chercheni.* [f] *Gerbes.* [g] *Macres riv.* [h] *capo di Meſurata.* [i] *Diego de Valencia.*

NOT. [1] Dele *quartae et poſtremae*; lege *tertiae* Put. [2] Dele *Hipponae*, lege *Ruſpinae*; ſuivant les cartes de Ptolemée *Hippona* (*Bona*) eſtant plus occidentale que *Ruſpina* (*Erfacos*) qui fait promontoire vers le petit Syrte. *Put.* [3] Lege *Zethae* Put.

qui erat xv cIↃ hominum, [a] Coſyram venit, et ibi accepto a Valentino commeatu ac munitionibus in Africam tranſmittit, atque, auctore [b] Vionello Veneto, qui, quod frequens Venetis cum Tripolitanis commercium intercedebat, ſitus ac loci valde peritus erat, urbem aggreditur; repulſiſque oppidanis ac milite in terram expoſito, eam tandem expugnat, occiſis vi cIↃ Maurorum et captis amplius xv cIↃ, in iiſque urbis regulo cum conjugibus et liberis, qui in Siciliam ſub cuſtodia ablegatus eſt, ac poſtea Caeſaris beneficio libertati reſtitutus. Capta urbe ac magna ex parte deſtructa, caſtellum vetus ſervatum eſt, et aliud novum juxta portum inſtitutum; et utrumque a Caeſare praeſidio impoſito eo uſque cuſtoditum, donec, Rhodo a Solymano ante xxviii annos capta, et inde Hieroſolymitanis equitibus ejectis, Caeſar eis Melitam attribuit, et Tripolim, quae ab ea haud amplius ccLv paſſuum millibus abeſt, una tuendam commiſit. Itaque de ea etiam munienda, antequam certum eſſet, quo Turcica claſſis tenderet, actum inter equites: cumque Omedes minime nudandam equitibus inſulam eſſe contenderet, et ſubſidium ex montanis et agreſtibus Siculis collectum atque a Vega ſummiſſum ſufficere diceret, capta [1] [c] Coſyra, ſero tandem eum erroris et obſtinati animi poenituit, Turcis eo appulſis, neque in Franciam, uti jactabat, contendentibus. Exſcenſione ergo in terram facta, Turci arcem, quae orientem ſpectat, diſpoſitis xxxvi majoribus tormentis ſine intermiſſione verberant. Huic praeerat Gaſpar [d] Valerius Allobrox vir rei militaris ſcientia ac virtute inter ſuos magni nominis, et cui Omedes ipſe, alioqui Gallico nomini iniquior, plurimum tribuebat. Is proviſis pro tempore, quae potuit, murum ea parte terra oppletum ſubſtructionibus ita firmaverat, ut continua quaſſatione parum ab hoſtibus proficeretur: ſed transfugae indicio emendatus error. Is erat [e] Cavalionenſis ex comitatu Venaſcinenſi pontificiae ditionis, homo notae perfidiae, qui aſſidua cum Mauris conſuetudine a noſtra religione deſciverat. Admonitus ab eo Sinan tormenta loco moveri imperat, et ad aliam partem, quae cellae promptuariae ad praefecti uſus inſerviebat, minus firmam, quod terra oppleta non eſſet, dirigi. Ibi cum parvo temporis ſpatio magna ruina ederetur, Valerius, qui videret equites ſocios animo concidere, per [f] Poëſium equitem Gallum magni animi virum eos confirmat: ruinam enim ejuſmodi eſſe, ut commode ſarciri poſſit, et, ſi animis nitantur, non defuturas vireis ad propulſandos Turcorum impetus; tantum audeant, et virtutis priſtinae memores ſe non deſerant. Hiſpani contra urgere, ut magnitudini periculi praeverteretur, idque non ſine invidia noſtrorum: Gallorum enim et Hiſpanorum longe diverſam rationem eſſe; ab his enim continua bella cum Turcis geri, quibus idcirco certa pernicies immineat, niſi in tempore ſibi proſpiciant; illis magnam cum iiſdem Turcis conjunctionem eſſe, et adeſſe regias naveis hoſtilibus permiſtas, quae ipſis, ſi quid ſiniſtri accidat, perfugio futurae ſint: hac fiducia Poëſium hanc animi praeſentiam oſtentare: brevem eſſe conſultandi occaſionem; qua praetermiſſa, cedendum eſſe, et adempta omni auxilii militibus ſpe turpem deditionem ſubeundam. Haec ab Hiſpano centurione jactata cum Poëſius impatienter ferret, concilio ſe ſurripuit, ac tacitus domum contulit. Paulo ante e Gallia Gabriel [g] Aramontius Melitam venerat cum Michaële [h] Seureo et [i] Cotignaco a rege Conſtantinopolim miſſus, unde ſub exitum ſuperioris anni redierat. Is cum ab Omede de injuria in Melitenſi clade et [a] Coſyrae vaſtatione ab equitibus accepta cognoviſſet, egregiam regis voluntatem erga tam bene de republica Chriſtiana meritum ordinem teſtatus, ſibi admodum dolere dixit, quod non tempeſtivius adveniſſet; verum ſe gravi morbo in itinere fuiſſe retardatum. Hic interfatus Omedes, Satis tempeſtive, inquit, ſi quidem per tuas occupationes licebit, ut Tripolim verſus iter flectas, et Sinanem ac Dragutem ab obſidione urbis, interpoſita regis Chriſtianiſſimi

INTERPR. [a] *Pantalarea.* [b] *Vionello.* [c] *Gozzo.* [d] *Valier Dauphinois.* [e] *de Cavaillon au comtat Venaiſſin.* [f] *Porſieu.* [g] *d'Aramont.* [h] *de Seurre.* [i] *de Cotignac.*

NOT. [1] Dele *Coſyra*; lege *Gaulo*. Put. Ind. Th, [a] *Gauli* Put. Ind. Th

Chriſtianiſſimi auctoritate, tevoces, aut quoquo modo gratia, qua apud eos plurimum vales, avertas: quod te per Chriſti viſcera, per tibi merito chariſſimum regis potentiſſimi caput, qui nos ſumma benevolentia, cujus nobis fiduciam feciſti, proſequitur, obſecro et obteſtor, ne grave ſit, moram aliquantulam profectioni tuae interponere, qna glorioſiſſimo ac toti Chriſtiano orbi maxime fructuoſo beneficio nos obſtrictos habeas, et, depulſo a noſtris cervicibus tam formidando hoſte, regi tuo immortalem gloriam, tibi vero ſempiternum ex rei bene geſtae conſcientia gaudium parias. Tam obnixe roganti, quamvis iter accelerare in animo haberet, non potuit non aſſentiri Aramontius, quod et ſibi honorificum et regis voluntati conſentaneum id eſſe intelligeret. Itaqne accepta celoce Tripolim contendit, cum, jam expoſitis in terram muralibus machinis, foſſae ductae, et omnia ad obſidionem parata eſſent. Sinanis anhelantem ſemper ad majora animum Aramontius, quantumvis precibus atque arte annixus, flectere nequaquam potuit; quod ille diceret, equites, amiſſa Rhodo, fidem Solymano obſtrinxiſſe, nunquam ſe contra Turcos arma laturos; nihilo ſecius ſpreta jurisjurandi religione Caeſari contra Solymanum bellum gerenti ſemper praeſto fuiſſe; ac nuperrime in [a]Aphrodiſii oppugnatione magnum Draguti damnum attuliſſe: hanc injuriam bello ulciſci Solymanum decreviſſe; eamque ob rem hanc tantam claſſem inſtruxiſſe, ut eos omni Africa expellar; cujus mandatum ſibi minime liberum ſit nllis precibus aur ullius reſpectu negligere. Cum nihil apud barbarum ſuas valuiſſe preces videret Aramontius, continuata navigarione ſibi quamprimum Solymanum adeundum duxit, ur ab eo impetraret, quod legatus concedere recuſabar. Verum id ei per Sinanem non licuit, qni Gallos rei eventum oppetiri et in ancoris ſpectarores ſedere voluit. Cum igitur inter equites, defendenda an deſerenda urbs eſſet, diſcreparent ſententiae, qnod [b]Poëſius periculum elevaret, Hiſpani in majus extollerent, deligitur [c]Gevara Hiſpanus, cui propter aetatem et rei militaris peritiam milites multum tribuebant, qui ruinam inſpiceret, an commode ſarciri poſſet, et ad concilium teferret. Cum opinione majus periculnm eſſe renunciaſſet Gevara, milites eo [d]Valerinm adigunt, ut e muro facta ſignificatione colloquium depoſceret. Miſſi duo equites, et in his Gevara, qui, ſi incolumibus urbe excedere liceret, et naves ttanſportando millti concederentur, deditionem facturos ſe pollicerentur. Has conditiones initio minime ſe rejicere finxit Sinan, modo de impenſis belli ſatisfieret. Cum illi negarent, et ita dimiſſi eſſenr, ex Draguris conſilio revocantur, ne videlicet, omni ſpe miſericordiae praeciſa, ex deſperatione ad fortitudinem recurrentes ultimam neceſſitatem experirentur. Cum ergo Sinan raram ſe deditionem habere praedicaret, et in Dragutis gratiam de tepraeſentandis in bellum factis ſumptibus conditionem remittere, idque ſacramento per Solymani caput concepto confirmaſſet, ex purpurati domeſticis unus mittitur, ſpecie, ut Valerium evocaret, cum quo Sinan de navibus pro capitum nnmeto praeparandis ageret; re vera, ut obſeſſorum vultus et quid fiduciae illis eſſet diligenter obſervaret. Is ergo, expoſitis, quae a Sinane habebat, mandatis, ut Valerium an egredi deberet haeſitantem magis falleret, ſe obſidis loco miſſum profitetur. Ita Valerius diſcrimini ſe committit; et, ut majorem fiduciae ſignificationem daret, quem obſidis loco retinere poterat, cum uno equite ſecum ducit. Ubi purpurati tabernaculo appropinquavere, emiſſarius ille praecurrit, et eo metu omnia intus perturbata enunciat, ut quas velit conditiones ab obſeſſis extorquere poſſit. Sinan, qui dolum ſucceſſiſſe gauderet, increpitum Valerium ac contumelioſe habitum, renovata de belli impenſis conditione, in vincula conjici jubet. Id ubi per equitem, quem una ſecum duxerat, intus renunciatum eſt, indignatione, jurgiis, ſed multo magis pavore miſceri omnia. Tnm purpuratus, qui arcem conſervare in animo haberet, et omnem moram tollendam cenſeret, ut prius Valerium, ſic arcem et incluſos equites fraude in ſuam poteſtatem redigere aggreditur. Valerio

INTERPR. [a] *Africa.* [b] *Poiſieu.* [c] *Guevara.* [d] *Valier.*

vocato

CIƆIƆLI.
HENRICUS II.

vocato, omneis ſe conditiones remittere et obſeſſis libertatem concedere confirmat: cumque poſtridie urgeret Sinan, ut in conditionem de belli ſumptibus conſentiret, vim deprecatus Valerius capite ſe minutum dixit, ac proinde nullius momenti ſuam ſententiam fore, quippe qui cum libertate praefecturam et imperium amiſiſſet. Hoc prudenti reſponſo Valerius a Sinane jam deceptus effecit, ne ille ſe miniſtro amplius ad obſeſſos decipiendos uteretur. Itaque eos per nuncium evocat, ipſiſque nihil nocitum iri fidem obſtringit; et rurſus per Solymani caput dejerat. Majore quam prius levitate Sinanis perjuriis habita fides ab obſeſſis, ob imminentis expugnationis metum: ac ſtatim equites ceterique milites cum conjugibus et liberis conferti exeunt; qui ab obviis Turcis turmatim ante portas diſpoſitis e veſtigio omnes ſpoliantur, et ad naveis captivi abducuntur; Mauri, qui ad ce ſupererant ex iis, qui equitibus militaverant, interficiuntur. Cum per fidem datam Valerius obteſtaretur, reſponſum eſt, canibus fidem ſervandam non eſſe, qui eam priores Rhodi Solymano datam fefelliſſent. Tandem vix ab Aramontio impetratum, ut cc numero eximerentur; qui praecipue Galli fuere: Hiſpani equites aſſervati et aliquot Galli adoleſcentuli, quos poſtremo Aramontius pretio exſoluto a Sinane obtinuit, ut catenis ſolverentur. Arce capta, reſtabat turris illa in portu olim ab Hiſpanis aedificata, quae a Gallo equite non ita credulo cum XXX militibus tenebatur. Is, dum de conditionibus tractatur, extracto tempore convaſatis rebus ſuis naviculam conſcendit, et recta ad Aramontium pergit. Ita Turci arce et urbe potiti ſunt [α] XVII Kalend. Septembr. XLI° poſtquam a Petro Navarro capta fuerat anno: eaque in Dragutis manus [a] Sangiacibegi titulo tradita; in qua duas arceis exſtruxit, alteram ad turrem ab Hiſpanis quondam aedificatam, alteram paulo interius, ubi firmum Turcorum praeſidium ab eo tempore habetur. Magna laetitiae demonſtratione totis caſtris celebratus hic dies, Aramontio etiam ad convivium barbara magnificentia paratum, quod invidiam noſtris auxit, invitato; et diſploſis paſſim tormentis, moxque ſub veſperam accenſis per triremeis et cunctas naveis lucernis continuata per noctem laetitia eſt: atque, ut jucundo aliquo ſpectaculo oculos paſcerent, Jo. Cabaſſium bombardarium, quod ictu tormenti manum exercitus ſcribae abſtuliſſet, in foro, utroque pugno, auriculis ac naribus truncatum ſtatuunt: tum vivum defodiunt umbilico tenus, et ſagittarum ictibus diu et crudeliter confixum ad extremum jugulant. Aramontius poteſtate a purpurato facta diſcedit, et Melitam revertitur; abducto ſecum [b] Valerio, qui ſtatim cuſtodiae ab [c] Omede traditur.

IX. INVIDIAM facti cum Hiſpani in Gallos rejicerent, [d] Villagagnonus edito ſcripto eam diluit; et avaritia Omedis, qui ampliſſimas ordinis facultates fraudato aerario in familiareis uſus interverterit, atque obſtinata pervicacia factum dicit, ut minime ſummiſſis, quae opus erant, in tempore Tripolim ſubſidiis, Valerium et equites obſeſſos omni ſpe auxilii deſtitutos ad feſtinatam deditionem nec ſatis honeſtam aut tutam compulerit. Qui ſincere magis de ea re exiſtimant, Omedis pertinaciam, Valerii credulitatem, centurionis illius Hiſpani, de quo diximus, nimiam formidinem, ac denique Cavalionenſis transfugae proditionem in cauſa fuiſſe putant, cur rebus nondum in extremum diſcrimen adductis arx validiſſima in Turcorum manus tam facile devenerit. Nam Aramontium in ea cauſa praevaricatum, et, ut Omedes jactabat, Valerio deditionis auctorem fuiſſe, procul a veriſimili abeſt; cum eum conſtet a Momorantio equitum magiſtro, penes quem tunc ſumma regni erat, ad Omedem privati officii mandata habuiſſe, quibus, quanta benevolentia Hieroſolymitanum ordinem proſequeretur, et, poſt Philippi [e] Villerii Inſuladami cognatione ſibi conjuncti mortem, ejus commoda praecipuo commendationis loco ſemper habuiſſet, abunde ſignificabat.

VAR. LECT. [α] XVIII *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Sangiacat*, ou plûtoſt *Baſchalit*. [b] *Valier*. [c] *Omedes*. [d] *de Villegagnon*. [e] *Villiers de Liſle-Adam*.

nificabat. Et ſane Momorantium graviter amiſſae Tripolis caſum tuliſſe, ex ejus literis eo tempore ad [a]Briſſacum Inſubrum praefectum, cum quo minime diſſimulabat, datis, quas penes me habeo, didicimus; quibus urbem Chriſtianis ereptam et latronum ſpeluncam effectam dolet. Cum vero rex indigne ferret, haud occultis Caeſarianorum vocibus Gallorum nomen inſidioſe proſcindi, quaſi eorum atque adeo Aramontii ipſius opera factum eſſet, ut Tripolis in Turcorum poteſtatem deveniſſet, ad Ordinis Hieroſolymitani principem prid. Kalend. Octobr. dat literas, eaſque [b]Belloio nobili viro e domeſticis perferendas committit, quibus de rumore ſparſo conquerebatur; et petebat, ut, ſi quidem Aramontius eorum, quae contra eum divulgabantur, reus eſſet, per ipſum tanquam melius ac certius de ea re inſtructum certior fieret, ut eum pro criminis magnitudine debita poena afficeret; ſin innocens eſſet, ex ipſius teſtimonio publice de veritate apud exteras nationes conſtaret. Quibus ab Ordinis magiſtro reſcriptum XV Kal. Decembr. in haec verba; Ad ea quae majeſtas veſtra a nobis flagitat, quo ejus deſiderio et imperio, quantum in nobis eſt, ſatisfiat, reſpondemus ac dicimus, Kal. Sextil. ultimis Aramontium huc appuliſſe cum II triremibus et minori trireme; qui poſtquam a nobis pro merito convenienter exceptus mandata ſua expoſuit, nimirum ut Conſtantinopolim proficiſcens in itinere nos adiret, ac veſtro nomine operam ſuam prolixe nobis deferret, a nobis rogatus eſt, ut Tripolim diverteret, et operam daret, ut Turcos ab obſidione illa, ſi forte nondum coepta eſſet, averteret; aut, ſi jam arx obſeſſa eſſet, Turcis, ut ab obſidione diſcederent, omni ratione perſuaderet: onus vero in ſe libenti animo ſuſcepiſſe Aramontium, eo cum celoce noſtra profectum; ſed, cum nihil impetrare ab obſtinatis Turcis potuiſſet, re infecta ad nos rediiſſe, ac publice in conſeſſu Ordinis teſtatum eſſe, quanto cum ſuo dolore accidiſſet, ut Tripolis amiſſa eſſet: quo in negotio nullum officium praetermiſiſſet, ut Ordini ea in re noſtro gratificaretur; hoc enim a veſtra majeſtate enixe ac religioſe ſibi injunctum. Praeterea, ut, quorum culpa ea clades accepta eſſet, certo cunctis conſtaret, undique probationes collegimus; et, inquiſitione diligenti ſuper ea re habita, nihil comperimus, quo Aramontium cladi cauſam dediſſe aut deditionis auctorem fuiſſe credi debeat. Quinimo ex equitibus captivis, poſtquam ad nos ipſis triremibus vecti rediere, didicimus, eum non ſolum omni culpa vacare, ſed multis benefactis totum Ordinem ſibi devinxiſſe: ac proinde non recte nec ſecundum rationem factum exiſtimamus, ut is rumor ſparſus ſit. Eas literas, quarum exemplum penes me eſt, poſtea rex per oratores ſuos paſſim publicari juſſit; qua publicatione compreſſis Caeſarianorum querelis ac rumoribus, evulgata in Gallici nominis invidiam fama pariter conquievit.

INTERPR. [a] *le mareſchal de Briſſac, gouverneur de Piedmont.* [b] *Belloy.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTAVUS.

EPITOME.

C*AESARIS ediĉtum de Concilio.* II. *Conventus Norimbergae; in quo actum de belli Magdeburgici ſumptibus.* III. *Caeſar fruſtra de Imperii ſucceſſione cum fratre agit.* IV. *In Lutheranos anquiritur.* V. *Tandem cum Magdeburgicis conventum: ſtatimque ſecretum foedus interventu epiſcopi Baionenſis a Mauritio cum rege initum.* VI. *Pro Heſſi libertate principum apud Caeſarem deprecatio.* VII. *In concilii Tridentini ratione rex a pontifice diſſidet; literaſque fiduciarias tanquam ad conventum non ad concilium dat patribus Jacobo Amioto Bellozano perferendas. Ejus ad patres oratio libera et ad querimoniam invidioſam compoſita.* VIII. *Eodemque tempore edictum in ſenatu promulgatur; quo prohibetur, ne pro ſacerdotiis pecunia Romam mittatur: atque, ut rei acerbitas aliquatenus mitigaretur, renovata contra Sectarios decreta.* IX. *Helvetiis auctoritatem concilii detrectant; et ad illud Proteſtantium legationes.* X. *Foedus cum Octavio Parmae duce initum; et Parmenſi bello factum initium. Ejus ſucceſſus.* XI. *Hinc ſcripta utrinque jurgiis plena inter Caeſarem et regem diſſeminata. Regium-Lepidi in odium regis a F. Gonzaga Caeſaris nomine a Ferrarienſi repetitur. Mirandula a Caeſarianis oppugnatur.* XII. *Picorum gens et ſucceſſio.* XIII. *Bellum in Subalpina regione inter regem et Caeſarianos recrudeſcit; quod Belgicum mox excepit.* XIV. *Miſſi a pontifice belli pertaeſo legati; hinc Carpenſis ad Caeſarem, in Galliam Hier. Verallus; cujus diplomate in ſenatu recitato leges ut in ſuperioribus a patribus appoſitae, et novae propter edictum nuper de ſcribis pontificiis promulgatum additae.* XV. *Res in Anglia turbant. Somerſetus regni protector capite plectitur; et Jo. Dudleius Northumbriae dux, cujus aſtu periculum illi creatum fuerat, eo ſublato regnum adfectat.* XVI. *Mortes literis clarorum hominum, Martini Buceri, Andreae Alciati, M. Antonii Flaminii, Jo. Bapt. Montani, Joachimi Vadiani.*

EX AUCTORIBUS,

Jo. Sleidano, Seb. Beſſelmeiero, Literis et actis publicatis, Juliano Goſſelino, Luca Contili, Car. Sigonio, Blaſio Monlucio, Actis Curſae Pariſienſis, Fr. Rabutino, Nic. Sandero, Georgio Buchanano.

LIBER OCTAVUS.

RERUM Africanarum longa nec ſatis vulgo nota narratione defuncti, tempus eſt, ut in Europam redeamus. Caeſar coepta anno ſuperiore comitia Eid. Febr. hujus anni dimiſit; edicto prius ſacto, quo, quandoquidem religionis diſſidium nullo alio remedio commodius quam oecumenicae ſynodi celebratione componi poſſe in confeſſo ſit, daturum ſe operam recipit, ut omnia quamprimum recte et ordine, ſemotis affectibus, juxta ſacram ſcripturam et ſanctorum patrum doctrinam in eo negotio peragantur; quod ad ſe, tanquam eccleſiae patronum et conciliorum defenſorem, hos enim titulos eo ſcripto uſurpat, proprie pertineat: eo nomine ſe omnibus, qui ad concilium venturi ſint, idonee cautum velle, ſive religionem mutent, ſive in Auguſtana confeſſione perſeverent; quibus liberum ſit, quamdiu velint, [a] Tridenti commorari, ibique omnia, quae ad conſcientiae ſuae tranquillitatem et inſtructionem facere exiſtimabunt, in medium libere proponere: orare igitur tam eccleſiaſticos quam Auguſtanae confeſſionis ſocios, ne pontificium diploma negligant, ſed eo apprime inſtructi veniant; ne ſe deinceps aut nimia feſtinatione excluſos, aut ad juſtam ſuae cauſae explicationem non fuiſſe admiſſos jure conquerantur. Actum et de formula Auguſtana; quam quo minus reciperent, cum variae a multis afferentur rationes, Caeſar ampliorem ejus rei cognitionem ſibi ſumit.

II. Usu receptum eſt in republica Germaniae, ut mole negotiorum ingruente, quae in publicis Imperii comitiis explicari non potuere, indictis a Caeſare et Ordinibus Imperii conventibus rurſus a delectis tractentur; qui pari cum comitiis poteſtate de rebus mandatis ſtatuant; ita tamen, ut, ſi quid gravius inciderit, quod Caeſaris auctoritatem et praeſentiam deſideret, ad eum referant. Decretum ergo, ut ad Kal. April. [b] Norimbergae conveniant ſeptemvirorum et VI reliquorum principum legati, qui deliberent, quemadmodum pecunia illa, quae ex publico aerario in bellum Magdeburgicum prompta ſit, ſuppleri debeat. Et, quoniam bellum illud ad reipublicae ſalutem et exemplum pertineat, magiſtratui permittitur, ut ſuae quiſque civitati tributum hoc nomine imperet. Caeſar ipſe collationem pollicetur. Et, quia rumor ſit, [c] Albertum Mansfeldium et [d] Hedecum ſuperiori hyeme conſtituiſſe Magdeburgicis opem ferre, edicitur, ſi poſtea contingat, in aliqua Germaniae parte milites confluere, ut ſtatim vicini principes ac civitates conjunctis viribus illos opprimant, et rebellionum igneis, priuſquam in incendium evadant, ope ſua reſtinguant. Ad juriſdictionem et bona ſacra ſuperioribus bellis licentioſe uſurpata et direpta quod attinet, curaturum ſe Caeſar recipit, ut appellatus ab iis, qui injuriam ſibi factam queruntur, ipſis jus dicat, quo ſuum quiſque recuperet, et ſpoliati in poſſeſſionem reſtituantur. Ferdinandus rex de Turcarum injuriis antea ad Ordines retulerat; eos videlicet in Pannonia per inducias in armis eſſe, arcem in ſuis finibus exſtruere, [e] Zalnocumque ſuae ditionis praecipuum propugnaculum conatos occupare; jam in [f] Daciam hoſtiliter ingreſſos, nullam ob juſtam cauſam quae a culpa ſua profecta ſit, res novas moliri. Itaque ei, quamvis gravate, promiſſa ſuperioribus comitiis auxilia decernuntur. Nec multo poſt Caeſar de comitatu ſeu [g] Diecica ditione in Heſſum, tanquam contumacem, ſententiam tulit: quantumvis ille ſe excuſaret, et ſibi non integrum eſſe diceret reſpondere, adempto libero cum ſuis conſiliariis colloquio, adhibitis

INTERPR. [a] *Trente.* [b] *Nuremberg.* [c] *le comte Albert de Manſfeld.* [d] *le comte Heideck.* [e] *Zolnoch.* [f] *Tranſilvanie.* [g] *Dietz.*

CIƆIƆLI.

HENRICUS II.

hibitis etiam qui obſervarent et [α] auſcultarent. Siquidem poſt patefacta fugae conſilia tam arcte cuſtodiebatur, ut nemini illum adire aut ſermonem conferre ſemotis arbitris liceret.

III. HUC uſque inter Caeſarem et Ferdinandum de Imperii ſucceſſione actum fuerat, media Maria ſorore [a] Pannoniae regina. Cum nihil profectum fuiſſet, Maximilianus, cujus conſilio et contemplatione effectum credebatur, ne Ferdinandus Caeſaris voluntati obtemperaret, ſoceri offenſionem veritus, quamprimum in Hiſpaniam tranſmittere et inde uxorem jam duorum liberorum matrem deducere conſtituit. Itaque cum patre [b] Auguſta III Eid. Mart. diſcedit, et ſub exitum Maii cum Philippo Caeſaris filio per Italiam in Hiſpaniam redit, in itinere Genuae uſus hoſpitio jam ſibi familiari Andreae Auriae.

IV. SUB id tempus et Bremenſium legati Auguſtam a Caeſare anno ſuperiore evocati re infecta domum revertuntur. Dum adhuc Auguſtae eſſet Caeſar, a Granvellano [c] Atrebatenſi, uti creditur, incitatus, concionatores ſeorſim per [d] Haſium, [e] Seldium et [f] Malvendam interrogatos acerbe reprehendit; quod ſtare per eos putaret, quo minus formula nuper perſcripta ab omnibus reciperetur. Cum igitur [g] Argentinenſis epiſcopus gravem de ea re paulo ante querimoniam habuiſſet, hac lege tandem urbe ſummoti ſunt, ne poſthac intra Imperii fineis, et quam late Caeſaris juriſdictio patet, concionem apud populum habeant, aut quenquam ex amicis vel propinquis conveniant, neque ſui diſceſſus cauſam ulli aperiant, aut, poſtquam exceſſerint, ad quenquam ſcribant, aut, quid cum ipſis actum ſit, exponant. Haec metu adacti ſublatis digitis more ſolemni pollicentur. Dein ſenatui mandatur, ut, quibus in templis doctrina Lutherana docebatur, ceſſationem imperet, donec Caeſar decreverit. Ludi-magiſtri quoque, qui, ne Auguſtanum de religione decretum ſervaretur, vulgo auctores eſſe exiſtimabantur, exacti. Ad eundem modum actum et cum [h] Memingenſibus et aliis per [i] Sueviam civitatibus; quas jam in concordiam cum Saxonicis rediiſſe Caeſar per indicem cognoverat; miſſo poſtea Henrico Haſio, qui paſſim reipublicae ſtatum mutaret, novis inſtitutis ſenatoribus, et concionatores ac ludi-magiſtros, niſi decreto parerent, abrogaret. Ita concionatoribus ac ludi-magiſtris, qui vocati Auguſtam venerant, docendi munere et ad ſuos reditu interdicitur: cumque ex ipſis unus uxori tempus partus inſtare cauſaretur, ac propterea majorem in modum oraret, ut ſibi eam inviſere liceret, Atrebatenſis ad ſuos converſus, Uxorem, inquit, vocat, quae ſcortum eſt. Expeditiſſima ea viſa Caeſarianis miniſtris ratio, qua et concilii actio redderetur facilior, et patres, expulſis ex civitatibus quos illuc Tridentum mittere potuiſſent theologis, pauciores adverſarios habituri eſſent. Pulſi ergo illi et ejecti, pars in Helvetios, alii alio confugerunt: abeunteis plerique cives, et inprimis Joannes Fridericus, quamvis captivus, per miniſtros ſuos pecunia, viatico ac ſolatio perbenigne proſecutus eſt. Tanta vero ex eo ſecuta in templis ſolitudo, ut occaſionem haud occultis multorum querimoniis dederit, vim non bonis tantum et corporibus, ſed etiam mentibus et conſcientiis afferri quiritantium; donec a ſenatu, qui eo nomine magnam invidiam ſuſtinebat, poſt longam ac diligentem perquiſitionem, inventus eſt ex Auguſtanae confeſſionis miniſtris Gaſpar [k] [β] Huberius, qui, publice recantata, quam hactenus ſub Luthero profeſſus fuerat, doctrina, formulam a Caeſare praeſcriptam multis obſtupeſcentibus populo inſinuaret.

V. INTEREA res ad Magdeburgum agebatur: et continuabatur magis obſidio, quam oppugnabatur urbs, Mauritio abſente; qui [γ] in viam, uti ſuperiore libro diximus, [δ] ſe dederat, quo ſummiſſos a Vandalicis civitatibus auxiliareis vi aſtuve interciperet:

ac

VAR. LECT. [α] auſcultarent cuſtodibus *P. D. o. f. d.* [γ] obviam *P. D. o. f.* [β] Hubernius *P. D. o. f. d.* [δ] profectus erat *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *Augsburg.* [c] *evêque d'Arras.* [d] *Haasen.* [e] *Selden.* [f] *Malvenda.* [g] *de Strasbourg.* [h] *Memmingen.* [i] *la Souabe.* [k] *Huber.*

ac Mansfeldius quidem, qui diſſipato auxiliari exercitu in urbem pervenerat, [a] Neoſtatum a Mauritianis occupatum impetu fruſtra facto non ſine damno ſe receperat. Reduce in caſtra Mauritio VII Kalend. Febr. levibus aliquot proeliis initio pugnatum eſt: ſed quatriduo poſt tanta mole certatur, multis utrinque deſideratis, ut Mauritio ipſo, qui intererat, a Magdeburgicis agnito et circumvento, paulum abfuerit, quin captivus in urbem abduceretur. Cum quotidie utrinque acriter certaretur, VIII Eid. Febr. caduceator Caeſaris in urbem mittitur; verum, cum nullas literas a Caeſare ipſius manu ſubſcriptas haberet, et ſenatus hujuſmodi colloquia rejicienda cenſeret, nihil actum eſt. Caeſariani interim Neoſtati VII majora tormenta inſtruunt; quibus in obſeſſos diſploſis, ac praecipue in B. Jacobi turrim, multum damni obſeſſis inferebant; inconcuſſa tamen turre, quamvis plus mille ſeptingentis ictibus verberata. Poſtea IV Kal. Martias, eruptione ab obſeſſis facta, acrius quam antea duobus locis dimicatur: plerique ex Caeſarianis deſiderati, ac tanto numero, ut plauſtris Neoſtatum ad ſepulturam deveherentur. Dein intumeſcente ſolutis imbribus [b] Albi, molatrinae navibus impoſitae vi fluminis abreptae ſunt; valla etiam disjecta magno obſeſſorum incommodo ac detrimento: quae damna ut ſarcirentur, ſenatus binas naveis confici et bellico instrumento inſtrui juſſit; quarum in excurſionibus poſtea praecipuus uſus fuit, comportando item in urbem commeatu, et hoſtium annona intercipienda. Mox et Kalendis Martiis ſeditio inter praeſidiarios ob non ſoluta ſtipendia atrox exorta eſt; quae non niſi praeſenti pecuniae numeratione et Alberti Mansfeldii auctoritate componi potuit. Nec multo poſt parhelii variegato colore in aëre apparuere, et nocte inſequenti tres lunae majore horrore viſae; utrumque prodigioſum habitum, augentibus ſuperſtitionem utriuſque partis contrariis votis ac ſtudiis. Tandem Caeſariani armato navigio et vallo ad Albis ripas ducto navigationem Magdeburgicis intercluſere, fruſtra expectato a maritimis civitatibus auxilio, quod a Wolrado et Joanne Alberti filiis ſolicitabatur. Cum interea ab obſeſſis continuae eruptiones fierent, et invicto animo obſidionis incommoda ad diuturnitatem ferrent, tandem III Non. Maii ſcriba urbis, accepta cautione, invitante eum Mauritio, in caſtra Caeſarianorum profectus mox cum diplomate Mauritii annulo obſignato ad ſuos revertitur: ſtatimque ſenatus triumviros paci tractandae deligit; [c] Emdenum juriſconſultum urbis procuratorem, Jacobum [d] Bericum conſulem, et Arnoldum [e] Hoffenum aedilem; quibus ſcriba adjungitur. Hinc factum cum Mauritio colloquii principium, Hedecio amanuenſi ultro citroque in urbem commeante: ſed quia iniquiores conditiones videbantur, nihil tunc confici potuit. Qui [f] Norimbergae convenerant menſe Aprili in obſidionem urbis conferendam pecuniam ſtatuerant: ſed, quamvis Caeſar urgeret, lente id negotium agebatur, quod obſidio in longum extraheretur, et, quem finem habitura eſſet, non appareret. Itaque et in caſtris Caeſarianorum ob non ſoluta ſtipendia a milite tumultuatum eſt; qui per tabernacula ducum diſcurrens, iis direptis, caſtrenſem judicem una cum carnifice, ne vindex eſſet ſceleris, trucidavit: ſed mox compoſito motu ſeditionis auctores in furcam acti ſunt. Ab eo tempore continuatis certaminibus, majore ſemper oppugnantium jactura, cum de abigendis armentis ab hoſte conſilium initum eſſet, XVII Kal. Quintil. acriter certatum eſt; ac, cedentibus Caeſarianis, Joannis [g] Golceri, Lazari [h] Scuendii primariorum ducum ſuperventu proelium reſtituitur, pejore ſemper illorum conditione; ex quibus L occiſi, XXXVII capti ſunt. Mauritius interea, qui Pirnam in Miſnia privatorum negotiorum ſpecie ſeceſſerat, cum legatis urbis ipſe colloqui cupere ſe per literas ſignificavit: quod ſenatui pergratum accidit: miſſi igitur ad Mauritium legati, et ab Alberto Brandeburgico deducti. Ibi eorum, quae deinceps a Mauritio pro libertate Germaniae

INTERPR. [a] *Neuſtadt.* [b] *Elbe r.* [c] *Emden.* [d] *Berich.* [e] *Hoffem.* [f] *Nuremberg.* [g] *Golker.* [h] *Schwendi*

CIƆIƆLI. HENRICUS II.

niae geſta ſunt, communicata ſecreto cum legatis conſilia multi credunt, ut aequiores ſe pacis conditionibus praeberent. Antequam ii redirent, a certaminibus minime ceſſatum fuit, Henrico Brunſvico et Carolo filio, ob veteres ſed recenti caſu recrudeſcenteis inimicitias, odia acuentibus. Igitur Nonis Quintil. cum infeliciter conflixiſſent, ccc amplius ex ſuis amiſere, Brandeburgico induciarum fidem violatam fruſtra inclamante. Jam redierant legati cum conditionibus a Mauritio propoſitis; quae hujuſmodi erant; ut ſe nihil pacti de conditionibus dederent, ac Caeſarem ſupplices deprecarentur; foedus nullum contra eum, Ferdinandum fratrem, Auſtriacam domum aut Belgium facerent; Imperii decreta ſervarent; juri ſe ſiſterent; eccleſiaſticis de damno dato ſatisfacerent; muniriones atque propugnacula demolirentur; praeſidium CIƆ IƆ admitterent; Caeſarem, fratrem ejus, atque utriuſque legatos, cum quantiſvis copiis quocunque tempore reciperent; XII machinas inſtructas traderent; cc aureorum millia dependerent; haſque leges jurejurando firmarent. Quae etſi duriores viderentur, quam ut in eas ſenatus conſentire poſſet, ſuſtinuit tamen judicium, neque ſe ſtatim eas repudiare declaravit. Pugnatum interea; magnaque a Brandeburgico, qui per Mauritii abſentiam exercitui praeerat, accepta clades; qua irritatus VII Kal. Sextil. per caduceatorem rejicit ea, quae Magdeburgici ad pacis conditiones Pirnae a Mauritio propoſitas reſponderant: ita Quintilis et Sextilis levibus certaminibus et irritis conatibus exacti, ſubortis etiam inter civeis ob ſuppoſititias literas et falſa proditionis crimina motibus: quibus factum eſt, ut milites concurſu facto [α] Heinum [a] Alamannum ſenatorem ad poenam depoſcerent; qui cum injuriam ſibi fieri diceret, neque recuſare extrema quaeque, ſi veris probationibus aut indiciis certis convinceretur, fide a ſenatu interpoſita, ſeditio ſedata eſt; tandemque compertum, id ab hoſtibus confictum eſſe, ut, quod palam et vi non poſſent, aſtu ac diſcordia inter obſeſſos excitata exſequerentur. Itaque delecti e civium et militum numero, qui literas, quae ultro citroque mitterentur, inſpicerent, ne qua ſuſpicionibus et calumniis deinceps temere fides haberetur. Tandem III Non. Septembr. reverſo in urbem [b] Hedecio amanuenſi, pactae induciae; quibus durantibus ſenatus legatos Witembergam ad comitia, quae a Mauritio habebantur, uti convenerat, mittit. Dum in eo eſſent, cives Franciſcanorum coenobium demoliuntur: et, ne ſpes ejus inſtaurandi ſupereſſet, domicilia privata in ejus area aedificantur. Legatis domum reverſis, et congreſſu extra urbem juxta lapicidinas habito, cum Hedecio pax facta, et ejus inſtrumenta utrinque confecta ſunt. Conditiones Pirnae a Mauritio propoſitae aliquantum mitigatae; et L CIƆ aureorum tantum mulcta irrogata: additum, ut ultimo decreto parerent, et [c] Megalopolenſem ac reliquos captivos ſine pretio dimitterent. Mox praeſidiarii numerato VIII menſium ſtipendio abire jubentur; qui a Megalopolenſi jam libero ſtatim conducti ſunt. Mauritius cum omni exercitu urbem ingreditur XVI Kalend. Decembreis; et in Caeſaris, Imperii, ſuamque fidem, quia dux belli fuiſſet, omneis adigit: tum in foro juxta praetorium comitiis habitis perpetuum foedus ictum, ſalvis urbis immunitatibus, ac religione quam cives profitebantur; data etiam fide, non urbem ſolum ſed etiam circumjacentem regionem ab omni injuria tutam fore. Haec ſummo cum applauſu acta: et Mauritius omnium ordinum laetitia [t] Margravius Magdeburgenſis ſalutatur; ſtatimque exercitus educitur, relictis tantum in urbe, uti convenerat, V vexillis. Quo facto, Mauritius, per conſiliarios [d] Faccium, [e] Carlebicium, [β] [f] [z] Moriſium convocatis concionatoribus, querimoniam de editis contra ſe libellis et picturis inſtituit, quaſi a religione deſciverit, aut civitati ob conſtantem piae doctrinae profeſſionem bellum intulerit: quae licet merito vindicare in eos poſſit, tamen ſe libenter injurias privatas reipublicae condonare;

VAR. LECT [α] Henricum *P. D. o. f. d.* [β] Moriſinum *P. D. o. f. d.*

INTEPRR. [a] *Alman.* [b] *Heideck* [c] *le duc de Mecklenburg.* [d] *Fachſen* [e] *Carlewitz.* [f] *Mordeyſſen.*

NOT. [t] *Burgravius.* Burgrave eſt un dignité hereditaire. *Put.* [z] *Mordiſium* Put.

donare; et viciſſim ab iis petere, ut in poſterum populos ad vitae emendationem et magiſtratus ac principum obſervantiam hortentur: curent igitur, preces publice pro Caeſaris ſalute, pro ſe ac ceteris magiſtratibus fieri: concilium jam Tridenti inchoatum eſſe, in quo piae doctrinae confeſſionem tam ſuo quam aliorum principum et ordinum nomine ſit exhibiturus: Deum orent, ut tam praeclarum inceptum proſperet ac bene vertat; neque illud, ſicut hactenus fecerint, conviciis proſcindant et exagitent. Ad haec concionatores re prius deliberata reſpondent, non quidem evulgaſſe ſe picturas; non tamen eas adeo reprehenſione dignas judicare: neque enim negari poſſe, quin plerique per ipſius ditionis fines triennio ab hinc a puriore religione defecerint; et, ſi quidem ad belli auctores reſpiciatur, quin opprimendae religionis cauſa urbs obſeſſa ſit, itidem dubitari non poſſe: quod ad ſe attinet, nihil in admonendo populo praetermiſſum, neque ſe in poſterum praetermiſſuros: ceterum de concilio, quod Tridenti indictum ſit, longe aliter ſentire; illud enim ſe delendae veritatis ergo coactum exiſtimare; quippe in quo Romanus pontifex principem locum teneat, qui ſe pro Chriſti adverſario gerat: itaque non aliter orare Deum ſibi licere, quam ut tam perniciosos hoſtium veritatis conatus et conſilia reſcindat, frangat, diſſipet; a quibus nihil niſi malum et Dei gloriae aeque ac reipublicae adverſum porro expectandum ſit. Hoc liberius et audacius reſponſum, quam quod deditos deceret, prudentiores facile in ſuſpicionem adduxit, leges quidem in ſpeciem aliquantum ſeveras a Mauritio Magdeburgicis dictas, ceterum illis clam de religione et libertate ab eodem cautum eſſe; et maluiſſe Mauritium ſibi quam Caeſari per eas urbem patere: quod jam multis nec obſcuris indiciis, quantumvis diſſimulandi mirus artifex, manifeſtum fecerat. Nam paulo ante [a] Cattos Melibocos Heſſiae populos, de quibus [α] Philip. Lantgravio cum Naſſoviis controverſia erat, a Caeſare Willelmo [b] Naſſovio ante triennium adjudicatos in fidem per jusjurandum acceperat, conſentientibus Heſſi liberis; cauſatus foedus hereditarium, quod Heſſicae familiae cum Saxonica intercedit, ut, ſi nulli mares exſtarent, altera alteri ſuccederet; quod, quamvis ad contumeliam Caeſaris, qui ſententiam tulerat, omnium judicio pertineret, tamen et a Caeſare diſſimulatum eſt, et Mauritius non propterea ſe minorem Caeſareae dignitatis rationem habere in ceteris rebus deinceps prae ſe tulit. Conſtat certe, eum jam tum cum rege tacitam conventionem feciſſe, interventu Joannis [c] Fraxinei Lapurdenſium epiſcopi, viri diu in Germania verſati et linguae periti, qui praetextu aliorum negotiorum apud ipſum erat. Cum illo Mauritius, tam ſuo quam Georgii Friderici pupilli et Joan. Alberti marchionum Brandeburgicorum ac Willelmi Heſſorum principis nomine, tranſegerat in has conditiones; ut pro religione, pro Germaniae libertate, pro Heſſi jam integrum quinquennium contra fidem datam captivi liberatione, ad bellum Caeſari inferendum conſilia ſocient; et ceteros Imperii principes, civitates et ordines, ut idem faciant, hortentur; pro hoſtibus, perduellibus, patriae proditoribus eos habituri, et ferro ac igne perſecuturi, qui tam laudabileis conatus impedire, aut Caeſarem quoquo modo contra ipſos juvare auſi fuerint: nullas inducias aut pacem cum Caeſare faciant, inſcio aut non conſentiente rege: rex viciſſim cum Caeſare aut ejus heredibus et ſociis nullum pacis foedus aut inducias faciat, niſi vocatis et conſentientibus foederatis, qui omnes unius perſonae vice erunt; ut nec alter ſine altero paciſci aut ſibi privatim conſulere ullumve omnino foedus facere poſſit, quo non ipſi tantum principes ſed etiam ipſorum ſubditi et omnes penitus, qui ipſis militent et porro militaturi ſunt, comprehendantur: donec bellum hoc ob tam juſtam cauſam ſuſceptum omnino confectum ſit, ipſi vireis, ſi opus ſit, cum rege conjungant; ac primum eos, ſeu vicinos ſive alios, a quibus plus periculi immineat, in poteſtatem redigant; dein recta contra ipſum Caeſarem, quocunque

VAR. LECT. [α] Philip. *deeſt* *P. D. o. f.*
INTERPR. [a] *Catzenellenbogen.* [b] *le comte de Naſſau.* [c] *de Freſſe, evêque de Bayonne.*

CIϽIϽLI.
HENRICUS II.

cunque locorum ſit, ſive in Germania ſive in Belgio, uti regi viſum fuerit, exercitum ducant: in primi trimeſtris ſtipendia rex CCXL CIϽ aureorum intra XXV Februarii proximi diem numerari curet; in ſingulos ſequenteis menſeis LX CIϽ dependat: foederati [α]VIII CIϽ equitum conſcribant extra territorium ſuum, quo Caeſaris delectus impediant, et domi militem paratum habeant, ne ſit eis opus, ſi impetus in ipſorum fineis fiat, ab exercitu diſcedere, et pugnandi occaſionem, cum ſe offeret, diviſis copiis omittere: ſi Joan. Fridericus liberive ejus in foedus conſentiant, cavere Mauritio teneantur, qui omnem operam pro eorum parentis liberatione pollicebitur; ſi nolint, pro hoſtibus habeantur: Willelmus, antequam in armis ſit, atque adeo ipſius parens, foederi cum Caeſare inito renunciet; et Mauritius ſcripto Caeſari planum faciat, ſe ab ejus amicitia et obſequio diſcedere: ut obviam incommodis eatur, quae diviſa in plureis potentia in exercitu regendo accidere ſolent, cujus rei exemplum recens extiterat in foederatorum exercitu ante quinquennium ob eam cauſam a Caeſare deleto et diſſipato, ſumma potentia penes Mauritium ſit; qui treis belli conſiliarios, quos velit, ſibi ex omnibus deligat: foedera, tractatus, pactiones ex omnium conſilio et ſententia fiant; praedae item et collationes inter omneis ſocios aequaliter dividantur: ſacramentum a milite omnibus belli ducibus praeſtetur: in omnibus deliberationibus Mauritius, tanquam primarius belli dux, duas, ceteri principes ſingulas quiſque ſententias obtineant: obſides utrinque dentur; a foederatis quidem Chriſtophorus ſive Carolus Megalopolenſes, et Ludovicus ſive Philippus juniores Heſſiae principes; a rege Jo. [a]Marcianus Jametii regulus, et [β][b]Henricus Lenoncurius Nantolii comes. Adjectum conventionibus; videri e re omnium eſſe, ut rex quamprimum [c]Cameracum, ſi poſſit, [d]Divodorum ſive Metim, [e]Tullum et [f]Virodunum Lotharingiae civitates occupet, et praeſidio firmatas vicarii Imperii nomine in poſterum teneat: item, ut bellum in Belgio excitet, quo Caeſaris vireis pluribus locis oppugnati diſtrahat. Poſtremo a foederatis promiſſum, ſe deinceps pro tanto beneficio regem amici et parentis loco habituros, eique viciſſim in conſervandis et recuperandis provinciis ſibi aut majoribus ſuis ereptis praeſto futuros; et omni ope enixuros, ut ipſe in Caeſarem eligatur, ſi velit; ſin minus, ut is eligatur, qui ipſi videbitur, qui amicitiam cum eo colat, et pacta haec ſervaturum jurejurando promittat. Haec ita ſecreto inter Fraxineum et Mauritium acta VII Eid. Octobr. quae rex poſtea XVII Kal. Febr. [g]Campoburgi rata habuit, et praeſente Alberto Brandeburgico jurejurando firmavit.

VI. MAGDEBURGO dedito, cum adhuc in civitate eſſet Mauritius, haud obſcure ſignificabat, ſe in animo habere, vel capitis periculo, ſocerum in libertatem aſſerere. Ea de cauſa legatos ad Caeſarem miſerat; et Daniae regem ac pleroſque Germaniae principes, ut intervenirent, exoraverat. Illi Caeſarem [h]Oeniponte tridui a [i]Tridento itinere nacti ſunt, quo ſe [k]Auguſta initio Novembris contulerat, ut et concilii et belli Parmenſis, de quo mox loquemur, jam coepti negotia, tanto diligentius, quanto ipſe abeſſet propius, adminiſtrarentur. Ibi repetita a principio ſuper Heſſi captivitate memoria, poſtquam legati, Mauritii et Joachimi Brandeburgici nomine, multis rationibus demonſtrarunt, quam nulla juſta de cauſa Heſſus tam diu captivus detineatur, ejuſque rei culpam et invidiam in Caeſaris miniſtros rejecerunt, quae in Germaniae principes, in ſe et ſuam exiſtimationem recidat; orant obteſtanturque Caeſarem, ut ſui rationem habeat, et in bonam partem accipiat, ſi, quod hactenus precibus, internunciis ac literis ipſi impetrare nequiverunt, commendatione et gratia eorum principum, quorum adſint legati, conſequi ſe poſſe ſperaverint. Continuo recitantur literae Ferdinandi regis, Alberti [l]Baioariae ducis, et Luneburgicorum

VAR. LECT. [α] VII CIϽ P. D. o. [β] Philippus P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de la Marck, ſieur de Jamets.* [b] *de Lenoncour, comte de Nantueil.* [c] *Cambray.* [d] *Mets.* [e] *Toul.* [f] *Verdun.* [g] *Chambor.* [h] *Inſpruck.* [i] *Trente.* [k] *Augsburg.* [l] *de Baviere*

gicorum fratrum pro Heſſo ſcriptae. Mox et audiuntur Friderici ſeptemviri Palatini, Wolfangi [a] Bipontini, Jo. Brandeburgici, Henrici et Jo. [b] Megalopolenſium ducum, Erneſti marchionis Badenſis, et Chriſtophori Wirtembergici ducis oratores. Ad eorum poſtulata Caeſar interjectis aliquot diebus reſpondet, rem magni momenti eſſe, et quae matura deliberatione et Mauritii inprimis, qui propediem venturus ſit, praeſentia indigeat, ſine quo commode explicari non queat; itaque eo uſque velle differre: licere interim ipſis domum reverti ad ſuos principes, eiſque ſuo nomine renunciare, ipſorum deprecationis ſe fore memorem, et facturum ut intelligant ipſorum commendationem magnum pondus apud ſe habuiſſe. Dum haec [c] Oeniponte fiunt, Willelmus Heſſi filius ad Mauritium venit; cumque ex eo, quid cum Caeſare actum erat, reſciviſſet, miſeranda parentis, qui carceris taedio ac moerore animi contabeſcat, conditione deplorata, ei nulla ſe poſſe, ſi pius ſit, ratione deeſſe demonſtrat: petit igitur, ut intra certum ac breve tempus diſerte et aperte reſpondeatur: quod ni fiat, non debere vel ipſum vel Brandeburgicum moleſte ferre, ſi eitentur et juri ſiſtere ſe jubeantur. Ad haec Mauritius, cum Caeſarem colloquium ſuum expetere diceret, in eamque rem ad ſe ſcripſiſſe, eo ſe quamprimum proficiſci paratum oſtendit: quamvis invitus faciat, ut adeo turbulento rerum ſtatu finibus ſuis excedat; tamen tam vehementer ea cauſa affici, cujus invidia apud omneis bonos jampridem laborare ſe maximo cum dolore ſentiat, ut, omni incommodo et periculo poſthabito, ejus rei praecipuam rationem habere decreverit. Heic Willelmus cum de profectione ſua amplius debere eum cogitare replicaſſet, an ei conſultum ſit; ille, qui quid agere apud ſe ſtatuiſſet, etiam apud Willelmum diſſimulandum cenſeret, adhibitis quibuſdam ex ſuis conſiliariis inſtituti ſui gnaris, in voluntate perſeverare prae ſe tulit; cum re vera, mox accepto Caeſaris reſponſo, ad gerendum cum eo bellum ſe compararet, ejuſque conficiendi tempus expectaret idoneum. Itaque et copiae omnes, tam quae ad Magdeburgum quam quae pro civitate militaverant, per Turingiam et vicina loca hyemabant Mauritii juſſu; multumque damni dabant, praecipue eccleſiaſticis, et in his [d] Moguntino, in cujus fineis crebro excurrebant; adeo ut ille pertractis in ſuam ſententiam [e] Colonienſi et Trevirenſi, quod periculum in ſe tandem recaſurum providerent, ſcriptis ea de re ad Caeſarem Tridento literis, domum quamprimum reverti ſtatuerent: verum prolixis Caeſaris literis et enixis precibus revocati propoſitum mutavere.

VII. Ii mandatu Caeſaris Tridentum profecti fuerant, ut concilio intereſſent, quod ad Kal. Maias indictum, propter Parmenſe bellum ſub id tempus exortum, in Kalend. Septembr. dilatum fuit. Quo die cum Moguntinus et Trevirenſis nec multo poſt Colonienſis veniſſent, magna omnium laetitia et gratulatione accepti ſunt, quod poſt legatos pontificios praecipuum dignitatis gradum obtinerent, ob idque magnam ſynodo auctoritatem conciliaturi crederentur. Illi ergo, quod ibi diutius ſibi manendum exiſtimarent, paucis in uſus quotidianos equis ſervatis, ac reliquis venditis, in longum tempus rei domeſticae neceſſaria providere. Venere eo etiam [f] Argentinenſis, Viennenſis, Conſtantienſis, [g] Curienſis, [h] Numburgicus, Germaniae epiſcopi; ceteri occupationes aut aetatem valetudinemve cauſati venia impetrata vicarios miſere. Pontificis nomine praeerat Marcellus cardinalis [i] Creſcentius; cui adjuncti archiepiſcopus [k] Sipontinus et epiſcopus [l] Veronenſis. A Caeſare legati miſſi, Franciſcus [m] Toletanus, Hugo comes [n] Monfortius et Gulielmus [o] Pictavius. Ferdinandi [p] Pannoniae regis loco et nonnulli aderant. Kal. Septembr. more ſolemni

INTERPR. [a] *le duc de Deux-Ponts.* [b] *de Mecklenburg.* [c] *Inſpruck.* [d] *l'electeur de Mayence.* [e] *les electeurs de Cologne & de Treves.* [f] *de Strasbourg, de Vienne, & de Conſtance.* [g] *de Coire.* [h] *de Naumburg.* [i] *Creſcentio.* [k] *de Siponto.* [l] *de Verone.* [m] *de Tolede.* [n] *de Montfort.* [o] *de Poitiers.* [p] *Hongrie.*

CIƆIƆLI. ſolemni peractis ſacris, Galliae regis orator advenit Jacobus [a] Amiotus Bellozanus, a
HENRICUS II. cardinale [b] Turonio et Odetto [c] Silva apud Venetos oratore regio miſſus, cum literis conventui Tridentino inſcriptis: quibus Creſcentio redditis, et inſcriptione lecta, cum diſceptaretur, cur conventum potius quam concilium dixiſſet, ideoque multi ac praecipue Hiſpani epiſcopi eas non eſſe recipiendas aut legendas contenderent, niſi mandatum habere ſe Bellozanus demonſtraret, ille literis mandatum comprehendi reſpondit. Continuoque Creſcentius conſurgit, et in templi ſacratium patres ſevocat; cum, re diſputata, inſcriptionem in bonam partem accipi poſſe diceret Creſcentius, aegre a collegis et circumſtantibus impetravit, ut Bellozanus audiretur. Lectis igitur privatim literis, quibus rex dolorem juſtum teſtabatur, et injuriam ſibi factam ſignificabat, ac fidem legato ſuo haberi petebat, rurſus conſedere patres; et palam recitatis literis reſpondent, Quod concilium conventus nomine deſignet rex, in bonam partem ſe accipere: neque enim de tanto rege, qui Chriſtianiſſimi nomen inter principes obtineat, quidquam inclementius ſuſpicari; ceterum ſi alia mens, alius ejus ſit animus, literas illas patres habere pro non ſcriptis. Interea placuit legatum audiri. Ille orationem habuit hujuſmodi. Quibus de cauſis Chriſtianiſſimus rex me ad hunc conventum legaverit, patres, neminem veſtrum ignorare arbitror, qui praeſentem rerum ſtatum ſummotis affectibus conſideraverit, quid quadriennio abhinc in Italia agatur, in memoriam revocaverit, et inde regis modeſtiam ac potentiam, inde aliorum audaciam, qui nihil non ſibi licere putant, diligenter apud ſe perpenderit. Neque vero aequiores cauſae ſuae judices ille velit, ſi libertas, quam Romana ſedes Gallorum pietati et virtuti [a] debet, vobis eadem maneret. Nunc cum externo dominatu oppreſſa Italia gemat; cum domina olim gentium Roma priſtinam libertatem recenti ſervitio mutaverit; cum ſummus pontifex, qui ſe pro Chriſti vicario et communi omnium parente gerere et ſublatis diſſidiis pacem in orbe Chriſtiano conſtituere debuit, ſive fraude circumventus ſive ſpe ac pollicitationibus ineſcatus, aut, quod vero ſimilius ſit, vi metuque adactus, abjecta paſtorali cura et depoſita arbitri perſona, ipſe in parteis tranſierit; rex, qui principem locum inter Chriſtianos principes obtinet, ſui officii ac dignitatis eſſe duxit, omni cura, induſtria et ope eniti, ut jus cuique ſuum ſervetur, libertas illibata maneat, atque ante omnia eccleſiae dignitas, cujus Galliae reges ſe ſemper acerrimos propugnatores oſtenderint, a vi, ambitione, corruptionibus aſſeratur. Non vos latet, patres, quid jam totos quinque annos publicae pacis hoſtes in Italia moliantur, ex quo, nefaria fraude P. Aloiſio trucidato, Placentia praecipuo Galliae togatae oppido potiti ſunt: quod non contenti praeter jus ac fas occupatum retinere, et ſive Farneſiis ſive eccleſiae Romanae ademptum praeſidio munire, etiam Parmae inhiare coeperunt; quam cum a Paulo III, qui eam eccleſiae reddere in animo ſemper habuit, extorquere nulla vi, nulla arte hactenus potuerint, nunc demum aperto marte invadere conantur. Atqui rex, qui pacem cum parente factam ſibi religioſe colendam ſtatueret, ea omnia, quamvis magno ſuarum in Italia rerum diſpendio, modeſte diſſimulavit, et quibus rationibus potuit inimicorum conatus retundere nulloque motu excitato irritos reddere ſatis habuit, donec, Paulo extincto, et Julio III in ejus locum ſuffecto, ſpes tranquillioris rerum ſtatus affulgere viſa eſt. Is enim ſtatim initio pontificatus, Parmam, quam Camillus Urſinus huc uſque Romanae ſedis nomine tenuerat, Octavio reſtituit, et gubernatoris eccleſiae titulo, nihil ſuperiorum temporum deminuta dignitate, ornavit, ſummum in eo gratitudinis et pacis ſtudium prae ſe ferens. Sed cum Parmam, vicino tam formidoloſo hoſte, non niſi praeſidio teneri poſſe cenſeret Julius, in eamque rem initio pecuniam libenter contuliſſet, mox, ex qua cauſa incertum, ſententiam mutavit, alienoque ſe prorſus ab Octavio animo eſſe oſtendit, collatione in poſterum negata, et communicatis cum hoſte conſiliis.

Itaque

VAR. LECT. [a] hactenus debet *P.D.o.f.*
INTERPR. [a] *Amiot, abbé de Bellozane.* [b] *de Tournon.* [c] *de Selves.*

Itaque Octavius, qui paternae necis auctores ſub ſoceri umbra triumphare, et a pontifice, in cujus tutela erat, ſe deſeri videret, deſperato ſoceri favore, in fraterna adfinitate perſugium quaerere coactus eſt. Quod quamvis neceſſitate potius quam conſilio feciſſe eum conſtet, tamen prudentis fuit, everſis rebus, ad nos confugere; quippe cum avi prudentiſſimi ſenis monitis inſtructus ſciret, adflictis pontificibus et adverſa fortuna jactatis principibus ab omni aevo ſemper in Gallorum amicitia tutiſſimum et fidiſſimum perfugium fuiſſe. Nam hoc Gallorum ingeniis inſitum, ut miſerorum calamitatibus maxime omnium commoveantur, et adflictos contra potentiorum oppreſſionem tuendos ſuſcipiant. Nec alia ſane ſpe Octavius induci potuit, ut opem Chriſtianiſſimi regis imploraret, cum nulla ejus erga nos merita exſtarent, et ipſe ſemper in hoſtium caſtris fuiſſet. Nec alio conſilio rex Octavii precibus aures benignas praebuit, quam ut familiarem majoribus ſuis beneficentiam in ſupplicem exerceret; et Parmam, quam interregni tempore Romana ſedes ab hoſtium molitionibus et inſidiis tutam praeſtiterat, nunc ab injuſta eorundem violentia defenderet, ac Farneſiis, qui eam recenti pontificum beneficio obtinent, conſervaret. Itaque, priuſquam res ad arma deveniret, per [a] Paulum [a] Thermum oratorem ſuum apud pontificem egit, ut Farneſios, quos in clientelam ſuſceperat, conſtanter tueretur, nec eos inimicorum inſidiis et communis hoſtis injuriae expoſitos deſtitueret. Cumque pontifex gratiae nuper factae poenitentia duci prae ſe ferret, et Parmam eccleſiae reſtitui debere contenderet; rex, quanquam iniquum atque adeo indignum exiſtimaret ſemel factam gratiam revocari, et merito in ſuſpicionem adduceretur, non id agi, quod palam teſtaretur pontifex, ſed ut Parma Farneſiis erepta hoſtibus traderetur, tamen, ut quam pacis ſtudioſus eſſet omnibus planum faceret, Octavium hortatus fuerat, ut concordiae ſervandae cauſa in pontificis gratiam de jure ſuo aliquid remitteret; legatoſque ad Octavium miſſos, quid cum illo egiſſent, ſtatim nulla mora interpoſita Julio renunciare juſſerat. Quibus officiis et benevoli animi ſignificatione, tantum abeſt, ut pontificis animus mitigari potuerit, ut contra praecipiti ira incenſus extemplo bellum Octavio indixerit; nec eo contentus, etiam Mirandulam Picorum, qui in noſtra tutela jam tot annos ſunt, oppidum per Jo. Bapt. [b] Montanum fratris filium oppugnaverit; et in oppidanos, qui in ipſius manus inciderunt, omnia crudelitatis exempla, a quibus vel alieni a noſtra religione abhorreant, nullo ſexus reſpectu, exercuerit. Quo quid indignius perſona quam ſuſtinet, quid ab hoc tempore alienius, quid denique injuſtius? nam quid abſurdius, quaeſo, dici vel excogitari poteſt, quam ſacrorum principem, omiſſa ovilis a Deo commiſſi cura, et pacis, quam praecipuo loco habere debuit, ſpretis conditionibus, ad belli conſilia animum convertere; dumque communis hoſtis terra marique orbem Chriſtianum oppugnantis armis omnia circumſonant, inter Chriſtianos, ne ad tuendos fineis conjunctis viribus accurrere queant, diſſidia ſerere; dum pravis opinionibus religio conflictatur, verbi Dominici gladio depoſito, quo ſurgentia zizaniorum plantaria reſecari oportuit, ferrum ſtringere, et ſanctae ſedis beneficiarios indicta cauſa, atque ipſum regem, cujus majoribus priſci aevi pontifices tantum detulerint, bello intempeſtivo perſequi? Quid, quod ad regem allatum eſt, Julium palam dicere, non ſibi, non eccleſiae opibus ad tuendam religionem et in ſublevandorum egenorum uſus comparatis parſurum, ut Octavium in ordinem cogat, et imperata facere adigat? An haec verba eum decent, qui ſe Agni pacifici vicarium in terris, qui ſe ſervorum Dei ſervum honorifico elogio profitetur? Quid ſi Turci haec intelligant? ſi, qui in Germania Proteſtantes appellantur, audiant? Immane quam utrique, hi quidem ad religionem labeſactandam, illi vero ad univerſos Chriſtianos oppugnandos, expeditam viam patefactam exiſtimabunt. At non ea mens, non animus Pauli III felicis memoriae fuit; qui quantumvis privatis charitatibus, ut hoſtes jactant,

VAR. LECT. [a] Cl. V. Paulum P. D o. f.
INTERPR. [a] *de Thermes.* [b] *di Monte.*

CIↃIↃLI. HENRICUS II.

jactant, indulgeret, conſilia pacis ſemper amplexus eſt; nec jam effocta aetate ſenex dubiam valetudinem mari committere dubitavit, quo duos potentiſſimos principes inter ſe conciliaret: eaque de cauſa poſtea [a] Lucam et [b] Buxetum ad Caeſarem quamvis irrito ſucceſſu venit. At enim religionis negotium interea non intermittitur. Hoc eſt, patres, quod praecipue regis Chriſtianiſſimi animum urit: hoc eſt quod maxime ad ſuam et univerſae eccleſiae injuriam pertinere arbitratur; quod eo tempore concilium coëgerit pontifex, quo conjunctis cum Caeſare copiis ipſum bello oppugnat; ne videlicet Gallicae eccleſiae praeſules eo convenire poſſint, quorum ſalutaribus ſententiis ac conſiliis tam in caput quam in membra diligentiſſime anquiratur; quae corrupto uſu in eccleſiam irrepſerunt, emendentur; et emendatis iis, quae in doctrina ac moribus corrupta ſunt, publica eccleſiae concordia ſarciatur. Hoc eſt, inquam, Patres, cujus cauſa me rex ad vos miſit; non ut de injuria bello illato ſibi facta conqueratur: non hoc per meae conditionis hominem, non apud vos deceret; neque enim ille aut potentiorem aut ſuperiorem ſe agnoſcit, cujus opem imploret, a quo jus petat. Satis illi animi, ſatis virium et copiarum eſt, quibus non ſolum hoſtileis impetus propulſare, ſed ipſi ſibi jus dicere, et bello illato efficere poſſit, ut aggreſſores temeritatis et audaciae ſuae poeniteat. Verum ſacra profanis miſceri, ambitioni religionem, inexplebili alieni invadendi cupiditati pietatem, jus rapinis, fas violentiae obtendi indignatur; et eo impudentiae inimicos ſuos poſtremo deveniſſe, ut, cum maxime fallunt, cum fucum hominibus faciunt, tunc doctrinae et morum in eccleſia emendationem conſtituere videri velint. Itaque rex Chriſtianiſſimus et natu maximus eccleſiae filius, his enim titulis a majoribus acceptis merito gloriatur, qui videat ſecum tam implacate et inique agi, cum diſſimulationi amplius locus eſſe non poſſit, me ſuo nomine coram vobis, ſicuti per ſuos legatos Romae jam feciſſe ſcitis, denunciare juſſit, ob excitatum tam iniquum tamque alieno tempore bellum non licere nec integrum ſibi eſſe ditionis ſuae epiſcopos Tridentum mittere, neque habere hunc conſeſſum pro oecumenica et legitime congregara ſynodo; ſed magis, quod literarum nuper traditarum inſcriptio doceat, pro conventu quodam privato, qui non religionis ac reipublicae cauſa, verum in ambitioſorum quorundam compendium ex his turbis captantium gratiam, ſit conſtitutus; ac proinde illius decretis nec ſe nec regni ſui Ordines ullo pacto obligari: contra adhibiturum ea remedia, ſi opus fuerit, quibus majores ſui in conſimili cauſa uſi fuerint. Non enim ignoratis, patres, quid juris Galliae reges jam a primis temporibus, cum nobiliſſimum regnum fundatum eſt, quantumque in rebus ſacris ſibi jure ſuo ſumpſerint; quamque poteſtate illa ſua non licenter ad religionem evertendam abuſi, verum ad tuendam eam et vindicandam a tyrannide libertatem Chriſtianam hactenus pie ſemper ſint uſi. Nota ſunt Clodovei et Childeberti temporibus habita concilia: nota ſunt Caroli Magni, cui et ejus parenti magnitudinem ſuam Romani pontifices debent; nota Ludovici pii de religione decreta. Cum vero temporis ſucceſſu pontifices poteſtate legitima abutentes avare in eccleſia graſſarentur, Ludovicus IX, is qui ob pietatem et vitae ſanctimoniam eximiam inter Divos referri meruit, generoſe reſtitit; et anno ſalutis CIↃ CCLXVII legem tulit, quae et hodie Pragmaticae nomine circumfertur, qua mos priſcus in eligendis epiſcopis et ceteris praeſulibus intermiſſus revocatur, et ullum eo nomine pontifici Romano tributum pendi prohibetur. Sed rurſus, pervincente eorum ſeu aſtu ſeu potentia, eadem, quae prius, mala invaluerunt; quae poſtmodo Baſileenſis ſynodi decreto omnino ſublata ſunt, et annalia vectigalia ex beneficiis, quae vocant, exigi vetita. Quam ſynodum, quod pontificum nimiam potentiam coërcere videretur, ab ipſis pro falſa habitam, Carolus VII poſtea in regni comitiis [c] Auguſtoriti Pictonum confirmavit edicto, quod vulgo Pragmaticam Sanctionem nuncupant. Eugenius quidem IIII, qui ad concilium Baſileenſe ſaepius a patribus

vocatus

INTERPR. [a] *Lucca, ou Lucques.* [b] *Buſſeto.* [c] *Poitiers.*

vocatus eo venire detrectaverat, io ſua cauſa judex, irritum illud et ut ſchiſmaticum CIƆIƆLI.
pronunciavit: et Aeneas Silvius [a] Picolomineus, qui praecipui ſcribae munere in coo- HENRICUS II.
cilio [b] Baſileenſi functus eſt, cum poſtea ſummus pontifex creatus eſſet, ſumpto Pii II nomioe, illud omnium maxime improbavit; miſſoque ad Ludovicum XI Caroli VII filium legato, quamvis primaria Pariſienſis curia et theologorum ſchola reclamaret et contra conteſtaretur, tandem impetravit, ut ſanctio illa aboleretur, conſultore Joanne [c] Balva cardinali: verum hujus ſacti ntrumque poſtea pocoituit; regem quidem, qui ea re magoum ſe in regno detrimentum accepiſſe ſenſit; cardinalem vero, ob moleſti carceris diuturnitatem, in quem propterea a ſagaciſſimo rege conjectus creditur. Quas autem ioimicitias eam ob rem cum Ludovico XII optimo principe Julius II exercuerit, vos ſcitis, et utinam non adeo recens eſſer memoria: nam nomen illud tunc Galliae inviſum, vereor, ne nunc etiam ſatale ſit. Poſtea Leo X cum Franciſco tranſegit: et, quamvis inſtrumenta ea de re confecta fuerint, ſanctio tamen illa adeo apud nos in omnibus regni curiis et rheologorum noſtrorum collegiis religioſe etiam hodie colitur, ut eam ſervaturos ſe jurejurando ioterpoſito promittant. Viderint ergo, qui paci eccleſiae conſultum volunt; et pro ſua prudentia pontifex ejuſve melius conſulti ſucceſſores provideant, ur occulram haoc et latentem ſciſſuram aliquando reſarciant. Cum haec vobis Chriſtianiſſimus rex per me dicit ac denunciat, hoc etiam dictum intelligir, ſe ſemper erga religionem, quam a patribus hauſit, et ſedem Romanam, quam majores ſui coluerunr, defenderunt, auxerunt, ſincero et pararo animo futurum; oeque commiſſurum, ur ejus fidem, cultum et amicitiam praeſens vel veotura aetas deſiderare poſſit: ſed in has anguſtias publicae tranquillitatis hoſtium vi fraudulenta adductum, ut, niſi ſibi et reipublicae deeſſe velit, aliud praeſtare non poſſit: itaque nec inaneis in juſta cauſa minas ac cenſuras extimeſcere; quas alioqui, ſi iniquam cauſam foveret, pius princeps merito exhorreſceret: multo minus proſcriptiones reformidare, qui ſciat, quid olim univerſi regni Ordines Lutetiae ſub Philippo Pulchro, et Pariſienſis theologorum ſchola contra Bonifacium VIII decreverit; qoid ſub Carolo VI contra Benedictum; et poſtea contra Julium II ſub eo, de quo modo diximus, et cujus adeo jucunda ac venerabilis inter Gallos etiam hodie memoria viget, Ludovico XII. Igitur, cum tam juſta arma induerit, ram juſtas hujus actionis cauſas habeat Chriſtianiſſimus tex, poſtremo a vobis petit, ut, quidquid a me ipſius juſſu dictum eſt, aequi bonique conſulatis, et conteſtationem hanc, quam ſcripto exhibiturus ſum, in acta teſerri jubeatis, hujuſque actionis documentum mihi ejus nomine impertiamini, quo ceteros orbis Chriſtiani principes ac civitates de re tota certiores faciat. Audito legato, patres fore dicunt, ut in proximo conſeſſu reſpondeatur, dummodo rex concilium legitime Tridenti coovocatum fuiſſe agnoſcat: quae vero nunc acta ſint, ooo admittere ſe, oiſi quantum jure liceat; ideoque ejus actionis documentum communicari noo poſſe.

VIII. INTEREA io Gallia rex edictum promulgat, auctore aut certe cooſultore [d] Joan. Tilio curiae Pariſienſis protoootario, moris noſtri et juris Gallici homine periſſimo; quo, commemoratis regum Galliae erga pootifices Romaoos meritis, et recenti Julii III injuria, qui ad hoſtium regni libidinem poteſtate ſua abutatur, poena capitis et publicationis bonorum conſtituta prohibetur, ne qua pecunia ob ullam cauſam deinceps Romam, aut alium quemvis in locum, ubi Romanus pontifex poteſtatem obtineat, deferatur: cum enim rerum omnium ac praecipue belli gerendi nervus in pecunia conſiſtat, immanis futurum hoc dementiae, ſi ſuis ſuorumque opibus adverſarii vireis aleret, et injuſtam potentiam confirmaret. Fuit hoc edictum in ſenatu Lutetiae recitatum VII Eid. Septembreis, ac deinde publice locis urbis frequentioribus per praecooem perlectum, cum paulo ante IIII Non. ejuſdem menſis graviſſimum

INTERPR. [a] *Piccolomini.* [b] *de Baſle.* [c] *de Balue.* [d] *Du Tillet, greffier du parlement.*

CIƆIƆLI. HENRICUS II.

viſſimum ac ſeveriſſimum edictum, [a] Caſtrobriandaeum, a loco in Armorica, in quo factum eſt, vulgo dictum, contra haereſim et de ea ſuſpectos promulgatum fuiſſet, laudante et approbante Petro [b] Seguierio, qui regium patronum agebat; et antea XIX Kal. Febr. lex regia de [1] Matthaei [c] Orrii pravitatis haereticae quaeſitoris poteſtate ac munere in ſenatu recitata. [d] Bellozani legati, ut par eſt, oratione ac mox edicto regio ultra modum offenſi patres reſponſum in III Eid. Octobr. diſtulerunt; quo interea de re tota ad pontificem perſcriberent, et ejus voluntatem exquirerent: qua die cum non compareret Bellozanus, patres ſcriptum evulgant, quo indictum legitime concilium et juſtas ejus indicendi cauſas eſſe demonſtrant; neque privatae quorundam utilitatis gratia factum, verum ut pullnlantibus non ſolum per Germaniam ſed per omnem fere Europam pravis de religione opinionibus tempeſtivum afferretur remedium: petere igitur a Chriſtianiſſimo rege, ut ſuae ditionis epiſcopis ac theologis per eum liceat Tridentum venire, ut communibus operis et conjunctis ſtudiis tam ſanctum opus, quod ad Dei gloriam pertineat, adjuvent et promoveant: quod ſi per eum minime liceat, non idcirco minus conſtituram concilio ſuam dignitatem et auctoritatem: quod vero uſurum ſe remediis ſignificarit, quae majores ſui in conſimilibus cauſis uſurpaverint, non exiſtimare ipſos eo regem progreſſurum, ut, quae magno ſuo ac totius regni compendio et ornamento ſemel ſublata et abrogata ſint, tanto eccleſiae detrimento ac dedecore velit revocata: orare igitur, ut parentis Franciſci veſtigiis inſiſtat, qui ſuperiori ſynodo graviſſimos viros tam epiſcopos et theologos qnam legatos ſuos intereſſe voluerit; et privatas potius reipublicae offenſiones condonet, quam committat, ut, dum privatis affectibus indulgere aequum ducit, regni ſui ſtatum et eccleſiae tranquillitatem in periculum vocare videatur.

IX. JAM antea pontifex X Kal. Junii literas peramanter ſcriptas ad Helvetios dederat; quibus revocata Julii II, qui eos ſumma charitate amplexus erat, cujuſque nomen ipſe renovaverit, memoria, eodem ſe animo erga ipſos eſſe oſtendit, [α] aſcito ex ipſorum numero ad ſui corporis cuſtodiam ſatellitio, et [e] Bononiae nuper ex ipſis impoſito praeſidio: nunc hortari ipſos, quoniam ad concilii celebrationem conjnnctio magni momenti futura ſit, nt eo legatos ad Kal. Septembr. mittant, cetera plenius intellecturi ex Hieron. Francho legato ſuo, cujus fidem et diligentiam jam a multis annis exploratam habeant, et quem brevi aliquis ex intimis ſuis epiſcopis ſubſecutnrus ſit, qni de concilio cum ipſis agat prolixius. Verum rex [β] [f] Morlaco Muſaeo ſuo apud Helvetios legato negotium dederat, ut, quoquo modo poſſet, ne legati ab iis Tridentum mitterentur, impediret. Is, quod rem difficultatibus implicatam cerneret, Paulum Vergerium epiſcopum olim [g] Juſtinopolitanum ex [h] Rhaetis, quo [i] Patavio nuper ſe contulerat, accerſit, ejuſque opera uſus et monitis inſtructus ad Badenſem conventum proficiſcitur; ubi rationibus ſuis et argumentis perfecit, ut non ſolum iis, qui a pontifice defecerant, ſed etiam ceteris Helvetiorum pagis quod vellet perſuaderet. Continuoqne Rhaeti Thomam [k] Platum Curienſem epiſcopum eo profectum revocant, quod a Vergerio admoniti intellexiſſent, id agere pontificem, ut auctoritatem ſuam per illum apud ipſos recuperaret. In Germania ſegnius agebatur, confeſſionis Auguſtanae ſociis, quibus idonee a Caeſare cautum fuerat, ſive quod de negotio deſperarent, ſive quod Caeſaris offenſionem metuerent, et animi eorum in aditu periculi remolleſcerent, minime inter ſe conſilia communicantibus. [l] Argentinenſes, quod viciniores eſſent, a longinquioribus civitatibus, quid facere decreviſſent, per internuncios exquirunt. Et Mauritius quidem per Philippum Melanchthonem, Wirtembergicus vero per Jo. [m] Brentium doctrinae capita conſcribi juſſerant:

VAR. LECT. [α] cujus rei jam ſpecimen dederat, aſcito *P. D. o. f.* [β] Morlco *P. D. o. f. d. et R. Steph.*

INTERPR. [a] *Chateau-briand en Bretagne.* [b] *Seguier.* [c] *Orri.* [d] *Amiot, abbé de Bellozane.* [e] *Bologne.* [f] *Morlay du Muſeau.* [g] *capo d'Iſtria.* [h] *Griſons.* [i] *Padoue* [k] *Planta, evêque de Coire.* [l] *Straſbourg.* [m] *Brentzen.*

NOT. [1] *Mathurini* Put.

rant: confeċtique libelli prorſus inter ſe conſentientes; ſed ſeparatim, quod verere-tur Mauritius, qui huc uſque in diſſimulatione perſeverabat, ne, ſi ſimul eandem omnes ſocii confeſſionem exhiberent, Caeſariani in ſuſpiciooem factae foederationis adducerentur. Argentinenſes poſtea conſentaneum illis ſcriptum ediderunt. Dein Mauritius VII Kal. Sextil. ad Caeſarem dat literas; quibus fide ab ipſo data ſibi abunde cautum ſignificat: ſed, quod plerique ioaudiverint, a Conſtantienſi concilio decretum eſſe, ut in haereticos, qui ad coocilium veoerant, animadverteretur, etiamſi ipſis a Sigiſmundo Caeſare cautum eſſet, idque Jo. Huſſi Bohemi periculo comprobatum fuiſſe; propterea petere, ut iis, qoos miſſurus ſit, etiam patres caveant, ſicuti concilio Baſileenſi, quod proxime Conſtantieoſe ſecutum eſt, factum fuerit, quod aliter Bohemi eo venire detrectarent. Qua de re cum Caeſar ad patres per legatos retuliſſet, illi IV Eid. Octobr. ſumpta occaſione ex diſputatiooe de Euchariſtiae ſub utraque ſpecie perceptione, quia de his quaeſtionibus Proteſtantes cupiant, antequam quidquam decernatur, audiri, et publica fide ſibi caveri, in VI ante Kal. Febr. diem earum definitionem rejecerunt, edita interea publicae cautionis formula negligenter et frigide, uti Proteſtantes aiebant, concepta, nullo adhibito ſigno vel teſtimonio publico; nec ea denique forma, qua Bohemis Baſileeoſi concilio cautum fuerat, quaque ſuis caveri Mauritius poſtulaverat: ſiquidem in ea tantum appoſitum erat, licere omnibus in genere Germanis ad coocilium accedere, deque rebus in eo tractandis in pleno cooventu vel cum delectis libere, quae videbuntur, oratione vel ſcripto abſque contentione et coovitiis proponere, conferre, agere, ac denique cum volent diſcedere et domum reverti; hoc nomine ſynodum, quantum ad ipſam pertineat, publica fide cavere: licere denique, ut pro admiſſis et admittendis delictis, etiamſi graviſſima ſint et haereſim ſapiant, pro ſuo arbitratu ipſi ſibi judices ſumant. Ad X deinde Kalend. Decembr. Chriſtophorus [a] Straſius juriſ-conſultus, Joachimi Brandeburgici ſeptemviri legatus, magoa circumſtantium patrum voluptate auditus eſt, quod praeclara omnia de egregia heri ſui in cauſa religionis voluntate prolixe commemoraret, et officium ſuum atque obſequium ſynodo, cujus ſe decretis ſummittebat, deferret. Id tam prompto animo ab eo factum Proteſtantes ſcripſere, quod, praeterquam quod natura ſua ad concordiam ferebatur, in adeptione archiepiſcopatus Magdeburgenſis, qui, mortuo Jo. Alberto, Friderico filio a collegio deferebatur, pontificis gratia egeret, qoi huc uſque in eo negorio tergiverſatus fuerat, quod Joachimus ſeptemvir Saxooicae confeſſionis ipſi ſuſpectus eſſet. Interim Wirtembergici legati Tridentum veniunt ſub exitum Octobris, Theodoricus [b] Pleningerus et Jo. [c] Heclinus: quibus mandatum erat, ut confeſſionem ſcripto comprehenſam publice exhiberent, et veoturos theologos dicerent, modo ipſis juxta Baſileenſis concilii formulam idonee caveretur. Cum Monfortium comitem, Caeſaris legatum, conveniſſent, et, exhibito diplomate, quid io mandatis haberent, expoſuiſſent, ille ante omnia legatum pontificium ipſis adeundum perſuadere conatur: verum ii veriti, ſi cum legato pontificio rem communicaſſeot, ne eo ipſo jus illi ac praecipuam cognoſcendi auctoritatem tribuere viderentur, magno fortaſſe cauſae ſuae praejudicio ac diſpendio, ſuſtinoere judicium, dum datis ad Wirtembergicum literis, quid fieri in eo vellet, ex ipſo intelligerent. Paulo poſt X Kalend. Decembris, Jo. Sleidanus Argentinenſium legatus, harum rerum diligens ſcriptor, venit, ut cum Mauritiaois ac Wirtembergicis communem cauſam ageret. Huic civitati adjunxerant ſe [d] Eſelioga, [e] Raveſpurgum, [f] Rotelinga, [g] Biberaeum, [h] Lindavia; et Sleidano, ut ſimul ſuo nomine ageret, poteſtatem fecerant. [i] Norimbergici, ſicut nuper in bello Germanico, Caeſaris offenſionem veriti, medios ſe gerebant. Eorum exemplo Francofurtenſes ſapientiores poſt periculum effecti, quamvis eandem quam alii doctrinam amplecte-rentur,

INTERPR. [a] *Straſſen.* [b] *Plenninger.* [c] *Hetchin.* [d] *Eiſlingen.* [e] *Ravenſburg.* [f] *Reutlingen* [g] *Biberach.* [h] *Lindau.* [i] *Naremberg.*

CIƆIƆLI.
HENRICUS II.

rentur, nullos legatos eo miſerunt. [a] Auguſtaoi nullos habebant, quos mitterent, expulſis jam ante doctoribus. [b] Ulmenſes vero juxta praeſcriptam a Caeſare formnlam vivebant. Interim a Wittembergico literae veoerunt; ſed ſerius, quam ut ad VI Kal. Decembr. uti jubebantur, in conſeſſu publico coofeſſio exhiberi poſſet. Igitur legati cardinalem Tridentinum adeunt, quod [c] Monſortius abeſſet; et pro communis patriae charitate et amicitia, quae ipſi cum principe ſuo intercedebat, ut publice audiantur, poſtulant. Ille, re cum legato pontificio communicata, literis etiam mandati, ut majorem fidem faceret, exhibitis, reouociat, indignari ipſum, quod, qui doctrinae regulam et modum accipere humiliter atque obtemperare deberent, ſcriptum ullum offerre et majoribus ſe quaſi praeſcribere quidquam auderent. Ita legatos ad Franciſcum [d] Toletanum remittit; a qoo variis ludificationibus extracto tempore, dum interea etiam [e] Argeotinenſes a Gul. [f] Pictavio pari arte eluduntur, nihil eo anno ab iis impetrati potuit. Pootifex ſub id tempus XIII cardinaleis omnes Italos creat, tutum potentiae ſuae munimentum; quod a Germanis et Hiſpanis epiſcopis ac theologis ſibi metueret, ne, cum de morum emendatione ageretur, auctoritati pontificiae detrahi patereotur.

X. BELLI autem Parmenſis ſaepius antea a nobis commemorati, quod ſecum mox Subalpinum ac Belgicum et inſequenti anno Germanicum traxit, effecitque, ut occultae inter aemulos principes jam a multo tempore ſimultates in apertas prorumperent inimicitias, haec origo fuit. Poſt P. Aloiſii caedem, cum Pauli III animus in diverſas parteis taperetur, et inde vindicta aeſtuaret, hinc ſuorum ſaluti ac fortunis metueret, poſt loogas et cootumelioſas Caeſaris miniſtrorumque ejus ludificationes, poſtremo in cogitatione de Parma eccleſiae reſtituenda et compeoſatione accipienda acquieverat: ideoque Parmae praefectis mandaverat, ne Octavium in urbem aut in arcem reciperent; quod provideret fore, ut is jam Caeſari adfinitate conjunctus facile cum illo reconciliaretur, et tandem, uti jam [g] Placentina, ſic mox Parmenſi ditione ſpoliaretur. Nam Ferdinandus Gonzaga, qui caedis auctor, ſaltem conſcius fuerat, cum Placentiam occupaſſet, eamque Caeſari retinendam eſſe omnino perſuaſiſſet, hoc etiam perſuaſerat, ſi Mediolanenſe imperium et res ſuas ſalvas in Italia vellet, Parmam Farneſiis quoquo modo eripi oportere; ſive privati periculi ratione commotus, ſive quod irritatis et offenſis Farneſiis Caeſarem minime fidere debere arbitraretur: utque Caeſaris animum per ſe ad ea cooſilia pronum magis incenderet, pontificem cum Gallis moliri etiam alia, et de Parma [h] Horatio alteri ex oepotibus jam adfinitate nobiſcum juncto tradenda cogitare, per [i] Graovellanum conſilii de tollendo P. Aloiſio participem, eidem perſuaſerat: qua ſama ſparſa id etiam adſecutus fuerat, ut non tantum Caeſarem teſtitantem incitaret, ſed et Octavium ob eam ſuſpicionem cum Horatio fratre committeret, ſicque pootificis conſilia diſturbaret atque irrita redderet. Cumque ſub id tempus Paulus deceſſiſſet, et novus pontifex Parmam Octavio reſtituiſſet, Gonzaga, qui hominis inimici adeo vicini poteotiam ſuſpectam haberet, eo diligentius apud Caeſarem agere, ut Italiae ſecuritati conſuleret; pontificem prenſare, et Jo. Baptiſtam [k] Montanum Balduini fratris filium ſpe ampliſſimorum munerum implere; ad haec diditis rumoribus nutantem Caeſaris animum impellere, et vi adacta ad bellum praecipitare. Violenter admodum in Italia et Germania paſſim omnia a Caeſaris mioiſtris agebantur. Nam Gonzaga ſub nomine Caeſaris capitaleis inimicitias palam cum Farneſiis exercebat, et, oe cum eo reconciliari poſſent, impediebat: nec minus iojurioſe Didacus Hurtadus Mendoza cum Coſmo Florentinorum duce ſe gerebat; qui, oon contentus datam fidem de tradenda Plombinenſi ditione minime praeſtare, eo amplius paſſim et palam jactabat, arcem Senis nuper a ſe aedificatam non tam civium cervicibus quam toti Etrutiae impoſitam eſſe, ut

Coſmum

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *Ulm.* [c] *le comte de Montfort.* [d] *de Tolede.* [e] *ceux de Strasbourg.* [f] *de Poictiers.* [g] *Piacenza.* [h] *Horatio da Farneſe, duca di Caſtro.* [i] *le chancelier de Granvelle.* [k] *di Monte.*

Coſmum in officio contineret. In Germania vero poſt [α] mortem Nic. Granvellani ſumma rerum ab unius [a] Atrebatenſis ejus filii arbitrio pendebat. Is fraudis in detinendo Heſſo artifex et auctor, ne, quaotumvis inſtantibus Mauritio et Brandeburgico ſeptemviris, et principibus ac totius Germaniae Ordinibus deprecantibus, cum liberaret, iiſdem artibus effecerat; pervicceratque, ut Caeſar potentiſſimorum ac de ſe optime meritorum principum juſtam in ſe offenſionem concitare mallet, quam committere, ut conſilii de retinendo Heſſo poenitere videretur: quod quam initio probroſum, tam poſtremo ejus in Germania rebus exitioſum fuit. Penes eos treis animus Caeſaris et conſilia erant: mutuiſque operis et officiis inter ſe colligati non ſine manifeſta multorum offenſione rempublicam adminiſtrabant. Coſmus, qui rebus ſuis bella in Italia ſumme officere judicaret, diſſimulato dolore et injuria, medium ſe interponebat, et cum Farneſiis omnia amicitiae officia exercebat; ſuamque operam enixe pollicebatur, ne deſperatione adacti ad extrema conſilia revolverentur. Itaque cum pontifice ſedulo agebat, ne Farneſios deſereret; qui, ſive a Jo. Baptiſta perſuaſus, ſive quod crederet Octavium in ſpeciem conſilia cum Gallis agitare, ut Caeſari ſuſpicione ex eo injecta meliore conditione cum illo decideret, Coſmi monita negligebat, et Caeſarianorum conſiliis, ſpreta amicitia noſtra, aureis praebebat. Sub id tempus Diana regis filia, jamdiu ante contractis ſponſalitiis, Horatio Caſtrenſium duci nupſit: miſſuſque Flaminius [b] Stabia, qui cum Octavio, et Alexandro ac Ranutio cardinalibus ejus fratribus ageret, et ampliſſimas utrique nomine regis conditiones offerret. Interea Gonzaga, qui inopia commeatus Parmam ad deditionem compellere apud ſe ſtatuerat, vicina loca praeſidiis impoſitis et feſtinato opere muniebat: et quo minus ad victum neceſſaria in urbem comportarentur, omnem trans [c] Tarrum regionem infeſto milite occupabat. Parte alia pontifex ſumptuum pertaeſus amplius pecuniam in Parmae praeſidium conferre recuſabat. Quibus difficultatibus cum conflictaretur Octavius, poſtremo Romam M. Antonium [d] Venturium mittit; qui per Coſmi legatum ad pontificem introductus, cum miſerum Octavii rerum ſtatum, quaſque in anguſtias inimicorum calumniis apud Caeſarem quotidie cum traducentium conjectus ſit, coram multis verbis expoſuiſſet, ſe eo miſſum oſtendit, ut ad pedes ipſius provolutus opem contra vim injuſtam imploret; quando contra tam infeſtos hoſteis ſuis ſe viribus et copiis tueri non poſſit, ſed alienis opibus ac potentioris alicujus clientela egeat. Cum ad haec pontifex reſpondiſſet, ſuas res non ferre, ut diutius ſublevandae ſupplicis fortunae commodare poſſit; ac licere per ſe, ut, quod ipſi expedire videatur, id faciat: Hoc accepto reſponſo, Octavius liberum ſibi exiſtimans cum bona pontificis gratia in clientelam cujus velit principis fortunas ſuas committere, protinus cum rege paciſcitur in has conditiones: primo, ut CIƆ IƆ pedites, quorum Paulus [e] Vitellius praefectus eſſet, CC levis armaturae equites praeſidio urbis aleret, VIII CIƆ aureorum penſionis loco quotannis penderet; damna, quae Alexander et Ranutius cardinales hujus foederis cauſa in bonis ſuis acciperent, aliis in regno attributis poſſeſſionibus ac penſionibus ſarciret; deinde, ut neque rex cum Caeſare conveniret, niſi Octavius comprehenderetur, neque Octavius Caeſari reconciliari, niſi de regis conſenſu poſſet: poſtremo addita ſolemnis clauſula, ut nullum pontifici ſedive Romanae praejudicium hoc foedere ab utraque parte factum intelligatur. Haec ita inter eos ſecreto [f] Amboſiae in Turonibus per Carolum cardinalem Lotharingum et Franciſcum Guiſium fratres, Annam Momorantium magiſtrum equitum, et Santandreanum, regis procuratores, et Horatium Octavii fratris nomine acta V Kalen. Junii. Hujus foederis quamvis ſecreti obſcura primum fama cum ad pontificis aureis perveniſſet,

VAR. LECT. [α] mortem Granvellani patris *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *l'évêque d'Arras.* [b] *da Stabbia.* [c] *il Taro.* [d] *Venturi.* [e] *Vitelli.* [f] *Amboiſe en Touraine.*

CIↃIↃLI. HENRICUS II. perveniſſet, ille ab Alexandro cardinale quaerebat, ecquid Octavio fratri cum rege conveniſſet: cumque Alexander reſponderet, ea de re quidem inter parteis actum eſſe, ſed, an adhuc confectum omnino negotium ſit, neſcire; [a] Petrum Camojanum ad Octavium, et eodem tempore epiſcopum [b] Fanenſem ad Caeſarem mitti placuit. Camojano datum negotium erat, ſi res adhuc integrae eſſent, ab Octavio impetraret, ut fidem ſcripto obſtringeret, cum rege ſe non tranſacturum, donec pontifex a Caeſare reſponſum accepiſſet. Ea ſpe Fanenſis cum componendae rei rationem initurus ad Caeſarem adiiſſet, Caeſar per [c] Atrebatenſem, qui cuperet ex hac occaſione bellum naſci, quo alienato a regis partibus pontificis animo Octavius Parma ſpoliaretur, et Gonzagae ac Mendozae deſiderio ſatisfieret, ampla et magnifica omnia pollicetur: et, ſi bellum pontifex, quod jure poſſet, adverſus Octavium ſuſciperet, copias a regno [d] Neapolitano et [e] Inſubtribus optime inſtructas offert. Serius Fanenſis, in aula Caeſaris aliquanto tempore retentus, ad pontificem rediit, jam Camojano, qui Parmam miſſus fuerat, reverſo; qui ab Octavio reſponſum retulerat, ſibi non integrum eſſe pontificis voluntati ſatisfacere: jam enim cum rege tranſegiſſe; quod ut in bonam partem accipiat, rogare: nihil enim contra eum ſedisve Romanae auctoritatem actum eſſe: quippe cum id ſibi cum bona ejus gratia et venia licuiſſe exiſtimaverit. Quo reſponſo cum exaſperatum pontificis animum et longe aliter affectum, quam cum ad Caeſarem profectus fuerat, offendiſſet Fanenſis, et prolixe omnia Caeſaris nomine promitteret, Gonzaga et Mendoza ultro etiam, ut juſſi erant, majora vero omnia fingentibus, accedente ad haec Jo. Baptiſta [f] Montano belli impulſore praecipuo, pontifex ilicet ad belli conſilia animum intendit; continuoque Hieron. [g] Dandinum Fori Cornelii epiſcopum familiarem ſuum ad Caeſarem mittit, qui de belli gerendi ratione cum eo ageret, et de auxiliis promiſſis certiorem fidem exigeret. Caeſar, qui ſuorum potius libidini indulgens, quam quod in rem ſuam eſſe judicaret, in bellum adeo intempeſtivum conſenſerat, ubi videt pontificem toto animo per ſe in id ferri, facti poenitentia duci coepit: quia tamen datam fidem honeſte retractare non poterat, aequius ſibi videri ait, ut pontifex prior Octavio tanquam perduelli bellum indiceret; tum ſe ut ſedis Romanae defenſorem de auxiliis appellaret, de quibus ſummittendis, ac praeterea de Parma, ſi quo caſu in ſuas manus veniret, finito bello pontifici reſtituenda, privato ſcripto fidem obligat. Quod eo faciebat, ne pacis, quam ſe colere adhuc dicebat rex, ipſe violator exſtitiſſe videretur, et omnem de Parma retinenda ſuſpicionem amoveret. Itaque pontifex, impellente [α] inſuper Jo. Baptiſta, ſibi abunde cautum ratus, legatum ſuum eundem Jo. Baptiſtam conſtituit, et [h] Bononiam mittit, attributa peditatus cura Alexandro Vitellio; ac Vincentio [i] Nobili ſororis filio negotium dat, ut in [k] Piceno cc levis armaturae equites conſcriberet, eique equitatus pontificii praefecturam attribuit. Quod ubi rex intellexit, protinus e Gallia Horatium generum cum P. Strozzio mittit, cum mandatis, ut Mirandulae, quam Galeoto Pico nuper defuncto Ludovicus ejus filius ſub Gallorum tutela tenebat, copias cogerent; quod inde, utpote e propinquo, immitti auxilia, et commeatus commodiſſime Parmam importari poſſet. Ferdinandus Gonzaga, cui ejus rei cura praecipua et Jo. Jacobo Medicino [l] Meleniani marchioni a Caeſare mandata fuerat, avide in negotium incumbit; deductiſque ex [m] Inſubribus et [n] Subalpina regione Hiſpanorum praeſidiis, [o] Placentiam advolat, et, urbe ac [p] Sandonini pago novis militibus firmato, omnia circa Parmam infeſta reddebat. Ita impellentibus hinc III illis viris Caeſarem, hinc Jo. Baptiſta pontificem patruum, in ſpeciem contra Farneſios bellum ſuſceptum eſt; re vera inter duos potentiſſimos principes coeptum, quod magno deinceps Chriſtiani orbis detrimento uſque ad Henrici II exceſſum continuatum eſt.

XI. Nec

VAR. LECT. [α] ſemper *P.D.o.*

INTERPR. [a] *Piero Camojani.* [b] *di Fano.* [c] *l'evêque d'Arras.* [d] *de Naples.* [e] *le Milanois.* [f] *di Monte.* [g] *Dandino, evêque d'Imola.* [h] *Bologna.* [i] *Vincenzio de' Nobili.* [k] *la Marca d'Ancona.* [l] *Marignan.* [m] *Lombardie.* [n] *Piedmont.* [o] *Piacenza.* [p] *San Donino.*

XI. Nec cauſae aliae utrinque deerant, qnibus alter in alterum culpam rejiciebat. Nam Caeſariani ultro nos Octavii tutelam ſuſcepiſſe criminabantur, non tam ſupplicis defendendi quam belli in Italia atque adeo inter Chriſtianos excitandi cauſa; ob id ipſum ſolicitaſſe Imperii ordines et principes, ut a Caeſare deficerent; neque in concilium, quod ipſorum rogatu Caeſar ad ſarciendam eccleſiae concordiam coëgiſſet, conſentirent; miſſis legatis, qui conteſtarentur, et illud pro irrito Gallos habituros denunciarent. Addebant, et nuper Briſſacum, ut belli occaſionem quaereret, in Subalpina regione coenobium, quod [a]Bargae pagi a Caeſarianis cuſtoditi ditionis eſt, occupaſſe, et feſtinato opere nunc munire; et, quod nos ſumma invidia onerabat, nuper etiam cum Turco in Chriſtiani nominis perniciem foedus iciſſe. Sed noſtri antiquiores et juſtiores multo cauſas adducebant; Caeſarem videlicet, cum [b]Aquitania ſeditionibus arderet, miſſo [c]Burano cum Anglis egiſſe, ut [d]Burdigalenſium tumultuantium tutelam ſuſciperent, et jus, quod in Aquitania armis amiſerant, jure recuperarent: pace ante biennium cum Anglis facta, [e]Santandreano e [f]Britannia redeunti inſidias tetendiſſe; et quaſdam e noſtris naveis per Belgas intercepiſſe: Helvetios, quo minus cum rege foedus renovarent, ſolicitaſſe: Sebaſtianum [g]Vogelſpergum, quod regi militaſſet, prius tormentis cruciatum [h]Auguſtae in Imperii comitiis non ſine regis ignominia ſecuri percuſſiſſe: cum de interceptis in Belgio quorundam negotiatorum navibus apud Mariam [i]Pannoniae reginam querimonia inſtitueretur, legatum eo regis nomine miſſum, jure gentium violato, in carcerem conjectum, et perverſo ordine bona noſtrorum [k]Antuerpiae fiſco adjudicata eſſe: poſtremo, Caeſarem Carolo [l]Marillaco Venetorum epiſcopo apud ipſum oratori injurioſe interminatum, fore, ſi res ad arma devenirent, ut regem ad minimi ex ſuis conditionem redigeret. Antequam tamen extrema tentarentur, Alexander cardinalis a pontifice ad Octavium fratrem mittitur, qui eum, ut foederi cum Gallis inito renunciaret, hortaretur, et Parma eccleſiae reſtituta [m]Camertium ditionem compenſationis loco cum honorifica penſione acciperet. Is, quod invitus faceret ut Romae inter infeſtos homines verſaretur, libenter paruit; non tam quod, rebus non amplius integris, quidquam ſe ab Octavio impetraturum ſperaret, quam ut honeſtam diſceſſionis cauſam haberet. Erat illi animus in Galliam proficiſci, et [n]Avenionem, cujus legationem obtinebat, ſecedere: ſed ne videretur omnino ad Gallorum parteis tranſiiſſe, ex Coſmi conſilio, quem in itinere Florentiae convenit, poſtquam apud Octavium nihil pontificis minas et Coſmi ac ſua monita valere intellexit, ad Urbini ducem, qui Victoriam ſororem in matrimonio habebat, divertit, comitibus [o]Bacio Cavalcantio et [p]Hieronymo Piſano Florentinis, quorum praecipue conſilio utebatur. Miſſus et Joan. Angelus Medicinus cardinalis [q]Meleniani frater, et mox cum Ranutio Octavii fratre Sfortia [r]Sanflorianus cardinalis; qui [s]Regii Lepidi, quo Hercules Ferrarienſium dux cum Octavio et Dandino venerat, collocuti ſunt. Cum Octavius paratum ſe aequis conditionibus tranſigere diceret, et Aſcanius [t]Cornaeus a pontifice ad regem miſſus eadem ab eo reportaret, neque propterea quidquam, ſubinde naſcentibus difficultatibus, efficeretur, Caeſariani et pontificii ita interpretabantur omnia, quaſi id ageretur, ut, dum per colloquia ab armis ceſſatio fit, tempore extracto meſſis colligendae ſpatium obſeſſis concederetur: itaque de meſſe, antequam matureſceret, corrumpenda conſilium a Gonzaga initum exſequi placuit. Interea cardinalis [u]Turnonius, qui regis negotia in Italia procurabat, et Paulus [x]Thermus orator regius, cum nihil a pontifice impetrare potuiſſent, Roma diſcedunt, et itineribus diverſis, ille Venetias, hic Mirandulam, ubi copiae regiae conveniebant, proficiſcitur. Medium ſe eo in bello gerebat

Coſmus;

INTERPR. [a] *Barges.* [b] *Guienne.* [c] *Maximilian d'Egmond, comte de Buren.* [d] *ceux de Bourdeaux.* [e] *le mareſchal de St. André.* [f] *Angleterre.* [g] *Vogelſpergen.* [h] *Augsburg.* [i] *Hongrie.* [k] *Anvers.* [l] *de Marillac, evêque de Vannes.* [m] *Camerino.* [n] *Avignon.* [o] *Baccio Cavalcanti.* [p] *Girolamo da Piſa.* [q] *Marignan.* [r] *di Santafiore.* [s] *Reggio.* [t] *della Cornia.* [u] *de Tournon.* [x] *de Thermes.*

CIↃIↃLI.
HENRICUS II.

Coſmus; qui, quamvis a Caeſarianis indignum in modum habitus, pacis conſilia, cum novo principatui firmando neceſſaria, et Caeſarem colebat: nihilo tamen minus rebus noſtris favere creditus, ob injurias a Mendoza acceptas; ex eoque praecipue, quod Horatium et Aurelium [a] Fulgoſium, qui, ut citius in Galliam Ciſalpinam pervenirent, conſcenſis Sfortiae Sanfloriani triremibus [b] Maſſilia ſolverant, et, cum tempeſtate jactati curſum non tenuiſſent, in [c] Etruriam naufragi disjecti fuerant, a Bartholomaeo [d] Poggio captos, quamvis pontificis hoſteis, cum triremibus, armis et omni ſuorum ſupellectile libertati reſtitui et honorifice [e] Caſtellum-novum uſque in Carſinianam vallem deduci incolumeis, curaverat. Ea humanitate mutatam Coſmi voluntatem et ad amicitiam noſtram inclinare cum pleriſque perſuaſum fuit: gratiaeque ipſi a rege reginaque eo nomine habitae. Gonzaga igitur, qui videret Caeſarem jam conſilii poenitere, et pontificem per cardinaleis intermedios ac Coſmum inprimis concordiae viam tentare, atque interea meſſis paene maturae tempus inſtare, praevertendum duxit, et bello illato loca commeatui intercipiendo et meſſi corrumpendae idonea occupare. Primus impetus in [f] Brixellum factus, caſtellum Regienſis atque adeo Ferrarienſis ditionis, quod inter [g] Caſallum majus, et agrum Mantuanum, unde copioſus commeatus Parmam importabatur, jacebat: id Kal. Maii ab Alvaro Luna Cremonenſis arcis praefecto noctu cum IↃC profecto interceptum eſt, oppidanis ſe defendere non auſis. Cum de eo quereretur Ferrarienſis, Gonzaga Regienſem ditionem ad Imperium pertinere reſpondebat; ideoque teneri praeſidium Caeſareum accipere. Jamque omnia in armis erant, et Joannes Baptiſta V CIↃ peditum majorem partem ex Etruſcae militiae flore conſcripſerat: ad CC levis armaturae equites, quibus Vincentius [h] Nobilis praeerat, alii C ſe adjunxerant duce [i] Troilo comite Roſſio. Cum iis copiis Jo. Baptiſta [k] Bononia profectus fuerat, ut ſe, tranſmiſſo [l] Anitia, cum Gonzaga conjungeret, qui jam [m] Placentiam venerat cum Meleniano Caeſarei exercitus legato; eoque tormenta, falces, marras et cetera ad corrumpendam meſſem neceſſaria inſtrumenta comportari juſſerat. In exercitu erant X Hiſpanorum vexilla, ac totidem Italorum; quos Gonzaga, quaſi de Briſſaco ſecurus, ex [n] Inſubribus alieno maxime tempore deduxerat; et CCC levis armaturae equites cum III cataphractorum alis optime inſtructis. In itinere [o] Nocetum in agro Parmenſi, quod ab Octavio tenebatur, ejus qui praeerat ignavia, cujus poſtmodo poenas luit, Gonzagae deditur. Hoc facto de pace tractatus hactenus a Ferrarienſi, cui ob viciniam bellum illud maxime detrimentoſum erat, et a Sanfloriano cardinali habiti turbantur. Jam P. Strozzius cum Cor. Bentivolio alia via per Helvetios et Rhaetos Mirandulam pervenerat; atque inde Aurelius Fulgoſius [p] Piſaurum ad Urbini ducem Octavii ſororium miſſus, ut II CIↃ peditum in [q] Umbria conſcriberet, in itinere a Ravennae legato captus, et poſtea e Caeſaris [r] Raſponii, cui in cuſtodiam datus fuerat, manibus elapſus, copias adduxerat: quae cum per agrum Bononienſem licentioſe ſe effunderent, pontifex, qui Bononiae metuebat, Camillum Urſinum urbi impoſuerat, ſed cum minore praeſidio quam quo noſtrorum populationes impedire poſſet. Dum in eo eſſent exercitus foederati, ut conjungerentur, Octavius III vexilla in urbe conſcribit, ducibus [s] Taliaferreae, [t] Baiardae et [u] Cariſſimae praecipuarum populi familiarum principibus, qui Mirandulam ad Strozzium proficiſcerentur, honeſto praetextu, ut quos ſuſpectos haberet, urbe emitteret. Illi cum, pontificio veniente exercitu, et [1] Sabelli, qui nunc [x] Secchia dicitur, oram legente, in Jo. Baptiſtam, qui primam aciem ducebat, incidiſſent, acriter utrinque pugnatur; pejore tamen urbanorum conditione, deſiderato Baiardo, et Mercutio Taliaferreo graviter vulnerato, et equitibus fere omnibus captis.

Nec

INTERPR. [a] *Fregoſe.* [b] *Marſeille.* [c] *la Toſcane.* [d] *di Poggio.* [e] *Caſtelnuovo di Carfagnana.* [f] *Breſello.* [g] *Caſal maggiore.* [h] *de' Nobili.* [i] *Troilo, conte di Roſſi.* [k] *Bologna.* [l] *la Lenza* [m] *Piacenza.* [n] *le Milanois.* [o] *Noceto.* [p] *Peſaro.* [q] *la Romagna* [r] *Raſponi.* [s] *Tagliaferri.* [t] *de' Baiardi.* [u] *de' Cariſſimi.* [x] *la Secchia.*

NOT. [1] *Gabelli* Put.

Nec incruenta pontificiis victoria fuit; Orlando [a] Piſtorienſi ſtrenuo milite occiſo, et principe Macedooiae ſauciato, atque ab ipſo Joan. Baptiſta ſariſſae vulnere in femore accepto. Captivi mox dimittuntur; ea ſpe, ut periculi memores, cui ab Octavio expoſiti fuerant, tumultum in civitate excitarent; ſed externi militis praevalente in ea robore, et nuper introducto Fr. [b] Claromontio cum Gallico peditatu, civiumque debilitata potentia, ea ſpes pootificiis fruſtra fuit. Non inanis fuerat Octavii ſuſpicio: nam mox detectum fuit, Michaëlem Taliaſerreum et Jo. Galeotum [c] Sanvitalem ex [d] comitum Salae ſamilia cum hoſtibus egiſſe, et portam urbis ipſis proditoros promiſiſſe; cujus rei convicti capite luerunt. Conjunctis exercitibus ad pontem [e] Anitiae impoſitum, et Jo. Angelo Medicino cardinali a pontifice in caſtra veniente cum diplomate, quo pontifex Gonzagae ſummum imperium in ea expeditione attribuebat, vexillo etiam eccleſiae de more ei conſignato, placuit [f] Colornium adoriri, quod ab [g] Americo Antenoreo Octavii nomine tenebatur, Jo. Franciſco Sanſeverino illius loci domino, quod Octavio ſuſpectus eſſet, Parmae ſub cuſtodia retento. Miſſus eo Alvarus [h] Sandaeus caſtrorum praefectus cum Hiſpano milite, qui, aqua ex foſſa oppidi derivata et aggere ducto, muro ſucceſſit: moxque cum eum delecto equitatu ſecutus Gonzaga, relicto in caſtris Meleniano, qui foſſorum opera circumjacentis regionis meſſem vaſtaret, ex Sandonino caſtello XIV tormenta ſecum ducit, et, fruſtra juſſo Antenoreo deditionem facere, continuato impetu pulſatis muris et magna ruina dejectis, cum defenſores non amplius tuto poſſent conſiſtere, et ex CCC praeſidiariis ſolummodo CXXX ſupereſſent, fit deditio; ac milites quidem juſſi ſe in arcem recipere, in quos jus eſſet Gonzagae pro arbitrio ſtatuere, oppidanis vita et re ſalvis. Accepti intro Hiſpani contra fidem datam oppidum diripiunt, multoſque ex civibus capiunt: milites ſine mulcta dimittuntur. Antenoreus, quod valde locuples exiſtimaretur, ſevere a Gonzaga habitus, nec niſi XII CIↃ aureorum pretio exſoluto liberatus eſt. Cladem in Colornii amiſſione acceptam altera non minoris momenti haud multo poſt cumulavit. Nam, dum Colornium oppugnatur, cum Gonzagae et [i] Gajacii comitis alae equitum prope Fontanellam in inſidiis laterent, emiſſi aliquot ſcloppetarii [k] Fano-Secundi, qui praeſidiarios ad pugnam prolectarent. Hadrianus [l] Baleonus et Julius [m] Aſculanus, qui pridie illuc ab Octavio Parma miſſi fuerant, [a] ad ſtrepitum egreſſi dum recedenteis ſcloppetarios ardentius inſequerentur, in inſidias praecipitant, et amiſſis aliquot e ſuis capiuntur. Sed geminatam jacturam Strozzius invicti animi dux mira ac ſolerti diligentia ſarcivit, qui ex equitatu et peditatu omni delectu facto ſtatim Concordiam Picorum oppidum advolat, nullaque mora interjecta, peditibus pari celeritate cum equitatu incedentibus, in [n] Regienſem agrum deſcendit, et, XL CIↃ paſſuum emenſus, Parmam improviſus ingreditur; turbaroſque Parmenſeis aliquantum adventu ſuo confirmavit; Octavium inprimis, qui, quod praeter opinionem haec ſibi accidiſſent, pejora in poſterum metuebat. Hoc facto, quod ſpem omnem fidemque ſuperaret, ſummam laudem adeptus eſt Strozzius: ſiquidem Gonzaga, cum de conſilio ejus cognoviſſet, ad Anitiae pontem [o] Melenianum praemiſerat, qui noſtros tranſitu intercluderet; ſed tantæ diligentia uſus eſt Strozzius, ut, licet numeroſas copias ſemper ordinate incedenteis ſecum traheret, tamen hoſtem adeo vicinum antevertetit, et, paucis ex ſiti et fame ſeminecibus relictis, incolumeis ſuos Parmam introduxerit. Melenianum hominem moribus vafrum, ſive quod Farneſiis proximitate ſibi conjunctis faveret, ſive quo bellum more ſuo duceret, moram nimiam interpoſuiſſe ſuſpicio fuit: quod, ut a Gonzaga poſtea jactatum, ita tunc prudenter diſſimulatum, ne cardinalem Medicinum Meleniani fratrem, qui pontificis nomine ad exercitum venerat, offenderet. Nec vero aegre admodum ferebat

VAR. LECT. [a] ad ſtrepitum egreſſi *deſunt* P D. o. f.

INTERPR. [a] *da Piſtoia.* [b] *de Clairmont.* [c] *San Vitale.* [d] *les contes de Sala.* [e] *la Lenza.* [f] *Colornio.* [g] *Amerigo Antinori.* [h] *de Sande.* [i] *Cajazzo.* [k] *San Secondo.* [l] *Baglioni.* [m] *da Aſcoli.* [n] *Reggio* [o] *le marquis de Marignan.*

CIↃIↃLI.
HENRICUS II.

ferebat Gonzaga, Strozzium cum omnibus ſuis Parmam ingreſſum eſſe: ſic enim fore ſperabat, ut tanto citius civitas, cujus jam annona in arcto eſſet, commeatu exhauriretur. Dum hoſtes ad Colornium eſſent, noſtri, qui Mirandulae convenerant, capta occaſione in Bononienſem agrum excurrunt per Jo. Baptiſtae abſentiam, et crebris populationibus vicina loca infeſtant; eoque majoris motus metu pontificem adigunt, ut Coſmi Florentinorum ducis opem imploraret, qui ſubito [a] Othonem Montacutum cum CIↃ peditibus ſuo ſumptu [b] Bononiam miſit; ejuſque adventu effecit, ut a populationibus ac direptionibus aliquanto tempore ceſſaretur, fruſtra a noſtris tentato [c] Crepacordio et [d] Joannis atque Agathae Fanis; unde magnis praedis abactis ad Antonii Fanum, quod II CIↃ paſſuum a Mirandula abeſt, locum a ſe foſſa munitum, receſſerunt. Inde cum crebris quotidie excurſionibus in Bononienſe territorium effunderentur, pontifex poſtremo, qui popularium querelas amplius ferre non poſſet, Jo. Baptiſtam et Alexandrum Vitellium revocat; iique mox ſeparatis viribus relicto Caeſariano exercitu per Regienſem agrum in Bononienſem deſcendunt, multum renitente Gonzaga; qui rem publicam prodi et ſummum praejudicium pontificis rebus fieri fruſtra inclamabat. Interea Melenianus [e] Montechium et [f] Caſtrumnovum in Regienſi agro Caeſaris nomine occupat et praeſidio firmat. Pontifex vero, qui recenti periculo edoctus idem a Caſtro et aliis Farneſiorum oppidis Romae vicinis metueret, Horatium Romam ad cauſam dicendam citat, colore quaeſito, quod conjunctis cum rege conſiliis in Bononienſem agrum populabundus excurriſſet: citatur et Alexander cardinalis, qui Urbinum ſeceſſerat, et Ranutius, cui Viterbii legatio adempta et Rodolfo Pio [g] Carpenſi attributa eſt. Miſſi continuo cuſtodiae corporis deſtinati equites cum aliquo militum Senis a Mendoza ſummiſſorum numero, duce Rodolfo Balcono, qui caſtella et oppida Farneſiorum in [h] Latio pontificis nomine occuparent: nec magni negotii res fuit, ultro Farneſiorum fratrum matre loca tradente, fide de iis reſtituendis confecto bello a pontifice accepta. Ita vicinis urbi oppidis in poteſtatem redactis jam ſecurior, et acceptis a Mendoza C aureorum millibus, ad bellum paratior pontifex de Mirandula oppugnanda ſerio cogitare coepit, captis prius noſtrorum ad [i] Fanum Antonii caſtris, virtute praecipue Petri Pauli [k] Toſingi; qui cum ſuis, quantumvis diuturna dimicatione fatigatis, primus in aggerem inſiluit; reſque eo audentius a Camillo Urſino tentata, quod caſtra noſtra praeſidio nudata Strozzio diſcedente intellexerat. Captis caſtris, cum noſtri propius oppidum acceſſiſſent, ruſticorum manus noctu ad foſſam uſque progreditur, ut annonam inferret: quo animadverſo Vitellius cum ſuis in eos invectus, quantumvis renitentibus noſtris, igne injecto annonam conſumpſit: nec multo poſt Hiſpani molatrinas Pado impoſitas juxta [l] Turricellam incenderunt, cum pridie inibi multos ex ſuis amiſiſſent. Addidit et animos hoſtibus ad majora audenda, quod, dum Franciſcus [m] Colinius Andelotus nuper a rege miſſus et Philibertus [n] Marſilius Sipetra, qui mox poſt foedus ictum cum Octavio Parmam venerat, cum Paulo Vitellio urbe egreſſi in [o] Soragniam deſcendiſſent, magniſque inde praedis abactis reverterentur, in itinere a Gajacio comite et Franciſco [p] Bimontio Hiſpano duce inſidiis excepti et poſt acre certamen capti ſunt, Placentiamque deducti, poſtea in [q] Mediolanenſi arce diu aſſervati fuerunt. Eo in certamine [r] Clucara eques Epirota, diu cum Joanne Baptiſta luctatus, vix tandem ſe periculo eripuit, et Parmam incolumis pervenit. Ita retuſo utrinque noſtrorum impetu, qui incommode admodum ſub muris atque adeo ſub dio extra urbem diverſabantur, Paulo Thermo et Ludovico Pico Galeoti filio urbem cum IↃC peditibus et CL equitibus praeſidio tenentibus, Gonzaga de ea arctius obſidenda conſilium init, quod ſperaret fore, ut pontifex eo magis cum rege committeretur, et, ipſius viribus in illa obſidione occupatis, penes

ſe

INTEPRR. [a] *Otto da Montacuto.* [b] *Bologna.* [c] *Crepacuore.* [d] *San Joanni & Sant Agatha.* [e] *Montecchio.* [f] *Caſtelnuovo.* [g] *da Carpi.* [h] *campagna di Roma.* [i] *San Antonio.* [k] *Toſinghi.* [l] *Torricella.* [m] *de Coligny, ſieur d'Andelot.* [n] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [o] *Soragna.* [p] *di Bimonte.* [q] *de Milan.* [r] *Chiuchiara Albanois.*

ſe unum belli Parmenſis ſumma eſſet. Verum cum omnia confuſe et tumultuarie agerentur in hoſtium caſtris, noſtri reſumptis viribus quotidie excurrebant, et novis ſubinde damnis hoſteis afficiebant. Nam Camillus [a] Caſtellionacus cum XX cataphractis Romam ad pontificem miſſus, ut eum de ſuatum rerum ſtatu certiorem faceret, a noſtris capitur: cum vero hoſtes jam propius tormenta ad [b] Mirandulam admoturi eſſent, Horatius et Thermus egreſſi, ut hoſtileis conatus interturbarent, pugnandi deſiderio ultra caeduam ſylvam, quae in propinquo erat, ardentius provecti in inſidias praecipitant: periculum tantum juxta praeceps et audax conſilium ſuperavit: nam per medios hoſteis noſtrorum virtute fit via, qui, relicta a tergo Mirandula, quo regreſſuros eos latens hoſtis expectabat, Parmam contendunt; ſicque Joan. Baptiſtae [c] Montani inſidias ſefellerunt. Capti a noſtris [d] Tienae et [e] Collalti comites, et [f] Taleanus. Nec multo poſt haud longe ab urbe Alfonſum Ulloam cum Hiſpanorum equitum turma conſediſſe ab exploratoribus renunciatur. Eo cum Horatius eum delectis equitibus proficiſci ſtatuiſſet, ſtatim clauduntur portae, ne profectio interea enunciaretur; huicque [g] Ivo Alegrius, [h] Dampetra, Vidus [i] Bentivolius et Bartholomaeus Montanus ſe ſocios adjungunt; qui hoſteis nec opinato aggreſſi partem caedunt, reliquos in fugam vertunt. Dum res ad Mirandulam geritur, [k] Thermus, comperto aliquot equitum Caeſarianorum alas in exercitu pontificio eſſe, literas ad Gonzagam dat, quibus, cum regis animum ſemper benevolum hactenus Caeſar expertus ſit, audire ſe aegre teſtatur, Caeſaris copias hoſtibus militare; et, ut animum ſuper ea re ſuum aperiat, rogat. Ad haec Gonzaga reſpondet, nihil agere Caeſarem, quod non ipſi, ſalvo foedere quod cum rege inierit, liceat; eo enim pontificem comprehendi, quem ut et ſedem Romanam ab injuria tueri teneatur: non mirari ergo eum debere, ſi, dum pontificem Caeſar tuetur, Gallos, quae pontificiae ditionis ſunt, invadenteis aggrediatur: neque vero ignorare ſe, Mirandulam ſedis Romanae beneficiariam urbem eſſe, in quam nullum jus regi ſit, niſi quod armis et vi uſurpet; ultimo enim foedere, cui ipſe cum Granvellano interſuerit, cum de ea a legato regio mentio eſſet injecta, utque eo comprehenderetur urgeret, Caeſarianos ſemper recuſaſſe; itaque tandem conveniſſe, ut ejus mentio prorſus omitteretur, ſalvo jure, quod Caeſari, regi ac pontifici in ea eſſet.

XII. HIC locus poſtulat, ut de Picorum gente, quae nunc Mirandula et Concordia potitur, et ejus rebus, quantum ad rem facit, breviter citra vanitatem et odium aliquid ediſſeram. Omiſſis igitur fabuloſis initiis, quae genti huic ab iis affinguntur, qui ejus originem ad Conſtantium Conſtantini magni filium referunt, conſtat, Picos primarios [l] Mutinae civeis in ea civitate multis egregie factis ab anno Chriſti CIↃ ex floruiſſe; ac demum CC circiter annis poſtea Franciſcum Picum a Ludovico IIII Caeſare vicarium Imperii in ea conſtitutum: ſed mox [m] Paſſarinum Bonacolſium inter Mutinenſeis civeis allectum, cum a Pico ſibi timeret, eo de medio ſublato, et Prendiparte ac Tomaſſino ipſius filiis occiſis, Mirandulam, quae illis perfugium fuerat, ſolo aequari juſſiſſe, anno Chriſti CIↃCCCXXI. Bonacolſiis deinde a Gonzagis, qui tunc Mantua potiebantur, in ordinem redacto, rurſus Mirandula inſtaurari et Picorum gentis reliquiae colligi coepere. Ex Franciſco Nicolaus ſuperabat, qui curiae [n] Quadragenariae municipum favore adjutus rurſus Mirandulam Gonzagarum beneficio recepit: Nicolao Prendipartes, et Prendiparti Paulus ſucceſſit: hujus filius Franciſcus Joannem et Franciſcum ſibi cognominem ſuſtulit, qui Concordiae comites a Friderico III creati ſunt: Franciſco Joannes Franciſcus, et huic Nicolaus, et Nicolao rurſus Joannes, ac Joanni Joannes Franciſcus ſucceſſit; is, qui arcem a nullo antea ſeptam maxima impenſa ſua cingendam curavit, anno Chriſti CIↃCCCCLX, et moriens

INTERPR. [a] *da Caſtiglione.* [b] *Mirandola.* [c] *di Monte* [d] *Tiena* [e] *Collalto.* [f] *Taliano* [g] *Ives d'Alegre.* [h] *Dampierre.* [i] *Bentivoglio.* [k] *de Thermes* [l] *Modena.* [m] *Paſſarino Bonacolſi.* [n] *corte di Quarantola.*

CIƆIƆLI.
HENRICUS II.

moriens Galeotum, Antonium Mariam, et Joannem filios reliquit; Joannem, inquam, illum, qui ob admirabilem linguarum ac ſcientiarum omnium accuratiſſimam ſcientiam, cum rara morum probitate et ſumma pietate conjunctam, jam in juvenili aetate ſaeculi ſui Phoenix appellari meruit. Hujus tam excellens et omni literarum genere ornata pietas eſſe merebat, ut gens Pica exemplo domeſtico admonita pietatem inter ſuos religioſius coleret: ſed cum Galeotus Joannem Franciſcum, Ludovicum, et Fridericum reliquiſſet, Ludovicus natu minor jure gentium violato in Joan. Franciſcum inſurgens ope Herculis I Ferrarienſium ducis fratrem Mirandula ejecit; is Franciſcam Jo. Jacobi [a] Trivultii notham filiam in uxorem duxerat, ex qua Galeotum ſuſtulit. Ludovico mortuo, Joannes Franciſcus, et ipſe in literis ac philoſophiae theologiaeque ſtudiis patrui aemulatione verſatiſſimus, a Julio II in avitam poſſeſſionem reſtituitur; ex qua rurſus poſt [b] Ravennatem pugnam a Ludovico XII dejectus, poſtremo a Matthaeo [c] Lango cardinali Gurgenſi Maximiliani I legato reſtitutus, Mirandulam uſque ad annum hujus ſaeculi XXXIII tenuit; quo Galeotus Ludovici filius, noctu oppidum cum XL armatis ingreſſus, patruum ſumma pietate virum ante Chriſti in cruce pendentis imaginem ſuppliciter proſtratum et Dei opem implorantem immani paricidio obtruncavit, unaque Albertum filium, Joanna Caraſa Alberti uxore cum Paulo filio in carcerem conjecta, et Carlota Urſina Joannis Thomae alterius ex filiis itidem uxore. Ita per ſummum ſcelus Mirandula potitus, cum ſibi merito a patruelibus timeret, ante triennium Mirandulam in Henrici manus tradiderat, accepta in Gallia ex regio patrimonio compenſatione. Cum [α] [d] Crepiacenſi tractatu ac poſtea initio regni Henrici de ea inter Caeſarianos ac regios ageretur, poſtquam convenire non potuit, placuit, ut illius mentio induceretur: quo reſpexit Gonzagae reſponſum, quod ad Thermi literas dedit. Verum a noſtris contra jactabatur; [e] Nicaeae cum de ea Galeotus et Jo. Thomas Jo. Franciſci filius contenderent ante XV annos, de utriuſque conſenſu Paulum III fidei Franciſci regis ad litis uſque finem oppidum commiſiſſe; commiſſum Gallos ab eo tempore ſemper protexiſſe. Dum in eo eſſent, a Ferrarienſi de pacis conditionibus actum eſt, quem belli ob viciniam taedebat: et cardinalis Farneſius, qui Urbino Florentiam pontificis juſſu migraverat, omnem operam dabat, ut res componerentur; ſed irrito ſucceſſu. Interea Gonzaga, cum aliud non poſſet, contra caſtella et oppida montibus Parmae vicinis impoſita viribus converſis ducit; et [f] Caliſtranum deditione recipit, mox et arcem. Dein et [g] Tizanum, quod ita undique cinctum putabatur, ut praeſidiariis non pateret exitus, cum deficiente commeatu amplius defendi non poſſet, deſeritur, Marcone [h] Caſtellano, qui eo nuper Fontanella venerat, in media luce cum CCC militibus inde clam hoſtibus per aviam et confragoſam vallem magna cum ſua laude elapſo. Nec multo poſt [i] Torciaram et Felinum [k] Sanfloriani comitis caſtella in fidem accipit Gonzaga ex domini conſenſu; quae nihilominus ab Hiſpano milite crudeliter et avare habita, ac ſi hoſtilem aggreſſionem paſſa eſſent. Attrito in obſidione peditatu, Gonzaga II vexilla, quae [l] Clerii reliquerat, ex [m] Subalpina regione evocata [n] Montechio impoſuerat: ſed cum ii, quamvis a loci praefecto ſaepius moniti, extra urbem, quo liberius excurrerent, ſtationem haberent, hoc comperto, Strozzius dux impiger agmen citatum rapit, et lineis interulis ſuperindutis de nocte per porticus jacentes et ad praedam quam ad pugnandum paratiores opprimit. Itaque ſubſidio a Caeſare ſummiſſa Germanorum IV CIƆ, duce [o] Seiſneco regulo; quae ſtipendii defectu, quamvis diu ante conſcripta, nondum in caſtra venerant. Parte alia rex miſſo Genuam Ludovico [p] Alamannio cum republica egerat, ut in eorum oppidis ac portubus ſecutus ſuis

VAR. LECT. [α] Crepiaco *P.D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *Trivultio.* [b] *de Ravenne.* [c] *Langut, cardinal de Gurcet* ou *Gurez.* [d] *de Creſpy.* [e] *Nizza.* [f] *Caliſtrano.* [g] *Tizzano.* [h] *da Caſtello.* [i] *Torchiara & Felino.* [k] *conte di Santafiore.* [l] *Chieri,* ou *Quiers.* [m] *Piedmont.* [n] *Montecchio.* [o] *le baron de Seiſneck* [p] *Alamanni.*

ſuis receptus eſſet, et illac auxilia Parmam deducenda tuto tranſire poſſent. Diſſidente ob factiones republica, in ſpem rei obtinendae rex venerat: ſed praevalente Caeſarianorum potentia, atque [a] Auriae inprimis auctoritate, nihil impetrari potuit. [b] Turnonius cardinalis a Venetorum republica, quorum veluti in ſinum ab aula remotus confugerat, Helvetiis nuper a rege conſcriptis tranſitum per [c] Brixianum agrum impetraverat; commeatu tamen denegato, quod vix ſuae ditionis populis illius anni frugeis ſuffecturas dicerent. Huc uſque pro Parmae defenſione bellum geſtum inter regem et pontificem; deinceps inter ipſum Caeſarem et regem exarſit. Principium a [d] Polinio in mari oceano factum, interceptis Belgarum negotiatorum navibus, et magna ac locuplete praeda facta. Cum vero Andreas Auria, jam tranſportatis in Hiſpaniam Philippo et Maximiliano, in eo eſſet, ut rurſus ad reportandum cum uxore et familia in Italiam Maximilianum in Hiſpaniam navigaret, ob idque indies [e] Barcinone cum claſſe expectaretur, Leo Strozzius claſſis Gallicae praefectus cum XXVII triremibus et II biremibus in adverſam [f] Circelli promontorii, in quo Andreas conſederat, partem, dorſo montis tectus latenter irrepſit, eo conſilio, ut Caeſarianam claſſem interciperet. Quod ubi Andreas per exploratores cognovit, praefectos triremium advocat, et, quae de noſtrorum conſiliis et apparatu explorata habeat, exponit, hortaturque, ut virtutis priſtinae memores fidelem operam Caeſari navarent; inde poſt horam diei XXII incitato remigio adverſus ventum et noſtram claſſem ita curſum inſtituit, ut ſe ſenſim in altum educeret, quo vel ad iter faciendum, vel ad pugnam conferendam expeditior eſſet: ſed vento crebreſcente et imminente nocte Villamfrancam deflexit. Cum videret Strozzius conatum contra Auriam non ſucceſſiſſe, conſilium mutat, et loco devectus primum dolonibus expanſis litus legere coepit, dein curſum Hiſpaniam verſus intendit, Auriam ſe eſſe, qui cum claſſe ad Maximilianum tranſportandum veniſſet, ſimulans; eaque ſimulatione tantum effecit, ut triremem unam recens inſtructam, quae ejus ſalutandi gratia obviam Barcinone miſſa fuerat, ceperit; continuoque promota claſſe et diſploſis tormentis, tantum terrorem effuſo circa portum ad ſpectaculum populo injecit, ut, ſi ſtatim militem in terram expoſuiſſet, urbem proculdubio occupare potuerit. Verum hoc facinore contentus, captis praeterea VII mercatorum onerariis et minoribus aliquot navibus, [g] Maſſiliam multa praeda onuſtus retro ſe contulit. Tanti ſucceſſus laetitiam triſtitia inſperata mox cumulavit, de [h] Franciſci Momorantii Annae magiſtri equitum filii et [i] Villarii comitis adventu fama ſparſa. Nam Leo Strozzius, qui ſciret ſe ac fratrem ſumme inviſos eſſe Annae magiſtro equitum et Claudio [k] Sabaudo Tendae comiti ejus ſororio Provinciae praefecto; eoque conſilio illos miſſos, ut ipſum, nulla meritorum habita ratione, omni imperio et dignitate ignominioſe exuerent; vir generoſus, ut injuriae praeverteret, conſcenſa triremi illa, quam nuper Barcinone ceperat, et altera, quae ipſius fratris erat, vi remigii ſuperata catena quae portum claudit, in altum vela dedit, et recta [l] Melitam curſum tenuit. Profectionem acceleravit ſuſpicio de ſummiſſis in ſuam perniciem ſicariis; ob quam Jo. Baptiſtam [m] Corſum familiarem ſuum paulo ante captum tormentis ſubjecerat, et ſuſpicioni conſentaneam confeſſionem ipſius manu ſcriptam extorſerat. Ne tamen videretur omnino ſine commeatu regem deſeruiſſe, epiſtolam in haec verba ſcriptam abiens reliquit, [α] et cum praetorio vexillo ſtudioſe complicato ad ipſum perferendam curavit. Quam honoris ac gloriae cupidus in tuam familiam adſcribi volui, Chriſtianiſſime princeps, tam de ſalute et dignitate mea anxius ex ea profugi; quippe cum viderem, non aliam fidelis operae

VAR. LECT. [α] et cum praetorio vexillo ſtudioſe complicato ad ipſum perferendam curavit *deſunt P.*

INTERPR. [a] *Doria.* [b] *de Tournon.* [c] *il Breſciano* [d] *le baron de la Garde,* dit *capitaine Polin* [e] *Barcelone.* [f] *monte Cercelli.* [g] *Marſeille.* [h] *de Montmorency, fils du conneſtable.* [i] *le comte de Villars.* [k] *Claude de Savoie, comte de Tende, gouverneur de Provence.* [l] *Malte.* [m] *Corſo.*

CIↃIↃLI.
HENRICUS II.

operae et tot exantlatorum laborum mercedem propoſitam eſſe, quam aut turpem miſſionem, id enim inimici homines apud te calumniis pervicerant, aut indignam necem, quod ex conjuratorum confeſſiooibus conſtat. Ignoſces igitur pro ingenita clementia, ſi non petita venia e regno tuo diſceſſi: non enim per invidos et malevolos aliter licuit, qui aut deprecantem injurioſe repuliſſent, aut cunctantem perfidioſe oppreſſiſſent. Sed, quamvis inopinata profectio mea tibi juſtam fortaſſe indignationem moverit, non deſpero tamen, ſi perpenderis quam diverſa adventus et abitus noſtri conditio fuerit, quin cauſa mea, ſi non gratiae, ſaltem commiſerationi apud te locum inveniat. Nam dives veni, inops diſcedo; quod ſine invidia et exprobratione dictum intelligo. Ut ergo laborem et induſtriam meam, quam hacteous ſedulo et ſumma fide tibi navavi, boni conſulas, humiliter, quantum poſſum, rogo: abunde autem erit, ſi, quamvis te mei nunc taedeat, praeteritorum non pigebit; nam in poſterum quin abſentia noſtra, ex aliorum, qui me tibi inviſum reddiderunt, comparatione fiat, ut mei deſiderio tangaris, minime dubito. Leonis diſceſſu mutata claſſis praefectura et adminiſtratione, Auria ſatis temporis habuit, ut, conſcripto novo milite et ſummiſſis a Coſmo III triremibus probe inſtructis, ſine ullo noſtrorum impedimento in Hiſpaniam tranſmitteret, [a] Albano duce ſecum devecto: ubi propter adverſam tempeſtatem aliquandiu commoratus, tandem Maximilianum et uxorem cum omni familia incolumeis Genuam advexit. Ita geminato itu et reditu ex Italia in Hiſpaniam eo anno occupata claſſe, factum eſt, ut Auria Melitae et Tripolitanae arci ſuppetias ferre minime potuerit, multumque damni ex ea occaſione a Turcica claſſe in mari Tyrrheno acceptum ſit.

XIII. DUM haec mari geruntur, [b] Briſſacus in [c] Subalpina regione, paratis quae neceſſaria erant, inopinato bellum movet. [d] Claraſcum [e] P. Oſſunius cum [f] Cipio et [g] Centalii regulo occupandum ſuſceperat, III ei a Briſſaco Gallorum vexillis attributis. Scalis admotis impetus a noſtris animoſe factus, a praeſidiariis generoſe repellitur, deſiderato [h] Charrii fratre, qui de ſcala deturbatus et occiſus eſt. Felicior Joannis [i] Grongnetii Vaſſaei conatus fuit, qui ad [k] Damiani ſanum capiendum deſtinatus ſub auroram uno ab oppido milliari conſedit; cumque moris eſſet, ut ſummo mane oppidani ad opus ruſticum emitterentur, tum cuſtodiae per muros diſponerentur, commodum accidit, ut, egreſſis oppidanis, ſtatim noſtri in foſſam exſcenſione facta muro ſuccederent, et ſcalas admoverent, antequam ſtationarii acceſſiſſent. Ita capta urbe, arx nullo commeatu firmata ab hoſte mox deditur. Majus in [l] Clerio occupando negotium fuit, quod eadem nocte tentari placuerat; duxque expeditionis ipſe Briſſacus eſſe voluit. Primo decretum inter belli conſiliarios, ut ea parte, qua [m] Agnatia Clerium itur, vitiferos colleis verſus ſcalae admoverentur: ſed, Blaſio Monlucio jam tum magnae auctoritatis duce Briſſacum admonente, ut, quando ipſe negotio intereſſe ſtatuerat, primis commiſſae provinciae initiis exiſtimationi conſuleret, et ita rem aggrederetur, ut, ſi aſtu non ſuccederet, vi oppido potiretur, poſt acrem diſputationem, multis, ſi longior mora interponeretur, conſilium evulgatum iri dictitantibus, tandem machinas [n] Auguſta Taurinorum advehi placuit; Monlucioque et [o] Calliaco mandatur, ut rem ſumma diligentia ac ſilentio procurarent: eodemque tempore, quo Briſſacus cum Boniveto et Franciſco Bernardino advenit, ipſe cum Antonio [p] Dallio Piquinio ac tormentis oppido ſucceſſere. Nec fruſtra fuit Monlucii conſilium: nam, foſſa profundiore et muro altiore, quam ut miles ſcalis in ſummum eniti poſſet, ad violentam oppugnationem Briſſacus vireis vertit: diverſaque parte ad portam, quae vulgo crocea indigitatur, directis machinis, ac brevi tempore magna ruina edita, cum praeſidiarii Itali, qui ad IↃ erant, et L equites, quos Gonzaga

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *le mareſchal de Briſſac.* [c] *Piedmont.* [d] *Cheraſco.* [e] *D'Oſſun.* [f] *le baron de Cipi.* [g] *le ſieur de Cental.* [h] *le capitaine Charry.* [i] *Grongnet de Vaſſé.* [k] *San Damiano.* [l] *Quiers.* [m] *Agnaſſe.* [n] *Turin.* [o] *Caillac.* [p] *Dailly, ſieur de Piquigny.*

zaga nuper, ad bellum Parmenſe abductis Hiſpanis, impoſuerat, recenti Hiſpanorum odio oppidanos a defenſione alieno prorſus animo eſſe cernerent, Georgius [a] Lampognianus Mediolanenſis, qui ſummo cum imperio praeerat, deditionem facit; traditaque arce, ſummo mane complicatis ſignis abſque tympanorum pulſu incolumes omnes [b] Aſtam deducuntur. Oppidanis a Briſſaco parcitum, hoc humanitatis exemplo vicinorum animos ad conſilia ſecum conjungenda invitante. His intellectis, Gonzaga cum IV CIↃ peditum Italorum, II CIↃ Germanorum, et CCC equitibus Aſtam continuo advolat. Rex viciſſim in [c] Subalpinam regionem VI vexilla ex veteranis cohortibus duce Inardo miſit: mox et eo [d] Claudius Lotharingus Aumalius equitatus praefectus venit: nec multo poſt Joannes Borbonius [e] Angianus et Lud. Borbonius [f] Condaeus fratres, Jacob. [g] Sabaudus Nemoroſii dux, Franciſcus Momorantius Annae magiſtri equitum filius, Helionorus [h] Cabotius Carnii comes et Franciſcus [i] Rupifulcaudius cum delecta nobilitate eodem profecti; quibus ut hoſpitium laxius pateret, [k] Briſſacus III militum ſigna [l] Clerio deduxerat. Ibi de [m] Lentio caſtello ad radices Alpium, unde, qui [n] Suſa [o] Auguſtam Taurinorum renderent, multum quotidie accipiebant incommodi, capiendo actum eſt. Eo Briſſacus cum omni exercitu proficiſcitur. Tormentorum deducendorum cura Monlucio attributa, qui Clerio, ubi ex ruina muri luxata coxa hactenus decubuerat, [p] Moncalerium deductus ad exercitum nuper a Briſſaco evocatus fuerat. Is ergo cum [q] Calliaco ac V ſignis Lentium poſtridie ſub veſperam venit, cum Briſſacus eodem die ante meridiem veniſſet. Arx Lentii, (nam oppidum admodum debili muro cinctum mox venientibus noſtris patuit) qua oppidum ſpectat, in plano ſita, ſed duobus propugnaculis egregie firmata, ut ea parte a repentina oppugnatione nihil metui deberet; de cetero undique locis praeruptis inacceſſa, ideoque arte minus munita. Poſtquam Briſſacus locum luſtravit, ſumma difficultate in altum ardua admodum et longa CCC amplius paſſuum aſcenſione enixus, deſperata re, de reducendo exercitu in concilio egerat. Verum Monlucius, vixdum a coxae luxatione bene firmus, a [r] Piquinio, [s] Toccapedio et Roboreo [t] Vinuſio perſuaſus, locum adit: et mulo impoſitus cum inter enitendum animadvertiſſet, per intervalla aliquid plani ſubeſſe, in quo tormenta ſubvecta deponi et foſſores interquieſcere poſſent, donec ad ſummum perveniretur, continuo ad Briſſacum redit; et, ubi de deliberatione intellexit, ipſum rogat, ut pauliſper ſententiam ſuſtineat; expoſitiſque, quae obſervaverat, aſſentientibus Borboniis, Nemoroſio, Momorantio ac reliquis belli conſiliariis, pervicit, ut tormentorum in altum ſubvehendorum ſibi negotium committeretur. Tum, quo alacritas militum magis excitaretur, Borbonii ipſi, Nemoroſius ac Momorantius cum ſuis operi manus admovent: ac XX, nec amplius, horarum ſpatio effectum eſt, ut ope fabrorum complanatis itineribus tormenta in ſummum deducta, moxque verberatio ſubſecuta ſit; quae tantum terrorem obſeſſis incuſſit, quia praeter opinionem accidiſſet, ut ſtatim deditionem fecerint. Aberat tunc Gonzaga, Maximiliano Bohemiae rege, uxore ac liberis Mediolani excipiendis ac per Italiam in Germaniam deducendis, cum Fabritio [u] Columna genero occupatus; qui, quod omnia non ſolum belli ſed etiam civilia munia atque inprimis rei pecuniariae per ſe et miniſtros homines rapaciſſimos adminiſtraret, ſemper confuſis rebus in ſumma omnium inopia verſabatur; eoque fiebat, ut, ſoluta diſciplina et graſſante ob non numerata ſtipendia militum licentia, non popularium ſolum in Mediolanenſi imperio, ſed etiam vicinorum principum, atque inprimis Sabaudiae ducis frequenteis de ſe querimonias commoveret: dum interea ingenioſis juxta ac ſolertibus ſed plerumque perplexis conſiliis Caeſaris animum impleret; de quorum felici ſucceſſu ſpem certam

CIↃIↃLI.
HENRICUS II.

INTERPR. [a] *Lampugnano Milanois.* [b] *Aſti.* [c] *Piedmont.* [d] *Claude de Loraine, duc d'Aumale, colonel general de la cavallerie legere.* [e] *le comte d'Anguyen.* [f] *le prince de Condé.* [g] *de Savoie, duc de Nemours.* [h] *de Chabot, comte de Charny.* [i] *de la Rochefoucaud.* [k] *le mareſchal de Briſſac.* [l] *Quers.* [m] *Lantz.* [n] *Suſe.* [o] *Turin.* [p] *Moncalier.* [q] *Caillac.* [r] *Dailly, ſieur de Piquigny.* [s] *Touchepied.* [t] *de Vinu.* [u] *Colonna.*

certam apud Caeſarem excitatam, ob rei nummariae penuriam, contrarius fere ſemper exitus fruſtrabatur. Ejus tamen juſſu vi Italorum vexilla duce Caeſare [a] Magio auxilio miſſa; quem poſtmodo Franciſcus [b] Ateſtinus, qui per Gonzagae abſentiam ſummae rerum praeerat, cum vi Hiſpanorum ſignis ac iii Germanorum ſubſecutus eſt: mox et Alvarus [c] Sandaeus cum totidem Germanorum et Hiſpanorum ſignis miſſus; qui, ut auxiliaribus praeſto eſſet, vicina Lentio loca inſederat: ſed haec ſerius, jam facta deditione. Hujus rei cum incuſaretur loci dominus praeſidio a duce Sabaudiae praepoſitus, culpam in militem rejiciebat, ob non ſoluta ſtipendia tumultuantem, nec dicto ducis audientem: idque prodidit Julianus Goſſelinus, qui Gonzagae vitam ex ejus commentariis deſcripſit. Sed praeter eam cauſam, etiam contra omnium opinionem ſubvecta et admota repente ad partem minus firmam tormenta maximum momentum attuliſſe, vero ſimile ſit. Haud multo poſt Ludovicus [d] Biragus et Franc. Bernardinus [e] Pontium, [f] Caſteltellum et [α] [g] Valpergam, loca [h] Epotediae vicina, quae in [i] Poeninarum Alpium radicibus ſita ſunt, juſſu Briſſaci occupant; et [k] Martini Fanum feſtinatis operibus munire aggrediuntur. Id a Parmenſi obſidione, quamvis aegre, Gonzagam domum revocaverat: qui, quod belli Parmenſis auctor et ſuaſor Caeſari fuiſſet, et ipſe illud ultro pontificis nomine gereret, amiſſis in Subalpina regione iis oppidis et caſtellis, dubio adhuc de ſuſcepta expeditione eventu, multorum ſe reprehenſionibus objectum ſentiebat, ambitionem et pervicacem privatae ſimultatis ultionem ac denique rapacem avaritiam in eo accuſantium. Interea Ateſtinus, ex Magii conſilio, cui plurimum tribuebat, [l] Villadium caſtellum verſus in agro Monferratenſi cum Magii et Sandaei Hiſpanorum copiis ducit. Saxo illud undique praerupto inſidet. Loci ſitu conſpecto, cum Ateſtinum conſilii poeniteret, accedente ad haec coeli pluvioſa tempeſtate et corruptis luto itineribus, ita ut miles neque ſalubriter neque commode in obſidione diu remanere poſſet; ne tamen abſcederetur, pervicit Magii auctoritas, qui obſtinata virtute cum Antonio [m] Pola Triviſano muro ſucceſſit, et locum cavum ſub moenibus, in quo tecti milites quieſcere poſſent, occupavit. Quo animadverſo, tantus terror obſeſſis injectus eſt, ut Jo. Antonius [n] Novellus, qui arci regis nomine praeerat, ſine mora deditionem fecerit. Eodem tempore [o] Salugia, quam Ludov. Biragus nuper tranſmiſſo [p] Duria captam ſumma celeritate muniebat, ſuperveniente Magio, qui [q] Creſcentio et Liburno copias duce Nicolao [r] Secco accerſiverat, non admotis tormentis recepta eſt, et juſſu Gonzagae arx ſolo aequata. [s] Cluſium etiam mox a Caeſarianis in fidem accipitur. Dum haec in Subalpina regione geruntur, Gonzaga, qui metueret, ne Galli auxiliares copias Parmam mitterent, aditus omni arte ſibi obſervandos duxit. Duae omnino viae erant, quibus Gallis eo ire licebat; altera [t] Dertonam verſus, per viam Aemiliam; ſed de ea, quod impeditior eſſet, et crebris undique Caeſarianorum praeſidiis obſideretur, minus ſolicitus erat; altera per [u] Ticinenſem vallem trans Padum, in qua peditatus cum equitatu non niſi iniquum certamen eſſe poterat, multo illi ſuſpectior fuit. Itaque [x] Vercellas inter et [y] Caſſium, vi Germanorum, xii Hiſpanorum, et iv Italorum vexilla, omnem denique equitatum collocat, et Caſſium juxta [z] Padum ponte ſternit; [aa] Ticini vero vada praeſidio munita, et a [bb] Buſalora [cc] Vigevanum verſus, [dd] Papiam uſque, arboribus caeſis ac tranſverſis trabibus viae impeditae; [ee] Abduae item vada ſtationibus firmata, paratis ubique navigiis, quibus, ſi noſtri forte elaberentur, eos Caeſariani facile conſequi poſſent: Joanni [ff] Lunae Mediolanenſis arcis praefecto Ticinenſium vadorum, Ludovico [gg] Viſtarino Abduenſium ſervandorum

cura

VAR. LECT. [α] Valpergum P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Maggi* [b] *d'Eſte.* [c] *di Sandé.* [d] *de Biragne.* [e] *Pons* [f] *Caſteltelle.* [g] *Valpergue* [h] *Ivrée.* [i] *le grand St. Bernard, & le Monjou.* [k] *chaſteau S. Martin* [l] *villa del Dea,* ou *Villa diale.* [m] *Pola da Treviſo.* [n] *Novello.* [o] *Saluggia.* [p] *la Doire.* [q] *Creſcentino & Livorno* [r] *Secco.* [s] *Chiuſi.* [t] *Tortona.* [u] *la valle di Teſino.* [x] *Vercelli.* [y] *Caſale.* [z] *le Po.* [aa] *el Teſino* [bb] *Buſalora.* [cc] *Vigevano.* [dd] *Pavie.* [ee] *Adda r.* [ff] *di Luna, gouverneur du chaſteau de Milan.* [gg] *Viſtarino.*

CIƆIƆLL

HENRICUS II.

cura commiſſa. Pridem Gonzagae conſilium fuerat, meſſe corrupta, Gallos Subalpina regione ſummovere; quibus non niſi e longinquo ad victum neceſſaria peterentur: cumque conſilium initio Caeſari arriſiſſet, poſtea mutavit; quod graviter admodum Gonzagae accidit, qui omni pecunia deſtitutus, qua alere militem et rebus proſpicere poſſet, creſcente indies Gallorum potentia, et longiorem ſpe moram trahente Parmenſi obſidione, mire afflictabatur. Caeſar, ut ſuis diuturna oppugnatione feſſis ſubveniret, novas copias ſummiſerat, et e Germania omnia fere Hiſpanorum praeſidia evocaverat; ac praecipue ex agro Wirtembergico, durae ſervitutis, quam populares quinquennium jam integrum pertulerant, jugo exempto; tantum [a] Aſpergum arcem Germanorum praeſidio ſibi ſervavit. Novis viribus ſubnixus [b] Melenianus, cum Parmam arctius cingere ſtatuiſſet, ad Carthuſianum coenobium, quod ab urbe circiter milliari abeſt, caſtra transfert, in eoque muniendo XX dies conſumpti; dum interea diſploſis continua verberatione ab urbe majoribus machinis infeſtaretur, et Strozzius Parma egreſſus [c] Brixellum, [d] Montecium, [e] Fontanellam, ceteraque agri Parmenſis caſtella, quae commodum viſum eſt, muniret et praeſidio firmaret. Inde in Placentinum agrum excurrens magnas praedas exegit: [f] Ragazolaque egreſſis praeſidiariis, ut ſuis ac municipum ſortunis vitaeque conſulerent, partem caedit, reliquos Parmam captivos ſecum abducit: ac poſtremo, cum bellum jam confectum exiſtimaret, in Galliam ad regem pergit, grande laborum et operae bene navatae pretium laturus, collapſiſque fratris rebus opem aliquam praeſentia ſua praebiturus. Diſceſſu Strozzii vireis reſumpſiſſe hoſtes viſi, vaſtato circum agro, et arctius obſeſſos premere indies magis ac magis annonae penuria laborantеis. Itaque Horatius copias urbe educit; et, quo abundantius commeatus comportari poſſet, caſtella ad Apenninum ſita expugnare ſtatuit. [g] Torciarae oppido, quod X ab urbe milliaribus abeſt, Macedoniae princeps cum praeſidio praeerat. Eo, quod excubias negligentius agi intellexiſſet, Horatius XVI Kalend. Decembreis de ſecunda vigilia ducit, et paulo ante auroram murum ſubit. Scalis admotis, ſtrepitu et fragore annitentium militum aegre oppidani excitantur: ipſe Macedo lecto proſiliens cum Antinoo [h] Anconitano et Fabritio [i] Ferrario militum praefectis, ut negligentiae culpam praeſentia animi ſarciret, ſeminudus arma rapit, et ad murum accurrit; nullumque cohortando milites et exemplo ſuo ad fortiter reſiſtendum ſtrenui ducis officium intermittit. Sed poſtquam Horatinm, Nicolaum [k] Urſinum Petilianum, Lucam Antonium [l] Interamnatem, Fabium [m] Romanum, Andream [n] Magium, ac [o] Bentivolium jam intra moenia eſſe animadvertit, damno accepto ſupereſſe non ſuſtinens, in medios hoſtcis irruit, ictuque ſcloppeti confoſſus cadit. Mortuo duce exanimati oppidani muro abſcedunt; continuoque ingreſſi noſtri, multitudine caeſa, oppidum diripiunt: ac, ne illud rurſus a Caeſarianis occuparetur, cuneis actis ſubruuntur muri. Macedonis corpus Parmam Horatii juſſu aſportatur; eique regio ac magnifico paratu funus ſtruitur. Ejus hoc genti et virtuti ab hoſte datum. Jamqne ſe latius obſeſſorum vires effundebant, et commeatu a circumpoſitis locis largius juvabantur, munito [p] Gardaſone caſtello et aliis vicinis municipiis: ex hoſtico etiam annôna clam inferebatur: cujus rei inſimulatus Alexander Pallavicinus [q] Sandonini praefectus, unus ex P. Aloiſii interfectoribus, Caeſaris juſſu capite luit, quantumvis conſentiente atque adeo auctore Gonzaga factum excuſaret. Pace in Italia turbara, etiam in Belgio et vicino Lotharingiae limite bellum inter Caeſarem et regem exarſit: [α] huic praepoſitus Franciſcus [r] Clivius Nivernenſium dux Campaniae praeſes, [β] qui VII alas equitum a Momorantio

VAR. LECT. [α] cujus periculo ut praeverteret Franciſcus *P. D. o. f.* [β] qui *deeſt* *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Aſchperg.* [b] *le marquis de Marignan.* [c] *Breſello.* [d] *Montecchio.* [e] *Fontanella.* [f] *Raggazuola.* [g] *Torchiara.* [h] *d'Ancona.* [i] *di Ferrara.* [k] *Orſino, conte di Pitigliano.* [l] *da Terni.* [m] *Romano.* [n] *Maggi.* [o] *Bentivoglio.* [p] *Guardaſone.* [q] *Borgo a San Donnino.* [r] *de Cleves, duc de Nevers.*

CIƆIƆLI. HENRICUS II.

Momorantio magiſtro equitum eo miſſas per provinciam diſtribuit: nec multo poſt VIII vexilla veteranorum militum ſubſecura ſunt, in praeſidiis item collocata, ut ad omneis caſus praeſto eſſent. Jam enim P. Erneſtus Mansfeldius Lucemburgenſis ditionis praefectus in limitem cum copiis deſcenderat, ut imparatum Nivernium, ſi poſſet, opprimeret. Cum ad [a] Populoſam-quercum eſſet, id vico nomen, qui [b] Muſonio XV circiter milliaribus abeſt, affertur de Belgis ad [c] Corneti-montem in Arduenna ſylva a [d] Luzarca Caſtellioneae alae legato caeſis. Ex iis CXX interfecti, XL capti, CC in fugam verſi. Cum id animos noſtris fecisset, Nivernius [e] Ivodium uſque progreſſus, poſtquam hoſtem ſcloppetariis emiſſis laceſſitum ad certamen prolectari non poſſe animadvertit, Muſonium revertitur; abductoque ſecum Carolo [f] Tiercellino Rupimanio loci praefecto, [g] Duncherium venit, ac poſtridie [h] Mezeriam. Ab [α] eo milliario nec amplius abeſt [i] Lumium caſtellum [k] Moſae impoſitum, quod a Caeſarianis tenebatur [l] Aſpramontani comitis defectione. Certamine inter noſtros et praeſidiarios ibi facto, Aſpramontanus ipſe graviter in humero vulneratur, unde paulo poſt deceſſit. His actis, quod jam hyems appeteret, Nivernius [m] Catalaunum revertitur, relicto [n] Imberto Platerio Bordillonio provinciae legato, qui rem bellicam per ejus abſentiam adminiſtraret. Is cum alis equitum [β] Henrici [o] Lenoncuriani Nantolii comitis et Rupimanii in ſylvam Arduennam profectus [p] Huberti Fanum ab hoſtibus munitum dejecit. Cum Mezeriam revertiſſet, N. [q] Gurdius cohortis veteranae dux impiger, ruſticis ac vicanis, ex quibus plerumque hoſtium copiae conſtabant, caedendis et in fugam vertendis aſſuetus, contracta ex eo fiducia et hoſtium contemptu, [r] Mauberti-fonte, id caſtello ad Moſam, quod a noſtris tenebatur, nomen, cum ſuis egreditur, et in hoſtium inſidias praecipitans, cum nullum humanitati apud immaneis homines locum ſperaret, fruſtra expectatis ſubſidiariis, qui a Mezeria ſummittebantur, forti et invicto animo pugnans, multis acceptis vulneribus et XXV ex praecipuis ſuorum deſideratis, occiſus eſt. Jam in itinere erat [s] Bordillonius; ejuſque adventu territi hoſtes in vicinam ſylvam confugerant, excitatis aliquot in ea munimentis: ſed cum rei indignitate permotus, non expectato peditatu, quem ſubſequi juſſerat, ultro in dumeta ingreſſus eſſet, multis amiſſis equis, nullo praeterea operae pretio facto, inde diſceſſit; relato Gurdii cadavere, cui honorifice Mezeriae a noſtris virtutis ergo parentatum fuit. Id actum XVI Kalend. Januarias. Crebrae dein a noſtris in Lumii caſtri praeſidiarios excurſiones factae, [t] Villa-franco veteranae cohortis duce, qui aſtu militari, [γ] ad ſtationum conſpectum larvis objectis armatorum hominum ſpecie, diverſa parte in arcis curtem impetum fecit; magnaque praeda abacta, ſine praeſidiariorum ſenſu ad ſuos regreſſus eſt. Eodem tempore [u] Santamandius, generis nobilitate et ardore juvenili quam prudentia melior, dum delectum regis nomine in limite haberet, ab hoſtibus interceptus et caeſus eſt. Nec multo poſt noſtri Aſpramontium debile admodum caſtellum, cujus poſſeſſio Aſpramontani comitis morte ad Nivernium donationis titulo devenerat, capiunt; et, incenſa curte, [x] Gozae quoque coenobium vicinum incendio vaſtant; et inde [y] Albentonum verſus retro abiere, ubi Joan. [z] Stuartus Albinius cum ala equitum et [aa] Landus veteranae cohortis dux in praeſidio erant. In Belgii quoque limite Antonius [bb] Borbonius Vindocinus provinciae illius praeſes bellum gerebat. Is ſecum Angianum et Condaeum fratres nuper ex Italia reverſos habebat, et CCCC cataphractos equites, peditum ad X CIƆ; cum quibus Flandriam et [cc] Hannonios ingreſſus multa damna utriſque intulit, etiam [dd] Rigiaco Atrebatum, niſi occulta ipſius conſilia fuiſſent detecta, paene intercepto.

XIV. INTER

VAR. LECT. [α] ea *P. D. o.* [β] Ph. *P. D. o. f. d.* [γ] obviis ad *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Cheſne-populeux.* [b] *Mouſon.* [c] *Mont-cornet és Ardennes.* [d] *Luſarche, lieutenant de la compagnie de M. de Chaſtillon.* [e] *Yvoy.* [f] *Tiercelin de la Roche du Maine.* [g] *Donchery.* [h] *Mezieres.* [i] *Lumes.* [k] *la Meuſe.* [l] *d'Aſpremont.* [m] *Chaalons.* [n] *Imbert de la Platiere, ſieur de Bourdillon.* [o] *de Lenoncourt, comte de Nanteuil.* [p] *St. Hubert.* [q] *Gourdes.* [r] *Maubert-fontaine.* [s] *de Bourdillon.* [t] *le capitaine Villefranche.* [u] *de St. Amand.* [x] *Gorzes.* [y] *Aubenton.* [z] *Stuart, ſieur d'Aubigny.* [aa] *la Lande.* [bb] *de Bourbon, duc de Vendoſme.* [cc] *Hainaut.* [dd] *Arras.*

XIV. INTER haec pontifex, cum belli pertaeſus ad pacem inclinaret, duos e collegio cardinalium legatos in conſiſtorio decernit; [a] Pium Carpenſem ad Caeſarem, Hier. [b] Verallum in Galliam, qui regem ad [c] Fontem-bellaqueum convenit Eid. Decembr. et paulo poſt Lutetiae ſolemni pompa de more ab omnibus ordinibus regis juſſu excipitur. Ejus mandatis in ſenatum cum diplomate regio allatis, ac deliberatione habita promulgatis, caedem conditiones appoſitae ſunt, quae olim [d] Amboſii, [e] Guſierii, [f] Pratenſis, [g] Farneſii, [h] Sadoleti, et [α] nuper [i] Sangeorgii cardinalium conſimilibus mandatis: additumque inſuper, ne legatus per alios vicarios, ſed tantum per ſe, munus ſuum in Gallia exerceat; dignitates majores poſt pontificaleis in eccleſiis cathedralibus, atque etiam in collegialibus, in quibus formula capitis, *Quia propter*, ſervatur, in quenquam ne conferat; nec canonicos, ne de collegiorum quidem conſenſu, ſpe in ſuturum gratiae obtinendae, creet; nihilque faciat, quod ſanctis decretis, pactis, juribus, privilegiis ac praerogativis regis, immunitatibus et libertatibus eccleſiae Gallicanae et publicarum regni ſcholarum, edictis, conſtitutionibus regiis et ſenatuſconſultis, ac nominatim edictis, quae *Parvas datas*, quas vocant, et notarios eccleſiaſticos ſpectant, deroget, aut praejudicet; eaſque conditiones impleturum ſe, ſcida manu propria ſubſcripta, et in curiae acta referenda, regi cavere teneatur. Id actum in ſenatu exeunte anno XVII Kalend. Januarias. Antequam Gallia egrediamur, domeſtica quaedam commemoranda ſuperant. [1] Prid. Eid. Sept. Catharina regina regi puerum enixa eſt, qui tertio poſt menſe Nonis Decembribus ſacro lavacro eſt ablutus: fidejuſſerunt pro eo Edvardus Angliae rex per [2] Thomam Seimorum Anglicae claſſis praefectum, et [β] Antonius Borbonius Vindocinus: eique Edvardi Alexandri nomen inditum, ſed poſtea mutavit, et Henricus dictus regnum [γ] Carolo IX fratri ſuccedens obtinuit. Eodem anno Annas Momorantius magiſter equitum a rege ejus amantiſſimo impetravit, ut Momorantii caſtelli, a quo illi primariae in Gallia genti cognomen eſt, [k] dux ac patricius regni crearetur, aemulatione Lotharingorum, multis jam tum pernicioſo exemplo ambitioſos titulos affectantibus. Menſe dein Martio lex de [l] praeſidiali juriſdictione in ſenatu Pariſienſi et aliis regni curiis recitata eſt, et frementibus patribus promulgata. Ea in omnibus Galliae praefecturis conſiliarii, certo numero, ad minimum ſeptem, iiſque cum praefectis et eorum legatis ſummum judicium de iis omnibus civilibus litibus tribuitur, quae non amplius CCL libris Francicis aeſtimatae ſunt; aut ſi res ſoli ſit, cujus fructus annuus denas libras non ſuperet. Id cardinali Lotharingo inſtigante factum, [*] qui conſtituta [m] Durocortori Remorum regia juriſdictione, quae tota ante penes archiepiſcopos [δ] erat, propriae ſucceſſorumque auctoritati parum conſuluit. Pecuniae inde conflatae invidiam publica utilitas, quae ſufflaminatis excurrentium liticulatum ambagibus ex ea ad omneis rediit, ſucceſſu temporis aliquantum mitigavit: quamvis, aucto judicum per praefecturas numero, poſtea experientia compertum eſt, virus illud, quod ea lege ſiſti obtendebatur, ſemper latius ſerpſiſſe, et ſenſim regnum omne, non ſine ſumma nominis Gallici infamia, peſte ſua infeciſſe. Aucta tunc et Pariſienſis, quae de [n] vectigalibus regiis jus dicit, curia, et in duas claſſeis diſtributa, venalium magiſtratuum jam tunc graſſante malo. Paulo poſt lata lex, ut in civitatibus et oppidis foſſa et muro vallatis nulli

[*] P. *ſemper illo rebus novis ſtudente,*

VAR. LECT. [α] nuper *deeſt* P. D. o. f. d. [β] Antonius Borbonius *deſunt* P. D. o. f. d. [γ] Carolo IX *deſunt* P. D. o. f. d. [δ] erat, illorum auctoritati parum P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Pio, comte de Carpi.* [b] *Verallo.* [c] *Fontainebleau.* [d] *d'Amboiſe.* [e] *de Gouffier.* [f] *du Prat.* [g] *de Farneſe.* [h] *Sadolet.* [i] *de S. Georges.* [k] *duc & pair de France.* [l] *edit des preſidiaux, & en dernier reſſort.* [m] *Reims.* [n] *la cour des aydes.*

NOT. [1] L'autheur de l'*Hiſt. Geneal. de la Maiſon de France* dit que ce prince naquit à Fontainebleau le Samedi 19 Septembre.

[2] Dele *Thomam Seimorum Anglicae claſſis praefectum.* Thomas Seimour admiral d'Angleterre ne peut avoir fait cette ceremonie au nom du roi Edouard; puiſque par cette hiſtoire meſme, L. VI, il eut la tête tranchée le 20 Mars, 1549. Lege *procuratores ſuos.* Put.

CIↃIↃLI. nulli Curiones admitterentur, qui non doctrinae periculum in academiis celebribus
HENRICUS II. feciſſent, et aliquem honoris gradum et ordinem adepti eſſent; qui contra hujus legis praeſcriptum ab epiſcopis aut ipſo pontifice creati eſſent, tanquam vitio creati removerentur. Poſtea VIII Eid. Junii, cum rex [a] Andegavi eſſet, ad eum perlatum eſt, pravo more invaluiſſe, ut in contractibus rerum pretia aureis aeſtimarentur, ſicque aurum omne ex Gallia occultis externorum negotiatorum artibus ſenſim exportaretur. Itaque decretum, ut pretia in poſterum non niſi libris Francicis aeſtimarentur. Id pro tempore ſumme utile, poſtea mutavit; aurei et argentei nummi, cujus pondus ac quantitas ſpectari debet, valore per librarum, quae arbitrariae ſunt, multiplicationem in immenſum pretium excreſcente, uti deinceps videbimus. Mox et apud [b] Namneteis ſancitum eſt prid. Eid. Quintileis, petito a Graecis et Romanis, quod etiam nunc durat, exemplo, ut lanii ubique in Gallia carneis [a] ſub exagio vendere, pretio a magiſtratibus in libras ſingulas conſtituto, teneantur. Verum ei legi, cum parum ſublevare populum videretur, tacito diſſenſu mox abrogatum eſt, neceſſitate remota; etſi pleriſque locis etiam hodie ad pondus carneis vendendi ſervata conſuetudine. Nec praetereundum videtur, quod tunc magna animorum contentione in aula principis agitatum tandem praevalente, malo more, contra jus et honeſtatem publicam obtinuit. [c] Toloſae ante triennium VI Kalend. Novembr. ſenatus-conſultum factum fuerat, quo impudicitia ſacerdotum gravibus admodum et ignominioſis poenis coërcebatur, regiis magiſtratibus poteſtate facta in eos animadvertendi, quod judices eccleſiaſtici connivere et hujuſmodi criminum caſtigationem negligere dicerentur. Rem Ordo ſacer graviſſime tulit; querimoniaque ab epiſcopo [d] Montalbanenſi de ſenatus-conſulto ad regem, qui tum [e] Amboſiae erat, delata, tandem pervicit, ut ſanctioris concilii decreto illud revocaretur, et tanquam contra ſancta decreta et eccleſiaſtica privilegia factum induceretur: negotiumque datum P. [f] Altoclaro libellorum ſupplicum magiſtro, qui [g] pudendo alio cognomine indigitabatur, ut decretum regium executioni mandaret, et injurias a ſacerdotibus acceptas publice ſarciret. Id actum III Kalend. Maias hoc anno. Neque hoc contenti eccleſiaſtici virulentum librum edunt, quo ſenatus Toloſani auctoritatem contumelioſis dicteriis perſtringebant: cui contrario ſcripto Jo. [h] Maſencalus curiae princeps, antiquae gravitatis et probitatis vir, pro ſenatus-conſulti defenſione reſpondit; quo aculeate atque adeo acerbe in mores et libidines ſacerdotum invehitur; eoque nomine a theologis Pariſienſibus liber publica cenſura anno ſequenti damnatus eſt; nec dubium eſt famae diſcrimen ipſum quoque aditurum, niſi eum amplitudo ſua et integritatis opinio a calumniae morſibus vindicaſſet. Cum vero magnis et longinquis bellis ſumptus ultra modum creſcerent, extremo hoc anno ad Fontem-bellaqueum de principum aliorumque procerum ſententia decretum eſt, ut e patrimonio regio agri uſque ad vicies centies CIↃ Francicarum librarum annui reditus fiduciaria venditione alienarentur. Eodemque tempore [i] Septimani, fundorum [k] patronalium et nobilium, quae ab ignobilibus poſſidentur, poſſeſſionum item ſacerdotalium cauſa, regi e nummûm Francicorum millia pependerunt: cujus rei ratione ſingulis XL annis ab omnibus regni provinciis ingenteis ſummas principibus noſtris exigere jus eſt. Et hactenus de rebus domeſticis noſtris dictum ſit. Maria Scotiae regina, quae jam annum in Gallia commorata erat, poſtquam res, ut ſibi videbatur, ex animi ſententia ordinavit, in Scotiam reverſa eſt. Eo venerat, partim ut filiam, patriam et propinquos viſeret, partim ut de rationibus, quibus proregem a publica rerum adminiſtratione ſummovere poſſet, cum rege conferret. Per fratres ab ipſo facile impetravit, ut primores, qui eam proſecuti fuerant, variis honoribus praemiiſque ordine et loco remuneraret, et proregis

inprimis

VAR. LECT. [a] ſub *deeſt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Angers.* [b] *Nantes.* [c] *Toulouſe.* [d] *de Montauban.* [e] *Amboiſe.* [f] *Haulteclair.* [g] *Couillard.* [h] *Menſencal.* [i] *ceux de Languedoc.* [k] *c'eſt ce que l'on appelle francs fiefs, & nouveaux acqueſts; droit roial & fort ancien.*

inprimis propinquos ac familiareis, interque alios Robertum [a] Carnegium et Davidem [b] Panitatium Roſtenſem epiſcopum, quos magnis promiſſis oneratos rex in Scotiam remittit, qui proregi ſuo nomine ſignificarent, rem ſibi gratiſſimam factutum cum, ſi magiſtratus quod ſupereſſet breve tempus reginae viduae cederet. Ita regina Gallia ſolvit, et, accepto ſecum legato Henrico [c] Clutinio Oiſello ſibi pergrato et alioqui acris ingenii homine, terreſtri itinere per Angliam revertitur. Cum annum proregem conventus juridicos agentem ſecuta eſſet, per propinquos eum ſolicitare coepit, ut ſe imperio abdicaret. Id quo facilius ei perſuaderet, de rationibus reddendis metum injecerat, quas non poſſe diu differri, regina jam adulta, videret: nam magnam pecuniae vim et multum opulentae ſupellectilis Jacobus V moriens reliquerat, quas ille res inter ſuos profuderat. Is igitur, quo ſecuritatem ſuam et ſuorum redimeret, in has conditiones cum regina vidua convenit; ut, quaecunque e proximi regis bonis uſurpaverat, ea a Gallis ipſi condonatum iri caveret, ac immunem a rationibus tutelae reddendis praeſtaret, accepto tantum ab ipſo jurejurando, ſe quae adhuc comparerent redditurum. Viciſſim [d] Caſtri-Eraldi in Pictonibus ducis titulo donatus eſt, cum penſione XII CIↃ librarum. Adjectum, ut, ſi regina ſine liberis decederet, ipſe proximus heres ei decerneretur. Haec poſtea in Gallia per reginam et curatores ejus confirmata: ii erant Henricus rex, et Franciſcus [α] [e] Lotharingus ac Carolus cardinalis fratres, quos regina ex ſententia matris ad id creaverat. Sed nihilominus prorex ad ſolitam inconſtantiam revolutus, appetente finiendi imperii tempore, cum cogitaret, quam periculoſum eſſet e ſummo magiſtratu, in quo pleroſque offendiſſet, ad vitam privatam recidere, in qua injuriis multorum et juſtae fortaſſe vindictae expoſitus eſſet, moras nectere, et contra palam obniti; cauſas etiam addere, quod regina nondum XII annum expleviſſet. Itaque regina vidua Sterlinum ſeceſſit, relicto prorege in ſumma ſolitudine, alienatae a ſe omnium voluntatis manifeſto indicio: quod cum poſtremo adegit, ut ultro conditiones acciperet.

XV. IN Anglia vero longe periculoſiſſimi motus eodem tempore excitati ſunt. [1] Nam Joan. Dudleius, qui primo [β] Warwici comes, dein Northumbriae dux creatus eſt, homo ambitioſo et ſagaci ingenio, cum Somerſetum regni protectorem, abjecti ſpiritus virum, cujus patientia hactenus abuſus fuerat, rei male geſtae accuſaſſet, et in carcerem conjici curaſſet, demum cum ipſo reconciliatus, ei auctor fuit, ut fratrem virum ſtrenuum et ſibi formidabilem ſecuri percuteret: quo facto, jam voti compos et ſumma potentia ad ſe contracta, cum aliud non ſupereſſet, quam ut Somerſetum ipſum de medio tolleret, prae ſe hominis contemptum ferens, eo illum adegit, ut, quo auctoritatem ſuam vindicaret, de Dudleio occidendo conſilium iniret. Igitur ad ejus domum ſpecie illum viſendi accedit, occulta lorica tectus, et alios ſecum armatos trahens, quos in proximo cubiculo reliquerat: ſed cum ad Dudleium nudum et lecto decumbentem ſumma benevolentiae ſignificatione introductus fuiſſet, vir miti ingenio poenitentia ductus, quod deſtinaverat, exſequi noluit, atque inde re infecta

VAR. LECT. [α] Guiſianus *P.* [β] Bervici *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Carnegy.* [b] *Panter, evêque de Roſs.* [c] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [d] *Chaſtellerault en Poictou.* [e] *François de Loraine, duc de Guiſe.*

NOT. [1] Dele *Nam Joan Dudleius, &c.* juſqu'au *conſilium iniret.* M. de Thou s'eſt abuſé en cet endroit, & ſe contredit lui-même. Il dit en ce lieu, que Jean Dudley duc de Northumberland avoit fait ſortir de priſon Edouard Seimour duc de Somerſet regent du Royaume, & incité en ce faiſant à faire mourir l'admiral Thomas Seimour ſon frere; ce qui eſt contre la verité de l'hiſtoire: car ledit admiral Thomas avoit eſté condamné & executé à mort, devant que ſon frere le duc de Somerſet eut eſté mis en priſon. Sic Thuan. L. VI. de ſorte qu'en tirant de priſon ledit Somerſet regent, Dudley ne pouvoit pas ſtipuler de lui, qu'il conſentiroit à la mort de ſon frere Thomas, qui eſtoit arrivée auparavant ſa priſon: Il faut ainſi lire le lieu, *Gratia male ſarta inter Jo. Dudleium, qui primo Warwici comes, dein Northumbriae dux creatus eſt, hominem ambitioſum, et Somerſetum regni protectorem, abjecti ſpiritus virum, cujus patientia hactenus abuſus fuerat, in apertas tandem inimicitias erumpente, adeoque recrudeſcente hoc malo, ut Somerſetus crebris Dudleii injuriis provocatus, quo auctoritatem ſuam vindicaret, conſilium ſumpſerit eum interimendi, igitur ad ejus, &c.* Put

CIↃIↃLI.
HENRICUS II.

infecta diſceſſit. Re poſtea detecta, ſuis ipſum prodentibus, accuſatus, quantumvis invito rege, cujus pueritia ſub eo adoleverat, ad mortem damnatur, quod in legem nuper latam peccaſſet, qua conſtitutum erat, ut, ſi quis aliquem ex regio ſenatu occidendi conſilium cepiſſe deprehenderetur, quamvis rem non perfeciſſet, capite lueret. Itaque anni ſequentis initio Londini magno fortunae ludibrio ſecuri percuſſus eſt. Cum eo morte affectus [a] Rodulfus Vainus, cujus conſilio uſus [b] Somerſetus illicitos coetus habuiſſe et contra [c] Northumbrium et alios conſpiraſſe dicebatur. Cum Vainus ad ſupplicium duceretur, Northumbrio denunciaſſe fertur, fore ut ſanguis ſuus ei, quamdiu viveret, pro cervicali futurus eſſet. Somerſeti mortem pleriſque ultra modum doluiſſe conſtar: nec defuere, qui ſtrophiola ipſius cruore tincta ſecum domum auferrent; et inter eos matrona magni animi reperta eſt, quae altero poſt anno, cum Northumbrius a Maria captus per urbem traduceretur, ſudarium Somerſeti ſanguine foedatum occurrenti in platea ob oculos ingerens, En, inquit, ſanguinem optimi viri ac regis optimi avunculi, qui neſaria tua proditione effuſus nunc vindictam de te expoſcit. Somerſeto regis avunculo ſublato, Dudleius, penes quem jam rerum ſumma erat, ad majora animum intendit; eoque poſtremo dementiae devenit, ut etiam de regno invadendo cogitaret, quod maximorum in eo regno motuum cauſam praebuit.

XVI. EODEM anno Martinus Bucerus, [d] Seleſtadii in Alſatia natus, quem relicta [e] Argentina in Angliam tranſmiſiſſe diximus, [f] Cantabrigiae diem ſuum obiit, pridie Kal. Mart. cum LXI aetatis annum ageret: multorum carminibus epitaphiis celebratus; ac praecipue duorum [g] Suffolciorum fratrum, quorum [h] mater ſemper aegrotanti aſſedit, et omnia humanitatis officia praeſtitit. Paulo antequam moreretur, cum Germaniae ſtatum deploraret, vereri ſe ſaepius dixit, ut in tanto multorum ardore Deum cognoſcendi et eccleſiae inſtaurandae, deficiente diſciplina, qua improbi caſtigarentur et ordo in miniſterio ſervaretur, laudabiles eorum conatus diu aut feliciter procederent: itaque optare unice ſe, ut, quae ad Edvardum regem de eccleſiae diſciplina conſtituenda ſcripto comprehendiſſet, per Angliae regnum locum haberent et religioſe obſervarentur. Funus ejus magna frequentia celebratum, plus II CIↃ hominum illud deducentibus; et corpus in majore urbis templo conditum eſt. Hic etiam annus ultimus fuit Andreae Aleiato Mediolanenſi, qui primus purioris literaturae et antiquitatis cognitionem ad juris ſcientiam attulit; in Gallia diu [i] Avarici Biturigum Cuborum, et poſtea [k] Avenione publice profeſſus, ubi noſtris hominibus poſtea ad eandem ſcientiam illuſtrandam exemplo ſuo viam praeivit. Inclinata jam aetate in Italiam, relicta Gallia, ſe contulit, et [l] Bononiae primum, dein magnis ſtipendiis ab Hercule II evocatus Ferrariae docuit; tandemque multis editis ſcriptis emeritus ſenex [m] Ticini, ubi et jus profitebatur, cum annos LVIII, menſes VIII, dies IV vixiſſet, ſic enim ex ejus genitura ab Hier. Cardano conſcripta patet, ſub principium anni pridie Eid. Jan. placide in Deo obdormivit, ad B. Epiphanii ſepultus. [α] Eo junior M. Antonius [n] Flaminius, [o] Foro Cornelii nobili Galliae Togatae [β] oppido natus, ſub id Romae deceſſit; qui ad poëtices, in qua inter Italos excelluit, et ad philoſophiae ſtudia etiam pietatem non vulgarem adjunxit, in Alexandri Farneſii cardinalis eximii literatorum fautoris familia diu verſatus, ejuſdemque liberalitate ſublevatus. Arctam et cum Reginaldo [p] Polo amicitiam coluit; ab coque monitus divinam Davidicorum pſalmorum majeſtatem primus inter [γ] ſuos cum aliqua laude Latinis verſibus expreſſit, [δ] et Fr. [q] Spinulam ſuo exemplo ad eandem poëticae

VAR. LECT. [α] *Hoc Flaminii elogium, non eodem plane ordine, nec integrum quidem, legitur in* P. *ad finem lib.* IX.

[β] oppido, ſub id deceſſit *D.o f.d.*

[γ] Italos *P.*

[δ] et Fr. Spinulam ſuo exemplo ad eandem poëticae laudem invitavit *deſunt P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *le chevalier Ralph Vane.* [b] *le duc de Somerſet.* [c] *le duc de Northumberland.* [d] *Schleſtadt en Alſace.* [e] *Strasbourg.* [f] *Cambridge.* [g] *Henry Brandon duc de Suffolk, & Charles ſon frere.* [h] *Catherine, fille de Guillaume lord Willoughby d'Eresby, & quatriéme femme de Charles Brandon duc de Suffolk.* [i] *Bourges.* [k] *Avignon.* [l] *Bologne.* [m] *Pavie.* [n] *Flaminio.* [o] *Imola dans la Romagne.* [p] *Pole.* [q] *Spinola.*

poëticae laudem invitavit; majora utique praeſtiturus, niſi infirmitas ſtomachi et alia valetudinis incommoda ſtudioſis familiaria retardaſſent, ac poſtremo non ita aetate provectum eripuiſſent. [α] Eo tempore inter eos, qui emendationi eccleſiae ſerio incumbi conſultum ducebant, de iis quae ad fidem et opera ſpectant, de gratia et libero arbitrio, de electione, vocatione, glorificatione in occulto controvertebatur: ac plerique aliter, quam vulgo doceretur, de iis ſentientes ſe auctoritate B. Auguſtini tuebantur: in eamque rem opuſcula ex ejus operibus collecta Auguſtinus [a] Fregoſus Soſteneus Venetiis anno CIƆIƆXLV excudi curaverat, additis notis ac ſcholiis: cui ſententiae accedebat Flaminius, cum in ceteris fidei capitibus doctrinae per Germaniam tunc diſſeminatae minime adſtipularetur: nam et luculentum ipſius exſtat inter vulgareis clarorum virorum epiſtolas de ſacroſancto euchariſtiae myſterio ex eccleſiae ſenſu ſcriptis mandatum teſtimonium. Itaque cum alii, quibuſcum religionis cauſa amicitiam coluerat, atque in primis Galeacius Caraciolus [b] Vici marchio, patriam reliquiſſent, ipſe in Italia manſit; neque tamen occultam cenſuram effugit, ejus nomine paſſim in epiſtolis, quae poſtea publicatae ſunt, propterea expuncto. [β] Flaminii mortem in annum ſuperiorem rejicit Antonius Caraciolus, qui vitam Pauli IV ſcripſit; qui et ipſum Paulum tunc cardinalem Carafam dictum morienti aſtitiſſe, et, cum de Flaminii, quem alioqui diligebat, fide dubitaret, magna pietatis et humanitatis officia praeſtitiſſe teſtatur. Sub id et anno climacterico ſuo Veronae illuſtris praeclarorum ingeniorum alumnae in patria obiit Joannes Baptiſta [c] Montanus, medicus praeſtantiſſimus; cujus ſcripta magno in pretio habentur, partim ab auctore, dum viveret, publicata, partim a grato diſcipulo Joanne Cratone, qui medicinam feliciſſime ſub III imperatoribus fecit, poſt ejus mortem edita. Paulo poſt Joachimus Vadianus mortalitatem exuit, [d] Fano-Galli apud Helvetios natus, mathematicis artibus, ac geographiae praecipue, quam ſcriptis illuſtravit, cognitione, clarus, tum et ad extremum etiam theologus non exigui inter ſuos nominis, et propter prudentiam cum ſumma integritate conjunctam ex umbra et pulvere literario in lucem civilem evocatus, delato a civibus ſummo patriae ſuae magiſtratu; in cujus adminiſtratione non ſolum conceptam de ſe ſpem aequavit, ſed etiam longe ſuperavit: ut ejus exemplo confirmari poſſit, philoſophis et literatis hominibus reipublicae adminiſtrationem minime interdicendam eſſe.

VAR. LECT. [α] *Lineas 21 ſequentes deſunt in D.o. et 17 in D.f.* [β] *Haec de Flaminii morte narratio deeſt D.d.* [γ] *Hoc Montani elogium deeſt P. D.o.*

INTERPR. [a] *Fregoſe Soſteneo.* [b] *marcheſe del Vico.* [c] *del Monte.* [d] *St. Gall en Suiſſe.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONUS.

EPITOME.

IN Pannoniis res turbant. Earum deſcriptio et ſtatus. II. *Poſt Ludovici ad Mugacium caeſi mortem Joannes Zapolia titulos regios ſibi ſumit, et ſucceſſionis jus Ferdinando Romanorum regi controverſum facit. Joanni ſucceſſit Stephanus filius et Iſabellae Sigiſmundi Auguſti Poloniae regis ſororis, cui tutor cum regina matre a parente datus Georgius Martinuſius. Ejus mores et varium ingenium.* III. *Bello inter Ferdinandum et Iſabellam accenſo, a Caeſare fratri Jo. Bapt. Caſtaldus datus, qui ſummae rerum praeeſſet; ob id Caſſani marchio creatus.* IV. *Tandem Georgii Martinuſii interventu inter contendenteis tranſactum, non ſine Georgii utrinque invidia, pacem illam bello Turcico mox ſecuto.* V. *Ejus ſucceſſus. Lippa capta et recepta.* VI. *Georgius cardinalis creatus; ſtatimque tanquam ſuſpectus infelici conjuratione per inſidias occiſus. Ejus opes domino exitioſae, fama minores: nec inulta caedes.* VII. *Zegedinum recuperatur; ſed mox praedae aviditate amittitur. Andreas Batorius Daciae vaivoda, et Laurentius Lozantius Temeſvarae comes creatur.* VIII. *Machometi purpurati et Stephani Moldaviae vaivodae expeditiones. Moldavus in fugam vertitur.* IX. *Temeſvara a Turcis capitur, Lozantio contra fidem datam indigne interfecto, quod Olimano nuper fides a Caſtaldo ad Lippam data minime fuiſſet ſervata.* X. *Bernardi Aldanae in Lippa defendenda ignavia.* XI. *Iſabella ingentis animi foemina, quod promiſſa a Ferdinando minime praeſtari diceret, per Mircem inferioris Moeſiae regulum cum Turcis agit, et annum ſequentem Pannoniae funeſtum fecit.* XII. *Stephani Moldavi caedes.* XIII. *Diſſoluto per Magdeburgicam obſidionem exercitu, miles per Germaniam graſſatur.* XIV. *Proteſtantium, atque adeo Mauritii occulta conſilia tegentis, legati ad concilium profecti. Philippus Melanchthon in viam ſe dat, et Norimbergae ſubſiſtit. Concilium diſſolvitur.*

EX AUCTORIBUS,

Jo. Antonio Bonſinio, Ludovico Tuberone, Joanne Sambuco, Aſcanio Centorio Hortenſio, Joanne Sleidano, Concilii actis.

LIBER

LIBER NONUS.

[α] CAESAR, qui bellum Parmenſe, cujus feliciorem ſucceſſum [β] Gonzaga ſpoponderat, in longum trahi, in [a] Subalpina vero regione damnoſum incendium accenſum, et, quod illum pejus habebat, pontificis animum a bello alienatum ad pacem inclinare cerneret, ſummopere animi angebatur. Accedebat ad haec, quod [b] Senenſium res non ita tranquillae erant; cum illi, ſive praepoſtera Mendozae ſeveritate offenſi, ſive quod arcis, quae indies approperabatur, conſtructione irritati, homines natura liberi durum ſervitutis jugum exhorreſcerent, cum Gallis Parmae, Venetiis, et aliis Italiae locis ſecreta conſilia conſerrent. Nec a regno Neapolitano ſatis ſecurus erat, ob ſuſpicionem de conſiliis a Ferdinando [c] Sanſeverino Salerni regulo agitatis. Is ſiquidem indigne a Petro [d] Toletano prorege antea habitus, nuper vero inſidioſe ab uno ex ſuis municipibus, dum Salerno Neapolim rediret, ſcloppeto petitus, facti invidiam in proregem rejiciebat; qui vindicta ardens et potentia ſibi commiſſa abutens cum univerſa regni nobilitate manifeſtas inimicitias exercebat. Tunc et detecta [e] Mediolani conſpiratio, de Joanne [f] Luna arcis praefecto occidendo ab Horatio [g] Peccio et Georgio [h] Tricercio patriciis Senenſibus inita; qui, arctiſſima cum Luna familiaritate conjuncti, de patrando facinore et tradenda Gallis arce ſpem Lud. Birago fecerant. Sed capto Tricercio, nam Peccius evaſit, et tormentis admotis rem confitente, exitum res non habuit. Jactatum et ab hoſtibus, de prodenda ad [i] Antonii Fanum excitata munitione, et Jo. Baptiſta [k] Montano atque Alex. Vitellio capiendis aut trucidandis clara inita fuiſſe conſilia; conjurationis auctore Tullio [l] Galeſio, qui noſtrarum partium antea fuerat, deinde ad hoſtem tranſierat; ob idque comprehenſus, et, confeſſione per quaeſtionem extorta, ſummo ſupplicio affectus eſt. Sed omnium maxime urebat Caeſaris animum pecuniae penuria: nam ſpes de auro Indico feſellerat. Itaque cum republica Genuenſium per Franciſcum [m γ] Eraſſum ab epiſtolis agit, ut aes alienum cum Coſmo Etruriae duce pro [n] Plombinenſi ditione contractum diſſolverent; quo facto, ipſe [o] Ilvam ac Plombinenſe territorium ſibi ſumeret, et ita eos Coſmi novi domini viciniae metu liberaret. Verum illi, temporum mutationem cauſati, conditiones oblatas recuſarunt; tandemque ad privatos negotiatores revolutus, cum aliter non poſſet, graviſſimis uſuris CC aureorum CIↃ mutuo accepit: quibus ſtatim in militem diſtributis, ſeditionis proximae motus utcunque pro tempore compeſcuit. His anguſtiis conflictantem Caeſarem, proſpera, quae quotidie de rebus Pannonicis afferebantur, aliquantum recreavere: quod ea, licet in rem fratris fierent, ad exiſtimationem ſuam pertinere, et conatus Turcicos labefactare crederet: de quibus antequam dico, pauca de provinciae et adjacentium regionum ſitu atque ſtatu ad intelligentiam eorum, quae deinceps narranda ſunt, neceſſaria, operae pretium praefari viſum eſt. Infra [p] Sarmatiam Europaeam verſus meridiem [q δ] Carpathii montes ſunt, quibus Pannoniae a ſeptentrione terminantur. Eae ſunt duae: ſuperior, quae hodie Auſtriam fere continet,

VAR. LECT. [α] Dum in eo res eſſent in tota Europa, Caeſar, qui P. D. o. f.
[β] odio caecus Gonzaga P. D. o. f. d.
[γ] Eraſtum P. D. o. f. d.
[δ] Carpatii P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Piedmont.* [b] *ceux de Siene.* [c] *Sanſeverino, principe di Salerno.* [d] *de Tolede.* [e] *Milan.* [f] *di Luna.* [g] *Pecci.* [h] *Tricerchi.* [i] *forte di San-Antonio.* [k] *di Monte.* [l] *da Galeſe.* [m] *Eraſſo.* [n] *Piombino.* [o] *Elbe.* [p] *Pologne.* [q] *Crapak.*

continet, prima conſularis olim dicta, in qua paulo infra [a]Viennam Carnuntum; [1]Sabaria B. Martini, et [b]Stridon B. Hieronymi cunis nobiles. Eſt et [α]inferior, quae Dravum a meridie pro limite habet; [β]et [c]Balathone lacu, ſic [d]Illyrici aquam perpetuo ſtagnantem vocant, a ſuperiore dividitur: hunc indigenae ſub Chriſti adventum in agro Giſienſi primum erupiſſe aiunt: patet in longitudinem CCCCXC ſtadiis, in latitudinem LXX, collibus vitiferis et arborum amoenitate undique circumſitarum conſpiciendis, Plinio, ut quibuſdam perſuaſum fuit, Piſonis nomine cognitus: ejus aqua, cum ceterae tota Hungaria congelentur hyeme, nunquam fere glacie aſtringitur; et omni tempore piſces exoleti ſucci, ſuaviſſimique ac ſaluberrimi ad eſum ſaporis ſubminiſtrat. Utraque ab occidente Marcomannos, in quibus hodie Moraviae marchionatus, et [e]Noricum mediterraneum, atque adeo [f]Caecii montis radices contingit. Ultra Danubium erat olim [2]Valeria: erat et Pannonia Interamnis, ſic dicta, quod ad Savum uſque protenderetur, inter Dravum et Savum, qui juxta [g]Taurunum in Danubium influit, ſita; in qua [h]Sirmium. Poſt occaſum Imperii ea regni Sclavoniae pars Hungariae regibus vectigal pendebat. Rurſus infra Savum Croatia, [i]Liburnia, Boſnia, Dardania atque adeo Dalmatia eſt, Illyrici olim nomine comprehenſae provinciae, quae ad mare uſque Hadriaticum excurrunt, et Boſna fluvio ab ortu clauduntur; ultra quem [k]Moeſia ſuperior ortum verſus ſeſe erigit, nunc Servia; et mox inferior, quae et Bulgaria, ſequitur; et utraque inter [3]Haemum montem et Danubium ſita uſque ad Euxinum Pontum porrigitur. Nunc alia Pannoniae diviſio explicanda eſt, quae a Danubio mediam eam ſecante citerior et ulterior dicitur. De citeriore dictum eſt: ulteriorem, quae [l]Carpathiis montibus et [m]Tibiſco amne a montibus Maromoruſiis orto ad orientem clauditur, [4]Jazyges Metanaſtae tenent. Trans Tibiſcum ab ortu [n]Dacia eſt, Decebali olim regnum; quae a ſeptentrione [o]Tyra fluvio aut etiam [p]Axiaco, ab ortu Ponto Euxino, a meridie Danubio terminatur: viſunturque hodie ad [q]Severinum veſtigia pontis Trajani, quem immortalis gloriae imperator in Danubio ſtravit poſt debellatum Decebalum, ut illac copiis Romanis in Daciam facilior eſſet ingreſſus. In ea hodie Walachia eſt Danubio, et ſupra eam Moldavia Ponto Euxino admota: utraeque a regulis Turcici imperii tributariis tenentur, regiones minus cultae. Sed ad occidentem Tranſylvania eſt; regio pecoris, jumentorum, vini, frumenti ac denique auri et argenti feraciſſima: eam [r]Narrabo ſeu Mariſius et [s]Aluta, hodie Cheres, a ſeptentrione orti interluunt; qui, minoribus pleriſque acceptis amnibus aucto alveo, navigiorum capaces in Danubium exonerantur, et auri ramenta plerumque, ut Antonius Bonfinius Hungaricarum rerum luculentus ſcriptor tradit, ſeſquilibralia trahunt: ſylvis vero et montibus in coronae ſpeciem cingitur; praecipuaſque urbeis habet Cibinium, quod Hermenſtatum hodie appellatur, [t]Claudiopolim ſive Koloſvaram, [u]Biſtricіam, [x]Albam Juliam ſive Weiſemburgum, et quam Hungari [y]Braſſoviam vocant, hodie dictam Stephanopolim; caſque omneis a Saxonibus, ut creditur, conditas, qui poſt ſaepius repetitam Caroli Magni victoriam ante IϽ CCC annos in Daciam mediterraneam demigraverunt,

VAR. LECT. [α] inferior proconſularis P. D. o. f. d. [β] et Balathone. *Hinc ad* utraque ab occidente *ſeptem lineae deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Vienne en Auſtriche.* [b] *Strignau,* ou *Sdrin*; Hung. *Kimarorubath.* [c] Germ. *Platſee.* [d] *Sclavons.* [e] *Baviere de deça le Danube.* [f] *Kalenberg.* [g] *Belgrade.* Germ. *Griechiſch Weiſſenburg,* al. *Albe Grecque.* [h] *Sirmiſch.* [i] *Contado di Zaro.* [k] *Valachie Tranſalpine.* [l] nunc *Crapak,* a Ruſſis dicitur *Beſcad.* [m] *Tibiſque,* ou *la Teiſſe.* [n] *Tranſilvanie*; Germ. *Siebenburgen.* [o] *Neſter r.* [p] *Haczak.* [q] *Zeurin.* [r] *Maras* Hung. Germ. *Mariſch.* [s] *Alt,* ou *Kerez.* [t] *Clauſenburg,* ou *Koloſwar.* [u] *Noſenſtat,* al. *Beſtereze* Hung. [x] *Weiſſenburg.* [y] *Cronſtat,* Hung. *Braſſo.*

NOT. [1] *Sabaria B. Martini.* Lazius l'appelle *Stain-am-anger*; Hungari *Szombath Heli.* Cluverius putat eſſe oppidum ſeu caſtellum hodie vocatum *Sarwar.* Put.

[2] M. Valerius Meſſala Corvinus Dalmatas Pannonioſque domitavit, provinciamque inter Savum et Dravum jacentem a ſuo nomine Valeriam, quam nunc Sclavoniam dicimus, appellavit. Bonfin lib. I. *Put.*

[3] Haemus mons ab Italis dicitur *Catena del Mondo,* et *Monte Argentaro*; a Turcis *Balkan,* a Sclavis *Cumoviza,* aliis *Coſtegnazzo* et *Krrvicine.* Put.

[4] Hungari, decurtata voce, *Jaz* vocant: eſtque Hungaria Tranſdanubiana. *Put.*

migraverunt, eaque armis occupata, linguam Saxonicam retinuerunt, ejectis indigenis; quorum pars eſſe cenſentur [a] Ciculi populi, qui montana Tranſylvaniae ad boream et ortum incolunt; ob idque etiam nunc hodie adverſus ceteros provinciae populos, quos veteri nomine Saxones vocant, inveterata odia ſervant. Ad occidentem et meridiem ſunt Raſciani ex Thracia et Macedonia illuc olim tranſlati, gens bellicoſa et laboris patiens.

II. His populis vaivodae titulo praeerat Joannes [b] Zapolia, cum Ludovicus Ladiſlai filius Hungariae rex infelici proelio ad [c] Mugacium cum Solymano conflixit, ſicuti libro primo diximus; et, ex regis morte occaſionem augendae potentiae captans, Hungariae procerum favore rex electus eſt, et [d] Albae regali, loco et more majorum, regia ornamenta ac coronam ſumpſit. Sed cum poſtea Ferdinandus Caeſaris frater, qui Annam Ludovici ultimi regis ſororem uxorem duxerat, contrario procerum favore in regem aſſumptus eſſet, hinc Joannes Turcico robore fretus, illinc Ferdinandus ſuis fraterniſque viribus, et uterque regulorum inter ſe diſſidentium opibus ſubnixi, magno reipublicae Chriſtianae detrimento, de regno diu certarunt. Tandem conventum inter eos: ſed Joannis morte pax dirempta; Turcique in auxilium a regina vidua et Stephano Joannis filio vocati, cum potentiſſimo exercitu Pannoniam ingreſſi, Ferdinandi copias fuderunt, et amicitiae velamento [e] Budam poſtremo occuparunt, anno hujus ſaeculi XXXI, amandata in Daciam regina cum filio, et [f] Georgio Martinuſio praecipuo Joannis defuncti conſiliario. Is natione Dalmata, nobili familia, ſed in tenui re educatus, viliſſima puer apud Joannis regis matrem miniſteria exercuerat, calefaciendis hypocauſtis deſtinatus. Quapropter elati ingenii juvenis, ſeu taedio praeſentis ſeu deſperatione melioris fortunae, relicta Joannis familia, vitam monaſticam in Pauli primi eremitae coenobio juxta Budam profeſſus eſt; cellariaeque praefectus et promus condus effectus, ad victum neceſſaria, non aequaliter, ſed prout alios aliis plus diligebat, inter fratres diſtribuebat, jam tum vel in leviſſimis rebus et inter humilis conditionis perſonas gratiam aucupans. Ibi primum literas didicit, et, quamvis jam adultior, etiam Latine aliquid effari; ea ſpe, ut inter ſacerdotes cooptari et ſolemne ſacrificium celebrare poſſet. Ita in Joannis familiam rediit: et, Ferdinando in regem aſſumpto, exulantem apud Sigiſmundum Poloniae regem ſocerum ſecutus, multis et graviſſimis in negotiis fidelem ei operam navavit, variaſque ac periculoſas legationes, veſtitu diſſimulante perſonam et ſecuritatem praeſtante, intrepide obivit. Quibus officiis adeo ſibi Joannis animum devinxit, ut ab eo mox in regnum reſtituto in ſecretius concilium allectus, et quaeſtura regni, quae dignitas primaria eſt, ornatus ſit, [g] Varadinenſi prius epiſcopatu donatus; ac poſtremo tutor cum regina uxore Stephano filio teſtamento relictus. Sed cum homo ambitioſus, ſpretis reliquis proceribus, in publica adminiſtrarione ingenio ſuo uteretur, in ſuſpicionem reginae venit regni affectati. Itaque crebrae inter eos diſcordiae, utrique pernicioſae, atque in primis Chriſtiano nomini; et quo ſaepius reconciliati eo ſuſpectior alter alteri. Tandem, poſt crebras reconciliationes, cum ſub rege pupillo popularium gratiam promeritus ſenſim ad ſe omnem potentiam contraxiſſet, eo deſperationis matrem adegit, ut rurſus a Solymano contra Georgium, quaſi cum Ferdinando in necem filii et ipſius auctoritatem conſilia agitantem, auxilia peticrit: ſed ea ſetius venere: intereaque Georgius cum regina pacem iniit; et, ut erat invicto animo et indefeſſa ſagacitate, dato negotio Thomae [1] Varocio et Franciſco [h 2] Chendio Ferentio praecipuis amicis, ope Ciculorum, ferociſſimae ſed amiciſſimae ſibi gentis, Petrum Moldaviae regulum, et Walachiae vaivodam, quem vulgo Tranſalpinum appellant, Solymani juſſu reginae auxilio venienteis diverſis proeliis, antequam conjungerentur,

INTERPR. [a] vulgo *Sekel.* [b] *Zapoli.* [c] *Mohacz.* [d] *Stul-Weiſſenburg*, al. *Albe Royale* [e] *Offen* Germ. [f] *Martin-hauſen* Germ. vulgo *Martinuſe.* [g] *de Waradin.* [h] *Quendi Ferenz.*

NOT. [1] *Varkocio* Put. [2] *Quendio* Put.

CIƆIƆLI.
HENRICUS II.

gerentur, fudit; et ipſe Budae purpurato obviam profectus, illum, amiſſis ccc equitibus, [a] Dacia excedere et retro Budam regredi coëgit. Verum non diu concordia inter reginam et Georgium ſtetit; qui, quod ſe imparem Turcicae potentiae cerneret, a quo parata auxilia ad reginae nutus videbat, clam cum Ferdinando agere coepit. Nec deerant rationes, quibus homo ancipitis animi fidem ſuam Ferdinando approbaret, et nihil ſe ab officio et munere alienum facere oſtenderet: id enim agere ſe, ut Joannis munificentiſſimi domini ac bene de ſe meriti patroni filio et reipublicae ſimul Chriſtianae conſulat; quae ambo impotentis et ſuſpicioſi animi foemina perditum eat, dum publicae adminiſtrationis omnino imprudens ad leveis quoſque rumuſculos et ſuſpiciones ſtatim auxiliareis Turcos evocat; qui, ut Budam olim, ſic ceteras harum regionum urbeis et arceis ſenſim in poteſtatem, amicitiae ſpecie, redacturi ſint, fortunamque ipſius ac filii peſſum daturi: igitur ſic optime utrique conſultum videri, ſi regina filii nomine Ferdinando regnum cedat, compenſatione idonea accepta, uti olim inter Joannem et ipſum convenerat: ita enim fore, ut pueri multis injuriis in illa aetate obnoxii incerta fortuna in tuto collocetur, nec religionis cauſa prodatur, tradito regno, quod irrumpentibus Turcis ſit oppoſitum, in manus potentiſſimi principis, qui ſuis et Imperii viribus communem Chriſtiani orbis limitem contra communem hoſtem tueatur. Ferdinandus, etſi ingenium hominis ſuſpectum haberet, tamen, ne videretur tam pulchram rerum ſuarum in Pannonia ſtabiliendarum occaſionem praetermiſiſſe, Georgio gratias agit; et, ut in tam laudabili propoſito perſeveret, hortatur: atque interim, dum majora auxilia ſummittat, CIƆ equites Hungaros cum quadrimeſtri ſtipendio ac machinis bellicis aliquot eo praeire jubet.

III. QUIBUS de rebus mox Caeſarem fratrem certiorem facit; ab eoque petit, ut virum rei militaris ſcientia et in negotiis tractandis prudentia praeſtantem, quem ſummae rerum praeficeret, ad ſe mittat. Is [α] procerum ſuffragiis, [b] Albani, [β] Joan. [c] Avali Piſcariae marchionis, Ferd. [d] Cordubenſis Sinueſſae ducis, et [e] Atrebatenſis, qui res Caeſaris tunc adminiſtrabant, delectus eſt Jo. Baptiſta [f] Caſtaldus Piadenae comes, et ob res recenter egregie geſtas (nam in bello Germanico caſtrorum praefecti ſumma cum laude munus obiverat) Caſſani marchio a Caeſare creatus; qui, mox Viennam in Auſtriam ad Ferdinandum profectus, poſtquam de belli gerendi rationibus cum eo egit, et de ingenio Georgii, quicum illi praecipue futura res erat, cognovit, proviſis, quae neceſſaria erant, et aſſignata VIII CIƆ aureorum penſione, ut [g] Pannoniae, Daciae, Croatiae ac Dalmatiae, quae familiae Auſtriacae ſunt, cum ſummo imperio praeeſſet, Kal. Maii [h] Agriam verſus iter habuit. Oppido cuſtodiendo a rege impoſitus erat Bernardus Aldana, VII vexillorum Hiſpanorum dux; quodque magnum momentum ad bellum gerendum habere videretur, ejus muniendi cura Eraſmo [i] [γ] Teuſelo commiſſa. Ibi tantiſper commoratus Caſtaldus, dum omnes copiae convenirent, ac tormenta inprimis, VII Kalend. Junii Agria diſcedit; ita ordinato exercitu, ut ipſe primam aciem duceret, cum VII illis Hiſpanorum vexillis, quae II CIƆ CC pedites efficiebant, IƆ peditibus Hungaris, quos Heiducos vulgo vocant, et CIƆ CC levis armaturae equitibus, quos Huſſaros ab indigenis appellari ſuperioribus libris diximus, quorum dux erat Chriſtophorus [k] Quadotum regulus. Iis adjuncta erant IV tormenta inſtructa. In medio agmine erat [l] Felix cum Joan. Baptiſta fratre, ex Arcuenſium comitum familia, cum III CIƆ peditum Germanorum, et IV tormentis, ac praeterea II colubrinis, et CCCC equitibus cataphractis. In poſtremam aciem rejecta erant impedimenta; quibus cuſtodiendis CCC Huſſari deſtinati cum III machinis campeſtribus. Cum hoc modico exercitu primus incedens, quod omnia pacata a tergo eſſent,

ad

VAR. LECT. [α] omnium *P. D.* o. f. d. [γ] Teuſlio *P. D.* o. f. d.
[β] inquam, Joannis Davali *P. D.* o.

INTERPR. [a] *Tranſilvanie.* [b] *le duc d'Albe.* [c] *d'Avalos, marcheſe di Peſcara.* [d] *de Cordoua, duca di Seſſa.* [e] *l'evêque d'Arras* [f] *Caſtaldo, conte di Piadena, & marcheſe da Caſſano.* [g] *Hongrie.* [h] *Agria, incolis Erla.* [i] *Teuſel.* [k] *un ſeigneur du pays de Sileſie.* [l] *il conte Felice d'Arco.*

ad [a] Tibiſeum pervenit; ubi ſuos cohortatus, eodemque ſemper ordine incedens, fluvium tamen non niſi VIII dierum ſpatio tranſmittere potuit, quod admodum humili utrinque ripa multis jam ibi acceptis amnibus auctior late diffunderetur. Inde [b] Derbezenem procedit, locum natura munitum; ibique Andream [c] Bathorium et Thomam [d] Nadaſdium primarios Hungariae regulos obvios habuit; hunc quidem ſummum equitatus Hungarici praefectum; illum hujus legatum; cum IↃ equitibus anguſtias illas, quibus in Daciam equiti iter eſt, ſervanteis. Cum iis ita ordinata acie, ut major vero appareret, progreditur [e] Zalnocum uſque, caſtellum undique foſſa aqua plena cinctum; quod L Hiſpanorum praeſidio firmat. Dum in eo eſſet, ut quamprimum Georgium conveniret, Iſabella regina comitia [f] Agnatetii indicit, loco frequenti ſed minime munito; in quibus ope amicorum ac Daciae principum, Georgio ob nimiam potentiam infeſtorum, gratia ſe conſecuturam ſperabat, ut illi imperium abrogaretur: cui rei homo ſagax, qui tunc [g] Waradini erat, ut praevetteret, datis ad amicos literis, ſtatim eo ire ſtatuit, ut praeſentia ſua reginae conſilia diſturbaret. Dum in itinere eſſet, currus, quo vehebatur, ſive caſu ſive aurigae imperitia, dum per confragoſam viam incedit, everſus eſt; quod pro ſiniſtro omine cum omnes circa ipſum acciperent, infauſtamque ex eo profectionem fore augurarentur, et, ut domum rediret, rogarent; ille, ut erat ad magna natus, ideoque ſummus periculorum contemptor, ad eos renidenti vultu verſus, Atqui fruſtra, inquit, ex fortuito everſi in terra currus caſu mihi timetis, quem nunquam evertendi in coelo currus aſtrum benignum protegit. Igitur non intermiſſo itinere Agnaretium venit: moxque ejus adventu comitia ſolvuntur; regina, quod Georgii praeſentiam aut metueret aut non ferret, [h] Albam Juliam ſecedente, et adducto ſecum, cum iis, quas habebat, copiis, [i] Petro Vicchio Hungariae regulo et Joannis ipſius mariti propinquo. Inde mox digreditur, verita, ne a Georgio ibi oppugnaretur, relicto in ea Vicchio, cui curam urbis muniendae commiſit; et [k] Saxabeſſum ſitu et arte tutiorem receptum ſe contulit. Nec vana fuit reginae conjectura. Nam digreſſa mox ea, Georgius, cum iis, quos Waradino adduxerat, militibus, Albam obſidet, admoriſque tormentis verberat. Interea Caſtaldus lente progrediebatur; quod montium anguſtias, per quas exercitus deducendus erat, a marchione [l] Balaſſo, qui paulo ante a Ferdinando ad reginam defecerat, inſideri intellexerat. Eo praemiſſi Bathorius et Nadaſdius. Haud procul aberat [m] Dalmatium caſtellum in colle ſitum, quod a reginae praeſidiariis tenebatur. Inde diſploſis tormentis cum Caſtaldiani infeſtarentur, negotium datum Felici et Joan. Baptiſtae fratribus, ut locum expugnarent, ducendis et reducendis copiis in poſterum accommodatum, ſi in ipſorum manus deveniſſet: quippe aditum intercludentem, et, ſi a tergo in hoſtium poteſtate remaneret, valde detrimentoſum. Dum res ad Dalmatium majoribus tormentis agitur, Caſtaldus in provinciam ingreſſus, [n] Claudiopolim cum exercitu venit. Cujus adventu perterrita regina, cum de obſidionis Albae eventu timeret, quo rebus ſuis conſuleret, et gazam omnem atque ipſa regia inſignia, quibus Georgium inhiare cognoverat, conſervaret, Vicchio mandat, ut deditionem faceret, his conditionibus, ut ſalvum militem omnemque ſupellectilem et inſignia regia deducere liceret. Jamque Caſtaldus Agnatetium venerat, commeatu abundantem locum, ut ibi militem recrearet: et Georgius capta Alba Saxabeſſum ad reginam contenderat, ut erroris ſui admonitam ad conveniendum cum Ferdinando hortaretur. Regina, ſeu ſpe ſeu metu perſuaſa, ut Dalmatium Caſtaldo dederetur, imperat. Inde Georgius ſuperbo admodum comitatu, CCCC equitibus fere nobilibus, quos ad latus ſemper habebat, praeeuntibus, et CC ſcloppetariis ſubſequentibus,

INTERPR. [a] *la Teiſſe.* [b] *Debreczen.* [c] *Bathory.* [d] *Nadaſdi.* [e] *Zolnoch* [f] *Egneth*, ou *Engetin* ſelon la carte: Iſthuanfius l'appelle *Enedum*. [g] *Waradin.* [h] *Weiſſenburg en Tranſilvanie.* [i] *Petrowicks.* [k] *Száſz-Szebes*, vulgo *Mullenbach.* [l] *Balaſſi.* [m] *Dalmen.* [n] *Clauſenburg*, ou *Coloſwar.*

ſubſeqnentibus, curru, qui ab VIII equis conſpicuis trahebatur, Agnatetium ita improviſus advenit, ut vix Caſtaldo oppido egredi et cum ſuis honoris ergo obviam prodire per temporis anguſtias licuerit. Poſtquam io conſpectum venere, Georgius curru deſcendens in equum inſigoem, cujuſmodi ſemper aliquot pone cum ſequebantur, inſilit; et ita Caſtaldom magna cum benevolentiae ſignificatione, deinde ipſum Aldanam ac reliquos Hiſpanos, qui cum eo venerant, amplexus, Agnatetium cum Caſtaldo ingreditur, et ad ipſius Caſtaldi hoſpitium majotis honoris cauſa primo divertit. Ibi cum Caſtaldus de ampliſſimo imperio, quod ſibi rex mandaſſet, fidem Georgio feciſſet, addidiſſetque, hoc etiam in mandatis ſe habere, ut omnia ex Georgii ſententia ageret, et ad omnia praeſto eſſet; homo dominandi ſupra modum cupidus, quantumvis cautus, affectato Caſtaldi obſequio ac pollicitationibus deluſus, ut potentiam in illa provincia oſtentaret, Albam Juliam ſibi et ſuis copiis hoſpitium ſumit; in qua, quoties opus eſſet, de republica conſultaturi ipſe et Caſtaldus deinceps convenirent.

IV. INDE digreſſus Georgius rurſus[a] Saxabeſſum ad reginam contendit, ut cum ea de rebus cum Caſtaldo tractandis ageret. Mox ex compacto ſupervenit Caſtaldus; et in regni concilio coram Georgio ceteriſque proceribus advenrus ſui cauſas exponit, ut videlicet cum regina de conditionibus jam antea Joanni ejus marito oblatis ageret. Eae erant; ut regina filii nomine Tranſylvaniam, qnam Turcicae potentiae impar tueri oon poſſet, in rei Chriſtianae commodum Ferdinando cederet; et compenſationis loco [a][α] Oppoliae et Ratiſporii in Quadis principatus, quorum annons redd.tus XXV CIƆ aureorum conficiebat, poſſideret; arctioriſque amicitiae cauſa Joannes Sigiſmundus ipſius filius, ſic enim non jam Stephanus deinceps appellabitur, Joannam Ferdinandi filiam in uxorem cum C aureorum millium dote acciperet; aes omne alienum a patre et matre ipſius contractum diſſolveretur; [1] L CIƆ aureorum, quae Iſabellae dotis nomine reſtitui deberent, a Ferdinando penderentur; et, quouſque omnia praeſtarentur, pignoris loco [b] Caſſovia primaria in circumvicina regione civitas reginae et filio ad habitandum concederetur. In has conditiones aſſentiente Georgio, regina odio potius ipſius Georgii, cujus omnimodo ſe jugo eximere cupiebat, quam voluntate convenit; fidem Caſtaldi ſecuta, hominis verſuti, qui nihil non promittere Ferdinandi nomine paratus venerat, ut reginam [c] Daciae imperio dejiceret, et provinciam in Auſtriacorum poteſtatem redigeret; cujus rei poſtea eam, quamvis ſerius, poenituit. Viciſſim Georgio conceſſum, ut Daciae cum vaivodae titulo ſub Ferdinando praeeſſet, attributa XV CIƆ aureotum penſiooe: ſimul et magni qoaeſtoris munus obtineret, quod hactenus ſemper exercuerat, cum IV CIƆ aureotum annuis: [d] Tordenſium item ſalinarum, quas tunc poſſidebat, vectigalia, quod immenſi reditus eſſent, Georgius a Ferdinando redemit, partis tertiae ipſi a rege gratia facta: nec multo poſt [e] Strigonienſi epiſcopatu, cujus annnus reditus L CIƆ aureorum excedere credebatur, dooatus eſt, et galeri purpurei honos a pontifice ultro delatus, ſatagente Ferdinando, ut hominis ambitioſi vaſtum animum obvia liberalitate et cumulatis honoribus expleret. Sed nihilominus profuodae prudentiae vir, quantumvis abunde ſibi proſpectum eſſet, cum ſuſpectam merito tam propeoſam Caſtaldi beoevolentiam haberet, reginam, ut beneficiotum a Joanne defuncto acceptorum memorem decebat, ſedulo monebat, ut cautius ageret: verum illa, quae [β] hominem averſata ejus omnia conſilia ſecus interpretabatur, et abunde de Georgio vindictam ſumpſiſſe ſe exiſtimabat, ſi detectis tam ſalutaribus ſibi et filio monitis eum cum Ferdinando committeret, rem omnem Caſtaldo aperit, et conditionibus ab eo propoſitis

transigere

VAR. LECT. [α] Eupoliae et Raporii *P. D. o. f.* [β] hominis ingenium *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Oppelen & Ratibor en Sileſie.* [b] *Caſſovie*, ou *Caſchau.* [c] *Tranſilvanie.* [d] *de Torda*, ou *Thorenburg.* [e] *Strigonie*, vulgo *Gran.*

NOT. [1] Lege CL CIƆ. Sic poſtea in hoc ipſo libro. *Put.*

tranſigere paratam ſe oſtendit: indictiſque protinus ad [a] Claudiopolim comitiis, ipſa inter Georgium et [b] Caſtaldum media incedens cum filio III Kal. Septembr. ad coenobium, quod VIII ab urbe milliaribus abeſt, digreditur. Ibi inſignia regalia repraeſentata: ea erat corona aurea coelo; uti fabulantur Hungari, D. Ladiſlai Pannoniae regis temporibus demiſſa, ſceptrum eburneum inauratum, orbis figura aurea, pallium regale, tunica et calcei, lapillis pretioſis et unionibus omnia ornata. Tum regina ad filium converſa, Quando tua, inquit, aut mea potius fortuna non tulit, ut regno paterno legibus et jure gentium tibi delato uti frui poſſes, fatorum iniquitatem, quae nulla vi noſtra aut humana induſtria corrigi poteſt, aequo animo feramus, neceſſe eſt: et in his rerum anguſtiis id eligendum, quod, ſi minus utile poſſit videri, quid enim eſt tanti, quod regno queat rependi? at tutius certe tibi, et reipublicae Chriſtianae futurum conducibilius. In ea ſiquidem aetate conſtitutus es, in qua optime de te conſuluiſſe ii cenſendi ſunt, qui quavis ratione omnibus fere injuriis obnoxium caput a periculo praeſenti liberaverint. Itaque, cum ſupra aetatem et vireis tuas hujus provinciae contra Turcorum potentiam defenſio poſita ſit, non aegre ferre debes, ſi, quod opibus propriis tueri nequis, potentiori principi tuendum tradas; a cujus amicitia tantum gratiae ac favoris ſperare in poſterum potes, quantum ingrati laboris ac moleſtiae et parens tuus et poſt obitum ejus uterque noſtrum pertulit. Nam Turcorum amicitiam, id enim ingenue agnoſco, neque errorem fateri pudet, potentiorem quam fideliorem hactenus experti ſumus; et, dum privatis rebus noſtris proſpicere nos putamus, rempublicam Chriſtianam, noſque ipſos, qui illius pars ſumus, in extremum diſcrimen adduximus. Igitur, quod nomini Chriſtiano conducibile, tibi vero glorioſum ac tutum, mihi felix fortunatumque ſit, haec inſignia in manus tuas Caſtalde trado, ut ea ad Ferdinandum quamprimum tuto deferenda cures. Erit tuae fidei, et ejus, cujus auſpiciis in Daciam veniſti, ut conditiones propoſitae ſine mora et fraude impleantur, et ſereniſſimus rex non tam regnum adipiſci quam eo adepto magnanimitatis et conſtantiae laudem quaeſiviſſe videatur. Traditis inſignibus, quibus innata genti ſuperſtitione ſimul et jus legitimum in regno tradi et transferri vulgo creditur, ad comitia proficiſcuntur; in quibus Caſtaldus, prolixa habita ad proceres oratione, eos in Ferdinandi fide confirmat; et exemplo Palaeologorum, Comnenorum et Bucalorum aliorumque Graeciae principum demonſtrat, quanto huc uſque Chriſtianae reipublicae detrimento, auxiliis Turcorum ſuffulti, ſimultates privatas exercuerint; quantoque in periculo res fuerit, niſi Dei omnipotentis clementia effectum eſſet, ut regina, quo imminentem a florentiſſimis quondam hiſce provinciis calamitatem averteret, ſibi et filio conſuleret; ac Ferdinandi liberis, quibus hereditario jure debetur, ultro regnum cederet, et, ita ſublatis diſſenſionum ſeminibus, inter proceres concordia ſarciretur; ut conjunctis deinceps viribus et injuriam illatam ulciſci et, ſi occaſio ferat, inferre bellum poſſint, domi pacati, foris formidabiles, ab omnibus denique Chriſtianis, pro quorum ſalute excubant, immortalem gratiam inituri, a Deo vero immarceſſibilem ſalutis coronam Chriſti fidelibus athletis in coelo repoſitam conſecuturi. Quibus dictis, Georgius ante omneis in fidem Ferdinandi tanquam legitimi regnorum heredis juravit: cumque mox certatim ſecuti Saxones et Siculi, auctore praecipue Ladiſlao [c] Emdefo, qui eos in hoc propoſito confirmaverat: Raſciani etiam ultro obedientiam praeſtiterunt: et, quia pacem illam bellum ſecum Turcicum trahere providebant, de belli contra communem hoſtem gerendi ratione ibidem actum eſt: dumque in eo eſſent, literae a Ferdinando allatae ſunt, quibus pacta inter reginam et Caſtaldum conventa rata habebat; quoque major fides promiſſis tribueretur, contractae fiduciariae nuptiae inter Joannem et Joannam Ferdinandi filiam: nec multo poſt marchio [d] Balaſſus et Fr. [e] Chendius Ferdinando fidem

INTERPR. [a] *Clauſenburg.* [b] *Caſtaldo.* [c] *Emdef.* [d] *Balaſſo.* [e] *Quendi.*

CIƆIƆLI.
HENRICUS II.

fidem ſacramento obſtrinxerunt. Dum comitia celebrabantur, miſſus fuerat Andr. Bathorius, qui cum [a] Petro Vicchio ageret, et [b] Lippam, [c α] Temeſvaram, [d] Becanum, [e] Beccerecam in lacu poſitum caſtellum, quae illi uti fidiſſimo amico a Jo. defuncto commiſſa fuerant, acciperet. Prolatiſque reginae literis, vir concordiae ſtudioſus nltro arceis eas, deducta ſupellectile ſua, in Bathorii manus tradidit; quas mox ille praeſidio ad tempus firmavit, dum [f] Aldana et Rodericus [g] Villandradus eo a Caſtaldo miſſi advenirent. Ipſe Vicchius mox ad reginam profectus eſt; quae ſtatim, ne privata in eo regno, cui ſummo cum imperio praefuiſſet, diutius viveret, convaſatis rebus ſuis, per monteis aſperos Caſſoviam verſus iter direxit. Cum propter anguſtias viarum inter ſylvas de curru deſcendere cogeretur, dum auriga cutrum traduceret, ipſa retro in [h] Daciam reſpiciens, priſtini culminis, e quo deciderat, memor altum corde ſuſpirium duxiſſe dicitur, et, cum aliud non poſſet literata foemina, inſcripto arbori nomine, haec addidiſſe, SIC FATA VOLUNT. Eoque relicto juſti doloris monumento, rurſus currum conſcendit, et inſtitutum iter perſequitur. Abeuntem Achametes Budae praefectus, quod ſecum eam regalia ornamenta aſportare rumor eſſet, cum III CIƆ equitum inſecutus, aviis itineribus properantem intercipere non potuit; manibuſque vacuis Budam revertitur: regina vero re ſalva incolumis Caſſoviam pervenit.

V. AT Georgius, ut reginae diſceſſu laetus, ſic de bello Turcico, qnod imminebat, anxius in diverſas cogitationes rapiebatur: cumque eum, qui tributum a Tranſylvanis Turco pendi ſolitum exacturus venerat, in [i] Vivatiana arce a fundamentis a ſe exſtructa honorifice accipiendum curaſſet, dato ſuis negotio, ſervarent, ne quiſquam cum illo colloqueretur, ipſe eo quamprimum profectus eſt; et, partim diſſimulatis, partim excuſatis, quae acta fuerant, culpa omni artificioſe in reginam derivata, rei invidiam a ſe amoliebatur; ut, dum partibus Turcicis favere ſe fingit, priſtinam fidei opinionem apud eos tueretur, ſicque belli incendia, quantum in ſe eſſet, a patria averteret. Quod ſecus ejus inimici interpretati occaſionem arripuerunt conſilia in ipſius perniciem agitandi; quod dicerent, hominem ambiguae fidei, dum inter Ferdinandum et Solymanum medius rerum arbitrium ad ſe trahit, modo ad has, modo ad illas parteis inclinantem neutri fidem ſervare. Verum nulla arte aut diſſimulatione efficere potuit, ut aut fidem ſuam Ferdinando probaret, aut Solymanum tunc placatum haberet; qui de re omni factus certior per Gallnm quendam, qui diu in exercitu Caſtaldi fuerat, deinde ad hoſteis transfugerat, ſic enim ſcriptum reliquit Flavius Aſcanius [k] Centorius, qui de bellis Dacicis ex Ferdinandi ipſius, uti ſcribit, et Caſtaldi commentariis hiſtoriam edidit, Sangiacis vicinis et Stephano Moldaviae regulo mandavit, ut conjunctis cum Budae praefecto viribus in Daciam infeſta ſigna inferrent. Omnibus his copiis [l] Graeciae praetor cum ſummo imperio praeficitur; qui, ubi [m] Taurunum venit, pontibus ſtrato Danubio militem tranſmittit, et Tibiſcum mox ponte item ſtrato trajecit, ac juxta Bekam caſtellnm caſtra metatur. Diverſa parte Caſtaldus, nt illorum locorum ſecuritati proſpiceret, Steph. [β n 1] Lozantium magnae auctoritatis ducem mittit, qui Temeſvarae et circumjacenti regioni praeeſſet. Is cum IƆC Huſſaris eo profectus eſt, adducto ſecum Aldana, qui muniendo oppido dies noctesque continuabat. Bathorius etiam tunc Lippam venit, collectiſque Raſcianorum ducibus, ad XV CIƆ hominum exercitu conflato, in planitie oppido ſubjecta caſtra ponit. Cum Georgius nullum amplius tergiverſationi locum relictum videret, poſtquam per civitates miſit, qui oppidatim et vicatim populareis ad arma capienda convocaret, [o] Cibinium ad comitia venit. Mos eſt genti, ut primores cujuſque loci ſinguli in equis haſtam et enſem

VAR. LECT. [α] Temeſvarem *P. D.* o. f. d. [β] Loxantium *D* o. f.
INTERPR. [a] *Petrowicks.* [b] *Lippe.* [c] *Temeſwar.* [d] *Beka.* [e] *Bekerek.* [f] *Aldana.* [g] *Vilandrado.* [h] *Tranſilvanie.* [i] *Wivar.* [k] *Centorio de gli Hortenſii.* [l] *beiglerbey de la Grece.* [m] *Belgrade,* ou *Griechiſch-Weiſſenburg.* [n] *Loſſonczi.* [o] *Hermanſtat.*
NOT. [1] Lege *Lozontium.* Bonfidius eſcrit *Lozonczus.* Put.

enſem ſanguinolentum circumferant, in extremae neceſſitatis ſignum; quos ſinguli homines pedites ſequuntur, qui alta voce proclamantes adeſſe communem hoſtem nunciant, et in ſingulas domos ſingulos homines armatos, quos dare tenentur, imperant, et ad ſigna loco deſignato convenire jubent. Comitiis interfuit et Caſtaldus: magnoque omnium conſenſu in bellum a tribus praecipuis Daciae populis [a] Ciculis, Saxonibus et Raſcianis pecuniae collatio facta. Jam ante Bathorius miſſus fuerat cum III CIↃ Germanorum, et Carolus [b] Zerotinus Quadorum regulus cum CCCC equitibus; quibus omnibus [c] Sfortia Pallavicinus praeerat: ii ad [d] Waradinum uſque progreſſi ſubſtiterunt, donec Caſtaldus, qui [e] Albae Juliae, [f] Saxabeſſi et Cibinii ſingulis Germanorum cohortibus impoſitis, cum iis, quos ſecum habebat, Hiſpanis incedebat, ad eos venit, et ſe cum Georgio conjunxit. Jam Graeciae praetor copias [g] Tibiſcum traduxerat; eae erant XXC hominum millia et L omnis generis tormenta: et promoto ad Temeſvaram exercitu Lozantium, qui arci praeerat, ut eam dederet, per fecialem hortatur; Solymani amicitiam pollicitus, ſi pareret, ſin renueret, praeſens excidium. Cum Lozantius non ſolum recuſaret, ſed contra praetorem moneret, ut retro cederet, neque damnum amicis nullaque injuria ſibi obnoxiis populis inferret, ille, politioris literaturae non ignarus, hos verſus ex Maronis Tityro ad eum chartae inſcriptos perferri juſſit,

Ante leves ergo paſcentur in aethere cervi,
Et freta deſtituent nudos in litore piſceis:

ſtatimque [h] Bekam vicinum caſtellum reſiſtere auſum X diſpoſitis tormentis verberat; muroque dejecto, cum praeſidiarii hoſtium impetum ſuſtinere non poſſent, vitam pacti, ſeſe dediderunt; quae tamen illis a circumſtante milite, cum egrederentur, contra fidem datam erepta eſt: CC ex iis crudeliter a praetorianis Turcis trucidati; eorum dux vix a praetore periculo eximi potuit. Bekae expugnatione perterriti ii, qui [i] Beccerecam aliud caſtellum in lacu poſitum tenebant, ad primam denunciationem, non exſpectata oppugnatione, deditionem faciunt: moxque ulterius promotis caſtris praetor [k] Senathum vicinum caſtellum ab oppidanis incolumitatem et res ſalvas pactis recepit. Nec multo poſt Raſciani, qui fidem Ferdinando dederant, et jam menſtruum ſtipendium acceperant, Turcorum adventu territi ad eos transfugiunt, datis prius praetori obſidibus: neque enim aliter ambiguae mentis hominibus haberi fides poterat. His actis, omiſſa Temeſvara, recta Lippam contendit praetor. Quo comperto, [l] Bathorius, qui ibi caſtra habebat, eadem nocte vaſa conclamari jubet; confuſiſque ordinibus ac victo ſimilis periculo ſe eripuit, relicto [m] Peto homine ſtrenuo cum praeſidiariis aliquot, et CCC equitibus, qui municipium et arcem tutarentur. Verum municipes, praetoris adventu improviſo conſternati, mox Petum adeunt; et, ut exitio inevitabili praevertant, ſe oppidi deditionem facere paratos oſtendunt; orantque, ut ſimul et oppidanorum miſereatur et ſibi conſulat. Igitur Petus, qui, dedito oppido, arcem haud commode defendi poſſe cerneret, cum ſuis diſcedit, tradita oppidanis arce, quae mox praetori patuit, ultro obviam progreſſis oppidanis et claveis oppidi deferentibus. [n] Solymorum arcis praeſidiarii, quae haud amplius colubrinae jactu a Lippa abeſt, Lippenſium deditione minime territi priſtinos animos retinuerunt; et formidabileis Turcorum minas generoſe contempſerunt. Itaque praetor, iis omiſſis, impoſito Lippenſi arci Olimàno [o] Becho Perſiae regulo, qui Tecmaſi Sophi pertaeſus ob acceptam ab eo injuriam ad Turcos defecerat, cum V CIↃ equitum et CC praetorianis ad Temeſvaram deflexit; quod eſt oppidum exiguum a [p] Teme fluvio undique circumfuſo cognominatum, majore ex parte muro e terra et

materia

INTERPR. [a] *Sekel.* [b] *Zerotin, ſeigneur Sileſien.* [c] *Sforza Pallavicino.* [d] *Waradin* [e] *Weiſſenburg.* [f] *Száſz-Szebes.* [g] *Tiſſa, ou la Theiſſe.* [h] *Beika.* [i] *Beckerek.* [k] *Chenad.* [l] *Bathory.* [m] *Peten.* [n] *Solmoz.* [o] *Beck.* [p] *Temes.*

materia conſtructo cinctum, foſſa inſuper profundiſſima et paludibus munitum, ut nullatenus ab eo latere tormentis verberari poſſit; ab altera parte muro lapideo et pomoerio optime firmatum; intra quod [a] Lozantius foſſam duxerat, et utrinque erectis propugnaculis muniverat, quo, muro dejecto, irrumpentem militem ſuſtinere et arcere poſſet. Pridie Eid. Octobr. cum prima acies Turcica oppido appropinquaret, Lozantius cum CCCC equitibus et Villandradus cum L ſcloppetariis egreſſi velitaria ſed acri pugna cum Turcis conflixerunt; in qua Lozantii virtus praecipue enituit, et Alfonſi Perezii equitis Hiſpani. Dein arctius obſideri coepta Temeſvara: unde Aldana ſtatim ad [b] Caſtaldum mittit, qui auxilia poſceret, et, niſi intra vigeſimum diem ſummitterentur, obſeſſos oppidum tradituros ſignificaret. Tunc Caſtaldus magnis difficultatibus conflictabatur; tumultuante paſſim ob non ſoluta ſtipendia Germano milite, quem per praeſidia diſtribuerat. Sopita utcunque ſeditione, praecipui motus auctores partim ad mortem et ad carceres damnati, partim exilio mulctati ſunt. Ut tamen obſeſſis praeſto eſſet, ſtatim ad Georgium et numeroſas illas Tranſylvanorum copias acceſſit; quibus jam ſe Pallavicinus cum III CIƆ Germanorum et [c] Zerotinus cum ſuis nec non et Bathorius, qui Lippa profugerat, cum X CIƆ hominum conjunxerant: qui omnes ſimul XC hominum CIƆ efficiebant; ſed imbelles plerique et inermes, ad haec diſciplinae ignari, utpote ex popularibus collecti, et qui, propter gentilia odia et aemulationem ſemper diſſidentes, non ordines tenere, non ſtationes obire, non intra hoſpitia deſignata continere ſe, et ſimul convenire didicerant: quod ubi animadvertit Caſtaldus, eos adhortatus, periculi magnitudine propoſita, licentiam compeſcuit, et ut potuit ad diſciplinam et ordinem reduxit. Ita rebus conſtitutis, Temeſvaram magnis itineribus omnes contendunt, Georgio primam aciem ducente; donec jam hoſtibus viciniores, refecto exercitu, primum agmen cum delecto robore, quod ex Huſſaris, Hiſpanis et Germanis conſtabat, Caſtaldus ſibi ducendum ſumpſit. Ibi altercatum inter duces, an ad Lippam nondum bene firmatam oppugnandam, an ad ſuppetias obſeſſis ferendas, duceretur. Georgius cenſebat, Lippam iri debere, provinciae praecipuum propugnaculum; quod primo impetu aut expugnaturi eſſent, aut, ſi praetor auxiliaturus accurreret, Temeſvarenſis obſidio ſolveretur. Sed Caſtaldus ab Aldana monitus, qui ſciret quibus in anguſtiis res obſeſſorum eſſent, omni ratione Temeſvaram eundum eſſe contendebat; ac tandem pervicit. Itaque Temeſvaram verſus promota caſtra; ita tamen, ut ex Georgii ſententia copiarum numerum ad terrorem potius oſtentarent, quam quod ex eo, ſi ad manus cum Turcis ventum eſſet, victoriam certam ſperarent: quamvis id ſecus acceptum a gloriae Georgii aemulis, quem illi pro ſolita levitate obliquo favore Turcorum res ſublevare calumniabantur. Nec tamen opinione ſua falſus omnino Georgius fuit: nam ad primam adventus ejus famam ſubito praetor ab obſidione diſcedit, poſtquam VIII diebus continuis oppidum verberaſſet; tantoque tumultu et trepidatione tormenta ac militem reduxit, ut fugienti ſimilior quam abeunti videretur. Digreſſo hoſte, Georgius et Caſtaldus ſtatim Lippam verſus copias ducunt, quod e re publica exiſtimarent, providere, ne a tergo tanti momenti oppidum in Turci poteſtate relinqueretur.

VI. INTER haec a Ferdinando literae veniunt; quibus id honoris virtuti Georgii et meritis datum ſignificabatur, ut in cardinalium collegium a Julio III cooptaretur: cujus rei publicam laetitiam Caſtaldus ipſe diſploſis per tota caſtra tormentis teſtatus eſt. Georgius vero generoſe eam diſſimulavit; et honorem illum quaſi infra ſe contemnere viſus eſt, ne videlicet eo nomine obſtrictior Ferdinando crederetur: quod ipſi exitium maturavit, inimicis eum capta inde occaſione calumniis et ſparſis rumoribus apud regem traducentibus, quaſi cum Turcis conſilia ſecreta agitaret; et, ope Ferdinandi regina ejecta, de ipſo demum ope Turcorum [d] Dacia penitus expellendo cogitaret.

INTERPR. [a] *Lozanczi* [b] *Caſtaldo.* [c] *Zerotin* [d] *Tranſilvania.*

cogitaret. Itaque Ferdinandus mox ſecreta mandata ad Caſtaldum dat, ſi adhuc in Dacia eſſet cum exercitu, ne provincia egrederetur; et omni via et ratione tentaret, ut Georgium, quem clandeſtina in ſuam perniciem conſilia cum Turcis habere certo ſciret, aut in poteſtatem redigeret, aut, ſi aliter non poſſet, de medio tollendum curaret. Haec ita a [a] Centorio Hortenſio prodita ſunt, ſcriptore cetera non negligendo, ſed in Caſtaldi laudibus nimio: nam, qui minus illi addicti, ſcripſere, Caſtaldum vafrum hominem, atque adeo marchionis illius [b] Piſcarii tot palmarum ducis ſed ingenii minus ſinceri artibus inſtructum, quod Georgii gloriae invideret, et theſauris illius, qui vero majores eſſe ferebantur, inhiaret, auctorem Ferdinando fuiſſe, ut hominem interfici juberet; atque id ſibi negotii ultro ſumpſiſſe. Res tamen tunc a Caſtaldo prudenter diſſimulata, ne Lippae obſidio interturbaretur; ad quam tamen aegre Georgius pertrahi videbatur, quod vereretur, ne Caſtaldus, reductis in Daciam copiis et Lippa capta, aut duriſſimum patriae cervicibus jugum imponeret, aut irritatis Turcorum animis, cum quibus ipſe, magno provinciae bono hactenus amicitiam coluerat, certiſſimum ſibi et univerſae Daciae exitium arceſſeret. Itaque, cum per loca conſragoſa et anguſta inter monteis iter faciendum eſſet, tormenta majora relinquenda cenſuit. Sed feſtinatis operibus munita via, Caſtaldus cum praeter Georgii ſpem inſtrumenta bellica omnia diligentia ſumma traduxiſſet, ille, qui de induciis cum Turco faciendis cogitabat, tandem de obſidione facienda cum Caſtaldo convenit. Quo impetrato, Caſtaldus cum CCCC cataphractis et IIX CIƆ levis armaturae equitum Lippam uſque proceſſit, ut loci ſitum et naturam contemplaretur. Ea in tumulo poſita a [c] Maruſio flumine alluitur; de cetero muro antiquo et raris turribus diſtincta. Oppido collis imminet, unde in ipſum deſpectus eſt ab uno latere; ab altero arx ſubeſt, quatuor turribus munita et profunda foſſa, quae Maruſii aqua impletur. Ibi Caſtaldus ipſe cum Juliano Carvajale in pedes deſcendit; et, poſtquam locum exacta diligentia luſtravit, ad ſuos revertitur. IV Non. Novembr. ad Lippam caſtra ponuntur: Caſtaldus collem, qui oppido imminebat, cum ſuis occupat: Georgius in ea parte, quae arcem reſpicit, hoſpitium ſibi deligit. Dum haec fiunt, Turci Lippa egreſſi in ſuburbium vicinum impetum faciunt, et igne injecto annonam et commeatum, qui in eo copioſus erat, conſumere aggrediuntur: ſed a noſtris repulſi, re non omnino confecta, recedere coacti ſunt. Heic, quod magna generoſi vini abundantia eſſet, permulti ex Georgii Hungarico peditatu largius poti ad expugnandum oppidum injuſſu imperatoris ſe comparant, vino animos dante: tantoque impetu primum res tentata, ut etiam Turcis terrorem injicerent; ſed, mox ſolutis ordinibus cum confuſi ruerent, et furore potius quam ducum conſilio agi viderentur, obſeſſi animos reſumunt; et Georgius vix tandem revocatos ad hoſpitium quemque ſuum redire compulit. Dum in eo res ſunt, [d] Gala caſtellum Temeſvarae vicinum ex ea occaſione a Caſtaldianis capitur. Equites CC Hiſpani cum CXX ſcloppetariis profecti fuerant, ut aliquot Tureos equites, de quibus inaudiverant, Temeſvara abeunteis interciperent: cum conatus non ſucceſſiſſent, ne ſine aliquo operae pretio redirent, Galam caſtellum, quod in via incurrebat, aſtu aggredi ſtatuunt. Spem faciebat, quod, cum Turcicis veſtibus, quas diverſis in certaminibus hoſtibus ademerant, omnes fere amicti eſſent, praeſidiarios poſſe ſe fallere ſperarent. Eo accedebat, etſi hoc ipſi ignorabant, quod praeſidiarii a praetote aliquot equites Lippenſibus ſummiſſum iri intellexerant, qui illac iter habituri eſſent; itaque eos eſſe rati, cum appropinquarent noſtri, nullum inimici animi ſignum ediderunt. Ita ingreſſi Caſtaldiani, nemine initio prohibente, ſtatim gladios ſtringunt, et poſt acre certamen, occiſis fere omnibus Turcis, et incolis ſub jugum miſſis, locum incenderunt; et victores Temeſvaram reverſi ſunt. Jamque arctius obſideri, et pridie Non. Novembr. tormentis

VIII

INTERPR. [a] *Centorio de gli Hortenſii.* [b] *di Peſcara.* [c] *Maroſch.* [d] *Gala.*

CIƆIƆLI.
HENRICUS II.

VIII majoribus verberari coepta Lippa; ruinaque ingenti facta, Hiſpanus miles praecipiti audacia in murum inſilit; et nullam ab hoſtibus intro foſſam ductam, nullum impedimentum eſſe renunciat, quo minus noſtri libere impetum facerent. Igitur Caſtaldus ante omneis ad pugnam fortiter capeſſendam cohortatus, praemio etiam propoſito iis, qui primi in oppidum ſigna inferrent, Antonium [a] Enzineliam et [b] Villandradum praemittit, qui ruinam inſpicerent, inſtructis interim ad certamen omnibus, ut ſtatim ſigna inferrent. Verum, cum rem longe aliter habere ſignificaſſent atque ab illo milite renunciatum fuerat, prae tumultu minime auditi ſunt, jam paratis ad impetum undique faciendum militibus, qui ſtatim admotis ſcalis in murum ſumma alacritate enituntur. Ibi, cum, ab inſequentibus impulſi, inde in interiorem foſſam praecipitarent, inde a diſpoſitis utroque ab latere tormentis graviter infeſtarentur, magna clades accepta; multique ex praecipuis ordinum ducibus deſiderati; quorum capita et ſigna IV capta mox Turci, ut noſtris illuderent, et ſuis animos facerent, immani oſtentatione pro murorum pinnis ſtatuunt: quod ubi animadvertit Caſtaldus, ſtatim accurrit, et gravi oratione confirmatis ſuorum animis certamen reſtituit: nec ſegnius [c] Olimanus Turcos ad defenſionem inſtruit, III CIƆ Turcorum et C praetorianis ad ruinam poſitis, ac ceteris, qui ad II CIƆ erant, per alia oppidi loca invaſioni obnoxia diſtributis: ipſe cum IƆ C equitibus poſt illos ſtabat, in utrumque paratus, ut et fortiter reſiſteret, et, ſi cedere cogeretur, tuto ſe recipere poſſet. Sed foſſa undique extra oppidum ducta, et miſſis Joanne Turco et Carolo Zerotino cum CCCC cataphractis equitibus, qui fluvii tranſitum impedirent, Olimani conſilium fruſtra fuit. Dum fortiter utrinque pugnatur, extra quidem pro gloria, intra vero pro vita et fortunis, quibuſdam jam fatiſcente milite receptui canendum eſſe cenſentibus, Caſtaldus denuo in equo diſcurrens ad proelium ſuos confirmat: non enim amplius de gloria, cujus hodie, ſi retro pedem referant, maximam jacturam ſint facturi, ſed de ſalute et fortuna Ferdinandi certamen eſſe: jam Graeciae praetorem in itinere cum toto exercitu eſſe, qui ſi, antequam oppido potiamur, adveniat, inquit, quid putatis ſpei ſupereſſe, niſi ut, ab exiguo numero jam victi, a tam numeroſis copiis ad unum omnes concidamur? Fateor equidem, Turcos diu admodum noſtros impetus ſuſtinere; atque adeo tamdiu, ut tironi et novitio militi ſpes omnis de victoria praeciſa queat videri: Vos vero tot ſpectati periculis veterani ac prope emeriti, qui per omneis Europae angulos veſtrae virtutis monumenta fixiſtis, tam cito animos demittere minime decet. Neque enim obliti, credo, adhuc eſtis, [d] Durae praeſidiarios in Menapiis quatuor horas continuas Caeſarianorum impetus ſuſtinuiſſe, ad extremum expugnatos ceſſiſſe. Eja igitur, commilitones: nam aut haec nox ſumma cum gloria exultanteis Lippae nos ſiſtet, aut, ſi repellamur, ſempiternis ignominiae tenebris obruet. His Caſtaldi dictis additi militibus animi: nec ceſſabat interea Georgius, qui cum Thoma [e] Nadaſdio obequitando omneis ad certamen adhortabatur. Cum vero Caſtaldus ex colle equites ab Olimano diſpoſitos retro cedere animadverteret, ex eo conjecit, id quod erat, Turcos jam certamini impares ſuccumbere: juſſis itaque ex equis deſcendere CC armatis, qui partim clypeis et gladiis ſtrictis, partim arreptis fariſſis militi feſſo ſuccederent, et inſtructis diverſa parte in colle proximo ex lixis et calonum genere numeroſis ordinibus, qui ſigno dato, tanquam impetum in oppidum facturi inde ruerent, tantus terror obſeſſis injectus eſt, quaſi undique eſſent premendi, ut, qui huc uſque viriliter reſtiterant, animos ſtatim deſponderent, et turpiter abjectis armis fuga dilaberentur. CIƆ CC ex Turcis, antequam noſtri loco potirentur, caeſi: ceteri cum oppidanis in arcem ſe recepere. Quidam urbe egreſſi a ſtationibus in fluminis ripa diſpoſitis intercepti ſunt: et pars caeſi, pars fluvio hauſti, omnes miſerabiliter perierunt. Olimanus, dum miles victor ad praedam quam ad victoriam

promptior

INTERPR. [a] *di Enzineglia.* [b] *Vilandrado.* [c] *Oliman Bech.* [d] *Duren, au pays de Juliers.* [e] *Nadaſdi.*

promptior diſcurrit, retro in oppidum rediit; magnoque vitae diſcrimine vix intra arcem acceptus eſt, quae, ducta undique foſſa, ne egrederetur, cincta, et diſpoſitis tormentis biduo poſt ſumma cum diligentia verberari coepta eſt, omnia adminiſtrante Sfortia Pallavicino, qui ſummum ſtrenui ducis ſpecimen in ea obſidione dedit. Per IX dies continuata verberatio eſt uſque ad XIV Kalend. Decembreis: tum inter duces conſultatum, vi ageretur, an amice cum obſeſſis tranſigeretur. Ad Caſtaldi famam pertinebat, ut Olimanus et incluſi arce cum eo Turci omnes caederentur, aut in ipſius poteſtatem venirent: hoc ſiquidem homo externus, qui nulla Daciae charitate tangebatur, tantum animo agitabat, ut gloriam quaereret, et magnum ſui nomen ex provincia decedens relinqueret; nec dubitabat, ſi vis adhiberetur, quin alterutrum ſuccederet. At Georgius, qui ad ſuam et ſuorum ſalutem ſemper reſpiceret, et potentiam Turcorum perſpectam haberet, experientia edoctus, Turcos acerrimos injuriarum vindices eſſe, id unum contra ſatagebat, ut juſtam Solymani de Lippenſi internecione conceptam indignationem aliqua humanitate mitigaret, et aliquem ſibi gratiae locum apud eum pararet: itaque omni arte enitebatur, ut Olimano ac ceteris Turcis incolumibus, re ſalva, excedere liceret. Super his aliquandiu altercatum, et acribus utrinque verbis diſceptatum fuit; quae Georgii apud Ferdinandum traducendi et ejus exitium accelerandi cauſam denuo praebuerunt. Pervicit tandem Georgii auctoritas: et fide publica cautum Olimano, ut cum CIↃ e ſuis, qui ſoli ſupererant, incolumis, re ſalva, abire poſſet: cavit ipſe Caſtaldus Hiſpanorum et Germanorum, quos penes ſe habebat, nomine. Ita dimittitur Olimanus, poſtquam diu in Georgii tentorio cum ipſo collocutus eſt, Georgianis illum honorifice ad praetorem deducentibus: quod ſuſpicionem et invidiam magis accendit. Certe praedam hanc opimam e faucibus ſibi eripi adeo indigne tulerunt Alfonſus [a] Perezius Savaiadra et marchio [b] Balaſſus, ut injuſſi, ſed non inſcio Caſtaldo, abeunteis rapto agmine CC equitum perſecuti ſint. Eos adſecutus in lata planitie Balaſſus, jam digreſſis Georgianis, cum ardentius in confertum Olimani agmen inveheretur, equo ſuffoſſo, cecidit; quem ſui mox ut lapſum tegerent, aperta acie, ex uno valido agmine debilia duo effecerunt: quo animadverſo Turci, Olimani fortiſſime pugnantis exemplo et hoc caſu confirmati, inſequentium impetum magna virtute ſuſtinuerunt et repulerunt; incolumeſque ad praetorem pervenerunt. Ejus diſceſſu mox delectus provinciae dimiſſi ſunt. Tum Caſtaldus urgere, ut externi milites per [c] Daciae oppida diſponerentur: Georgius contra recuſare; et, ut in Waradinenſem regionem, quae extra provinciam eſt, mitterentur, obnixe contendere. Dum diſſident, Caſtaldus ſpecie reducendorum in Daciam, unde advecta fuerant, tormentorum, V Germanorum vexilla contra Georgii mentem, antequam quidquam de ea re reſciret, introduxit, et [d] Albae Juliae ac vicinis oppidis hoſpitia iis aſſignavit. Interea purgata cadaveribus Lippa, et illato commeatu, Bernardus Aldana cum praeſidio imponitur; negotio ei dato, ut ruinas ſarciret, et oppidum atque arcem novis operibus muniret; revocatis etiam inquilinis, ut eo demum ad habitandum coirent. Impoſitus et Temeſvarae Gaſpar [e] Caſtelluvius cum Hiſpanorum cohorte; cui itidem oppidi muniendi cura committitur: reliquae copiae per Waradinenſem agrum in hyberna mittuntur. Caſtaldus una cum Georgio quaſi animi gratia [f] Bintium caſtellum loco amoeno ab ipſo Georgio aedificatum venit, minimo comitatu, ne quam ſuſpicionem homini ſagaci injiceret. Ibi de Germanis in hyberna deducendis inter eos agitur: ſed nihil decretum fuit, quod Georgius, qui patriam liberam mallet, in locis munitis eos collocari nollet. Jamque tempus patrandae caedis inſtabat. Conſtitutis in Dacia Ferdinandi rebus, et ſecundis literis ipſe rex urgebat, ut res maturaretur. Itaque Caſtaldus Sfortiam

INTERPR. [a] *Perez de Saiavedra.* [b] *Balaſſo.* [c] *Tranſilvanie* [d] *Weiſſenburg* [e] *Caſtelluyo.* [f] *Wintz.*

tiam Pallavicinum per literas moner, ut, quam celerrime poſſit, ad ſe cum Hiſpano pediratu veniat. Ii ubi venere, per alterum oppidi ſuburbium, quod [a] Sebeſſo amne ab oppido diviſum ponte ligneo cum eo conjungitur, Georgii juſſu per hoſpitia diſtribuuntur. Mox Pallavicinum ſevocat Caſtaldus; et, re cum eo communicata, ut ipſe facinori interſit, hortatur; cui patrando proximam noctem deſtinat. Poſtquam ille operam pollicitus eſt, adduntur ei comites Andreas [b] Lopezius, [c] Moninus et Campegius, homines manu prompti; quibus compoſita ad terrorem oratione oſtenditur, de rebus regis ſimul ac ſua omnium vita actum eſſe, niſi quamprimum Georgius de medio tollatur: ſtatuiſſe quippe illum, indictis ad [d] Waſraëlium comitiis publico decreto provinciae Ferdinando imperium abrogare, et ope Turcorum eum Dacia omni expellere; hoc conſilio auxiliareis copias per vaſta hoſpitia locis apertis ſparſiſſe, ut condicto tempore quaſi ſigno dato ſinguli facilius carpi et opprimi poſſent: in ipſorum manu regis et ſuam ſalutem poſitam eſſe; tantum audeant, et periculo praevertant, ſcelerati hominis perfidia egregio facinore vindicata. Ubi eos praeſenti animo eſſe videt, Lopezio negotium dat, ut ſummo mane delectos XXIV armatos ſecum adducat, qui veſtibus Turcicis induti, ut cuſtodes fallant, intromittantur, et per quatuor praecipuas arcis turreis diſtribuantur: interea Petro Avilae mandat, ut tota nocte cum Hiſpanis continuato itinere Bintium eodem tempore ad ſe imperata facturus veniat. Tempeſtuoſa ea nox admodum fuit, inſolito ventorum fragore et horridis nimbis Georgii caſum haud dubie portendentibus; quod et in cauſa fuit, ut Georgii ſtipatores, qui ad ignem ſedebant, propter frigoris violentiam eum includerentur, aſtum conjuratorum non animadverterint. Cum mane ad operas carri citius ſolito emitterentur, Lopezius ſuos nullo prohibente introducit; et Avila, ut juſſus erat, cum Hiſpanis affuit. Hac vero arte conjurati in Georgii cubiculum irruperunt. Marcus Antonius [e] Ferrarius Caſtaldo ab epiſtolis, homo proſtitutae audaciae, jam ab aliquo tempore tantam cum Georgio familiaritatem contraxerat, dum ſe herum prodere ſimulat, ut, cubiculariis ejus propterea factus notior, quavis hora ad ipſum admitteretur. Is, nondum illuceſcente die, qui fuit XIV Kal. Jan. cum oſtium cubiculi pulſaſſet, literas quaſi Georgii manu ſubſcribendas praeſerens, et Pallavicinum Viennam ad regem profecturum ſecum adeſſe ſignificaſſet, continuo introducitur. Sfortia ad fores, invito cubiculario, ingreſſus ſubſtitit. Jam ſurrexerat Georgius, et, ut in hyeme, duplici tantum veſte e ſebellinis pellibus tectus, relegendis pro more rerum agendarum commentariis intentus ad menſam ſedebat, cum Ferrarius ad eum familiariter accedit, et Pallavicinum ad fores ſtare monet, a Caſtaldo miſſum, ut, ſi quid ipſe imperare velit, ejus mandata ad regem perſerat: tum porrectis literis, dum Georgius calamum ſumit, ut nomen apponeret, Ferrarius raptum pugionem in pectus demiſit; ad ſtrepitumque accurrens Pallavicinus, ſtricto enſe, gravi vulnere medium quaſi caput diviſit; cum ille interea Dei nomen crebro inclamaret, et eos fratres appellando fidem repoſceret: mox ceteri conjurati ſupervenientes repetitis ictibus adhuc ſpirantem confodere. Arcem illam, in qua caedes patrata eſt, coenobii a Georgio everſi fundamentis ſuperſtructam fuiſſe ſcripſit Centorius; quod cum fieret, coenobii praeſulem ex eo exitium Georgio ſive praeſagiiſſe ſive imprecatum eſſe. Animadverſum et a domeſticis, quod cum, pridie quam periret, ſacerdos coram eo ſacrum celebraret, calice loco panis in manus ſumpto vinum effuderit: quod, tunc ſacerdotis negligentiae aſſignatum, tamen Georgii necem portendiſſe, et ejus ſanguinem mox effuſum iri ſignificaſſe poſtea multi interpretati ſunt. Hunc exitum habuit Georgius, LXX circiter annos natus; qui ex humili fortuna in ſummum honoris faſtigium et regibus parem potentiam evaſerat; vir pace belloque clarus, et profunda prudentia cum paucis comparandus: quam dum temporibus

INTERPR. [a] *Sabet.* [b] *Lopez.* [c] *Monino, & Campeggio.* [d] *Waſſarhely* Hung. *Neumarck.* Germ. [e] *Ferraro.*

poribus accommodat, et patriae fere ſemper bono Turcorum voluntati morigeratur, CIↃIↃLI. Henricus II.
multorum invidiam, ac poſtremo exitiale odium in ſe concitavit; quibus tandem effectum eſt, ut Ferdinando ipſi ſuſpectus eſſe coeperit; et, de ingentibus ipſius theſauris conſtanti fama ſparſa, Caſtaldum et omneis qui illi aderant ſpe lucri contra ſe armaverit. Praeter eas mortis tam indignae cauſas, quas retulimus, etiam alii addunt, Ferdinandum Georgio LXXX CIↃ aureorum penſionem pactum eſſe; proptereaque illius miniſtros regi gratum ſe facturos exiſtimaſſe, ſi Georgio de medio ſublato fidem de promiſſa penſione interpoſitam liberarent. Evulgatum fuit, et eo colore factum excuſatum, quod clandeſtina cum Turcis in Chriſtianae rei perniciem conſilia agitaret Georgius; idque Ferdinando perſuaſum fuit, cum re vera propter illius theſauros caedes facta ſit, qui tamen poſt ejus mortem admodum modici pro tanta fortuna reperti ſunt; omni ea pecunia, quam ſepoſitam credebant, in publica opera et alendos exercitus conſumpta ab homine liberali, et qui nulla privata charitate a cura reipublicae, quam exacta fide et diligentia adminiſtraverat, avertebatur. Quantum vero incrementi illius morte ſuis rebus acceſſurum rebatur Ferdinandus a miniſtris deluſus, tantum detrimenti ſe accepiſſe, ſed ſero, ſenſit, tranſlato ad externos homines ſummo imperio et publica adminiſtratione: a qua cum ſe provinciae reguli remotos viderent, minus animi et conſtantiae ſemper in dies ad propulſandum communem hoſtem adhibuerunt, et, ingentibus propterea cladibus acceptis, mox revocato rege Joanne, Ferdinandi imperium omnino averſati ſunt. Certe percuſſores Georgii poſt ejus necem ad unum omneis poenas dediſſe plerique ſcripſerunt; ac [a] Sfortiam quidem diuturna et morte pejore apud Turcos captivitate; [b] Moninum vero in Subalpina regione ad [c] Germani Fanum cervice abſciſſa; Ferrarium denique, qui [d] Alexandriae, quae ipſi patria erat, cardinalis [e] Tridentini juſſu ſexennio poſt ſecuri percuſſus eſt; poſtremo equitem Campegium, qui hujus ſaeculi anno LXII inter venandum in Ferdinandi ipſius conſpectu apri fulmineo dente in Bohemia diſcerptus eſt, honeſtiori nec tamen minus infortunata morte. Ubi Caſtaldus, qui in porticu juxta Georgii cubiculum ſpatiabatur, eventum expectans, mortuum eum eſſe intellexit, ſtatim per eos, quos Andreas Lopezius ſecum adduxerat, arce potitur, ejectis Georgii ſtipatoribus. Nam hi, re ſociis, qui in municipii ſuburbio erant, nunciata, ſtatim omnes, duce [f] Paulo [α] Banco Georgii in Lippenſi obſidione legato, [g] Bincio egreſſi, ad ſigna convenerant, ſeditionem proculdubio excitaturi, niſi dux defuiſſet. Is erat Franciſcus [h] Chendius praecipuus Georgii amicus, et magnae apud illas genteis auctoritatis, qui audita ejus morte mox conſcenſo curru fugam parabat: ſed juſſu Caſtaldi retentus non ſolum nihil contra eum movit, ſed partim neceſſitate, partim ingentibus promiſſis a Caſtaldo oneratus, ad res Ferdinandi ſtabiliendas magno ei adjumento fuit. Cum eo Caſtaldus [i] Saxabeſſum profectus, ibi reſcivit, praeſidiarios, quos Bincii reliquerat, non minus licentioſe quam crudeliter ſe gerere, effractis demortui arcis, et amota pecunia proque libidine a Lopezio militi diſtributa; relicto interea nudo Georgii jacentis cadavere in pavimento crebris ictibus deformato, quod congelato ſupra ſanguine magnum ſpectantibus horrorem incutiebat. Itaque mox eo [k] Didacum Veleſium miſit, qui et licentiam cohiberet, et corpus defuncti ſepeliendum curaret; quod poſtea amicis redditum, eorumque diligentia [l] Albam delatum, et in majore urbis templo juxta Joan. Huniadae Corvini ſepulchrum conditum eſt. Saxabeſſo Caſtaldus ad provinciae duces et praefectos mittit, qui eos in Ferdinandi fide confirmarent; niſi parerent, vim minarentur. Inprimis ad [β] [m] Vivariam mittit, caſtellum munitiſſimum a Georgio exſtructum, ubi gazam aſſervare credebatur. Ibi legatum a Solymano ad Georgium miſſum comprehendi jubet; a quo nihil quaeſtionibus extorqueri potuit, quod in Georgii crimen recideret; tantum repertae literae fiduciariae

VAR. LECT. [α] Bauco P. D. o. f. [β] Vinuariam P. D o f. d.

INTERPR. [a] *Sforza Palavicino.* [b] *Monino.* [c] *San Germano en Piedmont.* [d] *Aleſſandria.* [e] *de Trente.* [f] *Paolo Banco.* [g] *Wintz.* [h] *Quendi.* [i] *Száſz-Szebes.* [k] *Diego Velez.* [l] *Weiſſenburg.* [m] *Wivar.*

CIƆIƆLI. fiduciariae lingua Turcica exaratae, quas clam Caſtaldo ad Solymanum, Roſtanum
HENRICUS II. purpuratum, Graeciae praetorem, alioſque aulae Turcicae proceres ſcripſerat, ſigillo,
quo uti conſueverat, obſignatas: eoque magis facti tam ſcelerati aucta iovidia eſt,
poſtquam ab inimicis omnia pro libidine agentibus nihil confingi potuiſſe compertum
eſt, quod mortui innocentiam labefactaret. Inde Caſtaldus Viennam Julianum
[a] Carvajalem mittit, qui de re tota Ferdinandum certiorem redderet. Is, quod primus
Lippam per ruinam ingreſſus eſſet, praemium propoſitum ab eo tulerat; quamvis
hunc honorem Georgius Pannoniis ſuis tribuiſſet. [a] Cibinium dein ventum oon
ita Georgio ob antiquas ſimultates amicam civitatem; et Cibinio mox magno comitatu
[b] Segeſvaram cum Chendio profectus eſt Caſtaldus, ut Ciculorum comitia,
quae [c] Waſraëlii indicta fuerant, vicinitate ſua diſturbaret, quod in iis de Georgii
nece vindicanda actum iri inaudiverat: qua in re fideli admodum [d] Cbendii opera
uſus eſt; qui ipſius juſſu comitiis interfuit, et partim muneribus partim gratia eos
Ita devinxit, ut, omiſſa viri optime de ſe meriti ultione, in Ferdinandi obſequio permanſerint,
et ſe in poſterum ad omoia paratos oſteoderint. Ita pacificatis in [e] Dacia
CIƆIƆLII. popularium animis, Caſtaldus militem in hyberna diſtribuit. Morte Georgii cum
tuta et pacata in Dacia crederentur omnia, perveſtigandis demortui theſauris, quae
praecipua illius necis cauſa fuerat, cura impenſa eſt. Eorum deſcriptio per delectos
a Ferdinando facta, curante Caſtaldo, non ſine ſuſpicione multarum rerum amotarum:
ſed ejus rei culpa in Aodream [f] Lopezium rejecta eſt; qui cum aliis qnibuſdam propterea
carceri mancipatus fuit. Reperta ſunt auri infecti CIƆ IƆCCXL pondo, argenti
IV CIƆ IƆCCXCIII, argenti e fodinis nuper eruti IƆ CCCCXXXIII, nummi Lyſimacbici
aurei CIƆ, ſinguli trinûm aureorum pondere; vaſa praeterea, monilia, annuli,
gemmae magno numero; pellium ſebellinarum maſſae complures; aulaea item
et veſtimenta pretioſa; equorum, mulorum ac ceterorum jumentorum ingens ac regius
apparatus: quae omnia partim longo tempore congeſta, partim ex provinciae
quaeſtura, quam ille adminiſtraverat, collecta, et mox in belli uſus expendenda, longe
minora fama, quae de illis ſparſa fuerat, mortuum a calumniis abſolverunt, et magna
invidia interfectores ooeraverunt. Neque enim amplius CCL CIƆ aureorum ea aeſtimant,
qui rem in defuncti odium exaggerant: quae ſumma ut tanti viri fortunam
minime excedebat, ita neque explendae inimicorum ejus avaritiae ſatis erat. Iſabella,
odio innato cauſata multa ex Joannis regis rebus ſurrepta, eorum reſtitutionem a
Ferdinando poſtulavit, et impetravit. Caſtaldus ex ea praeda vaſa argentea inaurata
C pondo, et CCCC Lyſimachicos, ſebellinarum item pellium partem Ferdinandi liberalitate
praemium necis habuit. Equorum propagines ac jumenta omnia a Maximiliano
Bobemiae rege Aodreae [g] Bathorio poſtea donata ſunt. Cetera ſibi Ferdinandus
ſumpſit. Aurum et argentum conflatum; et percuſſa ex eo moneta aliquot
meoſium ſtipendium militi diſtributum. Aurum illud, ut olim Toloſanum, poſſeſſotibus
exitiale, et infauſtiſſimns annus, qui ſecutus eſt, manifeſtum fecere, Deo
curae fuiſſe Georgii necis ultionem; tot captis a Turco oppidis et cladibus per totum
regnum acceptis, et regina proceres regni ad defectionem ſolicitante, quod promiſſa
Ferdinandi nomine a Caſtaldo non praeſtarentur.

VII. CASTALDUS jam Cibinium redierat, omnibus fere jam Daciae arcibus in
fidem acceptis. Ibi de Turcorum novis belli apparatibus per negotiarores [h] Tergoviſtii,
quae primaria [i] Moeſiae inferioris civitas eſt, factus certior, Pallavicinum ad
Ferdinandum mittit; qui eum, quo in ſtatu res eſſent, edocerent, et auxiliareis copias
ad Turcorum impetus ſuſtinendos expoſceret. Ille continuo ipſum Pallavicinum
in Italiam proficiſci jubet, ut IV CIƆ militum conſcriberet, et quas poſſet Hiſpaoorum

oorum

VAR. LECT. [a] Claravallem P.D.o.f.

INTERPR. [a] *Herrmanſtadt.* [b] *Schelzburg*, ou *Segeſvár.* [c] *Waſſarhely*, ou *Neumarck.* [d] *Quendt.* [e] *Tranſilvanie.* [f] *Lopez.* [g] *Bathory* [h] *Tergaviſch*, al. *Terwiſch.* [i] *Valachie*, qui ſe nomme auſſi *Tranſalpine.*

CIƆIƆLII.
HENRICUS II.

norum cohortes ſecum adduceret. Interea ad Caſtaldum ſcribit; ſeque illi propediem VIII CIↃ Bohemorum cataphractorum, XX CIↃ Huſſarorum, XX CIↃ Germanorum peditum, et Italorum atque Hiſpanorum uſque ad V CIↃ miſſurum ſpondet: quae ſeu vanitate pollicitus, ſive conſentientibus Germanis et Hungaris re vera praeſtiturus erat, bellum Germanicum, quod mox, Mauritio ſeptemviro duce, contra Caeſarem ſuſceptum eſt, irrita reddidit. Caſtaldus ea ſpe plenus, quod poterat, feſtinatis operibus Lippae, Temeſvarae, [a] Claudiopoli et Cibinio muniendis incumbebat. Principium malorum a [b] Zegedini oppugnatione fuit; quod eſt oppidum CIↃ focorum capax in confluentibus fere Tibiſci et Danubii ſitum, et propterea negotiatoribus frequens atque opulentum: arcem habet in Tibiſci ripa longe muniſſimam, Turcico praeſidio tunc munitam. Dum Caſtaldus in Lippae adhuc caſtris eſſet, venerat ad eum Otomialis quondam Zegedini civis, et demum, poſt amiſſam patriam, [c] Debrecenl, quod eſt in Pannonia oppidum, primarius decurio, homo audentior quam prudentior; qui, coram Andrea Bathorio, ſpe de Zegedino capiendo facta, copias in eam rem flagitabat; ſecreta ſibi cum oppidanis conſilia eſſe, et viciniam omnem haud dubie favere dictitans, quae, jugum Turcicum et intolerandam ſervitutem exoſa, nihil aliud expectaret, quam occaſionem teſtandae tam egregiae voluntatis. Cum ſaepius urgeret, tandem conſcribendi militis poteſtatem a Caſtaldo impetrat; ab eodem inſuper monitus, ut, ſi conatus tantum in parte ſuccederet, et capto oppido arcem non caperet, protinus abacta praeda et incenſo oppido diſcederet; alioqui fore, ut vitam et copias cum dedecore amitteret. Igitur ille, diſſoluto poſt Lippam captam exercitu, II CIↃ peditum, IↃ equites legit, et, ſuppreſſa cauſa, aſſignato in peditem et equitem majore ſolito ſtipendio, in locis Lippae vicinis copias locat: unde Aldanae praefecto Lippae, qui neſciret in quam rem hae copiae pararentur, ſuſpicio primum injecta; verum is a Caſtaldo certior factus poſtea cum Otomiale conſilia ſociavit, et operam ſuam ultro detulit. Die oppidanis condicta, Otomialis urbem propius copias admovet, et in inſidiis per ſylvas locis idoneis diſponit, praemiſſis exiguo numero aliquot militibus, qui praeſidiarios ad certamen extra oppidum elicerent. Continuo conclamatum ad arma: et, cum Turci egreſſi eſſent, exiguumque noſtrorum numerum conſpicati in eos imprudenter ulterius progrederentur, undique a circumpoſitis inſidiis invaduntur; ſeroque errore cognito, cum retro in oppidum confugerent, a conſciis oppidanis occluſis portis excluſi ſunt. Itaque ad internecionem deleti fere omnes; noſtrique in oppidum admiſſi, cum arcem, in quam ſe Turci poſt captum oppidum adducto ponte receperant, e veſtigio capere non potuiſſent, ad Turcorum negotiatorum, qui plerique illuc Conſtantinopoli ob loci commoditatem familias tranſtulerant, domos diripiendas vertuntur. Cum vero Otomialis iis copiis, quas habebat, arcem capi poſſe deſperaret, continuo ad Aldanam mittit; qui mox eo cum CC Hiſpanis et IV tormentis proficiſcitur, monito Caſtaldo, ut auxilia ſine mora ſummitteret. Ille, poſtquam utrumque erroris increpuit, periculique inſtantis ſemel atque iterum admonuit, ubi videt Otomialem in propoſito pertinaciter haerere, ne ipſi omnino defuiſſe videretur, ad Thomam [d] Varocium, qui [e] Waradini erat, literas dat, ut inde IV tormenta, ex [f] Alba Julia II cum omni inſtrumento Zegedinum deducenda curaret; quae poſtea per [g] Maruſium amnem eo tranſportata ſunt. Impetatum et [h] Petro Vaccae, qui peditatui praeerat, ut ex Albae et Waradini praeſidiis quantum poſſet militum cogeret, et eodem ſecum duceret, [i] Oreſtolfo cum CC cataphractis ſubſequi juſſo. Ipſe, ut ad omneis occaſiones vicinior eſſet, Albam Juliam venit; et, quia de eventu verebatur, Roderico [k] Villandrado negotium dat, ut abſente Aldana Lippae praeeſſet; Didaco Veleſio Mendozae,

INTERPR. [a] *Clauſenburg,* [b] *Zegedin,* ou *Zeged.* [c] *Debreczen.* [d] *Varkocz.* [e] *Waradin.* [f] *Weiſſenburg.* [g] *le Mareſch.* [h] *Vacchi Pietro.* [i] *Oreſtolf.* [k] *Vilandrado*

CIƆIƆLII.
HENRICUS II.

Mendozae, ut Temeſvarae; attributis utrique aliquot copiis. Jamque octo dies elapſi erant, ex quo Aldana ſpe praedae caecus arcem obſederat, et lato aggere undique cinxerat, cum P. Vacca II CIƆ auxiliarium ſecum trahens, et [a] V tormenta, Oreſtolfus CC equites, [a] Canocio C ſcloppetarii Germani, XXX Hiſpani pedites ac C equites venerunt. Erant omnino III CIƆ equitum, II CIƆ Hungaricorum peditum, CCCXXX Hiſpani, C Germani; quorum dum luſtratio in planitie arci ſubjecta fieret, Turci auxilio obſeſſis venientes, duce Budae purpurato, procul apparuerunt; qui ſtatim, viſis noſtris, in duas acies diſtribuuntur, curribus et carris, quibus praetoriani impoſiti erant, a tergo locatis: viciſſim Vacca ex levi armatura quadratam aciem unam conſtituit, et Oreſtolfus ex cataphractis alteram, aciei Turcicae, in qua purpuratus erat, oppoſitam: tertiam aciem Otomialis et Aldana cum peditatu regebant, juxta urbem ſepoſitam. Cum cunctaretur Aldana, Vacca temere in obvios invectus primos hoſtium ordines fundit; quem inſecutus Oreſtolfus in latus laevum agminis, in quo purpuratus ſtabat, vehementi impetu impreſſionem fecit, reliquo fere agmine integro relicto; cumque Hungari jam victoria ſe potitos exiſtimarent, ad praedam verſi huc illuc confuſis ordinibus feruntur: quod ubi vidit purpuratus, qui quaſi victus jam de receptu cogitabat, vireis et animos reſumit; praetorianiſque, quos a tergo reliquerat, aſſumptis, conſerta acie in vagos et palanteis invectus eos facile fundit, nequicquam reſiſtentibus cataphractis equitibus, qui, jam caeſis fere omnibus Hungaris, ad extremum victi et ad internecionem omnes deleti ſunt: ſtatimque Turci, qui arcem tenebant, in oppidanos conjuratos effuſo furore univerſos interficiunt, nullo aetatis aut ſexus diſcrimine. Eo die V CIƆ Chriſtianorum a Turcis tam intra quam extra urbem caeſa ſunt. Ad hanc cladem et novum infortunium acceſſit; quod, cum CCC pedites Pannonii ante triduum praedatum emiſſi rei ignari in caſtra tanquam ad ſuos redirent, in hoſtem prius inciderunt, quam Turcos eſſe animadvertiſſent: ſed ſero errorem agnitum inſolita animi praeſentia penſarunt, et, quamvis ad unum omnes caeſi, majorem duplo numerum ex Turcis occiderunt, victoriamque nullo fere negotio huc uſque partam ſua virtute cruentam hoſti reddiderunt. Aldana autem, qui cum peditatu, quem penes ſe habebat, reſtituere certamen potuerat, remque ſua ſeu ignavia ſive imprudentia in certam perniciem adduxerat, ſummo dedecore cum Hiſpanis ſuis profugit, et una nocte duorum dierum iter emenſus Canocium haud longe a Lippa pervenit. Is cum Tibiſcum copias traduceret, [b] Figeram ordinum ductorem ſtrenuum hactenus creditum reliquerat, qui ad navigia cum praeſidio ſtaret: verum ubi de clade cognovit Figera, ratus omneis Hiſpanos in proelio cecidiſſe, imperii et officii immemor in alteram fluvii ripam tranſit, et ſolutis navigiorum funibus aufugit; aliquanto viae ſpatio progreſſus, ubi ad ſe rediit, erroris gravitate diu animo agitata, ex pudore in deſperationem incidit, ac poſtremo manus ſibi afferre voluit: ſed a puero, qui cum eo erat, pugione ſubtracto tunc prohibitus, diſſimulato conſilio, ubi puerum ſomno conceſſiſſe videt, ſcloppeto ad pectus appoſito tandem ſe ipſe confecit. Caſu hoc perculſos et alienatos a ſe Pannoniorum animos ut demereretur Ferdinandus, Andream Bathorium [c] Daciae vaivodam conſtituit, et Laurentium [d] Lozantium Temeſvarae comitem creat, primarios viros, et qui plurimum auctoritate apud illas genteis valebant; ut videlicet collati in paucos beneficii gratia ad multos perveniret.

VIII. MOXQUE de Mahometi purpurati a Solymano delecti, qui bello in Dacia gerendo praeeſſet, adventu nunciatur. Is [e] Taurunum jam venerat, eo conſilio ut ab inferiore parte ipſe cum potentiſſimo exercitu, ab altera per [f] Stephanopolim Moldaviae princeps, cui idem negotium datum erat, eodem tempore in Tranſylvaniam invaderent. Itaque conventus [g] Tordae ad [h] Aramum fluvium, qui in [i] Maruſium delabitur,

VAR. LECT. [a] IV P. D. o. f. d.
INTERPR. [a] *Canock.* [b] *Higuera.* [c] *Tranſilvanie.* [d] *Lozanczi.* [e] *Belgrade* [f] *Cronſtadt.* [g] *Torda*, ou *Torrenburg.* [h] *Aramas*, al. *Aran.* [i] *le Maroſch.*

delabitur, protinus indicuntur; in quibus provinciae regulis mandatur, ut more gentis delectus habeant, et exercitum conſcribant, qui reprimendae Moldavi potentiae par ſit: ab ea ſcilicet parte plus metus erat; quippe in qua, [a] Segeſvara excepta, nullus munitus locus eſſet, qui hoſtem morari poſſet, quo minus manu armata in Ciculiam ingreſſus vicina loca rapinis ac flammis vaſtaret. Id ſibi negotii ſumpſit Bathorius. Joan. Baptiſta [b] Arcuenſis comes abſente Felice fratre, cum una et altera Germanorum cohorte Caſtaldi juſſu [c] Stephanopolim defendendam ſuſcepit; cui attributus Caroli [d] Serotini legatus cum CC equitibus. Arcuenſi inſuper imperatum, ut munitionem haud longe ab urbe in colle aedificatam occuparet, et tormentis ac milite firmaret. Saxones, quorum praecipua in Tranſylvania civitas [e] Cibinium, ad bellum illud paratiſſimos ſe et omnia ſua liberaliter Caſtaldo obtulerant. Sub idque tempus [f] Helfeſtenius comes a Ferdinando venit cum IV CIↃ Germanorum et X machinis bellicis, qui majora a rege pollicebatur, miſſuro propediem CIↃ IↃ cataphractos equites, VII Germanorum vexilla, ac II CIↃ Hungarorum. His promiſſis Caſtaldus a rege oneratus alios deinceps longe amplioribus onerabat; venturum propediem [g] Pallavicinum cum III CIↃ Italorum; nec multo poſt ipſum Mauritium ſeptemvirum, qui auxilia hactenus propter motus paulo ante excitatos, de quibus mox dicetur, remoratus ſit, cum XII CIↃ peditum et III CIↃ equitum ſubſecuturum: ſic enim ſecum conveniſſe. Mandabatur inſuper a rege, ut ex collegiorum ſacrorum, quibus adminiſtrator deeſſet, reditibus, quos deſcribi per [h] Veſprinii epiſcopum et Georgium [i] Vernerium curaverat, pecunia in belli uſus corraderetur, et CCCC illis Huſſaris, qui ſub Georgio Martinuſio meruerant, ſtipendium aſſignaretur, ne ad hoſteis transfugerent, et [k] Opperſtolpho praecipuo in ea provincia duci, qui nuper Ferdinando fidem addixerat, attribuerentur. Interea [l] Lozantius, qui [m] Temeſvarae erat, cum IↃ equitibus et CIↃ peditibus, partim Hiſpanis partim Bohemis et Germanis, et IↃCCCC circiter oppidanis, qui arma ferre poterant, accepto unius menſis ſtipendio, ac CC praeterea Germanis, a Caſtaldo diligenter monebatur, ut quantum poſſet commeatus in urbem inferret, et ad ſuſtinendam fortiſſime ac diutiſſime obſidionem ſe compararet: ſic enim rem habere, ut magis a partibus Moldavi impreſſioni obnoxiis verendum ſit, quippe in quibus nulla munimenta ſint, quam ab inferiori regione, in quam Mahometus cum exercitu veniat: itaque decreviſſe cum exiguo Hiſpanorum numero, qui reliquus ſit, VI CIↃ Germanorum et CIↃ cataphractis obviam Moldavo procedere, ut conatus ejus, adjunctis praeterea indigenis, conturbet; de quo ſi, ut ſperet, victoriam reportet, continuo ad eum advolaturum eſſe, et locum haud dubie obſidione liberaturum. Inde Caſtaldus Torda Claudiopolim proficiſcitur, monito Helfeſtenio, ut ſe cum IV CIↃ Germanorum ſubſequeretur; cui propterea pro quatuor menſibus duo tantum ſtipendia numerari juſſit. Nihilominus Germani, quamvis undique imminente tam formidoloſo hoſte, tumultuari coeperunt: cumque in ſuburbiis hoſpitium iis aſſignatum eſſet, occupatis tormentis, quod in hujuſmodi ſeditionibus fieri amat, in urbem ipſam impetum facere conantur: verum ab oppidanis, jubente Caſtaldo, contraria tormentorum verberatione repulſi, de ipſo Caſtaldo comprehendendo conſilium ineunt: quo reſcito, ille ſubito Tordam revertitur, ubi provinciae delectus convenerant; interminatuſque Germanis excidium, ni reſipiſcerent, illos ad officium revocavit, et, ut Tordam venirent, pervicit; ubi de ſeditioſis ſumptum ſupplicium ab Helfeſtenio, L ex iis circiter occiſis. Quo facto, Caſtaldus ſe ad iter accinxit, ut iis, qui Stephanopolim tenebant, praeſto eſſet. Jam Moldavus cum XL CIↃ exercitu montes [n] Daciae imminenteis ſuperaverat, et IV ab urbe milliaribus conſederat: ubi virtute Jo. Baptiſtae Arcuenſis levibus ſed continuis certaminibus hactenus repreſſus, ad extremum inſigni clade fractus retro ceſſit. Delectos ex Turcis, Tataris ac Moldavis ad CIↃ praemiſerat,

INTERPR. [a] *Segeſvár.* [b] *le conte d'Arco.* [c] *Cronſtadt.* [d] *Zerotin.* [e] *Hermanſtadt.* [f] *Helfenſtein.* [g] *Pallavicino.* [h] *Veſprin.* [i] *Werner.* [k] *Opperſtolff.* [l] *Loſonczi.* [m] *Temeſwar.* [n] *Tranſilvanie.*

ſerat, ut urbis ſitum contemplarentur. Poſtquam de hoſtium conſilio Arcuenſis cognovit, aliquot ſclopperarios et equites Germanos ad locorum anguſtias, qua Turci tranſituri erant, in inſidiis abdit: ita a praeſidiatiis excuntibus cum illi in anguſta compulſi eſſent, ab inſidiatoribus a tergo excipiuntur, et omnes interfecti ſunt, ne uno quidem ſuperſtite, qui cladis nuncium ad ſuos perferret. [a] Moldavus autem ſub id tempus, Caſtaldum adventare cum intellexiſſet, poſt cladem acceptam, majora vero de noſtris ſibi fingens, quamvis non plus XII CIƆ hominum in exercitu eſſent, turpi fuga ſe in monteis recepit; neque ſe illac itinere facto, uti promiſerat, cum Mahometo conjunxit. Neque vero dubitabatur, ſi Ciculi, ſicut juſſi erant, praeſto fuiſſent, quin deleri omnino potuerit.

IX. VERUM, dum contra Moldavum res feliciter geritur, Temeſvara amiſſa eſt. Nam Mahometus interea cum C bellatorum CIƆ exercitu, et LXX machinis bellicis, in queis XXX muralia tormenta, comitibus [b] Graeciae praetore, qui ſuperiore anno ſummae rerum praefuerat, et [c] Caſſumbaſſa, magni nominis duce, relicto [d] Tauruno, ad [e] Tibiſcum venerat, et per pontem exercitu tranſmiſſo caſtra ad Temeſvaram metatus fuerat; quae, imperfecto opere quinque propugnaculis vallata, duobus tantum locis commode defendi poterat. Ad VII Kal. Quintil. Mahometus cum XVI equis progreſſus cum praetore harum regionum gnaro, ut locum luſtraret, mox egreſſo Alfonſo Perezio, levibus certaminibus laceſſitur. Triduo poſt toto exercitu circumpoſito, ut nulli exire oppido aut in illud intrare liberum eſſet, cum tribus diverſis partibus per octo dies integros diſploſis XXX majoribus tormentis verberatio continuaſſet, dejectis fere munitionibus et muro undique aperto, [f] Lozantius nihilominus Turcorum impetum admodum violentum per horas quatuor ſumma virtute ſuſtinuit, ac tandem repulit. Deſideratis ex hoſtibus, praeter ſaucios, CIƆ IƆ, ex noſtris circiter CL; quod IV Non. Quintil. accidit. Hoc caſu non tam fractus hoſtis quam ex pudore repulſae irritatior ſimul et audentior factus; noſtri contra, licet victores, admodum debilitati ſunt, ſauciatis pleriſque militibus, et jam deficiente commeatu: acceſſit, quod Otomialis a Caſtaldo cum CCCC peditibus auxilio ſummiſſus ab equitatu Turcico omnino deletus fuerat. Itaque, cum nulla ſpes auxiliorum eſſet, ad pacis conditiones initio a [g] Tranſalpino vaivoda propoſitas, antequam Mahometus Danubium tranſiiſſet, extrema neceſſitate coactus Lozantius reſpicere coepit. Eae erant, ut, ſi Ferdinandus Temeſvarenſis ditionis nomine tributum, quod [h] Petrus Vicchius pendebat, Solymano praeſtaret, ab armis abſtineretur. Sed, cum hoſtis rem non amplius integram eſſe diceret, trans Danubium atque etiam Tibiſcum traducto exercitu, et verberatione tot dierum facta, nihil in praeſentiarum agi potuit; et verberatio denuo a Turcis redintegrata, praeſidiariis non jam pro ſalute regni ſed pro ſua fortiter reſiſtentibus, et erectis interea intra foſſam tumultuario opere aliquot munitionibus. Saepius re tentata, ſemper accepto damno Turci repulſi ſunt; amiſſo tamen e noſtris Gaſpare [i] Caſtelluvio Hiſpanorum duce, qui ſtrenuam operam in ea obſidione navaverat. Itaque Mahometus, ut metum obſeſſis injiceret, C capita auxiliaribus Otomialicis abſciſſa, ex iiſque maxime deformia in noſtrorum conſpectum ad horrorem ante muros praefigi juſſit, addito elogio, idem ſe de reliquis auxiliaribus deinceps facturum, quod de Otomialicis feciſſet. Nihil illo cruento ſed inani ſpectaculo territis noſtris, cum in eo eſſet Mahometus, ut ab obſidione diſcederet, ex duobus transfugis Hiſpanis, [k] Baetico uno, ſed gente Arabe, altero, qui olim a Turcis captus veram religionem ejeraverat, ducta Conſtantinopoli uxore et liberis ex ea ſuſceptis, cognoſcit Temeſvarenſium peſſimo loco res eſſe; ob idque in obſidione perſeveravit. Lozantius vero, qui in dies animos ſuis concidere videret, cum praeſidiariis de dedendo oppido tandem agere coepit; Hiſpanis tamen, deſerendum illud potius,

INTERPR. [a] *le vaivode de Moldavie.* [b] *le beiglerbey de la Grece.* [c] *Caſſum-baſſa.* [d] *Belgrade.* [e] *la Theiſſe.* [f] *Lozoncus.* [g] *le vaivode de Walachie.* [h] *Petrowickr.* [i] *Caſtelluyo* [k] *de Grenade*

potius, et poſt eruptionem per paludes in ſylvas confugiendum eſſe, cenſentibus, quod alienae fidei, quam nuper [a] Olimano non ſervaſſent, committere ſe tutum non exiſtimarent. Sed, cum abitio illa periculi plena pleriſque melius de Turcorum fide ſperantibus videretur, rurſus cum Mahometo de deditionis conditionibus actum eſt; qui, quod de obſidionis diuturnitate Solymanum queri inaudiviſſet, et deſperatione potius quam robore ſuo obſeſſos reſiſtere videret, a vi aperta, quae minime hactenus ſucceſſerat, ad fraudes conſilia convertit; et a [b] Loxantio miſſos non ſolum benigne audivit, ſed et cum prolixa benevolentiae ſignificatione veſtibus Turcicis holoſericis indutos in oppidum remiſit. In eas conditiones conventum eſt; ut Lozantius tormenta inde, quo vellet, deduceret; milites cum armis et vexillis explicatis ſalva re et omnibus impedimentis exire poſſent; nulli oppidanorum, quod Ferdinandi partes ſecuri eſſent, fraudi eſſet, ſed ab omni injuria immunes eſſent; Mahometus cuſtodes attribueret, qui noſtros in tutum deducerent, fidemque interponeret, nemini in oppidi exitu aut in itinere a quoquam ſuorum injuriam illatum iri. Poſtquam eas conditiones jurejurando firmavit Mahometus et annulo proprio obſignavit VIII Kal. Sextil. biduo exacto, Lozantius cum ſuis exit. Per media duo agmina juſſu purpurati inſtructa deditis tranſeundum erat: cum Hiſpani cunctarentur, et haec in perniciem ſuam ordinata dicerent, Loxantiumque, ut ſe reſpiceret, obteſtarentur, denuo fides a Mahometo interpoſita eſt, factum excuſante, quaſi inſtrui juſſiſſet aciem, ut fortibus viris, qui tam exiguo numero ſumma virtute oppidum defendiſſent, hunc noviſſimum honorem haberet: ſic illi, poſtquam oppido 10 circiter paſſus progreſſi ſunt, ſigno dato, omnes a circumſtantibus partim occiſi partim capti in miſerabilem ſervitutem abducuntur. Perezius ſtupenda virtute e manibus Turcorum, dum reliquis trucidandis occupantur, elapſus, poſt paulo, praecipitato in paludem equo, ab inſequentibus capitur; qui abſciſſum forti viro caput ad Mahometum in trophaei ſignum detulerunt. Lozantius ipſe captus et ad purpuratum deductus eſt, qui, ut captivo injurioſius illuderet, primo cum omni honoris in ſpeciem genere accepit: adeo ut Lozantius eadem credulitate, qua cum perfido homine pepigerat, jam de ſalute ſua bene ſperaret: mox in tentorium ſecum abductum, et ludibrio aliquandiu habitum, ante pedes capite truncari juſſit. Caput oppidi portae affixum, reliquo cadavere inſepulto. Ita Lozantius, vir domi et natalibus clarus, ſed virtute longe nobilior, Turcica perfidia oppreſſus, alienae perfidiae, qua erga Olimanum Caſtaldus paulo ante uſus fuerat, poenas luit. Mahometus oppido praeter ſpem potitus, dum in eo ad reficiendas vireis commoraretur, [c] Carenſebenſium populoſiſſimum oppidum, qui durante obſidione commeatum in ipſius caſtra ſemper copioſe ſummiſerant, in fidem accipit, pacto tributo.

X. CLADEM ad Temeſvaram acceptam Aldanae, qui Lippam tenebat, ſocordia et ignavia cumulavit. Is, quamvis in ſuos uſus omnia verteret, et abunde proviſa neceſſaria haberet, pecunia etiam ea interverſa, quae Temeſvarae muniendae deſtinata fuerat, adventante primum Mahometi exercitu, de oppido relinquendo cogitaverat; ſed, monentibus amicis quantum ex ea re dedecus ipſum maneret, pudendi eum conſilii poenitere coepit, fidemque de defendenda Lippa interpoſuit: dein ubi omnem belli impetum in Temeſvaram verſum vidit, majorem in Lozantii virtute quam in propria fiduciam habens, omnia ſecure pro more ſuo et negligenter agere, coeptas munitiones intermittere, non milites aut idoneos homines exploratum mittere, nec quidquam de hoſtibus cognoſcere, niſi per captivos, quos Raſciani bellicoſa gens injuſſi ad eum quotidie adducebant; nullum denique rei bellicae munus obire, fruſtra monente et increpante Demetrio [d] Uzarevico Huſſarorum duce. Multi etiam negligentiam, qua in munienda arce uſus fuerat, ita interpretabantur, quaſi excuſationem quaereret, ſi forte eam, ut non ſatis firmam, Turcis ſupervenientibus, desereret. Itaque denuo

INTERPR. [a] *Oliman Bech.* [b] *Lozonczi.* [c] *Caranſebez.* [d] *Uzarevicki.*

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

denuo de relinquendo oppido et incendenda arce, corruptis tormentis ac reliquo commeatu, clam conſilium iniit, reclamantibus Hungaris, et Raſcianis, ſi abire decreviſſet, operam ſuam in conſervanda ea fidelem ſpondentibus; quibus et ſe addebant Hiſpani ii, quibus gloriae quam vitae potior cura. Quod ubi animadvertit Aldana, cum, prenſatis ſigillatim ſuis, & propoſita periculi magnitudine, vix ab iis impetrare potuiſſet, ut in tam ignominioſam ſententiam conſentirent, iterum ſe conſilium mutaſſe ſimulavit, factaque commeatus deſcriptione, ſacramento omneis ad oppidi defenſionem adegit, urgente inprimis [a] Paulo Jaderenſi fortiſſimo viro, Germanicarum copiarum praefecto, qui tantiſper ſaltem differendam abitionem monebat, dum hoſtis in conſpectum veniſſet; nam minime certum eſſe, Mahometum Lippam oppugnaturum, damnoſa ac moleſta Temeſvarae obſidione fatigatum, a qua paulum abfuerit, quin re infecta diſceſſerit: Joannem Turcum et Bartholomaeum [b] Illyricum cum levi armatura VIII ab hinc milliaribus caſtra habere, qui toto obſidionis tempore continuis incurſionibus et velitaribus pugnis hoſtem laceſſiverint: nondum eos loco ſe moviſſe; quod procul dubio facturi ſint, ſi Turci Temeſvara Lippam venirent. His et aliis rationibus Paulus vix ab Aldana impetravit, ut ad Jo. Turcum et Illyricum mitteret, qui de hoſtium conſiliis cognoſcerent. Ii, cum Temeſvarae adhuc Turcos eſſe intellexiſſent, neque Lippenſis arcis obſidendae ullam inter eos mentionem fieri, protinus curſu citato advolant, veriti, ne Aldana praecipiti deſperatione ignem, uti decreverat, in cuniculos ad id paratos immitteret. Haud longe poſt illos armenta et greges magno numero incedebant, qui ingentem pulverem excitabant. Id conſpicati, qui in ſpecula erant, ſtatim Aldanae renunciant: et ille jam concepto metu perculſus, cum ſibi perſuaſiſſet ex illo ingenti pulvere hoſtem adventare, et illos homines curſu citato approperare, ut rei nuncium afferrent, non expectato eorum adventu, carros, in quos impedimenta omnia jam ante componi curaverat, oppido emitti, et militem conglobatum egredi, ſuppoſitoque igne arcis turreis ſubverti ac machinas bellicas corrumpi jubet: quo facto, ipſe animi dubius, jam ardente oppido, exit; dira et probra vomentibus oppidanis, qui ſe, uxores et liberos, quos amiſſis fortunis per agros ſecum miſerabiliter trahebant, per ignaviam ab Hiſpanis prodi querebantur, tantaeque injuriae Deum ultorem appellabant: nec ſera fuit vindicta, ruſticis palanteis metu huc illuc per avia proditores ſpoliantibus et jugulantibus. Bartholomaeus vero, cum ex hoſpitio ſuo flammam cerneret, et quid rei eſſet ignoraret, quidvis aliud potius, quam quod erat, ſuſpicatus, tandem ad Lippam venit; ubi poſtquam rem, uti habebat, intellexit, miratus, Aldanam panico terrore correptum tam turpiter non a Lippa ſed a ſe-ipſo exiviſſe, et oppidanos hoſti prodidiſſe, quod potuit, tormenta nondum corrupta flammis eripuit, et Giulam deducenda curavit; igne rurſus accenſo, ne quid reliquiarum ſupereſſet, quod hoſtibus ad muniendum locum irritamento poſſet eſſe aut adjumento. Vix Illyricus diſceſſerat, cum Mahometus, nihil minus quam de Lippae obſidione cogitans, re intellecta, eo miſit; qui munitiones non omnino deſtructas eſſe cernentes, igne protinus reſtincto, eas inſtaurant, Mahometumque rei certiorem faciunt. Ipſe mox eo Caſſumbaſſam cum V CIↃ equitum miſit. Is, ubi venit, [c] Solymorum arcem vicinam ſitu inexpugnabilem, a praeſidiariis tamen alieno pavore conſternatis deſertam, occupavit; quos fugienteis adſecuti Turci ad unum omneis ſine certamine trucidaverunt, excepto centurione arci ab Aldana impoſito, qui captivus ad Caſſumbaſſam perductus eſt. Ita praeſidiarii per ignominioſam fugam arcem et vitam amiſerunt; quas, ſi fortiter reſtitiſſent, magna cum laude ſervare potuiſſent. Temeſvara et Lippa amiſſis, Caſtaldus, diſſimulato dolore, [d] Devam munitiſſimum iis locis caſtellum Andreae [e] Lopezio mox et Aldanae cuſtodiendum commiſit. Haud longe ab eo veteris arcis rudera viſuntur; in quibus paulo ante, cum continuo imbre humus

excavata

INTERPR. [a] *Paolo di Zara.* [b] *Croate.* [c] *Solnoz.* [d] *Deva, al. Dewa.* [e] *Lopez.*

excavata eſſet, illuceſcente dein ſole, ad ejus radios rutilare aurum viſum eſt; illoque accurrentibus ſubito ruſticis, et effoſſa terra, reperti magno numero aurei nummi cum Lyſimachi effigie, ſinguli trium noſtratium aureorum pondere. Inde Caſtaldus [a] Segeſvaram venit, et rurſus [b] Saxabeſſum in provinciae meditullio ſitum; inter quae duo oppida caſtra munire decrevit, ut aditum in Tranſylvaniam Mahometo intercluderet. Sed plus valuere aſtus Bathorii et Nadaſdii; qui exploratores diu ludificati, per vaga hoſpitia diſtributis copiis, et ita ſaepius inſtructis aciebus, ut majores vero apparerent, frequenti item tormentorum et ſcloppetorum diſploſione, ſparſis denique rumoribus de venturis propediem auxiliis, duce Mauritio, ita ſuſpenſos Turcorum animos tenuerunt, ut nihil tentare auſi ſint. Cum in eo eſſent, CIƆ IƆ equites a rege venerunt, Fabiano [c] Schinaco ductore. Venit et Pallavicinus cum III CIƆ Germanorum ac totidem Italorum; cui Schinacus IƆ equites ex ſuis attribuerat. In via, quae compendioſior a ſuperiore Pannonia in Daciam ducit, caſtrum [d] Drigale occurrebat, quod a Turcis loca vicina infeſtantibus tenebatur: ad illud admotae a Pallavicino copiae, fruſtra monente Caſtaldo, ut obſidione ſoluta quamprimum ad ſe veniret; rem enim extremi periculi plenam eſſe, nec dubitare eum debere, ſi diutius ibi haereat, quin hoſti in Daciam ingrediendi, quod hactenus impediverit, occaſionem ſit praebiturus. Haec, verius quam efficacius dicta, Pallavicinum a propoſito revocare nequaquam potuere. Itaque, poſtquam aliquot diebus arx ab ipſo et Eraſmi [e] [α] Teufelii copiis continua verberatione pulſata eſt, Achametes Budae purpuratus obſeſſis ſuppetias laturus cum XV CIƆ equitum VI Eid. Sextil. ſummo mane in conſpectum noſtrorum venit, praemiſſis IƆ equitibus, qui oppugnatores ex aggere ad certamen elicerent: ii ſubito vallo egreſſi in Turcos magno impetu ruunt, et, parte caeſa, caeteros eo uſque perſecuti ſunt, donec ipſi jam ſolutis ordinibus in ſecundam Turcorum aciem praecipitarunt; a quibus excepti [β] Teufeliani primo omnes deleti ſunt: deinde cum Pallavicinus, qui Italos ducebat, in fugam verſo equitatu de receptu cogitaret, et in proximam ſylvam confugeret, antevertentibus eum Turcis, conſilium ex tempore capit; ſuoſque ad pugnam inſtruit; verum illi, ſeu labore ſeu ſociorum clade jam fracti, primum hoſtium impetum vix ſuſtinuerunt, ſtatimque fuſi ſunt. Ipſe, ubi ſe deſertum a ſuis et undique ab hoſte circumventum vidit, in morte honeſta ſalutem omnem ponens, quantum potuit certando enixus eſt, ne vivus in Turcorum manus deveniret. Tandem, accepto in dextra vulnere, cum ei gladius excidiſſet, inermis capitur, et Budam deductus, cum inibi aliquanto tempore fuiſſet, ſe XV CIƆ aureorum redemit. Captus et Eraſmus Teufelius Roſtus, et mox Conſtantinopoli ſecuri percuſſus. Capti etiam Hippolytus Pallavicinus, et Albertus [f] Caſtellanus, Bambinus [g] Carpenſis, Marius [h] Tiburtinus, Vincentius [i] Antenoreus, ordinum duces. Tanta victoria potitus purpuratus praedam omnem Budam comportari juſſit, et ipſe ſtatim Mahometo ſe conjunxit; quem de deſcenſu in Pannoniam jamdudum cogitantem, ſed poſt Temeſvaram et Lippam captas ad diſceſſum ſe comparantem, ſuis cohortationibus poſtremo flexit, ut prius conſilium repeteret, et ad Pannonicam expeditionem ſe accingeret. Itaque [k] Zalnocum verſus caſtra promota; quod eſt caſtellum loco admodum commodo ad Tibiſci ripam ſitum, et a fundamentis a Ferdinando exſtructum, V prominentibus propugnaculis, et ab una parte Tibiſco, ab altera [l] Zigiva amne, atque ab aliis duobus lateribus profundiſſima foſſa, quae aqua ex illis fluviis derivata impletur, cinctum. In eo CCC Germani, C Bohemi, CC Hungari, ac L Hiſpani pedites erant, praeterea CC equites; navigia etiam longa diſpoſita, quibus oppido egredi et auxilia admitti poſſent; ejus area aciei capax IV CIƆ armatorum, ad omneis caſus parato illo quaſi totius regni firmiſſimo propugnaculo. Eo primum miſſa II CIƆ equitum cum locum cinxiſſent, levibus aliquot procliis certatum eſt, pejore ſemper Turcorum conditione. Accidit autem,

VAR. LECT. [α] Taifelii *P. D.* o. f. d. [β] Taifeliani *P. D.* o. f. d.
INTERPR. [a] *Segeſvár.* [b] *Száſz-Szebes,* vulgo *Mullenbach* [c] *Schinack.* [d] *Drigal.* [e] *Teufel.* [f] *da Caſtello.* [g] *da Carpi.* [h] *da Tivoli.* [i] *Antinori.* [k] *Zolnock.* [l] *Zagiwa.*

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

autem, quod ſiniſtri augurii loco acceptum eſt, ut militis Germani imprudentia pulvis tormentarius ignem conceperit, ex eoque arx fere, utpote ex materia ſtructa, conflagraverit: ſed mox incendium reſtinctum fuit, paene ſub Mahometi adventum, qui cum toto exercitu profectus extra tormenti jactum caſtra ad oppidum poſuit; et, interpellato praefecto, ut oppidum dederet, quaſi in alieno fundo atque adeo in Solymani ditione aedificatum, cum ille nihil Turcicis minis territus recuſaſſet, admota tormenta; quorum continnata per VIII dies diſploſione quamvis parum proficeretur, terra et faſcibus, ex quibus conſtructa erant propugnacula, tormentorum ictus ſine damno excipientibus, nihilominus Germani, prioribus Turcorum ſucceſſibus perterrefacti ac ſibi timentes, cum Hiſpanis de deditione facienda ſermones ſerere coeperunt: cum eos in ſententiam pertrahere non poſſent, Bohemis perſuadent ac poſtremo Pannoniis, qui, quantumvis renitente praefecto et fidem datam obteſtante, atque, ut ſpem ſecuri exitus omnino tolleret, merſa navigia et lembos dictitante, noctu oppido egreſſi ſunt. Quod ubi animadverterunt Turci, ſtatim effracta porta irrumpunt; miratique ſolitudinem ad arcem uſque progrediuntur, in quam praefectus, ut ſolus conſtantia ſua ceterorum infamiam elueret, adducto ponte ſe incluſerat, dilabentibus interea Hiſpanis, qui poſt aliorum diſceſſum ſibi fuga conſuluerant. Germanorum major pars fluviis hauſta; reliqui fere omnes caeſi. Mahometus, oppido potitus et praefecto, et plurimum honorem habuit; feliciore viri fortuna, qui morti honeſtae vitam poſthabuerat, quam eorum, qui cum dedecore vivere maluerant. Capto tam facile praeter opinionem Zalnoco, Mahometus fiduciae plenus verſus Agriam iter tendit: de cujus obſidionis exitu, quoniam poſt Mauritii in Pannoniam deſcenſum accidit, quae dicenda ſunt in finem ejus anni reſervamus.

XI. INTEREA temporis, crebris et frequentibus Iſabellae reginae vocibus omnia ubique perſtrepebant, fidem datam minime praeſtari, nec [a] Oppoliae, [b] Munſterburgii ac [c] Ratiſporii principatus cum XXV CIↃ aureorum annui reditus concedi, nec CL CIↃ aureorum, quae dotis nomine debebantur, et ſibi a Ferdinando ſolvi ſtipulata erat, repraeſentari querentis: eaque urgente, Sigiſmundus frater Poloniae rex et Bona Sfortia mater apud Ferdinandum deprecationem inſtituerunt, miſſo [1] Marthia [d] Lobeſcio, qui multis ac praeclaris in ſpeciem promiſſis oneratus ad ipſam, re tamen infecta, revertitur. Unde illa, quod ſe ludificari cerneret, clam agebat cum provinciae regulis Germanorum ac praecipue Caſtaldi imperium exoſis, ut filius in regnum reſtitueretur, incitante ambitioſam foeminam ante alios [e] Mirce inferioris Moeſiae regulo, qui ſuam operam ultro pollicitus etiam ſecreto Solymanum reginae nomine de auxiliis ſollicitaverat. Sed in eo negotio praecipue regina uſa eſt [f] P. Vicchio et Fr. [g] Chendio, altero Joannis mariti propinquo, altero ſummo Georgii amico; quorum auctoritas apud primores regni et plebem plurimum valebat. Ii quoque in ſocietatem facti Stephanum Moldaviae vaivodam aſciverant, qui, legitimo provinciae domino apud Turcos criminoſe accuſato ac tandem expulſo, harum regionum imperium arripuerat. Hujus in opibus ut ſocii plurimum fiduciae poſuerant, ſic inopina ejuſdem caede mirum in modum turbati conſilium de vi expellendo [h] Dacia Caſtaldo omnino omiſerunt. Id autem in hunc modum accidit.

XII. DUM Caſtaldus [i] Segeſvarae eſſet, Moldavus ad eum eques venit, egregia ſpecie et virtutem animi vultu prae ſe ferens, cum delectis [k] Boiarici generis, ita nobiles apud eos, ut et inter Moſcos, vocantur, qui patria vaivodae crudelitatem peroſus transfugerat, et, ſi quidem Ferdinandi favore ſublevaretur, paratum ſe vaivodam interficere oſtendebat; tyrannum quippe illum eſſe, qui legitimum heredem exſpoliaſſet, et ſcelere in alienum regnum invaſiſſet, trucidatis primariis viris; ad haec, conſilia

INTERPR. [a] *Oppelen.* [b] *Munſterberg.* [c] *Ratibor.* [d] *Loboccio.* [e] *Mirce, vaivode de Valachie.* [f] *Petrowichs.* [g] *Quendi.* [h] *Tranſilvanie.* [i] *Segeſvár.* [k] *Boiars.*
NOT. [1] Lege *Matthaeo Loboccio*, comme le nomme Iſthuanſius. *Put.*

conſilia cum Turcis in Chriſtiani nominis perniciem et Ferdinandi praecipue ac miniſtrorum ejus agitare: ſe proinde de patria optime meriturum, ſi publicae ac ſuae ſaluti tam praeclaro facinore conſulat. Auditum cum benigne Caſtaldus a ſe dimiſit; et, ſi quidem, quod promiſerat, exſequeretur, ei Ferdinandi nomine honorarii ergo cc equitum regio ſtipendio conducendorum praefecturam viciſſim promiſit. Ille, re ſaepius tentata, cum factu difficilem expertus eſſet, iis, qui tyranni latus tegebant, tam fidam ac ſedulam operam navantibus, poſtremo in [a] Sarmatiam Europaeam confugit, unde poſt aliquod tempus ad Caſtaldum literas dat, excuſataque diuturni temporis mora, ab ipſo petit, ut ad duos praecipuos Stephani miniſtros ſcribat, et ad ſe literas eis tradendas mittat; quibus illos ad rem, quam recepiſſent, quamprimum exſequendam hortaretur, et promiſſis plura ſponderet. Id eo conſilio faciebat homo vafer, ut juvenes eos, quos praecipue reformidabat, quamvis conjurationis minime hactenus conſcios, deprehenſis literis vaivodae ſuſpectos redderet, et ſic ab ejus amicitia alienatos paulatim in ſuas parteis pertraheret. Nec aſtuto commento ſucceſſus defuit. Nam, traditis literis, cum Stephanus rem reſciviſſet, et propterea male mulctatos juvenes a domeſtico comitatu injurioſe removiſſet, Moldavus continuo illos exemplo aliorum periculi ſui admonitos ſolicitare coepit; et, ut ſecum in communis hoſtis caput conjurarent, pervicit, in facti ſocietatem aſciris expulſi regis propinquis et amicis. Itaque condicta die et loco conveniunt omnes; et dum vaivoda in exercitu nihil tale cogitans ſub tentorio quieſceret, ab iis oppreſſus multis pugionum ictibus confoſſus eſt. Quo facto, conjurati II,CIↃ, partim Turcorum, partim Tatarorum, quos ille ſemper penes ſe habebat, ope amicorum, quo pluteis communione facti obligarent, inopinato aggreſſi trucidarunt; nec eo contenti, furore in tyranni propinquos verſo, ipſos ac matrem filioſque ejus, uti in talibus rebus iis locis fieri ſolemne eſt, omneis crudeliter occiderunt. Ea caedes ut populareis duro crudeliſſimi tyranni jugo ſolvit, ſuffecto in ejus locum vaivoda mitioris ingenii homine, et qui ſpem de colenda cum Ferdinando amicitia faciebat, quod tamen minime praeſtitit, ita [b] Viechii et Chendii conſilia admodum turbavit. Invaleſcente tamen indies Germanorum et Hiſpanorum odio, illi reſumptis animis Caſtaldum aſtu aggrediuntur; et, quo eum Tranſylvania omnino excluderent, ut de Lippa recipienda cogitet, hortantur: id enim maxime ad totius provinciae ſecuritatem et ipſius gloriam pertinere; nondum oppidum ita munitum eſſe, quin, ſi mature eo ducatur, facile capi poſſit; eo ſucceſſu cladeis hoc anno acceptas ſarciri poſſe, et animos popularium omnino conſternatos erigi. Id quorſum pertineret, etſi minime ignorabat Caſtaldus, tamen ne eos ſuſpicione in deſperationem adduceret, aſtute diſſimulabat; et, quamvis conſilium probare prae ſe ferret, moras ſubinde nectens ſpes conjuratorum eludebat. Interea, graſſante magis Germanorum et Hiſpanorum ob non ſolutum ſtipendium licentia, Ferdinandus de omnibus rebus ſactus certior, quo ſibi et popularium querelis aliquo modo ſatisfaceret, Aldanam comprehendit; et in eum ob deſertam turpiter Lippam et arcem incenſam extra ordinem inquiri jubet. Factum excuſabat Aldana, quod diceret, eo ſe conſilio Lippam incendiſſe, ut Turcos, quorum ſe imparem ſuſtinendae potentiae ſentiebat, ab ea occupanda averteret; ſibi tamen id animi fuiſſe, quamprimum illi provincia exceſſiſſent, rurſus eo redire et munitiones ſemidirutas denuo inſtaurare. Auditi contra eum milites praeſidiarii: et reus peractus cum a Ferdinando petiiſſet, ut de integro per judices minime ſuſpectos de cauſa cognoſceretur, id quoque impetravit. Tandem ad mortem damnatus, et, ut ſententia executioni demandaretur, Viennam ad regem perductus, cum in foro ſecuri percutiendus ſtaret, Maria Bohemiae regina Maximiliani mariti interventu in Hiſpanicae gentis gratiam a Ferdinando ſocero impetravit, ut poena commutaretur,

INTERPR. [a] *Pologne.* [b] *Petrowicks, & Quendi.*

commutaretut, et reus perpetuo carceri maneiparetur ; unde poſtea ejuſdem favore eductus eſt, ac priſtinae libertati reſtitutus ; multum reclamante Caſtaldo, quod reipublicae intereſſe diceret, ut virtute praeſtanteis viros honore affici, ſic ignavos et deſertores ignominioſe puniri : funditus enim, cum gratia indignis fit, militarem diſciplinam everti. Sub id tempus Mauritius ſeptemvir jam Caeſari reconciliatus cum x CIϽ peditum et v CIϽ equitum [a] Rabam, quam hodie Javarinum dicunt, poſt [b] Paſſavienſem pacificationem venit : de cujus ſucceſſibus antequam dico, rerum ab initio anni in reliqua Europa geſtarum ſeries mihi redordieoda eſt.

XIII. CREBRESCENTE per Germaniam belli rumore, et poſt finitam Magdeburgi obſidionem graſſante paſſim per Thuriogiam et loca vicina militum licentia, [c] Moguntinus, Colonienſis ac Trevirenſis ſeptemviri, qui Tridenti erant, ad Caeſarem XI Kal. Januar. literas dederant, quibus ſe decreviſſe domum redire ſignificabant. Ad eas Caeſar III Non. Januar. reſcribit ; et, ne fidem omnino habeant iis, quae de novis et occultis per Heſſiam motibus nunciaotur, rogat : ſe, miſſis ad principes et Imperii Ordines literis, eorum voluntatem diligenter exquiſiviſſe ; obſequium et omne ſtudium ab omnibus ſpooderi : Mauritium ipſum, de quo varii rumores ſparſi ſint, nuper ad ſe literas dediſſe, quibus omoes ſuſpicionis cauſas diluat ; eſſe [d] Oenipoote ejus legatos, qui die ſequenti Tridentum ad concilium profecturi ſint : copias vero ilias, a quibus ſibi jure metuant, certo ſe ſcire ob non ſoluta ſtipendia tumultuati ; itaque mandaſſe, ooo quod jure teneatut, verum quo Germaniae tranquillitati cooſulat, ut undecunque conflata pecunia ipſis ſtipendium perſolvatur et dimittantur : interea non debere committere eos, ut concilium deſerant, ne pacis publicae hoſtibus cauſa calumniandi praebeatur : curaturum ſe, ut in omoeis caſus proviſis, quae oeceſſaria ſunt, ipſis et reipublicae conſultum ſit.

XIV. JAM redierat Tridentum [e] Monfortius : et [f] Wirtembergici ab ipſo cum Trideotino cardinali et Franciſco [g] Toletano per ejus abſentiam juſſi agere, ut oihil impetravetint, apud ipſum demonſtrant, petuntque, ot ſui principis poſtulata audiantur. Idem et Jo. Sleidanus pro ſenatu [h] Argentinenſi fecit, et, ut jam [i] Pictavio diplomatis copia facta, ſic ipſi Monfortio cauſam legationis expoſuit. Dum conſultant patres, et, poſt theologorum diſputatiooes, perveſtigatis ſententiis, in eo ſunt, ut decreta conficiant, (cui negotio ex Germanis delegati a concilio Colonienſis, Vienoenſis et Juiius [k] Flugius Numburgicus epiſcopi) Mautitiani legati Wolfius [l] Colerus et Leonardus Badehotnus jnriſcooſulti Oenipontc veniunt. Triduo poſt adventum apud Caeſaris oratores mandata proponunt. Ad [m] Creſcentium et ejus collegas nemo adibat, oequid eis deferre aut tribuere videretur. Verum, ut Imperil decreto ſatisfieret, cujus rei gratia miſſi fuerant, Caeſaris, quem pro ſummo ac praecipuo magiſtratu colebant, oratoribus tanquam arbitris et deprecatoribus utebantur. Mandatorum haec ſumma erat ; theologis, qui ad concilium venturi erant, non ſatis idonee cautum eſſe ; atque Idcirco Mauritium adhuc neminem miſiſſe ; ceterum decreviſſe viros bonos mittere et pacis ac concordiae inprimis ſtudioſos, qui jam in itinere ſint : interim petere, ut ad Baſileenſis ſyoodi formulam iis, qui venturi ſint, caveatur ; ſicut olim Bohemis cautum ſit ; et, dum illi veniant, omnis actio intermittatur ; utque, cum venerint, anteacta omnia retractentur, dieſque conſeſſui deſtinatus protogetur ; ita vero concilium celebretur, ut omnes oationes ac populi ad illud conveniant, oec praeſidis auctoritatem pontifex Romanus ſibi arroget, ſed concilio ſe ſubjiciat, qoo libera ſint omnlum ſuffragia et minime praejodicatae ſententiae. Com illi, adveotu ipſorum laetari, et ad patres relaturos ſe, dicerent, ioterea per literas de re tota ad Caeſarem perſcribunt ; qui demulcendi Mauritli gratia patribus auctor fuit, ut ad ejus poſtulata leniter et

amiee

INTERPR. [a] *Rab, ou Javarin.* [b] *Traité de Paſſau.* [c] *les electeurs de Mayence, Cologne, & Treves.* [d] *Inſpruck* [e] *le comte de Montfort.* [f] *les deputez du duc de Wirtemberg.* [g] *de Tolede* [h] *de Strasbourg.* [i] *Guil. de Poictiers.* [k] *Pflug, evêque de Naumburg.* [l] *Coller & Badehorn.* [m] *le cardinal Creſcentio.*

CIↃIↃLII.

HENRICUS II.

amice reſponderent. Mauririanis ſe conjunxerunt Wirtembergici et Argentinenſis legati, et communicatis conſiliis communem quoque actiooem inſtituerunt. x Kalend. Februar. Caeſaris oratores, vocatis Mauritianis, quid cum patribus egerior, demonſtrant; impetraſſe cautionis formulam quam petant, et obtinuiſſe, ut ab actione ceſſerur, et tempus extrahatur, dum theologi veoiant: ut vero omnes natiooes huc conveniant, in patrum poteſtate ſitum non eſſe: neque propterea ſuam dignitatem et auctoritatem, concilio legitime indicto, minus conſtare: item, ut decreta jam facta irrita fiant, id, cum ad tanti cooventus exiſtimationem pertineat, videndum eſſe, an e re communi ſit: debere eos potius veoire, ut audiantur: quod ſi quid contra opinionem fiat, quo libertati ſuae ac conſcientiae praejudicari ſentiant, liberum eſſe ipſis, cum volent, diſcedere: aliquid tribuendum eſſe tempori; oec ſperandum, poſſe omoia ſimul concedi: cum ad rem veotum fuerit, tunc pleraque per occaſiooem obtineri poſſe, quae nunc duriora videantur: patres emendatioois admodum cupidos eſſe, neque ſe officio defuturos: habere quaedam magni momenti, quae propoſituri ſint; ſed cupere ab illis initium fieri, quo per occaſionem et ipſi in medium prodeant: orare interim, oe nimis urgeant, ut pontifex ſe concilio ſubmittat: videre quidem et agnoſcere patres in eo ſacroſanctae poteotiae culmioe nonnihil eſſe, quod deprimi et emeodari ipſius eccleſiae interſit; ſed in eo oegotio prudenter et ſubtili quadam via progrediendum: jam ſe experientia didiciſſe, quam diſſimulanter cum Pontificiis ageodum ſit; qui potius arte tractandi, quam vi aperta oppugnandi ſint: haec ſe inpraeſentiarum vix ab ipſis extorſiſſe; ſed non deſperare, quio plura impetrari poſſint, modo ſe aequanimeis et patienteis in hoc negotio praebeaot. Tunc et tradita cautionis formula, ut eam inſpicerent, ac poſtea remitterent. Eam dum ſimul Mauritiani, Wittembergici atque Argentinenſis expendunt, et cum ſingulis ſynodi Baſileenſis articulis comparant, in ea multa partim mutata partim omiſſa deprehendunt. Nam, cum in illa, quae Bohemis data eſt, additum eſſet, ut decidendi facultatem haberent; ut ſacra ſcriptura et veteris eccleſiae uſus publicus, coocilia item et patres cum ſacris libris cooſentientes in controverſiis de doctrina judicis loco eſſent; ut ipſis more ſuo liceret ſacra domi perficere; ut denique oihil in ipſorum doctrinae contemptum opptobriumve fieret; quod primo, tertio et ultimo loco in formula poſitum erat, omnino omiſſum eſt; quod vero ſecundum erat ac praecipuum, prorſus mutatum fuit; itaque nova, juxta ſyoodi verba, ab ipſis conſcripta formula: quam dum ſtomachoſe rejicit Toletanus, illi contra, non licere ſibi mandati fincis excedere, reſpondent, quo non niſi conſentientem cum Baſileenſi formulam accipere jubebantur, nihil actum eſt. Biduo poſt, cum mane conveniſſent patres, coram Caeſaris oratoribus Wirtembergici vocantur; qui, poſtquam diplomate exhibito legationis ſuae fidem fecerunt, doctrinae confeſſione principis ſui nomine in medium propoſita, petunt, ut de partis utriuſque voluntate deligantur judices, qui de rebus controverſis legitime cogooſcant; quae ſuperioribus annis, cum ipſi abeſſent, in concilio decreta ſint, vim legis minime obtineant; ſed omnia denuo repetantur: his conditionibus venturos theologos, qui capita confeſſione compreheoſa copioſius tractent. Sub veſperam etiam vocati Mauritiani eadem, quae jam coram Caeſaris oratoribus dixerant, repetuot; minime tamen exhibita a Melanchthone conſcripta confeſſione. Ita privatim illi auditi; quamvis in conſeſſu publico maodata exponere apud ſe conſtituiſſent. Poſtridie, ſacro in conſeſſu publice peracto, de ſuggeſtu pronunciatum eſt, rem differri uſque in XIII Kalend. April. in Proteſtantium gratiam; quibus ampliori quoque formula cautum ſit, ne quid omnino deſiderari poſſit. Cum legati cautionis promiſſae exemplum exhiberi poſtularent, moraſque artificioſe necti querereotur, ut culpa non continuati concilii in ipſorum invidiam recideret, a Pictavio ad Toletanum remittuntur: in cujus aedeis ubi venere, cautioois exemplum a concilii ſcribis

ſubnotatum

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

ſubnotatum ſingulis traditur: in qua cum nihil mutatum ex iis, quae emendari poſtulaverant, viderent, neque ſibi ſatisfactum dicerent, Pictavius, Quod ad primum caput attinet, inquit, quo decidendi facultatem theologis veſtris concedi petitis, praepoſtere facitis, qui non ignoratis, multa per occaſionem tribui poſſe, quae primo recuſantur. Quod item ſacram ſcripturam controverſiarum de religione ſolam eſſe judicem contenditis, ut nemo eſt qui ambigat, ita, cum de ſacrae ſcripturae interpretatione diſceptatur, neque inter parteis convenit, quin litis arbitrium concilio permitti debeat, in dubium revocari non debet. Quod domi ſacra peragere vultis, etſi non palam conceditur, non tamen prohibetur. De cetero, non eſt quod vereamini, ne quid in veſtrum contemptum fiat; id enim ſevere prohibitum iri, nullique, qui contra fecerit, impunitam proterviam fore, confidere debetis. Cum ad reliqua, de retractatione eorum, quae jam acta fuerant, et pontificis ſummiſſione, eadem quae prius addidiſſet Pictavius, legati cautionis exempla ſingula accipiunt, [a] ea lege, ut ad principem et magiſtratum quiſque ſuum mittant: ac Wirtembergici ipſi Caeſaris permiſſu Kalend. Febr. domum profecti ſuum exemplar detulerunt. Melanchthon cum aliis theologis [a] Norimbergam venerat; juſſus a Mauritio ibi tantiſper ſubſiſtere, quo uſque cautionis exemplar Tridento miſſum accepiſſet. Paucis interjectis diebus, cum jam cautionem a legatis miſſam conſtaret, aliud a Mauritio mandatum venit, quo jubebantur theologi, etiam allata cautione, Norimbergae exſpectare quid ipſe cum Caeſare egiſſet; ad quem propediem eſſet profecturus. Occulta principum conſilia hac diffidentiae ſpecie tegebantur; ex eo aucta, quod Dominicanus quidam nomine Ambroſius Pelargus, qui cum Trevirenſi archiepiſcopo venerat, dum VII Eid. Febr. concionem haberet, in haereticos acerbius invectus, fidem illis datam minime ſervandam eſſe dixerat: de quo cum apud Caeſaris oratores queſti eſſent Proteſtantium legati, pernegatione eorum querimoniis ſatisfactum fuit. Interea Mauritius datis ad legatos literis manu ſua ſcriptis mandabat, ut, quae nondum a patribus impetraſſent, urgerent: nam ſe in animo habere, brevi ad Caeſarem ire; ſpemque faciebat, ſi modo idonee caveretur, futurum, ut alii plerique principes, et in his Pomeraniae duces patrueles ſui, ac civitates ſuo exemplo legatos ac theologos ad concilium mittant. Eae literae ad cardinalem Tridentinum, cui cum Mauritio arctiſſima amicitia erat, perlatae, ſubitoque evulgatae, ipſum Tridentinum primo, dein etiam alios ſpe magna impleverunt, fore, ut gliſcens diſſidium tandem componeretur: de quo licet rumor paſſim ſpargeretur, et concilium prorogatum iri plerique muſſitarent, facto quippe cum Galliae rege foedere bellum a Proteſtantibus in Caeſarem parari apparebat, id tamen ſumma induſtria a Caeſare et ejus miniſtris diſſimulabatur: et Pictavius quidem, vanum de prorogando concilio rumorem eſſe, et Caeſarem omnino cupere, ut concilium continuaretur, apud legatos edifferebat. Sed, cum Mauritius theologos Norimbergam miſſos revocaſſet, et, ſui ad Caeſarem adventus jamdudum excitata fama, aliquo uſque progreſſus ſubito domum revertiſſet, patuere conſilia; et ipſe Mauritius tunc demum delectus palam habere coepit, rei tamen huc uſque ignaris ejus miniſtris; qui diu quid agerent haeſitantes, cum interpoſita mora diſcrimen augeri cernerent, Eid. Martiis magno ſilentio Tridento diſcedunt, et [b] Brixinam profecti ex Tridentini conſilio diverſis itineribus domum abeunt. Moguntinus quoque et Colonienſis ad tumultus famam, nam jam Trevirenſis ſui reficiendi cauſa domum redierat, Tridento [c] Oenipontem ad Caeſarem contendunt: a quo honorifice excepti, poſtquam diu cum ipſo collocuti ſunt, iter inſtitutum perſequuntur. Alii interea legati a Wirtembergico venerunt, [d] Wernerus Muchingus et Hier. [e] Gerardus juriſconſulti; qui poſtera die Caeſaris oratores adeunt, et, ut ad poſtulata VIII Kal. Feb. exhibita reſpondeatur, flagitant. Nec

multo

VAR. LECT. [a] ſed ea nec alia lege, quam ut *P. D. o. f*

INTERPR. [a] *Nuremberg.* [b] *Brixen.* [c] *Inſpruck.* [d] *Werner Munchingen.* [e] *Gerhard*

multo poſt venere theologi Wirtembergici IV; in iiſque Jo. [a] Brentius et Jo. [b] [α] Marbachius; item [c] Argentinenſes duo. Ii [d] Monſortium conveniunt, et orant, ut cum collegis det operam, ut ad poſtulata reſpondeatur, et diſceptatio de controverſis religionis capitibus inchoëtur. Poſtridie, qui fuit XIII Kal. April. in quem Proteſtantium cauſa actio dilata fuerat, patres in legati pontificii aedeis conveniunt, publiceque recepto [e] Luſitaniae regis oratore, conſeſſus in Kalend. Maii rejectus fuit. Wirtembergicus confeſſionem jam in concilio exhibitam publicaverat; quod moleſte admodum tulere patres. Cum de tractationis modo inter eos ageretur, ſic illi ſtatuebant; duas omnino vias eſſe, quibus piorum votis ſatisfieri poſſit; ut aut theologi ſuper omnibus doctrinae decretis in ſynodo jam factis audiantur, aut in medio ponatur exhibita prius patribus et nunc typis mandata doctrinae confeſſio, ejuſque ſingula capita ordine explicentur: ſuos enim veniſſe theologos, ut doctrinam eo libro comprehenſam tueantur. Cum nihil ad ea reſponderetur, et Jo. Sleidanus ſibi domum redeundum eſſe diceret, poſt multam ac longam ſuper legatorum abitione diſceptationem, Toletanus licere quidem reſpondit neque repugnare quo minus abirent; ſed, quid Caeſar mandarit, quidve etiam ipſi cuperent, non potuiſſe eos explicare. Quod eo pertinere interpretabantur Proteſtantes, ut, dum Caeſaris miniſtri actionem legitime continuari non poſſe viderent, ſoluti concilii invidiam in ipſos rejicerent. Et quidem inter patres magna diſſenſio erat; Hiſpanis, Neapolitanis ac Siculis concilium continuari urgentibus; pontificiis contra, quod Hiſpanos aulae Romanae emendationem moliri ſibi perſuaſiſſent, impedimentum aliquod actioni afferri cupientibus; eoque magis annitentibus, ut pontifex cum rege pacificaretur, ut, inde Gallo inde Mauritio bellum Caeſari inferentibus, concilium, quod tantopere a Caeſare urgebatur, vel ipſius regis cauſa diſſolveretur. Igitur theologi, qui remanſerant, poſtquam cauſam ſuam Caeſaris oratoribus probaverunt, VI Eid. April. Tridento diſcedunt. Cumque jam de capta a foederatis [f] Auguſta allatum eſſet, protinus Itali epiſcopi, per [g] Atheſim ſecundo flumine devectis impedimentis, profugiunt. Nec multo poſt ipſi Caeſaris oratores ſub exitum menſis abeunt. Solus Marcellus [h] Creſcentius adverſa valetudine praepeditus adhuc Tridenti haerebat. Morbum ex ea occaſione cepiſſe conſtans rumor fuit; quod, cum VII Kal. April. ſcribendis ad pontificem literis occupatus in multam noctem laborem continuaſſet, cum inde ſurgeret, viſus eſt canem videre, qui immani rictu, igneis oculis et demiſſis in terram auriculis quaſi rabie perculſus ad ſe contenderet, tandemque ſub menſam dilapſus ſit: vocatis famulis et allato lumine cum nuſquam compareret canis, ille ſpectro attonitus in triſtem cogitationem atque ex cogitatione in morbum incidit; quo ſtatim correptus de vita deſperare coepit, quantumvis familiares ac medici bene ſperare eum juberent. Inde Veronam poſtremo delatus, cum animam ageret, ſubinde ſuis acclamare audiebatur, ut canem caverent, et, ne lectum, in quo decumbebat, inſcenderet, arcerent. Ita diſſolutus concilii conventus fuit; in quo, praeter legatos pontificios et cardinalem Tridentinum, numerati ſunt epiſcopi LXII; et ex iis Germani VIII, Hiſpani XXV, Sardi II, Siculi IV, Hungarus unus [i] Agrienſis, reliqui Itali; Theologi XLII, et in iis Germani et Belgae XIII, Hiſpani XIX. [β]

VAR. LECT. [α] Morbachius *P. D. o f.* [β] Explicatis quae ad concilium pertinebant, nunc ad bellum Germanicum accingamur. *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Brentzen.* [b] *Marbach.* [c] *ceux de Strasbourg.* [d] *le comte de Montfort.* [e] *Portugal.* [f] *Augsburg.* [g] *l'Adige*, Germ. *Etſch.* [h] *le cardinal Creſcentio.* [i] *Agria*, incolis *Erla.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER DECIMUS.

EPITOME.

MAURITIUS renudato animo ſcriptum contra Caeſarem publicat: II. *Alteroque idem ſcripto Albertus Brandeburgicus facit; quo de Ludovico Avila rem ad Rocliciam in contumeliam ſuam commentariis ſuis de bello Germanico retorquente acerbe conqueritur.* III. *Pari acerbitate ſcriptum a rege diſſeminatum; quo Caeſar ratione Ambarenſis principatus Lotharingicos, Maximilianus Buranus Aquitanici tumultus tempore ſuorum fidem ſolicitaſſe dicitur, et Sebaſtiani Vogelſpergeri indignum ſupplicium multis verbis exaggeratur.* IV. *Interea Mauritius in diſſimulatione pergens, quod rem amice componi poſſe non deſperaret, conjunctis cum Willelmo Heſſi filio ac ſororio copiis Auguſtam venit, ſenatum a Caeſare inſtitutum mutat, Ulmam obſidet dum Lincii a Ferdinando inſtitutum colloquium inſtauratur. Lauginga ab Henrico Othone Palatino recipitur. Rutenſis ad Alpium radices pugna. Ereberga capta.* V. *Caeſaris arthritici miſerabilis ex Oeniponte fuga nocturna. Saxo dimiſſus. Oenipons occupatur.* VI. *Rex ex foedere clam cum Mauritio inito ad limitem proficiſcitur: Tullum, Metim, Virodunum in poteſtatem redigit; et Carolum Lotharingiae ducem puerum cum Chriſtierna matre generum deſtinatum recipit.* VII. *Cum pontifice Turnonii cardinalis interventu convenit. Pontifex cum Farneſiis tranſigit.* VIII. *Legationes Helvetiorum et conventus Wormatienſis de pace inter Caeſarem et regem.* IX. *Rex, cognito Mauritium in eo eſſe, ut cum Caeſare et fratre ejus conveniret, re bene geſta in regnum revertitur.* X. *Proteſtantium ſcriptum contra Caeſarem Auguſtae publicatur;* [1] *quo et theologos ſuos Tridentum miſſos revocant. Hinc captata occaſione, Albertus Brandeburgicus bellum propriis auſpiciis ſeorſim ab aliis foederatis gerit: epiſcopos et Norimbergenſeis infeſtat, Ulma fruſtra tentata.* XI. *Patavii in conventu a Mauritio et epiſcopo Baionenſi orationes habitae; moxque Eiſteto datae ab eodem literae ad conventum Patavienſem.* XII. *Caeſaris ad ea reſponſum.* XIII. *Francofurti a foederatis obſidio, in qua Georgius Megalopolenſis dux occubuit, Patavienſi pace facta, ſolvitur:* XIV. *Mauritius in Pannoniam cum ſummo imperio ex foedere Patavienſi proficiſcitur. Agria obſeſſa a Turcis et ſumma foeminarum virtute defenſa.* XV. *Georgii cardinalis interfecti cauſa a pontifice agitata: et poſt diras minime denunciatas, Ferdinandus conſcii ac percuſſores tandem a cenſuris ſolvuntur.* XVI. *Motus in Moeſia, Radulfo legitimo deſpota contra Mircem Turcicis opibus fretum ope Caſtaldi ducente; qui victor, ejecto Mirce, paterno regno reſtitutus eſt.* XVII. *Literae ſuperbae Solymani in Vaſraëliano conventu recitatae pro reſtitutione Joannis Sigiſmundi.* XVIII. *Mauritii et Caſtaldi mutuae exprobrationes.*

Ex AUCTORIBUS,

Joanne Sleidano, Literis et actis, Natali Comite, Jo. Bapt. Hadrianio, Gul. [2] *Paradino, Jo. Sambuco, Aſcanio Centorio Hortenſio.*

LIBER

NOT. [1] Dele *quo et theologos ſuos Tridentum miſſos revocant*: lege *quo inter alia, ratio redditur, cur theologos ſuos ac ludi-magiſtros a Caeſare ejectos reſtituerint.* Put. [2] Dele *Paradino*: lege *Rabutino.* Put.

LIBER DECIMUS.

MAURITIUS poſt pacem cum Magdeburgicis factam, ubi vidit fidem de Heſſo ſocero liberando datam non praeſtari, occaſionem, quae ſe offerebat, arripuit; et ſummam, quam Caeſar illi et Imperii Ordines in Germanicas copias conceſſerant, poteſtatem in Caeſarem ipſum pro Imperii libertate vertit. Itaque [a] Cartos primum jurejurando in fidem accepit; et, clandeſtino inito nobiſcum foedere, milites omneis, tam qui Magdeburgum obſederant quam qui propugnaverant, [b] Mullauſii et per vicina loca hyemandi ſpecie diſtribuit: nam res ſumma diſſimulatione initio agebatur. Inde cum [c] Nortuſiani et [d] Erfurdenſes multa damna acciperent, et rei cauſam Caeſar ex Mauritio requireret, ille ob non ſoluta ſtipendia militem in licentiam effuſum laſcivire reſpondebat: utque omnem ſuſpicionis umbram tolleret, legatos per [e] Oenipontem [f] Tridentum mittit, qui fide publica illuc venturis theologis caveri et alia quaedam a patribus peterent: dein theologos quoque ſubſequi jubet, qui [g] Norimbergae, dum idonee cautum eſſet, ſubſiſterent: mox et alios ad Caeſarem legatos praemiſit, Chriſtophorum [h] Carlebicium et Ulricum [i] [1] Mortiſium, qui eum brevi venturum ad [k] Baioariae fineis exſpectarent: atque ipſe ſibi Oeniponte hoſpitium parari curavit; et viam ingreſſus, cum aliquot dierum iter proceſſiſſet, ex cauſa domum revertit, miſſis Oenipontem literis tam amanter ſcriptis, ut nihil temere Caeſar, alioqui ſuſpicax, inclementius de eo ſuſpicari poſſet. Ita dum extracto artificioſis excuſationibus tempore diem ex die ducit, ſtatim revocatis ſuis, delectus habere coepit; et evulgato ſcripto, ſicuti convenerat, quid ſui eſſet conſilii, tandem aperuit; nimirum ſumpta arma pro tuenda religione, quae adverſariorum artibus contra fidem datam in Germania convellatur et labefactetur, ex occaſione diſſidii religionis ſtrata ad inſolentem dominatum via: jam exactos liberis civitatibus concionatores; nec legitimi concilii exſpectato exitu, Auguſtae propoſitam confeſſionem paſſim aboleri, et rebellionis obtento crimine vim mentibus et conſcientiis afferri. Item pro liberando [l] Heſſo ſocero inſtitit; quem, cavillatoria fraude carceri jam totos quinque annos mancipatum, a ſe, Wolſango Palatino et Joach. Brandeburgico filii ejus jure repoſcant: cujus emittendi cum toties ſpes facta ſit, nondum tamen fidem praeſtari, ſed exquiſitis ludificationibus tempus trahi, non ſine magna honoris ſui et exiſtimationis jactura. Communem denique agi libertatem aiebat; quam in dies maximo cum animi dolore opprimi cerneret, externo milite contra Imperii leges in Germaniam inducto, et novis ſubinde emungendae pecuniae commentis propoſitis: jam enim nullius ordinis aut principis ac ne ipſorum quidem ſeptemvirorum rationem haberi; principes vero externos foederatos, et quibus, pro arctiſſima, qua Germanis conjuncti ſunt, neceſſitudine, Germaniae ſalus chara eſt, contra Imperii morem longe a publicis conventibus prohiberi. Quae omnia eo ſpectent, ut, ſub durum ſervitutis jugum miſſa Germania, illam tandem Europae totius monarchiam pariant, quam tot jam annos parturiunt. His et aliis rationibus ſe et Willelmum Philippi filium et Jo. Albertum [m] Megalopolenſem ducem, poſt longam patientiam, quam ne poſteritas ignaviae ſeu ſocordiae tribuat merito verentur, tandem excitatos, ut foedus cum Galliae rege pro religione, pro Heſſi et Saxonis libertate, communi denique ſalute icerent: quod adeo laudabile propoſitum ut omnes opibus

INTERPR. [a] *ceux de Heſſe.* [b] *de Mulhauſen* [c] *de Nordhauſen.* [d] *Erfurt.* [e] *Inſpruck* [f] *Trente.* [g] *Nuremberg.* [h] *Carlewitz.* [i] *Mordeiſſen.* [k] *Baviere.* [l] *Philip, landgrave de Heſſe.* [m] *le duc de Mechlenburg.*
NOT. [1] *Mordiſium.* Put.

CIↃIↃLII. HENRICUS II. opibus ſuis adjuvent, obnixe hortari; alioqui ſe pro hoſtibus eos, qui contra fecerint, habiturum.

II. EODEM tempore Albertus Brandeburgicus aliud ſcriptum edit longe virulentius; quo de Caeſare et ejus miniſtris atque reipublicae adminiſtratione querebatur; libertatem ab iis, qui eam tueri et amplificare debeant, opprimi; conſilium paucorum everrendae veritatis cauſa haberi; in Imperii conventibus per homines pollicitationibus aliove quovis ſubtili artificio corruptos hoc agi, ut pecunia undique corradatur, ſicque paulatim Germaniae nervi incidantur: id fraude eccleſiaſticorum praecipue fieri, qui ſuffragiorum numero vincant; quorum nimiam potentiam infringi et debilitari reipublicae interſit: rem eo adductam, ut ab unius arbitrio et nutu omnia pendeant, (his verbis deſignabatur Ant. [a] Perrenotus Attebatum epiſcopus) qui nec genere nobilis, nec natione Germanus ſit, nec adeo Imperio foederatus: Imperii ſigillum in exteras manus deveniſſe: jamque in aula Caeſaris neceſſe eſt Germanis alienas linguas diſcere, ſi quidem ibi cum aliqua utilitate ſua verſari cupiant: judices ſuſpectos in Imperii camera, novos ſenatores per civitates, atque, antiquis ejectis, alios magiſtratus inſtitui: jugumque tandem hoc Germanis imponi, ut externum militem ferre cogantur, qui nullum non genus inſolentiae atque inauditae libidinis in populareis exerceat: non obſcura eſſe ſua in Caeſarem merita; qui vitam, ſanguinem, fortunas pro ejus dignitate ac ſalute tam ſaepe tamque libenter profundere paratus fuerit; pro quibus hanc indignam repenſam ab eo gratiam: nam nuper prodiiſſe librum de bello Germanico ab impudenti circulatore Lud. [b] Avila ſcriptum, ipſius permiſſu, atque adeo privilegio imperiali munitum; in quo de Germania tam frigide et jejune, quaſi de barbara et obſcura gente, mentio fit, ut appareat in nobiliſſimae gentis opprobrium narrationem praecipue inſtitutam eſſe: his indignitatibus, quae minime ferendae ſint homini libero et principi viro, permotum, conſilia cum ceteris principibus communicaſſe, et vireis pro patriae ſalute ac libertate junxiſſe. Quod de Avila additum eſt, ob id praecipue dictum exiſtimatur, quod ille, ubi Alberti captivitatem narrat, muliebribus illecebris detentum eum ſcribat, quo minus bene rem ad [c] Rocliciam geſſerit, ut jam ſupra diximus: quod maxime Brandeburgicum decoris ad vanitatem cupidum urebat. Exprobratum et illo ſcripto Caeſari, quod mutanda pro temporibus decreta, interea praeſentibus parendum, aut poenam capitis ſubeundam, ex Granvellani conſilio diceret.

III. TUNC et rex quoque ſcriptum publicat ſuum, in hanc ſententiam: Ex quo poſt chariſſimi parentis mortem regni gubernaculis admotus ſum, nihil aliud mihi curae fuit, quam ut conſtitura religione publicae tranquillitati conſulerem, et amicos ac foederatos principes et populos omni ope ſublevarem. Eo conſilio Scotos ſub regina pupilla tumultuanteis et licentioſa audacia ad rebellionem ſpectanteis compreſſi, et priſtinam regno dignitatem reſtitui: cum Helvetiis fidiſſimis hujus regni amicis foedus renovavi; amiſſa prioribus bellis recuperavi; et, [d] Bononia ab Anglis recepta, exulanteis civeis ad lareis ſuos et colonos ad latifundia reduxi, arctiſſimo cum rege Angliae foedere inito armis quaeſita firmavi, et facta pace poſſeſſiones cuique ſuas reddidi. Sed ecce, dum in eo ſum, ut regnum et pacem conſtituam, quo minus tam laudabile propoſitum perſequi poſſim, undique inſidiis et occultis machinationibus petor. Nec enim obſcurum cuiquam eſſe poteſt, quid Caeſar in hujus regni perniciem molitus ſit, poſtquam de tumultibus Aquitanicis cognovit, miſſo in Angliam M. Egmondano [e] Burano, qui, regis tutores ad arma contra me capeſſenda ex ea occaſione incitaturus, peſſimum exemplum in ſuum commodum convertere, quantum in ipſo fuit, et voluit et tentavit. Ut vero illuſtri indicio ſe male erga nos affectum proderet Caeſar, Chriſtiernae Franciſci Lotharingiae ducis viduae ac ipſius ſororis filiae

INTERPR. [a] *Perrenot, ſieur de Granvelle, evêque d'Arras.* [b] *d'Avila* [c] *Rocklitz* [d] *Boulogne ſur mer* [e] *le comte de Buren*

filiae auctor fuit, ut [a] Barrenſis principatus, qui ſine controverſia Gallicae juriſdictionis eſt nomine, fidem mihi, quam debet, quamque ſuperiores Lotharingiae duces hactenus praeſtiterunt, praeſtare recuſaret. Et huc nſque aſtu et fraude hoſtes graſſati ſunt. Nuper vero vi aperta in nos invaſerunt, Farneſiis foederatis indicto bello, et Mirandula oppugnata, quam in regum Galliae clientela jam a multo tempore eſſe cum non ignorent, eum eam armis petunt, injuriam mihi fieri minime dubitare poſſunt. Acceſſere ad haec principum Germanorum graves nec minus juſtae querimoniae; qui nos pro veteri neceſſitudine et amicitia rogarunt, ut in communi cauſa ipſis adeſſe et conjunctis opibus publicum periculum propulſare vellemus: Id enim a Caeſare agi palam eſſe, ut, controverſiarum de religione componendarum praetextu, et belli Turcici ac refraenandae rebellionis occaſione captata, duriſſimnm libertati Germaniae jugum imponat, et in ea factiones et diſſidia alat, ipſamque ſenſim hominibus et pecunia paſſim exhauriat, ac tandem, expugnato firmiſſimo totius orbis Chriſtiani propugnaculo, in Galliam invadat, et imperium diu animo agitatum in omnem Europam ſibi ſumat. Nam quam iniqna ſit Auſtriacae domus inexpletaque alieni uſurpandi cupiditas, facile animadvertent ii, qui apud ſe perpenderint, quibus artibus quotidie everſis Imperii viribus in privatum aerarium omnia converrant. Satis hoc declarant [b] Ultrajectenſis, [c] Leodicenſis et [d] Cameracenſis ditiones; quae quondam Imperii, nunc Auſtriacae familiae tributariae factae ſunt. Jam vero Burgundicam domum, quae a majoribus meis deducta Auſtriacae familiae opes et lumen intulit, [e] Treviris, [f] Menapiis et Wirtembergici cis Rhenum poſſeſſionibus imminere quis non vidit? Cul non doleat, Heſſi fineis, ab Hiſpano milite tam diu inſeſſos et populationibus vaſtatos, triſte ſpectaculum vicinis principibus praebere? Quid enim, qui haec vident, aliud exſpectare poſſunt, quam ut, niſi mature provideant et in commune conſulant, ſinguli carpantur, et avarae gentis praeda fiant? Quis vero tribunal illud, poſt debellatum Saxonem, et Heſſum perfidioſe captum, [g] Spirae erectum ſine horrore recordari poſſit? ad quod velut in carcerem principes et civitates rapiebantur, et, tanquam in macello pecudes, ſic miſeri Germani ab emiſſariis illis judicibus crudeliter laniati mactabantur. Itaque, ne ſocordiae ipſis et ignaviae olim tribueretur, ſi libertatem a majoribus acceptam nimia patientia ſua labefactari ſinerent, mecum egerunt, et foedere renovato potius quam novo inito ſaluti patriae arma ſua et virtutem impendere decreverunt. Nec defuerunt privatae injuriae; quas, etiamſi nos tam amicae gentis charitas non permoviſſet, minime diſſimulari nominis Gallici et exiſtimationis noſtrae intererat. Necdum enim oblitus ſum, quam indigne [h] Vogelſpergerus, vir nobili loco natus ſed virtute nobilior, ab amico ſumma perfidia circumventus et crudeliſſimis tormentis ſubjectus, cum nihil ab eo extorqueri potuiſſet, quod in invidiam noſtram recideret, a caſtrenſibus poſtremo judicibus fuerit damnatus; cum non aliud crimini daretur, quam quod nobis militaſſet. Id quomodo ſtante inter Caeſarem et me pace fieri potuerit aut debuerit, omnibus aeſtimandum relinquo, qui citra odium aut amorem de hac cauſa judicaturi ſunt. Quid nunc [i] Ringravium, Recrodum, Riſebergum et Schertelium commemorem; quos Caeſar proſcripſit, et in quorum capita non aliam ob cauſam, quam quod mihi militarent, pretium percuſſoribus conſtituit, peſſimo exemplo hominibus ad cædeis ex inſidiis faciendas invitatis? His de cauſis arma ſumpſi, cr conjunctis cum Germaniae principibus conſiliis ac viribus juſtum et utriſque neceſſarium bellum ſuſcepi. Qua in re nullum aliud compendium aut emolumentum ſpectare me Deum teſtor, quam ut, reſtituta Germaniae dignitate, Saxonem et Heſſum diuturna et injuſta captivitate vexatos

in

INTERPR. [a] *duché de Bar.* [b] *Utrecht.* [c] *Liege* [d] *Cambray.* [e] *ceux de Treves.* [f] *ceux de Cleves, Juliers, & Gueldres.* [g] *Spire.* [h] *Voghelſperger.* [i] *le Rhingrave, Rechrod, Reiffenberg, & Schertel.*

CIƆIƆLII.
HENRICUS II.

in libertatem aſſeram, neceſſitudine antiqua, quae Galliae regibus cum Germanis intercedit, hoc novo beneficio veluti cumulata, et, depulſa a Germaniae cervicibus ſervitute, tanquam arctiori vinculo in poſterum obſignata. Nec vero quiſquam a belli violentia metuere debet: nam, cum libertatis publicae cauſa illud ſuſceperim, fidem obſtringo, me daturum operam, ut nemini innocenti vis inferatur. Omneis viciſſim oratos volo, ut adverſariorum multa in nos calumnioſe comminiſcentium vocibus aures occludant; quaſi alia mens mihi ſit, aut eccleſiaſticos, quorum praecipua ſemper apud me cauſa exſtitit, bello perſequi decreverim; quos contra in patrocinium et tutelam, modo mihi ac ſociis idonee caveant, recipere me nunc profiteor; idque unum reſpicere, ut conſtituta republica eccleſiae concordia legitimis rationibus ſarciatur: quod et fieri poſſe equidem non deſpero, ſi, ſummota ambitione et aliena invadendi cupiditate, eam a Deo, ad cujus gloriam hoc pertinet, piis votis et ſincera conſcientia efflagitemus. Interea petimus, ne quid impedimenti nobis et ſociis ad tam juſtum bellum accinctis detur; ſed omnes operam et opes in commune conferant; in eos haud dubia indignatione futura et noſtra et ſociorum, qui ſecus facere aut reſiſtere auſi fuerint; quos ferro et igne perſecuturi, ac, ne malum pullulet et latius ſerpat, luxuriam ejus coërcituri, et denique tanquam putrida ac morbida membra a reliquo corpore, ne contagione laedant, reſecturi ſumus. Si quid praeterea ſit, quod a me jure exigatur, Joanni [a] Fraxineo Baionenſi epiſcopo oratori meo negotium dedi, ut juxta ea, quae a me habet, ampliora mandata, ad poſtulata veſtra reſpondeat, et copioſius ſingula explicet: cui ut fidem habeatis, vos principes ac civitates, etiam atque etiam rogo. Haec ſcripta, per Germaniam evulgata, alio atque alio modo pro variis animorum affectibus accipiebantur.

IV. MAURITIUS, etſi foederis auctor, ita diſſimulanter agebat omnia, ut cogi ſe ab Heſſi captivi liberis videri vellet, neque de conciliatione omnino deſperaret. Igitur Kalendis Martiis ſuae ditionis conventus agit; et, quid ſibi cum Heſſi liberis negotii ſit, coram exponit: citari ſe nimirum ab iis, et fidei datae admoneri; non poſſe vero amplius tergiverſari, aut diutius juſtas illorum petitiones fruſtrari: itaque proficiſci ad eos decreviſſe, ut fidem liberet: jubere interim, ut Auguſto fratri per abſentiam ſuam pareant, et ad finium defenſionem, ne quid imparatis accidat, copias cogant. Inde ad Heſſi liberos profectus, cum, iis volentibus, domum revertiſſet, rebus ibi conſtitutis, adjunctis aliquot Auguſto fratri conſiliariis, ad illas, quas per Thuringiam hyemandi ſpecie diſtribuerat, copias contendit; quo et Willelmus Heſſi filius ex compacto venturus erat. Is, ubi [b] Herbelachum XIV Kal. April. venit cum Fraxineo regis oratore, ad [c] Francofurtenſeis dat literas; et petit, ut nullum Caeſaris praeſidium admittant. Verum illi, cum ſuperiorum temporum recenti memoria territi non ſatis idonee reſponderent, in praeſentiarum omiſſi ſunt. Sexto poſt die, poſtquam Mauritius et Willelmus copias conjunxerunt, cum communi exercitu ambo [d] Schinfurtum veniunt: ibi Willelmo Mauritius narrat, Henricum [e] Miſniae, quem vocant, burgravium, propinquum ſuum, ex illuſtri [f] Plaviorum familia, Bohemiae cancellarium, ad ſe, cum [g] Miſena diſcederet, veniſſe, ut Ferdinandi nomine ſecum de conciliatione ageret; et nunc quoque perſuaſum habere, Ferdinando de Philippi captivi libertate agendi factam a Caeſare poteſtatem. Nec ille abnuit: et, adhibito Fraxineo, quo minus conditiones a Ferdinando propoſitae audiantur non recuſat. Inde per Rotenburgum, ubi ſe cum ſuis Albertus Brandeburgicus conjunxit, [h] [α] Dingeſpulum, [i] Norlingam, ac tertiis caſtris ſumma celeritate continuatis itineribus [k] Donaverdam petunt, oppidanis, quacunque iter facerent, in fidem acceptis; abrogatis etiam, quos Caeſar nuper inſtituerat, ſenatoribus, et novis in eorum locum ſuffectis;

VAR. LECT. [α] Dingelſpulum P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de Freſſe, evêque de Bayone en Gaſcogne.* [b] *Erlebach.* [c] *ceux de Francfort ſur Mein.* [d] *Schweinfurt.* [e] *Miſne.* [f] *Plawſchen.* [g] *Meiſſen.* [h] *Dunckelſpiel.* [i] *Nordlingen.* [k] *Donawerth.*

Digitized by Google

ſuffectis; imperata denique pecunia, et in uſum belli tormentis. A Donaverda IX tantum milliaribus abeſt [a] Auguſta, cui IV vexilla impoſuerat Caeſar. Haud multo ante muri partem caſu dejectam, et foſſam ruina oppletam intellexerant foederati: itaque ea nocte continuato itinere copias ducunt, et IV Kal. April. profecti, Kal. April. ſub meridiem ad urbem perveniunt; editoque hoſtili ſigno ſtatim ad arma conclamatur. Sed, cum praeſidiarii tam exiguo numero civium voluntati diffiderent, et intus ac foris hoſtem haberent, incolumitatem et ſalva omnia pacti, qua triduo poſt urbe diſcedunt. Foederati ſubito ingreſſi veterem ſenatum, quem Caeſar aboleverat, reſtituunt; tribubus quoque jure ſuffragiorum reddito: et inde datis ad ſuperioris Germaniae civitates literis, et [b] Norimbergenſeis in primis, ut ſub menſis exitum Auguſtae praeſto ſint, mandant. Ad [c] Ulmenſeis quoque, qui bidui itinere Auguſta abſunt, ſcribunt; et eos ad belli ſocietatem, ut in illud collationem faciant, hortantur. Cum renuerent, de belli exitu veriti, Ulmam ſocii cum exercitu tendunt. Eo pridie Eid. April. veniunt: et, urbem obequitantes, quod tormentis petiti eſſent, injuriarum ſibi ſatisfieri, et CCC aureorum CIↃ eo nomine in bellum dependi poſtulant; alioqui fore, ut hoſtiliter agant. Verum poſt VI dies, obſidione fruſtra continuata, [α] [d] Stochenam Hegoviae oppidum petunt: ubi regis nomine perſoluta fuit trimeſtris pecunia, et datus obſes Jo. [e] Marcianus Jametii regulus; nam [β] Henricus Leuoncurius [f] Nantolii comes in via deceſſerat. A principibus viciſſim dati Chriſtophorus dux [g] Megalopolenſis, et Philippus Heſſi filius. Pridie Kal. Maias ad Danubium rurſus principes caſtra metantur, aliquot milliaribus infra Ulmam, relicto Brandeburgico, qui Ulmenſium foedus recuſantium vicos et oppida incendiis vaſtaret, et pecuniam corraderet. Is [h] Helfeſtenum, arcem excelſo loco poſitam deditione capit, praeſidiumque captae imponit, ac mox [i] Giſlingam III ab Ulma milliaribus diſtantem, et propinquos aliquot vicos XVIII CIↃ aureorum mulctat. Dum principes adhuc Auguſtae eſſent, Mauritius illinc profectus [k] Lincium Auſtriae oppidum ad Danubium ſe contulerat, ut ex Ferdinando de pacis conditionibus cognoſceret: is enim de voluntate Caeſaris ſe medium pacificandis rebus praebuerat. Caeſar ipſe ad principes ſcripſerat, eos hortatus, ut componendis diſſidiis operam darent, quo belli incendium, antequam ſerperet latius, quamprimum reſtingueretur. Cum vero nonnulli eorum opem ipſius implorarent, ſeque impares adverſus conjunctam foederatorum potentiam eſſe dicerent, ille confirmatis eorum animis reſpondebat, ſperare ſe pacis inſtitutam actionem, cui ipſe defuturus non ſit, felicem exitum habituram: quod niſi ſuccederet, ut in pace tractanda ſic in bello gerendo minime ipſos deſerturum. Ubi ergo Lincium venit Mauritius, pacis ineundae rationes eas proponit; Ut Heſſus ſocer libertati reſtituatur; de religione diſſidium componatur; reſpublica recte conſtituatur; pax cum Galliae rege foederato et amico fiat; proſcripti in gratiam recipiantur; in quorum numero, praeter eos, quos jam memoravimus, etiam [l] [γ] Heidecus comprehenſus eſt, qui Mauritio, dum Magdeburgum obſideret, ſe in clientelam dederat; ideoque Caeſar in ejus, ſicut aliorum, caput praemium non conſtituerat, ne, ut creditum eſt, Mauritio offenſionis cauſam praeberet; magna conſiliariorum ipſius imprudentia, qui graviter irritatum ſoceri captivitate hominem generoſum tam levi gratificatione demulceri poſſe exiſtimaverint. Cum Ferdinando erant Maximilianus filius, et Albertus [m] Baioariae dux gener, et Caeſaris legati: ex quorum ſententia ad ea poſtulata reſponſum eſt; Non recuſare Caeſarem, modo diſcedatur ab armis, quin Heſſus ſtatim liberetur; ac placere in primis, ut proximis Germaniae conventibus de religione ac republica conſtituenda agatur: hoc male habere Caeſarem, quod regis Galliae, quicum bellum gerat,

ut

VAR. LECT. [α] Stochacum *P. D. o. f. d.* [β] Henricus Lenoncurius *deſunt* *P. D. o. f. d.*
[γ] Hedecus *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *ceux de Nuremberg.* [c] *ceux d'Ulm* [d] *Stockach au pays d'Hegaw.* [e] *de la Marck, ſieur de Jamets.* [f] *Nanteuil.* [g] *le duc de Mecklenburg.* [h] *Helffenſtein.* [i] *Geiſlingen* [k] *Lentz.* [l] *Heideck.* [m] *Baviere.*

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

ut amici ac foederati mentio injecta ſit; licere tamen, ut ex eo Mauritius cognoſcat, quibus condirionibus paciſci velit: quod ad proſcriptos attinet, poſſe eos in gratiam recipi, dum legi, quam Caeſar tulerit, obtemperatnros ſe recipiant. Praeterea petebat Ferdinandus, ut facta pace Mauritius operam ſibi contra Turcos in [a] Pannoniis navaret, er curaret, ne conducti a ſociis milites ad Galliae regem dilaberentur. Poſtquam Mauritius ad ea reſpondit, non licere ſibi qnidquam inconſultis ſociis ſtatuere, utrinque diſceſſum eſt, dilata in VII Kal. Junias actione; ad quam continuandam conveniretur [b] Paſſavii, quod eſt oppidum ad Danubium ſupta [c] Lincium in [d] Oeni confluente ſitum. Interea Willelmus Heſſi filius et Jo. Albertus [e] Megalopnlenſis Kal. Maii [f] Gundelſingam copias tradncunt, er totos ibi VIII dies Mauritium Lincio redeuntem praeſtolantur: qui ubi venit, poſtridie recenſetur exercitus ad [g] Lauingam, [α] Hentici Othonis Palarini, qui ſe foederatis conjunxerat, oppidum. Hujus tota provincia, quae a Caeſare occupabatur, ſociorum ope nnper recuperata fuerat: inde ejecto epiſcopo Auguſtano Othone [h] Truchesio cardinali; qui, quod alioqui non valde pecunia abundaret, et ſuperioribus bellis plurimum damni accepiſſet, Romam ſub id tempus petiir, ut novis a pontifice emendicatis facultatibus et ſacerdotiis, ſic enim tunc jactabatur, laeunas illas expletet. Impetraverat a foederatis inducias Ferdinandus; quae VII Kal. Junii coeptae in VI Eid. ejnſdem menſis deſinerent. Interea ſocii Lauginga itinere converſo Alpeis petunt; ubi Caeſar cogebat copias, juxta [i] Rutam oppidum. Poſtquam ad montium radices ventum eſt, Mauritius regii oratoris hortatu ad eos delectus impediendos, quos iis locis Caeſar habebat, proficiſcitur: et prope [k] Fieſſam caſta metatus, qnod eſt in Alpium faucibus poſitum oppidum, juxta [l] Licum fluvium, qui deinde [m] Anguſtam alluit, quoſdam e ſuis exploratum praemittit. Cum hi hoſtem montium clauſtra et anguſtias inſediſſe renunciarent, atque in iis caſtra muniviſſe, ut oppugnari minime poſſent, delecti ex omni exercitu mittuntur, qui levibus procliis conſertis quoſdam ex hoſtibus intercipiunt, et in caſtra ad ſuos adducunt. Ex iis poſtquam certius, quam antea, multa cognovere, poſtridie cum omni peditatu progreſſi, et CC tantum aſſumptis equitibus, Fieſſam veniunt. Haud procul aberat Ruta, ubi Caeſariani conſederant, occnpatis viarum anguſtiis, quae ab IↃ CCC circiter militibus tenebantur; diſpoſitis etiam II campeſtribus machinis, ut hoſtileis irrumpentium impetus arcerent. Facta impreſſione foederati, ubi in anguſtias penetravere, hoſtem loco dejiciunt et caſtris exuunt. Fugiente illo, metus et trepidatio tanta iis injecta, qui Rutae erant, ut, inſequentibus cum toto exercitu principibus, aciem inſtruere et ad certamen ſe parare circumfuſi a ſuis minime potuerint: itaqne nullo fere negotio profligati ſunt; ex iis CIↃ partim capti, partim occiſi, partim in Licum praecipitati, ſigno etiam nno adempto. His feliciter confectis, poſtridie ſucceſſum urgent ſocii; et ad illam tanti nominis arcem [n] Erebergam copias ducunt: arridente fortuna propugnaculum ſub arce poſitum, quod aditum intercludit, primo impetu capitur, et tormenta ſimul quae Inibi erant. Superabat arx undique praerupto ſaxo impoſita, hominum opinione inexpugnabilis. Ibi paſtor, qui in averſam rupis partem ad primum ſtrepitum aufugerat, capellam per vepreta in ſummum enitentem conſpicatus, eam et ipſe inſeqnitur, et notato calle, quo miles ſubire poſſet, praemii ſpe corruptus rem ſociis renunciat; qui e veſtigio erepentes per averſam rupem, praeeunte paſtore, praeſidiarios foederatorum audacia et inopinato adventu attonitos ad deditionem compellunt. Ex XIII vexillis, qnae Erebergae erant, IX capta; ceteri milites in tumultu dilapſi ſunt: capta hoſtium III CIↃ; pauci admodum e foederatis deſiderati. Cum inde mox Oenipontem ducere vellet Manritius, [o] Riſebergiani milites ſeditionem fecere, et, niſi ſtipendium extra ordinem ob captam arcem penderetur,

VAR. LECT. [α] Othonis Henrici P. D o.

INTERPR. [a] *Hongrie & partie de l'Auſtriche.* [b] *Paſſau.* [c] *Lintz.* [d] *Inn r.* [e] *le duc de Mecklenburg.* [f] *Gundelſingen.* [g] *Laugingen.* [h] *Truchſes.* [i] *Reut.* [k] *Fueſſen.* [l] *le Lech.* [m] *Augsburg.* [n] *Ehrenberg.* [o] *de Reiffenberg.*

pendeterur, ulterius progredi recuſant. Heic Mauritius eum inter alios unum prae omnibus clamoſum comprehendi juſſiſſet, ceteri, poenam commilitonis ad ſe pertinere exiſtimantes, illico arma capiunt; et non ſolum haſtis, ſed etiam tormentis manuariis ducem petunt, ut vix fuga ſe tanto periculo exemerit. Compoſito utcunque tumultu, qui tamen magnam ſociorum rebus remoram attulit, duae legiones per Alpeis jam pervias [a] Oenipontem, qui bidui itinere abeſt, mittuntur, relicto [b] Fieſſae omni equitatu cum legione una, aditus ſervandi cauſa. Poſtridie Mauritiani ac ſocii ad [c] Zirlam, quae II ab Oeniponte milliaribus diſtat, peditatum praemiſſum aſſequuntur.

V. Caesar vero, ubi de improviſo eorum adventu cognovit, quamvis adverſa valetudine et pluvioſo ac nimboſo coelo, per noctem lectica vectus ad taedarum lumen cum Ferdinando fratre, qui nuper Lincio venerat, et omnibus qui aderant principum legatis ceteroque aulico comitatu magna trepidatione Oeniponte diſcedit, relictis impedimentis; et, per Alpeis, quibus Tridentum itur, itinere primum facto, mox ad laevam flexit, ac [d] Villacum, quod eſt oppidum ad [e] Dravum flumen in [f] Fori Julii et [1] Norici finibus, ſumma celeritate contendit; utique miſerabili ſpectaculo: nam inter eundum videre erat, nobilitatem illam victricem per vias lubricas et propter imbreis continuos luto corruptas, equorum penuria, ſumma cum difficultate pedibus incedere, lapſantibus ubique fere veſtigiis; et permiſtos heris ad ludibrium lixas mutua opera ſe erigere, aequata omnium per fortunam conditione. Hic Caeſaris ex Germania diſceſſus, ſuperbo de Germania ante quinquennium quaſi ſub jugum miſſa triumpho tam abſimilis, ſatis arguit, quam imprudenter a Caeſare factum ſit, quod Albani potius quam Caſtaldi ſententiam ſecutus omnem victoriae fructum in ſeveritate poſuerit, neque Mauritii offenſionem veritus tam diu et tam indigne Heſſum ſocerum captivum detinuerit. Errorem ſero ſenſit ille, dum [g] Albani et Attebatenſis conſiliis plus juſto tribuit; et, antequam Oeniponte profugeret, Joan. Fridericum Saxonem liberavit, praerepta hac hoſti gloria, quod exiſtimationis ſuae intereſſe arbitraretur, ne coactus potius quam ſponte captivum dimiſiſſe videretur. Contra Saxo, qui ſociis quam Caeſari beneficium acceptum ferre mallet, gratiam recuſabat; et quamvis liber factus Caeſarem quacunque ibat, ut antea, comitabatur. Eadem nocte, qua Caeſar abiit, Mauritius Oenipontem pervenit, coena, quae Caeſari parata erat, nondum conſumpta: inde aliquandiu abeuntem inſecutus ad ſuos revertit. Et Ferdinandi quidem ac civium bonis parcitur: quidquid vero rerum Caeſaris, Hiſpanorum, et cardinalis Auguſtani ultra modum foederatis inviſi, ibi repertum eſt, diripitur. Interea Caeſar Villacum pervenit; ubi obvium habuit ſenatus Veneti oratorem cum equitatu venientem: quem ille, nondum a recenti pavore collectis animis, hoſtilem ratus, mox inde migrare decreverat; vixque Veneto, amicas eas turmas eſſe et honoris ac tutelae cauſa a republica ſummiſſas, capitis periculo affirmanti obſidemque ſe offerenti, pro tempore, fidem habuit. Suſpicionem auxit, quod, cum Mauritius propius caſtra moviſſe nunciaretur, ſenatus, cui ſolemne eſt arma parare, ubi videt vicinos in armis eſſe, ilicet militem conſcribi et praeſidiarios ad fineis tuendos emitti juſſit. Hos Venetorum motus veritus Caeſar, ne forte cum hoſtibus conſpirarent, denuo in tantam trepidationem incidit, ut de novis latebris ac fuga rurſus cogitaret: ſed a Veneto iterum monitus, arma haec pro tutandis reipublicae finibus, ac pro ipſo contra Mauritium ſummiſſa, tandem a pavore concepto ſe collegit. Percontanti dein Ferdinando, qua de cauſa aut quibus tantis injuriis irritatus Mauritius tam inopinato contra Caeſarem arma ſumpſiſſet, atque in ditionis ejus oppida manu armata invaſiſſet,

INTERPR. [a] *Inſpruck.* [b] *Fieſſen.* [c] *Zirl.* [d] *Villach.* [e] *la Drave.* [f] *Friuli.* [g] *le duc d'Albe & l'evêque d'Arras.*

NOT. [1] *Noricum*] Germ. *Nortgaw.* Ce pays & le haut Palatinat du Rhin, où eſt Amberg. *Put.* comprend la Baviere, l'archevêché de Saltzbourg,

invaſiſſet, reſpondebat ille, Non in Caeſarem, ſed contra Albanum, Atrebatenſem ac reliquos infeſtos ſibi conſiliarios, quos ibi eſſe intellexerat, arma ſumpta: ceterum foederatos benevolo ſemper erga Caeſarem animo fuiſſe; ac niſi eorum, qui capitaleis ſe Germanicae gentis hoſteis palam profiteantur, opprimendorum ſpem concepiſſent, ab armis diſceſſuros; ſe vero, jam dimiſſo exercitu, [a] Paſſavium ad condictam diem fuiſſe venturum. Jamque XXIII Maii dies exierat, et triduum ſolum ſupererat ad principium induciarum, quae pacis tractandae cauſa pactae fuerant: itaque Mauritius Paſſavium proficiſcitur, dum interea Caeſar [b] Villaci copias ex Hiſpania ab Andrea [c] Auria tranſportatas praeſtolaretur. V Kalend. Junias ſocii eodem quo venerant itinere [d] Fieſſam retro abeunt; ubi aliquanto tempore ad reficiendum militem commorati ad [e] Eiſtetum epiſcopalem Vindeliciae civitatem caſtra ponunt: et Nonis Quintil. illinc profecti quartis caſtris [f] Rotemburgum ad Duberum flumen Franconiae oppidum perveniunt.

VI. DUM haec in Germania a foederatis geruntur, diverſa parte rex, uti convenerat, bellum contra Caeſarem movebat. Copiis in hyberna diſtributis, inter finitimos praeſidiarios levibus tantum proeliis certatum eſt. Appetente vere rex in caſtra profecturus Lutetiam venit; et, in ſenatu expoſitis tam juſti belli cauſis, reipublicae eam partem, quae ipſis commiſſa eſt, ſenatoribus commendat; et per [g] Dionyſii Fanum, non ſolum majorum ſuorum ſed et martyrum monumentis venerandum, continuato per [h] Meldos et [i] Theodorici caſtrum itinere, [k] Catalaunum cum uxore et aulico comitatu contendit. [l] Vitriacum proceſſerat Annas Momorantius, magiſter equitum; quo loco copiae undique conveniebant. Ultra praeſidiarios per regni limitem diſpoſitos rex XX veteranorum vexilla ex [m] Subalpina regione evocaverat, in quibus bis CIƆ circiter pedites erant; et per [n] Aquitaniam ac Septimaniam delectus habuerat, et ad XXXV vexilla conſcripſerat, quae X CIƆ peditum conficiebant. His omnibus praeerat Gaſpar [o] Colinius Caſtellionaeus, peditatus Gallici praefectus. Germanorum duae legiones, ſingulae X ſignis conſtantes, duce Philippo [p] Rhingravio, regi militabant; quae in Leucis circa [q] Tullum erant; II item duce [r] Recrodo in agro [ſ] Baſſiniaco. Schertelius quoque III CIƆ ſeminudorum, ſed bellis ſuperioribus exercitatorum, militum ſecum adduxerat. Erant omnino Germanorum ad XV CIƆ, cataphracti equites CIƆ IƆ cum ferentariis ſuis, levis armaturae II CIƆ, ac totidem ſcloppetarii equites; quibus praeerat Cl. [t] Lotharingus Aumalius Guiſii frater. Cum hoc exercitu Momorantius recta Tullum ducit: ſubitoque cives obviam prodeuntes traditis clavibus ipſum in urbem recipiunt. Rex [u] Jonvillae ſubſtiterat ob gravem non minus quam inopinatum reginae morbum, quae ex virulenta fluxione lingua intumeſcente, vocis uſu amiſſo, pro depoſita primum habita eſt; jamque omnia in luctu erant, et domeſtici paene omnes abſceſſerant: ſolus cardinalis Caſtellionaeus, minime aulico ingenio vir, ob arctam, qua reginam colebat, obſervantiam ad pulvinar decumbentis excubabat; et Diana [x] Pictavienſis, [α] verita, ne, ſi regina decederet, novae nuptae amore ſuccenſus regis animus erga ipſam refrigeſceret. Detracto e lingua ſanguine, regina cum vocis uſum recuperaſſet, rex ibi tantiſper commoratus eſt, dum illa omnino convaleſceret. Eo Chriſtierna Fr. Lotharingiae ducis vidua et Caeſaris ſororis filia ad regem venit, non ſponte, ut creditum eſt, ſed quod alioqui filii fortunas in ſummum diſcrimen adductura videretur, Caeſare avunculo novis in Germania motibus implicato. Rex humaniter acceptam in privatum colloquium admittit; et, quid ſuae mentis eſſet, aperit; nimirum, decreviſſe ejus filium, cui bene velit, in Galliam mittere, ut ibi cum Delfino educetur, ſpe proximioris adfinitatis facta, quae non vana fuit. Interea Momorantius ad [y] Pontem-muſſitanum

VAR. LECT. [α] Pictavienſis illa, de qua diximus, verita P.

INTERPR. [a] *Paſſau.* [b] *Villach.* [c] *Doria.* [d] *Fieſſen* [e] *Aickſtadt, evêché de la Baviere.* [f] *Rotenburg ſur le Tauber.* [g] *S. Denis.* [h] *Meaux.* [i] *Chateau-Thierry.* [k] *Chaalons ſur Marne.* [l] *Vitry.* [m] *Piedmont.* [n] *Guienne & Languedoc.* [o] *de Coligny, ſieur de Chaſtillon, colonel de l'infanterie Françoiſe* [p] *le Rhingrave.* [q] *Toul.* [r] *Reckrod.* [ſ] *Baſſigny.* [t] *de Lorraine, duc d'Aumale.* [u] *Jonville.* [x] *de Poictiers.* [y] *Pont à Mouſſon.*

taoum caſtra promovet, oppidum amoeno loco in [a] Moſellae ripa poſitum: illine IV milliaribus abeſt [b] Gorzenſe coenobium, munitus natura locus, qui ab Hiſpano ceoturione cum praeſidin tenebatur; unde crebrae populationes quntidie in ſubjectum agrum fiebant. Cum praefecto denunciatum eſſet, ut ſe dederet, ille ſuperbe primn reſpondit: ſed mox remeritatis poenas luit, admotis tormentis et ruina facta; in cujus prnpugnatione ipſe cum ſuis omnibus occiſus eſt. Inde [c] Metim verſus contendit; diſpoſitiſque circa urbem praeſidiis, regis adventum civibus denunciat, et ut urbem venienti aperiant jubet. Duae erant in civitate factiones; ſenatorum et plebeiorum: atque illi quidem, quod ad auctoritatis ſuae et potentiae detrimentum pertinere id exiſtimarent, libertates ac privilegia ab imperatoribus et Francorum regibus conceſſa cauſati, in longum rem extrahebant; hi quod ſub ſenatorum imperio mulra gravia paterentur, ut eſt ingenium vulgi rerum novarum cupidum, mutatlnnem in reipublicae adminiſtratione appetebant; et inter eos praecipui, a Robertn Lennncurin cardinali urbis epiſcopo promiſſis ineſcati, rebus noſtris aperte favebant. Itaque, cum Mnmorantius reſponſum urgeret, et, oi parerent, tnrmenta admoturum interminaretur, illi vim deprecati, interventu [α] Imberti [d] Plateriae Bordillnnii, Momorantium ac principes, qui eum eo erant, cum II ſignis peditum admiſſuros ſe reſpoodent: ſed fraus conventioni facta eſt: nam dun ſigna, quae tantum IƆ C homines capere debebant, auctn oumero, CIƆ IƆ circiter pedites, eoſque ex omoibus delectos, efficiebant: ita Momorantius cum [β] Antonio [e] Vindocino, Joanne [f] Angiano, Ludov. [g] Condaeo, Ludov. [h] Monpenſerio, Car. [i] Rupiſurionin Borboniis, Franciſco [k] Clivenſi Nivernio, Jac. [l] Sabaudo Nemoroſio, Renaro [m] Lotharingo Ellebovii marchione, Renato [n] Roano, ac oumeroſa oobilitate urbem ingreſſus eſt. Cum cives longiorem militum ſeriem, quam ſperarent, ſubſequi fremerent, ſero errorem portis occluſis emendare conati, a noſtris jam potentioribus repellunrur, et regii intra urbem omnes admiſſi. Rex, [o] Jonvillae feſto paſchali celebrato, ubi de ſucceſſu iotellexit, eum Franciſco [p] Lotharingo Guiſin, Roberto [q] Marciano Sedanio, et Jac. Albono Santandreann equitum tribunis, Cl. [r] Guſierio Boſio hipparcho, nobilibus cubiculariis, cc palatii nobilibus, quorum Boſius et Joannes [s] Crequius Canaplius praefecti, CCCC ſtipatoribus, partim Scotis partim Gallis, et cc Helvetiis, turmis item IV equitum, Delfini, Guiſii, Aumalii, et Santandreani, diſcedit, relicta in Gallia rerum cum ſummn imperio moderatrice regina uxore; cui primarium conſiliarium attribuit Cl. [t] Annebaldum maris praefectum; qui, ſi quid per abſentiam ſuam periculi interveniret, ad nmneis caſus praeſtn eſſet. Triduo poſt captam Metim, armatus [u] Tullum publica laetiae ſignificatione ingreditur: ubi eum jura, privilegia et immunitates ſervaturum ſe jurejurando confirmaſſet, impoſito urbi [w] Sclavollio cum III Gallorum vexillis, poſtridie eodem comitatu, adjuncta praeterea Schertelii legione et Vaſconum novis delectibus, qui extra urbem cum VI tormentis remanſerant, [x] Nancium Lotharingiae ducum primarium oppidum palatio regaliter ſtructo nobile pergit: cum prope eſſet, Carolum puerum ducem et Nicolaum [y] Lotharingum Valdemontium patruum cum praecipua provinciae nobilitate obvios habuit, a quibus ſumma cum laetitia lo urbem acceptus eſt. Altero poſtquam venit die, conſtiruta Chriſtiernae matri dote, et donatione propter nuptias attributa, Valdemontio item Nancii et totius provinciae praefecto impoſito, puerum ducem [z] Durocnrtorum Rhemorum, ubi tunc

VAR. LECT. [α] Imberti Plateriae *deſunt* [β] Antonio, *et cetera praenomina deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *la Moſelle.* [b] *abbaye de Gorze.* [c] *Mets.* [d] *de la Platiere, ſieur de Bourdillon.* [e] *le duc de Vendôme.* [f] *le comte d'Enguien.* [g] *le prince de Condé.* [h] *le duc de Montpenſier.* [i] *le prince de la Roche-ſur-Yon, frere du duc de Montpenſier, de la maiſon de Bourbon.* [k] *de Cleves, duc de Nevers.* [l] *de Savoie, duc de Nemours.* [m] *de Lorraine, marquis d'Elbeuf.* [n] *de Rohan.* [o] *Joinville.* [p] *de Lorraine, duc de Guiſe.* [q] *les maréchaux de la Marck, prince de Sedan; & d'Albon, ſieur de St. André* [r] *de Gouffier, ſieur de Boiſy, grand ecuyer.* [s] *Jean* VIII *du nom, ſire de Crequy & de Canaples.* [t] *d'Annebaud.* [u] *Toul.* [w] *de Sclavolles.* [x] *Nancy.* [y] *de Lorraine, comte de Vaudemont.* [z] *Rheims.*

tunc Delſinus erat, ſub Bordillonii ductu miſit, non ſine maniſeſto parentis dolore, quae ſilium a ſuo complexu divelli et in principis cum Caeſare avunculo bellum gerentis poteſtatem abduci aegre ferebat. Nancio [a1] Condaeum, voluptarium ducum caſtellum, trium fluviorum, [b] Muſſii, [2] qui Nancium alluit, [c] Madonis et Moſellae concurſu irriguum, rex proficiſcitur; et inde [d] Pontem-muſſitanum; unde, cum in urbis conſpectum veniſſet, quae illinc VII milliaribus abeſt, omnem exercitum obvium habuit, cujus peditatum in III agmina diviſum equitatus optime inſtructus ſubſequebatur. Scloppetariorum diſploſionibus exceptus, et tormentorum, quorum praefectus erat Jo. [e] Eſtraeus, tonitru ſalutatus, eodem ordine, quo veluti ad pugnam inſtructae erant acies, Metim verſus progreditur; ubi magno in ſpeciem plauſu, ceterum haud occulto erroris ſenſu, accipitur. Confirmatis civitatis privilegiis et immunitatibus, de republica conſtituenda et urbe munienda agi coeptum eſt: voluptaria quaedam civium aedificia, quae officere videbantur, diruta, et angulus urbis, cui collis extra imminebat, a reliquo corpore divulſus ex peritorum conſilio: et, quia militari licentia ſe gravari populares querebantur, edictum ſub capitis poena, ne quis a quoquam niſi cum bona ipſius gratia et numerato pretio quidquam auferret, dicto vel facto hoſpitem laederet, neve ab eo, niſi poſtquam plene ſatisfeciſſet, diſcederet; denique nulli contra hoſpitem gladium ſtringere liceret. Hoc a rege decretum, a Momorantio, quantum in illo fuit, tota illa expeditione ſevere obſervatum eſt. Crebris excurſionibus a [f] Theodonis-villae, quam [g] Dedehovium Germani vocant, praeſidiariis ex agro Luccemburgenſi noſtri petebantur; quaedam etiam impedimenta amiſſa, eorum ſocordia qui remotioribus a caſtris hoſpitiis diverterant. Tridno in civitate conſumpto, et impoſito [h] Arturo Coſſaeo Gonnorio Briſſaci fratre, cum ala equitum comitis [i] Nantolii, qui obſes Mauritio promiſſus in itinere, uti jam diximus, deceſſerat, et CC levis armaturae equitibus, CC ſcloppetariis equitibus, ac XII peditum ſignis, rex tertiis caſtris Lunevillam venit: miſſique inde Franciſcus Momorantius magiſtri equitum filius, Honoratus [k] Villarius Sabandus et Rhingravius comites [l] Auguſtam Vindelicorum, ut de rebus Mauritii, qui jam in armis eſſe nunciabatur, cognoſcerent. Relicto Lunevillae ſigno militum, qui comportando commeatu viam expeditiorem redderent, [m] Blamontium ventum eſt, oppidum loco admodum amoeno ſitum, quod Chriſtiernae viduae domicilio aſſignatum fuerat. Inde V Kal. [3] Junias, quod per avia et impedita loca incedendum eſſet, feſtinato itinere ad [n] Sarebrugum caſtra promoventur.

VII. AD [o] Ubinium vicum rex hoſpitium habuit; [*] ubi intellecto, cum pontifice tranſactum eſſe, eo majore alacritate ſibi bellum perſequendum exiſtimavit, debilitatis tanto ſocio Caeſaris viribus, et ſua confirmata potentia. Id a Franciſco cardinali [p] Turnonio confectum; qui, cum videret pontificem ſponte ad otium et voluptates ferri, nec ſua ſed aliena ambitione ad bellum impelli, ad haec a ſumptibus, qui immodici in illud bellum ſacieudi erant, abhortere, tanto ſibi diligentius cum illo agendum putavit. Itaque, propoſitis diverſis conditionibus, tandem in has conventum eſt: ut pontifex in his bellis ſe medium inter Caeſarem et regem gerat, per biennium ab armis ceſſetur, nec ex Parmenſibus, [q] Mirandulanis et Caſtrenſibus praeſidiis quidquam damni Caeſaris et cum eo foederatorum rebus detur; intra quod tempus pontifex neutri illorum bellum gerenti copiis, opibus aut ullo ſavore adeſſe poſſit, nec patiatur delectus in ſuae ditionis locis haberi, tranſitumve aut commeatum ad utriuſvis exercitus alendos concedat: Caſtrum Horatio Farneſio reſtituatur, accepta

Alexandri

INTERPR. [a] *Condé* [b] *Mus.* [c] *le Madon & la Moſelle.* [d] *Pont à Mouſſon.* [e] *d'Eſtrées.* [f] *Thionville.* [g] *Diedenhofen.* [h] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [i] *de Nanteuil.* [k] *de Savoie, comte de Villars.* [l] *Augsburg.* [m] *Blamont.* [n] *Sarbourg.* [o] *Ubigny.* [p] *de Tournon.* [q] *ceux de la Mirandole & de Caſtro.*

NOT. [1] Dele *Condaeum* lege *Condate* *Put.* [2] Dele *qui Nancium alluit* *Put.* [3] Maii *Put.*

Alexandri et Ranutii cardinalium fratrum fide, qui proprio nomine pro Horatio pontifici caveant: copiae pontificiae, quae Mirandulam obſident, deducantur: et temporis certi ſpatium praefiniatur Caeſari ad deliberandum, velitne in has induciarum leges conſentire, an non, Parmenſis et Mirandulani territorii tantum ratione. Additum et a pontifice, ut biennio exacto liberum ſit Octavio Farneſio etiam ſine regis conſenſu cum pontifice et quibuſvis aliis paciſci. His ita conventis, pontifex ſuo apud Caeſarem oratori mandat, ut cum Caeſare agat: qui jam Germanici belli mole praeter opinionem oppreſſus nihil aliud reſpondit, quam pontificem debere pactorum meminiſſe, quae ex parte ſua religioſe impleverit, depenſis in ſumptus belli pro pontificia dignitate et ipſius pontificis ſalute ſuſcepti CC aureorum CIↃ. Magnam fiduciam in Jo. Baptiſta [a] Montano habebat Caeſar, quem, ſive inſito gloriae et armorum juvenili ardore, ſive quod ſperaret, capta Mirandula, eam ſe imperialis beneficii loco a Caeſare accepturum, etiam invitum patruum ad bellum cum Gallis gerendum pertractutum ſibi pollicebatur. Cum in eo eſſet, accidit, ut, tumultuaria pugna a praeſidiariis cum pontificio milite conſerta, Jo. Baptiſta, dum ardentius in medios ruit, equo ſuffoſſo delapſus, cum ignoraretur quis eſſet, a noſtris occiſus ſit; Petro Montano et Antimo [b] Sabello, dum de corpore inter utroſque redintegratur certamen, deſideratis. Cum pontificis familiares exiſtimarent, morte chariſſimi viri ſupra modum eum indoliturum, et cunctarentur, ecquis tam triſtem nuncium ad eum deferret, ſoliciti; per imprudentiam unius e ſuis ubi de re cognovit, non ſolum nullum juſti doloris ſignum edidit, ſed quaſi inopinata laetitia exultare viſus eſt, quod occaſio ſe in manus daret ſolute et ſecure in poſterum vivendi, ſublato eo, qui propter innatam ambitionem et laudis immoderatam cupidinem impedimento erat, quo minus conceſſa fortuna pacate et tranquilliter frueretur. Itaque, quamvis Coſmus Florentiae dux, miſſo Alexandro Strozzio, qui conſolationis officio amice defungeretur, eum admoneret, ut in propoſito permaneret, neque Caeſarem deſereret, ille, rejecta in Ferdinandum Gonzagam culpa, qui bellum tam avare et negligenter adminiſtraſſet, omnino ab obſidione Mirandulae ſe diſceſſurum reſpondit; ſed moram tantiſper interpoſiturum, dum Caeſar, ſi obſidionem continuare vellet, in munimenta ad urbem a Joanne Baptiſta erecta militem intromitteret. Interea Alexandro Vitellio, qui mortuo Joanne Baptiſta ſummae rerum praeerat, et Camillo Urſino mandat, ut ab armis abſtineant, et militem quamprimum una cum annona et tormentis inde deducant. Ita munimenta deſerta mox a noſtris occupantur, et commeatus in urbem jam annum ferme obſeſſam, ideoque ſumma rerum omnium inopia laborantem, libere importatus eſt, ſtudio et diligentia Hippolyti Ateſtini cardinalis Ferrarienſis. Serius venere III CIↃ Germanorum a [c] Meleniano ſummiſſa: et Fran. [d] Ateſtinus, cui diſcedentibus pontificiis occupandorum munimentorum negotium a Gonzaga datum fuerat, dum de [e] Quarantula cum Meleniano altercaretur, interea commeatus penuria retro cedere coactus eſt; continuoque praeſidiarii egreſſi munimenta omnia demoliuntur, [f] Fano Antonii ſervato et militibus nuper conſcriptis firmato, quo Parmenſibus praeſto eſſe poſſent. Id admodum graviter tulit Caeſar; pontificis et [g] Vitellii in primis fidem accuſans, qui munimenta, uti receperat, in ſuorum manus, antequam diſcederet, non tradidiſſet: ſed gravius multo tulit, quod ſe inconſulto patres concilium ſolviſſent. Nam cum cardinalis Tridentinus ad novorum in Germania tumultuum famam pontifici ſcripſiſſet, non amplius ſe tuendae urbis oneri eſſe parem; pontifex ſtatim in conſiſtorio tractatum cum rege initum proponit, et, ut dimitti concilium placeret, rogat: utrumque approbantibus cardinalibus, diploma [h] Tridentum ad patres mittitur, et mox concilium diſſipatur. Interea Caeſar, de foederatorum

INTERPR. [a] *di Monte.* [b] *Savello.* [c] *le marquis de Marignan* [d] *d'Eſte.* [e] *corte di Quarantola.* [f] *forte di San Antonio.* [g] *Vitelli.* [h] *Trente.*

CIƆIƆLII. HENRICUS II.

ratorum adventu, qui jam [a] Auguſtam proceſſerant, certior factus, fauceis et aditus in [b] Tirolenſi agro propugnaculis erectis muniri et milite ac machinis firmari curaverat, caeſis etiam arboribus et tranſverſis ad equitem intercludendum per vias diſpoſitis trabibus: atque, ut temporum neceſſitati cederet, et pontificem, ſi non amicum, ſaltem placatum haberet, Coſmi hortatu in conditiones cum Gallo pactas conſenſit; ut Parmae ac Mirandulae tantum ratione ab armis ceſſaretur, nec iis locis aut in pontificiae ditionis territorio ulli delectus contra ſe haberentur, et poſt biennium Octavius a fide regi data liber eſſet. Haec ad regem perlata, cum [c] Ubinii eſſet, eum, ut par erat, ſummo gaudio perfuderunt: et, quia per impedita loca iter faciendum erat, biduum ad [d] Sarebrugum conſumptum fuit; relictoque in eo vexillo et aliquot levis armaturae equitibus, per regionem aſperam et incultam, ſed argenti fodinis cupri et plumbi nobilem, ex qua ad [e] [a] Rapolſteinios ejus dominos et Auſtriacos magnum vectigal redit, iter factum eſt. In ea [f] [1] Snafici degunt, genus hominum latrociniis aſſuetum, jam ab eo tempore, quo Carolus [g] Egmondanus, de quo ſuperioribus libris diximus, [h] Geldriae principatu exutus, provinciae nobilitatem parteis ſuas ſecutam, ob idque ab Auſtriacis proſcriptam, licenter vagari et rapto vivere exemplo ſuo edocuit. VI Non. [2] Jun. exercitus [i] Andreſium uſque procedit, comitis Palatini oppidum. Ibi relictis L ſcloppetariis, qui aditum ſervarent, jam ſe aperientibus [k] Vogeſi montibus, in Alſatiam deſcenſum eſt, regionem populoſam et juxta feracem atque amoenam, innumeris fluviis ac fontibus undique eam permeantibus. Rex [l] Tabernas [m] Argentinenſis epiſcopi oppidum V Non. Maii venit; locum nulla alia re magis memorabilem, quam ob cladem exercitus ruſticorum, qui ante annos XXVII, cum in nobilitatem Thoma Muncero impulſore inſurrexiſſent, ab Antonio Lotharingiae duce et [n] Claudio Guiſiano fratre ibi ſunt internecione deleti. Eo ad regem venere a [o] Baſileenſi ſenatu legati, qui, vim a [p] Sequanis vicinis ac foederatis deprecati, ab eo benigne accepti ſunt. Antea, cum adhuc Sarebrugi eſſet, ab Argentinenſibus petierat rex, ut exercitui alendo neceſſaria in caſtra comportari juberent; ob idque miſſi P. Sturmius, Frid. [q] [b] Goteſemius, et Jo. Sleidanus, diligens harum rerum ſcriptor, qui certum frumenti ac vini modum deferrent. Cum haec pro nihilo duceret Momorantius, et multa de egregia regis erga ipſos voluntate, qui pro communi Germaniae libertate arma ſumpſiſſet, praefatus, inſuper peteret, ut militi liceret neceſſaria ſibi in urbe comparare, et urbis opificibus merceis ſuas in caſtra deferre et venum exponere, legati ad ſenatum referunt; qui proximae urbis exemplo territus reſpondit, nihil in hoc negotio niſi de totius reipublicae concilii ſententia poſſe decerni: coactoque ſenatu et re deliberara, legati rurſus Tabernas redeunt, primum ad Momorantium, qui eos ſtomachoſe admodum accepit, exprobrata ipſorum ingratitudine, deinde etiam ad regem admiſſi: cumque eadem ab ipſo, quae prius a Momorantio, ſed temperatioribus verbis intellexiſſent, addunt preces; rogantque, ut denuo oblata, nam copioſiorem quam antea in caſtra commeatum ſecum attulerant, rex boni conſuleret, de cetero excuſatos eos haberet, ſi ob tumultus et licentiae militaris metum in urbem eum non admitterent. Mox, quidquid panis per vicos et oppida reperiri potuit, in caſtra devectum. In eo metu Argentinenſes conſcriptis V CIƆ militum, publica et privata aedificia, tam juxta pomoerium quam extra urbem, arbores item et hortos et quidquid proſpectum impedire vel hoſti commodare poterat, demoliuntur; nova etiam

VAR. LECT. [a] Rapoſtemios *P. D. o. f. d.* [b] Goleſemus. *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *Tirol.* [c] *Ubigny.* [d] *Sarbourg.* [e] *Rapolſtein.* [f] *Schnaphanen.* [g] *d'Egmond.* [h] *duché de Gueldres.* [i] *Andreoux.* [k] *Voſge.* [l] *Zaberne en Alſace.* [m] *l'evêque de Strasbourg.* [n] *Claude de Lorraine, duc de Guiſe.* [o] *de Baſle.* [p] *de la Franche Comté.* [q] *Goteſheim.*

NOT. [1] *Snafici*] C'etoient des voleurs & coureurs de pays, dont on ne parle plus maintenant, qui couroient & pilloient vers S[t]. Dié & S[te]. Marie-aux-mines. Le mot en Allemand veult dire *Cocqs*, qui combattent à outrance. Rabutin dit, que le pays eſtoit couru par des brigands, ſans adjouſter ce que M. de Thou met *ici*. *Put.*

[2] Mai. *Put.*

etiam munitione, qua parte urbs debilior eſſe videbatur, inchoata. Spe potiundae civitatis excluſus rex, relicto Tabernis vexillo peditum, duce [a] Sanpaulo, iter flexit: et tertiis caſtris [b] Haganoam, quae [c] Matera fluvio alluitur, pervenit; oppidum propter ſitus amoenitatem olim a Friderico [d] Ahenobarbo muris praealtis cinctum. Cum oppidani initio portas aperire recuſarent, quantumvis cardinalis Lotharingus et Rhingravius precibus inſtarent, ut ſe regi morigeros praeberent, tandem Momoranrii minis territi, jam XIV tormentis admotis, vim deprecati imperata faciunt. Ibi diem commoratus caſtra promovet, et ad [e] Wiſſeburgum, quod [f] Lautero fluvio dividitur, cum exercitu procedit. In eo coenobium opimum a Dagoberto Clotharii filio Francorum rege inſtitutum et aedificatum anno ſalutis IↃ CXXIII; quod a Spirenſis epiſcopi, in cujus territorio ſitum eſt, poteſtate immune eſſet, et a coenobiarchis tantum ſub ipſius Dagoberti patrocinio regeretur. Urbis primores ante regis adventum Argentinam aufugerant, veriti ne propter Sebaſtianum Vogelſpergerum Caeſari traditum et ſupplicio Auguſtae affectum, uti diximus, rex ipſis ſuccenſeret et poenas repoſceret: ſed bujus criminis gratia facta, et oppidum in fidem acceptum eſt. Conſumpta Wiſſeburgi annona, in caſtris penuria laborari coepit.

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

VIII. DISCEDENTE hinc rege, venerunt ab Helvetiorum pagis legati, qui Colmariam, [g] Seleſtadium, [h] Einſemum, Argentinam, praecipuas Alſatiae urbeis, regi commendarent; ab iis quippe ſibi, cum opus eſt, abunde frumentum ſuppeditari; ut nullum damnum accipere illi poſſint, quod non et ipſi ſentiant. Iis rex, cum prope [i] Bipontium eſſet, reſpondet; Einſemenſibus, quorum urbs [k] Sontigoviae Ferdinandi ditionis et Helvetiis finitimae caput eſt, in ipſorum gratiam condonare injuriam, modo quos habeant e ſuis in vinculis milites dimitterent; in alios nihil quidquam inclementius cogitaſſe; et quanquam Argentinenſes ſuos mercandi illuc cauſa profectos inhumanius acceperint, et a ſuis portis injurioſe ſubmoverint, non tamen ab eorum amicitia diſceſſurum, aut quidquam contra vicinitatis jus facturum: eandem viciſſim ab ipſis benevolentiam expectare. Sub id tempus venere et legati a Palatino, [l] Moguntino et Trevirenſi ſeptemviris; a [m] Clivenſi praeterea et Wirtembergico ducibus, qui nuper reipublicae cauſa [n] Wormatiae convenerant. Ii regem orant, ut a vaſtatione temperetur, et multitudini parcatur: quoniam vero libertatis Germanicae cauſa bellum ſuſceptum ſit, petunt, ut ad pacis conditiones animum adjiciat; pro qua jam ad Caeſatem legationem inſtituerint, operam deinceps daturi, ut pax publica conſtituatur: igitur in eo honoris ſui atque exiſtimationis rationem habeat: inſuper obſecrant, ut ab [o] Argentinenſium finibus militem abſtineat, et interventu ſuo efficiat, ut Albertus marchio cum [p] Herbipolenſi epiſcopo mitius agat. Ad haec rex, cui praeter opinionem haec accidiſſent, diſſimulato dolore, laetari ſe reſpondet, quod id, cujus cauſa in Germaniam veniſſet, conſecutus eſſet, ut ſcilicet captivi principes libertatem recuperent, et Germania virtute et cura ſua ab aerumnis reſpirare incipiat: ſibi abunde gloriae eſſe, quod voti compos domum redeat, ad prohibendas hoſtium invaſiones: ſi tempus incidat, ut rurſus opera ſua Germania indigeat, nulli ſe labori, nullis ſumptibus eſſe parciturum: dolere ſibi admodum, quod licentia militari multum damni multitudini datum ſit; ſed nullam tam exactam diſciplinam in exercitu ſervari poſſe, aut delictorum adeo ſeveram caſtigationem inſtitui, quin multa perperam, multa flagitioſe admittantur: de pace, quam cupere prae ſe ferant, et facturos recipiant, idem ſe quoque valde cupere, et ab ipſis expectare; ſed proſpiciendum ipſis eſſe, ne libertatem opera ſua reſtitutam turpiter et per imprudentiam amittant: pro Argentinenſibus quod poſtulent, id minime ipſis denegare velle; quanquam ita nuper ſe geſſerint, ut de illorum protervia et inſolentia potius coërcenda quam de gratia

in

INTERPR [a] *St. Paul.* [b] *Haguenau.* [c] *Mater r.* [d] *Barbaroſſa.* [e] *Weiſſenburg.* [f] *Lauter r.* [g] *Schleſtadt.* [h] *Enſchem.* [i] *Deux Ponts.* [k] *Sundgau.* [l] *les electeurs de Mayence & de Treves.* [m] *les ducs de Cleves & de Wirtemberg.* [n] *Wormes.* [o] *de Strasbourg.* [p] *de Wurtzburg.*

CIƆIƆLII. in beneficii immemores conferenda cogitare debeat. Cum adhuc [a] Wiſſeburgi exercitus eſſet, nullis jam a multo tempore a Mauritio acceptis literis, ſparſa interim
HENRICUS II. fama de conventione cum Ferdinando facta, rex Lud. [b] Sangelaſium Lanſacum Auguſtam mitrit, qui de rebus foederatorum cognoſceret, et promiſſa ab ipſis repoſceret. Ille a Mauritio nihil aliud retulit, quam excuſationem eorum, quae [c] Lincii acta fuerant; id vero propter repentinum Turcorum in [d] Pannoniam deſcenſum a foederatis citius factum eſſe, ad quem repellendum ipſe ad trimeſtrem militiam Ferdinando operam ſuam pollicitus ſit: ceterum conveniſſe, ut rex, quem in actione pacis foederati comprehenderant, explicaret, quibus conditionibus cum Caeſare paciſci vellet.

IX. REX, auditis legatorum poſtulatis et Mauritii acceptis literis, cum a tergo in [e] Campaniae fineis populabundum hoſtem cum copiis ingreſſum eſſe intellexiſſet, in Galliam quamprimum redire decrevit; diviſo in treis partes exercitu, ut populareis ſublevaret, et commodius copias traduceret. Tribus diverſis itineribus in Lotharingiam ventum eſt: [α] Anton. [f] Borbonius Vindocinus cum exercitus parte, in qua IƆ CCC equites et Rhingravii legiones erant, eadem veſtigia, quibus venerat, relegit: [β] Claudius [g] Lotharingus Aumalius cum cataphractis et IƆ CCCC partim levis armaturae partim ſcloppetariis equitibus et Recrodi legione ac praecipua nobilitate Wiſſeburgo ſextis caſtris [h] Bipontium profectus eſt. Multa a viatici penuria, a laboribus et immodicis atque intempeſtivis illius anni caloribus perpetiebatur miles; et plures aegri paſſim per vias relicti; ex iis CCC Bipontii mortui: ubi cum diem commoratus eſſet, tertiis caſtris [i] Valderfingam venit, quod eſt Lotharingicae dirionis ad Saram flumen oppidum. Ibi Vindocinus et Aumalius conjunctis copiis IX Kalend. Julias Saram tranſeunt, qui juxta [k] Auguſtam Trevirorum in Moſellam influit; biduoque poſt pontibus ſtratis copias Moſellam tranſmittunt, et, deſcenſu in agrum [l] [γ] Lucemburgicum facto, ad [m] Theodonis-villae conſpectum caſtra metantur. Dum rex bello externo implicatus eſſet, Maria Hungariae regina Belgii praeſes, ex abſentia regis occaſionem nacta, Martini [n] Roſſemi ope, qui noſtras aliquando parteis ſecutus poſt Clivenſis cladem Caeſari reconciliatus fuerat, viri impigri, et qui Clivenſis equitatus tribunatu ornatus in magna apud ſuos auctoritate erat, in Lotharingiae fineis et Campaniam uſque cum IV CIƆ [o] M enapiorum et IƆC equitibus excurrerat: parte alia Erneſtum comitem Mansfeldium [p] Avenarum praefectum et [q] Cimaci praepoſitum in Lucemburgicum agrum miſerat, ut ibi coacto exercitu ambo in noſtrum limitem impetum facerent. [r] Stenaeum ad Moſam nullo negotio ab iis captum; quod exiguo praeſidio a Chriſtierna impoſito tenebatur, ſive illius tacito juſſu, quae haud dubie rebus Caeſaris avunculi favebat, ſive praefecti ignavia. Hoc veluti claſſico excitata regina et Annebaldus maris praefectus, qui cum ea relictus fuerat, exercitum cogunt: et quia Stenaeo capto metus erat, ne [s] Villam-francam, quod eſt infra Stenaeum ad Moſam item caſtellum, hoſtis occuparet, Bordillonius ſumma celeritate eo contendit, cum XVII armatis ſolummodo, ala equitum ſubſequi juſſa. Inde [t] Muſonium, a quo magis timebat, proficiſcitur, [u] Caſtelluſio legato ſuo Villae Francae impoſito cum ea, cui praefectus erat, equitum ala. Muſonium tenebat Carolus [x] Tiercellinus Rupimaurius cum XL equitum ala; cui adjunctus fuerat Jo. Jacobus [y] Suſannaeus Cernius cum CCC peditum cohorte. Diſſidentibus ducibus, oppidani ſubito hoſtium adventu conſternati, vix tandem, ſuperveniente Bordillonio, a concepto pavore animos collegerunt; cum ille, ſupellectile argentea omni ſua et impedimentis in

VAR. LECT. [α] Anton. Borbonius *deſunt* *P. D.* o. f. d. [β] Claudius Lotharingus *deſunt* *P. D.* o. f. d. [γ] Lucemburgenſem *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Weiſſenburg.* [b] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [c] *Lintz.* [d] *Hongrie.* [e] *la Champagne.* [f] *de Bourbon, duc de Vendôme.* [g] *de Lorraine, duc d'Aumale.* [h] *Deux Ponts.* [i] *Valderfingen ſur la Sare.* [k] *Treves ſur la Moſelle.* [l] *Luxembourg.* [m] *Thionville.* [n] *Roſſem.* [o] *ceux de Cleves, Juliers, & Gueldres.* [p] *Aveſnes.* [q] *Chimay.* [r] *Stenay.* [s] *Villefranche.* [t] *Mouſon.* [u] *Chaſtelluz.* [x] *Tiercelin de la Rochedumaine.* [y] *de Suſannés, baron de Cerny.*

in oppidum illatis, paratum ſe cum iis eandem ſubire fortunam diceret. Hoſtes, per Stenaci pontem Moſa tranſmiſſo, et caſtris Muſonium inter et Villam-francam poſitis, cum oppida illa munitiora offendiſſent, quam ut ea occupare aut primo impetu, uti ſperaverant, capere poſſent, ne nihil egiſſe viderentur, ad rapinas et incendia vertuntur; [a] Briolamque primum ulterius progreſſi incendunt, mox [b] Monſalconium captum omni in eo inſolentiae militaris edito genere vaſtant; dein [c] Bulladram arcem propinquam; et inde oram fluminis legentes oppidula obvia ac vicos in poteſtatem redigunt, et per [d] Jovini Fanum, [e] Cornadum, [f] Raimundi villam, [g] Granpratum veniunt ad [h] Arirum, inter [i] Menchildis Fanum et [k] Caralaunum atque [l] Attioiacum ſitum oppidum. Ibi poſtquam de Annebaldi, qui jam aliquot copias coëgerat, adventu cognoverunt, et regem cum exercitu Valderfingae eſſe reſciverunt, veriti, ne medii interciperentur, Bulladra et Granprato incenſis propere ſe recipiunt, majore Clivenſium et Geldrenſium copiarum parte intra [m] Ivodium [n] Manſeldii juſſu accepta. Rex, ubi in Lucemburgicum agrum deſcendit, Roſſemi injurias ulturus, primum contra [o] Rupem-martiam copias ducit; quod eſt caſtellum inter [p] Theodonis-villam et Auguſtam Trevirorum in Moſellae ripa colle declivi poſitum, a natura quam ab arte magis munitum. Confugerant in arcem regionis praecipua fere nobilitas ac primariae matronae, quod exiſtimarent Theodonis-villam prius oppugnatum iri. Juſſi dedere ſe oppidani recuſant; mox opinione citius admotis XIV tormentis, et facta ingenti ruina, cum praeſidiarii ſigno dato colloquium poſcerent, noſtri milites ad impetum faciendum inſtructi, veriti, ne, deditione facta, ſibi parata praeda, quam jam ſpe devoraverant, e faucibus eriperetur, injuſſu ducum in murum ſemidirutum enituntur, et deturbatis obviis propugnatoribus urbem impetu capiunt ac diripiunt. [q] Rhingravii tamen precibus datum, ut in loci dominae ipſius propinquae gratiam miles revocaretur: miſſuſque Gaſpar [r] Colinius, qui militari licentiae modum imponeret, et victoris furorem refraenaret. [s] Prada loci cuſtodiae praefectus cum I Vaſconum ſigno et C equitibus. Inde tranſmiſſo Moſella, et [t] Joannis Fano ac [u] Soleuro captis et incenſis oppidis, itinere per [1] Stenaeum facto, exercitus [x] Danvillarium pergit; quo jam [y] Annebaldus cum [z] Campaniae legionariis, III CIↃ Helvetiorum et II CIↃ equitum advenerat. Oppidum illud paludibus undique cinctum, ideoque hyberna et pluvioſa tempeſtate inacceſſum, tunc ob immoderatos calores ſub aeſtivum ſolſtitium exortos deſiccato ſolo infirmum, praeſidiariorum virtute noſtrorum operas crebris certaminibus interpellantium aliquanto tempore defenſum eſt. Huic praefectus erat [aa] Marcius cum II CIↃ peditum, et IↃ equitibus, ut exiſtimatum eſt a noſtris. Tandem admotis tormentis et continua diſploſione ex imminenti clivo facta, cum jam miles ad impreſſionem faciendam ſe compararet, de deditione actum eſt. Poſt aliquot altercationes ad extremum praeſidiarii, vitam pacti, his conditionibus ſeſe dedunt; ut duces ac primarii e nobilitate captivi eſſent; milites inermes dimitterentur; de oppidanorum bonis rex decerneret; praeda omnis Colinio data, non ſine murmure militum. [bb] Villa-francus peditum dux, qui ſtrenuam operam in ea obſidione navaverat, urbis cuſtodiae praeficitur: ſed ex vulnere inibi accepto paulo poſt deceſſit. Eo mortuo, praefectura Ludovico [cc] Rabodangio commiſſa eſt; eique IV vexilla et CC equites partim cataphracti partim ſcloppetarii attribuuntur. Ita captum oppidum, XV, poſtquam obſideri coepit, die. Dum ibi rex eſſet, Ferdinandus Sanſeverinus

INTERPR. [a] *Brielle.* [b] *Montfaulcon.* [c] *Boullandre.* [d] *St. Jeuin.* [e] *Cornad.* [f] *Remonville.* [g] *Grandpré* [h] *Airre r.* [i] *Ste Meneboud.* [k] *Chaalons.* [l] *Attigny.* [m] *Ivoy.* [n] *le comte de Mansfeld.* [o] *Roc de Mars.* La carte du pays l'appelle *Rodemark.* [p] *Thionville & Treves.* [q] *le Rhingrave.* [r] *de Coligny.* [s] *le capitaine la Prade.* [t] *Mont S. Jean.* [u] *Soulcuvre.* [x] *Danvilliers,* al. *Danvillé.* [y] *d'Annebaud.* [z] *la Champagne.* [aa] *Marcy.* [bb] *le capitaine Villefranche.* [cc] *de Rabodanges.*

NOT. [1] Dele *Stenaeum,* lege *Eſtanum.* *Eſtan ſur Danvilliers,* ſelon la Popeliniere & Rabutin. *Put.*

[a] Sanſeverinus Salerni princeps ex regno Neapolitano ad eum venit, et magno in honore pro ipſius merito et ampliſſimae familiae dignitate habitus eſt. Is in ſeditione Neapolitana ante ſexennium, ſicuti diximus, dum fidelem operam Caeſari navat, ob populi erga ſe benevolentiam ſuſpectus eſſe coepit: ab eoque tempore primum calumniis apud Caeſarem, cum ad eum in Germaniam profectus eſſet, a Petro [b] Tolerano prorege homine ſuperbo et pervicaci traductus; deinde, ubi domum rediit, inſidiis ſaepius petitus, poſtremo, ut vitae et dignitati conſuleret, natali ſolo cedere coactus eſt. Quatriduum cum rege commoratus, ſpe, ut creditum eſt, de rebus in regno novandis facta, in Italiam revertitur. Danvillario dedito, rex [c] Virodunum in Selabis venit: publicaque laetitia exceptus, ſatagente Carolo [d] Lotharingo cardinali, urbem in poteſtatem redigit, ſalvis privilegiis et immunitatibus, quas religioſe ſervaturum promiſit. Urbs illa initio ſub Merovingorum imperio fuit; vix lachrimis et precibus Exuperii a vaſtitate et incendio aſſerta, quod pro Gillone Romano contra [α] [1] Clodovaeum Francorum regem ſtetiſſet: poſtea ſub Carlovingis fuit; inque ea Auſtraſiae reges ſedem imperii ſui habuerunt: ſed, inclinantibus Carlovingorum rebus, anno Sal. IↃ CCCCXXIV Othoni [2] II a Carolo Simplice jus, quod in ea regibus noſtris erat, emptionis titulo conceſſum fuit; et, tranſactione inter Othonem III et Ludovicum IV [3] Caeſares facta, omnino alienata eſt, hoc addito, ut nuſquam deinceps Francorum regibus eam repetendi jus eſſet. Ab eo tempore ſub Germanis fuit, a comitibus adminiſtrata uſque ad Fridericum Godofredi barbati filium, qui LXVI annis poſt, ſuſcepta in Terram ſanctam profectione, cum ſe et ſua omnia Deo devoviſſet, jus quoque omne in ea ſuum in Aimonem epiſcopum ac ejus ſucceſſores tranſtulit: cum poſtea Lotharingiae duces, in quorum finibus Virodunenſe territorium eſt, potentia ſua freti jus in eam ſibi tempore quaeſiviſſent, Richerus epiſcopus, C anno poſt, eam a Balduino [e] Godofredi Bullionenſis fratre magno pretio redemit, cum ille cum fratre ad Hieroſolymitanam expeditionem proficiſceretur. Deinceps inſtitutus in ea ſenatus, qui immunitatibus ac privilegiis ab imperatoribus conceſſis paulatim, ut in reliquis imperialibus civitatibus hodie videre eſt, epiſcoporum juriſdictionem ad ſe traxit. Idque praecipue in cauſa fuit, cur Lotharingus cardinalis tantopere urgeret, ut civitas in regis poteſtatem veniret; quod videlicet ſperaret fore, ut abolita ſenatus potentia priſtinam auctoritatem, epiſcoporum ſuperiorum negligentia et ignavia amiſſam, regis favore recuperaret: quod et exitus comprobavit. Nam ſubito poſt regis diſceſſum vocatis in aedeis privatas civibus, quos rebus ſuis favere cognoverat, ex ſuggeſtu magnificam ac luculentam orationem apud ipſos habuit; et, laudata egregia regis voluntate, ac damnata publica ſub ſenatu adminiſtratione, quam epiſcopis juriſdictione erepta gravem admodum huc uſque experti fuerant, novam adminiſtrationis formam inſtituit, cujus capita ſcriptis mandari jubet: tum circumſtanteis rogat, placeretne, ut deinceps reſpublica his legibus ſub regis patrocinio et epiſcoporum juriſdictione regeretur: cumque voce ſublata omnes conſentirent, leges recitatae ac promulgatae ſunt. Praefectus urbi impoſitus Gaſpar [f] Saulius Tavanius cum ala equitum et CIↃ CC peditibus: muniendae urbis cura data Santandreauo equitum tribuno; qui, conſultis hujus rei peritis, de conſtruenda arce in hortis epiſcopi, loco editiore, conſilium inivit. Inde Moſa ponte tranſmiſſo, rex [g] Mommedium copias

VAR. LECT. [α] Childericum P.

INTERPR. [a] *Sanſeverino, prince de Salerne.* [b] *de Tolede.* [c] *Verdun.* [d] *le cardinal de Lorraine.* [e] *Godefroy de Bouillon.* [f] *de Sault, ſeigneur de Tavannes.* [g] *Mommedy.*

NOT. [1] Dele *Clodovaeum*: lege *Childericum*. Gillon mourut à Soiſſons, gouverneur pour les Romains ès Gaules, l'an 480, vivant encore Childeric; duquel le fils Clovis defit Siagrius fils & ſucceſſeur de Gillon l'an 484, & abolit l'authorité des Romains. *Put.*

[2] Dele II: lege I. *Put.*

[3] *Caeſares*] Il y a faute en cet endroit; car il y a prés de 80 ans de diſtance entre ces deux empereurs: & y auroit plus d'apparence, que ce fut Othon I empereur, & Louis IV roy de France, fils de Charles le Simple; de l'abſence ou priſon duquel Othon s'eſtoit prevalu. *Put.*

copias duxit; cui [a] Sammarius Caeſaris nomine praeerat; juſſuſque oppidum dedere, cum recuſaret, et ſe, quod Ivodienſes ſeciſſent, facturum reſponderet, poſt levia aliquot certamina, in quibus N. Anglurius magnae ſpei juvenis deſideratus eſt, ad [b] Ivodium, quo ſe P. Erneſtus Mansfeldius provinciae praefectus incluſerat, ex Momorantii conſilio caſtra poſita ſunt, praemiſſis Nivernenſium ducis, [c] Marciani Sedanii et [d] Rupimanii equitum alis, levis item armaturae parte, et II CIↃ peditum, qui oppidum cingerent, et ne auxilia intromitterentur impedirent. Ad collis imminentis radices oppidum jacet, ſubjecta planitie, quam [e] Cheſſeus fluvius alluit, crebris, quibus undique cinctum eſt Ivodium, molatrinis inſerviens, ac poſtremo juxta Sedanum in [f] Moſam influit. Admotis XXXVI tormentis X Kal. Quintil. coeptum oppidum verberari; factaque ingenti ruina, cum miles impetum facturus eſſet, et Mansfeldius viciſſim ad propugnationem ſe comparans ante ſuos incederet, a Germanis et Clivenſibus, qui ad III CIↃ, ut jactabatur, erant, deſertus; fide eorum implorata, ubi nihil proficere ſe videt, nobilem ex noſtris captivum produci juſſit; [α] ad eumque coram ſuis converſus, Ecce te liberum facio, inquit, ac ſimul teſtem appello injuriae, quae hodie Caeſari et mihi fit: hoc idem oppidum ab [g] Aureliano regis fratre olim obſeſſum, cum non ita firmum eſſet, [h] Ægidii cujuſdam ferrifodinarum fabri et ruſticorum, qui cum eo erant, virtute aliquandiu defenſum fuit; et tandem, ſed admodum honeſtis conditionibus, deditum: horum vero, quos vides, ignavia an proditione dicam neſcio, ille ego, quiſquis tandem ſum, certe non ignobilis neque novus dux, cogor non viſo hoſte intempeſtivam deditionem facere, hoc eſt, iniquis conditionibus ignominioſe paciſci: hoc volebam ut ſcires et coram cerneres, ut quoties accepti beneficii memoria ſubibit, toties honoris et exiſtimationis meae tuo teſtimonio a calumniis vindicandae recorderis. His dictis, ſigno ex turre dato colloquium poſcit; et, fide accepta, [i] Strincantius urbis praefectus Mansfeldii juſſu emittitur, qui de deditionis conditionibus cum Momorantio ageret. In has conventum eſt, cum aliud non poſſet Mansfeldius; ut ipſe, Strincantius, ac praecipui duces captivi remanerent; reliqui milites inermes dimitterentur: de oppidanorum bonis rex arbitrio ſuo decerneret. Continuo intromiſſae Momorantii et ipſius filii alae equitum: quibus diſtributa omnis praeda, quam Momorantius dono a rege acceperat, manifeſta veteranorum offenſione; qui ſenſim dilabi, inde arrepta occaſione, coepere. Mansfeldius in regis conſpectum adductus, excuſata Ivodii tam feſtinata deditione, cum ab eo petiiſſet ut ſecum humane ageretur, Humanius tecum in Gallia, inquit rex, quam cum [k] Andeloto et [l] Sipetra [m] Mediolani, agetur: ita cum Strincantio ſub cuſtodia ad [n] Vicenarum caſtrum prope Lutetiam miſſus eſt. Secundis caſtris Mommedium cum exercitu rex venit; quod mox a Sammario vitam et res ſalvas ſuis pacto, relictis tamen in eo tormentis, deditur. Ivodio Edmondus [o] Curtinaeus Bleneus, qui ſe fortiter in ejus obſidione geſſerat, ac deinde [p] Altacurius cum III vexillis et CC equitibus, Mommedio [q] Baro Pariſienſis ſtrenuus ordinum ductor cum III vexillis et C equitibus, imponuntur. Captis in Lucemburgico agro tribus praecipuis oppidis, Marciani Sedanii rogatu, qui occaſionem tam pulchram non praetermitti e re non ſolum ſua eſſe ſed etiam ad Gallici nominis decus pertinere dicebat, rex ad [r] Bullionenſis principatus recuperationem animum adjecit, quem Caeſar Marciani majoribus ablatum [s] Leodicenſi epiſcopo attribuerat. Datus ei a rege [t] Jurcius legionis Campanae praefectus cum IV CIↃ circiter peditum et CIↃ CC equitibus atque ala cataphractorum ſua et VI majoribus tormentis. His inſtructus Marcianus Bullionum ducit, oppidum quondam frequens

VAR. LECT. [α] juſſit, dum altercaretur cum ſuis, et Ecce te P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de Sainte Marie.* [b] *Ivoy.* [c] *de la March, prince de Sedan.* [d] *Tiercelin de la Roche-du-maine.* [e] *le Chier r.* [f] *la Meuſe.* [g] *Charles duc d'Orleans.* [h] *Gilles de Levant.* [i] *Strinchant.* [k] *Fr. de Coligny, ſieur d'Andelot.* [l] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [m] *Milan.* [n] *Vincennes.* [o] *de Courtenay, ſieur de Bleneau.* [p] *de Haultecourt.* [q] *le capitaine Baron Pariſien.* [r] *duché de Bouillon.* [s] *de Liege.* [t] *le ſieur de Jours, colonel, &c.*

CIↃIↃLII. HENRICUS II.

frequens et muris cinctum, ſed propter continua bella paene deſolatum ac ſemidirutum. In colle, cui ſubjacet oppidum, rupes undique praerupta prominet, cui arx impoſita eſt, foſſa praealta et lata in ſaxo excavata a colle, cui olim conjungebatur, diviſa, de cetero pro loci ſpatio propugnaculis et muro munita. Vicinus ager horridus fere; ut qui aſperis collibus et perpetuis ſaltibus diſtinctus ſit. Cum Marcianus, per impedita loca ſaepius iiſdem traductis copiis, ut majores vero apparerent, et tympanis ac tubis inter convalleis fragorem ac ſtrepitum ingeminantibus terrorem praeſidiariis injeciſſet, tormenta operarum vi in collem ſubvehi imperat, quae funibus librata vix tandem in praecipiti clivo conſtitui potuerunt: mox diſploſione facta et modica ruina edita, [a] Altorivus nothus arcis praefectus, qui regem cum omni exercitu veniſſe exiſtimabat, deditionem paciſcitur, niſi intra triduum auxilia ſummitterentur. Elapſo triduo, neque ſupervenientibus auxiliis, Marcianus arce et machinis potitur, Altorivo cum ſuis vita et rebus ſalvis abire permiſſo, qui ob ignaviam paulo poſt ſecuri percuſſus eſt. Capto Bulliono, Marcianus cetera principatus illius oppida ac vicos in poteſtatem nullo negotio redegit, XXX poſtquam inde a Caeſarianis ejectus fuerat anno. [b] Avellanus arci cum praeſidio imponitur. Dum haec agerentur, rex ob continuos labores, dum in aggere plerumque cum milite ſomnum capit, et cibum horis minime conſuetis ſumit, accedente caloris illa aeſtate deflagrantis inclementia, in morbum incidit, ex quo cum Sedani, ubi ad eum venit regina, aliquanto tempore decubuiſſet, valetudine demum confirmata in caſtra rediit; quae Momorantius [c] Cimacum verſus in Arduenna ſylva promoverat, ut Mariae reginae cum exercitu in Belgii limite ferro et flammis graſſanti occurreret, et militem veteranum praedae avidum aliquo modo ſatiaret. Interea [d] Lumii caſtelli, quod inter [e] Muſonium et [f] Mezeriam ad Moſam ſitum eſt, latrociniis infamis et limiti Campaniae valde detrimentoſi, arx, domino mortuo ex morbo an vulnere incertum, regi deditur; quae ſtatim ſolo aequata et, ſervato interiore propugnaculo, una cum parte annui reditus [g] Nivernenſium duci dono attributa eſt; altera parte [h] Confluentio, qui ſororis defuncti filiam in uxorem duxerat, reſervata. Rex Lucemburgico agro digreſſus, cujus praefectum Nivernium conſtituit, et, commeatu in [i] Rupem-Martiam comportato, circa [k] Theodonis-villam corrupta meſſe, [l] Arlonium munitiſſimum caſtellum aggreditur; in quo, dum caſtra propius admoventur, Franciſcus [m] Anglurius Etaugius Colinii legatus occiſus eſt; nec multo poſt locus impetu a noſtris capitur, praeſidiariorum fere omnium caede Etaugii morte vindicata. Eandem fortunam et [n] Glajonum caſtellum Arlonio nimium vicinum ſubiit. Inde Cimacum exercitus deducitur: ſtatimque oppidum deſeritur, praeſidiariis in arcem cum oppidanis et quidquid ſecum aſportare potuerant confugientibus; qua admotis tormentis vehementer pulſata et ruina edita, dum praefectus de deditione ageret, noſtri praedae avidi injuſſi in murum evadunt, et arcem captam proterve diripiunt; proterviae poenam pleriſque ex iis luentibus, qui, dum ad praedam diſcurrunt, tormentario pulvere ignem concipiente, ad C conflagrarunt. De [o] Avenarum urbe obſidenda etiam cogitatum fuerat: ſed, immodicos aeſtus excipientibus continuis imbribus, exercitus tandem diſſolutus eſt; poſtquam [p] Aumalius, cum levi armatura in [q] Hannoniam ad reprimendas Hungariae reginae excurſiones miſſus, et [r] Valencianas uſque progreſſus, cum nuſquam hoſtis compareret, incendiis paſſim factis ultionem de vaſtato et incenſo noſtro limite abunde ſumpſiſſe viſus eſt. Rex [s] Eſtream XVII Kal. Sextil. in caſtra venit, cum in ea expeditione III menſeis et XV dies conſumpſiſſet: et, exercitus parte [t] Vindocino attributa, [u] Guiſam, deinde [x] [α] Faram oppidum munitiſſimum ad [β] Eſiam profectus eſt.

X.

VAR. LECT. [α] Forum Veromanduorum *P. D. o.* [β] Iſaram *P.*

INTERPR. [a] *le baſtard de la maiſon de Haurion.* [b] *le ſieur des Avelles.* [c] *Chimay és Ardennes.* [d] *Lumes.* [e] *Mouſon.* [f] *Mezieres.* [g] *Nevers.* [h] *le ſeigneur de Conſlant.* [i] *Roc de Mars.* [k] *Thionville.* [l] *Trelon.* [m] *d'Anglure d'Etauges, lieutenant de Coligny.* [n] *Glaion.* [o] *Avesnes.* [p] *le duc d'Aumale.* [q] *Hainaut.* [r] *Valenciennes.* [s] *Eſtrée-au-pont.* [t] *le duc de Vendôme.* [u] *Guiſe.* [x] *la Fere ſur Oyſe.*

X. Rege in Germaniae et Belgii finibus bellum gerente, foederati, qui, capta [a] Ereberga et mox [b] Oeniponte, [c] Fieſſam reverterant, per internuncios ſcriptum tam ſuo quam Mauritil nomine [d] Auguſtae evulgant VIII Eid. Junias; quo, convenienter iis, quae jam ante publicaverant, quandoquidem religionis et libertatis publicae cauſa arma ſumpſerint, idoneos in templis et juventuti erudiendae doctores praeficere ſui officii eſſe profitentur: ſic enim obviam iri hoſtium veritatis conatibus aiebant; qui id hactenus egerint, ut oppreſſis piis doctoribus pontificia poteſtas conſtitueretur, et juventus erroneae et impiae doctrinae a teneris imbuta ſucco ſenſim in ea adoleſceret: eo conſilio non ſolum pios doctores in vincula conjectos, ſed et eos per jurisjurandi religionem dira et inaudita inhumanitate adactos, ut Imperii finibus excederent; alioſque, aut a doctrina inter eos recepta abhorrenteis, aut qui minus conſtantes a pura religione defecerant, in horum locum ſubſtitutos eſſe: itaque ſe miniſtros illos et juventutis moderatores ab illis ejectos revocare; et, ne quis calumniae locus ſit, jurisjurandi nexu prorſus exſolvere, ut ipſis deinceps libere liceat foederatorum patrocinio fretis juxta confeſſionem, quae Auguſtae olim exhibira eſt, verbum Dei pure ſuis cuique locis et paſſim in Germania docere, ac juventutem erudire; poena graviſſima in eos ſancita, qui illos, quaſi contra fidem datam faciant, dicto vel facto perſtrinxerint. Mandatum inſuper, ut alii, quos cum his propter diverſam docendi rationem minime conſenſuros praevideant, a ſenatu removeantur; et curetur, ut foederatorum edicto ſua conſtet auctoritas. Igitur quinto poſt die, quam haec evulgata ſunt, concionatores a Caeſare ejecti ac ludimagiſtri a ſenatu reſtituuntur. Haec omnium foederatorum nomine acta. Albertus vero Brandeburgicus, qui nullam non movendi belli occaſionem captabat, cum videret Mauritii frequenti itu et reditu res ad pacem ſpectare, ſuum negotium agere coepit: ac jam antea, priuſquam Mauritius [e] Lincio rediret; ipſe cum ſuis copiis et aliquot ſociorum, eae erant equitum II CIↃ et peditum vexilla XIX, ab exercitu deceſſerat; et primum Wolſango Teutonici ordinis principi cum incendiis ac direptionibus plurimum damni dediſſet, pecunia ingenti ab eo exacta, in Norimbergicum agrum deſcendit, et [f] Liechtnavum praecipuam arcem V milliaribus ab urbe diſtantem unaque ſubjectum oppidum admotis tormentis III Non. Maii deditione capit. Poſtridie ad ſenatum literas dat; quibus de regis ac foederatorum in hoc bello propoſito, quod jam ex evulgatis per Germaniam ſcriptis potuerit cognoſcere, pauca praeſatus, confidere ait tam honeſti conſilli auctores, futurum, ut omnes viri boni et libertatis ac tranquillitatis publicae amantes ipſis ſe conjungerent: ceterum, ſi aliter eveniat, ſtatuiſſe, eos, qui vel nitentur contra, vel opibus ſuis non adjuvabunt, pro hoſtibus habere: ſibi vero id negotii a ſociis datum, ut illos, quorum fineis ingrederetur, ad officium cogat; neque locum ullum munitum, unde vis vel eruptio aliqua metuenda ſit, a tergo relinquat: proinde ipſis, qui nondum voluntatem ſuam declaraverint, neque Auguſtam legatos aut ad ſe miſerint, Liechtnavum arcem, qnae ſuis caſtris incommodabat, vi ademiſſe, conſervatis praeſidiariis, quos ſeverius mulctare potuiſſet: petere igitur, tam regis quam ſuo et ſociorum nomine, ut, quid in hac communi cauſa facere decreverint, publice profiteantur, et ſine mora intra diem proximam denuncient, ut, quo numero haberi debeant, poſſit intelligi. Haec ille. Etſi autem [g] Norimbergenſeis foederatis omnino non ſatisfeciſſe diceret Albertus, neque ſibi de ipſorum voluntate conſtare, tamen hoc ſciebat, quo tempore Mauritius et ſocii ad [α] [h] Schuinſurtum caſtra habebant, quod fuit VII Kal. April. cum Norimbergenſibus actum fuiſſe, ut foederi ſubſcriberent, & commeatum, machinas bellicas maximamque auri vim in illud conferrent: ſed nihil impetratum

VAR. LECT. [α] Schinfurtum *P. D. o.* Scuhinfurtum *D. f. d.*

INTERPR. [a] *Ehrenberg.* [b] *Inſpruck.* [c] *Fieſſen.* [d] *Augsburg.* [e] *Lintz.* [f] *Lichtenau.* [g] *ceux de Nuremberg.* [h] *Schweinfurt.*

CIↃIↃLII.

HENRICUS II.

impetratum primo; tandem poſt multas altercationes conveniſſe, ut depenſis CC aureorum millibus pacem cum foederatis haberent, idque Mauritium tam ſuo quàm ſociorum nomine religioſe eis promiſiſſe. Itaque acceptis Alberti literis ſtatim reſcribunt, et, quid Mauritius ac principes per tranſactionem ſibi promiſerint, oſtendunt; quod in cauſa fuerit, cur ad eum legatos de pace minime miſerint: petunt igitur, ut arcem ademptam reſtituat, in eoque ſibi gratificetur. Ad ea Albertus triduo poſt reſpondet, ſibi nequaquam conſtare de illorum tranſactione: et vero, cum regis, cui non minus quam ſociis ſit addictus, maxime interſit, petit, ut tranſactionis documenta exhibeant. Cum illi exhibuiſſent, nihilominus regis nomine urget, ut intra paucas horas diſerte ad poſtulata reſpondeant; alioqui ſe eos pro hoſtibus habiturum. Dum ultro citroque inter eos commearetur, Norimbergenſes ad foederatos querimoniam detulerant: et Mauritius quidem ac Willelmus Heſſi filius reſcripſerant, Alberti factum ſibi prorſus inopinatum accidiſſe, ac minime illud probare; ceterum pacta ſe ſervaturos, et curaturos, ut ſua ipſis reſtituerentur, et copiae, quas Alberto attribuerant, revocarentur. Sed interea, dum Mauritius ac ſocii miſſis legatis omnia tentant, ut res componantur, Albertus, cum reſponſum, quale vellet, a ſenatu non ferret, rabie incitatus, ut, quod jure non poterat, terrore ſui injecto conſequeretur, Liechtnavum arcem et adjunctum ei oppidum diripit, incenſumque funditus evertit. Tum, imperata oppidanis pecunia, ipſos in fidem ſuam et Georgii Friderici patruelis jurejurando adigit; continuoque propius urbem caſtra admovet. Itaque Willelmus, cum aliud non poſſet, ut fidem aliquo modo liberaret, equitum II alas, quas contra Teutonici ordinis magiſtrum ei commodaverat, confeſtim revocat: quod ille cum duriſſime accepiſſet, non jam cum ſenatu Norimbergenſi ſed cum principibus offenſione contracta, bacchanti ſimilis bellum immane orditur; et vicos ditionis illius C circiter, arcis et civium villas ad LXX, templa etiam prius ſpoliata diripit et incendit: mox in ſylvam admodum ſpatioſam, quae non ipſis tantum ſed et finitimis materiam et ligna ſubminiſtrabat, igne injecto, ad III CIↃ jugerum incendio conſumpſit, nobilitati vicinae, ni imperata faceret, bello denunciato: [a] Bambergenſemque et Herbipolenſem in Franconia epiſcopos, ut ſe ac res ſuas periculo et vaſtitati eriperent, ad iniquiſſimas conditiones adegit; ab illo quidem acceptis circiter XX oppidis ac praefecturis, et per tranſactionem inter eos factam XIV Kal. Junias permiſſis victoris arbitrio beneficiariis et clientelis; ab hoc vero CC aureorum millia emunxit, et inſuper hoc expreſſit, ut aes omne alienum ſuum, quod CCC amplius aureorum CIↃ excedebat, in ſe reciperet et diſſolveret. Tam deplorabilem Norimbergenſium fortunam miſeratae Sueviae civitates, quae numero XXVI [b] Auguſtae ad imperatum convenerant, legatos deprecatum mittunt; qui, quod Albertum a propoſito nulla ratione abduci poſſe animadverterent, civeis ad pacem hortantur: nam capta Ereberga, et in Pannonia atque Italia turbatis rebus, cum nullum ab ullo auxilium ſperari poſſit, reliquum eſſe, ut conditiones ab Alberto propoſitas, quantumvis iniquas, aequo animo ferant. Cum Norimbergenſes recuſarent, et fidem inde Mauritii hinc etiam Caeſaris fruſtra implorarent, ſeque potius extrema quaeque pati paratos dicerent, quam ut in tam iniquas conditiones conſentirent, eo irritatior Albertus rurſus vehementiore quam antea impetu diſploſis tormentis in urbem fulminat, et igne, quacunque potuit, injecto, ad majorem terrorem etiam ſuburbium incendit. Sub id tempus a Mauritio et Willelmo Heſſi filio in caſtra Alberti veniunt Georgius [c] Thannebergus et Gulielmus [d] Schattus; qui adhibitis civitatum legatis, alioqui re infecta diſceſſuris, cum utriſque agunt, ac pacem tandem conſtituunt, in has conditiones: ut ſenatus CC aureorum millia dependat, VI tormenta muralia inſtructa tradat, principes et foederatos, ſicut Auguſtani faciunt, favore proſequatur: Albertus viciſſim ablata reſtituat, et ab obſidione diſcedat.

Ita

INTERPR. [a] *les evêques de Bamberg & Wirtzburg.* [b] *Augsburg.* [c] *Thannenberg.* [d] *Schachten.*

Ita Norimbergenſes, qui ſe ſuperiori bello medios geſſerant, et ultimi hujus initio Caeſaris et Auſtriacae domus offenſionem veriti neutri ſe parti addicere voluerant, in tam duras leges adacti ſunt, quod ſe a Mautitio deſeri viderent, qui licet Alberti factum moleſte admodum ferre verbis demonſtraret, tamen eorum quamvis juſtae querimoniae ſatisfacere ſe pro tempore non poſſe ſignificabat. [a] Soluta obſidione, poſt acceptas novas copias, Jobo [a] Delbeco et Chriſtophoro [b] Oldenburgo ductoribus, terribilior Albertus ad Ulmenſeis XII Kal. Quintil. literas dat; quibus eos, ut Norimbergenſium ab ſe in ordinem reductorum exemplo ad bonam mentem redeant, monet: alioqui fore, ut arctiore ipſos quam antea obſidione premat, et, ſi fortuna, ut ſperet, coeptis arrideat, nulli maſculo ſeptimum annum egreſſo parciturus ſit. Ad haec nihilominus illi paucis reſpondent; ſtante republica, quamdiu vita ſuppetet, nihil eorum, quae poſtulet, facturos eſſe. Hanc Alberti ferocem proterviam multi ita interpretabantur, quaſi non jam foederatorum ſed ſuas res ageret, et qui ſibi, quod fortuna belli dediſſet, vellet acquirere; improbatoque Mauritii facto, qui, inconſulto rege, cum Caeſare conveniſſet, de novo bello cogitaret: tamen ſoluta Ulmae obſidione nobilitatem, quam in fidem adigebat, in foederatorum quoque verba jurare cogebat. His ſucceſſibus ſive efferatus ſive alacrior redditus, in eccleſiaſticos, quorum opima praeda ineſcatus fuerat, arma vertit; et [c] Moguntini ſeptemviri fineis ingreſſus ad [d] Moenum flumen caſtra promovet, incendiiſque ac rapinis diu graſſatus ingentem pecuniam ab archiepiſcopo exigit. Cum principes deprecarentur, et de ſumma adhuc non conveniret, Moguntinus, demerſis antea in Rhenum majoribus tormentis, quae hoſti uſui eſſe poterant, III Non. Quintil. fuga ſe periculo ſubducit. Elapſo Moguntino, Albertus in Treviros actutum ducit: et terrore, quem de ſe ſparſerat, ab attonito archiepiſcopo, regis nomine, quod jam a foederatis alienior fere uſurpabat, petit, ut praecipuam ſuae ditionis [e] arcem ad Rheni et Moſellae confluentem ſitam, loco natura munito et opportuno, tradat: ſed, recuſante [f] Trevirenſi, fruſtra fuit.

XI. Interea Mauritius [g] Paſſavium venerat, ut de rebus componendis cum Ferdinando ageret. Aderant Caeſaris nomine Albertus Baioariae dux Ferdinandi gener, [h] Saliſburgenſis et Eiſtetenſis epiſcopi, ſeptemvirórum quoque legati, ac [i] Clivenſis et Wirtembergici oratores. Heic Mauritius Kalendis Julii, longa de publica adminiſtratione querimonia inſtituta, in eam exteros oppreſſa libertate invaſiſſe dicit; et, imminuta ſeptemvirorum auctoritate, quibus inconſultis multa fiant, jura etiam perverti; et iniri rationes, quibus jus Caeſaris creandi in poſterum ipſis auferatur: proinde in comitiis nullam fere ipſorum rationem haberi, privatos ſeptemvirorum conventus formidine quadam intermitti, juriſdictionem enervari, Spirenſi camera provocationes, quae ab ipſis fiunt, contra morem antiquum admittente: in aula Caeſaris per moras affectatas privatos ſumptibus exhauriri, difficulter impetrata audientia, neque re, quae proponatur, propter linguae imperitiam exacte penſitata aut cognita; ſi quid reipublicae cauſa et pro communi utilitate allatum ſit, in malam partem accipi; gravibus edictis mandari, ne quis externis principibus militet; eos vero, qui in gratiam accipiuntur, jurejurando aſtringi, ne contra Caeſaris provincias arma ferant, et ita ab Imperio divelli; aeque ab iis, qui in Caeſaris amicitia permanſerint, atque ab illis, qui ex officio dominis ſuis bello Smalcaldico militaverint, injurioſe et contumelioſe exactam pecuniam; militem externum in Germaniam introductum eſſe, et bello confecto per praeſidia diſtributum multa licenter ac libidinoſe feciſſe, deque triumphata Germania Caeſarem libris ſuo permiſſu editis gloriatum eſſe, exportatis ad ludibrium in externas genteis bellicis machinis; et, quaſi bello adempta ad

CIↃIↃLII.

HENRICUS II.

VAR. LECT. [a] Accedebat, quod novis copiis, Jobo Delbeco et Chriſtophoro Oldenburgo ductoribus, aucto exercitu terribilior Albertus evaſerat. Igitur ſoluta obſidione ad Ulmenſes; P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Dalwig.* [b] *d'Oldenburg.* [c] *l'electeur de Mayence.* [d] *le Mein.* [e] *Coblentz.* [f] *l'electeur de Treves.* [g] *Paſſau.* [h] *de Saltzburg & Eychſtadt.* [i] *les ducs de Cleves & de Wirtemberg.*

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

ad ambitionem ſatis non eſſent, nova ſabrefacta, Germanorum principum inſignibus in iis impreſſis, tanquam haec etiam illis erepta eſſent: externum militem ſaeplus auditum, cum interminaretur, fore, ut Germania exaedificatis paſſim per primarias urbeis arcibus et propugnaculis Caeſaris patrimonio adjiceretur: in comitiis, nomine provinciatum Caeſaris, complureis in principum ordinumque coetum fraudulenter admitti, ut adaucto numero ſuffragiis illi vincant: Spirae inſtitutum tribunal, a quo Auguſtanae confeſſionis ſocii excludantur, et longo ſufflamine litium a judicibus ex propoſito protelatarum damna multa accipiantur: hae injuriae, quae non ad privatorum ſolum offenſiones ſed univerſae Germaniae dedecus pertineant, quaeque huic bello cauſam dederint, ſi ſarciantur, non deſperare, quin res componi poſſit: petere igitur, ut leges illae, contra Germaniae jura et libertatem latae, proximo in conventu retractentur, et publicae tranquillitati ex omnium ordinum conſilio ac conſenſu proſpiciatur. Qui deprecatum venerant, iis auditis, quae ad publicae adminiſtrationis emendationem ſpectabant, ut Caeſari honos ſervaretur, ad communem conventum referri debere cenſent. Auditus et tunc epiſcopus [a] Baionenſis Jo. Fraxineus, quem Mauritius eo ſecum adduxerat, ne quid ſe inconſulto rex factum queri poſſet. Is III Non. Junii coram principibus, repetita a primis initiis antiqua, quae Germanis cum Gallis ac deinde Francis interceſſit, amicitia, ac conjunctione, tam utriſque honeſta et utili quam reipublicae Chriſtianae ſemper neceſſaria, cum imperium in regum Franciae familia primo fundatum commune utrique genti fuit, deinde ad Germanos tranſlatum, atque Saxonibus, quod a regibus Francorum originem ducerent, delatum eſt, florentem inprimis Germanorum et Francorum rempublicam fuiſſe demonſtrat: atque illorum quidem tantam fuiſſe potentiam, tantum robur et auctoritatem, ut non ſolum [b] Pannoniis, [c] Dacis, Bohemis, [d] Sarmatis et Danis imperitarent, ſed Italiam omnem imperio tenerent: Francos vero, ut Chriſtianam religionem tuerentur ac propagarent, in Saracenos et Turcos expeditiones ſuſcepiſſe, et de victis hoſtibus per Aſiam, Africam et Europam glorioſiſſimos triumphos reportaſſe: ut non immerito Philippus Auguſtus antiquum illud foedus, quod vetuſtate paene obſoleverat, non ſolum renovavit, ſed ad perpetuam rei memoriam aureis literis deſcribi curaverit: diſſoluta demum conjunctione illa, infititiis quibuſdam nec ea functione dignis principibus ad Caeſareum faſtigium evectis, una quoque robur Germanicum aliquanto tempore per domeſticas calamitates debilitatum fuiſſe, donec Lucemburgii ſumma virtute principes, Henricus VII, et ejus nepos Carolus IV aureae bullae conditor, Carolique filii Wenceſlaus et Sigiſmundus imperio potiti, priſtinam Germaniae majeſtatem reddiderunt, et rurſus cum noſtris regibus arctiſſimam amicitiam junxerunt: his ſucceſſiſſe [1] Auſtriacos; et in iis Albertum, qui nullis pollicitationibus aut minis a Bonifacio VIII inquieto et ſuperbo homine adduci potuerit, ut Philippo Pulchro bellum inferret, et Galliam in praedam a pontifice datam oppugnaret: horum exemplo melius facturum fuiſſe Carolum V, ſi non pravis uſus conſultoribus aut Franciſcum nuper hoſtem declarari juſſiſſet, aut Henricum nunc ejus filium inſidiis et aſtu primum, mox aperto marte opprimere conatus eſſet: ſed hoc nimirum eo conſilio ab ipſo factum, ut duas potentiſſimas nationes et quamdiu ſimul in amicitiam coaluerint invictas divellat, et ea amicitia divulſa facilius Germaniae jugum imponat: huc enim pertinere, quod precibus et turpis tributi penſitatione pacem a Turco redemerit; quod nunc etiam religionis ac rebellionis praetextu in Germania ſimultates et factiones alat; quod, diſpoſitis paſſim Hiſpanorum praeſidiis, exarmatis armamentariis, et cognitioni fiſcali via patefacta, impune in omneis deſaeviat; quod Imperii ſigillum,

INTERPR. [a] *de Freſſe, evêque de Bayonne.* [b] *la Hongrie.* [c] *Tranſilvanie.* [d] *Pologne.*

NOT. [1] *Auſtriacos*] Et neanmoins la Maiſon d'Auſtriche avoit poſſedé deja l'empire avant celle de Luxemburg; & même Albert, qui eſt ici mis aprés Henri VII & Charles IV, quoiqu'il veſcuſt devant eux. *Put.*

ſigillum, Spirenſe tribunal, comitiorum jus ac libertas ab unius [a] Atrebatenſis libidine pendeat; quod, qui animi gratia aut emolumenti alicujus cauſa externis principibus militant, mulctentur, proſcribantur ac denique ſupplicio afficiantur: his artibus et machinis id ſtrui, ut, oppreſſa libertate et everſis Imperii legibus, ſpreta ſeptemvirorum et Germaniae ordinum auctoritate, Ferdinandus vel coactus vel vanis promiſſis oneratus Imperio cedat, et Hiſpaniarum princeps deſignetur Caeſar: cui malo ut obviam iretur, Mauritium ſeptemvirum patriae charitate incenſum ac ſocios principes tandem expergefactos aequa arma contra iniquos exterorum conatus ſumpſiſſe: cum vero ſe ſuis tantummodo viribus fretos oneri impares viderent, Galliae regis opem imploraſſe; qui, ſuperiorum annorum omni protinus offenſione depoſita, fortunas omnes ſuas cum ipſis communicaverit, facto foedere, quo inter alia cautum ſit, ne cum hoſte paciſci niſi de ipſius voluntate liceat: Mauritium vero, licet eo nexu vinciatur, tamen, quo publicae tranquillitati proſpiceret et Ferdinando gratificaretur, a rege petiiſſe, oſtenderet, quibus conditionibus cum Caeſare paciſci vellet: Id regi primum a fide data alienum viſum eſſe; quia tamen ſua commoda ſemper publicis poſthabuerit, illud amico principi denegare noluiſſe: itaque, ſi vulnera in republica accepta ſanentur, et, ne in poſterum recrudeſcant, idonee proſpiciatur; ſi principes captivi dimittantur iis, quae foedere ſunt perſcriptae, conditionibus; ſi vetuſta Galliae cum Imperio conjunctio atque adeo nuper ictum foedus confirmetur, non recuſare regem, quo minus de pace agatur: quod ad privata attinet, quia per vim Caeſar multa uſurpaverit, bello nulla de cauſa juſta illato, aequum cenſere, ut, qui injuriae principium fecerit, eam ſatisfactione idonea reſarciat: ſane regem, licet aequitati cauſae non minus confidentem quam viribus, ita ſe comparaturum, ut, quantum pacis ac tranquillitatis ſtudioſus ſit, non ſolum Mauritius ac principes, quibus in hoc negotio ſummopere gratificari cupiat, ſed etiam omnis reſpublica Chriſtiana, cui ſe natum ſciat, plene intelligat. Ad ea principes reſpondent, ſibi admodum gratum eſſe, quod de antiqua Germaniae cum Gallia conjunctione commemoratum ſit: agere inſuper gratias pro tam egregia regis erga ſe voluntate; qui publica commoda privatis anteferat, et, quo minus foederatis cum Caeſare conveniat, non recuſet: nec vero dubitare, quin pacis conditiones, quas rex proponat, a Caeſare obtineri poſſint; qui antea et nunc praecipue bene de republica ſentiat, et ſpem dederit fore, ut brevi principes captivi dimittantur: quod ad veterum foederum renovationem et nuper icti confirmationem attinet, id quandoquidem in hoc conſeſſu tractari non poſſit, ad conventus publicos referri debere; veruntamen, quae ſemper inter utramque nationem fuerit, eam optare inviolatam et perpetuam manere neceſſitudinem: quod autem quaedam occupare Caeſarem dicat rex, quae ſua ſint, quaeque repetere in animo habeat, aequum videri, ut cujuſmodi illa ſint amplius declaret; nam ad Caeſarem legatos mittere decreviſſe, qui ſuper ea re et aliis, quae ad rempublicam pertineant, querelas ſuas ſimul ac preces ad illum deferant. Mauritius praeter Heſſi ſoceri liberationem urgebat, ut iis de rebus, de quibus ſigillatim querimoniam inſtituerat, Ferdinandus rex, Maximilianus filius, ac reliqui principes mox cognoſcerent, et recepto Germaniae more ſtatuerent; interim in religionis cauſa nihil moveretur, nec ulla cuiquam eo nomine moleſtia fieret, donec de tota controverſia decerneretur: quod principes minime improbabant. Sed Caeſar per legatos ante omnia petebat, ut iis, qui conſtanter in fide permanſiſſent, quique propterea in maximas ſe calamitates induiſſent, de damno ſatiſfieret. Poſt longam et acrem diſceptationem petitum a tempore remedium; et, quibuſdam capitibus mitigatis, placuit, ut V Non. Quintileis Caeſar plane reſponderet; interim ab armis ceſſaretur. Principes vero datis ad Caeſarem literis XII Kal. Quintil. deplorato tam calamitoſo rerum ſtatu et detrimenti: hujus belli cauſa ab ipſius fidis

INTERPR. [a] *de Granvelle, évêque d'Arras.*

amicis

CIƆIƆLII. HENRICUS II. amicis nunc et antea acceptis, eum ad pacem hortantur. Et, quoniam extrema ſui reſponſi parte principes aequum videri dixerant, ut rex quae a Caeſare poſtularet amplius declararet, ᵃ Fraxineus a rege certior factus, cum in caſtris ad ᵇ Eiſtetum eſſet, reſcribit illis III Kal. Quintil. in hanc ſententiam: Si qui ſunt, qui de egregia regis Chriſtianiſſimi erga rempublicam veſtram voluntate adhuc dubitent, eos parum ſincere, certe minus prudenter, de optimo principe exiſtimare, rerum pro Germaniae libertate hoc anno geſtarum ſeries arguet. Nullum enim ab eo expeditione iſta captatum fuiſſe privatum compendium, ſatis oſtendit, quod nihil omnino per Germaniam, cum poſſet ex facili, occupaverit: ſed ſatis habuerit iis tantum in civitatibus praeſidium relinquere, quibus per foedus licet, quo cautum eſt, ut libera ſit belli gerendi cuique ſociorum poteſtas. Et quamvis, dum ad Rhenum uſque caſtra promoveret, hoſtis a tergo rapinis et incendiis domi graſſaretur, non tamen ſe loco movit aut de reditu prius cogitavit, quam a Mauritio cognovit, amicis ea conditionibus impetrari poſſe, quorum cauſa bellum ſuſceptum eſt. Qui nuncius quam illi gratus acciderit, iis aeſtimandum relinquimus, qui notum exploratumque habent, hoc unum ſemper illum ſpectaſſe, ut Germaniae libertati conſuleret; et praeſentia ſua efficeret, ut principibus occaſio daretur expoſtulandi cum auctoribus injuriarum, quas accepiſſent, ſuaſque adeo res, fortunas ac dignitates, niſi ipſi ſibi deeſſent, vindicandi et in poſterum ſtabiliendi; ut denique fidei ſuae et benevolentiae edito hoc illuſtri teſtimonio utriuſque gentis amicitiam ſempiterno foedere firmaret. Quia vero Mauritius ab eo quaeſiverit, quibus conditionibus eum Caeſare paciſci velit, equidem regis nomine aliud reſpondere non poſſum, quam quod jam ſaepius de me audiviſtis; Caeſarem nulla juſta de cauſa nos priorem bello laceſſiviſſe: non autem conſueviſſe Galliae reges pacem ab hoſte petere, cui neque viribus neque alia ulla re ſint inferiores; nec quidquam eſſe cauſae, cur conditiones proponat, niſi eas citra dubium obtinendi ſpes certa affulgeat. Itaque omnia arbitrio veſtro permittit. Eam ſiquidem optimus princeps in vobis fiduciam habet, ut dignitatem, fortunas atque exiſtimationem ipſam in ſinu veſtro libentiſſime ſit depoſiturus: cum hoc tamen, ut Caeſar eandem legem ſubeat, et de utriuſque cauſa cum plena poteſtate cognoſcatis vos et ſtatuatis; quod ut primo quoque tempore fiat, a vobis enixe petit. Nec dubitare debetis, quin multa de jure ſuo communis concordiae ac quietis publicae cauſa in gratiam veſtram remiſſurus ſit, cum non alio fine ſe potentiſſimus principes ſumptuoſo huic bello implicuerit, quam ut pacem vobis acquireret, et libertatem Germaniae externo jugo excuſſo reſtitueret. Nam, quae de bello Turcico ab ipſo ſuſcitato calumnioſe ab hoſtibus ſparguntur, non vos latet eo conſilio dici, quo odioſum vobis eum reddant, quem fidum et utilem vicinum hactenus experti eſtis. Quod ſi nihilominus, quod ille nequaquam putat, tantum apud vos inimicorum artes valeant, ut, omnino extincta recentis beneficii memoria, nullam amicitiae ipſius rationem habeatis, et foedus nuper vobiſcum contractum, tam honeſtum utrique quam neceſſarium, diſſolvi patiamini; rex conſcientia ſua fretus, ſcrutatorem cordium Deum et conſiliorum ſuorum teſtem appellabit, ut culpa in eos rejiciatur, qui motuum ac triſtium bellorum, quae ex ea occaſione deinceps naſcentur, auctores fuerint. Recitata in principum conſeſſu epiſtola Kal. Quintilibus, triduo poſt Mauritius ad condictam diem ᶜ Paſſavium venit: et cum Ferdinandus Caeſarem quidem, quid ſuae voluntatis eſſet, per literas ſignificaſſe diceret; ſed in pleriſque diſſentire; ut minime opus eſſet, quid ad ſingula capita reſpondiſſet, explicare; peteretque, ut cum bona Mauritii gratia ſibi quam celerrime ad fratrem ire liceret; fore enim, ut brevi accommodatum temporibus et ipſorum deſiderio reſponſum ferat; Mauritius contra urgebat, ut nulla interjecta mora decerneretur; neque enim rem amplius differri ſine gravi exiſtimationis ſuae jactura, aut factum excuſari poſſe apud ſocios, quibus ob aſſiduam hanc actionem jam ſuſpectus eſſe incipiat.

INTERPR. ᵃ *de Freſſe.* ᵇ *Eychſtadt.* ᶜ *Paſſau.*

piat. Cum nihilominus Ferdinandus nullam ſe talem a fratre habere poteſtatem diceret; quam ſi haberet, minime commiſſurum, ut tam alieno tempore ingratum profectionis laborem ac moleſtiam ſuſciperet; principes rurſus ei dant ad Caeſarem literas, et, ut amicorum calamitatibus jam acceptis permoveatur, rogant, eorumque fortunis proſpiciat, qui, quod incendio magis vicini ſint, breve conſulendi ſpatium ab hoſte impetraverint, intra quod, niſi ab eo planius reſpondeatur, extremum omnium fortunarum diſcrimen ſint ſubituri.

XII. AD eas Caeſar ultima die [1] menſis [a] Villaco reſcribit: et, principum collaudato pacis ſtudio, ſe quoque a primis initi magiſtratus initiis nihil aliud egiſſe dicit, quam ut pacem in Germania atque adeo toto orbe Chriſtiano conſtitueret, ut, ea conſtituta, controverſiae de religione componi et communis hoſtis per Chriſtianorum diſcordias in dies creſcentis conatus reprimi poſſent: non eſſe igitur, cur eam ſibi tantopere commendent; potius ad eos, qui ſint horum motuum auctores, hoc orationis genere utendum fuiſſe. Alteris literis ad eoſdem principes v Eid. Quintil. datis, cum ſe iterum illorum hortationibus acrius pungi doleret, quaſi ipſius culpa ſuperiorum temporum plagae recruduiſſent, aut per eum ſtaret, quo minus vulnera ſanarentur, horum motuum cauſam in hoſteis rejicit; plurimumque ſibi dolere dicit, quod permulti principes hujus ultimi belli cauſa tam gravia detrimenta accipiant: ſed, quo minus hactenus convenerit, nihil aliud in cauſa fuiſſe, niſi hoc unum, quod e re ſua et ipſorum quoque omniumque adeo ordinum judicaverit, ut ſalva Imperii majeſtate ac dignitate res componerentur: ceterum Alberti, qui ſe jam ab initio ſemper alieno a pace animo eſſe oſtenderit, factum praeſtare non poſſe; furere illum, et quidem furorem inſanabilem, omneis videre; daturumque aliquando furoris poenas, ſi, cum reliqui ad bonam mentem redierint, ipſe ſolus furere perget. Ad [b] Fraxinei vero epiſtolam, poſtquam de ea per Ferdinandum cognovit, in haec verba reſpondit. Etſi pergrave accidit, ut, cum rebus in Germania firmatis omnia pacata domi eſſe crederem, bellum factioſis quorundam machinationibus inopinato exarſerit, tamen id multo graviſſimum fuit, quod domeſticis malis etiam externa injuria acceſſit, cum Gallicum oratorem, quem jam in conſeſſu veſtro non adverſus me tantum ſed contra Imperii majeſtatem debacchatum eſſe audiveram, nunc etiam per epiſtolam nos acrius exagitaſſe cognovi; patientiam veſtram mirer, an potius Germaniae inteſtinis diſſenſionibus labefactatae vicem doleam neſcio, quae amicitiae ſpecie imponi ſibi et illudi turpiſſime ferat. Cum Galliae rege pacem feci, factam religioſe colui: et, quamvis ille multa hactenus licenter, multa ſuperbe fecerit dixeritque, quae ad injuriam noſtram pertinerent, publici boni cauſa diſſimulavi; tandem, cum ampla et magnifica omnia ejus orator, qui in noſtro comitatu erat, polliceretur, interceptis in oceano navibus, et oppidis in [c] Subalpina regione captis, ſine ulla denunciatione nos terra marique oppugnavit. Et haec tamen ejuſmodi ſunt, ut ab infeſto hoſte expectari potuerint. Id vero minime ferri poteſt, quod, cum nos prior illata injuria laceſſiverit, prior de injuria accepta conqueritur; et, eum violatae pacis culpam in nos falſo transferat, concordiae quoque ſarciendae a nobis viam aperiri debere contendit. Mauritio quidem antea, quamvis admodum durum videretur, ut externi principis res Germanicis admiſcerentur, hanc conditionem detulimus, ut pacis ineundae rationes per foederatos, quos vocant, principes proponerentur; eas, ſi quidem non omnino iniquae et inciviles ſint, citra controverſiam admiſſuri: verum ille, qui turbas amat, nihil certi aut definiti hactenus reſpondit; ſed, dum dignitati ſuae conſulere prae ſe fert, per artificioſas moras hoc agit, ut bello inter nos excitato me et veſtram ſimul dignitatem funditus evertat. Jam, quod de communicatis cum Turco conſiliis obiter perſtringit, quaſi abunde purgatum exiſtimet, qua fronte excuſare poteſt?

Atqui

INTERPR. [a] *Villach.* [b] *de Freſſe.* [c] *le Piedmont & le Milanois.*
NOT. [1] Poſt *menſis*, adde *Junii.* *Put.*

CIↃIↃLII. HENRICUS II.

Atqui penes me habeo [a] Aramontii Gallici legati commentarios [b] Byzantii ſcriptos, et ad regem per [c] Coſtam centurionem quendam miſſos, qui ſocietatis cum Turcis in Chriſtiani nominis perniciem initae plenam fidem faciunt. Interceptae ſunt et nuper purpurati Budenſis literae ad foederatos hoc tempore principes alioſque datae; ex quibus liquido apparet, ſuperioris anni cladem a Turcica claſſe acceptam in ipſum ut impulſorem conferendam eſſe; qui et, ut hoc anno idem fiat, non ceſſat Turcorum imperatorem ſolicitare. Quae omnia ſi cum praeclaris illis promiſſis, quibus adeo gloriatur, conſerantur, nemini dubium relinquetur, quorſum pertineant illius conſilia, conatus et affectata foedera; ea mente nimirum facta, ut, me et Ferdinando fratre veluti de medio ſublatis, Germaniae rempublicam in ſummum diſcrimen adducat, et, ſingulis principibus ac civitatibus oppreſſis vaſtatoque eorum agro, etiam ope illorum, qui ſe imprudenter ipſi conjunxerint, quaſdam Imperii civitates ſub jugum mittat; quas tanquam hujus belli manubias magno noſtro cum dolore, ſummo certe cum Germanici nominis dedecore ab ipſo muniri et praeſidiis firmari intelligimus. Haec niſi vos permoveant, haud amplius miror, cur oratoris Gallici literae in conſeſſu veſtro admiſſae et lectae ſint: quas, ſi concordia, qualis eſſe debet, inter nos vigeret, rejici omnino oportuit: mihi certe, quod nihil ad praeſentem actionem pertineant, ſuperfluum videtur, quidquam ad illas amplius reſpondere. His illi verbis ultro citroque diſceptabant.

XIII. Interea Mauritius, dum Ferdinandus ad Caeſarem iret, Paſſavio [d] Mergetemum in caſtra ſociorum IV Eid. Quintil. venit, ut quid actum eſſet coram exponeret, et moram excuſaret. Socii vero, ne nihil agerent, [e] Francofurtum ad Moenum, quod Caeſarianorum praeſidio tenebatur, unde Heſſiae haud dubie metuebatur, contendunt; et, itinere per Wolſangi Teutonicorum equitum magiſtri fineis facto, incendiiſque ac direptionibus agro ejus et mox [f] Moguntini ſeptemviri vaſtato, ſexto poſt die caſtra ad urbem ponunt, cum XVII peditum vexillis et CIↃ equitibus, ductore Conrado [g] Henſteno. Ad obſidionem a Palatino ſeptemviro petita tormenta, et, cum primo recuſaret, tandem minis extorta ſunt; atque ex omni numero VIII majores machinae cum inſtrumento ſuppeditatae, quae facta pace in urbem receptae ſunt, ne in Alberti manus devenirent. Is ſociis Francofurtum advenientibus in via ſe conjunxerat. [a] In ea obſidione Georgius Megalopolenſis dux, qui primus bellum Magdeburgicis intulerat, tormento ictus occubuit. Albertus ſeorſim a ſociis ad Rhenum uſque progreditur, et [h] Wormatiam in Vangionibus et Spiram in Nemetibus redigit in poteſtatem, grandi pecunia imperata ac tormentis aliquot acceptis; tantaque formidine omnibus injecta, ut quacunque incederet ſacerdotes diffugerent, aut mutata veſte profeſſionem atque ordinem diſſimularent: vicini quoque epiſcopi fuga dilabebantur. Moguntinus, qui jam periculo praeverterat, ſub id [i] Argentinam venit; noctemque ibi tantum commoratus, mox diſceſſit: Spirenſis aevo jam confectus, cum [k] Tabernas profugiſſet, labore ſeu fortunae taedio paulo poſt ibi deceſſit: Wormatienſis interventu Palatini exſolutis XII CIↃ aureorum Alberti furorem mitigavit. Iis per Franconiam actis, Albertus ad Argentinenſem ſenatum dat literas V Kalendas Sextileis; et, poſt commemorationem foederis pro religione ac libertate communi icti, tam ſuo quam regis nomine petit, ut ſibi ſociiſque aditus in urbem pateat, et fides de recipiendo, cum opus erit, praeſidio praeſtetur. Ad ea ſenatus biduo poſt reſpondet: et, neque id a ſe, cum nuper in Alſatia eſſet, regem poſtulaſſe, neque propter jusjurandum, quo Imperio devincti ſint, praeſtare poſſe, dicit: proinde, ut ſatisfactionem accipiat, neque finibus ſuis bellum inferat, demiſſis precibus eum obteſtatur. Igitur Albertus, qui de pace quaſi jam facta inaudiverat, relicto Spirae praeſidio, Francofurtum

VAR. LECT. [a] uſque ad obſidionem relictis, in qua Georgius P. D. o. f.

INTERPR. [a] *le ſieur d'Aramont.* [b] *Conſtantinople.* [c] *la Coſte.* [d] *Mergetheim.* [e] *Francfort ſur Mein.* [f] *de Mayence.* [g] *Henſtein.* [h] *Wormes & Spire.* [i] *Strasbourg.* [k] *Zaberne en Alſace.*

Francoſurtum cum ſuis redit; et obſidionem, a qua Mauritius diſceſſerat, denuo inſtaurat, poſitis ex adverſa urbis parte cis Moenum flumen loco editiore caſtris, unde tormentis commodius agi poterat. Jam Ferdinandus [a] Paſſavium redierat, reſponſum hoc a Caeſare ferens, ut videlicet de rebus, quas Mauritius initio propoſuerat, non a delectis ſeparatim ſed ab univerſis Ordinibus in publico Germaniae conventu ageretur; religionis cauſa interim pacata maneret, donec in proximo Imperii conſeſſu decerneretur; ut, quod communi Ordinum conſilio deinceps agendum videbitur, id firmum ratumque eſſet. Dein Eid. Quintilibus Henricum [b] Plavium ad foederatos mittit, qui nono poſt die in caſtra ad Mauritium venit; et poſt longas diſceptationes ipſi ac Willelmo [c] Heſſi filio pacem poſtremo perſuadet, his praecipue argumentis; quod alioqui maximum utrique periculum immineret; Mauritio a Caeſare, qui jam firmiſſimum exercitum penes ſe habeat, et Joannem Fridericum patruelem a ſe libertati reſtitutum brevi ſit domum remiſſurus; Willelmo, in cujus parentem verendum ſit, niſi conditiones propere admittantur, ne Caeſar juſto ſeverius animadvertat. Itaque pridie Kalendas Sextileis praeter multorum opinionem de ſumma rei tranſactum eſt: quod Albertus, cujus ſemper animus a pace alienus fuerat, adeo indigne tulit, ut de Mauritio palam nullo priſtinae amicitiae reſpectu odioſe et acerbe loqueretur, nec pace comprehendi voluerit. In has autem conditiones conventum eſt: ut ante XII Auguſti diem foederati ab armis diſcedant; ſicque copias dimittant, ut Ferdinando, ſi velint, militent; ſaltem neque Caeſari neque Germaniae noceant: ad eundem diem Heſſus in arce [d] Rinfelſii ſuae ditionis ad Rhenum ſiſtatur, poſtquam de conditionibus ſervandis a Caeſare [e] Halae Saxonum ſatis idonee caverit; cui rei Mauritius, Joachimus Brandeburgicus ſeptemviri et Wolfangus [f] Baioarus Bipontinus, qui [a] nunc pro eo fidejuſſere, renovata ſponſione fidem interponere teneantur: de [g] Cattorum ditione, quae Heſſo cum [h] Naſſovio controverſa eſt, rurſus cognoſcatur per ſeptemviros, et eos, quos reus et actor nominabunt, ex quibus Caeſar VI deliget, qui cauſam intra biennium definiant: Caeſar publicos Imperii conventus intra ſemeſtre cogat; in quibus componendi ſuper religione diſſidii ratio ineatur: pacem interea omnes colant; neque religionis cauſa cuiquam periculum creetur: ad imperialem cameram admittantur etiam Auguſtanae confeſſionis ſocii: cetera, quae a Mauritio propoſita ſunt, ad libertatem et Imperii dignitatem pertinentia, in Imperii conventu tractentur: Othoni Henrico Palatino, antea adempta dein recuperata, ditionis ſuae poſſeſſio libera permittatur: principes, qui hoc bello foederatis fidem dederint, omni obligationis vinculo ſoluti intelligantur: qui horum tumultuum occaſione damnum acceperint, nullam eo nomine litem movere iis poſſint, qui dederint: Caeſaris tamen et Ordinum prudentiae relinquatur, ut de detrimento ſarciendo in proximis comitiis deliberetur: proſcripti in gratiam recipiantur; modo nihil in poſterum contra Caeſarem ac reliquos Imperii Ordines moveant; et, qui Galliae regi operam ſuam addixerunt, intra trimeſtre eo deſerto domum redeant: Albertus hac pace comprehendatur, modo ab armis diſcedat, copiis intra dies XII dimiſſis: qui hanc pacem violaverit, pro hoſte habeatur. Additum; ne rex, omnino praeteritus, a ſociis deſertus videretur; ut de controverſiis, quas cum Caeſare privatim haberet, quoniam eae ad Imperium minime pertinerent, liceat ipſi cum Mauritio agere, ut de iis ad Caeſarem referatur. Paſſavii conſcripta formula, et a Caeſare deinde obſignata, [i] Fraxineus Baionenſis epiſcopus in Galliam revertitur, non ſine manifeſta indignatione, quod ea pace nulla fere regis ratio habita fuiſſet; ſpe tamen rerum novarum facta Mauritius cum utcunque

INTERPR. [a] *Paſſau.* [b] *Plowen, al. Plawiſchen.* [c] *du Landgrave de Heſſe.* [d] *Rheinfels.* [e] *Halle.* [f] *de Baviere, duc de Deux-Ponts.* [g] *Catzenellenbogen.* [h] *Guillaume, comte de Naſſau.* [i] *de Preſſe, evêque de Bayonne.*

NOT. [a] Dele *nunc*: lege *tunc* Cela ſe juſtifie par les livres precedents *Put*

CIƆIƆLII.
HENRICUS II.

uteunque placatum dimiſit; et ea in primis ratione, quod, niſi cum Caeſare mature tranſegiſſet, in certiſſimum diſcrimen Heſſum ſocerum adducturus fuiſſet. Rex, ſive idonee illi a Mauritio privatim ſatisfactum ſit, ſive dolorem diſſimulandum duxerit, obſides ſalvos ſine ulla offenſionis ſignificatione in Germaniam remiſit. [a] Riſebergus, ſoluta Francoſurti obſidione, ab Alberto perſuaſus, tranſmiſſo Moeno, cum ſua legione ad eum transfugerat: quod Heſſi liberationem paene interturbavit. Nam is, ſicuti convenerat, cuſtodia emiſſus, cum domum proficiſceretur, ad [b] Moſae Trajectum reginae Mariae juſſu, quae tum ibi erat, denuo ſiſtitur; et iiſdem Hiſpanis, qui eum jam totum quinquennium ſervaverant, cuſtodiendus datur: quod Riſebergi defectione pacem violatam diceret, nec ſibi licere eum dimittere, donec de Caeſaris fratris voluntate plenius cognoviſſet. Verum, conſulto Caeſare, prid. Non. Septembr. rurſus dimiſſus ſexto poſt die domum abiit; cum quatriduo ante Caeſar Auguſta diſcedens Jo. Fridericum, prolixa benevolentiae ſignificatione proſecutus, liberum dimiſiſſet. Eo Caeſar Villaco venerat per [c] Oenipontem ac [d] Vindeliciam facto itinere, cum Bohemis, Italis et Hiſpanis, quos [e] Auria ſub Quintilis initium Genuam tranſportaverat. Antequam illine diſcederet, quod id ad dignitatem ſuam pertinere exiſtimaret, civitatis adminiſtrationem mutavit; ſenatu et tribubus, quas foederati conſtituerant, abrogatis, et priore reipublicae forma revocata, ſenatum a ſe inſtitutum reſtituit: treis etiam eccleſiae miniſtros, quos rebus ſuis iniquiores exiſtimabat, removit; ac reliquis, ut juxta confeſſionis Auguſtanae formulam agerent docerentque, permiſit.

XIV. MAURITIUS vero et Willelmus Heſſi filius ab Francoſurti obſidione profecti diverſas in parteis abeunt; hic quidem Heſſiam, ille cum copiis [f] Donaverdam petit, ubi Danubio peditem in [g] Pannoniam ſecundo flumine devehendum x Kal. Septembr. impoſuit, equitatu terra ſubſequi juſſo. Ipſe rerum ſuarum cauſa domum [*] revolat: dein, ubi cum XVI peditum CIↃ et V CIↃ equitum ad exercitum venit, fama illico ſpargitur, quaſi [h] Strigonium obſeſſurus veniſſet: itaque Budenſis purpuratus, licet inferior viribus, ut conatus ejus impediret, ultro obviam progreditur; eodemque tempore Machometus ad obſidionem Agriae cum toto exercitu, in quo erant peditum LXX CIↃ, accingitur. Oppidum eſt neque ſitu neque arte adeo munitum: in eo arx muro antiquo cincta, turribus tantum aliquot diſtincta, ſine ullis prominentibus propugnaculis, ab una parte collem proxime imminentem habet. Loci infirmitatem praeſidiariorum virtus penſavit, qui erant bis mille Hungari, et in iis LX ex primaria nobilitate, qui uxores liberoſque cum omni ſupellectile in eam arcem comportaverant; fide ab omnibus religioſe interpoſita, nunquam de deditione actum iri, potiuſque extrema quaeque paſſuros, et, ſi victus deficeret, vel cadaveribus vitam toleraturos, quam commiſſuros, ut cum perfido hoſte paciſcerentur. Ac, ne fraus jurijurando fieret, aut proditionibus occaſio praeberetur, ſevere prohibitum, ne coitiones ullae fierent: decretum item, ut omnis annona in publicum conferretur, quo bonorum et periculi communione cuncti ad defenſionem alacriores redderentur. Ita omnes magna concordia, viri quidem ad pugnandum, foeminae vero et infirmior aetas muniendis aggeribus, oneribus portandis ac reliquis ad bellum et victum neceſſariis muneribus expediendis intentae erant. Cum a Machometo deditionem facere per tubicinem juberentur, nutu non voce reſpondent, et erecto in muri pinnis feretro quid ſuae voluntatis eſſet tubicini oſtendunt; nimirum ſepulchrum optare potius quam deditionem facere, et quam captivos vivere liberos mori malle. Itaque diſpoſitis ad majoris templi partem XXV machinis, et totidem ad illam, qua collis impendet, totis

XL.

VAR. LECT. [*] revolat, mox ad exercitum rediturus, uti Ferdinando privatim receperat. Mauritio dein in Pannoniam cum XVI peditum et V equitum CIↃ deſcendente, fama illico P.D o.f.

INTERPR. [a] *Reiffenberg.* [b] *Maeſtricht.* [c] *Inſpruck.* [d] *Baviere.* [e] *Doria.* [f] *Donawerth.* [g] *Hongrie.* [h] *Gran.*

XL diebus verberatio continnatur; ſummaque muri et turrium dejecta parte nihilominus praeſidiarii nequaquam animo conſternati, ſtationibus ſaepius renovatis, ducto interius profundo aggere fortiter ſe defendebant: cumque una die hoſtis ter impetum totis viribus feciſſet, ter repulſus eſt, Turcis ad VIII CIↃ amiſſis. Itaque Machometus, qui obfirmato obſeſſos animo videret, ab omni parte oppidum ſcalis admotis oppugnari imperat: geminato impetu, geminari quoque viſa praeſidiariorum virtus; in eoque longe crudeliſſimo certamine foeminarum fortitudo praecipue enituit, quarum una inter alias, quae coram matre et marito depugnabat, cum occiſo marito a parente moeretur, ut corpus tolleret et ſepulturae mandaret, Non hoc, inquit illa, o mater, Deus ſinat, ut vir inultus terra condatur; pugnam hoc tempus non exequias ſibi poſcit: arreptoque demortui enſe et clypeo in medios hoſteis ruit, nec prius a pugna deſtitit, quam III Turcis, qui in murum enitebantur, manu propria interfectis animo ultione ardenti ſatisfecit, et viri manibus parentavit: demumque ſublatum in ſinum cadaver ipſa in templum intulit, et honorifice tumulandum curavit. Cum vero primaria quaedam matrona praegrande ſaxum capiti impoſitum geſtans ad ruinam properaret, tormenti ictu capite truncata eſt, ſaxo in terram prolapſo; quod mox filia, quae matrem ſequebatur, nullo dolori ac lachrimis tempore dato, in caput tollit, et, ut materno adhuc cruore fluebat, in conſertam Turcorum murum ſubeuntium multitudinem projecit, duoſque ex iis eliſit, multis inſuper vulneratis. Quo facto victrix, ceteras ſuo exemplo ad fortiter capeſſendam pugnam hortata, tantum animi ſuis addidit, ut eruptione facta hoſteis repellerent, et duo tormenta clavis configerent. Accidit et, dum reliquae foeminae prope murum ad impetum propulſandum ſtarent, ut una ex iis tormento eliderctur, cerebroque illius in ora ſociarum effuſo, non ſolum non moverentur illae, ſed eo acrius certamen redintegrarent, magna Turcorum ſtrage edita. Quae cum in hoſtium conſpectu fierent, Machometus conſtantia noſtrorum territus obſidioni diffidere coepit; jam effundentibus ſe imbribus, et lue per exercitum graſſante, qua jumenta et mancipia correpta ſtatim enecabantur. Itaque XIV Kal. Novembr. obſidio ſolvitur: et Achametes quidem Budam, Machometus vero [a] Taurunum cum exercitu proficiſcitur, quos inſecuti praeſidiarii multos e Turcis ceciderunt, captis plerîſque impedimentis, quae aequaliter, uti convenerat, inter eos diviſa ſunt. Conſilium erat Caſtaldi, dum Agria obſideretur, ut Mauritius ab una parte, ipſe ab altera Turcicum exercitum fatigarent et invaderent: eaque de re ad Ferdinandum ſcripſerat; cui conſilium ſuum probare non potuit, quod nollet prudens princeps proelii aleae rem committi: ſed e re praeſenti viſum, ut uterque cum copiis ſuis [b] Albam regalem et [c] Veſprinium uſque excurrerent; quo citra diſcrimen hoſtem ab obſidione averterent. Dum in hoc eſſent, regni proceres ad Ferdinandum miſerunt, et, ut ſibi de pace cum Turco agere liceret, impetraverunt. Id ſe adſecuturos ſperabant interventu [d] Halis cubicularii, qui Solymani juſſu in Moeſiam ſuperiorem venerat, ut [e] Mircem provinciae beneficiarium deſpotam cum rebellibus populis pacificaret. Conditiones eaedam propoſitae, quae a Joanne rege praeſtabantur: idem quoque tributum, quod ab eo pendebatur: ſed additum a Ferdinando, quo aequiores et honeſtiores conditiones obtineri poſſent, ut Veſprinium, [f] Drigalis, [g] Bujacum, [h] Lippa, [i] Temeſvara et [k] Zalnocum reſtituerentur. Haec a regni proceribus acta, non nominato Ferdinando aut Caſtaldo, quod illi maxime ad dignitatem ſuam pertinere exiſtimarent. Suſcepit negotium Halis; et intra dies VIII reſponſum relaturum ſpondet: intereâ, [1] ne [l] Vaſraëlii conveniant, hortatur. Dum haec aguntur, [m] Caſſumbaſſa, qui Lippae copias ex vicino limite cogebat, de extruendo inter [n] Devam et Lippam propugnaculo cogitare coepit, quo liberius populationes facere

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

INTERPR. [a] *Belgrade.* [b] *Stul-Weiſſenburg.* [c] *Veſprin.* [d] *Hali-chaoux.* [e] *Mirce, vaivode de Valachie.* [f] *Dregelt.* [g] *Bujach.* [h] *Lippe.* [i] *Temeſvár.* [k] *Zolnock.* [l] *Waſſarhelı.* [m] *Caſſum-baſſa.* [n] *Deva.*
NOT. [1] Dele *ne*: lege *ut*. *Put.*

CIƆIƆLII. HENRICUS II.

ſacere et demum ſecurius in [a] Daciam ingredi poſſet. Hujus conatus ut impediret [b] Caſtaldus, III vexilla ex Andreae [c] Brandizii legione ad ſirmandum Devae praeſidium ſummittere inſtituerat: ſed, exorto inter Germanos tumultu, eo furor proceſſit, ut vix ipſe pernici equo conſcenſo ſe periculo eripuerit, occupatis a ſeditioſo milite bellicis machinis, et impetu in Hiſpanorum hoſpitium ſacto. Iis tandem a Joan. Baptiſta [d] Arcuenſi comite placatis, perſoluto trimeſtri ſtipendio, et admixtis III aliis vexillis ex comitis [e] [α] Helfeſteinii legione, Jo. Turcus cum CCCC equitibus et Paulus [f] Bancus cum IƆ contra Caſſumbaſſam Lippam verſus ducunt, excurſione facta ad [g] Pieriam uſque, caſtellum, quod Turcorum praeſidio tenebatur, a Lippa XVI milliaribus diſſitum; et propugnaculum inter Lippam et Devam aedificati coeptum impetu capiunt, trucidatis ad unum defenſoribus. Quo intellecto Caſſumbaſſa ſe continuit; nec tutum putavit in Dacia pedem ponere, ne inſelicem ingreſſum inſelicior fortaſſe exitus ſequeretur. Noſtri contra, crudeliſſimis per hoſticum populationibus factis, cum nuſquam Caſſumbaſſa compareret, nulla praeterea re acta diſcedunt, Joan. Turco retro cum ſuis domum abeunte, quamvis eos ut ſub ſignis manerent enixe Caſtaldus hortaretur, ſaltem tantiſper dum de Machometi rebus certior fieret, an [h] Tibiſcum et Danubium copias tranſmiſiſſet. Nam fama erat, eum a Solymano revocatum eſſe, qui in Perſiam contra Muſtaſam filium res novas in Aſia molientem in ſequentem annum expeditionem parabat. Igitur Caſtaldus, ubi de Machometi tranſitu cognovit, dimiſſis regni copiis, [i] Cibinium redit, et Germanos atque Hiſpanos per vicina loca in hyberna diſtribuit, munita Deva et praeſidio firmata. Quia vero Ferdinandi milite et pecunia exhauſti rebus conducibile arbitrabatur, ut pax vel induciae cum hoſte fierent, auctor fuit regni populis, ut Vaſraëlii convenirent, ibique Solymani reſponſum praeſtolarentur.

XV. SUB id tempus de Georgii morte inſtitutum a pontifice judicium finem accepit: et Ferdinandus atque Caſtaldus ceterique facti complices a cenſuris immunes declarati ſunt. Ita autem res habet. Statim ubi de indigna illa caede initio hujus anni Romam allatum eſt, mirum in modum omnium animi commoti ſunt, cunctis frementibus, hominem ampliſſimae dignitatis, ob idque nuper, commendante ipſius merita Ferdinando, in cardinalium collegium cooptatum, levi atque, ut apparebat, conficta de cauſa tam crudeliter eſſe interfectum. Itaque a pontifice Ferdinandus conſcii ac percuſſores majoribus diris devoventur: deprecantibus tamen Ferdinandi legatis et quibuſdam cardinalibus, ſuſpenſa denunciatio: decretumque, quando potius ſupellectilis depraedandae quam proditionis cauſa occiſum Georgium ſuſpicio eſſet, iſque ex cardinalium numero et inteſtatus deceſſiſſet, ut theſauri illius, qui CCC aureorum CIƆ excedere dicebantur, interea, dum de cauſa cognoſceretur, fiſco pontificio addicerentur. Sed, cum jam omnia in exercitus alimoniam expenſa eſſe reſponderent legati, totum negotium per [β] delectos cardinaleis tractari placuit, miſſis in Auſtriam, qui de rei veritate quaeſtionem haberent; qui, ubi Viennam venere, a Ferdinando et Maximiliano filio honorificentiſſime excepti ſunt. Ibi producti a Caſtaldo Emericus et Adamus demortui amanuenſes, pretio, ut creditur, corrupti: qui ſeparatim in heri caput interrogati, cum diverſa reſponderent, et alioqui ob ſimultates occultas ſuſpecti eſſent, fidem accuſationi derogarunt. Tandem ſabricata Viennae teſtimonia, quaeſitoribus haud dubie ad calumnias conniventibus, Romam ad delegatos cardinaleis perferuntur: quibus inſpectis, quamvis Ferdinandus nihil contra Georgium probaret, tamen, quia factum infectum fieri non poterat, majoris motus evitandi cauſa in Caeſaris gratiam diſſimulari rem placuit; et pontifex, inſtantibus Ferdinandi legatis, ſententiam pronunciavit, qua ipſum, conſcios ac percuſſores

a

VAR. LECT. [α] Helfeſtenii *P. D. o. f. d.* [β] delegatos. *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Tranſilvanie.* [b] *Caſtaldo.* [c] *Brandiz.* [d] *d'Arco.* [e] *Helfenſtein.* [f] *Banco.* [g] *Perias.* [h] *la Theiſſe r.* [i] *Hermanſtadt.*

a cenſuris ſolvit, non pure initio, ſed cum clauſula, ſi quidem probationes in medium adductae veritate niterentur. Cum autem legati hujus clauſulae adjectione teſtimonia [α] inſimulari et Ferdinandi fidem atque innocentiam in dubium vocari dicerent, tandem impetratum, ut pure ſententia ferretur: eaque Viennae publicata, Ferdinandus ac reliqui conjurati ſacris reſtituti ſunt; quanquam injuſte occiſum fuiſſe Georgium nemo in Pannonia ambigeret, ac ne Romae quidem dubitaretur.

XVI. Tunc etiam res in [a] Moeſia ſuperiore turbavere. Mirces ſive [β] Marcus in ea provincia erat, qui, Radulfo legitimo herede depulſo, Turcorum favore imperium uſurpaverat. Is Radulfus Caſtaldo cum modica ſed lecta familia militabat; praeſentiſque fortunae pertaeſus, facta ad priorem, in qua ipſe ac parens ejus regie vixerant, comparatione, ad haec recenti Stephani Moldaviae vaivodae exemplo incitatus, Caſtaldum adit, et auxilium adverſus tyrannum poſcit; non deeſſe ſibi animos, adfinitates ac clientelas, quibus amiſſa recuperare et avitum etiam imperium proferre poſſit, modo amici regis gratia ſublevetur: intereſſe dignitatis ejus, ut quam vicini deſpotae hactenus Turcorum imperatori debent, magnitudinem deinceps acceptam ipſi ferant; adeſſe occaſionem, Solymano bello Aſiatico, quod paret, intento. Laudat conſilium Caſtaldus, eique cum regiis copiis ſe praeſto futurum ſpondet. Attributi IↃ CC equites et CIↃ IↃ Hungari pedites, quorum proximis bellis ſpectata virtus fuerat, duce Nicolao, homine quidem, quod gentile vitium eſt, vino dedito, ceterum ſtrenuo. Quod ubi intellexit Mirces, periculo praevertendum ratus, ſumma diligentia ad LXXX CIↃ hominum cogit, et XXX machinis ſecum adductis recta ad hoſtem tendit, caſtris circa [b] Tergoviſtiam commodo loco poſitis. Radulfus non plus XII CIↃ armatorum ultra attributas a Caſtaldo auxiliareis copias habebat, quantumvis ſatagentibus amicis: nam, etſi multas clientelas habebat, quia tamen verebantur de exitu, pauci ex iis, qui alioqui ſummo odio Mircem proſequebantur, ſe Radulfo conjunxerant. Nihilominus ille, ſeu cauſae ſeu virtuti ſuorum confiſus, pugnae aleam tentare minime dubitavit: cumque in hoſtis conſpectum veniſſet, in duo agmina, quorum utrumque V CIↃ peditum conſtabat, diſtributis copiis, diviſo etiam aequaliter equitatu, aciem inſtruit; ſuoſque vehementi oratione cohortatus, ita ſpe implevit, ut non expectato ſigno in Turcos, qui in Mircini exercitus fronte ſtabant, impreſſionem fecerint et proturbaverint. Quo facto tantus terror hoſti injectus eſt, ut, cum putaret Germanos et Hiſpanos a Caſtaldo in auxilium miſſos, qui in poſtrema acie ſtarent, mox ſolutis ordinibus fugerint, et fuga in ſuos, qui poſt terga ſtabant, revoluti, exercitum omnino diſſolverint. Quod ubi animadvertit Radulfus, ſucceſſum urgens cum ſuis in confuſum equitatum tanto impetu invehitur, ut Mirces tantae ſuorum cladi ſuperſtes, cum de victoria deſperaret, fuga ſaluti conſulendum duceret, ingenti exercitu ab exiguo numero praeter omnium opinionem ſuperato. Radulfus victor mox Tergoviſtia, provinciae regia, et Mircis theſauris, ac reliqua ſupellectile potitur, quae non minus CC aureorum CIↃ aeſtimabatur. Mircinorum ad VIII CIↃ eo proelio deſiderati ſunt; ex Radulfianis circiter IↃ CC. Mirces cum Turcis, qui ex pugna ſuperabant, Danubio tranſmiſſo vix inſequentium furore devitato, ad Solymanum ſe contulit. Radulfus ſummo omnium plauſu in paternum regnum reſtitutus, rebus pro tempore conſtitutis, legatos ad Caſtaldum mittit, qui eum de ſucceſſu edocerent, et pro ſummiſſis auxiliis gratias agerent, ac fide data memorem ſe accepti beneficii in poſterum ſemper fore promitterent.

XVII. Dum [c] Vaſraclii conventus agerentur, Halis, uti receperat, redit, et longe diverſum ab Ordinum expectatione ac voto reſponſum a Solymano tulit, porrectis literis Andreae Bathorio inſcriptis; quibus mandabat, ut, quandoquidem Georgius immani

VAR. LECT. [α] falſi inſimulari *P.* facti inſimulari *D.* o. f. [β] Marces *D.* o. f.
INTERPR. [a] *Tranſalpinae, ou Valachie.* [b] *Tergoviſt.* Germ. *Terwiſch.* [c] *Waſſarheli.*

immani morte praereptus Germanos ex [a] Dacia expellere non potuerat, ipſi pro fide et obſequio, quod ſibi deberent, imperata facerent; et, reſtituto in regnum paternum Joanne Joannis filio, eandem tranquillitatem et ſecuritatem, quam antea ſub Joanne demortuo experti ſint, a patrocinio ſuo ac gratia expectarent; quod ut commodius exſequi poſſint, Achameti purpurato negotium dediſſe dicit, ut conſcripto valido exercitu coactiſque ex Graecia ac vicinis praefecturis ad cc uſque hominum millia expeditionem ſuſcipiat: inſuper ad [b] Tatarorum principem et Walachiae ac Moldaviae vaivodas ſcripſiſſe, ut vireis ſuas cum Achamete conjungant. Pareant igitur, ſi libertatem, dignitatem, fortunas ſalvas velint; ſin, ſpreta ipſius auctoritate et imperio, concordes cum hoſtibus maneant et imperium detrectent, ſibi perſuadeant, inobedientiae poenam praeſto fore; ſe enim, [α] fide Deo religioſe obligata, omneis provinciae incolas gladio et extremis ſuppliciis devoviſſe: foeminas quinetiam ac pueros, nulla veniae ſpe, in captivitatem abducturum, omnia loca ſolo aequaturum, neque lapidem ſuper lapidem in Dacia relicturum: haec illis ultimo denunciare, ne tot animarum ſanguis a ſe repoſcatur, ſed calamitas illis imputetur, qui propter contumaciam ſuam ac perfidiam futuris malis cauſam dederint. Hoc mandato VII Octobris luna [c] Byzantii dato et in publicis regni comitiis palam recitato, cum Bathorius ob adverſam valetudinem abeſſet, adeo adſtantium animi commoti ſunt, ut partim metu conſternati, partim rerum novarum deſiderio ſtimulati, quod de reducendo Joanne mentio injiceretur, parum abfuerit, quin omnes protinus, ut Solymani voluntati ſatisfieret, decernerent. Dilato reſponſo, Caſtaldus, qui [d] Albae Juliae hyemabat, per nuncios certior fit, adeo male affectos provincialium animos eſſe, ut, ni praeſentia ſua eorum impetum remoretur, procul dubio futurum ſit, ut omnes pedibus in eorum ſententiam eant, qui Solymano parendum cenſebant. Igitur IV Non. Decembreis domo profectus, quam maximis potuit itineribus Vaſraëlium venit; et introductus eadem die, qua de reſponſo ad Solymani poſtulata faciendo deliberaturi erant, habita ad provinciae Ordines oratione, eos a tam foedo propoſito dehortatur: neque enim a potentia Solymani, bello longinquo jam implicati, metuere debere: tantum velint, et ſe viros oſtendant, miniſque inanibus artificioſe diſſeminatis, cum vi res geri nequit, nihil terreantur: ſic conſcientiae ſuae ſatisfacturos, et libertatem ac dignitatem regni conſervaturos: nec defuturum Ferdinandum, qui non ſolum cum ſuis et univerſae Germaniae viribus ſed etiam cum fraternis opibus ſuppetias ipſis ſit laturus. Praeſentia ſua pervicit Caſtaldus, ut Ordines nihil in Ferdinandi praejudicium decernerent: ſed datis ad Solymanum literis vim deprecarentur, orarentque, ut tributum XX CIↃ aureorum, quod in certum obedientiae pignus offerant, accipere dignetur; alioqui, ſi exercitus in fineis ſuos mittatur, paratos ſe pro patriae libertate extrema quaeque periclitari. His intellectis, Halis, cum aliud obtinere non poſſet, accepto tributo, Conſtantinopolim retro abiit. Achametes ſpe ſua fruſtratus animum ad dolos convertit; ſcriptiſque admodum benevolis ad Franciſcum [e] Patocium primarium Daciae regulum et [f] Giulae arcis munitiſſimae praefectum literis, eum in Caſtaldi ſuſpicionem adducere, ſicque ex offenſione irritatum [β] ſibi conciliare, conatur. Verum is, aſtu detecto, Patocium non ſolum in Giulae ſed etiam [g] Varadini et [h] Panchoti arcium poſſeſſione conſervavit, illata etiam annona, cujus penuria jam illorum locorum praeſidia laborare coeperant. Nec ceſſabat interea Iſabella, quae, cum promiſſa a Ferdinando et Caſtaldo non praeſtari antea conqueſta eſſet, tunc demum manifeſto ſe prodente, factione illorum, qui ejus rebus favebant, et [i] Petro Vicchio ac Franc. [k] Chendio Ferenſio confiſa, conditiones denuo regis nomine oblatas, et [l] Monſterbergi praeterea

VAR. LECT. [α] cum ſacramento fidem Deo religioſe obligaret, *P. D. o. f.* [β] ad ſuas partes pertrahere tentat *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Tranſilvanie.* [b] *les Tartares.* [c] *Conſtantinople.* [d] *Weiſſenburg* Germ. [e] *Pathocz.* [f] *Giula.* [g] *Waradin.* [h] *Pancota.* [i] *Petrowicks.* [k] *Quendi Ferentz.* [l] *Monſterberg.*

praeterea principatum aperte recuſare cœpit; quoniam in tempore non ſatisfeciſſet Ferdinandus, jus ſuum ſibi integrum eſſe dictitans. Nec obſcure favebant populares, ac Ciculi praecipue, a Ferdinandi praeſidiariis nb non ſoluta ſtipendia paſſim tumultuantibus ac licentinſe graſſantibus vexati: ideoque ejus impetium exoſi mutari reipublicae ſnrmam nptabant: quod ubi vidit Bathnrius, ut dignitati conſuleret, et tempeſtatem imminentem declinaret, vaivodae titulo ſaepius ſe abdicare voluit; vixque cum, impenſis precibus et promiſſis Caſtaldi ductus, ad rempus retinuit. Itaque comitia [a] [α] Pnſnnii a Ferdinandn indicta, in ſpeciem, ut popularium querimoniis ſatiſfieret: inibique, eum per legatos multa et praeclara de egregia ſua erga omneis voluntate expoſuiſſet, ut aliqua demonſtratione et exempln placatos eos melius in poſterum ſperare juberet, [b] Bartholomaeum Illyricum, qui cum II Germanorum vexillis [c] Glulam tenebat, et nullum crudelitatis genus in oppidanos ac ſubditos pnpulos non exercuerat, amovit, npe Pauli [d] Banci [e] Bathorii legati; et arcis cuſtodiam [f] Patocio commiſit.

XVIII. Tam male adminiſtratae eo anno reipublicae culpa a Caſtaldo in Mauritii adventum rejecta eſt; qui non ſolum nulli nſui in belln Pannonico fuerit, ſed totum regis ac provinciae aerarium exhauſerit, pecunia nmni, quae praeſidiariis deſtinata erat, in Mauritiani exercitus ſtipendium conſumpta: Mauritio contra dictitante; Caſtaldi avaritia ac rapacitate factum, ut, alienatis provincialium animis, ejus in a Pannoniam deſcenſus rei Chriſtianae infructuoſus fuerit. Ut ut ſir, ipſe [h] Javarino, ſub anni exitum [β] dimiſſis copiis, in Saxoniam diſceſſit. Cum de re bene ad [i] Devam geſta allatum eſſet, ccc equitibus Turcis occiſis, qui Lippa ad praedandum a [k] Caſſumbeco emiſſi et a Devae praeſidiariis ex inſidiis intercepti fuerant, ea ſama aliquantum recreati provinciales: tamen aſſiduis Germanorum et Hiſpanorum ſeditionibus mirum in modum vexabantur, et, externum propterea jugum peroſi, ad libertatem et quietem, quam ſub Joanne Turcis amico ſe adepturos ſperabant, conſentientibus animis ſpectabant.

VAR. LECT. [α] Poſoniae P. D. o. f. [β] diſcedit, et dimiſſis copiis domum revertitur. Cum de re P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Presburg.* [b] *Bart. Corvatto, Croate.* [c] *Giula.* [d] *Banco.* [e] *Bathory* [f] *Pathocz.* [g] *Hongrie.* [h] *Raab.* [i] *Deva.* [k] *Caſſum-bech.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER UNDECIMUS.

EPITOME.

B*ELLUM Subalpinum*[a] *et Parmenſe. Salucia a Caeſarianis capta.* II. *Turcicae claſſis ad Italiae litora deſcenſus.* III. *Ad Clodiam Venetae ditionis civitatem regiorum conventus; cujus is exitus fuit, ut Senenſes Gallorum opibus freti de libertate recuperanda et ejiciendo Hiſpanorum praeſidio cogitare coeperint.* IV. *Plombinum Coſmo cum omui ditione et Ilva inſula a Caeſare conceſſum.* V. *Andreae Auriae ſemper felicis imperatoris infelix ad Poutiam iuſulam cum Dragute cougreſſus.* VI. *Senenſibus ablata oppida reſtituuntur: eodemque tempore Orbitellum a Caeſariauis in ora maritima munitur. Ferdinandus Gonzaga male adminiſtratae provinciae iuſimulatur: intereaque proſperi Gallorum ſucceſſus, capta Verruca et Alba Pompeia.* VII. *Caeſaris poſt pacem Patavienſem in Gallicum limitem ad ulciſcendas injurias expeditio.* VIII. *Jus, quod Francis in tribus civitatibus nuper occupatis competit.* IX. *Franciſcus Lotharingus Guiſius eo cum valido exercitu miſſus.* X. *Alberti Brandeburgici, qui initio regi militabat, ſuſpecta fides. Is Caeſari in occulto reconciliatus, ac mox pro hoſte habitus Aumalium Guiſii fratrem iutercipit.* XI. *Metis obſidio memorabilis. Interimque Hedinum in Morinis a Caeſarianis captum.* XII. *Oratio Guiſii ad commilitones, quo die totis viribus oppugnatio parabatur. Caroli Rupifulcaudii Randani cum Henrico Manrice duellum militare. Soluta obſidio cum Caeſarianorum damno.* XIII. *Brunſvicenſis ditio a Wolrado Mansfeldio Alberti auſpiciis occupata. Elvangium Teutonico mogiſtro a Wirtembergico ereptum.* XIV. *Clarorum virorum mortes; Henrici Megalopolenſis, Hermanni Wedenſis, Eberardi Bilichii, Joannis Cochlaei, Gaſparis Hediouis, Andreae Oſiandri, Sebaſtiani Muuſteri, Petri Apiaui, Jodoci Villicii, Lazari Bonamici, Lilii Gregorii Giraldi, Pauli Jovii, Ferdinandi Nonii Pinciani.*

EX AUCTORIBUS,

Joau. Bapt. Hadriauio, Gul. Paradino, Luca Contili, Carolo Sigonio, Blaſio Monlucio, Juliano Goſſellino, Bertrando Salignaco, Franc. Rabutino, Joan. Sleidano.

NOT. [a] Dele *et Parmenſe.* Pet.

LIBER UNDECIMUS.

IN Italia ſub idem tempus, quo Mantitius in Pannoniam deſcendit, multa bello, plura occultis conſiliis memoranda acciderunt. In Subalpina regione [a] Braida ditionis Sabaudicae caſtellum, quod a noſtris muniri coeperat, vi expugnatum eſt: cui expeditioni Emmanuel Philibertus princeps tunc admodum juvenis interſuit, et municipum, qui locum tuebantur, obſtinatione offenſus, pleroſque in furcam agi juſſit. Inde [b] Foſſanum verſus Gonzaga exercitum duxit, et Caeſarem [c] Magium, adjuncto ei [d] Trinitatis comite, [e] Saluciarum civ itatem pergere jubet; qui, ea nullo negotio occupata, cum in atce capienda laboraret, in ejuſque oppugnatione levi ad jugulum vulnere fuiſſet ictus, poſtremo etiam arcem in deditionem accepit: impoſitoque in eam Gabriele Serbellono cum cohorte peditum, [f] Dragoneram cum Trinitatis comite Gonzagae juſſu profectus eſt. Ea, III dierum continua verberatione quaſſata, tandem deditur; et praeſidiarii Galli, uti convenerat, cum armis et rebus ſalvis in proximam vallem deducti. Capta Dragonera, Magio negotium datum, ut [g] Montem-marinum munitiſſimum locum aggrederetur; qui ſecum ducto Auguſto Saluciarum principis notho filio eo tendit: evocatoque quaſi ad colloquium praeſidiariorum duce ab Auguſto, quicum arctiſſima intercedebat amicitia, Magius ex compacto ſuperveniens eum comprehendi juſſit; et, ut locum dederet, hortatus, cum nihil proficeret, poſtremo minas addidit, et ipſum vinctum quaſi ad ſupplicium in oppidi conſpectum deduci imperavit. Tam miſerabili ſpectaculo victi oppidani, ut ducem ſuum periculo eximerent, deditionem fecere. Obſervatum, tam indignae mortis vehementi metu adeo concuſſum animo eum fuiſſe, ut ſanguineum ſudorem toto corpore funderet. Superabat arx, quae a noſtris tenebatur; quam poſtremo, cum de auxiliis deſperarent, dedere polliciti ſunt, ſi intra triduum ſuppetiae non ferrentur. Miſerat eo Briſſacus, qui obſeſſos vicini auxilii ſpe impleret, et a deditione dehortaretur; Gonzagam enim Foſſanum et Benam verſus cum exercitu abiiſſe; ipſum ſe mox ad eos venturum. Verum is nuncius, ab [h] Angelo Sanctio Corſo interceptus et tortus, ad obſeſſos pervenire non potuit: quo factum eſt, ut, cum praeſidiarii nihil de Briſſaco intelligerent, omni ſpe exuti, triduo exacto, deditionem fecerint. Atci impoſitis II cohortibus, Philippo [i] Vaira et Malavicino [k] Placentino ducibus, inde Magius cum machinis bellicis digreditur. [l] Ceva et irrito ſucceſſu ab Alvato Sandaeo tentata; in quam ſe Briſſacus ipſe incluſit, ut [m] Vaſſaeo loci praefecto opem ferret. Nam, ſupervenientibus Monlucii et Bernardini copiis, [α] Hiſpani ad [n] Sturae pontem retro ceſſere, levibus aliquot certaminibus extracto tempore, dum amnem tranſmitterent. Inde Caeſariani in regionem illam impreſſionem fecerunt, quae [o] Bormia et [p] Lerio flumine clauditur, et ab oriente [q] Ponſono caſtello, ab occaſu Cevae territorio terminatur. Haec fere, quae noſtri anno ſuperiore occupaverant, a Gonzaga iis in locis caſtella capta ſunt: nam ex iis, quae aut ſitu aut arte munitiora erant, nullum cepit, quamvis in eam expeditionem CLX aureorum CIↃ impendiſſet, nullo fere profectu, remanentibus penes Gallos [r] Ravello, [s] Saviliano et [t] Raconiſio, praecipuis totius provinciae arcibus. Tunc omnium animi in Italia inde in ſpem erigebantur, inde metu angebantur, arridente Gallis fortuna, et rebus Caeſaris aliquantum

VAR. LECT. [α] Sandaeus ad Sturae pontem retro ceſſit *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Bra en Piedmont.* [b] *Foſſano.* [c] *Maggi.* [d] *la Trinitad.* [e] *Saluces.* [f] *Dragonero*, al. *Dragoniera.* [g] *Monte-maro.* [h] *Angelo Santi.* [i] *del Vaira.* [k] *da Piacenza.* [l] *Ceve.* [m] *de Vaſſé.* [n] *Ponte Stura.* [o] *la Bormia.* [p] *Leri.* [q] *Ponzone.* [r] *Ravel.* [s] *Savillan.* [t] *Raconis.*

CIƆIƆLII. HENRICUS II.

aliquantum turbatis. Nam proſpera omnia de rege nunciabantur, tot captis in Lotharingia et Lucembergenſi agro ſeu deditione ſeu vi civitatibus et oppidis: et ſuga Caeſaris eos male habebat, qui bene ipſi cupiebant. Itaque tota fere Italia praeſidiis nudata, [a] Melenianus IV CIƆ Italorum in Etruria ſere conducta, cum II CIƆ Hiſpanorum veteranorum, qui bello Parmenſi militaverant, ſecum ad eum deduxerat, reſtitutis Octavio omnibus oppidis et arcibus, praeter [α] [b] Sandoninum, [c] Guelfi caſtellum et [d] Colornium, quae Caeſariano praeſidio tenebantur; [e] Brixellum item, quod nondam Ferrarienſi cardinali reſtitui voluerat Caeſar. Gonzaga vero, revocatis a Caeſare Germanis, quibus Subalpini exercitus robur praecipue conſtabat, nihil moliri audebat; ſatiſque habebat, ſi ſe adverſus noſtrorum impetus tueri poſſet. Parmae pro Gallis Paulus Thermus erat cum primariis Italis ducibus: Mirandulae cardinalis Ferrarienſis cum IV CIƆ peditum, quos ad ſolvendam urbis obſidionem legerat. Multa quoque ſuſpicionem augebant: nam [f] Salernitani deſectio, cujus magna apud ſuos gratia et auctoritas erat, repetito ſaepius itu et reditu in regno Neapolitano turbas excitatura videbatur: et Guidus Ubaldus Urbini dux, qui, paulo ante ſumma praeſectura, quam ambiebat, denegata, in noſtras parteis facile tranſiturus credebatur, Veneti ſenatus ſtipendiis renunciaverat; homo alienis auſpiciis ac ſumptibus militare ſolitus, cujus alioqui ditio optimo milite abundabat, et unde per [g] Picenum in [h] Samnium deſcenſus in prono erat: quod eo magis ſibi perſuadebant Caeſariani, quia illum honorificis a rege conditionibus invitari vulgo jactaretur; ceſſione in primis ejus juris, quod Catharinae Mediceae uxori, Laurentii quondam Urbini ducis filiae, in eo principatu competebat. ſenatum quoque Venetum a rege per Franciſcum Turnonium cardinalem, qui ſeceſſus cauſa apud eos divertebat, ſolicitatum rumor erat, ut in belli ſocietatem veniret, ſpe facta, ut, regno recuperato, aliquot portus in [i] Apulia regis beneficio acciperet ad ſublevandam annonam, cujus anguſtia ſaepius in illa civitate laboratur. De quibuſdam etiam Inſubrum oppidis mentio injecta; et pontifici amplum patrimonium in ſuos diſtribuendum promiſſum: neque tamen aut pontifex aut ſenatus Venetus adduci potuit, ut regi auſcultaret.

II. SED praecipue ſuſpenſos etiam eorum, qui neutris partibus addicti erant, animos tenebat claſſis Turcicae in Tyrrhenum mare deſcenſus; quae ex CXXIII longis triremibus, II myoparonibus ac pleriſque minoribus navigiis conflata, cum IV Non. Maii Conſtantinopoli ſolviſſet, [k] Methonen in [l] Peloponneſo primum appulit; ibique conſumptis XII diebus, [m] Zacynthon delata ad ſinum [n] Leucadium, III CIƆ triremium capacem, a Leucade inſula, quae [o] Epiro adverſae ponte conjungitur, dictum, hodieque S. Maurae nomine indigitatum, deflexit; atque inde [p] Corcyram Venetae ditionis inſulam; qua tormenti emiſſione, ut ſit, ſalutata, et viciſſim ab arcis praefecto reſalutata claſſe, muneribus etiam ſenatus nomine pro more ad purpuratum claſſis praefectum allatis, vento ſubito a [q] Caſſiope Corcyrae oppido in Epirum ad [r] Buthrotum et [s] Acroceraunia retro compulſa eſt; ibique aquatione facta, obviam habuit a [t] Raguſinis miſſam biremem cum muneribus, quae ad purpuratum deferri mos eſt; et Kal. Quintil. per Hadriaticum ſinum in adverſam Italiae partem delata eſt, ac [u] Crotonem in peninſula munitiſſimam arcem ardua rupe ſitam venit; [x] Laciniumque ac [y] Scylacaeum et [z] Leucopetrae promontorium praetervecta in ſtationem [aa] Rheginenſem, quae hodie S. Joannis foſſa dicitur, deſcendit. Ea adverſam et freto X mille paſſuum diviſam Siciliam reſpicit, a Brutio agro, uti creditur, avulſam: ab hocque dehiſcendi argumento Rhegium appellatum, in extremo Italiae margine ſitum oppidum. Ibi anguſto adeo canali contractum mare tanto impetu ſingulis [β] VII horis decurrit, ut

horrorem

VAR. LECT. [α] Donini fanum P. D o. [β] VI P. D. o.

INTERPR. [a] *le marquis de Marignan.* [b] *San Donino.* [c] *Caſtelguelfo.* [d] *Colornio.* [e] *Briſello.* [f] *le prince de Salerne.* [g] *la Marca d'Ancona.* [h] *Abbruzzo.* [i] *la Puglia.* [k] *Modon.* [l] *La Morea.* [m] *Zante* [n] *Golfo dell' Arcadia,* al. *Golfe de S. Maure.* [o] *Albanie.* [p] *Corfu* [q] *S. Maria Caſſopo.* [r] *Butrinto.* [s] *Monte di Chimara.* [t] *ceux de Raguſe.* [u] *Cotrona.* [x] *Capo delle Colonne.* [y] *Golfo di Sculaci.* [z] *Capo dell' arme,* al *Spartivento* comme dit Paradin. [aa] *Reggio*

horrorem ſpectantibus incutiat, perniciem vero plerumque tranſeuntibus afferat. Supra Rhegium Scylla eſt, promontorium anfractuoſis ſpecubus et cavernoſis meatibus perforatum; quo, ubi [a] Africo flante fluctus illiditur, tantus fragor editur, ut canes latrare credas: quod et fabulae occaſionem dedit. Ex adverſo in Sicilia [b] Pelorus prominet paulo ſupra Meſſanam; ad cujus ſpeculam Turcica claſſis in hoc freto multum jactata appulit: cumque Iↄcc equites in inſidiis ſederent, opperientes ſi forte Turci exſcenſionem in inſulam facerent, purpuratus rem conjectans ſevera denunciatione prohibet, ne quis egrederetur; rectaque Vulcanias inſulas verſus curſum intendit. Eae in freto [c] Mamertino ſunt numero VII, [d] Aeoliae et Lipareae vocatae, ignea ſoli natura, quae propterea per occulta commercia Aetnae incendia mutuari aut ſubminiſtrare creduntur. In [e] Strongylen claſſis delata eſt, quae flammis liquidioribus a ceteris differt; ideoque Aeoli domus antiquis appellata eſt. Etſi tempeſtatem illam Italiae imminere omnes viderent, tamen, quam in partem incumberet, adhuc ignorabatur, neque dum inter regiorum negotiorum adminiſtratores conſtabat. Itaque Coſmus, qui Etruriae ſuae metueret, crebris literis Caeſarem admonebat, ut [f] Senarum ſecuritati proſpiceret: in ea civitate male affectos civium erga ipſum animos ad libertatem ſpectare; neque arcem eo adhuc perductam, ut contra hoſtileis impetus defendi poſſit; Gallos in inſidiis excubare ad omneis motus intentos. Idem et Didacum Hurtadum Mendozam, cui cura ejus rei incumbebat, et qui Romae commorabatur, per literas [α] monebat; et, periculi magnitudine propoſita, ut Senas revolaret, praeſentia ſua conjuratorum conſilia diſſipaturus, hortabatur; atque in primis, ut praeſidiario militi de ſtipendiis ſatisfaceret, urgebat: nam, iis non perſolutis, multa licenter militem agere, et civitati oneri eſſe, ut jam non occulta inter eos murmura exaudirentur. Sed major de regno Neapolitano ſolicitudo erat, propter claſſis Turcicae adventum, et exſulum, quorum animos in ſpem reditus ea res excitaverat, apud ſuos gratiam. Itaque duas Germanorum legiones, Jo. Bapt. [g] Lodronio et Nic. [h] Madrucio ducibus, in [i] Subalpinam regionem miſerat Caeſar, ut inde ad Petrum Toletanum proregem contenderent: ſed, cum tranſitus a pontifice per ditionem ſuam negaretur, quod vereretur, ne eo facto pacem cum rege initam violare videretur, negotium [k] Auriae datur, ut eos claſſe ſua [l] Neapolim tranſportaret. Cum tamen Mendoza oſtenderet, Hiſpanos, quos habebat, arci Senis coeptae et [m] Herculis portui atque [n] Orbitello contra Turcicos impetus defendendis minime ſufficere, ex legione Lodronia cIↄ Germanos et ccc levis armaturae equites a Gonzaga impetravit. Nec Coſmus, qui Senarum res ad ſe quoque pertinere exiſtimabat, interea ceſſabat; ſed, quanta diligentia poterat, limitem ſuum muniebat, praeſidio, cui Rudolfus [o] Baleonus praeerat, [p] Piſis impoſito, et [q] Ilva in primis inſula milite et omni inſtrumento bellico abunde firmata.

III. DUM haec agerentur, Salernitanus in Italiam propere redit, a rege, quem [r] Damvillarii reliquerat, ad regiorum negotiorum in Italia moderatores cum fiduciariis literis remiſſus, ut in commune conſulerent. Itaque [s] Clodiam Venetae ditionis civitatem, nam in ſua conventum haberi noluerat Hercules Ferrarienſium dux, Caeſaris jam cum Mauritio pacificati offenſionem veritus, conveniunt Hippolytus cardinalis Herculis frater, Fr. [t] Turnonius cardinalis, Paulus [u] Thermus, [x] Salernitanus, Odetus [y] Silva apud Venetos orator regius, Ludov. Picus Mirandulae comes et Corn. Bentivolius: Farneſiorum nomine [z] Hier. Veteranus Piſanus et Marius [aa] Bandinus Senenſis interfuere. Ibi de bello in Italia movendo actum, ac diu diſceptatum fuit, primſne [bb] Mediolanum an regnum Neapolitanum aggredi placeret. Salernitanus bellum

VAR. LECT. [α] ſolicitabat P. D. o. f.

INTERPR. [a] Sudoueſt. [b] Capo della Torre del Faro. [c] Faro di Meſſina. [d] iſole di Lipari, o di Vulcano. [e] Strombolo. [f] Siena. [g] de Lodrone. [h] de Madruce. [i] Piedmont. [k] Doria. [l] Naples [m] Porto-Ercole. [n] Orbetello. [o] Baglioni. [p] Piſa. [q] Elba. [r] Damvilliers. [s] Chioggia. [t] de Tournon. [u] de Thermes. [x] le prince de Salerne. [y] de Selves. [z] Girolamo da Vecchiano da Piſa [aa] Bandini Senese. [bb] Milan.

CIↃIↃLII. HENRICUS II. bellum Neapolitanum urgebat, facilem et felicem exitum ſponderts, imparato ab omnibus rebus protege, et Turcicae claſſis adventu in rerum novarum ſpem erectis nobilitatis animis, quae, proregis crudelitatem et Hiſpanorum jugum exoſa, procul dubio in Galli parteis tranſitura ſit. Alii repugnabant, et eandem ſaepius rem tentatam infeliciter ſemper ſucceſſiſſe dicebant, tam longe relicto poſt terga hoſte, ob idque difficili auxiliorum tranſitu: imparatos vero opprimi minime credibile eſſe, Caeſare [a] Motmilio, de quo ſupra dictum eſt, nupet ab exilio revocato, omnium Salernitani conſiliorum ac ceterorum idem ſentientium conſcio; quem, vero ſimile fiat, de omnibus rebus proregem edocuiſſe. Nec Mediolanenſem expeditionem ſuſcipi conſultum videbatur, tam vicino Caeſare, et paratis Germanorum auxiliis. Itaque, cum neutrum tentati placeret, ne nihil ageretur, inſtantibus Senenſium exſulibus, media ſententia obtinuit; ut de eorum civitate liberanda cogitaretur, quae quaſi in umbilico Italiae ſita ob id commodius auxiliis juvati poterat, magnaque momenta ad res novas moliendas habebat. Nec inutilis ad ea videbatur Turcicae claſſis adventus, Senenſium ditione majorem partem ad Tyrrhenum mare potrecta, ubi res Turcorum ope geri poſſit; et, ſi minus ex voto cadat, tamen diſtractis hoſtium viribus facilior in reliquis victoria futura ſit: ibi facto novi belli periculo, poſtea tutius et opportunius de bello Neapolim aut Mediolanum transferendo conſultari poſſe. Cum in eam ſententiam omnes deſcendiſſent, et ad eam rem egregie et abunde parata omnia viderentur, Corn. [b] Bentivolius ad regem in Galliam mittitur, qui de conſilio [c] Clodiae capto eum certiorem faceret. Fama interim ſpargitur, ad Neapolitanam expeditionem conſilia Gallorum ſpectare, etiam ex induſtria a prorege aucta, qui ſibi metuebat, et auxilia ſummitti quoridie per literas flagitabat. Cum id regi placuiſſet, ſubito Bentivolius ad ſuos redit: et Lud. [d] Sangelaſius in ſpeciem orator ad pontificem mittitur, ut eum de Turcica claſſe ſecurum eſſe juberet; re vera, ut Senenſe negotium procuraret, et amicos regis praeſentia ſua ac conſilio confirmaret.

IV. CUM in iis anguſtiis eſſet Caeſar, et rei in primis nummariae penuria laboraret, a Coſmo cc aureorum millia mutua petierat: quam ille occaſionem nactus per Petrum Philippum [e] Pandolfinum de [f] Plombinenſi ditione mentionem rurſus injecit: nec jam abnuebat Jacobus [g] Apianus loci dominus, nuper mortua parente, quae animoſe, dum vixerat, Coſmi voto adverſata fuerat. Itaque Bernardum Medicem [h] Caſſiani epiſcopum agnatum ſuum [i] Genuam miſerat, ut rem pecuniariam expediret, et cum ſenatu ageret, ut cum bona ipſius gratia Plombinum de domini conſenſu beneficii titulo a Caeſare obtinere poſſet. Sed Caeſariani moras nectebant: et, poſtquam [k] Albanus cum auxiliaribus Hiſpanis adveniſſet, abunde vitium ſe habere rati, initio Coſmi petitionem eludebant; quem ad [l] Ilvam defendendam ſatis proprio periculo incitari credebant. Poſtmodo tamen neceſſitate victus Caeſar poſt caſum Senenſem, cum metus eſſet, ne ea loca in manus hoſtium devenirent, Mendozae mandat, ut Plombinum cum agri Plombinenſis arcibus et omni inſtrumento bellico in Coſmi manus tradat; accepta ab eo cautione de reſtituendis illis, quoties pecunia in muniendis iis et conſervandis inſumpta a Caeſare aut ejus heredibus repraeſentaretur. Data cautione, [m] Otho Montacutus militiae Etruſcae dux, cujus fidei ac virtuti multum Coſmus tribuebat, mittitur, qui arcem Plombinenſem a Navarreto Hiſpano acciperet; et, ejus cuſtodiae [n] Roſa Vicienſi ſtrenuo milite praepoſito, Plombini, Populoniae, [o] Scarlini et [p] Buriani incolas in verba Coſmi adigeret. Idem et ab Ilvae populis factum. Coſmus horum locorum poſſeſſionem adeptus, octavo poſtquam Caeſar promiſerat anno, coepta in illis munimenta Mendozae ſive negligentia ſive livore ac malignitate paene diruta et corrupta offendit; ſummaque cura ſed majore felicitate

feſtinatis

INTERPR. [a] *Mormile.* [b] *Bentivoglio.* [c] *Chioggia.* [d] *de S^t. Gelais, ſieur de Lanſſac.* [e] *Pandolfini.* [f] *Piombino.* [g] *Appiano.* [h] *Caſſano* [i] *Genova.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *Elba.* [m] *Otto da Montaute* [n] *Roſa da Vicchio* [o] *Scarlino* [p] *Buriano.*

feſtinatis operibus, ruinas illas ita ſarcivit, ut periculo, quod a Turcica claſſe, ſi protinus in Etruſcam oram incubuiſſet, imminebat, in tempore praeverterit. Cum vero Caeſariani, ſaepius ante a Coſmo moniti [a] Senas peti, vix tandem malum ſenſiſſent, ſero de remedio cogitare coeperunt: et, cum Mendoza, qui Romae erat, huc uſque omnia Coſmi ſeu conſilia ſeu auxilia oblata tanquam ſuſpecta repudiaſſet, Franciſco [b] Alabenſi praeſidiariorum Hiſpanorum Senis praefecto mandat, ut Florentiam ad Coſmum proficiſcatur, et auxilia promiſſa ab eo repoſcat; neque tamen ea Senas introducat, ſed [c] Stagiae ſubſiſtere jubeat, manifeſto adhuc diffidentiae indicio. Quod tamen Coſmus ingenita prudentia diſſimulavit: ſtatimque [d] Menichino Bonitienſi vallis Elſanae delectuum praefecto imperat, ut cum III CIƆ peditum et CCC equitibus Stagiam ad externos hoſtium propulſandos impetus contendat. Verum res intus gerebatur. Nam Aeneas [e] Picolomineus, Americus [f] Americius, Marius [g] Bandinus et Andreas [h] Landucius, qui pro patriae libertate ſe duces praebuerant, clam cum praecipuis Senarum civibus ac plebe Hiſpanorum dominationis pertaeſa egerant, ut ad dictam diem arma pro ſalute publica in urbe ſumerent, et ſibi portas venientibus aperirent. Per [i] Caſtrum et [k] Petilianum tantum illis ingreſſus in agrum Senenſem patebat, ceteris obſtructis aditibus. Itaque Coſmus diligenter cum Nic. Urſino egerat, ut exſulibus tranſitum ab ea parte impediret. Is inſigni impietate Joan. Franciſcum parentem Petiliani poſſeſſione dejecerat, a Caeſare confirmatus, quod Gallicis partibus favere eum diceret. Sed cum a Ferdinando Gonzaga, cui ut ſummo rerum Caeſarianarum in Italia moderatori id onus incumbebat, promiſſa in praeſidiarios ſtipendia non perſolverentur, ea de re ſaepius queſtus, cum ſe contemni cerneret, ejus contemptus injuriam ita duriter accepit, ut ea maxime cauſa in noſtras tandem partes tranſierit, ab Hier. [l] Veterano perſuaſus, qui Horatii Caſtri ducis mandatu negotium illud ſumma ſedulitate urgebat, ob conceptam, uti credebatur, ſpem de Senarum imperio aliquando regis beneficio obtinendo, quod Paulus III avus poſt amiſſam Placentiam unice in votis habuerat. Pontifex quoque haud dubie exſulibus favebat, recenti injuria offenſus [m] ob praefectum vigilum Romae nuper levi de cauſa a Mendoza contumelioſe verberatum: datiſque ad cardinalem [n] Carpenſem Viterbii legatum literis mandaverat, ut libere illac tranſire militem ſineret: cujus rei Carpenſis, qui Caeſarianarum partium eſſet, clam certiorem Mendozam fecerat. Igitur die dicta Picolomineus et Americius Caſtro et Petiliano profecti cum copiis in agrum Senenſem deſcendunt, eo primum colore, quaſi tuendae orae maritimae delectus illi Mendozae juſſu facti fuiſſent. Fabricata ab Americio falſa diplomata ſub Mendozae nomine, ſcribit Hadrianius. Nec Caeſarianos latebant inſidiae: nam Julius [o] Salvius ex plebis ducibus, qui, ut in facti ſocietatem veniret, ſolicitatus fuerat, rem detexerat, et civitatis cenſores ut facti conſcios apud eos accuſaverat. Miſſus ob id Otho [p] Montacutus Senas ad Alabenſem, qui operam ſuam et omnia a Coſmo polliceretur. Jamque ſocii ad [q] Kyriaci Fanum in agro Senenſi venerant, XVIII ab urbe milliaribus, et Coſmus ad copiarum duces ſcripſerat, quae in [r] Arni valle, [s] Caſentini, [t] Mugelli, [u] Prati, [x] Volaterris et ad [y] Sevae pontem erant, ut ad Stagiam quamprimum properarent, revocatis etiam [z] Campilia II equitum alis, quas ad [aa] Plombini praeſidium paulo ante miſerat: revocati et huc ab Elſana valle CCCC pedites, et Stagiam tendere juſſi. Scripſerat et ad Andream Auriam Coſmus, ut Germanos, quos Neapolim portabat, ad injiciendum Senenſibus terrorem, in Senenſis agri portus Plombini [bb] Liburnive aliquanto tempore exponeret: ſed ille, contrarium imperium cauſatus,

et

INTERPR. [a] *Siena.* [b] *d'Alaba.* [c] *Staggia.* [d] *Menichino da Poggi bonzi, capitano della militia di val d'Elſa.* [e] *Piccolomini.* [f] *Amerighi.* [g] *Bandini.* [h] *Landucci.* [i] *Caſtro.* [k] *Pitigliano* [l] *il Vecchiano.* [m] *il barigello di Roma* [n] *cardinale da Carpi, legato da Viterbo.* [o] *Salvi.* [p] *da Montauto.* [q] *Sankirico.* [r] *Valdarno.* [s] *Caſentino.* [t] *Mugello.* [u] *Prato.* [x] *Volterra.* [y] *Pontaſieve.* [z] *Campiglia.* [aa] *Piombino.* [bb] *Livorno.*

et a protege crebris literis exotatus, curſum intermittere noluit. Datum interea negotium [a] Gaurn Monte-benicenſi Pnlitiani delectuum duei, ut promotis copiis [b] Turritam, [c] Montem-fellonicum et vicina caſtella in [d] Clanii valle occupatet: mandatum et Dominieo [e] Galeoto [f] Cortonenſium militum praefecto, ut [g] Lucinianum, ſi poſſet, in poteſtatem redigeret; eo conſilio, ut Senenſium animi ad libertatem licentioſa bacchatinne ruentes hoc veluti fraeno injecto coërcerentur. Jam res Senis calebat, commotis omnium animis: et [h] Alabenſis, ne quis civium pedem domo efferret, ſub poena capitis publico praeconio ſanxerat. Cum vero, coacto civitatis concilio, [α] miſſi eſſent ad Pienlomineum et ſocios, qui eos civium nomine retrocedere juberent, ille, jam renudata voluntate, non prius quieturum ſe reſpondit, quam patriam in libertatem priſtinam aſſeruiſſet, externo milite expulſo; jam in armis x CIƆ hominum eſſe; et Gallieam ſe cum Turciea claſſe eo conſilio conjunxiſſe, et propediem ad Portum Herculis venturam: proinde Hiſpani rebus ſuis mature conſulerent. Erant in urbe ſolum cccc Hiſpani, ſatis firmum ad deſendendam arcem, [i] Dominici Fanum et Camolliam portam, uti rebatur Alabenſis, praeſidium; reliquis [k] Herculis portui, Orbitello et ceterae orae maritimae contra Turcicos inſultus tuendae relictis. Cum vero homo externus civibus omnibus aeque diffideret, quamvis praecipuis ex [l] Novorum ordine fidem ultro deferentibus, eorum opera uti noluit: quod illorum animos adeo exacerbavit, ut cum aliis civibus, qui patriam libertatem ſalvam volebant, mox conſentirent. Montaeutus ab Alabenſi vocatus cum cccc peditibus ſub veſperam in urbem venerat, et conjunctis enm ipſo viribus majorem plateam occupaverat, cum Petiliano, Caſtro, [m] Florae-Fano nndiqne concurrente milite, ad Romanam portam fit impetus, eaque incenſa, et [n] Tuſiana altera porta vi effracta, Hiſpani, qui ad [o] Romanam excubabant, cum nnmero impares eſſent, ad turreis vicinas ſe receperunt; tandemqne poſt aliquod certamen editum fame victi deditionem fecere. Introductus miles populum ſtatim ad libertatem vocat: qui mox armis, quae in urbe reperiri potuere, aut ab exſulibus comportata fuerant, arreptis, ſe ad ipſos aggregat; et odio, quod capitale cum Hiſpanis gerebant, incitati, per vias diſcurrunt, et Alabenſem ac [p] Montaeutum, qui Camolliam portam adhuc et forum cum ſuis tenebant, in plateam compellunt: ii cum ad mediam uſque noctem generoſe pugnantes reſtitiſſent, dum auxilia Stagia advenirent, poſtquam neminem comparere vident, civibus ut pro vita ac libertate gnaviter certantibus, poſtremo ad arcem et Dominici Fanum conſugiunt, Camollia adhuc ſervata porta, quam ſtatim Alabenſis, irrumpente externo milite, nec non Dominici Fanum deſerere coactus eſt. In eo motu cum cives magnum in Coſmo momentum eſſe cernerent, Calliſtum [q] Cerinium ad eum mittunt; et Caeſaris obſequium, ut ante fecerant, in poſterum colere ſe paratos oſtendunt: ceterum Mendozae ſaevitiam et Hiſpani militis inſolentiam in cauſa eſſe, cur arma ſumpſerint: igitur, ut nihil cnntra moveat, neque quo minus priſtinam libertatem recuperent impediat, per viciniae et amicitiae jura enixe admodum orant. Ad haec Coſmus, laudata civium egregia voluntate, modo Caeſaris obſequium minime deſerant, amicitiam viciſſim pollicetur; et cum Cerinio Hippolytum [r] Corregienſem ac Leonem [s] Sanctium Senas mittit, qui legationis ſpecie de Alabenſis rebus, et quanto tempore arcem defendere poſſet, certo cognoſcerent. Interim Piſis Rodolſum [t] Balconum, ſuffecto in ejus locum Friderico Montacuto, et Carolinum Urſinnm cum equitatu evocat; et Staglam convenire jubet, ſi quo modo in arce obſeſſis ſuppetias ferre poſſint: cum exiguam annonam in arce, Mendozae negligentia, ſupereſſe ex Sanctio intellexiſſet,

VAR. LECT. [α] Alabenſis juſſu miſſi *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Goro da Montebenichi, capitano della militia di Montepulciano.* [b] *Turrita.* [c] *Montefellonico.* [d] *Val di Chiana.* [e] *Galeotti.* [f] *di Cortona.* [g] *Lucignano.* [h] *d'Alaba.* [i] *San Domenico & porta di Camollia.* [k] *Porto-Ercole & Orbitello.* [l] *dell' ordine' di Nove'.* [m] *Santa-fiore.* [n] *Tufi.* [o] *porta Romana.* [p] *da Montauto.* [q] *Cerini.* [r] *da Coreggio.* [s] *Santi.* [t] *Baglioni.*

iſſet, nec, ſi res vi gerenda eſſet, auxilia in tempore ventura viderentur, Marcellum [a] Auguſtinum Senenſem ſuum familiarem eo mittit, qui propoſita periculi magnitudine, quod ipſis a Caeſarianis impendebat, impetum Senenſium aliquantum retardaret: nam praeſto adfuturum Autiam cum IV CIↃ Germanotum, moxque Aſcanium [b] Corneum et Alexandrum [c] Vitellium cum copiis advolaturos; nec deeſſe poſſe officio Coſmum, ſi deſerto legitimo Caeſaris obſequio ad Gallorum parteis inclinent. Cum contra Senenſes, gratiis prolixe Corregienſi et Auguſtino actis, in Caeſaris obſequio et Coſmi ſe perſeveraturos denuo confirmarent, Corregienſis obſides petit, donec res aequis conditionibus ex Caeſaris voluntate transfigeretur. Dum cives de obſidibus inſtante Corregienſi conſultarent, et aſſenſui propiores viderentur, Lanſacus Roma advolat, et confirmatis eorum animis, alioqui ob [d] Lucinianum et [e] Montemfellonicum a Coſmi ducibus capta irritatis, ad haec promiſſo pro conſervanda civitatis libertate a rege auxilio, deliberationem interpellat. Jamque populus ducta foſſa arcem omnino ab urbis moenibus diviſerat, quae Mendozae ſocordia ab ea parte rantae altitudinis erant, ut ex iis et [f] Dominici Fano in arcem deſpiceretur, et, verberatione facta, praeſidiariis, quo ſe tegerent, receptus omnis adimeretur. Foris etiam noſtri, qui magno numero jam Roma venerant, auctore Hier. [g] Veterano, aggerem duxerant, ut de introducendo in arcem auxilio aut commeatu ſpes amplius non eſſet. Parte alia inſtabat apud Coſmum ponrifex, ut, quo minus Senenſes libertatem recuperarent, nullum impedimentum daret: nam id tantum Gallos agere, ſibique certo de ipſorum voluntate conſtare: itaque copias deduceret, et occupata oppida reſtitueret; alioqui fore, ut, dum alieno negotio ſe immiſcet, ſibi hoſtem domum arceſſat, qui, non contentus Senenſium res protegere, ultro etiam ipſi bellum illaturus ſit. Nec vana erant pontificis monita. Jam enim cardinalis Ferrarienſis et Thermus Mirandulae ac Parmae ingenteis copias parabant, in Etruriam procul dubio impetum facturi. Itaque Coſmus, remiſſo ad ſe [h] Cerinio et mox Ambroſio [i] Nutio, qui reipublicae Senenſis nomine omne obſequium et benevolentiam pollicerentur, et capta in [k] Clanii valle oppida reſtitui peterent, et coram ponrifice datis obſidibus e nobilitate IV primariis viris de re tranſigere paratos ſe oſtenderent; ut ſe inextricabili alioqui negotio honeſte pro tempore explicaret, in has conditiones cum Senenſibus convenit: Ut Otho [l] Montacutus cum militibus ſuis, omni re ſalva, arce excederet; qua ſolo aequata, Senenſes externum militem dimittere tenerentur: reſpublica a fide et obſequio, quod Imperio Romano debet, non diſcederet, nec amicis Imperio ditionibus damnum inferret, aut in ſua delectus haberi contra Imperium aut Imperii amicos pateretur, Imperiive hoſteis in portus ſuos aut navalia reciperet, libertate priſtina in omnibus ſalva: nullis viciſſim ſumptibus in arcis exſtructionem aut in poſtremum bellum factis obnoxia eſſet; idque Coſmus pro benevolentia, qua Senenſeis proſequitur, apud Caeſarem impetraret: pacta inter ipſos et Coſmum conventa anno hujus ſaeculi XLVII ſervarentur: poſtremo, capta utrinque oppida reſtituerentur. Imperii ſemper, nuſquam Caeſaris nomen expreſſum eſt; quod Imperii Ordinibus facilius quam Caeſari jus ac cauſam ſuam ſe probaturos ſperarent. Poſt omnia conventum, ut, ſi qui reipublicae hoſtes in agro Senenſi adhuc eſſent, ſtatim eorum territorio excederent; et, quonſque exceſſiſſent, etiam poſt arcem deſtructam, militem Gallum dimittere non tenerentur. Id propter Hiſpanos additum, qui adhuc Orbitellum tenebant. Conditionibus etiam Alabenſem et Hiſpanos praeſidiarios comprehendi placuit, ſi earum beneficio uti vellent; ſi recuſarent, nihilominus, quae inter rempublicam et Coſmum conveniſſent, rata ac firma eſſent. Iis de rebus Mendoza factus certior, ut pervicacia culpam emendaret, primo aſſentiri noluit; ſed Aſcanio Corneo et Alexandro Vitellio

negotium

INTERPR. [a] *Agoſtini, Seneſe.* [b] *della Cornia.* [c] *Vitelli.* [d] *Lucignano.* [e] *Montefellonico.* [f] *San Domenico.* [g] *il Vecchiano.* [h] *Cerini.* [i] *Nuti.* [k] *Val di Chiana* [l] *da Montauto.*

CIↃIↃLII. HENRICUS II.

negotium dat, ut Caeſaris nomine delectus haberent: et ille quidem in agro [a] Peruſino III CIↃ peditum cogit, cum quibus [b] Cluſium occupat; hic vero II CIↃ: ſed, cum ſtipendia alendo militi non ſuppeterent, vana virium oſtentatione ſatisfactum officio credens Mendoza Alabenſi mandat, ut arcem Senenſium arbitrio relinqueret, culpa ejus amiſſae in Coſmum rejecta; a quo non ſummiſſis in tempore auxiliis deſertus eſſet: quod poſtea Corregienſi et Sanctio, qui negotio interfuerant, ad Caeſarem miſſis, utcunque excuſavit, cum diceret, ſe cum Senenſibus, ubi arcem defendi non poſſe vidit, conveniſſe, ut ea deſtrueretur, ne in Gallorum poteſtatem veniret, et Senenſes infructuoſi belli continuatione externum jugum recipere cogerentur.

V. JAM claſſis Turcica tranſmiſſo proſpera navigatione Meſſanenſi freto, VI Eid. Quintil. [1] Scylaceum ac Cirilem generoſo vino in [c] Brutiis nobilem delata, oppidis aliquot incenſis, inde Policaſtrum juxta Palinurum promontorium in [d] Lucanis acceſſerat; quo pariter incenſo, et mox [e] Canaroto depraedato, ac colonis in captivitatem abductis, ſinum [f] Salernitanum et [g] Capream praetervecta, in Neapolitani portus conſpectum venit. Heic [h] Dragutes, qui primam aciem ducebat, [i] Prochytae inſulae arcem, antea ab Hariadeno [k] Ahenobarbo incenſam, denuo incendit: continuoque II milliaribus inde diſſitam [l] Aenariam inſulam, arce munitiſſima, quae inter duas terras ſaxo impoſita eſt, ſed maxime Mariae Arragoniae Alfonſi [m] Avali Vaſtii viduae ſeceſſu nobilem, petit: unde, praeſidiariorum virtute repulſus, ad ſuos rediit. Inter haec Toletanus prorex magnis anguſtiis Neapoli conflictabatur, foris et intus obverſante oculis periculoſi motus exitu; ob idque Hiſpanos omneis ex regni praeſidiis evocaverat, ut ſe adverſus externum hoſtem tueretur: intus vero nuper detecta conjuratione, Antonium [n] Griſonem ex nobilitate virum ſtrenuum ob Salernitani amicitiam ſuſpectum, repertis etiam, uti jactabat, literis convictum, ſecuri percuſſerat, edicto promulgato, quo poena capitis denunciata regem Galliae aut principem Salerni nominare prohibebatur. Ejus quoque juſſu occluſae urbis portae, III tantum, quibus exire et ingredi liceret, relictis. Inde claſſis per ſinum [o] Cajetanum [p] Pontiam Farneſiorum ditionis inſulam defertur. Ibi Dragutes, de [q] Auriae adventu certior factus, cum proceſſiſſet, et Auriam, qui non tam prope Turcos eſſe credebat, oppreſſiſſet, Auria, qui tantum XL triremeis haberet, certamini impar, jam inclinante die retro vela dat tanta celeritate, ut univerſa hoſtium claſſis eum aſſequi minime potuerit: ſed Dragutes, cum VI expeditioribus navigiis recedentem inſecutus, unam ex Aurianis intercepit; et, cum totam noctem et majorem diei proximi partem in perſequendo conſumpſiſſet, VI alias ac IↃCC Germanos iis impoſitos cepit, eorumque ducem Nic. Madrucium, qui ex vulnere in certamine accepto ſtatim deceſſit, duabus praeterea depreſſis. Id Non. Sextil. actum. Hac clade in extrema aetate accepta, hactenus felix imperator cum reliqua claſſe Sardiniam atque inde Genuam venit. Factum excuſat Sigonius; et Auriam ait primum ad [r] Malacam in Hiſpaniam navigaſſe, ut peditem Hiſpanum tranſportaret; eo impoſito Alcantarae et [s] Barcinonae pecuniam ſumpſiſſe: quibus omnibus locis dum diſtinetur, temporis tantum effluxiſſe, ut Genuam redire ante Kal. Quintil. propter adverſam in [t] ſinu Narbonenſi exortam tempeſtatem minime potuerit: inde expoſitis Hiſpanis ac terra praeire juſſis, Germanos, qui interea advenerant, navibus impoſuiſſe, nullaque mora interpoſita Neapolim verſus contendiſſe: cum vero rumor percrebuiſſet, Turcicam claſſem prope Neapolim eſſe, cum

XXXIX

INTERPR. [a] *da Perugia.* [b] *Chiuſi.* [c] *Abbruzzo.* [d] *Baſilicata.* [e] *Canerotta.* [f] *Golfo di Salerno.* [g] *Capri.* [h] *Dragut.* [i] *Procida.* [k] *Barbaroſſa.* [l] *Iſchia.* [m] *d'Avalos marcheſe del Guaſto.* [n] *Griſone.* [o] *Golfo di Gaeta.* [p] *Ponza.* [q] *Doria.* [r] *Malaga.* [s] *Barcelone.* [t] *Golfe de Narbonne,* al. *de Lyon.*

NOT. [1] *Scylaceum ac Cirilem.* M de-Thou met au deça du deſtroit de Meſſine le cap *Scylaceum*, vulgo *Schilaci*, quoiqu'il ſoit par delà: & luy même au commencement de ce livre l'y met entre le cap des Colonnes & Spartivento: partant il ſemble qu'il y doit avoir *Scaleum*, ou *Scaleam*, vulgo *Scalea*, qui eſt au deça du Fare de Meſſine, & eſt ſuivi de Policaſtro & du capo di Palinuro. *Fae.*

CIƆIƆLII.

HENRICUS II.

XXXIX triremibus ad Tiberis oſtium appuliſſe; ibique fruſtra, dum aquam haurit, de hoſtilis claſſis navigatione perquiſiviſſe; nam neque Neapoli neque Roma aut aliunde ullum nuncium a Caeſarianis accepiſſe: itaque aquatione facta diſceſſiſſe, et prudenti conſilio ſe in altum pelagus evexiſſe; et, ne [a] Circeios legeret, ubi plus periculi ſubeſſe arbitrabatur, cum in [b] Pontiarum conſpectum veniſſet, eo curſum intendiſſe; quod locus importuoſus eſſet, neque tantum aquae haberet, ut tribus triremibus nedum tantae claſſi ſatis eſſet: et quia hoſtes ad ſubſidium, quod Neapolim portabatur, impediendum in [c] Prochytae faucibus commodius opperiri viderentur, ipſumque, ſi per [d] Caprearum anguſtias erumpere tentaſſet, nullo negotio prohibere potuiſſent, et utrinque aditum, claſſe citra periculum propter ejus magnitudinem in duas parteis diviſa, cuſtodire: his rationibus ſuſpicatum Turcos in ſinu Neapolitano conſediſſe: ſuis tamen, ſuperveniente nocte, quo tutior eſſet, ſi ſe forte hoſtes, quod minime rebatur, in ea inſula abdidiſſent, praecepiſſe, ut totius itineris ratione commutata, quoad fieri poſſet, longe a Pontiis lenta et remiſſa navigatione curſum tenerent; ut, ſi cedendum eſſet, remigibus recentibus et minus fatigatis uti poſſet: quarta inde circiter noctis hora Turcicam claſſem a tergo ſe ſummo ſilentio incitantem ſenſiſſe Auriam; et, cum moneretur, ut ſe cum triremibus, quas poſſet, ſervaret, quando ex aequo cum hoſte confligere non poſſet, id tamen conſilii conſtanti animo reſpuiſſe, et conjuncto cum omnibus triremibus agmine procedi, ac ſegniorem remigationis rationem iniri juſſiſſe; remis ad tardiores triremeis expectandas ſaepius ſuſpenſis, ut, ſi recedendum eſſet, omneis triremeis ſimul abeundo conſervaret; ſin pugnandum, cominus tota claſſe cum hoſte confligeret: longa quippe experientia eum edoctum, Turcicas triremeis noſtris longe celeritate inferiores eſſe, neque fore putaſſe, ut longo ipſum hoſtes intervallo, niſi cum paucis triremibus, ſequerentur; quod ſi facerent, nihil periculi ſubeſſe, quo minus converſis repente proris earum impetum exciperet; et, cum milite abundaret, commiſſo proelio victoria potiri poſſet, ſaltem hoſtibus, ne paucis, quas perſequebantur, navibus nocerent, opportunum impedimentum afferret: cumque in eo eſſet, pilam tormento adactam inter praetorias Aurianam et ei haerentem Hiſpanam tranſvolaſſe, et quendam ex Hiſpanis voce clara rogaſſe, quid opus facto eſſet, tam vicino hoſte; Andreamque ad haec reſpondiſſe; uno agmine ad alias triremeis tuendas pergendum ſibi videri; momentoque temporis, cum alter velorum nomen trepida voce ſaepius inclamaſſet, triremeis aliquot vela feciſſe, ac praetoriam Hiſpanam in altum ſe protinus, ceteris ſubſequentibus ſuis, extuliſſe; quo facto univerſam Chriſtianam claſſem tumultu ac terrore completam ſe in fugam dediſſe, Turcoſque a media nocte uſque ad ſequentis diei horam XVII eam inſecutos, VII triremeis, quae minus remigio valebant, ex iis cepiſſe; Andream vero, cum aliud non poſſet, in [e] Ilvam ſe recepiſſe, ibique reliquae claſſis reliquias collegiſſe. Hae victoria potiri Turci, cum Salernitanus, qui cum XXV triremibus regiis, II CIƆ Vaſconum, Maſſilia ſolverat et indies expectabatur, nuſquam compareret, retro vela faciunt: vixque eos poſtea adſecutus Salernitanus, cum Neapolim, ſpe facta de tumultu in ea excitando, revocare conaretur, fruſtra fuit, abeunteiſque comitatus, quod anno poſt redituros ſe promitterent, [f] Chion uſque curſum tenuit, ibique cum claſſe noſtra hyemavit.

VI. INTEREA [g] Lucinianum et [h] Mons-fellonicus [i] Senenſibus a Coſmo reſtituuntur; et pontificis juſſu [k] Cluſium ab Aſcanio [l] Corneo occupatum. Arx quoque, ab Alabenſi tandem Mendozae juſſu dedita, a Lanſaco civibus ſummo applauſu tradita, et dirui coepta eſt. Mox ad firmandam amicitiam miſſi utrinque oratores; a Senenſibus Florentiam Ambroſius [m] Nutius; Senas a Coſmo [n] Leo Ricaſolius, rerum

Senenſium

INTERPR. [a] *Monte Circello.* [b] *Ponza & Iſchia, iſles de la mer de Toſcane.* [c] *Procida.* [d] *iſle de Capri.* [e] *Elba.* [f] *Scio.* [g] *Lucignano.* [h] *Montefellonico.* [i] *Siennois.* [k] *Chiuſi.* [l] *della Cornia.* [m] *Nuti.* [n] *Leone da Ricaſoli.*

CIↃIↃLII. HENRICUS II.

Senenſium apprime gnarus. Cum tameo [a] Orbitellum adhuc Hiſpani tenercot, ob idque Galli urbe noo excederent, Thermo etiam eo nuper Parma profecto, Coſmus occaſione arrepta nondum ſuos [b] Stagia deduxerat; quod, quamvis omni benevolentiae ſignificatione a rege ſecurus eſſet, tamen in omneis caſus intentus non ita res conſtitutas exiſtimabat, quin aliquem motum brevi conſecuturum provideret. Itaque auctor fuerat pontifici, quoniam in eum quaſi arbitrum Senenſes conſenſerant, ut conſtituendae in civitate tranquillitatis et emendandae reipublicae curam ſuſciperet. Ob id miſſus eo Fabius [c] Mignanellus cardinalis patria Senenſis, qui, ſedecimviris creatis, et conſilio IↃ ccc civium inſtituto, novam reipublicae formam induxerat; ſed in qua pars illa praevaleret, quae, quod Caeſarem graviter offendiſſe ſibi conſcia eſſet, quamvis retinendae libertatis cupida, amicitiam regis ut rebus ſuis neceſſariam amplectebatur. Itaque pervicerat, ut honorifica legatio ad regem decerneretur, quae ipſi ut liberatori nomine reipublicae gratias ageret, et munificentiſſimi principis opem adverſus ſuae libertatis, quam ipſi debebant, oppreſſores, ſi qui futuri ſiot, imploraret. Hoc munere defunctus eſt Claudius [d] Ptolemaeus; cujus elegans ac luculenta oratio coram rege habita exſtat. Ea re cum pacta violari putaret Coſmus, fidei datae minime ſibi ſtandum duxit; et Mendozae, ut Orbitellum retineret, auctor fuit. Is igitur Liburnum profectus Hiſpanos nuper arce emiſſos ſecum ducit, atque Auriam opperitur, qui poſt claſſis Turcicae diſceſſum Neapolim navigaverat. Inde reverſo Auria, Mendoza triremeis conſcendit, et [e] Plombinum devectus ad [f] Sanſtephani portum appulit. Ibi expoſitis in terram Orbitello adjacentem CIↃ IↃ militibus, turrem, quae in extremo ſtagno poſita a Senenſibus tenebatur, Auria oppugnat, et directis ex triremi tormentis quatit: turre a praeſidiariis deſerta, liber aditus ad Orbitellum patuit; quo milite iotroducto ac commeatu, poſt arcem ab ea parte, quae continentem ſpectat, muniram, ceteris enim partibus ſtagno cingitur, Mendoza inde diſceſſit; ac mox omnino ex Italia a Caeſare revocatus eſt, in qua complureis annos ſuperbe admodum ſe geſſerat, ut, ſi diutius ibi imperium obtinuiſſet, multorum judicio res Caeſaris everſurus videretur. Praeſidiarii Orbitello impoſiti veterani paene eraot; qui, crebris excurſionibus per agrum Senenſem factis, cum aliter non poſſent, oominis Hiſpani atque adeo Caeſarei in illo ditionis Senenſis angulo dignitatem tuebantur; noſtris, qui urbem et vicina urbi loca tenebant, tam longe ſe effundere minime tutum, auctoritate regis nondum bene conſtituta, exiſtimantibus: quae ut magis firmaretur, revocato a pontifice Mignanello legato, eo rex Ferratienſem cardinalem mittit, virum longo rerum uſu oec mediocri prudentia praeditum, et quem, ut illuſtriſſima Italiae domo natum, civibus fore gratum et ob arctiſſimam adfinitatem ſibi fidum arbitrabatur. Cum Senas proficiſceretur, per Florentiam iter habuit; ubi honorificentiſſime a Coſmo acceptus, cum multa de regis amicitia polliceretur, ſi ſe medium in eo oegotio praeberet, praeter ambigua reſponſa nihil ab eo referre potuit. Quippe ille limiti firmando intentus [g] Caſſiani Fanum, quod [h] Elſanam vallem ſpectat, ſumma feſtinatione muniebat; et [i] Sanminiati montem, qui civitati imminet, ut denuo muro cingerent ac propugnaculis firmarent, Hiſpanis occultum conſilium dabat: de cetero io ſpeciem nihil hoſtile agitans. Nam de Caeſare, qui tunc in Metenſi obſidione, de qua deinceps dicemus, haerebat adverſo admodum tempore, quorſum res evaderet, ſolicitus, interea regis amicitiam colere non ſolum honorificum ſed etiam ſibi tutum exiſtimabat. Itaque cum Ferrarienſi mutua amicitiae officia ſedulo exercebat; et pediti atque equiti, qui noo exiguo numero e [k] Gallia Ciſalpina in Etruriam quotidie deſcendebat, tutum tranſitum liberaliter concedebat; diſſimulatione illa periculo, quod a victore ſuis finibus imminebat, tantiſper declinato, dooec Caeſar, cujus opera in eo oegotio egebat, verſis in Italiam armis ad communem hoſtem propulſandum vireis coojunxiſſet.

Nam

INTERPR. [a] *Orbitello.* [b] *Staggia.* [c] *Mignanello.* [d] *Tolomei.* [e] *Piombino.* [f] *Porto di San Stefano.* [g] *San Caſſiano.* [h] *Valdelſa.* [i] *Monte di San Miniato.* [k] *Lombardie.*

Nam tunc res Caeſaris in Italia admodum adflictae erant, Ferdinando Gonzaga, qui ſive ſua ſive ſuorum avaritia militi odioſus ac poſtremo toti Italiae praecipueque Mediolanenſibus inviſus eſſe coeperat, perperam negotia publica et rem militarem adminiſtrante. Cui malo ut remedium afferret Caeſar, Neapoli [a] Petrum Conſalvum evocaverat, cujus conſilio in omnibus negotiis Gonzaga uti jubebatur, non ſine occulto dignitatis imminutae ſenſu: quo fiebat, ut omnia ſegnius, ſive ob adverſam valetudinem, qua vexabatur, ſive ob conceptam inde indignationem, gererentur. Tunc [b] Volpianum in [c] Subalpina regione, cui Fridericus [d] Sabellus per Caeſaris Magii abſentiam praeerat, noſtri quaſi illud obſeſſuri duxerant, qui [e] Martini et [f] Balengi fana nuper occupata ac [g] Pontium munita loca circum tenebant; et Briſſacus cum VI CIϽ peditum et IϽ CC equitibus [h] Cerium uſque proceſſerat, eventum rei expectans; miſſiſque II CIϽ peditum [i] Cevam [1] vicinam neque ſatis bene cuſtoditam nullo negotio ceperat, et ea capta Caeſarianos commercio, atque omni ad Savonam et alia loca, quae Hiſpani tenebant, aditu, intercluſerat. Itaque Gonzaga, qui, ſeu pudore ſeu dolore victus, cum V CIϽ Germanorum, II CIϽ Hiſpanorum, CIϽ Italis ac CIϽ equitibus exierat, ut Volpiani obſidionem ſolveret, ante omnia Cevam copias ducere neceſſe habuit: quam, non expectato hoſte, quod defendi non poſſet, noſtri protinus deſeruere. Inde [k] Magius [l] Eporediam mittitur, qui opera Gallorum munitiones paſſim aedificantium impediret. Ipſe Gonzaga Martini fanum aggreditur; quod poſt XX dierum obſidionem diligentia et virtute Magii tandem expugnatum eſt, ac mox Pontium: atque ita Volpiani obſidio ſoluta eſt. Tunc et de [m] Caſalio, quod paulo ſupra [n] Auguſtam Taurinorum [o] Pado impoſitum eſt, oppugnando conſilium initum. Id Blaſius Monlucius contra reliquorum ducum atque ipſius Briſſaci ſententiam, qui locum dejectis moenibus deſerendum cenſebat, defendendum ſuſcepit; et virtute ſua ac [p] Gienſis in primis tutatus eſt. Eodem tempore [q] Verruca munitiſſimum caſtellum in Monferratenſi territorio a noſtris, duce Jacobo [r] Salvaſone, capitur: dein et [s] Alba Pompeia haud longe ad orientem in ripa [t] Tanari ſita; cujus amiſſione plus damni quam ſervato Volpiano lucri ad Caeſarianos rediit. Id autem in hunc modum accidit. Jo. Baptiſta [u] Furnarius Genuenſis oppidum praeſidio tenebat; homo immiti ingenio: ideoque, cum oppidanis admodum inviſus eſſet, Caeſar ob crebras ad ſe de eo delatas querimonias Gonzagae mandaverat, ut ipſum inde amoveret: verum is pretio corruptis Gonzagae miniſtris contra Caeſaris voluntatem praefecturam retinuerat; eoque irritatior oppidanos crudelius vexabat: unde illi deſperatione adacti cum Briſſaco conveniunt, qui rem, dum [x] Clerii eſſet, confecit, miſſis F. [y] Guſierio Bonniveto, [z] Motha Gondrinio, Franc. Bernardino et Franciſco [aa] Bricomotio, [bb] Lupo item ordinum ductore cum XIV vexillis, quibus praeerant [cc] Vetus-pontius, Torquatus [dd] Trotus, Jacobus [ee] Murator, Ventura [ff] Brandanus, primus ſecreti conſilii cum Troti legato de Alba intercipienda initi auctor. Illi per [gg] Tanarenſem portam introducti oppido potiuntur, proditione, uti jactatum fuit, [hh] Roſſini Alexandrini centurionis, qui portam noſtris aperuerat; quod tamen, cum poſtea a Gonzaga captus tormentis ſubjiceretur, confeſſione ab eo extorqueri non potuit, rei veritate celata, ob Furnarii ipſius mox ſecutam mortem, quem etiam Caeſariani ut proditionis conſcium inſimulabant. Capta Alba Bonniveto cuſtodienda datur; cui attributus [ii] Sanpetrus Corſus cum VII peditum ſignis. Id a Caſalii oppugnatione Gonzagam revocavit; qui, ut damnum negligentia acceptum

INTERPR. [a] *don Pedro Gonçalez.* [b] *Vulpiano.* [c] *Piedmont.* [d] *Savello.* [e] *San Martino.* [f] *San Balengo.* [g] *Ponte.* [h] *Ceri.* [i] *Ceva.* [k] *Ceſare Maggi.* [l] *Ivrée.* [m] *Caſal.* [n] *Turin.* [o] *le Pô.* [p] *de Gié.* [q] *Verrue.* [r] *de Salvaizon.* [s] *Alba.* [t] *Tanaro r.* [u] *de Fornari.* [x] *Chieri,* ou *Quiers.* [y] *Gouffier de Bonnivet.* [z] *la Motte Gondrin.* [aa] *de Briquemaut.* [bb] *le capitaine Loup.* [cc] *de Vieuxpont.* [dd] *Trotto.* Boivin de Villars, Mem. p. 260. l'appelle *Torto.* [ee] *Muratore.* [ff] *Brandano.* Il s'appelloit *le capitaine Venture d'Urbin.* Villars Mem. p. 241. [gg] *porta del Tanaro.* [hh] *Roſſino d'Aleſſandria.* [ii] *Sampetro Corſo.*

NOT. [1] Dele *vicinam.* Ceva eſt aſſez loing de Vulpian, veu qu'elle eſt au pays des Langues. Voyez le commencement de ce livre. *Put.*

CIↃIↃLII.

HENRICUS II.

acceptum celeritate ſarciret, continuo illuc advolat cum toto exercitu et XXIV tormentis ac III CIↃ Italorum nuper conſcriptis. Sed, cum milite et commeatu munitiorem, quam ſperaverat, locum inveniſſet, ne nullo operae pretio facto domum rediret, [a] Damiani fanum oppugnare conſtituit; contra ſentiente Magio, qui Albam, antequam a noſtris muniretur, omnimodo tentandam ſuadebat, neque tam adverſa tempeſtate Damiani obſidionem, utpote majoris molis negotium, ſuſcipi debere cenſebat. Oppidum illud a Franciſco [b] Regio Chavignio, et [c] Briccmotio tenebatur. Magna in eo pulveris ſcloppetarii, funiculi et pilarum penuria erat. Itaque confeſtim [d] Ciſternae praefecto, locus is non plus II milliaribus a Damiani Fano abeſt, negotium datur, ut per delectos milites obſeſſis neceſſaria in oppidum comportari curaret. Id a Monlucio impigro duce procuratum per [e] Charrium juvenem ſtrenuum, attributis ei L delectis ex ſingulis cohortibus, et XXX circiter ruſticis. Res erat ſummi periculi, et jam ab Italis fruſtra tentata, exiguo adeo oppido numeroſis Caeſarianorum copiis undique circundato, et crebris diſpoſitis ſtationibus, ut omnes aditus obſtructi eſſent: Charrii tamen virtuti nihil invium fuit; qui, praemiſſis ruſticis cum delectis aliquot, ipſe ſtationem aggreditur et diſſipat, moxque victor oppidum ingreſſus, traditis, quae attulerat, incolumis Ciſternam ad ſuos regreditur. Semel atque iterum pari ſucceſſu id Charrius fecit; ac tertio poſtea [f] Caupenius. Infelicius res [g] Chippio ceſſit; qui, cum Alba veniens pulverem intromittere vellet, paratiorem hoſtem nactus, amiſſo pulvere et ſuis fere omnibus, ipſe vix oppido recipitur. Jam Gonzaga XVII dies in obſidione conſumpſerat, VII dierum continua verberatione quaſſatis moenibus; et [h] Magius duobus locis cuneos egerat: ſed, horum altero ab exploratore detecto, et contrario ab oppidi parte acto, Magius periculum mortis paene adierat. Tandem cum irriti eſſent obſidentium conatus, adverſa propter hyemis aſperitatem tempeſtate, de ſolvenda obſidione actum eſt. Auctore Magio placuit, ut copiae tam pedeſtres quam equeſtres [i] Aſta evocarentur, quo citra damnum, tormentis in tutum deductis, diſcedi poſſet: noſtri abeunteis inſecuti acri certamine conflixere; ſed quod mox Germanorum Caeſarianorum adventu diremptum eſt.

VII. IN Germania poſt [k] Paſſavienſem pacificationem Caeſar, qui in animo haberet, iiſdem, quibus paene oppreſſus fuerat, viribus regem invadere, ut eadem opera de eo vindictam ſumeret, et Germanis a ſe alienatis gratificaretur, bellum pro recuperatione locorum Imperii ultimo hoc bello a rege occupatorum ſuſcipit; et ingenteis illas copias, quas Italia et Hiſpania evocaverat, atque poſtremo in Germania ipſa contra Turcos coëgerat, quaſi compoſitis ibi rebus in Pannoniam deſcenſurus eſſet, repente contra Rhenum vertit; fama ſparſa, adverſus Albertum marchionem Brandeburgicum tot civitatum et epiſcoporum atque adeo Imperii hoſtem duci. Is ſiquidem immani quadam licentia eccleſiaſticos vexabat; [l] Moguntinos et Spirenſeis in primis, quibus grandi imperata pecunia, cum dari non poſſet, utriuſque civitatis templa expilaverat: nec ſpoliatione contentus, tectum plumbeum Spirenſis aedis demoliri aggreſſus, vix deprecante urbis ſenatu deſtitit: Moguntini vero arcem Rheno vicinam, in qua hoſpitium habebat, et V templa, ac navigia omnia vino et frumento onuſta incendit: nec humaniorem ſe erga Spirenſeis negotiatores praebuit: deductiſque inde ſuis, quos ibi praeſidii cauſa impoſuerat, in Treviros proficiſcitur. Quo antequam adventaret, Georgius [m] Holius, e Caeſarianis ducibus, cum X vexillis ad civitatis defenſionem ſe obtulerat: verum a civibus excluſus, qui non tam praeſidium recuſarent, quam irritare Albertum nollent, [n] Lucemburgum, unde venerat, copias reducit: continuoque introductus Albertus V Kalend. Septembr. militem per urbem et loca propinqua diſtribuit, cum epiſcopus ad arcem in Rheni et Moſellae confluenti ſitam ſe

recepiſſet,

INTERPR. [a] *San Damiano.* [b] *le Roy, ſieur de Chauvigny.* [c] *de Briquemaut.* [d] *la Ciſterne.* [e] *la capitaine Charry.* [f] *Caupenne.* [g] *le baron de Chipy.* [h] *Ceſare Maggi.* [i] *Aſt.* [k] *le Traité de Paſſau.* [l] *ceux de Mayence & de Spire.* [m] *de Holen.* [n] *Luxembourg.*

receperat, ceteris ejus regionis Ordinum proceribus huc illuc fuga dilapſis. Dum Auguſtae Trevirorum eſſet Albertus, clauſa erant templa, nec ſacra celebrabantur. Ipſe poſt octiduum, incenſis prius aliquot coenobiis et epiſcopi arce, quae haud procul aberat, impoſito praeterea XII vexillorum praeſidio, digreditur; et [a] Sircum profectus, quod pari intervallo ab [b] Auguſta Trevirorum et Meti diſtat, Lotharingiae oppidum, Eid. Septembris, Moſella tranſmiſſo in Lucemburgenſem agrum deſcendit; et inde rurſus in Lotharingiam redit, ut ſcilicet homo venalis periclitaretur regis animum, quibus conditionibus ſecum paciſci vellet: quod Caeſari commodum accidit, ut belli Alberto inſerendi praetextu propius exercitum admovere potuerit, antequam, quid ſuae voluntatis eſſet, manifeſtius declarare cogeretur. Quod tamen nequaquam tam aſtute agebatur, quin facile conjectarent omnes, arma haec contra regem parari; quippe Caeſarem nominis et majeſtatis ſuae aſſerendae apprime cupidum, accepta tanta injuria, non conquieturum apparebat, donec inſigni aliquo facto priſtinam gloriam paene intermortuam reſtituiſſet, et ademptas nuper Imperio, uti jactabat, urbeis, Imperii viribus, quas ſecum trahebat, recuperaſſet: idque non ſolum ad exiſtimationem pertinere, ſed etiam ad res ſuas firmandas neceſſarium putabat. Et quoniam, dum continua nobiſcum bella gereret, Campaniae limite, uti debili magis parte, proſpectos ſemper hactenus in Galliam impetus feciſſet, ſi tribus illis civitatibus ac Meti praecipue tegeretur, deinceps ab externis armis omnino ſecurus ſibi futurus videbatur. Id cum praeſenſiſſet rex, mature proviſis rebus neceſſariis, ſub Auguſti menſis initium Franciſcum Lotharingum Guiſium ingenio et virtute praeſtantem ducem eo mittit, et ſummae rei praeficit.

VIII. ANTEQUAM ulterius progrediar, heic aliquid [α] de tribus illis Lotharingiae civitatibus pauca praefari ad propoſitum facere videtur. Metim in Mediomatricibus et [c] Tullum in Leucis ac [d] Virodunum in Sclabis cur noſtri occupaverint, praeter foedus cum Mauritio nuper initum, non defuere rationes, quibus id jure ſibi licuiſſe contenderent. Ac primum quidem a naturali Galliarum limite argumentum ducitur: quem etſi Germani per populorum inundationes tandem revulſum longius protulerunt, et fluminis inſtar ripas ſupergreſſi in Gallias effuſa multitudine etiam citra Rhenum Germanicam linguam ſecum intulerunt, nunquam tamen trans Moſam ſe extenderunt; ſed fere omnes illi populi mores Gallicos et linguam eandem, qua paſſim hodie utimur, hoc eſt, ex Romana detortam retinuerunt. Sed validiora ſunt, quae ab antiquitate petuntur, [1] juſta hujus cauſae. Conſtat Francos, qui circa annum Chriſti CCCCXX in Galliam deſcenderunt, iis in locis primum conſediſſe; ac ſub Merovingis, qui Francorum regnum condiderunt, et quos Carolovingi exceperunt, totam eam regionem ſub Auſtraſiae nomine Francici juris fuiſſe. Deinde, cum Ludovicus Pius Caroli Magni filius, Pipini nepos, ampla illa Italiae, Germaniae et Galliae, quae a patre acceperat, regna inter liberos divideret, regionis illius portio, quae intra Rhenum et [e] Scaldim jacet, Lothario majori natu filio attributa ab ipſo Lotharici pagi nomen ſortita eſt, anno Salutis IƆCCCLV. Eaque, praeter [f] Lotharingiam quae hodie appellatur, Lucemburgenſem ditionem, Vogeſi et [g] Arduennae ſaltus, [h] Namurcenſeis, [i] Treviros, [k] Hannonios, [l] Atuaticos et [m] Cameracenſe territorium complectebatur; atque adeo civitates illas, quae in citeriore Rheni ripa ſitae ſunt, [n] Baſileam, [o] [β] Argentinam, [p] Spiram et [q] Coloniam Agrippinae. [r] Alſatiam etiam, quae nunc dicitur, et [s] Helvetiorum pagos regnum illud comprehendiſſe multi ſcripſere. Ejus caput Metis civitas erat, ut in qua reges inaugurarentur et regia inſignia ſumerent. Poſtea

VAR. LECT. [α] de jure, quod Galliae reges in treis illas Lotharingiae civitates ſibi vindicant, pauca praefari *P. D.* o. f. [β] Argentoratum *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Kirchen* [b] *Treves & Metz.* [c] *Toul.* [d] *Verdun.* [e] *l'Eſcault.* [f] *Lorraine.* [g] *Ardennes.* [h] *Namur.* [i] *Treves.* [k] *Hainaut.* [l] *Brabant.* [m] *le Cambreſis.* [n] *Baſle.* [o] *Strasbourg.* [p] *Spire.* [q] *Cologne.* [r] *Alſace.* [s] *cantons des Suiſſes.*

NOT. [1] *potius* jura.

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

Poſtea inter Carolum Calvum Lotharii fratrem et Ludovicum Lotharii ejuſdem filium regnum ita diviſum fuit; ut pars ea, quae trans Moſam ad Rhenum pertinet, Ludovico Germaniae regi cederet; quae citra Moſam ad Scaldim uſque porrigitur, Caroli eſſet: quam eandem poſt illius obitum [a] Ludovicus Balbus filius tenuit. Sed cum nullos legitimos heredes [1] reliquiſſet, Ludovicus et Carolomannus nothi cum Ludovico patruele Galliae regnum repoſcente tranſegerunt, et portione illa Lotharici pagi ceſſerunt. Quo mortuo, Carolus Craſſus ejus frater, qui poſt Ludovici Balbi mortem in Imperio ſucceſſit, diſcerptum antea Auſtraſiae regnum, integrum adeptus eſt. Is, Francis primoribus cum admodum inviſus eſſet ob ignominioſam pacem cum Danis Normannis factam, in Germaniam confugere coactus eſt; ubi, Auſtraſia Arnulſo Carolomanni fratris [α] notho filio aſſignata, deceſſit. Hujus filius Ludovicus et poſtea Conradus imperator regnum tenuit: quo tandem dejecto ad Carolum [2] Simplicem ſucceſſio defertur. Sub eo exortus eſt Regnierius in Arduennenſi ſaltu ad [b] Clodionem Comatum genus referens, qui, cum per diſcordias et noſtrorum ignaviam creviſſet, Caroli auſpiciis Conradum Auſtraſia deturbavit. Ita dux regionis a Carolo creatus, quaſi praefectum dicas, paulatim regni nomen in ea regione obliteravit: cumque Carolus ipſe poſtea procerum factione regno Galliae depulſus eſſet, Henrici Saxonis, qui Conrado in imperio ſucceſſerat, ope in regnum reſtitutus, remunerationis loco Auſtraſiam ipſi permiſit, atque in ejus gratiam jure ſuo ceſſit, anno ſalutis IↃ CCCCXX. Henrico Otho Magnus filius ſucceſſit: cui facile fuit, captivo Carolo et in carcere Peronae mortuo, jus a patre in ea provincia acceptum firmare; quantumvis initio repugnante Adelberto Metenſi epiſcopo, qui reges noſtros proximitate contingebat. Verum, eo mortuo, cum Theodoricus Othoni proximus creatus eſſet epiſcopus, primariis civibus auctor fuit, ut rejecto unius, qui perſaepe aut durus aut incertus eſſet, dominatu, ſub Imperii nomine libertatem in poſterum colere mallent; quorum exemplo Baſileenſes, Argentinenſes, Spirenſes ac denique Colonienſes, libertatis dulcedine ineſcati, legitimum dominorum jugum, Caeſarum patrocinio freti, excuſſerunt, et ſenatu conſtituto rempublicam ordinaverunt. Ita Metim ac reliquas illas Lotharingiae civitates Otho I a Francorum regno divulſit: ut tamen Carolovingos aliquo modo placaret, Carolum Lotharii fratrem, et Ludovici ultimi ex illa propagine regis patruum, reliquae Lotharingiae ducem, ſed Imperii beneficiarium, inconſultis regni proceribus, creavit; quod adeo indigne illi tulerunt, tantumque eo facto Carolus odium in ſe concitavit, ut id in cauſa fuiſſe creditum ſit, cur regni legitima ſucceſſione, Ludovico mortuo, privaretur. Eo vero rejecto, Hugo Capetus tertiae ſtirpis, quae hodie feliciter imperat, princeps nuper in regno conſtitutus, cum Othonem potentiſſimum principem placatum habere vellet, injuriam regno potius quam ſibi factam diſſimulavit, et poſteritati vindicandam reliquit. Carolus autem ille [c] Aureliani in carcere mortuus Odonem in Lotharingia heredem habuit; quo ſine maſcula prole functo, [d] Godofredus Barbatus Arduennenſis comes provinciam invaſit, et Henrici II Caeſaris ope Odonis filias paterna hereditate exuit. Godofredo Gotelo frater ſucceſſit; et poſt eum Godofredus alter cognomento [e] Fortis, ejus filius: hujus rurſus filius Godofredus, [f] Struma appellatus, cum ſine liberis deceſſiſſet, ſororem Idam, quae Euſtochio Bullionio comiti nupſerat, heredem reliquit: ex quorum matrimonio Godofredus [g] Bullionenſis dictus ſuſceptus eſt; qui ad bellum ſacrum profecturus Alberto epiſcopo Leodicenſi, pro D. Lamberti ſodalitio ſtipulanti, Bullionenſem comitatum vendidit. Quidam etiam Metim ab eo civibus venditam ſcripſere; ſed contra hiſtoriae veritatem: quippe cum conſtet, eam diu ante,

Othone

VAR. LECT [α] nothi F. P.D. o.f.d.

INTERPR. [a] *Louis le Begue.* [b] *Clodion le Chevelu.* [c] *Orleans.* [d] *Godefroy le Barbé, comte d'Ardennes.* [e] *le Preux.* [f] *le Boſſu* [g] *de Bouillon.*

NOT. [1] Poſt verbum *reliquiſſet*, adde *uxore adhuc uterum geſtante.* *Put.*

[2] Poſt verbum *Simplicem*, adde *poſthumum Ludovici Balbi filium.* *Put.*

Othone I auctore, ſe in libertatem aſſeruiſſe, regibus noſtris aut captivis aut propter legitimum aliud impedimentum rebus ſuis ſupereſſe non valentibus.

IX. HAS igitur Lotharingiae civitates, ſive jure antiquo ad Galliae regnum pertinenteis, ſive ex foedere nuper cum ſociis Germaniae principibus inito ſibi conceſſas, ſive ne in hoſtis poteſtatem devenirent occupatas, alioqui tutando Campaniae limiti neceſſarias, rex cum retinere decreviſſet, eo Guiſium ablegavit; qui primo [a] Tullum venit, ubi omnia confuſa et inchoata reperit propter temporis anguſtias, et [b] Sclavolii adverſam valetudinem. Rebus ibi uteunque ordinatis, recta [c] Metim tendit cum Renato [d] Ellebovio fratre, Jo. [e] Guntaldo Birono, et Franciſco comite [f] Rupifulcandio ac Carolo [g] Randano fratribus: obviam proceſſere honoris cauſa Jacobus [h] Sabaudus Nemoroſii dux, Seb. [i] Lucemburgus Martigius, Franciſcus [k] Vindocinus Carnutum vicedominus, qui jam ante venerant, et Arthurus [l] Coſſaeus Gonnorius, qui poſt occupatam a rege urbem ei regendae praefectus fuerat, cum reliqua nobilitate et copiis tam pedeſtribus quam equeſtribus in aciem inſtructis. Poſtridie, qui fuit XV Kal. Septembr. Guiſius urbem luſtravit. Ea vaſto ambitu circiter IX millia paſſuum complectitur, ab occidente et ſeptentrione Moſella fluvio cincta, qui prope urbem in duos canaleis diviſus, altero muros alluit, altero in urbem per [m] Barrenſem pontem, qui altior eſt, accipitur, et per alterum, qui humilior eſt, exit: tum [n] [1] Saram fluvium excipit, qui pariter a meridie et oriente urbem cingit, et biſido curſu muros, ut et Moſella, atque urbis partem alluit. Ita undique fere civitas fluviis illis ambitur, nullis praeterea pomoeriis firmata, quod cives naturali ſatis ſe munimento tutos exiſtimarent. Ab ea parte, quae inter occidentem et meridiem jacet, quod neque Moſella Sarave allueretur, pomoeriis uteunque et ingenti propugnaculo, ſed undique obtuſo, quod ante [o] Campanam portam prominet, eam ab antiquo cives munivere, ad hodiernos uſus fere inutili: itaque curante Guiſio ex P. Strozzii, Gonnorii, [p] Sanremigii, Camilli [q] Marini ſententia, deſtructis paſſim ſacellis et privatorum aedibus, quae pomoeria occupabant, excitati ubique tumuli, ex quibus in loca urbi imminentia contraria verberatione tormentis agi poſſet; ac praecipue ad Campanam portam, in quam ex colle [r] Ezirmontio dicto praeceps deſpectus eſt, et in quam partem primos impetus hoſtem facturum rei periti conjectabant. Igitur murus ab ea parte attollitur, et foſſa interior ducitur, erectis ad utrumque latus propugnaculis, unde ruina facta hoſtem irruentem propellere poſſent. Occupatis in eo opere foſſoribus atque aliis ad id deſtinatis, Guiſius de illa parte, quae [s] Germanicam et [t] Moſellanam portam ad orientem interjacet, ſolicitus ipſe ejus curam ſuſcipit; ſuoque exemplo proceres ac nobilitatem ad opus faciendum incitans, ac ſportam humeris ſubinde geſtans, erecto pomoerio, et poſt pomoerium foſſa ducta, debilem illam urbis partem firmavit. Proxima cura de pulvere tormentario comparando et machinis bellicis farciendis fuit. Inde de commeatu in urbem importando actum, quod aegre ac meticuloſe ob vicina hoſtium praeſidia, a quibus ruſtici infeſtabantur, fiebat. Itaque ex Lotharingiae oppidis Caroli cardinalis fratris ſtudio ac diligentia in urbem abundans annona fuit illata. Ejus rei cura [u] Pedipapio et [x] Sambelinio commiſſa eſt. XII omnino in urbe ſigna erant tironum, quos aſſidua cura Guiſius diſciplinae militari et ordinibus ſervandis aſſueſecit. His actis, Strozzium ad regem mittit, qui cum de Metenſium rerum ſtatu certiorem faceret; et, quoniam Albertus Brandeburgicus propediem adventare dicebatur, de cujus fide adhuc merito dubitabatur, qua ratione cum eo acturus eſſet, ſententiam ipſius exquireret.

INTERPR. [a] *Toul.* [b] *d'Eſclavolles.* [c] *Metz.* [d] *le marquis d'Elbœuf.* [e] *de Gontault, ſieur de Biron, pere d'Armand maréchal de Biron.* [f] *de la Rochefoucaud.* [g] *le ſieur de Randan.* [h] *de Savoie, duc de Nemours.* [i] *de Luxembourg, ſieur de Martigues.* [k] *de Vendôme, vidame de Chartres.* [l] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [m] *pont des Barres.* [n] *la Seille.* [o] *porte de Champagne.* [p] *de St Remi.* [q] *Marin.* [r] *Montague d'Ezurmont.* [s] *porte des Allemands.* [t] *porte de la Moſelle.* [u] *de Piepape.* [x] *de St. Belin.*

NOT. [1] Dele *Saram*, lege *Saliam*: veu que la Seille paſſe à Metz, & ſe décharge là dans la Moſelle; & le Sar vers Treves. *Put.*

CIƆIƆLII. HENRICUS II.

reret. Ad haec, rex auxilia brevi miſſurum promittit, prudentiaeque Guiſii relinquit, quo modo ſe cum Alberto gerere debeat: neque enim deſperare, quin ſtipendiis ſuis militaturus ſit; ſed nolle ejus promiſſis nimium fidere: itaque curaret, ut, quam longiſſime fieri poſſet, ipſius copiae diverterent; ſpecie quidem commeatus hoſti venienti eripiendi; re vera, ut urbis ſecuritati conſuleretur. Interea Caeſar, relictis praeſidio VI vexillis, [a] Auguſta Vindelicorum diſcedit Kal. Septembr. et biduo poſt [b] Ulmam venit, juſſo per aliam viam incedere exercitu, ne quid damni Ulmenſibus, qui ſummam fidem ſibi eo bello exhibuiſſent, a milite per bella civilia ob ſtipendii penuriam inſolentiori daretur. Ibi cum eſſet, a [c] Moguntino, [d] Spirenſi, [e] Herbipolenſi et Bambergenſi epiſcopis, qui cum Alberto iniquis adeo conditionibus tranſegerant, ſollicitatus, pactiones illas reſcindit; inſuperque mandat, ne eas obſervent, ſed vi armata ſua recuperent. Idem et Norimbergenſibus concedit; hortaturque, ut finium adverſus communem hoſtem tuendorum cauſa foedus faciant: idem ut facerent, Suevis et Rhenanis populis auctor fuit. Ita foedus contra Albertum inter eos initum, continuoque Bambergenſis ex Alberti abſentia occaſionem captans [f] Forchemum oppidum et alia ab illo capta recuperat. Inde Caeſar per [g] Wirtembergici fineis, quo exercitum, ut Ulmenſibus parceret, tranſire juſſerat, [h] Brettam venit Palatinae ditionis oppidum, quaſi recta [i] Spiram petiturus: ſed mox ad laevam deflectens [k] Argentinam contendit. Quo cognito, ſenatus urbis ad eum legatos Jacobum Sturmium, Fridericum [l] Gotoſemum et Lud. [m] Grempium deprecatum mittit, ne cum majoribus copiis urbem ingredi vellet, ſed alio traducto exercitu a finibus ipſorum abſtineret, nec in republica quidquam mutaret. Ille humaniter acceptos a conſtantia et fide hoc bello praeſtita laudat, ejuſque rei perpetuam apud ſe fore memoriam ſpondet; et, repentini ſui adventus in Alberti depraedationes et incendia, regiſque in Alſatiam deſcenſum, rejecta cauſa, propter praecipitantis jam anni tempeſtatem neceſſarium fuiſſe demonſtrat, ut per eorum fineis copias traduceret, quo in tempore hoſti poſſet occurrere. Heic Chriſtierna [n] Lotharingiae ducis vidua, a provinciae adminiſtratione a rege, uti diximus, amota, ad avunculum venit, et inde in Belgium profecta eſt. Caeſar XVII Kal. Octobr. traductis Rhenum copiis, poſt diem quintum, cum domeſticis neque magno praeterea comitatu in urbem nunquam ſibi viſam venit; et, ſolito a ſenatu munere affectus prandioque exceptus, damna ipſorum hortis et praediis a milite illata excuſat: non enim omnibus in tanta multitudine incommodis occurri poſſe: proinde patienter debere eos ferre, quando hoc Imperii cauſa bellum ſuſceptum ſit. Inde ſub veſperam per [o] Haganoae viam in proximum vicum divertit, ac pernoctavit, Ricardo [p] Moryſino Edvardi VI et M. Antonio [q] Amulio reipublicae Venetae legatis Spiram juſſis ſecedere. Cum ibi eſſet, immane quanta damna et omnis generis detrimenta cladeiſque a Caeſarianis populares acceperunt, incendiis paſſim relucentibus, et milite obvia cuncta diripiente. Accedebant ad haec agricolarum ejulationes, agris relictis, cum conjugibus et liberis in urbem concurrentium: invidioſum utique et lamentabile Caeſari ſpectaculum; niſi Albanus, quem Caeſar propter adverſam valetudinem ſummae rei praefecerat, ſumma diligentia caviſſet, ne cui, qui hujuſmodi querimoniarum cauſa ad eum veniret, ipſius compellandi aut adeundi facultas eſſet. Caeſari eo in bello operam navabant Jo. Brandeburgicus, Adolfus [r] Holſatiae dux Daniae regis frater, Emmanuel Philibertus Caroli Sabaudiae ducis filius. Sub initium Octobris, Lotharingiae ducis, Guiſii, principis [s] Rupiſurionii alae equitum cataphractorum, cum tribus levis armaturae et VIII peditum ſignis, Metim a rege ſummittuntur: quas tamen, ne annonam conſumerent, dum hoſtis adventaret, Guiſius extra urbem per hoſpitia diſtribuit, et commeatu e longinquo in urbem deducendo inſervire voluit: et, quia

INTERPR. [a] *Augsburg* [b] *Ulm* [c] *de Mayence.* [d] *Spire.* [e] *Wirtzburg & Bamberg.* [f] *Forchheim.* [g] *du duc de Wirtemberg.* [h] *Bretten.* [i] *Spire.* [k] *Strasbourg.* [l] *Goteſheim.* [m] *Grempen.* [n] *Lorraine.* [o] *Haguenau.* [p] *Moriſin.* [q] *Amulio.* [r] *Holſtein.* [s] *de la Roche-ſur-Yon*

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

quia propter temporis anguſtias difficile erat, ut coepta munimenta ante hoſtis adventum conſummarentur, viminea dolia, trabeis, cados, tabulas ferratas, aſſeres, ſaccos lana plenos, et alios terra implendos magno numero comparari jubet; vecteis item, marras, ligones, palas, bidentes, ſportas, arietes, pluteos, crateis et cetera ad uſum neceſſaria; igneis etiam diverſi artificii parari Sanremigio imperat. [a] Ad Barbaranam portam multa extra aggerem aedificia erant, quae demoliri ſecuritatis loci intererat: id ſumma diligentia a militibus perficiebatur: horti item et praedia urbana ac viridaria urbi vicina, ne obſeſſis incommodarent, ejus juſſu dejecta ſunt: ſuburbia etiam ſanctorum [b] Arnulfi, [c] Clementis, [d] Petri, [e] Juliani, [f] Martini omnino deſtructa; templa tamen, quae extra urbem erant, ſervata in hoſtis adventum, ſuccisis tantum columnis et fulcris, ac cuneis immiſſis, ut momento, cum opus eſſet, tota moles facile deturbari poſſet: [g] Arnoldi fanum, quod ſpatioſius eſſet, et tam altum, ut ejus fornices diſponendis ad urbem verberandam machinis uſui eſſe poſſent, etiam antequam hoſtis appropinquaret, ſolo aequatum eſt. Id ſevere pro rei neceſſitate actum; ſed ſeveritatem mitigavit religioſa facti in ſpeciem parum humani expiatio: nam multa vitae ſanctimonia clarorum virorum corpora illo venerandae antiquitatis templo ſepulta, multa inſuper regum monumenta, quae inibi erant, Guiſius cum reliquis primoribus magna pompa, ipſe ante alios funale geſtans, nudo capite, ſacerdotum urbanorum choro accinente, in urbem tranſtulit; interque alia Hildegardis Caroli magni uxoris et Ludovici Pii matris; Ludovici ipſius, qui anno Chriſti IↃCCCXLI in Arnoldi fanu ſepultus fuit, ac duarum ipſius ſororum, Hildegardis, matri cognominis, et Alcidae; Drogonis item Ludovici fratris [h] Mediomatricum epiſcopi, Vitronis Lotharingiae ducis et B. [i] [t] Gloſſinae patris, Beatricis [k] Hervici Metenſium ducis conjugis, et [l] Almalardi denique Trevirorum epiſcopi, qui ſigilli magiſter ſub Carolo Magno fuit, poſt mortem in Divorum numerum relatus. Horum omnium oſſa capſis incluſa religioſe in Dominicanorum aede condita ſunt.

X. JAM Albertus [m] [a] Florangium venerat, haud longe a [n] Theodonis-villa, et III fere ab urbe milliatibus; unde cum alendo exercitui ſemel atque iterum commeatum a Guiſio petiiſſet et impetraſſet, cum tertio idem flagitaret, Guiſius miſſo ad eum P. Strozzio ſe excuſat, et belli rationem non pati demonſtrat, ut, tam vicino hoſte, cum ad ſuſtinendam obſidionem omnia comparantur, annona ex urbe exportetur: itaque videri e re utriuſque eſſe, ut [o] Salinas in Sequanos cum exercitu tranſeat, commeatu abundantem regionem, et ubi venienti hoſti incommodare poſſit. Nam Albertus hactenus bello regium nomen praetexebat; et rex [p] Fraxineum Baionenſem epiſcopum ad eum miſerat, qui de exercitus, quem ſecum trahebat, ſtipendiis ageret, et interea ejus nutus et conſilia obſervaret. Conditionem initio accepit Albertus, et viae indicem popoſcit: mox mutato conſilio, quod vereretur, ne, ſi illuc pergeret, in hoſtem incideret, Moſellam tranſmittere decreviſſe ſe refert; petitque a Guiſio, ut traducendis copiis pontem ſterni, et e ſuis captivos, qui in urbe detinerentur, liberari jubeat: id additum, ut diſſidio ex falſa cauſa colorem quaereret. Cum navigia undique conquiri juſſiſſet Guiſius, et nullos ex Alberti militibus in urbe captivos eſſe reſpondiſſet, Albertus Guiſium ad colloquium poſcit. Cum Guiſius propter demandatam ſibi provinciam urbe exire recuſaret, et Albertum, ut in urbem veniret, honorifice invitaret, ille quaſi venturus, praemiſſis ſemper pluribus e ſuis, Guiſii ſaepius expectationem fruſtratus eſt: veritusque tandem, ne Guiſium in ſui ſuſpicionem adduceret,

VAR. LECT. [a] Rorangium *P. D. o.*

INTERPR. [a] *de Ste Barbe.* [b] *St. Arnoul.* [c] *St. Clement.* [d] *St. Pierre des Champs.* [e] *St Julien.* [f] *St. Martin.* [g] *St. Arnoul.* [h] *Metz.* [i] *Ste Glocine.* [k] *Herwik.* [l] *Amelard, archevêque de Treves, chancelier de Charlemagne.* [m] *Floranges.* [n] *Thionville.* [o] *Salins en la comté de Bourgogne.* [p] *de Fresse, evêque de Bayonne.*

NOT. [t] Dele *Gloſſinae*: lege *Glodeſindis. Put.*

adduceret, ut fidei ſuae ſpecimen daret, petit, ut ad levandum exercitum tempore tam pluvioſo et incommodo machinas quaſdam et graviora impedimenta ſibi in urbe deponere liceret: quod et perbenigne conceſſum, Albertinis interim exire juſſis; qui jam ad CCCC, ſpecie res neceſſarias mercandi, in urbem ſenſim confluxerant; propoſitoque rerum venalium extra urbem foro ſecuritati loci conſultum eſt. Cum hac via non procederet, rurſus de captivis querelam inſtituit; quae a Guiſio diſſimulata, quod minime veritate niteretur, nec quidquam praeterea reſponſum eſt. Alberti conſilium erat, aut commeatu urbem exhaurire, aut Guiſium capere, ſi ad colloquium exiiſſet, aut per ſuos ſenſim intromiſſos porta occupata civitatem ipſam in poteſtatem redigere. Habebat in exercitu LXII vexilla, quae in IV legiones diſtribuerat: ac XXII praeerat Jacobus [a] Auguſtanus, XVI [b] Altemburgi comes, XII [c] Riſebergus, et Joachimus [d] Calvieius totidem: CIↃ IↃC equites cum XXX tormentis ſubſequebantur. Eum comitabantur dux [e] Bipontinus, [f] Liechtenbergae Lantgravius et Ludovicus [g] Oetingenſis comes a Caeſare, uti ſupra diximus, proſcriptus. His viribus potens operam ſuperbe venditabat Albertus, quo carius eam diſtraheret, ingenti terrore Caeſari injecto, qui jam Bipontium venerat, et CIↃ IↃ equites praemiſerat, qui noſtros meſſi colligendae intentos interciperent. Itaque ſtatim Guiſius ad Gulielmum [h] Balſaeum Interamnatem alae ſuae equitum legatum et [i] Broſſium [k] Lotharingiae ducis alae itidem legatum ſcribit, ut ad ſe quamprimum redirent, et quantum commeatus poſſent ſecum adveherent; quod ſupereſſet in horreis, extra domos exponi juſſo, ut, ſi opus eſſet, igni conſumi citra aedificiorum et ruſticae ſupellectilis jacturam poſſet: molendinorum item numerum deſcriberent, quae in itinere, quo Caeſariani incedebant, occurrerent. Ii imperata faciunt; et ad XI Kalend. Octobr. in urbem redeunt. Nec multo poſt levis armatura urbe exit; et molatrinas ac reliquam annonam per agros, quibus hoſti iter faciendum erat, incendit: rurſuſque Strozzius ad regem proficiſcitur, ut auxilia acceleraret. Apud Brandeburgicum Fraxineus nihil proficiebat, in ſpeciem amica omnia et officioſa ſpondentem, ceterum nihil certi ac definiti reſpondentem. Augebat ſuſpicionem, quod tormenta, quae fidei ſuae pignus in urbem recipi petierat, ſub id tempus repopoſcerat, et Guiſii permiſſu deduxerat. Id ex Fraxineo et Guiſio ubi reſcivit rex, Lanſacum ad eum mittit: ſed re de die in diem extracta, ille interea [l] Pontem-muſſitanum venit, ubi ad eum rurſus Jacobus [m] Carbonatius Capellabironius Momorantii juſſu, et mox Gaſpar [n] Colinius Gallici peditatus praefectus mittuntur; qui cum novis ſubinde difficultatibus in medium ab ipſo allatis nihil impetrare potuiſſent, Momorantius jam pro hoſte eum habere coepit: quo factum eſt, ut neceſſaria ac bellica tormenta in primis ſummitti non potuerint, medio eo inter urbem et regium exercitum. IV omnino fuere ſigna, quae ſecum Horatius Farneſius in urbem intulit; inductique aliqoanto poſt CC foſſores cum pulvere tormentario. Momorantius exercitum in Lotharingia habebat, cujus partem [o] Nivernio attribuerat. Is [p] Stenaei cum eſſet, et provideret, ſi hoſtis Stenacum aggrederetur, multum a [q] Viretono caſtello noceri poſſe, eo ducit; et admotis tormentis, quantumvis reluctantibus praeſidiariis, oppidum capit, et captum incendit. Ineunte menſe Octobri, cum Caeſarem tantae molis obſidionem minime coepturum multi crederent, Guiſius, qui contra, ſive praecipiti iracundia ſive rerum ſuarum fato eum rapi videret, muniendae urbi dies noctesque impendebat; et quoniam, collecta jam vindemia, ab operis ruſticis vacatio erat, vinitores magno numero in urbem accipit, quorum opera munimenta jam coepta perficerentur. Quia vero rupto [r] aggere, quo Moſellae portio in urbem derivatur, facile erat, ut aqua per canalem relictum in naturalem alveum deflueret,

INTERPR. [a] *d'Augsburg.* [b] *Altenburg.* [c] *Reiffenberger.* [d] *Calwitz.* [e] *de Deuxponts.* [f] *de Leuchtenberg.* [g] *d'Oetingen.* [h] *de Balſac, ſieur d'Entragues.* [i] *de la Broſſe.* [k] *Lorraine.* [l] *Pont à Mouſſon.* [m] *de Carbonnieres, ſieur de la Chapelle-Biron.* [n] *de Coligny, ſieur de Chaſtillon.* [o] *le duc de Nevers.* [p] *Stenay.* [q] *Vireton.* [r] *la chauſſée.*

flueret, et, canali ſine aqua deſtituto, acceſſus, qua intrat et exit amnis, utrinque in urbem hoſti pateret, molem utrobique cum propugnaculis erigi juſſit, diſpoſitis tormentis, quae hoſtem illac venientem infeſtarent. Mox et [a] Pradam, qui cum ſigno peditum [b] Rupem-Martiam ſervabat, ne hoſti ad ludibrium exponeretur, protinus revocari curavit: et quia tormenta non niſi periculoſe loco moveri poterant, ea confringi et annonam incendi arcemque ſolo aequari juſſit: negotium datum Paulo Baptiſtae [c] Fulgoſio; qui, dum [d] Theodonis-villae, qua noſtris Rupe-Martia venientibus tranſeundum erat, praeſidiarii a Nemoroſio et Rupiſuleaudio eo conſilio illuc profectis velitari dimicatione diſtinentur, incolumem Pradam cum ſuis in urbem reduxit. Tum diſtributae urbis regiones primariis ducibus ſervandae et muniendae: [e] Theobaldana porta uſque ad [f] [1] Sarae in urbem ingreſſum Joanni [g] Angiano et Lud. [h] Condaeo Borboniis fratribus, qui nuper ad tantae obſidionis famam venerant, attributa eſt; [α] Car. Borbonio [i] Rupiſurionio Moſellae pons inferior; [k] Nemoroſio tractus ille, qui a Sarae adverſa ripa ad Moſellanam porrigitur; quae ad Sarae molendina pertinent, [l] Franciſco Franciae priori, et [β] Renato [m] Ellebovio Lotharingis fratribus; [n] Strozzio, [o] Momorantio et Danvillae fratribus porta attribuitur; ac [p] Gonnorio foſſa intus ducta; Horatio Farneſio ſpatium, quod Theobaldanam et Campanam portam interjacet; [q] Rupiſulcaudio et Randano fratribus [r] moles ad portam Moſellanam erecta; Franciſco denique [s] Vindocino Carnutum vicedomino, quidquid ab altera urbis parte inter [t] Barrenſem et [u] Pontifranam portam ſpatii eſt; ceterae regiones aliis. Molae truſatiles fabricari juſſae, ſi forte averſo Moſellae et Sarae curſu molattinae, quae in urbe erant, aqua deſtituerentur. Dein et valetudinaria certa deſtinata aegrotis foſſoribus, et alia militibus ſauciis et aegrotis. Proviſum et annonae, ne a numero inutili conſumeretur; decretumque, ut cataphracti duos tantum famulos et equos duos retinerent, ſetentarii et levis armaturae equites ſinguli famulum et equum; impedimentis omnibus cum reliqua familia ad vicina praeſidia ſe recipere juſſis: ſingulis denis peditibus lixam unum, et cuique cohorti ſenos equos habere permiſſum: cives aut propter aetatem aut propter imperitiam tractandorum armorum rudes honeſta miſſione urbe ejecti ſunt: nam permiſſum iis, ut, excepta annona, omnem ſupellectilem et ex bonis, quae vellent, ſecum aſportare poſſent. Plerique cives ac ſenatores ſeu ſponte ſeu neceſſitare adacti paruere; parſque in [x] Lotharingiam, pars [y] Argentinam conceſſit. Quia vero tempeſtas ob aëris intemperiem maxime ſuſpecta erat, proviſum, ut a luto, cadaveribus et omni ſpurcitia urbs diligenter purgaretur, plauſtris et hominibus ad id peculiariter deſtinatis. Cautum item, ne tintinnabula niſi [z] Guiſii juſſu uſquam pulſarentur. Jamque Caeſar [aa] Theodonis-villam venerat, et [bb] Albanus cum Joan. Jacobo Medicino [cc] Meleniano ad [dd] Sanbarbaranum vicum uſque proceſſerat: inde XIV Kalend. Novembr. ubi contemplandae urbis cauſa propius acceſſit, [γ] et in [ee] colle, cui Bellae-crucis nomen, ex adverſo Barbaranae portae conſedit, cum IICIↃ partim Italis partim Hiſpanis, quos duo Germanorum agmina ſequebantur, et IICIↃ equitum, cognito hoſtium conſilio, Guiſius IↃCCC circiter ſcloppetarios delectos cum C equitibus Lotharingicae alae, ductore [ff] Broſſio, et CC levis armaturae, Randano duce, eruptionem facere juſſerat. Ibi poſt acrem dimicationem hoſtis, CXL ex ſuis amiſſis, retro ceſſit; deſiderato in ea ex noſtris [gg] Malinio ſtrenuo duce cum

VAR. LECT. [α] Car. Borbonio *deſunt* P. D. o. f. d. [β] Renato *deeſt* P. D. o. f. d. [γ] et *deeſt* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *le capitaine la Prade.* [b] *Roc de Mars.* [c] *Fregoſe.* [d] *Thionville.* [e] *porte de S Thibaud.* [f] *la Seille.* [g] *le comte d'Anguyen.* [h] *le prince de Condé.* [i] *le prince de la Roche-ſur-Yon, frere du duc de Montpenſier.* [k] *le duc de Nemours.* [l] *François de Lorraine, chevalier de Malte, frere de François duc de Guiſe, & grand prieur de France.* [m] *le marquis d'Elbœuf.* [n] *Pierre Strozzy.* [o] *François de Montmorency, & Henry ſieur de Damville.* [p] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [q] *le comte de la Rochefoucaud, & le ſieur de Randan.* [r] *la plateforme de la porte de la Moſelle.* [s] *de Vendôme, vidame de Chartres.* [t] *des Barres.* [u] *Pontiffray.* [x] *Lorraine.* [y] *Straſbourg.* [z] *le duc de Guiſe.* [aa] *Thionville.* [bb] *le duc d'Albe.* [cc] *le marquis de Marignan.* [dd] *de Ste Barbe.* [ee] *montagne de la Belle-Croix.* [ff] *de Broſſes.* [gg] *Maligny.* La Popelin. p. 39. l'appelle *Marigny*; & dit qu'il eſtoit Picard, & de l'ancienne maiſon de Salezart.

NOT. [1] Saliae *abique,* Put.

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

cum v militibus, et quibuſdam ſauciatis. Triduum ad Sanbarbaranum vicum commoratus Albanus ad Bellam-crucem caſtrametatur, diſpoſitis IV tormentis, quae in inſulam adverſam, Moſellae et [a] Sarae canaleis interjacentem, diſplodebantur. Cum parum proficeretur, et jam exercitus a Maria Hungariae regina ſummiſſus adventaret, Barbanſono ductore, quicum Lamorallus [b] Egmondanus, [c] Naſſovius, [α] [d] Boſſuvii comes et Henricus [e] Brederodius venerant, aggere relicto, ex eoque deductis tormentis, ad pontem [f] Manium flexo itinere venit; ibique rurſus acriter a noſtris, Nemoroſio, [g] Farneſio, [h] Carnutum vicedomino et Rupifulcaudio aliquandiu pugnatum, quo tranſitum hoſti intercluderent: ſed, cum novo ſuperveniente ſemper milite denuo proelium redintegraretur, noſtri ceſſere, hoſtiſque, Sara tranſmiſſo, [i] Arnoldi et Clementis coenobia, quae Campanam portam ſpectant, occupat. Barbanſonus vero ad [k] Caſtellionacum collem toto obſidionis tempore caſtra habuit, ut noſtrorum in eos, qui commeatum importabant, impetus arceret; et praeſidiarios ab illa parte diſtineret. Sub id Lud. [l] Avila equitatus Caeſarei praefectus tubicinem cum literis ad Guiſium mittit, explorandae urbis, ut creditur, cauſa; in ſpeciem, ut ſervum fugitivum, qui hero relicto et abducto magni pretii equo Hiſpano ad noſtros tranſierat, repoſceret: quibus acceptis, Guiſius equum jam divenditum conquiri et pretio perſoluto redemptum ad Avilam remitti curavit: quod ad ſervum, reſpondit, jam in interiora regni penetraſſe; ceterum terrae Franciae id juris eſſe, ut, quicunque ſervilis conditionis pedem in ea poſuerint, mox libertatem recuperent: quod jus adeo honorificum et Chriſtianae genti ſummopere conveniens cum violare neque debeat neque vero velit, ea in parte deſiderio ejus ſatisfacere ſe non poſſe. Paulo ante [m] Brandeburgicus, poſtquam diu regem ludificatus eſt, interventu quorundam cum Caeſare convenerat; qui, praeteritorum veniam largitus, actionem in eum belli cauſa inſtitui vetat, tranſactionemque quantumvis iniquam cum [n] Bambergenſi et [β] Viceburgenſi epiſcopis factam confirmat, Pannonica militia ei remiſſa: inſuper in ejus gratiam Ludovicis patri et filio [o] Oetingenſibus [γ] comitibus a ſe proſcriptis, Alberto item Mansfeldio ac filiis culpam condonat. Quo cognito, [p] Riſebergus eum deſerit, et ad nos cum ſua legione tranſiit. [q] Aumalius vero Guiſii frater levis armaturae praefectus ad eum, ſive ut hoſtem perſequendum ſive obſervandum ut ſuſpectum, miſſus pridie Non. Novembr. (ita enim Sleidanus ſcribit; Rabutinus vero in IV Kal. Novembr. id rejicit) [r] ponte Vincentii digreſſus, ex [s] Fraxinei ſententia, qui peditatum Alberti ob non ſoluta ſtipendia ad ſeditionem ſpectare intellexerat, cum ſua, [t] Vindocini, [u] Sancerrani comitis et [x] Annebaldi equitum alis, ac praeterea VII levis armaturae ſignis juxta Nicolai fanum, ubi Albertus proxima nocte hoſpitium habuerat, in eum invehitur, repentinaque impreſſione illius res in ſummas anguſtias conjicit. Neque vero Albertus heic ſe deſeruit; ſed, cum peditatui diffideret, equitatum vehementi oratione cohortatus, annitente praecipue Georgio Liechtenbergae Lantgravio, qui ipſius legatus ſuperiori Proteſtantium bello fuerat, animoſe reſtitit, et arte virtutem ſuorum adjuvit, equitatus parte per averſum collem noſtros jam ultra progreſſos in latus ac tergum invadere juſſa, et circumfuſos a majore numero in fugam vertit. Aumalius ipſe, acceptis aliquot vulneribus, capitur: [y] Forgeus, [z] Caſtreus, [aa] Couchius, [bb] Juncius, praecipui duces, ac CL ex nobilitate deſiderati ſunt. Fraxineus epiſcopus Baionenſis,

VAR. LECT. [α] Boſſuti *P. D. o. f.* [γ] comitibus, uti diximus, proſcriptis *P. D. o. f.*
[β] V[…] iburgenſi *P. D. o f. d.*

INTERPR. [a] *la Seille.* [b] *Lamoral, comte d'Egmond.* [c] *Guillaume, comte de Naſſau.* [d] *de Hennin, comte de Boſſut.* [e] *le ſieur de Brederode* [f] *pont de Magny.* [g] *Horatio da Farneſe, duca di Caſtro.* [h] *le vidame de Chartres, & le comte de la Rochefoucaud.* [i] *Abbayes de S. Arnoul & de S. Clement.* [k] *le Mont Chaſtillon.* [l] *d'Avila.* [m] *Albert de Brandenburg.* [n] *de Bamberg & de Wirtzburg.* [o] *d'Oetingen.* [p] *Reiffenberger.* [q] *le duc d'Aumale.* [r] *pont S. Vincent.* Rabutin & la Popelin. mettent *port S. Vincent.* [s] *de Freſſe, evêque de Bayonne.* [t] *de Vendôme, vidame de Chartres.* [u] *du comte de Sancerre.* [x] *d'Annebaud.* [y] *le ſieur de S. Forgeux.* [z] *de la Chaſtre Nançay.* [aa] *le baron de Couches.* [bb] *le ſieur de Jouy.*

Digitized by Google

Baionenſis, qui proelio interfuit, fuga elapſus eſt. Capti Renatus [a] Roanus Armoricae regulus, et [α] Joannes [b] Dous Carnutum vicedomini legatus: verum ille, cum milites inter ſe rixarentur, cui captivus cederet, a furentibus occiditur; hic, qui Latine utcunque ſciret, cum ſe omnibus ſatisfacturum promiſiſſet, furore rixantium placato, ſervatus eſt. Capti et [c] Agulius caſtrorum levis armaturae praefectus et [d] Daguerra. Eo facto, Albertus triumphanti ſimilis ad Metenſem obſidionem ſexto poſt die venit; et ad [e] Martini fanum, quod [f] Pontifranam et Maurorum portas occidentem verſus ſpectat, in Moſellae ripa caſtra ponit, commodo admodum loco, ex quo xx machinis in prato ſubjecto diſpoſitis partem adverſam continua pulſatione verberabat. Aumalium captivum ſecum adduxerat; quem ex vulneribus curatum mox in Germaniam ſub cuſtodia miſit, nec niſi biennio poſt ſub finem Aprilis dimiſit, acceptis LX CIↃ aureorum. Poſt victoriam ſtatim ad Bambergenſem epiſcopum ſcribit, et confirmata a Caeſare pacta denunciat, monetque ut fidem ſervet et oppida nuper adempta ſibi reſtituat; ni morem gerat, praefectis mandat, ut ea armis recuperent. Cum illi delectus Alberti juſſu haberent, Bambergenſis ea de re queſtus eſt apud camerae judices, qui Spiram, unde prius profugerant, quod ſe praecipue peti exiſtimarent, paulo ante redierant; ab iiſque diploma ſub exitum anni obtinuit, quo Albertinis mandabatur, ut ab armis abſtinerent. Sed neutiquam propterea quievere, uti nec contra Ulmenſes, qui mox [g] Helfeſtenum, arcem ab Alberto occupatam, cum recepiſſent, dejecto ipſius praeſidio, ne de ea in poſterum querimoniam inſtitueret, a fundamentis everterunt.

XI. Caesar ad [h] Theodonis-villam quatuor infra Metim milliaribus ſubſtiterat; unde mox tandem XII Kal. Decembr. in caſtra lectica vectus venit, et ad [i] Horniae Talangii caſtrum divertit, aedificio ex materia in eo tumultuaria opera praeparato, (nam incenſa omnia fuerant a noſtris) paulo ſupra [k] Albani hoſpitium, qui [l] Clementis et Arnoldi fana inſederat. Ejus adventu in murum directa tormenta, et VIII Kal. Decembr. trecenties diſploſa, ac poſtridie inter portam [m] Campanam et molem ad [n] Mariae fanum erectam ictus [β] CIↃ CCCCXLIII ab orto ſole ad occidentem numerati ſunt. Inde turres duae [o] Lineriae dictae et Sanmichaëlia praecipitatae ſunt; quarta, quae Campanae fere portae conjungitur, admodum labefactata. Albanus jam ante [p] Theobaldanam et Campanam portas foſſam duxerat; cumque diu ab illa parte verberationem continuaſſet, poſt multas et crebras noſtrorum eruptiones, tormenta inde deduxit, a mechanico magiſtro monitus, quem centurionis habitu exploratori ſocium addiderat, ut munimenta urbis introſpiceret. Demum omnis impetus in Campanam portam vertitur, et ex adverſo mox erecto tumulo tormenta diſponuntur, XXXVI quidem ab una parte, ab altera XV, cura et diligentia Joannis [q] Manricis tormentorum praefecti, qui ſua ſedulitate in ea obſidione multum laudis meruit. Treis continuos dies ac dimidium continuata verberatio tanto impetu, ut Sleidanus ſcripſerit, non ſolum [γ] [r] Argentinae, quae XVIII milliaribus magnis a Meti abeſt, ſed etiam a IV trans Rhenum milliari fragorem exauditum eſſe. V CIↃ CCC circiter tormentorum ictus diſploſos prodit Bertrandus [s] Salignacus, qui interfuit, et obſidionem illam dietim fere deſcripſit: his dejectum fuit cacumen turris magnae, quae ad angulum Campanae portae Moſellam verſus porrigitur, ſummo cum hoſtium plauſu primum; deinde ubi diſcuſſo pulvere viderunt multum retro ſolidae terrae ſubeſſe, quae ruinam octo pedum altitudine ſuperaret, paulum de priore laetitia remiſerunt, et difficiliorem multo aggreſſionem

VAR. LECT. [α] N. Dous P. [β] CIↃ CCCCXLVIII P.D.o. et MS. Reg. [γ] Argentorati P.D.o.ſ.d.

INTERPR. [a] *le vicomte de Rohan.* [b] *le ſieur D'O, lieutenant de la compagnie du vidame de Chartres.* [c] *d'Aiguilly.* [d] *le baron Daguerre.* Rabutin met *des Guerres.* [e] *Abbaye de S. Martin.* [f] *Pontiffray & la porte aux Mores.* [g] *Helfenſtein.* [h] *Thionville.* [i] *Chateau de la Horgne, qui eſt au ſieur de Talange.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *St. Clement & St. Arnoul.* [m] *porte de Champagne,* ou *Champenoiſe.* [n] *Ste Marie.* [o] *tours des Ligniers & de S. Michel.* [p] *porte St. Thibaut.* [q] *Manriquez.* [r] *Strasbourg.* [s] *de Salignac.*

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

aggreſſionem ab ea parte fore animadverterunt. Breviſſimi tunc dies, eoque longiores noctes erant; quo fiebat, ut utrinque ſumma diligentia, inde ſarciendis ruinis, inde promovendis foſſis et doliis vimineis ante aggerem ſtatuendis, adhiberetur, pari ſtudio ab utraque parte, manum operi admoventibus primariis viris ac ducibus. Hoc facto, cum hoſtem in [a] turrem Inferam dictam impetum de nocte facturum conjectaret Guiſius, quod ligootum faſceis et ſcalas comportari inaudiverat, excubias ad illam partem ſedulo fieri mandat; Bironoque negotium dat, ut cum parte alae equitum [b] Rupiſurionii, cujus legatus erat, ſtationem prima vigilia ageret, et [c] Interamnas in vices ſuccederet. [d] Nemoroſius idem, [e] Momorantius, [α] Carolus [f] Lucemburgicus Martigius et [g] Danvilla fecere; et ad vicinas [h] Rupiſulcaudii aedeis, ut ad omneis motus praeſto eſſent, divertere. Guiſius ubi vidit Caeſarem ita obſidioni haerentem, ut ab ea honeſte diſcedere non poſſet, Thomam [i] Delvechium ad regem mittit, qui illum omnia edoceret; nimirum eo ſtatu res eſſe, ut nihil detrimenti urbs ab hoſte accipere poſſet: itaque licere ipſi copias, quae ad [k] Michaëlis fanum convenerant, quo velit, transferre, et ad [l] Hedinum recuperandum Vindocino duci ſummittere. Id paulo ante ab [m] Antonio Croio Rutii comite deditione captum fuerat, qui Mariae reginae juſſu cum XL peditum vexillis et II CIↃ equitum in limirem noſtrum ingreſſus [n] [β] Faram ad Eſiam, quam Annebaldus defendendam ſuſceperat, primo aggredi finxit: inde ad praedas et direptiones verſus, [o] Novioduno, [p] Nigella, [q] Caunio, [r] Roia, [s] Folembraco regia magnificentia ad venationes exſtructo praetorio incenſis, retro Hedinum copias duxerat; et oppido facile potitus, arcem ab ea parte, quae ſeptum viridarium reſpicit, adoritur: contiouaque verberatione majore turre, quae prominebat, dejecta, et parte muri cuneis deturbata, nudato pomoerio, quod tamen octo pedum altitudinem ſuperabat, [t] Raſſius Sanſimo, qui praeerat, incolumem vitam et rem ſalvam ſibi ſuiſque pactus, deditionem facit; multum reclamante [u] Duria ex illuſtri Crequiana familia viro ſtrenuo, qui ruinam defendere et aggreſſionem ſuſtinere ſe paratum oſtendebat. Nec multo poſt [γ] Claudius [x] Aonebaldus [δ] ad Faram Veromaoduorum ex morbo deceſſit; vir antiquae probitatis et ab omni avaritia alienus, ob idque a Franciſco oovisſimis vitae diebus ad regni guberoacula cum F. Turnonio cardioali admotus, poſtquam [y] Momorantii pertaeſus rex, aetate inclinata moroſior redditus, magna ingenia ſuſpecta habere coepit: revocato deinde Momorantio ſub initia Heorici, a publica oegotiorum procuratione amotus, et tribunatu eqoitum exutus, priſtinam potentiam amiſit, auctoritate tamen et exiſtimatiooe ad vitae uſque exitum integris. Cum de Aomalii clade et Hedino capto nuncium ad noſtros inſolentiae plenum hoſtes perferendum curaſſeot, contrarius de [z] Alba Pompeia a Briſſaeo capta venit, qui eorum plus oimio exultantem laetitiam aliquantum repreſſit. Sub id rempus rex [aa] Durocortoro Rhemorum, ubi hactenus haeſerat, [bb] Catalaunum acceſſit; quo ad eum Momoraotius vocatus venit, relicto ad exercitum [cc] Nivernio, ut de rebus in commune conſulerent. Ibi per Delvechium intellectis Guiſii maodatis, Caſtellionaeo exercitus in [dd] Atrebares ad Hedioum recuperandum ducendus committitur: quod ſumma felicitate et diligentia peractum eſt. Nam [ee] Viodocinus, accepto a Caſtellionaeo exercitu, eo ſubito profectus, arcem partim ab illa patte, qua hoſtes illam verberaverant, partim diſpoſitis in colle, qui [ff] Tarvennam reſpicit, aliquot machinis aggreditur;

VAR. LECT. [α] Carolus Lucemburgicus *deſunt* *P. D.* o. f. d. [β] Forum ad Iſaram quam *P. D. f.* Forum ad Eſiam quod *D.* o. [γ] Claudius *deeſt* *P. D.* o. f. d. [δ] in Foro *P. D.* o.

INTERPR. [a] *la tour d'Enfer.* [b] *le prince de la Roche-ſur-Yon.* [c] *de Balſac, ſieur d'Entragues.* [d] *le duc de Nemours.* [e] *Fr. de Montmorency, fils aîné du conneſtable.* [f] *de Luxembourg, ſieur de Martigues.* [g] *Henry de Montmorency, ſieur de Damville.* [h] *le comte de la Rochefoucaud.* [i] *Delveche.* [k] *St. Michel.* [l] *Heſdin.* [m] *de Croy, comte de Roeux.* [n] *la Fere ſur Oyſe en Vermandois.* [o] *Noyon.* [p] *Neſle.* [q] *Chaulny.* [r] *Roye.* [s] *Folembray.* [t] *de Raſſes, ſieur de St Simon.* [u] *le ſieur de Dourier de la maiſon de Crequy* [x] *l'amiral d'Annebaud* [y] *le conneſtable de Montmorency.* [z] *Alba.* [aa] *Rheims.* [bb] *Chaalons ſur Marne.* [cc] *le duc de Nevers.* [dd] *Artois.* [ee] *le duc de Vendôme.* [ff] *Terouenne.*

greditur ; et, diſploſis IV CIↃ LXVI tormeotorum ictibus, deditione capit, Rutii filio vitam et res ſalvas ſuis pacto : cui tamen parens, cum illum arci imponeret, mortem interminatus fuerat, ſi ullis conditionibus deditionem faceret. Verum id poſtea XIV Kalendas Jan. actum eſt. Interea Egmondanus Caeſaris juſſu cum II CIↃ equitum et aliquot peditum vexillis [a] Tullum proficiſcitur ; [b] Sclavolioque, ut deditionem faciat, per tubicinem denunciat. Caeſaris conſilium erat, ne re omnino infecta diſcederet, ſaltem Tullum recipere ; quod propter contagionem, quae toto autumno in ea civitate graſſata fuerat, deſolatum a noſtris muniri oondum potuerat. Sed cum a Germanis id impetrare oon potuiſſet, qui ad Metim obſidendam ſolummodo miſſos ſe reſpondebaor, Egmondano, qui duobus equitum agminibus [c] Ponti-muſſitano impoſitis praerat, negotium dederat, ut ſpecie Tulli aggrediendi per Moſam tormentorum partem ſecum deduceret : jam enim de exitu deſperare coeperat, morbis inter milites graſſantibus, et penuria commeatus laborante exercitu ; qui a noſtris impediebatur, Nivernio, qui [d] Vaucolorium venerat, continuis excurſionibus pabulatores et annonarios infeſtante : quo fiebat, ut plerique ac praecipue Itali ad Nivernium transfugerent ; quos ille humaniter et liberaliter acceptos ſub Andrea [e] Maio Mauro ſtrenuo duce io cohortes diſtribuerat. Ipſe mox, quod Tullo diffideret, eo includere ſe minime dubitavit, Andrea Maio et [f] Daguerra levis armaturae duce ſecum introductis. Cum huc uſque verberatiooe continua parum profeciſſet Caeſar, licet ad XIV CIↃ ictus diſploſos ſcribant, qui interfuere, poſtico muro ſuperante integro, cuncis agi coeptum eſt : ſed partim indomito ſaxo, partim aqua ſupernatante impeditae operae, quo minus res ad exitum, qui inde ſperabatur, perduci potuerit. Interea crebrae eruptiones in Alberti caſtra fiebaot ; atque inter alias a Birono, quem pone [g] Rupiſulcaudii fratres ſequebantur, tanto impetu impreſſio facta eſt, ut pleriſque ex iis caeſis praefectus tormentorum a Monſtrolio, qui praecurſorum agmen ducebat, captus ſit. Mox et Kalendis Decembrib. a [h] Broſſio et [i] Sanlucio alae Guiſianae legato eruptio facta, in qua CC amplius ex hoſtibus deſiderati ſunt, [k] Rupifolio et Fonteralio ex noſtris amiſſis. Tot calamitatibus et incommodis a coelo, hyemis aſperitate, ac morbis, quibus innumeri milites quotidie interibant, conflictatus Caeſar, de noviſſimo impetu faciendo conſilium iniit : et, quamvis praecipui belli cooſiliarii rem auſu magnam, conatu difficilem, exitu funeſtam et damnoſam eſſe dicereot, contra tot proceres et Gallicae nobilitatis florem ac denique delectum militem aggreſſionem facere, debilitatis copiis et aoimis militum jam pridem concidentibus, ac pleriſque inter eos ob non ſoluta ſtipendia de abitu, etiam non petita venia, cogitantibus, tamen in ſpeciem tanquam ad impetum faciendum ſe comparavit ; inſtructiſque ordinibus, ſuos ante ruinam ſtatuit, ſi forte obſeſſos tanti exercitus aſpectu territos ad colloquium et ex colloquio ad deditionem pertrahere poſſet.

CIↃIↃLII.
HENRICUS II.

XII. QUO animadverſo, noſtri protinus acie pro muris inſtructa ſe oſtentaor, atque ante alios Guiſius cinctus principum et ceterae nobilitatis coetu, ſingulis ſariſſam geſtantibus : tum ubi omneis cooveniſſe videt, compoſito vultu ad eos converſus in haec fere verba orationem habuit. Niſi rex Chriſtianiſſimus hanc urbem ad res ſuas maximum momentum habere exiſtimaſſet, et in virtute veſtra, o proceres ac commilitones, ſummam fiduciam poneret, eam minime vobis contra potentiſſimum hoſtem tuendam commiſiſſet. Sed, cum fortitudinem veſtram jam a multo tempore tot proeliis ac periculis optime perſpectam habeat, noo dubitavit prudentiſſimus princeps hoc inſigne gloriae ouper bello partae monumentum, atque adeo firmiſſimum Galliae propugnaculum, fidei veſtrae et virtuti credere. Nec me, uti reor, ita mentis expertem putatis, ut tot regiae ſtirpis proceres, tot praeſtanteis genere et animis viros,

periculo

INTERPR. [a] *Toul.* [b] *d'Eſclavolles.* [c] *Pont à Mouſſon.* [d] *Vaucouleurs.* [e] *de Maie.* [f] *le baron des Guerres.* [g] *de la Rochefoucaud.* [h] *de Broſſes.* [i] *de St. Luc.* [k] *Jean Antoine, ſieur de Roquefeuil ; & Jean Jacques d'Aſtarac, baron de Fontrailles.*

periculo manifeſto et inevitabili exitio expoſitos, his mecum includi muris paterer, niſi eos ad immortale decus reportandum et aeternam hoſti ignominiam incutiendam huc a Deo vocatos eſſe conſiderem. Non enim Caeſar virium fiducia, ſed pudore ob acceptam in Germania anno hoc injuriam, ex deſperatione ultimum fortunae ſuae periculum facturus venit. Sed, ſiquidem nihil illi ſatis eſt ad inexhauſtam Gallici ſanguinis ſitim reſtinguendam et ambitionem ſatiandam, nobis contra abunde virium et animi eſt, quo juſtam, quam fovemus, cauſam, adverſus impotentis animi et corporis ſenem et iniquos ipſius conatus tueamur. Neque dubitare debemus, quin Deum propitium experturi ſimus: nam Ille eſt, qui armorum diſpenſator appellari gaudet, et qui pro cauſae aequitate vel injuſtitia dat et adimit bellantibus animos. Neque eſt, quod tantopere hoſtem horreamus, niſi pariter inaneis palmarum titulos et affectatum magnitudinis faſtum pluris facimus, quam veram neque fucatam virtutis laudem et ſua vi non aliena nixam potentiam. Quid enim, quaeſo, eſt, quod illum adeo terribilem facit? an [a] Ticinenſe proelium? Atqui victoriam hanc auſpiciis quidem ſuis ſed ſe abſente partam virtuti alienae potius, atque adeo Gallorum, pro dolor! tunc contra Gallos ſtantium, quam ſuae debet: ut poſſit jure, quidquid ad ipſum ex alterius calamitate pervenit compendii, felicitati potius adſcribi, quae ſaepe mutat, quam virtuti, quae firma et ſibi ſemper ſimilis, ſemper ſibi conſtat. Sed meliora nunc favente Deo et concordibus Gallis pro patria vireis ac vota conſociantibus augurari licet. Quid ergo praeterea eſt, quod ille tam magni facere debeat aut poſſit? An ab expeditione Tunetana triumpho ſimilem reditum? At meminiſſe eum oportet, mox victriceis illas copias citra proelium in [b] Provincia debellatas eſſe, periculoque ſuo edoctas, non ut de Mauris ſic facile de Gallica nobilitate victoriam reportari. Capta in Menapiis oppida, ipſumque Cliviae ducem pedibus advolutum jactat? At praecipitem hanc victoriatum rotam Landrecianum oppidulum, quod a noſtris tenebatur, ſufflaminavit. Sed ſinamus eum gentili ſuperbia exſultare: bis a Pannonico limite Turcum ſummotum memoret, dum ſaepius limitem noſtrum ingreſſus tam magno cum damno ſuo ac dedecore repulſus ſit. Saxonem ad Albim victum et captum jactet, dum cladis ad [c] Carinianum paulo ante a noſtris acceptae recordetur. [d] Stenacum quidem in Lotharingia nuper cepit; ſed ut operae ac ſumptuum poenitere eum debeat, cum nullo negotio mox recuperatum ſit. At [e] Mommedium, [f] Ivodium, [g] Danvillarium, [h] Rupem-martiam, [i] Bullionium et multa alia hoc anno cepimus, et adhuc in conſpectu ejus retinemus. Is eſt ergo, quem in Provincia attrivimus, ad Landrecium fregimus, in Cariniana obſidione fudimus: quibus locis primarios belli duces et praecipuum militiae ſuae robur amiſit et conſumpſit. Atqui rebus florentibus et concordibus Italorum et Hiſpanorum nec non Germanorum et Anglorum animis denique proſpera valetudine tunc bellum adminiſtrabat; nunc adverſos Anglos, Germanos infeſtos, factionibus fluctuanteis Italos, ipſos denique Hiſpanos plerumque tumultuanteis experitur. Quid vero poſt ignominioſam ex [k] Oeniponte fugam, adverſa valetudine, diffidentibus ſuis moliturum eum putemus contra victorem regem aetate florentem, proſpera ſemper hactenus fortuna uſum, concordi nobilitate ac tot validis copiis ſuccinctum. [*] Agite ergo, proceres ac commilitones, perſuaſi cauſam heic et fortunam Gallici

P. D. *o. f. d.* [*] *praeſertim in juſta cauſa; cujus conſcientia tanquam muro aheneo tuti, quid eſt, quod amplius reformidare debeamus? An crebris jam noſtrorum proeliis et eruptionibus attritus, a quibus fere ſemper inferior diſceſſit, morbis inſuper contagioſis et coeli inclementia, pluviis, gelu ac fame exhauſtis viribus, ſibi de nobis victoriam promittere queat? aut nos vincere laboribus confecto et dimidiato exercitu poſſit, qui integro et incolumi milite nihil hactenus promovit? An delectum Galliae*

INTERPR. [a] *de Pavie.* [b] *Provence.* [c] *Cerizoles.* [d] *Stenay.* [e] *Montmedy.* [f] *Ivoy.* [g] *Danvilliers.* [h] *Roc de Mars.* [i] *Bouillon.* [k] *Inſpruck.*

Gallici nominis verti. Pro aris et focis arma expediamus et imperterritis in hoſtem eamus animis, aeternum beatae vitae a Deo pro egregie navata patriae opera praemium, a munificentiſſimo principe titulos et honores, a poſteritate decus aeternum et nunquam interituram gloriam conſecuturi. Hujus orationis a maſculae eloquentiae viro habitae maxima vis apud noſtros pro tempore fuit; quos antea ſatis per ſe paratos, tunc vero cum hoſte congredi geſtienteis videre erat. Noſtrorum alaeritatem Caeſariani non tulere; ſed ſatis habuere, ſe exercitu inſtructo oſtentare, multum fremente Caeſare, qui in medios illatus, ruina conſpecta, ingemuit, et, quare in murum apertum miles non inſiliret, indignatus, cum ſtupefactos omneis et triſtitia mutos cerneret, retro ad hoſpitium conceſſit, haec ſubinde verba ingeminans, Nunc me deſertum a meis nulloſque circa me homines video. Tertia noſtrorum memorabilis eruptio ſed infelix per [a] Pontifranam et Maurorum portas a [b] Faio Balbo Rupiſulcaudii legato cum XXX tantum equitibus facta eſt; quem Helionorus [c] Cabotius Carnii comes, [d] Oartiſius, Deideus [e] Riberaeus, [f] Crequius, [g] Turſius et [h] Rupicaleſius comitati ſunt: in qua Faius ipſe et [i] Hoſpitalis Vitrius capti ſunt; Oartiſius in capite vulneratus, et Rupicaleſius in crure, ex quo vulnere quinto poſt die deceſſit. Aliquot poſt [α] diebus Lud. Avila Caeſarei equitatus praefectus cum IↃ equitibus ad ſcloppeti ictum ante portas conſtitit; juſſique Broſſius, [k] Randanus et [l] Fulgoſius, unuſquiſque cum XV equitibus progredi, attributis iis LX circiter ſcloppetariis, qui ita idoneo loco collocati ſunt, ut magnum hoſtium numerum diu ſuſtinuerint. Heic [m] Lupus Parra alae equitum Alfonſi Pimentelli ſigniſer extra ordines procedens, cum [n] Noallium ex vulnere adhuc debilem, quem ſuperiore anno in Parmenſi obſidione viderat, rogaſſet, num quis eſſet, qui virtutis periculum facere vellet, Randanus conditionem accipit, et cum Henrico Mantice Avilae legato Guiſii permiſſu infeſtis haſtis concurrit: cumque ter irrito concurſu equos admiſiſſent, quod uterque vereretur, ne in equos ictus dirigerentur,

Galliae robur, voſque ipſos regiae ſtirpis proceres, vi et armis debellare ſperet, qui milites exiguo numero Landrecii incluſos cum numeroſo, qualem modo trahebat, exercitu expugnare non valuit? aut aliena invadere, qui ſua in Lucemburgenſi agro ſervare non potuit? An ab aggreſſionibus illorum metuamus, qui noſtrorum eruptiones non tulerunt? aut valentiores futuros credamus, cum nunc ad ruinam evitentur, quam cum in aggere et ipſis munimentis toties a noſtris oppugnati ſunt? Heic igitur, heic, proceres ac commilitones, veſtigium figamus; eamque, quam veſtris omnium vultus ſpondent, animi praeſentiam ac conſtantiam ad certamen afferamus, de ipſis hoſtium triumphis, quos tantopere jactant, certam procul dubio victoriam relaturi; qui, ſi tam male conſulti ſunt, ut nos aggrediantur, fortunae, cui tantum tribuunt, hodie ludibrium, nobis vero, quos antea ſpreverant, praeſens exitium debent. Noſtrum eſt videre, ne vincendo victi fatiſcamus: nam deſperatorum eſt ad mortem obſtinare animos, et in ſanguinis tam ſui quam alieni effuſione victoriam collocare. Enimvero eos propterea contemnere non debemus: nam victis aliquando virtus ex deſperatione in praecordia redit, et negligentia victoris pulcherrimae plerumque victoriae amittuntur. Quod ſi contingeret, quod non ſinet Deus, quas ſtrageis, quas caedeis et lanienas editurum eum putemus, qui vos furore caecus non ad laudem ſed ad poenam, non ad victoriam ſed ad ultionem poſcit? Sed damno majus dedecus, ſi jam effoetus ſenex vegetos juveneis, ſi valetudinarius bene valenteis, ſi denique lectica vectus armatos vincat: meritoque non ignaviae ſolum, ſed etiam non ſervatae regi fidei ſugillabimur, qui patriam culpa noſtra hoſti prodiderimus.

VAR. LECT. [α] diebus, XV Kal. Jan. Lud. *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *portes de Pontiffray & aux Mores.* [b] *la Faye,* dit *le Begue.* [c] *de Chabot, comte de Charny* [d] *d'Ouartis.* [e] *Riberac.* [f] *de Crequy.* [g] *de Tourſy.* [h] *de Rochechalez.* [i] *de l'Hoſpital Vitry.* [k] *de Randan.* [l] *Fregoſe.* [m] *Lopez de Para.* [n] *de Noailles.* Paradin dit *Navailles.*

CIↃIↃLII. HENRICUS II. rigerentur, ita enim cautum erat, tandem Randanus in Manricis dextrum brachium illiſam haſtam fregit, haſta Manricis ſine ictu excuſſa et in terram delapſa; quam victor in urbem ſecum abſtulit. Inde crebris excurſionibus certatum eſt a noſtris, Randano in Albertinos, Noallio per Moſellanam portam inter Barbanſonum et Albanum in pabulatores quotidie eruptiones facientibus: inter quas praecipua ea fuit, quae quinto die poſt a [a] Carnutum vicedomino facta eſt, quem [b] Interamnas et Broſſius ſubſequebantur, et Condaeus ipſe ac Farneſius, quamvis privatorum equitum habitu: in ea ex Albertinis xxxv equites ac totidem fere pedites occiſi. Tandem intemperie coeli victus Caeſar obſidionem ſolvere decrevit: quod ubi a Guiſio animadverſum eſt, Noallio cum xv equitibus praemiſſo per Moſellanam portam, P. Strozzium cum levi armatura ſubſequi jubet, quem pone ſequebatur Rupiſurionius cum cataphractis: cum his Strozzius in cccc equites, qui, ut noſtrorum eruptiones prohiberent, inter Barbanſoni et Caeſaris caſtra ſtabant, impreſſionem facit, et, in ipſius Caeſaris conſpectu multis occiſis, xxx capit, reliquos in fugam vertit. Demum Caeſar Kal. Jan. ex contagione aut frigore deſiderata paene tertia exercitus parte, et, ut creditum fuit, xxx CIↃ hominum, diſcedit, et [c] Theodonis-villam proficiſcitur, deductis una tormentis, quorum majorem partem jam ante praemiſerat: eum poſtridie ſecutus eſt [d] Albanus; moxque noſtri egreſſi, ſi forte abeuntem adſequi poſſent, molatrinarum ponte nequicquam abſciſſo, in caſtra Caeſaris et Albani deflectunt; ubi longe alio quam antea ſenſu affecti ſunt, et lamentabili ſpectaculo mitigatis animis odium in miſericordiam vertit. Nam paſſim videre erat ſemineces per vias et in luto volutanteis ſe, multorum item inſepulta cadavera: plura tellure quidem condita, ſed quorum membra humo imbribus diſſoluta ad ſpectantium horrorem exſtabant. At Guiſii humanitate factum eſt, ut utrique ſatisfactum ſit; mortuis terrae ac ſepulturae mandatis; reliquis ſumma diligentia curatis, et commodatis illico navigiis Theodonis-villam deductis; pleriſque etiam, quod viae laborem ferre non poſſent, in urbem acceptis. Nondum Albertus caſtris ſe moverat, in quibus praecipue contagio graſſata fuerat: itaque Guiſius diſpoſitis in inſula, quae utrinque Moſellae canalem interjacet, v tormentis, cum multum damni dediſſet, Albertus tandem quinto poſt die, poſtquam omnia ſua tormenta praemiſit, viae ſe dedit; quem initio inſecutus Bironus paene a multitudine circumventus eſt. Dein, ubi ſe periculo explicuit, re bene geſta, ad ſuos revertitur. Poſtridie Carnutum vicedominus navigia duo inſtruit; et ſecundo flumine adductis ſecum xxx equitibus ac totidem ſcloppetariis uſque ad hoſteis defertur, qui palantes ac ſingulares fere incedebant. Ibi in ripam aliquot e ſuis exponit; qui veſtem militarem campeſtribus et penulis tegentes quatuor hoſtium catros invadunt, et captos, ut in navigia tutior receptus eſſet, pro vallo in fronte collocant: deinde, ut ſeni aut octoni occurrebant, ſingillatim eos prenſantes, compendioſiorem viam fluminis oram legentibus eſſe dicebant; et ita a via in inſidias facile abducebant: quos alii, dolum ſubeſſe minime ſuſpicati, pari numero ſingillatim ſequebantur; ut noſtri aliis in ulteriorem ripam tranſportandis, aliis exarmandis, nihil enim in eos inclementius actum eſt, et ſervandis captivis intenti vix ſufficerent, et duarum horarum ſpatio jocoſo hoc aſtu cccc fere hoſtibus illuſerint; donec ab Hiſpano, vicedomini humanitate capto, quod honeſta forma juvenculam Germano, eam uxorem duxiſſe conteſtanti reſtitui, juſſiſſet, admoniti, prope eſſe Hiſpanum equitatum, receſſerunt. Digreſſis hoſtibus, [e] Nivernius [f] Tullo, ac mox [g] Santandreanus equitum tribunus [h] Viroduno in urbem venerunt, ut Albertinos inſequerentur: ſed ſerius, quam ut jam longius progreſſis tam iniquo tempore incommodare poſſent. Multa interim licenter, praetextu pabulatores Caeſarianos intercipiendi, per Lotharingiae oppida et [i] Rambervilleriae in primis acta; [k] [1] Spinacii item

INTERPR. [a] *de Chartres.* [b] *d'Entraguet & de Broſſes.* [c] *Thionville.* [d] *le duc d'Albe* [e] *le duc de Nevers.* [f] *Toul.* [g] *le mareſchal de St. André.* [h] *Verdun.* [i] *Rambervilliers.* [k] *Eſpinal*
NOT. [1] Spinalu *Put.*

irem et [a] Remiremontii plurima in locorum illorum virgines religioſas contumelioſe admiſſa ab Italis, qnos in cohortes a Nivernio nuper diſtributos ſub Maio Mauro militare diximus. Obſidione ſoluta, ſupplicationes publicae pro re feliciter geſta ad templa fiunt; et, addito hoc ad pietatem cumulo, poſtridie Lutherani libri per urbis domos diligenter conquiruntur, et Guiſii juſſu palam a carnifice cremantur. Revocati mox cives, qui Guiſii permiſſu urbe exceſſerant. In urbe relicto legato, Guiſius in aulam revertitur.

XIII. CAESARE adhuc in Metenſi obſidione occupato, Wolradus Mansfeldius Alberti filius, qui Alberti Brandeburgici auſpiciis militabat, dum is adhuc noſtras parteis ſequeretur, Henrico Brunſvico bellum infert, et eum univerſa prope ditione ſpoliat; unde ille opem implorans, ſed alieno tempore, ad Caeſarem venit. Parte alia Wolfangum Ordinis Teutonici magiſtrum Wirtembergicus male mulctavit, uno et altero oppidis ereptis, donec ſumptus in bellum nuper ab eo contra illum facti ſibi reſarcitentur. Belli haec cauſa fuit. [b] Elvangi locuples admodum praefectura eſt, cujus ubi poſſeſſor mortem cum vita commutaſſet, collegii illius ſodales, quibus jus eſt praefectum eligendi, nobilem quendam eligunt, ſpreto Wolfango, qui illam multos jam menſeis ambiverat. Praeteritionis injuriam tulit ille indigne, et Elvangi oppidum ex improviſo capit. Sed Wirtembergicus, implorantibus ejus opem, ut collegii defenſoris, ſodalibus, confeſtim copias cogit; et, quamvis media hyeme, momento Elvangum recuperat, dejecto inde Wolfango, captis etiam pluribus illius oppidis, quae non niſi depenſis XXX CIↃ aureorum poſtea reſtituit. Haec quod injuſſu Caeſaris, contraque eos, quos fovebat, palam fierent, magna cum illius contumelia fieri omnes judicabant.

XIV. HOC anno multi natalium ſplendore aut doctrinae atque eruditionis fama excellentes ultimum vitae diem clauſerunt. Henricus [c] Megalopolenſis dux admodum ſenex, poſtquam ditionem ſuam XLVIII annos in pace gubernaſſet, VIII Eid. Febr. deceſſit. Et Hermannus ex illuſtri [d] Wedenſium comitum familia [e] Biverini, ſuae ditionis oppido, jam ſenio gravis Eid. Sextil. obiit; vir miti ingenio, qui, ſuorum periculo potius quam rei familiaris ac dignitatis diſpendio territus, ultro Colonienſi archiepiſcopatu ceſſerat. Eberardus quoque [f] Bilichius [g] Tridenti, quo ut concilio intereſſet venerat, Eid. Jan. deceſſit; ob ingenii in enodandis ſacrae doctrinae perplexis quaeſtionibus ſubtilitatem magni nominis [α] theologus. Nec multo poſt [h] Wratiſlaviae in Sileſia obiit Joan. Coclaeus, [i] Norimberga natus; inſignis theologus, et multis atque eruditis pro canonicae ſcripturae et eccleſiae catholicae auctoritate ſcriptis editis clarus; praeterea acer in diſputando, et in comitiis ac colloquiis [k] Auguſtae, [l] Ratiſponae ac [m] Wormatiae ſaepius cum principum Proteſtantium theologis magna cum laude congreſſus. Ex Proteſtantium numero Gaſpar [n] Hedio Eſlingenſis, qui [o] Baſileae primum et [p] Moguntiaci eccleſiaſten egerat, dein Lutheri doctrinam amplexus ſe Matthiae Zellio, qui ante quadriennium mortuus eſt, et Martino Bucero adjutorem praebuerat, poſtquam [q] Argentinae XXIV annos docuit, XV Kalend. Novembreis fatis conceſſit. Quo eodem die Andreas Oſiander [r] Regiomontii in Boruſſia ad mare ex hac vita quoque migravit, cum ante quinquennium Norimberga eo confugiſſet. Is ibi novum dogma propoſuit; et hominis juſtitiam non a fide, ſed a Chriſti in nobis inhabitantis juſtitia pendere ſcripſit; ejuſque ſententiae auctorem Lutherum laudavit: cumque

VAR. LECT. [α] theologus: quae ſcientia a Chriſtiana pietate aliena et priſci aevi patribus incognita, uti hodie a pleriſque exiſtimatur, ita magna ingenia eam ſaepius curioſa rerum inutilium indagatione corrumpere conſtat, dum elatiores quam meliores homines reddit, et ab amore mutuo, qui demiſſione animi et vera ſuae cujuſque tenuitatis conſcientia inter nos fovetur, ex hujus novae ſcholae fermento ceterorum contemptu contracto inflatos abduxit. Nec multo poſt Wratiſlaviae *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Remiremont.* [b] *Elwangen.* [c] *de Mecklenburg.* [d] *de Weide.* [e] *Bivorin.* [f] *Billich.* [g] *Trente.* [h] *Breſlau.* [i] *Nuremberg.* [k] *Augsburg* [l] *Ratisbonne* [m] *Wormes* [n] *Hedion d'Eſlingen.* [o] *Baſle.* [p] *Mayence.* [q] *Strasbourg.* [r] *Konigsberg en Pruſſe.*

CIↃIↃLII. HENRICUS II.

cumque multos adverſarios haberet, et Joachimum Metlinum in primis, qui Lutherum nunquam ita ſenſiſſe affirmabat, Alberti tamen Brandeburgici Boruſſiae ducis favore adjutus obtinuit, et Merlinum finibus excedere coëgit: tum libris editis ſententiam ſuam quamvis a recta doctrina alienam confirmavit; et, cum Lutheri ſcripta contra ſe facere videret, in ipſum Lutherum debacchatus, cum et Philippum Melanchthonem, ut novae atque adeo Ariſtotelicae theologiae conditores, quae carnem potius quam ſpiritum redoleret, probris ac virulentis ſcriptis proſcidit; quibus et hoc erroneum dogma admiſcuit, quo adſetit, Chtiſtum, etiamſi per ptimi parentis peccatum non fuiſſet perditnm genus humanum, naſciturum tamen nihilominus fuiſſe. Obiit et anno climacterico ſuo peſte correptus [α] Baſileae Sebaſtianus [a] Munſterus, [b] Engelhemii natus, olim Tubingae in Franciſcanorum ſodalitio profeſſus, poſtea abjecto cucullo Proteſtantium doctrinam amplexus. Is in mathematicis multum profecerat, praeceptore uſus Joan. Stoeflero [c] Juſtingenſi, inſigni mathematico, qui poſt longam multorum annorum vitam Tubingae ante XX annos deceſſit: poſtea vero ſe totum Hebtaicae linguae et ſacris libris addixit, multis editis in utraque ſcientia monumentis de republica optime meritus, adeo ut Germanus Eſdras ac Strabo appellatus ſit. Deceſſit et hoc anno XI Kalend. Maias Ingolſtadii ad Danubium, ubi profitebatur, Petrus Appianus [d] Benevicius [e] Leiſnicae in Miſnia natus, aſtronomicae rei ſcientia noſtro aevo clariſſimus, quam ſcriptis et novorum inſtrumentorum ſummo ingenio et accurata fide fabricatorum inventione illuſtravit; atque illo Caeſareo organo in primis, quod Carolo V dicavit, eo nomine magnam laudem conſecutus, et dignitate a Caeſare ipſo auctus. [β] Aliquanto poſt, pridie Eid. Novembr. Jodochus Villichius philoſophiae ac medicinae ſtudiis celebris, [γ] et vel Magirica ſua a Conr. Geſnero publicata ad poſteritatem commendabilis, [f] Francofordiae ad Viadrum e vita demigravit. In Italia vero [δ] IV Eid. Febr. [g] Patavii fatis conceſſit Lazarus [h] Bonamicus Baſſanenſis jam provecta aetate, [ε] quippe LXXIII annum attigerat; in ea celeberrima totius Italiae academia per XXI annos ſumma cum omnium admiratione profeſſus, et ob antiquitatis exactam cognitionem, omnigenam eruditionem, raram eloquentiam et acre judicium tam ab Italis quam a peregrinis, quamdiu vixit, magna dignatione, et merito quidem, habitus: [ϛ] mortuum laudavit Hieron. [i] Niger Venetus oratione extemporanea poſtridie habita. [ζ] Idem menſis ultimus fuit Lilio Gregorio Giraldo, patria Ferrarienſi, utriuſque linguae et omnis politioris literaturae et antiquitatis, quam [η] variis ſcriptis illuſtravit, longe peritiſſimo; qui fortunae et corporis adverſitatibus, meliore utique fato dignus, tota vita conflictatus eſt; in direptione urbis, cum in Herculis Rangonii cardinalis familia eſſet, bonis ejectus, et, quod potius re omni ducebat, amiſſa ſupellectile libraria; eandemque denuo fortunam aliquanto poſt expertus, cum Joannes Franciſcus Picus Mirandulae comes, cui et ille operam navabat, immani paricidio a Galeoto gentili ſuo occiſus eſt. Inde cum ſe in patriam recepiſſet, cum Joanne Manardo et Caelio Calcagnino viris doctiſſimis conjunctiſſime vixit, arthritide ſaeva diu vexatus, praecipue a morte Manardi, ita ut non ſolum pedibus aegre ſe loco moliri ſed manibus debilitatis ſcribere omnino non poſſet, ac ne libros quidem evolvere, ad extremam ſenectutem, non ſolum tenuitate miſeram, [θ] in qua a Renata Ferrarienſi ſublevabatur, ſed ſine literis, in quibus vir doctus ſuperiorem vitam exegerat, moleſtam, aetate perducta; tandemque, cum annum [ι] LXXIV ageret,

in

VAR. LECT [α] Heidelbergae *P. D. o. f. d.*
[β] *Villichii elogium deeſt* *D. f.*
[γ] et vel magirica ſua a Conr. Geſnero publicata ad poſteritatem commendabilis *deſunt* *P. D. o*
[δ] III *P.*
[ε] quippe qui LXXVI *P. D. o.* qui LXXVI *D. f.* quippe LXXVI. *D. d.*
[ϛ] mortuum laudavit Hieron. Niger Venetus oratione extemporanea poſtridie habita *deſunt* *P.*
[ζ] *Hoc Giraldi elogium, non in eodem ordine, ad finem lib.* IX. *legitur in* *P.*
[η] plurimis et variis *P.*
[θ] in qua a Renata Ferrarienſi ſublevabatur *deſunt* *P.*
[ι] LXXVI *P.*

INTERPR. [a] *Munſter.* [b] *Ingelheim.* [c] *de Juſtingen.* [d] *Bienewitz.* [e] *Lauſſnitz en Miſnie.* [f] *Francfort ſur Oder.* [g] *Padoue.* [h] *Bonamico di Baſſano.* [i] *Negro.*

in grabato ſuo deceſſit; in monumentum, quod ſibi in majore urbis templo vivus paraverat, a Cynthio Joanne Baptiſta Giraldo gentili et Proſpero Paſerho heredibus ex aſſe inſtitutis illatus. Exeunte dein anno III Eid. Decembreis obiit Florentiae Paulus Jovius, luculentus hiſtoriarum ſcriptor; ibique in Laurentii fano ſepultus. Is [a] Novocomo in Inſubribus natus, ac medicinam primo profeſſus, Clementis VII beneficio [b] Nuceriae epiſcopus creatus fuerat: cumque ad Novocomenſem epiſcopatum omnibus votis anhelaret, ſuaeque erga Mediceam familiam, in cujus laudes adeo profuſus fuerat, obſervantiae deberi id, meritorum fiducia, putaret, tamen ab eo obtinere non potuit: quod in cauſa fuiſſe plerique credunt, cur Clementem in hiſtoriis avaritiae et tenacitatis inſimulet, cum alioqui homo gratioſus ſe paſſim obnoxium prodat, eoque nomine ipſi in pleriſque rebus fides derogetur, quod ad gratiam et in odium ſcripſiſſe et venalem calamum habuiſſe fere omnibus perſuaſum ſit. Conſtat certe eum a Franciſco I literarum parente et doctorum ingeniorum fautore eximio honorificam penſionem quotannis accepiſſe; Momorantium vero magiſtrum equitum et [c] magnum palatii magiſtrum, cum, Henrici II initiis in aulam revocatus, pro munere domeſticorum regiorum numerum recenſeret, Jovii nomen induci juſſiſſe; ex eoque tantam indignationem illum concepiſſe, ut multa in Momorantii invidiam libro hiſtoriarum XLI inſereret; id alioqui minime facturus, ſi eundem, quem ſub Franciſco meruerat, Momorantii favore ab Henrico honorem et honorarium conſequi potuiſſet. Vixit annos LXIX, menſeis VII, dies XXII. Abſtulit et idem annus magnum Hiſpaniae lumen Ferdinandum [d] Nonium, [e] Pincia [1] Vaccaeorum oppido natum, atque inde nomen vulgo ſortitum, e nobiliſſima Guſmanorum gente oriundum: qui, cum ſub Aelio Antonio [f] [2] Nebriſſenſi in patria, in Italia [g] Bononiae ſub Philippo Beroaldo, literis humanioribus operam dediſſet, et Graecam linguam, ad quam eo ſaeculo fere incognitam incredibili ſtudio ferebatur, inibi didiciſſet; inde comparatis magno pretio exemplaribus Graecis domum reverſus, primus linguae illius, qua omnis fere eruditio continetur, uſum in Hiſpaniam intulit; et Ferdinandi regis, qui patris ipſius in aerarii praefectura ſedulo adminiſtrata fidem probaſſet, favore ſubnixus, cum ad honores virtutis via graſſari poſſet, ſtudia literarum vitae civili praetulit, et Franciſco Ximenio cardinali, cujus pietati et animi magnitudini tantum Hiſpania debet, operam ſuam et induſtriam in procudenda illa ad omne aevum duratura bibliorum editione addixit; et poſtea Demetrio Lucae Cretenſi, quem cardinalis ille, ut literas Graecas in nova academia a ſe ingentibus ſumptibus [h] Compluti in Carpetanis paulo ante inſtituta profiteretur, ex Italia evocaverat, in eo munere ſucceſſit; dein [i] Salmanticam divertit, alteram tota Hiſpania maxime famoſam academiam, in qua et literas Graecas ac Latinas profitendo conſenuit, editis, Hermolai [k] Barbari aemulatione, in Plinium, Melam et Senecam populareis ſuos commentariis. Quod ad mores, vir pius et verax, ſed dicax et aliorum acerrimus cenſor; de cetero faſtus omnis ac gloriae contemptor fuit: vixit coelebs et abſtemius, frugali, ſed citra ſordeis, menſa amicos ac diſcipulos excipiens; tandemque octogenario major, legata ſcholae bibliotheca, quam inſtructiſſimam habebat, et erogatis in pauperum uſum facultatibus, placide in Deo obdormivit; ad B. Suſannae humili ſacello juxta portam rivalem, qua ad [l] Tormim fluvium itur, ſepultus; ubi et ejus tumulo quatuor, nec plura, ſic enim extremis tabulis mandaverat, verba inſcripta ſunt, MAXIMUM VITAE BONUM MORS.

INTERPR. [a] *Como en Lombardie.* [b] *Nocera.* [c] *grand maitre de la maiſon du roy.* [d] *Nunez.* [e] *Valladolid* [f] *de Lebrixa* [g] *Bologna.* [h] *Alcala de Henarez au royaume de Tolede* [i] *Salamanca.* [k] *Barbaro.* [l] *Tormé r.*

NOT. [1] *Vaccaeorum.* Pars Caſtellae veteris. *Put.* [2] *Nebriſſa* Hiſpaniae Baeticae urbs, hodie *Lebrixa.* Taraſa vocat *Nebrixa* o *Nebrija.* *Put.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER DUODECIMUS.

EPITOME.

ALBERTUS *epiſcopos infeſtare pergit, nequicquam contra Caeſare per epiſtolam monente, ut ab injuria abſtineret, qui nihilominus publicato ſcripto bellum in Franconia perſequitur.* II. *Ob id inſtitutus Francofurti conventus.* III. *Inde Albertus in Saxoniam deſcendit; cui a Mauritio bellum denunciatum: poſtque rem ſcriptis utrinque agitatam ad manus ventum in Hildeſemia dioeceſi ad Peinam Luneburgenſis agri caſtrum, cruenta admodum commiſſa pugna, in qua victor Mauritius cecidit.* IV. *Ejus mores, ingenium, praeclare et ſecus facta foris et domi.* V. *In ſeptemviratu Auguſtus frater tunc abſens apud Daniae regem ſocerum ſuccedit, quantumvis renitente Jo. Friderico gentili, qui eo ſpoliatus fuerat; mox et cum Alberto Brandeburgico ſub id ab Henrico Brunſvico ſuprema clade affecto reconciliatur. Brunſvicae obſidio ſoluta certis conditionibus,* [1] *quae poſtea ab Alberto remiſſae ſunt: ipſe tandem a Spirenſi camera proſcribitur.* VI. *Tarvennae obſidio et, capta urbe, demolitio. Captus Franc. Momorantius, qui Deſſio occiſo urbi praeerat.* VII. *Hedinum eodem ſucceſſu captum, magna cum Gallorum ſtrage, deſiderato inter alios Horatio Farneſio Caſtri duce, qui nuper Dianam regis naturalem filiam in uxorem duxerat. Captus Rob. Marcianus Bullionius equitum tribunus, qui locum tuebatur.* VIII. *Caeſarianorum ſecuta ad Durlanium ſtrages, Anna Momorantio duce,* [2] *et capti Spinoii princeps et Araſchoti dux et adempta hoſti* VII *ſigna, exiguum ſuperiorum cladium ſolatium. Bapalmae et mox Cameraci irrita obſidio.* IX. *Contra Senenſes, qui ad nos defecerant, inſtauratum bellum, duce Garcia Toletano. Primi ejus ſucceſſus. Montis Ilcini irrita obſidio.* X. *Res in Subalpina provincia geſtae. Fruſtra tentata Bena a Fr. Gonzaga. Curtemillia et Ceba a Briſſaco captae. Vercellarum direptio, paulo poſt Caroli Sabaudi mortem.* XI. *Bellum Etruſcum excipit Corſicum. Jus quod regibus Francis in Genuenſeis competit. Paulus Thermus, qui in Etruria rem gerebat, Corſico bello praefectus. Claſſis Turcica auxiliaris, Polinio et Dragute ducibus. Bonifacio dedito, Calvium tentatum. Florentii fanum et Baſtia a Genuenſibus recipiuntur.* XII. *Domeſtica ex actis publicis.* XIII. *Renovata contra Sectarios ſupplicia.* XIV. *Michael Servetus Tarraconenſis Genevae morte affectus.* XV. *Virorum clarorum mortes; Joannis Rivii, Eraſmi Reinholdi, Jacobi Sturmii, Joan. Dubravii epiſcopi Olmucenſis, Jo. Baptiſtae Egnatii, Hieronymi Fracaſtorii.* XVI. *Iſabella in Pannonia res ope Turcorum turbat. Caſtaldus ob provincialium odium e provincia decedit.* XVII. *In Oriente Solymanus rebus ſuis metuens in Syriam proficiſcitur, et Muſtafam grandiorem natu filium inſtigatu Roxolanae novercae ac Ruſtani purpurati Alepi ad ſe vocatum necat. Zeangir fraternae caedis impatiens ſive in caſtris ſive Conſtantinopoli moritur: et mox pueri filii a Muſtafa relicti, qui Pruſiade educabatur, ab avo imperata caedes, et ab Ebraimo invito patrata.*

Ex

NOT [1] Dele *quae poſtea ab Alberto remiſſae ſunt, ipſe*: lege *Albertus*. *Put.* [2] Dele *et capti Spinoii princeps et Araſchoti dux*: lege *in ea deſideratus Spinoii princeps, et captus Araſchoti dux*. *Put.*

Ex AUCTORIBUS,

Jo. Sleidano, Joach. Camerario, Geor. Fabricio, Franc. Rabutino, Gul. Paradino, Jo. Bapt. Hadriano, Blaſio Monlucio, Jul. Goſſelino, Luca Contili, P. Anton. Philippinii Corſica hiſtoria, Actis publicis, Aſc. Hortenſio Centorio, Joan. Leunclavio, Aug. Giſlenio Busbequio, Michaele Ricio, Philippo Comineo.

LIBER DUODECIMUS.

INITIO ſequentis anni, qui fuit a partu Virginis CIↃ IↃ LIII, Robertus [a] Lenoncurius cardinalis Metim, cujus erat epiſcopus, venit; et omnem juriſdictionem ſibi vindicat, inſtituto novo ſenatu ex iis fere civibus, qui noſtris partibus addicti erant, nonnullis etiam ſacri ordinis in illum cooptatis; et [b] Marſallum in Germaniae limite ſitum operibus et Gallico praeſidio firmat. Nec multo poſt rex pridie Kal. Mart. epiſtolam ad Imperii principes et ordines ſcriptam evulgat; qua Caeſarem in odium ac Germaniae contemptum conabatur adducere: non enim amplius ab eo metuendum eſſe, cujus attritae vires et multorum annorum artes retectae ſint; ad haec, qui valetudine tam improſpera ſit, ut precariam animam trahere videatur: ſe vero eodem, quo ſemper fuerit, erga Imperii ordines animo futurum, hoc eſt, amico et liberali; et, licet multi ingentibus beneficiis a ſe affecti parum ſincera fide vicem rependant, non tamen ab officio et reliquorum amicitia propterea diſceſſurum. Superabat Alberti et epiſcoporum ac civitatum valde impeditum negotium; quod, abſente Caeſare, et nemine, qui apud utroſque auctoritate valeret, ſe medium interponente, Germaniae tranquillitatem turbabat. Nam Albertus, poſtquam in [c] Treviris aliquandiu hyemavit, accepto a Caeſare ſtipendio, inde diſcedens rurſus in Germaniam redit, ut epiſcopos ac civitates infeſtis armis perſequeretur. Itaque [d] Bambergenſis XIII Kalend. Mart. a Spirenſi ſenatu diplomata impetraverat; quibus mandabatur nobilitati per Franconiam, et [e] Norimbergicis, item Palatino ſeptemviro et Jo. Friderico tanquam finitimis, ut opem ei ferrent. De quibus ubi cognovit Albertus, crebris literis Caeſarem et primarios ejus conſiliarios [f] Albanum [g] et Atrebatenſem interpellat, ut tranſactionem cum epiſcopis factam et a Caeſare confirmatam tueri velint, poena epiſcopis, niſi pareant, denunciata. Ad eas a Caeſare reſponſum III Eid. Martias; tranſactionem illam a ſe confirmatam non inficiari, ſtipendium quoque liberaliter perſolutum eſſe magno ſuo cum diſpendio; quippe, cum ceteri nihil acciperent, magnas idcirco querimonias excitatas eſſe: ſed ſperaſſe ſe futurum, ut ſic res componi poſſet; eaque de cauſa legatos antea ad epiſcopos miſiſſe, et hortatum eſſe, ut nihil moverent: cum vero recuſaverint, et ad ſe ac ſeptemviros et cameram provocaverint, non potuiſſe eis juris beneficium denegare; praeſertim cum in nonnullorum ſuſpicionem venerit, quaſi ipſius cauſam adverſus eos tueatur: itaque, ſi ejus precibus acquieſcat, et illos pacta ſervare jubeat, fore, ut et inique facere dicatur, et ſuſpicionem de ſe majorem excitet; quippe cum ſui muneris eſſe ſciat, jus aequabiliter omnibus adminiſtrare, et ne cui vis fiat prohibere: igitur e re communi videri ſibi, ut rationes ineantur, quibus hoc negotium amice componatur; quod ut facilius et majori cum fructu peragatur, mandaturum ipſius cognatis [h] Baioariae duci et Wirtembergico, ut ſe interponant: graviter quidem datis ad ſe literis conqueſtos eſſe epiſcopos; nihilominus confidere, non repudiaturos actionem: unice ſtudere ſe Germaniae tranquillitati; ob idque diſ-

ſidii,

CIↃIↃLIII.

HENRICUS II.

INTERPR. [a] *de Lenoncourt, evêque de Metz.* [b] *Marſal.* [c] *le territoire de Treves* [d] *l'evêque de Bamberg.* [e] *Nuremberg.* [f] *le duc d'Albe.* [g] *l'evêque d'Arras.* [h] *Baviere.*

Digitized by Google

CIƆIƆLIII.
HENRICUS II.

ſidii, quod inter Henricum Brunſvicum ejuſque nobilitatem eſt, componendi negotium dediſſe Jo. Brandeburgico; Baioaro item et Wirtembergico mandaſſe, ut Oetingenſeis comites inter ſe concilient. Erat tum Heidelbergae Albertus cum Palatino ſeptemviro: inde ad Spirenſem ſenatum mittit; et non modo pacta ſed mandatum Caeſaris, qui ea confirmaverit, ab epiſcopis violari oſtendit; petitque, ne litem ullam ſibi moveant, et diplomata ab ipſis contra ſe impetrata aboleant. Cum illi ſui officii eſſe reſponderent, jus cuique dicere, neque id epiſcopis petentibus denegare potuiſſe, ipſe contra, poſt verboſam refutationem, idem, quod antea, petit: alioqui, ſi damnum inde accipiat, fore ut, cur ab ipſis illud ſibi praeſtari et ſarciri debeat, intelligant. Tunc Caeſaris juſſu Heidelbergam venere Baioarus et Wirtembergicus, et poſt eos Clivenſis: ubi, re diu agitata, epiſcopi per [a] Wirciburgenſem, qui aderat, nam Bambergenſis legatos tantum miſerat, magna vi pecuniae oblata, ut oppida ſibi pacata relinquerentur, et arbitri conditiones probarent, petebant. Verum Albertus, qui pacta ſibi ſervari omnino vellet, de copiis, quas per Saxoniam cogebat, jam certior, nihil arbitrorum offenſionem veritus, re infecta diſcedit; ac paulo poſt arma reſumit, edito prius ſcripto, quo, re a principio repetita, de adverſariis, ut fidei publicae violatoribus, conqueritur; et argumentum in primis illud refellit, quod ad reſcindendam tranſactionem in medium afferebant epiſcopi; videlicet, non licuiſſe ſibi res ſacras, quae in commercio non ſint, alienare: proinde ſibi fuiſſe neceſſarium, jus ſuum armis tueri. Venit et eo Mauritius IV Nonas Aprilis; qui, quod inquietum Alberti ingenium ſuſpectum haberet, auctor fuit principibus, qui Heidelbergae erant, ut foedus icerent: ipſe, ne de ſe ſuſpicionem daret, ſtatim domum revertitur. Itaque, cum Albertus omneis pacis conditiones rejiceret, Bambergenſis et Wirciburgenſis literas denuo a ſenatu Spirenſi obtinent; quibus mandabatur Moguntino, Palatino et Mauritio ſeptemviris, Teutonici ordinis magiſtro, Jo. Friderico, Wirtembergico, Heſſo et Norimbergicis, viciniſque omnibus, ut opem epiſcopis ferant. Ipſe Mauritius, qui ſe hoc bello oblique peti videret, ſui defendendi cauſa foedus cum Brunſvico facit; et epiſcopis atque Norimbergicis auxilia pollicetur. Sed haec ſera fuere, jam parato Alberto, qui, epiſcoporum et Norimbergenſium ferro et flamma late vaſtato agro, Bambergam primariam regionis civitatem capit, et Franconiae nobilitati, niſi imperata faciat, bellum denunciat: tum [b] Schuinfurtum Imperii oppidum occupat, et praeſidio impoſito munit. Norimbergenſes, quod oppida quaedam regni Bohemici beneficiaria poſſiderent, a Ferdinando petierant, ut ſibi ad ea tuenda liceret per ipſius fineis equitatum cogere: et, annuente illo, IƆ equites conſcripſerant: verum, antequam cum exercitu reliquo conjungerentur, ab Alberto intercepti et caeſi ſunt, captis etiam pluribus Norimbergenſium oppidulis. Diſſoluto paulo ante Mansfeldii exercitu, magnam illius partem ad ſe traxerat Henricus Brunſvicus; iiſque copiis ſubnixus, per Philippum filium, [c] Monaſterienſis et Mindenſis epiſcoporum Erici item agnati ſui et Bremenſium fineis hoſtiliter ingreſſus, magnam pecuniae vim ab iis extorſerat. Interea Palatini et Trevirenſis ſeptemvirorum, qui [d] Bacaraci convenerant, interventu, controverſia, quae [e] Clivenſi cum Colonienſi ſeptemviro propter juriſdictionem erat, compoſita fuit.

II. SUB initium Junii mandatu Caeſaris Palatinus et Moguntinus ſeptemviri, Baioari et Wirtembergici ducum legati, Francofurtum veniunt, ſi qua ratione bellum in Franconia ortum ſedare poſſent: venerunt et eo a Caeſare legati Ludovicus [f] Conigſtenus et Renardus [g] Solmenſis comites cum Henrico [h] Haſio; a Ferdinando etiam nonnulli tranſactionis abolitionem a Caeſare ante obſidionem Metenſem factam urgebant epiſcopi: Albertus contra confirmatione poſtremo a Caeſare facta jus ſuum tuebatur. Itaque arbitri, cum viderent rem a Caeſaris voluntate pendere, legatos monent,

INTERPR. [a] *l'evêque de Wirtzburg.* [b] *Schweinfurt.* [c] *de Munſter & de Minden.* [d] *Bacharach.* [e] *le duc de Cleves.* [f] *Conigſtein.* [g] *de Solms.* [h] *Haaſen.*

monent, ut ex eo reſciſcant, utrum abolitam an confirmatam tranſactionem velit. Caeſar ad hoc xv Kal. Quintil. reſpondet; ſuperiore anno reſcidiſſe ſe tranſactionem, quod res mali exempli eſſet, quenquam ad imperata facienda cogi propter obſequium ſibi et Imperio praeſtitum: ſed cum Albertus, in cujus ope magnum ad res Imperii contra Gallorum impetus ſtabiliendas momentum eſſet, non aliter ſecum paciſci vellet, obſecundaſſe tempori; cumque aliter non poſſet, tranſactionem confirmaviſſe, ea mente, ſi Deus felicem ad Metim ſucceſſum annuiſſet, ut rationes inirentur, quibus ipſi ſatisficret: nam agnoſcere ſe et libenter praedicare fidam et gnavam ab Alberto in ea obſidione navatam operam, et cupere ei hoc nomine gratificari: ſed, quando Deo aliter viſum fuit, per ipſos Heidelbergae viam concordiae tentaſſe; ac ſibi admodum moleſtum eſſe, quod ille condiriones oblatas repudiaverit, praeſertim cum aequas eas ipſi judicarent: ideo, alterum hunc Francofurti conventum indixiſſe: nunc audire, non epiſcopos tantum ſed etiam alios ab Alberto peti: id contra pactiones fieri; ſiquidem illum, cum in gratiam receptus fuit, fidam operam ſibi et Imperio promiſiſſe: quod admodum moleſte ferat; eoque magis, quod inaudiverit, ſe propterea in quorundam ſuſpicionem deveniſſe: itaque hoc velle, ut totis animis ad res componendas incumbant, nec ampliorem a ſe declarationem requirant: proinde plenam rei conficiendae poteſtatem ipſis facere: quidquid decreverint, id ſibi fore gratiſſimum; quandoquidem apud ſe ſtatuerit, nihil deinceps niſi de ipſorum conſilio facere. Cum reſponſo ambiguo nihil juvarentur arbitri, re infecta, diſceſſum eſt. Nec feliciori eventu Baioatus et Wirtembergicus, uti juſſi erant, [a] Laugingae convenere, ut [b] Oetingenſem cum filiis conciliarent. Bello [α] Smalcaldico Ludovicum patrem et cognominem filium proſcripſerat Caeſar; ejuſque ditionem Friderico et Wolfango alteris filiis, qui parteis ſuas ſequebantur, attribuerat: demum ille cum filio Ludovico in gratiam a Caeſare receptus, alios filios ingratitudinis poſtulabat: et, cum convicia utrinque regererentur, recentibus adhuc odiis, nihil conſtitui potuit. Cum igitur Caeſar videret, privatis illis conventibus nihil agi, et belli incendia ſenſim per Germaniam creſcere, Maio menſe indicit comitia ad Eidus Sextil. quae poſtea in Kal. Octobr. ac denique in menſem Januarium anni ſequentis rejecta ſunt.

III. ALBERTUS vero, ubi de foedere contra ſe inito cognovit, et foederatorum exercitum in eo eſſe, ut in Franconiam deſcenderet, [β] [c] Schuinfurto et aliis locis a ſe nuper occupatis praeſidio impoſito, extorta undique pecunia, et multis ex Norimbergica ditione ac Bamberga ſecum obſidibus acceptis, in Saxoniam, ut hoſtium impetus averteret, magna celeritate contendit. [d] Arneſtetum venienti occurrere a Jo. Friderico miſſi legati; orantes, ne ipſius finibus damnum daret: id ille liberaliter promiſit ac ſervavit: verum in Erfurdenſem agrum ingreſſus complureis inibi vicos diripuit. Mauritius, qui exercitum in Franconiam miſerat, repentino Alberti adventu commotus, tumultuarie nobilitatem ac reliquos ordines ſub ſigna coëgerat, ut fineis ſuos ab injuria tueretur; quos ille abſque maleficio praetergreſſus, ad Halberſtatum caſtra promovet; portiſque occupatis, et ingenti eccleſiaſticis imperata pecunia, protinus in Henrici Brunſvici ſibi inimici agrum imperum facit, incendiiſque ac direptionibus, ab Erico Brunſvico et nobilitate adjutus, vaſtat. Id Henricum, qui ductore Philippo filio copias in Franconiam miſerat, et Schuinfurtum fruſtra tentaverat, domum revocavit. Eodem et Mauritiani tendunt, quibus praeerat Hedecus, et ad [γ] [e] Northuſam ſe Mauritio conjungunt. Deflectente in agrum [f] Mindenſem Alberto, inde conjectans Mauritius hoſtem per Heſſiam iter habiturum, et ex Heſſia denuo in Franconiam irruptutum

VAR. LECT. [α] Smalcaldico, uti ſupra diximus P. D. o. f. [β] Schinfurto P. D. o. f. d. [γ] Northuſium P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Laugingen.* [b] *le comte d'Oetingen.* [c] *Schweinfurt.* [d] *Arnſtadt.* [e] *Northauſen* [f] *Minden.*

CIƆIƆLIII.
HENRICUS II.

irrupturum eſſe, Northuſa [a] Embecum progreditur, ut illum anteverteret, et in Hildeſemenſi agro coactis omnibus copiis ad [b] Oſterodium caſtra ponit. Inde Kal. Quintil. ipſe et Henricus [c] Plavius, Bohemiae cancellarius et ei cognatione conjunctus, Ferdinandi nomine bellum Alberto miſſis literis denunciant: iis ſingillatim commemorabantur Alberti injuriae, et flagitia prolixe admodum exprobrabantur, quod animo a pace ſemper alieno contra [d] Paſſavienſe foedus non ceſſaret in Ferdinandi ac Mauritii beneficiarios deſaevire, et petulantia ſua publicam quietem ſolicitare, rejectis omnibus concordiae incundae rationibus: ea de cauſa juxta Imperii leges, quibus contra perduelleis vicinis opem ferre et injurias illatas propulſare tenerantur, juxta etiam ſummum camerae judicium, a Ferdinando et Mauritio ex Caeſaris voluntate bellum ſuſceptum eſſe, ut Alberti effraenis ac tyrannica crudelitas coërceatur. Per nobilem adoleſcentem epiſtola Alberto reddita eſt, cum Joachimi Brandeburgici ſeptemviri legati ad eum de pace paulo ante miſſi adeſſent: qua perlecta, et re cum ſuis communicata, cum percontatus eſſet, an ſecum fortunam periclitari parati eſſent, et illi fidem in id obſtringerent, adoleſcentem coram legatis acceſſit; et converſo ad eum ſermone, Ad verboſam epiſtolam, inquit, pauca haec a me principi tuo renuncia: ipſum jam ter fidem violaſſe, et ſcelerate mecum egiſſe; hoc quartum eſſe flagitium ab eadem officina profectum: proinde veniat, et, quid uterque noſtrum poſſit, experiamur. Haec locutus, juvenem, aliquot ei numeratis aureis, dimittit. Tum legati, qui in caſtris erant, Nihil igitur, aiunt, heic agimus? Nihil, reſpondit ille, et domum reverti per me licet. Abeuntibus illis, cum Albertus gravem belli molem cervicibus ſuis impendentem videret, Ericum Brunſvicum ad Caeſarem mittit V Non. Quintil. cum mandatis, quibus oſtendebat adverſarios non id agere tantum, ut pacta ſibi non ſerventur, ſed ut ipſe omni ditione expellatur: quod eorum conſilium ſi fortuna comprobet, protinus illos ad Galli parteis tranſituros: jam enim oblatas a rege ampliſſimas conditiones novae conjurationis cauſa; idque ſe poſſe demonſtrare: ex ſeptemviris etiam quoſdam de novo Caeſare creando fidem interpoſuiſſe: quod autem epiſcopi adeo in ſe exacerbentur, in cauſa eſſe Spirenſeis ſenatores; itaque obnixe orare, ne moleſte ferat, ſi quid in ipſos tentet: ſparſos ab iis in vulgum rumores, quaſi ad opprimendam Germaniae libertatem cum ipſo conſpiraverit; eodem fine evulgatas ab ipſis literas tanquam ab [e] Atrebatenſi datas, quibus fidem conantur facere, ideo a ſe copias cogi, ut Caeſaris voluntatem exſequatur; futurum enim, ut ad proxima comitia Albanus Hiſpanorum principem in Germaniam adducat, ut patri in Imperio ſucceſſor deſignetur: id illos Ferdinando perſuaſiſſe, ita ut inito cum hoſtibus ſuis foedere bellum ſibi denunciarit: hiſce periculis ac difficultatibus conflictari ſe non aliam ob cauſam, quam quod in fide ipſius permanſerit: ad dignitatem ejus et exiſtimationem pertinere, ne clientem deſerat; quo ſublato, hoſtes majora mox in ipſum auſuri ſint: itaque ſe ab eorum injuriis protegat, et pacta ſervari imperet: quod ſi faciat, ubi primum convenerit, protinus adducturum ad ipſum IX CIƆ equitum et C circiter peditum vexilla. Dum abeſſet Albertus, Norimbergenſes et epiſcopi captata occaſione in fineis ipſius invaſerant. Factum illud cum contrario facto revincere tunc non poſſet Albertus, interea dum copiae coguntur, invidioſis literis crimínoſe rem exaggerat, quaſi Norimbergenſes cum perfidioſis epiſcopis, ſic eos vocabat, foedus iciſſent, ut pontificiam doctrinam in Germania inſtaurarent. Quod calumnioſe ab ipſo confictum cum refellerent Norimbergenſes, ſimul et atrocia facinora perpetrata ab eo commemorant; et inter alia illud, quod, cum nuper Altorfium et [f] Lauſium ſuae ditionis oppida occupaſſet, non contentus in ipſo irruptionis impetu multa libidinoſe et crudeliter admiſiſſe, oppidanos inſuper, neque eos ſolum, ſed imbellem quoque per agros collectam multitudinem una cum pecudum gregibus multis locis incluſerit,

INTERPR. [a] *Eimbeck* [b] *Oſterrode.* [c] *Plawen* [d] *traité de Paſſau* [e] *l'evêque d'Arras.* [f] *Lauſſen.*

incluſerit, ignibus undique accenſis, ac praecipue ad portas, ne quis evadere poſſet; atque ita pueros, mulieres gravidas ac ſenes invalidos cum pecudibus et armentis inter confuſos ejulatus miſerabiliter conflagraſſe: cetera, quae contra ipſum dicenda habeant, ut oſtendant, quam nulla religionis cauſa ducatur, in praeſentiarum libenter omittere, propter familiae ſplendorem, ex qua ortus ſit, et principes aliquot ejus propinquos, quibus omnem obſervantiam et debeant et deferant. Jam exercitus fere in conſpectum venerant. Albertus Saxoniam magnis itineribus emenſus, tranſmiſſo [a] Wiſurgi in [b] Hildeſemia dioeceſi, juxta [c] Peinam Luneburgenſis agri caſtellum caſtra poſuerat: loco depreſſo et ſylvis undique tecto, in quem per confragoſam vallem anguſtis admodum faucibus iter erat. Mauritius ex adverſo ſuperiorem et apertum campum occupat. Hactenus per interceſſionem principum de concordia inter eos actum fuerat; et eo ipſo die, quo pugnatum eſt, qui fuit VII Eidus Quintil. perſcriptae conditiones ultro citroque miſſae. Jamque prima poſt meridiem hora inſtabat, qua pranſi milites Albertini et multo vino pleni ad injuriam potius quam ad pacem ſpectabant: dux ipſe Albertus a prandio fere ſemper temulentus, homo alioqui turbido ingenio, cum de levi quadam re non conveniret, non jam conditiones, ſed vexilla, quae, cum ad pugnam provocatio ſit, mitti ſolent, contumelioſe ad Mauritium remittit; ſtatimque ipſe ſuperbe cum ſuis provectus eum ad certamen vocat: qui injurioſi hominis audacia irritatus ſubito milites jam paratos emittit; tantaque animorum utrinque concitatio fuit, ut vix dum inſtructis ordinibus confuſi tanquam ad mutuam lanienam concurrerint. Acies ab ea parte labare coepit, in qua Mauritius erat, III equitum alis Miſnenſibus diffugientibus. Cum proelium reſtituere conaretur Mauritius, et ſingulos appellando huc illuc diſcurreret, globuli ictu in latere dextro ad ilia accepto proſtratus eſt, ſtatimque a ſuis in caſtra relatus. Victoria nihilominus, quod equitatu ſuperior eſſet, poſt multam dimicationem ab ejus parte ſtetit; ſed maxime cruenta, occiſis in eo proelio Carolo Victore et Philippo Henrici Brunſvici filiis, et Friderico Luneburgico, nec non et [d] [1] Barrabenſi ac Bielingo comitibus. Captum in pugna ipſum Albertum quidam ſcripſere: ſed aut non agnitum aut pretio ſtatim exſoluto redemptum [e] Hanobriam ſalvum perveniſſe. Ei adempta LXIV peditum ſigna, et XIV equitum, atque ad Mauritium delata ſunt, proximae mortis inane ſolatium. Ad IV CIϽ utrinque cecidere; praeterea ingens captivorum numerus. Praecipitatum ab Alberto proelium ſeu temulentia, ſeu quod magna undique ad Mauritium auxilia confluere inaudiviſſet: nam poſtridie venere a Ferdinando ſummiſſi equites Bohemi IϽ, ab Heſſo ſocero IϽ CC, ſera auxilia, cum jam Mauritius animam ageret; ante tamen datis ad [f] Wirciburgenſem epiſcopum literis, quibus eum de ſucceſſu certiorem faciebat, et, ut vias obſideri ad intercipiendum Albertum fugientem juberet, monebat. Mox, ubi praeſenſit ac notavit ſigna certa propinquantis mortis vir invicto et excelſo animo, rebus in exercitu et domi ſumma animi tranquillitate ordinatis, minime ſe invitum terris excedere profeſſus eſt, quod ſe fidei in Dei Filium ſuae optima ſpe foveri laetaretur, neque ſentiret affici deſiderio ejus vitae, in qua, continuis quaſi fluctibus negotiorum vexatus, tam incertas voluntates et leveis hominum animos atque indignam meritis ſuis gratiam expertus eſſet. Tum cum Jo. Albino colloquium fidele [α] ritu inter eos recepto habuit; et ſacratiſſimorum Chriſtianae communitatis myſteriorum cupidiſſime particeps factus eſt. Tandem V Eid. Quintil. hora nona matutina in caſtris obiit, cum annum XXXII exceſſiſſet. Multa prodigia hunc caſum portendiſſe narrantur: canum rabies, qua ad mutuam perniciem uſque certarunt; fremitus in aëre; hominum et equorum illo campo, in quo conflictus fuit, nocte intempeſta auditi

clamores;

VAR. LECT. [α] ritu inter eos recepto *deſunt* P. D. o. F.

INTERPR. [a] *le Weſer.* [b] *de Hildeſheim.* [c] *Peine.* [d] *les comtes de Barby & Beucklingen.* [e] *Hanover.* [f] *l'evêque de Wirtzburg.*

NOT. [1] Wolfgangus II comes Barbienſis huic quidem proelio interfuit; ſuperſtes autem XIV poſtea annis Condaeo in ſecundo civili bello Gallico 1500 equites ex obſidione Gothana adduxit. *Vide* Reuſneri Genealog. Auctarium, p. 72 C

clamores; ejulatus item in oppidis. In Perlini vero arce de Mauritii ſtatua, nulla vi adhibita, caput decidit: ipſe quoque viro optimo in domo flagrante per ſomnum apparuit. Sanguineae etiam guttae in herbarum foliis viſae, non ſolum iis locis, ſed et [a] Argentinae ſub Junii initium; quod ad papilionum ingentem nubem tunc paſſim volitantium multi referebant, quibus ruptis hic cruor emanaverit.

IV. Corpore Mauritii exenterato, inteſtina [b] Siverhuſiae condita ſunt; cadaver [c] Lipſiam primo delatum et in D. Thomae depoſitum eſt, concione in mortui laudem publice a Joachimo Camerario habita XIV Kal. Sextileis: inſtitutumque, ut quotannis memoria tanti principis celebraretur: tandem [d] Fribergam translatum eſt, oppidum argentifodinis nobile, prodeunte obviam ſenatu et Agnete uxore Philippi Heſſi filia, aulicarum foeminarum comitatu complorationem augente; et in B. Mariae juxta patrem Henricum et Albertum filiolum terrae X Kalend. Sextil. mandatur, habita a Daniele Dreſſero eccleſiae [e] Dreſenenſis paſtore iterum in ejus laudes oratione. Conditus eſt inſigni monumento vere inſignis vir, qui etiam inter arma humanitatis ſtudia minime neglexit. Academiam [f] Witembergicam conſervavit, Lipſienſem auxit: ludos literarum III provincialeis aperuit, [g] Miſenae Hermundurorum ad Albim, [h] Porrae ad Salam, et [i] Grimanae ad Muldam. Arceis aliquot exſtruxit, vel dirutis antiquis novas fecit; [k] Mauritii-bergam a ſe dictam, [l] Rodebergium, [m] Sanſerebergam, [n] Chemnicenſem, [o] Schopenſem, et ornatiſſimam ac maximam omnium Dreſenenſem. Ei cum Alberto magna neceſſitudo interceſſerat; quippe cum aetate aequales eſſent et conjunctis ſtudiis Caeſari ſemper militaſſent, eodem fere ſemper contubernio uſi, Gallico primum bello ante novennium, et deinde Smalcaldico, tandemque contra ipſum Caeſarem verſis armis; quod initium diſſidiorum inter eos fuit; cum Mauritius omne imperium et operae communiter navatae pretium ad ſe traheret, Albertus imperii alieni impatiens et licentiae aſſuetus, nulla ratione adduci poſſet, ut in pacem Paſſavienſem conſentiret. Cum vero ad res in Germania novandas nati viderentur, longe tamen diverſo ingenio erant. Nam hic violentus et acer praeſentia fere ſectabatur, profuſa et immoderata liberalitate militis gratiam ſibi concilians, et turbida ferocitate terrorem de ſe omnibus injiciens, cetera temulentus et contumelioſus et crudelis; planeque de eo approbatum eſt, ebrietatem, violata ſemel et exaſperata mentis ſanitate, neceſſario crudelitatem habere comitem. Nam, cum frequenti ebrietate exire de poteſtate ſua longo uſu conſueſſet, fiebat, ut inſaniae conſuetudine durata immanitas etiam ſine vino in illo valeret. Mauritius vero, affectata vultus gravitate et humanitate profundam ambitionem celans, longius proſpiciebat, et, cum ad ſummam fortunam olim aſpiraret, ſobrie et moderate res adminiſtrabat, magnificus potius quam profuſus. Itaque cum petulantiam alterius non ferret, cui nullo reſpectu, nulla juris aequive aut denique honeſti habita ratione omnia miſcere ludus erat, tandem ab ejus amicitia diſceſſit; et, ut exiſtimationem jam magna ex parte ſuperiore anno recuperatam tueretur, cum epiſcopis ac civitatibus inito contra Albertum foedere arma ſumpſit ſibi funeſta, et quae ad altiora properantem interceperunt. Penſata Alberti clades morte Mauritii; tamen attritis adeo illius viribus, ut ab hoc proelio vel mediocreis copias colligere nunquam poſtea potuerit. Caeſari Mauritii mortem non ita moleſtam accidiſſe pleriſque perſuaſum fuit, qui res ſuas ab illo nuper in Germania labefactatas meminiſſet, et pejora a ſuſpecto ſibi ingenio metueret: neque enim omnino vana erant, quae Albertus per Ericum Brunſvicum monuerat Caeſarem. Nam conſilia Mauritium paulo ante mortem cum rege de rebus in Belgio in Caeſaris perniciem novandis agitaſſe conſtat: ideoque ambigue Caeſarem ad arbitrorum principum poſtulata ſemper reſpondiſſe, neque in cauſa,

quanquam

INTERPR. [a] *Strasbourg.* [b] *Serfferſhauſen* [c] *Leipſick.* [d] *Freyberg.* [e] *de Dreſden.* [f] *de Wittenberg.* [g] *Meiſſen ſur Elbe.* [h] *Pforten ſur Sale.* [i] *Griman ſur Moldaw.* [k] *Morikenberg.* [l] *Todtenberg.* [m] *Sauſerbergen.* [n] *Chemnitz.* [o] *Schoppen*

quanquam iniqua, Albertum deſerere voluiſſe; quod Mauritio mortuo ab illo metu vacuus poſtea fecit: itaque Erico Brunſvico, quem ad illum ab Alberto miſſum diximus, XI Kalendas Sextil. tandem reſpondit, dolere ſibi, quod diſſidium ipſorum eo uſque exarſerit; vereri enim, ne tandem Alberto male cedat, quippe cum multi principes ac praecipui ordines huic foederi ſeſe junxerint: ſuum igitur eſſe conſilium, ut res amice tranſigatur; ac petere, ut Albertus conditiones non recuſet: alioqui, manente eo rerum ſtatu, non poſſe ſe illius opera uti, quin ſuſpicionem jam excitatam augeat, et novis motibus in Imperio cauſam praebeat. CIƆIƆLIII. HENRICUS II.

V. ABERAT tunc Auguſtus Mauritii vita functi frater apud Daniae regem ſocerum cum uxore. Itaque nobilitas et ordines provinciae tuendae cauſa exercitus partem retinuerant. Poſtquam ſub initium Sextilis Auguſtus domum revertit, omnem populum in fidem ſuam adigit, ac praecipue Witembergenſeis, ut ſibi ſuiſque liberis maſculis in poſterum addicti ſint; et, ſi nulli ſuperſint, ad Jo. Fridericum ac liberos ſucceſſio redeat, ſi quidem ille liberique ejus Caeſaris dicto obedientes ſint, et pacta ſervent; ſin minus, ut Heſſo juxta foedus jure hereditario cedant. Eo facto, ſeptemvir a ſuis ſalutatur: et ordinum ſuorum conventus ad XIII Kalendas Septembreis indicit; quo tempore [a] Miſenae oppidum tantum terrae motu quaſſatum fuit, atque adeo totus ille ad [b] Albim tractus, ut aedificiorum faſtigia quaſi invicem arietare viderentur. Ubi ordines [c] Lipſiam magna frequentia convenere, Auguſtus in deliberationem adducit, an ſe foederi recenti a Ferdinando, principibus et epiſcopis contra Albertum inito adjungere debeat, et proſequi coeptum a fratre bellum: deinde, ſi deſerendum ſit foedus, quomodo fratris mortem ulciſci poſſit: poſtremo, qua ratione cum Joan. Friderico queat tranſigere; nam is jam ante Mauritii mortem in ſuis literis et moneta ſeptemviri nomen et gladios binos tranſverſos, quod eſt ſeptemviratus inſigne, uſurpabat, et Gotham arcem connivente Caeſare muniebat. Qua de re cum querimoniam inſtituiſſet Mauritius per legatos, concordiae rationes initae fuerant, ſed irrito ſucceſſu. Mortuo vero Mauritio, ſtatim Jo. Fridericus ad optimates miſſis legatis ſua ſibi reſtitui poſtulabat: ea de cauſa etiam Jo. Willelmum filium in Belgium ad Caeſarem miſerat, et legationem ad Ferdinandum ac Bohemiae regem adornaverat; cui contraria legatione, Auguſto abſente, a ditionis ipſius ordinibus obviam itum eſt. Dum conventus Lipſiae haberentur, Jo. Fridericus eo delegatos mittit, et denuo ſua repetit: idem et ditionis ordines animoſe admodum poſtulabant: verum Auguſtus contra de pactis a Caeſare factis, quibus Joannes Fridericus ſtare teneretur, excipiebat; neque tamen omnem actionem ſe repudiare dicebat. Poſt maturam deliberationem ad Auguſti poſtulata a conventibus reſponſum eſt; e re videri, ut cum utriſque pacem coleret, atque ad componendum diſſidium Brandeburgicus ſeptemvir adhiberetur: et ita decretum fuit. Hac ſe ratione Auguſtus difficili et periculoſo juxta negotio explicuit; atque erga Ferdinandum, qui ipſum per Henricum [d] Plavium de foedere renovando ſolicitabat, excuſavit. Interea [e] Wirciburgenſis epiſcopus [a] [f] Schuinfurtum, quod Albertus praeſidio tenebat, obſidet; Bambergicus vero ac Norimbergenſes, poſtquam [g] Colenbachum aliquandiu irrito conatu circumſedere, abductis inde copiis in caſtra Plavii venerunt, [h] Hoſium Albertinae ditionis oppidum oppugnaturi: dum in eo ſunt, Albertus et Henricus Brunſvicus, collectis aliquantiſper a clade utrinque accepta animis, copias inſtaurant. A re pecuniaria laborabat Brunſvicus; qua abundabat Albertus, mirantibus omnibus unde illi tantum nervorum ad damnoſum adeo bellum ſuſtinendum ſuppeteret: neque deerant, qui propterea ſuſpicarentur, ei a Maria Hungarica Caeſaris ſorore clam pecuniam in id bellum ſubminiſtrari. Ea res in ſummas

VAR. LECT. [a] Schinfurtum *ubique* P. D. o f. d.

INTERPR. [a] *Meiſſen.* [b] *Elbe r.* [c] *Leipſick.* [d] *Plawen.* [e] *Wirtzburg.* [f] *Schweinfurt.* [g] *Culmbach.* [h] *Hoff.*

CIↃIↃLIII.
HENRICUS II.

ſummas anguſtias Brunſvicum redegit, tumultuante milite, et ob ſtipendia non perſoluta jam prope ad Albertum, a quo interea ſolicitabatur, deficiente. Sed peropportune accidit, ut ab epiſcopis ac Norimbergenſibus pecunia ſummitteretur: qua militi adnumerata, ſeditionis aeſtu reſidente tempeſtas omnino conquievit. Poſtea Brunſvicus, ne cum tot hoſtibus ſibi res in poſterum eſſet, cum Erico patruele tranſegit. Mox et Alberto Auguſtus conciliatur, ſatagentibus Daniae rege, qui ſic generi rebus conducere exiſtimabat, et Brandeburgici ſeptemviri legatis. In has autem conditiones conventum eſt III Eid. Septembreis: ut Auguſtus fratris bellum non perſequatur, neque Alberti hoſtibus opem ferat; Albertus viciſſim neque Auguſto bellum inferat; et, ſi forte copias per illius fineis traducet, abſque noxa id fiat: Auguſtus caveat, ne, cum militem dimittet, ad hoſteis Alberti tranſeat: poſtremo ſolennis clauſula additur, ut quod eſt inter Saxonicam et Brandeburgicam domum foedus hereditarium primo quoque tempore renovetur. Poſtridie Albertus, qui [a] Brunſvicam confugerat, urbe educit copias, et, cum in hoſtem haud procul inde praecipitaſſet, manus conſerit, et funditur; quippe cum peditatu omnino careret, Henricus autem Brunſvicus ad XX ſigna penes ſe haberet. Nec multo poſt qui Hoſii erant, cum de infelici Alberti pugna cognoviſſent, et nulla ſpes auxiliorum eſſet, muro jam continua verberatione quaſſato, et commeatu deficiente, Plavio deditionem faciunt; qui oppidanos in ſuam filiorumque ſuorum fidem adigit, relicto ad loci cuſtodiam peditum ſigno et majoribus tormentis. Hoc ipſo menſe juſſu Caeſaris dimittuntur praeſidiariorum VI ſigna, quae jam totum annum [a] Auguſtae Vindelicorum fuerant: et, ut in commune conſuleretur, [b] Halbrunae Palatinus et Moguntinus ſeptemviri, Baioarus et Wirtembergicus conveniunt: a Treviren ſi ſeptemviro et [c] Clivenſi venerunt legati, et nomine Ferdinandi epiſcopus [d] Paſſavienſis. Interea Albertus ab adverſo proelio, quod cum Henrico Brunſvico fecerat, in urbem Brunſvicam redit: verum, ubi per indicem accepit, Henricum in eo eſſe, ut ad urbem caſtra poneret, inde diſcedit, quoſque potuit equites colligit, atque, ut in Thuringia adventum ſuum expectent, jubet; quo paulo poſt coactis undique copiis contendit: et III Non. Septembreis magnis itineribus [e] Winariam venit; ibique perhumaniter a Joanne Friderico Saxone exceptus, inde Franconiam petit. Plavius tum ad [f] [g] Baruti ditionis Albertinae oppidi obſidionem cum ſuis haerebat; qui cognito Alberti adventu Bambergam retro ſoluta obſidione abeunt. Albertus vero cum numeroſo equitatu ad [g] Hoſium uſque progreſſus, cum praeſidiarios ſecure extra urbem ſpatianteis offendiſſet, in eos repente impetu facto oppidum ingreditur; oppidaniſque, qui principis ſui praeſentia recreati arma ſumpſerant, concurrentibus, omneis fere trucidat. Capto oppido, reperta in eo magna tormenta et campeſtria quaedam, ſed ſine inſtrumento, quippe nuper ad Baruti obſidionem aſportato. Impoſito ibi peditum ſigno, Blaſſeburgum petit Albertus, dum interim Brunſvicus, uti ipſe praeſenſerat, Brunſvicam oppugnaret. Jam res agebatur majoribus machinis, et urbs magno periculo conflictabatur, cum revocatur a ſociis Brunſvicus. Is igitur ab obſeſſis pro belli ſumptibus XXC aureorum CIↃ poſcit: recuſabant primo illi; ſed, cum viderent militem niſi accepto ſtipendio ab obſidione minime diſceſſurum, ſoliciti de ſalute ſua petitam ab eo ſummam dare promittunt. Conſtituta militi ſolutionis die, ipſe per Thuringiam iter capit: quo cognito, Joannes Fridericus [h] Gotham ſe recipit, relicta Winariae uxore, quod valetudine minus firma eſſet. Inde Brunſvicus ad Saxonem literas dat; et, repetita praeteritarum injuriarum et colloquii nuper cum Alberto Germaniae et ſuo hoſte habiti memoria, veniſſe tempus dicit, quo vicem reddat, et, quandoquidem initium ab ipſo factum ſit, de injuriis ultionem ſumat: decreverat et in Albertum ac Wolradum Mansfeldios hoſtiliter agere; ſed ab Auguſto ſeptemviro,

VAR. LECT. [a] Brunſvicum *ubique* P. D. o. f. [f] Biruti *ubique* P. D. o. f. d.
INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *Hailbron.* [c] *le duc de Cleves.* [d] *l'evêque de Paſſau.* [e] *Weimar.* [f] *Bareuth.* [g] *Hoff.* [h] *Gotha.*

ſeptemviro, cujus opem illi imploraverant, placatus, cum iis in gratiam rediit. Acceptis Henrici Brunſvici literis, Saxo legatos ad eum mittit; et hoſpitio Wimariae acceptum, quo ille cum II equitum turmis et V peditum ſignis venerat, per [a] Minquitium cancellarium expoſitis mandatis ad amicitiam flexit, ſic ut remiſſa, quam imperaverat, pecunia, ſine maleficio diſcederet. Poſtea Brunſvicus VII Eid. Novembr. in ſociorum caſtra, quae ad [b] Lichteſelſam ditionis Bambergicae oppidum erant, venit. Eo tenebantur incluſa IX militum Albertinorum ſigna, quae Baruti nuper erant, oppugnante [c] Plavio, qui tormentis [d] Norimberga ſubminiſtratis verberatum oppidum triduo poſt deditione capit, voluntati ipſius permittentibus ſe praeſidiariis, qui retentis aliquot ducibus inermes ferme ac ſine ſignis dimittuntur. Inde [e] Colenbachum itur: idque tormentis admotis verberatur. Cum de defendendo oppido deſperarent obſeſſi, ſupellectilis ac bonorum quod poſſunt [f] Blaſſeburgum tranſportant, et ipſi incenſis aedificiis eo noctu confugiunt. Interea ſocii irruunt, et occiſis, qui deprehenſi ſunt, ac reſtincto incendio, cetera diripiunt. His confectis, Plavius, Barutum, [g] Liechtebergam et Hoſium nuper capta oppida demolitus, Blaſſeburgum aggreditur, primariam Alberti arcem, et valido praeſidio ab ipſo munitam. Eodem tempore Brunſvicus novo ſupplemento militum Norimberga et [h] Forchemo ſummiſſorum firmatus, [i] Schuinfurtum obſidet; quod oppidum in [k] Moeni ripa poſitum valido praeſidio ab Alberto tenebatur. Id ſuſpicans ille, annona prius conſumpta, quam ex vicinis locis importaverat, cuncta circum aedificia incendit: mox utrinque certatum, pejore Henrici conditione, qui, cum videret obſidendi oppidi commoditatem ſibi eo anno ademptam, re infecta diſcedit, et per Joannis Friderici ditionem itinere facto domum revertitur. Tunc et Sebaſtianus Schertelius, cujus in caput praemium conſtitutum fuiſſe diximus, Caeſari ac Ferdinando reconciliatur, ſuaſque facultates omneis recuperat. Et mox Kalendis Decembribus ſolemni ceremonia a Spirenſi ſenatu Albertus proſcribitur, ut publicae quietis et Imperii hoſtis; ipſiuſque vita ac fortunae omnium praedae exponuntur. Ille vero, ubi de ſententia cognovit, Caeſarem interpellat, ut eam aboleat: quod cum Caeſar recuſaret, ille judicium epiſcoporum largitionibus redemptum accipere recuſat, editoque ſcripto proteſtationem interponit: nihilominus a cameta finitimis Imperii provinciis executio judicii demandatur.

VI. DUM haec in Germania geruntur, Caeſar, qui in Belgio hyemaverat, ut acceptam nuper in Metenſi obſidione cladem ulciſceretur, [l] Tarvennam Morinorum metropolim expugnare ſtatuit. Ea paulum infra [m] Liſae amnis, qui pomoerium ejus rigat, fonteis, IV ab [n] Audomari fano milliaribus, tanquam in viſceribus [o] Pleumoſiorum et Atrebatum, quae provinciae beneficiariae regni Franciae ſemper fuere, impoſita, et contra impetus Anglorum, qui [p] Caletenſem oram maritimam tunc tenebant, objecta, ad haec non ſolum ſitu ſed et arte munita, validiſſimo noſtrorum praeſidio tenebatur; unde crebris ab omni parte excurſionibus vicini populi multum damni accipiebant, tantumque odium ex eo adverſus oppidanos conceperant, ut, ſi occaſio daretur, non dubium eſſet, quin omni ope et induſtria enixuri eſſent, quo urbem illam in poteſtatem redigerent, et ita belli periculum longius a ſe propulſarent. Hac fiducia Caeſar, quod neque militem ad vim inferendam neque foſſores ad opera facienda defuturos ſperaret, obſidionem ſuſcipit, deſtinato primum ad eam Antonio [q] Croio Rutii comite: quo ſub id tempus mortuo, Pontius [r] Lalanius Binicurius vir natalibus et bello clarus cum exercitu ſub exitum Aprilis eo mittitur. In urbe erat Joannes [s] Loſſius cum aliquot levis armaturae equitibus et oppidanis: nam praefectorum ſuperiorum negligentia alioqui a cuncto apparatu bellico imparata erant omnia; ob

eamque

INTERPR. [a] *Minquitz.* [b] *Leichtenfelz.* [c] *Plawen.* [d] *Nuremberg.* [e] *Culmbach.* [f] *Blaſſenburg.* [g] *Liechtenberg.* [h] *Forchheim.* [i] *Schweinfurt.* [k] *le Mein* [l] *Terouenne en la comté de Ponthieu* [m] *le Liz r.* [n] *St Omer* [o] *Flandres & Artois.* [p] *Calais.* [q] *de Croy, comte du Roeux.* [r] *Lalain, ſieur de Binicour, al. Bugnicourt, chevalier de la toiſon d'or.* [s] *de Loſſes.*

CIↃIↃLIII. HENRICUS II.

eamque negligentiam non mediocri laboravit invidia Joannes[a] Turtavilla Villabonius, qui urbi paulo ante praefuerat, tunc in Notmanniam cum imperio amandatus. His accedebat, quod, innata ingeniis Gallicis poſt res proſpere geſtas ſecuritate, rex Caeſarem contemnere coeperat, aula conviviis, pompis nocturnis et haſtiludiis perſtrepente, quibus nuptiae Dianae regis filiæ et Horatii Farneſii celebrabantur. Nec perſuaderi poterat noſtris, ut ad Tarvennam munitiſſimum totius Belgici limitis propugnaculum vis verteretur, afflictis Caeſaris, uti rebantur, rebus, et valetudine ipſius adeo infirma: nam et ſub id tempus de morte ejus allatum fuerat. Ubi igitur inter ludos et feſta nuptialia de urbis obſidione cognitum eſt, ſtatim eo[α] Andreas[b] Montalambertus Deſſius Panvillerius perſpectae virtutis dux et bello nuper in Scotia geſto clarus a rege mittitur: cui additus Franciſcus Momorantius Annae magiſtri equitum filius cum ſummo imperio; quo tamen modeſtus juvenis uti noluit, ſuperſtite Deſſio, quem ille non ſolum ut ſupremum ducem ſed ob virtutis opinionem omni veneratione et obſequio tanquam patrem ſemper coluit. Paulo ante quam ex[c] Pictonibus evocatus fuit, ex longa aegritudine decubuerat Deſſius: itaque ad illam expeditionem proficiſcens gaudere ſe dicebat, quod ex ignobili lecto ad honorificentiorem, in quo non decubiturus ſed moriturus eſſet, vocaretur. Eum comitati[β] ſunt[γ] Carolus[d] Halvinius Pienna,[δ][e] Baudineus, Ant.[f] Caſtaneus Rupipoſaeus,[g] Blandius,[h] Ferrerius ex nobili[i] Burdelliorum[ε] viceeomitum in Petrocoriis familia, alii primarii viri: quibus introductis, eo magis aucta aulicorum negligentia ae ſecuritas, ſtimulique majores obſidentibus additi, ut, antequam auxiliaris exercitus adveniret, rem conficerent. Nuſquam majore ſtudio ab utraque parte laboratum eſt, ſed inaequali ſorte, eum obſeſſis longe auxilia abeſſent; qui obſidebant, abunde parata haberent omnia, et, quod in finibus ipſorum res gereretur, quotidie novo milite et machinis ac ceteris rebus neceſſariis juvarentur. Ita ducto aggere, et diſpoſitis ingenti numero tormentis, urbs verberari coepta. Alacritatem hoſtium incitante turba foeminarum et puerorum, qui ex vicinis undique pagis veluti ad exoptatiſſimum ſpectaeulum confluxerant, et rhythmis ac jocularibus canticis per laſciviam in nominis Gallici contumeliam compoſitis animos ſuis faciebant. Cum continuata magno impetu verberatio multum damni obſeſſis attuliſſet,[k] Grillus ordinum dux impiger, cum c feloppetariis equitibus auxilio miſſus, perruptis ſtationibus in urbem aeceptus eſt; ſtatimque eruptione proſpere facta in aggerem uſque hoſtes compulſi ſunt. Interea a faciendis ruinis nullum tempus intermittebatur; quod obſeſſos admodum fatigabat, nocturnis excubiis et continuis certaminibus feſſos. Jamque ruina ingens, LX amplius paſſus lata, edita erat, viam aggreſſuris aperiens; et ex colle, qui urbi ab altera parte imminet, noſtri, qui pro ruina ſtabant, crebris colubrinarum ictibus a tergo infeſtabantur. Igitur omni impetu aggreſſio facta; et utrinque fortiſſimis atque obſtinatiſſimis animis dimicatum eſt, inter clamores, ſtrepitus et armorum fragores artificioſorum ignium collucentibus flammis, et ſanguine paſſim exundante. Tribus vicibus reſtitutum ab hoſtibus proelium, totiſque x horis, quod raro unquam in aggreſſione accidit, pugna continuatur; tandemque hoſtis cedere cogitur; ſed ex noſtris deſiderati praecipui duces; ipſe Deſſius, Pienna, Baudineus, Rupipoſaeus, Blandius, Ferrerius, et alii plerique nobiles. Summiſſus rurſus auxilio[ς] Seb. Lucemburgicus,[l] Baugii marchio Martigii frater, et cum eo Grillus,[m] Brolius et Sanromanus ordinum ductores cum CCC delectis peditibus; qui et invitis hoſtibus in urbem introducti ſunt. His auxiliis confirmatus Momorantius,

VAR. LECT. [α] Andreas Montalambertus *deſunt.* P D.o.f.d.
[β] ſunt vicecomes Martigius, Halvinius P.
[γ] Carolus *deeſt* P. D.o.f.d.
[δ] Bodineus P.
[ε] viceeomitum *deeſt* P D.o f d.
[ς] Seb Lucemburgicus, Baugii marchio Martigii frater, et cum eo Grillus *deſunt* P.

INTERPR. [a] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon.* [b] *Montalambert de Deſſe.* dit *Panvilliers.* [c] *Poitou.* [d] *d'Hallwin, ſieur de Piennes.* [e] *de Baudiné.* [f] *Chaſteigner de la Rocheporay* [g] *Blandi* [h] *de Ferrieres.* [i] *de Bourdeilles en Perigort.* [k] *le capitaine Grille.* [l] *de Baugé, frere du vicomte de Martigues.* [m] *les capitaines le Breuil & S. Romain.*

Momorantius, qui ſublato Deſſio jam mandato imperio utebatur, cum ad propugna- CIↃIↃLIII.
tionem ſe pararet, hoſtes, qui jam in foſſa ſub muro a noſtris tuti erant, dejectis paſſim HENRICUS II.
turribus et propugnaculis, cuneos agunt, et accenſo pulvere tormentario murum, qui ſupererat, cum magna noſtrorum militum ſtrage diruunt; cujus ruina in exteriorem partem prolapſa, accidit, ut foſſa paene compleretur, et equiti irrumpendi expeditum iter eſſet. Ita ruina dilatata et complanata foſſa, ſemper creſcente hoſtium numero, et noſtris ſuorum mortibus, vulneribus, vigiliis ac labore continuo debilitatis, cum nulla amplius in militis virtute ſpes eſſet, ex ducum conſilio Momorantius XII Kal. Quintil. de deditione agere coepit, minime interim pactis induciis: quo factum eſt, ut urbe fere undique aperta, dum de conditionibus altercatur, Germani et Belgae impetum in ruinam fecerint, noſtriſque, qui ſive deditionis jam certae fiducia ſeu quod ad reſiſtendum hoſti pares non eſſent, facile repulſis, urbe potiti ſint, magna et immani paſſim ſtrage edita. Nulli aetati, ſexui, ordini ab efferato milite parcitum: qui in Hiſpanos inciderunt, humanius habiti ſunt, quaſi illi ex aliorum immanitate occaſionem captarent bene de noſtris merendi; nondum ſcilicet obliti, qua humanitate Guiſius ſuperiore anno ad [a] Metim obſidione ſoluta erga ipſos uſus fuerat. Capti ipſe Momorantius, cum vix cum [b] Oartiſius accepta contumelioſa injuria a periculo texiſſet, [α] Baugius, [c] Dampetra, [d] Loſſius, [e] Baudimentius, [f] Dous Balletus, Sanromanus, viri primarii; Grillus item et Brolius et Sanromanus ordinum ductores. Amiſſa et multa tormenta; in primiſque colubrinae duae nomen a [*] duobus oppidis II milliarium Belgicorum ſpatio inde diſtantibus ſortitae, quod illarum diſploſarum jactus eo uſque pertingeret. CL CIↃ ictus in ea obſidione ab hoſte diſploſos ſcripſit Hadrianius, numerum vero et fide majorem: qui interfuerunt, circiter XLII CIↃ prodidere; et ita memorare ſolitum F. Momorantium, virum minime omnium vanum, memini. Captae [g] Tarvennae nuncium ſumma laetitia Caeſar, qui Bruxellis erat, accepit: paſſimque toto Belgio accenſi ignes, pulſata in templis tintinnabula, et diſploſa tormenta. Urbs ipſa mox juſſu Caeſaris a fundamentis omnino diruta eſt, tanta popularium alacritate, ut paucorum dierum ſpatio vix ulla veſtigia illius exſtarent: adeo odium propter acceptas injurias vicinorum animis alte inſederat. Eadem olim a Maximiliano Caeſare et Henrico VIII Anglorum rege ante XL annos IX Kal. Septembr. ſub Ludovico XII capta, et incendiis ac ruinis mire deformata fuerat, relicta tantum in ea pontificiae ſedis auctoritate: ſed poſtea inſtaurata, et, hodierna muniendorum adverſus tormenta locorum ratione, foſſa, pomoerio ac propugnaculis firmata multos hactenus hoſtium impetus ſuſtinuerat et cluſerat; adeo ut Franciſcus vulgo dicere ſoleret, duobus ſe pulvillis nixo capite in utramque aurem dormire, cum Tarvennam in Belgio, et [h] Aquas Tarbellicas in [i] Aquitaniae limite munitiſſimas civitates inniteret.

VII. AULICAS pompas caſus hic aliquantiſper interturbavit: et, dum cogitur exercitus, Robertus [k] Marcianus Bullionius equitum tribunus Hedinum, quo iturum hoſtem parebat, ſtatim proficiſcitur, cum Horatio Farneſio et Honorato [l] Sabaudo Villario ac delecto nobilitatis flore; non ſine multorum murmure, qui, praecipuum regni robur ad manifeſtam perniciem temere exponi, fremebant. Eo mox hoſtiles copiae, cum menſem fere demoliendae Tarvennae impendiſſent, conveniunt, ductore Immanuele Philiberto [m] Subalpinae regionis principe; quem Caeſar, propter exortas ex aemulatione inter duces contentiones, [n] [β] Binicurio amoto, cum ſummo imperio praefecerat. Oppidum primo impetu capitur, quod inquilini, abſportatis ſecum quae poterant, paulo ante deſeruerant. Superabat arx a Burgundiae ducibus olim voluptatis

VAR. LECT. [α] Martigius P. [β] Binicurtio P. D o. f.
INTERPR. [a] *Metz.* [b] *d'Ouartis.* [c] *de Dampierre.* [d] *de Loſſes.* [e] *de Baudiment.* [f] *D'O, ſieur de Baillet.* [g] *Terouenne* [h] *Acqs.* [i] *Guienne.* [k] *de la Marck, duc de Bouillon.* [l] *de Savoie, comte de Villars.* [m] *le prince de Piedmont.* [n] *Ponthus de Lalain, ſieur de Binicourt.*
NOT. [*] qui ſont Haire & Frelin *Put.*

CIↃIↃLIII. HENRICUS II.

voluptatis potius quam munimenti cauſa ad venationes loco idoneo exſtructa: eam undique cingunt hoſtes, et cuneis actis paene ſubvertunt, nuſquam intermiſſa verberatione; et, qui minimum ſcribunt, circiter XV CIↃ tormentorum ictus diſploſos narrant. Cum res in extremas anguſtias adductae eſſent, tandem de deditione agitur: nec abnuit Philibertus, veritus, ne deſperatio in virtutem verteret. Sed, dum in eo ſunt, ut obſides utrinque darentur, et conditiones, nam de iis convenerat, obſignarentur, ſacrificus quidam ſcelerata ſive temeritate ſive imprudentia ignem in artificioſos ſomitum paratus ad defendendam ruinam congeſtos injecit; quo aliquot ex hoſtibus, ſed plures ex noſtris, in altum rotati et diſcerpti ſunt. Quo viſo, hoſtes ſtatim in cuniculos ignem mittunt, everſoque muro et in foſſam praecipitato, facilem aditum irrumpenti militi fecere; qui violatas pactiones cauſatus in arcem infeſtis animis invadit: moxque ipſe Philibertus ingreſſus recta ad Bullionium contendit, obſides adhuc expectantem et fidem datam fruſtra obteſtantem. In arce globi ictu confoſſus eſt Horatius Farneſius ſummae ſpei juvenis; qui a toro geniali ſtatim ad [α] tumulum raptus ingens ſui deſiderium non ſolum regi et Dianae conjugi ſed omnibus in Gallia et Italia reliquit. Ibidem contrario cuniculorum conflictu abſorpti [β] ſunt Amboſius [a] Moninvilla, [b] Manius, [c] Dampetra; qui paulo ante Tarvennae [γ] captus, quod ignoraretur, parvo ſe pretio a properanti milite redemerat; et alii ſtrenui ordinum ductores. Capti Bullionius, Villarius, [d] Pria, [e] Culanus, [f] Douetus, [g] Rionius Lobeus, [δ] ac praeterea Carolus [h] Lucemburgicus Martigius lethali ictus vulnere, ex quo mox inter hoſtium manus deceſſit. Haec acta XV Kalend. Sextil. qui dies apud Romanos ob Allienſem cladem inter atros numerabatur. Arcem Caeſar ſolo aequari juſſit, et ad Quantiam amnem amoeniore et commodiore loco alteram huic cognominem anno ſequenti inſtaurari.

VIII. CAPTO Hedino, Caeſariani [i] Dorlanium, quod ab [k] Ambianorum Samarobriga VI milliaribus abeſt, copias duxere, quo ſe [l] Carnutum vicedominus incluſerat. Jam exercitu noſtro inſtructo, negotium datum fuerat Momorantio magiſtro equitum, dum Helvetii convenirent, ut ad [m] Somonam uſque procederet. Is, cum non longe abeſſe hoſtem cognoviſſet, IV Gallorum vexilla ultra flumen praemittit, et Jo. Bapt. [n] Fulgoſium cum L equitibus praeire jubet, qui hoſtem ad certamen eliceret, diſpoſitis per intervalla inſidiis, Nemoroſio quidem cum III alis levis armaturae ad ripas [ε] [o] Altiliae fluvii, qui Dorlanium alluit, et infra hunc a [ζ] L. P. [p] Sanſaco cum V aliis, cujus latus tegebat Ludovicus Borbonius [q] Condaeus cum III item levis armaturae alis: tum ſubſequebatur [r] Santandreanus equitum tribunus cum IↃ cataphractis equitibus; qui, ubi priores cedendo ad proximiores ſe ordine recepiſſent, ſuos omneis exciperet ac colligeret ac contra hoſtem fulciret. Caſtra quoque promoverat Momorantius, et cum IV CIↃ equitum et XX peditum ſignis poſt illos incedebat. Accidit vero, cum jam hoſtes in itinere eſſent, ut IV illa vexilla praemiſſa interciperentur. Itaque Sanſacus, quicum erat Carnutum vicedominus, cum primus cum hoſte conflixiſſet, inde fugam ſimulans, ad locum, ubi Santandreanus latebat, retrocedens pervenit: tum Santandreano impetum ex improviſo in hoſtem faciente, hoſtis citatis equis in noſtros ruens ſiſtitur; moxque Condaeo in latus incumbente nutare primo illorum acies dein ſolvi ac poſtremo in fugam verti coepit. Milliare amplius Condaeus fugienteis inſecutus multos cepit, plureis occidit. Deſiderati eo proelio ad

IↃCCC;

VAR. LECT. [α] rogum P. D. o. f. d. [β] ſunt Martigius et Dampetra P. [γ] capti, quod ignorarentur, parvo ſe pretio a properanti milite redemerant; item Moninvilla, Amboſius, Manius et alii P. [δ] ac praeterea *hinc ad* Haec acta *deſunt*, *a libris omiſſis* P. [ε] Autiae P. D. o. [ζ] M. P. P. D. o. f.

INTERPR. [a] *de la Moigneville, de la maiſon d'Amboiſe.* [b] *de Maigny.* [c] *de Dampierre.* [d] *de Prie* [e] *le baron de Culan.* [f] *Douet.* [g] *de Rion-Lobé.* [h] *de Luxembourg, vicomte de Martigues.* [i] *Dourlans* [k] *Amiens.* [l] *le vidame de Chartres.* [m] *la Somme.* [n] *Fregoſe.* [o] *Authie r.* [p] *de Sanſac.* [q] *le prince de Condé.* [r] *le mareſchal de St. André.*

Iↄ ccc; et io iis [α] Carolus [β] [a] Spinoius princeps ex illuſtri Melodunenſium comirum familia: captus Philippus [b] Croius Araſchoti dux; et adempta hoſti VII equeſtria ſigna. Ex noſtris capti, dum longius provehuotur, [c] Crequius Canaplius et [d] Sillius Rupi-guidonius; pauci admodum occiſi. Hac elade Caeſariani, retuſo paululum impetu, [e] Bello-querceo munimento, in quo exercitus erat, deſtructo, [f] Miraumontium et Ancoram, Gallicae ditionis loca, haud looge a Perona inſedere. Sub id tempus [g] Helvetii ac Rhaeti auxiliares advenere: protiouſque omnis exercitus ad [h] Corbiam, oppidum ad [i] Somonam IV ſupra [k] Samatobrigam Ambianorum milliaribus, cogitur Kalendis Septembribus: quo rex et ipſe venit; ibique de Edvardi VI morte cognovit; atque ea, ut par erat, vel ob hanc cauſam indoluit, quod vereretur, ne, cum Caeſarem Mariae defuncti heredis nuptias ambire Philippo filio ſciret, foedus cum Anglis nuper initum ex hac occaſione abrumperetur. Momorantius exercitui cum ſummo imperio praeerat, et primam aciem ducebat; in qua erar Antonius [l] Borbonius Vindocinus et Joannes Angianus fratres, [m] Monpenſerius, [n] Nivernius et G. [o] Colinius maris praefectus, quiſque cum cc cataphractis equiribus: erant et in ea XLIX peditum ſigna, quae XV CIↃ hominum conſtabant, quibus Colinius praeerat; Rhingravius et [p] Riſebergus cum IV legionibus ſub XX vexillis, quae [γ] Germanorum X CIↃ; Scotorum vexilla IV, Aoglorum II, quae [δ] Iↄ cc efficiebant. Levis armaturae praecipuus dux erar Sanſacus; peneſque ſe II CIↃ circiter equitum habebat: tum ex delectis regni ordinibus III CIↃ ſequebantur, ductore Jallio. Edicto paulo aote ſanxerat rex, ut cujuſque alae equitum duces ſeloppetarios equites loricatos certo numero ſecum haberent, qui latera regere et, cum opus foret, praeſto eſſe poſſent. In ſecunda acie rex erat cum Rupeſurionio, Alfonſo Ateſtino Ferrariae principe, Guiſio, et Santandreano; quorum unicuique aliquot equitum turmae attributae fuerant. [q] Boſius hipparchus et Canaplius oobileis domeſticos ac ſtipatores corporis Scotos, Helvetios et Gallos ducebant. c omnis geoeris tormenta ſequebantur optime inſtructa; quorum praefectus erat Jo. [r] Eſtraeus, vir acer et ea provincia vere dignus. Ita ordinato exercitu, rex Miraumontium, unde Caeſariani paulo ante digreſſi fuerant, eorum veſtigiis inſiſtens venit; et, excurſionibus a Guiſio et Nivernio in [s] Atrebares factis, [t] Bapalmam uſque progreditur, oppidum, quod ab [u] Olſimontio magni nominis equite tenebatur cum X peditum ſigois et ccc circiter equitibus; ceteroqui tam limitaneis noſtris inviſum, quam Tarvennam Atrebaribus fuiſſe diximus. Heic velitari, ſed acri pugna certatum eſt, egreſſis praeſidiatiis: ex noſtris deſideratus [x] Nogentius; ſauciati [y] Brollius ordinum ductor et [z] [ε] Molimontius. Tunc in caſtra ad regem venit Hieronymus [aa] Capiferreus cardinalis Sangeorgianus, a pontifice miſſus, uti jactabatur, ut de pace ageret; cum Hier. [bb] Dandinus item cardinalis ad Caeſarem pontificis quoque maodato profectus eſſet: ſed, adeo exulceratis utrinque animis, cum neuter quidquam efficere potuiſſet, Sangeorgianus, poſtquam honorifice a rege habitus et apud eum aliquot dies commoratus eſt, re infecta dimittitur. Interea Bapalma a Colinio luſtrata, cum deliberatione inter duces habita expugnari poſſe coovenirct, jamque omnia ad obſidionem compararentur, nova difficulras exorta eſt, quae noſtrorum conſilium interpellavit. Nam, cum ſterili et arido loco ſitum ſit oppidum, penuria aquae laborare exercitum neceſſe erat. Itaque, fruſtra a peritis per regionem fontibus iodagatis et puteis effoſſis, cum aquarum ſalubrium copia non eſſet, hinc diſceſſum eſt, et in agro

Cameracenſi

VAR. LECT. [α] Carolus *deeſt* *P. D.* o. f. d. [β] Spineus *P. D* o. f. [γ] Germanorum *deeſt* *P. D* o. f. [δ] CIↃ cc *MS Reg.*

INTERPR. [a] *Charles de Melun, prince d'Eſpinoy.* [b] *de Croy, duc d'Arſchot.* [c] *de Crequy, ſieur de Canaples.* [d] *de Silly, ſieur de la Roche-guyon.* [e] *Beau-queſne.* [f] *Miraumont & Ancre.* [g] *les Suiſſes & les Griſons.* [h] *Corbie.* [i] *la Somme.* [k] *Amiens.* [l] *le duc de Vendôme & Jean comte d'Anguyen.* [m] *le duc de Montpenſier.* [n] *le duc de Nevers.* [o] *l'amiral de Coligny.* [p] *Reiffenberg.* [q] *Claude Gouffier, ſieur de Boiſy, grand eſcuyer.* [r] *d'Eſtrées.* [s] *Artois.* [t] *Bapaume.* [u] *le ſieur de Haulſimont.* [x] *le ſieur de Nogent.* [y] *Breuil.* [z] *Molmont.* [aa] *Capiferri, cardinal de S. Georges.* [bb] *Daudino.*

NOT. [ε] Molinontio *Put.*

CIƆIƆLIII.
HENRICUS II.

Cameracenſi poſita caſtra. Conſilium regis erat, ſi hoſtes exercitum ſimul tenerent, aliquod illorum oppidum aggredi; quod aut expugnatutus eſſet, utpote idoneo praeſidio deſtitutum, (neque enim fieri poterat, ut ſimul exercitum magnam partem ex praeſidiariis conflatum et oppida milite munita haberent) aut eoſdem ſuppetias ferenteis ad certamen coacturus, quod unice exoptabat. Caeſar, qui [a] Cameraco metueret, nec civium animis ſatis fideret, arcem in ea parte urbis, quae ad ſeptentrionem vergit, editiore loco exſtruxerat, ut eos in officio contineret. Cum rex a Cameracenſibus, quando bellis his medii neutris partibus addicti eſſent, miſſo feciali peteret, ut ſuum militem reciperent, et commeatu juvarent, uti erga Caeſarianos feciſſent, illi commeatum quidem pollicebantur, ſed militem noſtrum recipere ſibi liberum non eſſe reſpondebant, quod, arce a Caeſare cervicibus ſuis impoſita, jam ſui juris non eſſent. Itaque hoc dato reſponſo hoſtes judicati ſunt; et hoſtiliter in eos agi coepit: continuoque Momorantius v Eid. Septembr. propius admotis caſtris cum III equitum turmis et x peditum ſignis, quibus G. Colinius praeerat, urbem circuit. Crebris inibi proeliis certatum; in quibus ex noſtris deſiderati [b] Mallius Brezacus alterius praetorianorum cohortis dux, et [c] Cornetus ordinum ductor: capti ex hoſtibus Madrucius et [d] Pontivallius comites, et [e 1] Strelonius ex Lucemburgenſi agro primarius vir tormentorum praefectus. Sub id tempus duo hoſtibus adempta ſigna, [f] Avanenſi notho duce in fugam verſo, a [g] Bordillonio Campaniae propraefecto prope [α h] Maubertifontem, et ad regem allata ſunt. Inde, vaſtato circum agro et dejectis munimentis atque ad internecionem caeſis praeſidiariis, [i] Caſtellum Cameracenſe verſus itum eſt. Haud longe Robertus [k] Croius Cameracenſium epiſcopus praetorium amoeniſſimum magnis ſumptibus exſtruxerat, et, ut erat voluptuarius, ſingulas ejus parteis nominibus quoque voluptatum diſtinxerat; quippe in declivi poſitum quatuor ſeparatis aedificiis quaſi contignationibus ab imo per gradus ad faſtigium tendentibus ſuperſtructum erat. Id ſibi hoſpitium rex ſumpſit; nec damni quidquam inferri, aut aedificium aliquatenus foedari paſſus eſt, cum contra oppidani de [l] Folembraco olim a [m] Rutii comite epiſcopi patrueli incendiis deformato tunc poenas ſumpturum crederent. Eodem hoſpitio uſi ſunt et Guiſius et Carolus frater; Alexander item Farneſius, qui in comitatu erat, et [n] Caſtellionaeus, cardinales. Supra [o] Valencianas ad Scaldim hoſtes contracto exercitu caſtra loco declivi muniverant: eo rex cum totis viribus proficiſcitur. Collis intercedebat: ſed hoſtis ex tumulis ad caſtrorum latera erectis violenta traos collem ejaculatione in noſtros fulminabat. Tandem Caeſariani, noſtris appropinquantibus, egreſſi caſtris, acti pugna conflixere: cumque res ad juſtum proelium ſpectare videretur, noſtri in aciem eodem fere ordine, quo prius, prodierunt. Rex ipſe ordines circumeundo ſingulos adhortabatur, ac praecipue Helvetios, quaſi de ſumma rerum eo die decertandum eſſet: tum praemiſſa levis armatura, et idoneis locis ad intercipiendum hoſtem diſpoſita. Ibi cum diu noſtri conſtitiſſent, inclinante jam die, revocantur. Diſperſi levis armaturae equites in unum agmen contrahuntur: moxque in equitatum hoſtilem invecti ipſum in caſtra compulere; non tamen ſine jactura. Deſiderati ex noſtris circiter c; et in iis [p] Janlius nobilis Burgundus, et [q] Ferrerius alae equitum Renati [r] Anglurii Givrii legatus. Superveniente tandem nocte, utrinque a pugna ceſſatum eſt. Poſtridie quid agendum eſſet deliberantibus noſtris, placuit retro cedendum eſſe, quod hoſtem loco munito ac domi ſedentem, et qui a tergo urbem commeatu abundantem haberet, aggredi periculoſum videretur; et ſatis eſſet ad gloriam, inſtructo in aciem exercitu eum ad certamen, quod ipſe detrectaverat, provocaſſe: damnoſam alioqui

VAR. LECT. [α] Malaberti-fontem *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *de Maillé, ſieur de Brezé.* [c] *le capitaine Cornet.* [d] *Pondevaux.* [e] *de Treſlon.* [f] *le baſtard d'Avanes* [g] *de Bourdillon, lieutenant de roy en Champagne.* [h] *Maubert-fontaine.* [i] *Chateau-Cambreſis* [k] *de Croy, evêque de Cambray.* [l] *Folembray.* [m] *le comte du Rœux.* [n] *de Chaſtillon* [o] *Valenciennes ſur l'Eſcault* [p] *le ſieur de Genlis.* [q] *de Ferrieres.* [r] *d'Anglure, ſieur de Givry.*

NOT. [1] Trelonius *Put.*

alioqui omnem moram noſtris eſſe, in hoſtico et loco incommodo diutius haerentibus. His acceſſit adverſae Momorantii valetudinis incommodum; qua ſive ex continuo diſcurrendi per ordines et vociferandi labore, ſive ex moerore, quod nullum aliud operae pretium cum tanto exercitu feciſſet, ad mortem uſque conflictatus, deducendi citius exercitus regi, qui ſine ductu et conſilio illius nihil fere conabatur, occaſionem dediſſe creditur. Ita noſtri ad [a] Somonae-fontem duobus ſupra [b] Auguſtam Veromanduorum, quae hodie Quintini-fanum eſt, milliaribus retro abiere: ibique circa [α] XI Kal. Octobr. diſſolvitur exercitus. Dimiſſi perſolutis ſtipendiis Helvetii, et nobilium regni delectus domum abire juſſi: pars equitatus per praeſidia diſtribuitur; pars [c] Santandreano cum levi armatura attribuitur, qui cum Germanorum copiis et veteranorum ſignis [d] Auxium-caſtellum infra [e] Hedinum conceſſit; et inde in Pleumoſios profectus, omnem circum [f] Audomari fanum, [g] Inſularium, [h] Ariram et [i] Pernam, comitatus Sanpauliani oppida, agrum ferro et flamma crudeliter vaſtavit, Pernae etiam arce expugnata, et occiſis, qui in ea erant, Hiſpanis, nulla praeterea re memorabili geſta; niſi quod [k] Carnutum vicedominus ad Inſularium cum Hiſpanis, quos oppidani inſolentiam eorum veriti intra moenia accipere recuſaverant, diem integrum levibus certaminibus pugnavit, et ſuperior ſemper e proeliis diſceſſit; ſed eo minore laude, quod cum majore numero minorem viciſſet. Relicto ibi cum legionibus ſuis [l] Rhingravio, cui rex Hedini praefecturam donaverat, Santandreanus domum revertit; et ſub finem Octobris copiarum partem in hyberna diſtribuit, ceteros dimittit. Et haec quidem eo anno in Gallia et Belgico limite geſta ſunt.

IX. IN Italia interea minime ceſſatum fuit. Nam, cum Caeſari ſupra modum grave eſſet, quod [m] Senenſes ad Gallos defeciſſent, minime ſibi committendum exiſtimavit, ut Gallos diutius Senarum imperio potiri pateretur. Itaque, antequam altius pedem in Etruria noſtri figerent, et praeſidiis ac munimentis potentiam ſuam in ea provincia firmarent, eo exercitum mittere ſtatuit. Praefectus huic bello delectus Petrus [n] Toletanus Neapolitani tunc regni prorex; quem Caeſar longo ante tempore inde amovere decreverat, poſtquam illum praepoſtera et contumaci ſeveritate totius paene nobilitatis animos a ſuo imperio alienaſſe ſenſit: ne tamen videretur procerum regni querelis id dediſſe, rem diſtulit, occaſionem expectans, qua ſine injuria virum illuſtrem jam aetate confectum et ſummis honoribus defunctum, honorificae militiae praetextu, ſtatione illa omnino abduceret. Huic itaque negotium datur, ut cum regni copiis et IV CIϽ Germanorum, qui F. Gonzagae militabant, bellum contra Senenſeis gereret. Per Franciſcum Toletanum Caeſar cum Coſmo Florentinorum duce jam egerat, propoſita periculi vicini magnitudine, ut in belli ſocietatem veniret: nec aegre Coſmus aſſenſit, quod, quamvis Ferrarienſis cardinalis, qui ſummo cum imperio reipublicae Senenſium praeerat, et [o] Turnonius praeclara quaeque de regis ac reginae erga ipſum voluntate pollicerentur, a Gallis ſibi nihilominus timeret, cum videret exules ſuos ſub ſigna Galliae quotidie convenire, et magnis ſtipendiis ſub rege merere; nullam praeterea in conditionibus foederis a rege cum Senenſibus nuper initi factam ſui mentionem: nam conveniſſe inter eos, ut regem, cui libertatem deberent, tanti beneficii memores in poſterum colerent; tranſitum ejus militi per Senenſis ditionis oppida liberum permitterent, ac commeatu juvarent; in portubus claſſi ac navibus Gallicis tutum receptum darent: rex viciſſim eos ab armis externis tegeret, ac milite ſumptibus ſuis conducto juvaret. Accedebat, quod, quamvis nec Caeſarem aut Hiſpanos ut nec regem tam vicinum habere vellet, tamen, quod Caeſaris parteis hactenus ſecutus eſſet, et contra a rege ut ſibi ſuſpecto metueret, Caeſarem quam regem

Senis

VAR. LECT. [α] XII P. D o. f d.

INTERPR. [a] *Font-ſomme.* [b] *St Quentin en Vermandois* [c] *le mareſchal de St. André.* [d] *Auxy le Chaſteau.* [e] *Heſdin.* [f] *St. Omer.* [g] *Lalers.* [h] *Aire.* [i] *Perne* [k] *le vidame de Chartres.* [l] *le Rhingrave.* [m] *Sienois.* [n] *de Tolede.* [o] *le cardinal de Tournon.*

CIↃIↃLIII.
HENRICUS II.

Senis potiri mallet. Ante tamen quam res ad bellum apertum deveniret, via ab ipſo inita eſt, qua negotium componeretur; ut nimirum Senenſium reſpublica libera maneret, et erga regem quidem amice, erga Caeſarem pro officio obſequioſe ſe gereret, nec praeſidio ullo aut arce teneretur. Sed quia dubium erat, an Caeſar in has conditiones conſentire vellet, et pontifex, cujus interventu Coſmus praecipue utebatur, non bona fide in hoc negotio verſabatur, quippe qui ſpe jam Senenſium imperium devoraſſet, et Coſmum de filiolae nuptiis cum Fabiano Balduini fratris filio imaginario Senarum principe contrahendis clam ſolicitaret, nihil actum eſt. Is ſiquidem conditionibus a Coſmo propoſitis addi poſtulabat, ut reipublicae liberae vir prudentia et probitate inſignis ex cardinalium collegio a ſe praeficeretur, (is autem erat Marcellus [a] Cervinus Politianus, qui poſtea ſummus pontifex renunciatus eſt) et praeſidium CIↃ CC militum ſub duce a ſe itidem deligendo imponeretur. In eam rem pontifex Achillem [b] Craſſum ab epiſtolis, et Coſmus [c] Pyrrhum Saxetanum ad proregem miſerant, qui de concordiae rationibus cum eo agerent. Sed prorex ad Caeſarem referendum eſſe cenſebat; et interea nullum tempus intermittebat, quo minus ſe ad expeditionem accingeret, quantumvis diſſuadente Andrea [d] Auria, qui, Germanico milite in [e] Campaniam tranſportato, [f] Puteolos et Baias, ubi portus melior et coelum mitius eſt, ſe receperat. Nam, ut triremium ſuperiore anno quaſſatarum detrimentum omittatur, aiebat Auria, Quae ſpes felicis ſucceſſus tempore tam alieno in ſumma rei frumentariae penuria et difficili auxiliorum ſummittendorum ratione? praeſertim cum in montuoſa et ſaltibus impedita regione bellum gerendum ſit. Nec vero ſperandum, ut uno aut altero proelio res confici poſſit contra homines, qui pro libertate ad extremum uſque ſpiritum dimicaturi videantur. His et aliis rationibus Auria Toletanum ab expeditione dehortabatur; inſuperque ut amicus monebat, ne ſe ultra proveheret, qui, aetate jam gravis et vitae tranquillae commodis aſſuetus, militiae hybernae incommoda aegre toleraturus eſſet. Verum Toletanus, ſive quod Caeſar urgeret, qui hominem omni ratione a regni Neapolitani adminiſtratione removere decreverat, ſive quod ambitioſus ſenex hanc militiam licet intempeſtivam affectaret, et Auriam, uti in republica natum, Senenſium libertati occulte favere crederet, propterea que minus ex ſincera fide haec ab illo dici exiſtimaret, in propoſita ſententia perſtitit; miſſoque in [g] Inſubres Franciſco Oſorio, qui IV CIↃ Germanorum accerſeret, et Aſcanio [h] Corneo delectus per Italiam habere juſſo, Auriae triremeis tandem conſcendit; et adductis II CIↃ Hiſpanorum, et, quos penes ſe habebat, Germanis, magno praeterea nobilium numero, cum uxore ac liberis ac longo mulierum comitatu [i] Liburnum appulit; relicto domi Ludovico filio, qui per ejus abſentiam cum ſummo imperio praeeſſet: Garſiae alteri filio reliquas Italorum copias ſecum trahenti diverſum iter fuit per terram. Jam Corneus cum IV CIↃ Italorum [k] Valianum venerat, et pontem [l] Clanio impoſitum Florentinae ditionis occupaverat: perque Senenſem agrum praedis utrinque actis omnia in armis erant: nondum tamen Germani ex Gallia Ciſalpina, quibus praeerat Jo. Bapt. Lodronius, evocati comparebant. Ubi venit prorex Florentiam, a Coſmo et Helionora filia ſummo cultu ac magnificentia exceptus, de belli gerendi ratione cum genero agere coepit: et, quia pauca admodum tormenta ſecum advexerat, magnum eorum numerum cum reliquo omni apparatu ab ipſo impetravit: ſed mox, ſeu viae laboribus fractus, ſive quod intemperantius uxore nova eximiae formae foemina uſus eſſet, in graviſſimum morbum incidit, ex quo VII Kal. Martias deceſſit. Patris morte Garſias, qui jam in [m] Cortonenſem agrum pervenerat, ſummae rerum praeficitur, Coſmo provinciam recuſante, cui is honos a Caeſare delatus fuerat: Garſiaeque additur Alexander [n] Vitellius magni nominis dux. Ita autem

INTERPR. [a] *Cervino di Montepulciano.* [b] *de Graſſi.* [c] *Pirro della Saſſeta.* [d] *Doria.* [e] *Terra di Lavoro.* [f] *Pozzuolo & Baia.* [g] *Lombardia.* [h] *della Cornia.* [i] *Livorno.* [k] *Valiano.* [l] *Chiana.* [m] *nel Cortoneſe.* [n] *Vitelli.*

autem partiti ſunt copias inter ſe duces, quae XX CIↃ peditum Italorum efficiebant, ut Garſias in [a] Clanii vallem cum majore parte deſcenderet, et oppida ac caſtella quamplurima in ea occuparet; ſiquidem, excepto [b] Cluſio, quod feſtinatis operibus muniebatur, cetera omnia Gallos deſeruiſſe reſciverant; Vitellius [c] maritimam oram oppugnandam ſibi ſumeret, ibique cum Hiſpanis, qui [d] Orbitelli erant, aliiſque, qui pridem ex Sicilia expectabantur, ſe conjungeret, ut [e] Groſſetum, illius regionis praecipuam arcem nondum a Gallis munitam, communibus viribus expugnarent. Evocatus ad eam expeditionem a Coſmo fuerat Joan. Jacobus [f] Medicinus Melenianus, paulo ante mortuo Joan. Bapt. [g] Sabello; ſed cum jam in itinere eſſet morbum cauſatus ſe excuſavit. Diverſa parte per [h] Umbriam Aurelius [i] Fulgoſius regis nomine delectus habebat. Primo impetu capta [k] Aſina-longa a Garſia; dein et [l] Lucinianum, quod IↃC hominum praeſidio a [m] Moreto Calabro tenebatur, deductis ante a Thermo praeſidiariis: et, cum Garſiae dirui placeret, a Coſmo conſervatum, quod Florentinorum ditionis eſſe diceret, eaque de re jam a longo tempore litem Senenſibus cum ipſis fuiſſe. Coſmus ſub id [n] Leonem Ricaſolium, quem [o] Senas, magis ut exploratorem quam, ut prae ſe ferebat, componendis rebus oratorem, legaverat, frementibus Senenſibus, revocat: eumque propter Mendozae et Hiſpanorum recens odium nulla ratione civeis ad concordiam adduci, noſtris rerum in urbe potientibus, nec vero vi urbem animatis ita civibus expugnari poſſe animadverteret, vicina oppida et arceis capiendas ac milite firmandas cenſuit, ut ita in dies arctius circumſeſſam eam tandem commeatus penuria ad deditionem compelleret. Itaque, Luciniano capto et ignobilibus aliquot in Clanienſi valle oppidis, Garſias [p] Montem-fellonicum ſtatuit adoriri. Praeerat ei [q] Sertorius Tienae comes Vicentinus cum CLXXX circiter praeſidiariis; qui, ubi rem in eo eſſe vidit, ut tormenta admoverentur, locum deſerit. Inde Corſinianum, hodie Pienzam, itum eſt; quam Jordanus Urſinus defendendam ſuſceperat: ſed, citius opinione tormentis admotis, cum ſatis temporis ad coepta propugnacula in juſtam altitudinem adtollenda non habuiſſet, diſcedere et [r] Montem-Ilcinum cum ſuis ſe recipere coactus eſt. Cluſium Paulus Urſinus tenebat: Groſſetum, a quo ſibi plus metuebat Thermus, jam appulſis Germanorum ex Gallia Ciſalpina et Hiſpanorum ex Sicilia et Neapoli copiis, miſſus Corn. Bentivolius cum CCCC peditibus et CC levis armaturae equitibus, qui oram maritimam tuerentur. Cum contra Montem-Ilcinum tenderet Garſias, in itinere [s] Monticulum, caſtellum exiguum, ſed ſitu munitum, et quod Montem-Ilcinum obſidentibus multum a tergo incommodare poterat, aggreditur: in quo plus, quam ſibi perſuaſerat, negotii fuit. Nam Hadrianus Baleonus ex iis, qui [t] Corſiniano exierant, aliquot milites ſecum retinuerat, et cum CCCC delectis locum defendendum ſuſceperat. Tentata noctu aggreſſio ab Aſcanio Corneo; ſed irrito ſucceſſu, amiſſis pluribus ex ſuis, et ipſo ſaxi ictu in ore vulnerato. Cum aſtu non ſuccederet, vis adhibita eſt. Locus is undique editus, unde et nomen ſortitus eſt, ac magna ex parte praeruptus, vix commode verberari poterat. Tandem ſumma difficultate deductis in tumulum tormentis, (nam menſe Martio ob continuos imbreis ſolum adeo luto corruptum erat, ut vix equi et homines in veſtigio conſiſterent) dejiciuntur propugnacula, et murus aperitur. Bis aggreſſione facta, bis repulſus hoſtis; amiſſa tamen turre, quam Hiſpani occupaverunt: ſed, cum pulvis tormentarius deficeret, praeſidiarii vitam pacti deditionem faciunt XII Kalend. April. cum XXI dies hoſtem remorati eſſent. Ademptis armis, milites dimiſſi ſunt; ab hoſte admodum laudati, quod gnavam adeo operam in ignobilis oppidi defenſione navaſſent. Captus [u] Baleonus et Corſinianum deductus eſt. [x] Bonconventum

Joannes

INTERPR. [a] *Val di Chiana.* [b] *Chiuſi.* [c] *la Maremma.* [d] *Orbitello.* [e] *Groſſeto.* [f] *di Medicino, marquis de Marignan.* [g] *Savello.* [h] *l'eſtat d'Urbin & la Marche d'Ancone.* [i] *Fregoſe.* [k] *Aſina lunga.* [l] *Lucignano.* [m] *Moreto Calabreſe.* [n] *Lione da Ricaſoli.* [o] *Siena.* [p] *Monte-fel'onico* [q] *il conte Sertorio Thieneo Vicentino.* [r] *Montalcino.* [s] *Monticchiello.* [t] *Pienza.* [u] *Baglioni.* [x] *Buonconvento.*

CIƆIƆLIII.
HENRICUS II.

Joannes [a] Jucundus cum levis armaturae ala tenebat: is, levi armatura Neapolitana veniente, quam ducebat [b] Biſiniani princeps, locum deſerit, atque in itinere interceptus, amiſſis xx ex ſuis, fuſus eſt: intercepti et ccc circiter ex noſtris, qui [c] Tregadam tenebant. Ita plerisque locis praeſidia diſpoſuerat [d] Thermus; non quod ea defendi poſſe cenſeret, ſed ut hoſtem ad ſe venientem diſtineret, et interea muniendi ſui ſpatium [e] Cluſinis, Groſſetenſibus et Mont-Ilcinenſibus daret. Diverſa parte, in ora maritima, Germani Lodroniani [f] Juncarico egreſſi, ut frumentatoribus ex [g] Plombinenſi agro profectis praeſto eſſent, a Cornel. Bentivolio et Alexandro [h] Interamnate male mulctati ſunt, captis pleriſque, pluribus occiſis, et amiſſis ſignis. Itaque, qui ſuperfuere, non jam de bello in ora maritima gerendo, ad quod deſtinati fuerant, ſed ut ſe quamprimum per [i] Volaterranum agrum et [k] Arni-vallem magno circuitu ad exercitum conferrent, cogitare coeperunt. Jam Montem-Ilcinum exercitus convenerat, quo ſe Jordanus Urſinus cum [l] Mario Sanfloriano et Camillo Martinengo incluſerat, belli omnem impetum, qui in ipſum vertebatur, excepturus. Oppidum loco arduo ſitum per collem porrigitur tribus fere partibus inacceſſum. Editiori urbis parti, cui arx inſidet, planities quaedam ſubeſt; ad quam impetum fieri placuit, quod arce capta deditionem ſtatim oppidi ſubſecuturam putaret Garſias. Admotis igitur reſurrectionis Dominicae die ad illam partem tormentis, cum parum proficeret, et crebris interea eruptionibus noſtri hoſtem fatigarent, II CIƆ peditum legi imperat per Etruriam, qui aggerem ſervarent; genus hominum, aemulatione Hiſpanorum, etiam ad faciendas aggreſſiones promptum. Dejectis continua verberatione propugnaculis, cum murum intus altiſſimum ſupereſſe et poſt murum aggerem videret Garſias, quem ſuperare et labor magnus et periculum erat, ad fraudes animum vertit; Moretumque Calabrum exulem ſolicitat, in patriam honorificum reditum et bonorum reſtitutionem pollicitus, ſi portam oppidi proderet. Ille, re cum [m] Urſino communicata, oblatam conditionem accipere ſe fingens, hoſtem hora condicta venientem fruſtratus eſt; paucioribus tamen, quam ſperaverat, interceptis. Cum vero Roma xx CIƆ aureorum Montem-Ilcinum mitti per exploratores Garſias comperiſſet, in itinere prope [n] Faliſcorum-montem, ditionis pontificiae locum, per delectos pecuniam intercipit. Sed re evulgata cum [o] Viterbii pontificius legatus Garſianos, pecuniam ut apud ſe deponerent, coëgiſſet, et orator regius apud pontificem de facto expoſtularet, ea omnis, quantumvis frementibus Caeſarianis, pontificis juſſu regiis miniſtris reſtituta eſt. Felicior fuit ſucceſſus in [p] Montanio et [α] Jo. Galeacio Sanſeverino [q] Gajacii comite capiendis, qui [r] Senis v CIƆ aureorum Montem-Ilcinum ad praeſidiarios deferebant: omnes enim aut occiſi aut in manus hoſtium cum pecunia devenerunt. Interea pontifex, urgente Coſmo, qui de belli exitu vereretur, et propter viciniam multum damni acciperet, cardinalem [s] Peruſinum Aſcanii [t] Cornei fratrem Florentiam, et [u] Sermonetam Senas mittit, qui rerum pacificandarum viam inirent: quod ubi parum procedere vidit, ipſe cum Jo. Manrice Caeſaris apud ſe oratore Viterbium venit, ut praeſens negotio intereſſet. Ibi eaedem, quae prius, conditiones in medium a pontifice proponuntur: in quas tunc Caeſariani conſentiebant, quod Turcicam claſſem jam in altum evectam eſſe ſcirent, et copias Neapolim neceſſario reducendas eſſe providerent. Fregerunt et iis animos felices in [x] Subalpina regione noſtrorum ſucceſſus; et in primis Vercellae nuper a Briſſaco captae ac direptae. Detecta quoque Senis conjuratio, in cujus eventu omnem fiduciam poſuerant; de quibus, antequam ulterius progrediar, aliquid dicendum eſt.

X.

VAR. LECT. [α] Jo. Galeacio Sanſeverino *deſunt* P D o f. d.

INTERPR. [a] *Gagliardo.* [b] *Biſignano.* [c] *Trequanda* [d] *de Thermes.* [e] *ceux de Chiuſi, Groſſeto, & Montalcino.* [f] *Giuncarico.* [g] *di Prombino.* [h] *da Terni* [i] *il Volterrano.* [k] *Valdarno.* [l] *il conte Mario di Santafiore.* [m] *Orſino.* [n] *Monte-fiaſcone.* [o] *Viterbo* [p] *di Monte.* [q] *Cajazzo* [r] *Siena* [s] *le cardinal de Perugia.* [t] *della Cornia.* [u] *le cardinal Sermoneta* [x] *Piedmont.*

X. CUM Ferdinandus Gonzaga, de quo crebrae apud Caeſarem querelae quotidie afferebantur, in omnium rerum egeſtate verſaretur, ad haec ſummo ſuorum odio premeretur, ne nihil ageret, [a] Benam in Lingovillae pago caſtellum munitum oppugnare decrevit ſub Junii initium, expeditionis auctore [b] Trinitatis comite: qui, cum Benae comitem fratrem noſtris partibus addictum Benae poſſeſſione exuere cuperet, Gonzagae perſuaſerat, tunc conſumpta annona magnam in oppido penuriam eſſe, eoque procul dubio factum iri, ut oppidani adventante exercitu ſtatim deditionem facerent. Cum Gonzaga hac fiducia exercitum propius admoviſſet, Benae comes, qui a rebus omnibus imparatus erat, ad [c] Briſſacum ſcribit, qui tunc [d] Carmaniolae erat, et, quo in periculo ſit, oſtendit. Erant in oppido omnino IV ſigna peditum; nullus praeterea dux praeter Ludovicum [e] Ducum. Itaque ipſius rogatu [f] Blaſius Monlucius, a Renato [g] Birago praeſide exoratus, illuc mittitur, et cum eo Theodorus [h] Bedinius cum cohorte ſua. Octo poſt Gonzagae adventum diebus Monlucius Benam ingreditur, magna comitis et Gallorum laetitia. Cum, molatrinis extra oppidum igni conſumptis, et aqua averſa earundem uſu urbi adempto, ſperaret Gonzaga, etiam vi non adhibita, oppidum brevi deditum iri; Monlucius, dum hac ſpe ab impetu faciendo abſtinet Gonzaga, interea dabat operam, ut meſſis in urbem importaretur, et piſtrina grano molendo idonea pararentur. Igitur datum negotium [1] Joanni [i] Turino Hieronymi Turini famoſi illius ducis filio, ut inciſis obicibus aquam ab hoſtibus averſam in antiquum alveum reduceret. Id ſemel atque iterum feliciter peractum eſt; exque magna commoditas tantiſper in urbe ab obſeſſis accepta, donec ex lapidibus epitaphiis, architecti cujuſdam conſilio, molae ſabricatae ſunt. Interea emiſſis noctu ad certamen praeſidiariis, ſimul emiſſi ſunt et oppidani ɪↄc, qui cum inſtrumentis idoneis meſſem maturam diverſa parte ſecarent: quod tanta diligentia et ſtudio factum eſt, ut brevi annona obſeſſi abundarent. Quo animadverſo, Gonzaga, ſpe ſua deluſus, qui nulla tormenta ſecum adduxerat, ſoluta obſidione, retro cedere coactus eſt, non ſine manifeſta indignatione, et ſiniſtra de Trinitatis comite concepta opinione. Paulo poſt Briſſacus [k] Curtemiliam exercitum ducit, quam P. Salſeda olim cum Hiſpanis tenuerat. Oppidum eſt in Lingovillae itidem pago, quod fluvio dividitur, et arcem impoſitam habet, ac ſubjectum ſuburbium trans fluvium; ubi Briſſacus hoſpitium ſibi delegit. Citra fluvium ſub arce coenobium jacet; quo III ſigna, Boniveto ductore, illata ſunt. Eo deducta et VIII tormenta citra pontem lateritium, quo fluvius tranſmittitur; ut inde murus, qui coenobium ex adverſo ſpectat, verberaretur. [2] Jam [l] Pleſſius Richelius urbem occupaverat: ſed majus negotium in arce occupanda erat, quae niſi tormentis adhibitis capi non poterat. Interjacebat fluvius, quem tormenta tranſmitti neceſſe erat, ut ad illam partem admoverentur, qua verberatio commode fieri poterat. Itaque vadum tentari placuit, an illac fundo ſolido tormenta traduci poſſent. Id induſtria Monlucii contra reliquorum ducum ſententiam procuratum eſt, deducto etiam ad locum ipſo Briſſaco; et citra periculum tandem traducta tormenta, et aperto muro in urbem intromiſſa: quae ubi arcis praefectus praeter opinionem admota vidit, ſigno facto de deditione cum Boniveto egit. Interea Briſſacus, qui Alvarum [m] Sandaeum auxilio venire, jamque ad [n] Stephani-fanum V ab oppido milliaribus conſediſſe, intellexerat, relictis in urbe ac coenobio VI vexillis, collem oppoſitum cum reliquis copiis occupaverat, cum Sandaeo decertaturus. Sed ubi Sandaeus deditam arcem cognovit, ſtatim cum ſuis retro ceſſit. Richelius, qui in ea obſidione egregiam

INTERPR. [a] *Bene nelle Langhe.* [b] *de la Trinitad.* [c] *le mareſchal de Briſſac.* [d] *Carmagnole.* [e] *Duc.* [f] *Blaiſe de Montluc.* [g] *de Birague.* [h] *Bedeigne.* [i] *da Turino.* [k] *Cortemiglia.* [l] *du Pleſſis, ſeigneur de Richelieu.* [m] *de Sande.* [n] *San. Stefano.*

NOT. [1] Dele *Joanni Turino Hieronymi*: lege *Hieronymo Turino Joannis.* Montluc livr. 2. p. 163. Ed. de Paris 1594, d'ou eſt pris cet endroit, met, le capitaine Hieronyme fils du colonel Jean de Turin *Put.* [2] *Jam Franciſcus Pleſſius Put.*

CIↃIↃLIII.
HENRICUS II.

egregiam operam navaverat, loco cum ſummo imperio praeficitur. Mox Monlucius[a] Alba Pompeia egreſſus cum III cohortibus et II colubrinis[b] Sarnevallem tendit; factaque verberatione, cum praeſidiarii ad colloquium deſcendiſſent, noſtri poſtica parte ſcalis admotis in murum evadunt, et oppidum capiunt ac diripiunt. Quo facto, vicina Albae caſtella aliquot ultro deditionem fecere. Cum totis copiis[c] Briſſacus[d] Cebam aggreditur. Urbs eſt exigua, ſitu amoena et aedificiis elegans, itidem in Lingovillae pago, quae fluvio alluitur et collem impendentem habet, cujus in imo ſaxum praeruptum conſpicitur; ſaxoque impoſitum eremitae tugurium, ad quod per tabulam tranſverſam adibatur. Haud longe hinc propugnaculum erectum erat, quod foſſa cum urbe conjungebatur. Adventante Briſſaco, praemiſſi Franciſcus Bernardinus et Monlucius caſtrorum praefecti, qui caſtris locum deligerent, et hoſpitia deſignarent. Ii pugnandi calore muneris ſui obliti cum praeſidiariis egreſſis manus conſerunt, et ſuperveniente Boniveto fundunt; foſſaque ſuperata medii inter collem et urbem eos excludunt, ipſumque ducem interficiunt. Nocte vergente, cum nondum hoſpitia aſſignata eſſent, exercitus ſub dio pernoctavit: ſed praefectos caſtrorum ſucceſſus excuſavit: quo territi, qui tugurium ſaxo impoſitum tenebant, magnam partem Corſi, petito cum[e] Sanpetro Ornano colloquio, ubi de ducis ſui morte certo cognoverunt, deditionem faciunt; et auctores fuerunt iis, qui propugnaculum vicinum tenebant, ut idem facerent: iiſque ſe dedentibus, urbs Briſſaco patuit; qui, ne commeatus conſumeretur, loco ſtatim egreſſus eſt, relicto cum praeſidio[f] Lupo ordinum ductore. Cum ea loca tam facile capta recuperare fruſtra tentaſſet Gonzaga, extracto per inducias tempore, Aſtam ſe recepit; unde, cum aliud non poſſet, de[g] Valſenera munienda conſilium capit, ſolo fertili et commodo ſita, haud longe a[h] Villanova in Aſtenſi agro: quo loco occupato, fiebat, ut Ciſterna et[i] Damiani-fanum quaſi intra Aſtam et locum illum includerentur, et Albae ipſi multum ex eo incommodaretur. Ruptis induciis, in id ſumma diligentia incubuit Gonzaga, ut munitiones feſtinatis operibus excitaret: ſed, interceptis interim a Briſſaco[k] Vercellis, aliquantum interturbatum opus eſt. Id vero ita accidit. Deductis ex[l] Subalpina regione Germanorum legionibus, cum Gonzaga copias admodum exiguas, quae ſupererant, huc illuc per praeſidia diſtribuiſſet, innato ipſius et Hiſpanicae gentis odio, et contra Briſſaci atque adeo Gallici nominis ingenito popularium mentibus amore, factum eſt, ut multa conari noſtri, vix illi ſe tueri, poſſent. Itaque Briſſacus, cum Carmaniolam copias coëgiſſet, ſub exitum[α] Septembris ſummo ſilentio cum CIↃ IↃ CCC peditibus et CCCC equitibus profectus, Vercellas noctu invadit, et inſcenſis ſcalis capit. Supererat arx; quae a[m] Sanmichaëlio Hiſpano tenebatur, nec niſi tormentis capi poterat; quae Briſſacus, quo expeditior eſſet, minime ſecum adduxerat, ab exploratoribus monitus, in epiſcopi hortis machinas eſſe, quibus, capta urbe, ad arcem verberandam commode uti poſſet: et[n] Merula Monteſtrucius muri locum in arce ſe notaſſe aiebat, ad quem vel ſolius arietis impulſu magna ruina brevi tempore edi poſſet. Sed conatibus initio proſperis fortuna poſtremo invidit, Monteſtrucio, dum poſt captam urbem ſub diei crepuſculum Charrio quaſi gratulabundus obviam in amplexus ruit, a Charrii milite, qui illum rebatur hoſtem, imprudenter occiſo, et machinis, quae in urbe erant, minime inſtructis, ſicque inutilibus repertis. Itaque cum ſtatim Gonzagae juſſu vicina praeſidia paſſim ad[o] Germani-fanum conveniſſent, et periculum eſſet, ne arce et oppido clauſi noſtri interciperentur, Briſſacus direpta urbe, et omni Caroli ducis pretioſa ſupellectile, quae in palatio urbis repoſita erat, atque ingenti illo ac famoſo monocerotis cornu ſecum abſportato, captivis praeterea multis abductis, eam biduo poſt deſerit: primoque diluculo profectus, inſequente Caeſare[p] Magio cum[q] Demetrii Epirotae et

Tiberii

VAR. LECT. [α] Octobris *P D o.*

INTERPR. [a] *Alba.* [b] *Serravalle.* [c] *le mareſchal de Briſſac.* [d] *Ceva* [e] *San Petro Ornano* [f] *le capitaine Loup.* [g] *Valſenere.* [h] *Villanuova d'Aſti.* [i] *San Damiano* [k] *Vercelli* [l] *Piedmont* [m] *San Miguel.* [n] *Merle de Monteſtruc.* [o] *San Germano.* [p] *Maggi.* [q] *Demetrio Albanois*

Tiberii [a] Brancatii alis equitum, magnum diſcrimen adiit. Sed tardius adveniente Franc. [b] Ateſtino, qui [c] Creſcentio profectus fuerat, noſtri incolumes, non ſine aliqua tamen praedae jactura, tranſmiſſo [d] Duria ad ſua reverſi ſunt. Paulo ante Carolus dux Sabaudiae, miti ac ſimplici ingenio princeps, ſed adverſae fortunae, quam tota vita fere expertus eſt, ſuſtinendae impar, Vercellis deceſſerat XVII Kal. Septembreis, relicto Philiberto Emmanuele filio, longe diſpari ingenio et fato; quippe qui virtute ſua, quae in multis enituit, meruit, ut paternae ditioni, qua ſpoliatus fuerat, reſtitutus, honorificentiſſimam longe adfinitatem nobiſcum contraheret. Ceterum obſcurum Caroli nomen fecit, ut mors quoque ejus obſcura fuerit, multoſque, qui res horum temporum prodiderunt, feſellerit; atque Sleidanum in primis, diligentem alioqui ſcriptorem, qui mortem illius in ſequentem annum perperam conjecit. [e] Senis ſub id tempus Julii [f] Salvii, qui nuper plebis dux creatus fuerat, (is ſummus inter plebeios magiſtratus eſt) conſilia detecta ſunt. Nam cum ſumptibus immodicis bona ſua et fratrum, quos multos habebat, exhauſiſſet, ſub [g] Picolomineo Amalfitanorum duce, qui a Caeſare reipublicae praefectus fuerat, ex publicis opibus privatas lacunas ſarcire ſolitus, cum id amplius non poſſet, homo alioqui natura rerum novarum cupidus, cum [1] Novemvirorum ordine, qui regis rebus non ita favebant, conſilia conferere coepit; tandemque a [h] Leone Ricaſolio Coſmi oratore corruptus, clam Hiſpanis, nam ſpecie civitatis atque adeo Etruriae a [i] Tranſalpinorum jugo liberandae res gerebatur, portam urbis ipſi traditurum pollicetur. Huic ſe adjunxerat Hieronymus [k] Piſanus, qui plebis praefecturam ambiverat, et a rege dignitate impetrata a Ferrarienſi et [l] Thermo repulſam tulerat; indeque contracta indignatione Aeneam Picolomineum primarium virum contra Gallos ſolicitabat, et, ut de patria in libertatem vindicanda cogitaret, ſedulo incitabat. Sed aſtu Moteti re detecta, Julius Salvius et frater ejus Octavianus, [m] Vinalii item fratres, capti et conjurationis convicti capite luerunt. Aeneae parcitum ob nobilitatem et amplitudinem familiae, quod, quamvis ſuſpectus eſſet, ab Hiſpanorum tamen rebus abhorrere crederetur. Cum hac ſpe excidiſſet Coſmus, et alioqui Caeſarianorum res nutarent, facile in conditiones a pontifice propoſitas ambo conſentiebant: jamque perſcriptae et obſignatae erant; tantum Ferrarienſis, qui poteſtatem a rege habere dicebatur, conſenſus requirebatur. Sed ille diu tergiverſatus, dum [n] Montis-Ilcini obſidio ſolveretur, tandem [o] Viterbium proficiſcitur; quo Caeſaris nomine Fr. [p] Toletanus Florentia venit, et Roma Ludov. [q] Sangelaſius Lanſacus; qui coram pontifice de Coſmo queſtus eſt, quod conſilio, pecunia, milite ac receptu Caeſarianos contra regem nulla offenſione laeſus juvaret. Ibi nihil agi potuit, cum Ferrarienſis ſubſcribere nollet, et Galli Senis excedere omnino recuſarent. Inde mox Ferrarienſis Flaminium [r] Stabiam Urſinum ad regem mittit, qui eum de Senenſium rebus certiorem faceret, et de Etruria ſecurum eſſe juberet. Interea de claſſis Turcicae adventu fama ſparſa, Petrus Paceccus cardinalis, qui Petro Toletano in regni Neapolitani adminiſtratione ſucceſſerat, Garſiam urgebat, ut ad tuendam Siciliae, Calabriae, et Apuliae oram quamprimum copias reduceret; neque ſpe Senas capiendi, quae incerta eſſet, certum de amittenda Neapoli periculum adiret. Decreverat Garſias IV CIↃ peditum Italorum in Cortonenſi agro relinquere, qui ſe abſente per regionem libere graſſantes proximam meſſem corrumperent; ſic enim tandem Senenſeis commeatus inopia ad pacis conditiones adduci poſſe: ſed, cum pecunia ad ſtipendium deeſſet, conſilium illius fruſtra fuit. Igitur deducto ex Etruria exercitu per pontificiam ditionem feſtinatis itineribus Neapolim contendit. Coſmus, quem Caeſariani, nullo alio operae pretio facto, cum rege commiſerant, et Gallorum viribus ac potentiae ſine ullo

INTERPR. [a] *Brancaccio.* [b] *d'Eſte* [c] *Creſcentino* [d] *la Doria baltea* [e] *Siena.* [f] *Salvi, capitano di Popolo.* [g] *de' Piccolomini, duca d'Amalfi.* [h] *Leone da Ricaſoli* [i] *des François.* [k] *da Piſa.* [l] *de Thermes.* [m] *due fratelli de' Vignali.* [n] *Montalcino* [o] *Viterbo.* [p] *de Tolede.* [q] *de St Gelais, ſeur de Lanſac.* [r] *de Stabbia Orſino.*

NOT. [1] Adriani met *Alcuni dell' ordine de' Nove* Pat

CIↃIↃLIII. HENRICUS II.

ullo auxilio objecerant, cum pedem retro ferre non poſſet, dolorem diſſimulavit, in omnem curam intentus, ut alienam culpam corrigeret, neque conſilii poenitere videretur. Itaque tormentis ad [a] Politianum deductis, revocatum ſuum militem per vicina praeſidia diſtribuit; et partim Politiano, [b] Foliano, et [c] Luciniano, quod tunc tenebat, partim [d] Arretio, [e] Caſſiani ac Geminiani ſanis, aliiſque locis impoſuit. Senenſes contra, Montis-Ilcini ſoluta obſidione, non jam ſecure ſed inſolenter omnia agebant: ſucceſſuque elati a Coſmo ſuperbe Lucinianum repoſcunt; quod, quamvis ille negaret, et oppidum ſenatus [f] Bononienſis ſententia olim Florentinis adjudicatum diceret, tandem interventu pontificis, cedente tempori Coſmo, impetraverunt. Tunc et ex inſolentia etiam in laſciviam effuſae mulieres exemplo virorum pro libertate arma ſumpſere. Nam poſtquam, ſublato Julio Salvio, ea poteſtas, quam ille nimiam ſolus obtinebat, in plureis diſtributa eſt, et, in tres regiones diviſa civitate, tres quoque plebis duces conſtituti ſunt, horum aemulatione III CIↃ circiter foeminarum tam nobilium quam plebeiarum, ſub Forteguerra, Picolominea, et Livia Fauſta, primariis matronis, nympharum habitu ſuccinctis, vexilla cum emblematis geſtantibus, luſtrata civitate, Thermo ipſo obſtupeſcente, in forum convenerunt, Franciae ac libertatis nomen inclamantes; et biduo poſt unaquaeque cum ſporta, palis ac marris, reliquiſque terrae fodiendae idoneis inſtrumentis, ſalutata ante archiepiſcopi aedeis B. Dei genitricis imagine, in cujus patrocinio urbs Senarum eſt, et accepta a Ferrarienſi cardinali benedictione, ad laborem diurnum muniendae urbis ſumma alacritate conceſſere.

XI. BELLUM Etruſcum utcunque coeptum eodem anno Corſicum excepit. In Genuenſeis, in quorum ditione Corſica eſt, non heri aut nudius-tertius reges noſtri jus ſibi arrogant. Nam cum cives, rerum ſuarum ſtatum pertaeſi, rempublicam in meliorem formam reducere cuperent, ante CC circiter annos oratores ad Carolum VI Damianum [g] Cataneum et Petrum [h] Perſium miſerunt, deprecatum, ut civitatis imperium accipere vellet: hiſque conditionibus, abdicante ſe imperio Antonio [i] Adornio duce, tranſacta res eſt, ut rex patronus ac legitimus reipublicae et omnium ejus ditionum dominus eſſet, ſalvo tamen jure imperii; ipſiuſque nomine praeſes natione Gallus imponeretur, qui duo ſuffragia in ſenatu, uti ſuperiores duces, haberet; ipſi amicos regis pro amicis, hoſteis pro hoſtibus haberent, ratis nibilominus foederibus, quae ipſis cum Conſtantinopolitano imperatore et Cypri rege intercedebant; praecipuae X reipublicae arces regis fidei et tutelae, atque ab ipſius milite ſervandae, committerentur; reſpublica in fide regis permaneret, nec ullo caſu a regia corona alienaretur. Exortis deinde Aurelianenſium ac Burgundionum in Gallia factionibus, quibus paene regnum peſſundatum eſt, Mediolani duces, propter viciniam, jus, quod reſpublica ultro regibus noſtris detulerat, in Genuenſeis [α] uſurparunt. Et teſtibus idoneis atque inſtrumentis fide dignis oſtendi poteſt, diu poſt illam uſurpationem, Mediolanenſium duces Genuenſium principatus ratione regibus noſtris tanquam directis ac ſupremis dominis fidem honorifice praeſtitiſſe. Idque Joannem Galeacium feciſſe, Ludovico XI rege, ſcriptis prodidit Philippus Comineus noſter commentario VI. Tandem, dejecto Ludovico Sfortia, Ludovicus XII antiquam poſſeſſionem recuperavit, et impoſito Philippo [k] Clivio praeſide per VIII annos imperium ejus tenuit. Rebellante deinde plebe, Paulus [l] Novius expulſis Gallis dux creatur: ſed Ludovicus, mox recepta urbe et ſecuri percuſſo Novio, arcem tanquam fraenum ferocienti multitudini impoſuit. Poſtremo, Octaviano [m] Fulgoſio ultro ſe in reipublicae gratiam ac commodum imperio abdicante, Franciſcus rurſus regum Franciae jus in ea retinuit; et Fulgoſius ipſe regis nomine

VAR. LECT. [α] uſurparunt. *Hinc ad* Tandem dejecto, *quatuor circiter lineae, deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Monte-pulciano* [b] *Foiano.* [c] *Lucignano* [d] *Arezzo.* [e] *San Caſſiano, e San Geminiano* [f] *de Bologne.* [g] *Cataneo.* [h] *Perſio.* [i] *Adorne* [k] *de Cleves.* [l] *de Novi.* [m] *Fregoſe.*

CIↃIↃLIII.
HENRICUS II.

nomine [a] totos IX annos reipublicae praefuit, donec poſt [a] Ticinenſe proelium Galli, omni Italia depulſi, Genuenſi quoque imperio exuti ſunt. Quod juris in Genuenſeis, idem ſibi et in Corſica eſſe eum exiſtimaret rex, eo magis hanc expeditionem ſuſcepit, quod alioqui, Genua Caeſaris partibus addicta, tranſitus per mare in Italiam omnis ſibi interclusus eſſet, et, Corſica occupata, ad oram maritimam Genuenſium tuendam et tranſportandas [b] Maſſilia in [c] Etrutiam copias via aperiretur. Jam certo de claſſis Turcicae adventu, duce Dragute, conſtabat, quae numerum LX triremium, praeter XXVI Gallicas, quae in Chio inſula, [α] Antonio Iſcalino Adaemaro [d] Polinio duce, eo anno hyemaverant, explebat. Ad cujus famam Andreas Auria, paucos Genuae menſeis moratus, poſtquam P. [e] Toletanum [f] Liburni expoſuit, [g] Neapolim ad regni litus tuendum revertit. Interea, ubi claſſis noſtra ſub initium Junii in [h] ſinu Corinthiaco cum Turcica ſe conjunxit, ambae in Calabriam delatae ſunt. Ibi, diſcurrentibus per litus Turcis, multa damna popularibus inflicta. Relicto dein a tergo [i] freto Meſſanenſi, Siciliae oram legerunt, et, in [k] Pachyni conſpectu jactis anchoris, expoſitoque in terram milite, non ſine ſuorum clade, in Africam deſcenderunt; rurſumque Sardiniam delati, refecto milite, et purgatis triremibus, poſtremo ad Corſicam appulerunt: pars ad praedas faciendas ablegati; pars major, et in ea Dragutes cum Polinio, in [l] Ilvam impetum fecerunt. Id praeſenſerat Coſmus: et, inſtructa ac munita diligenter praecipua inſulae arce, [m] Portum-ferratum vocant, ei Lucam Antonium [n] Cupanum, et [o] Plombino, quod Ilvae objacet, quodque tentaturos noſtros putabat, Chapinum Vitellium cum CIↃCC delectis impoſuerat. Eo etiam Jacobus [p] Apianus Plombini regulus IV triremeis miſerat cum CCC delectis, duce Simeone [q] Roſſerminio Piſano, et copioſo commeatu, qui, ſeu Portus-ferratus ſeu Plombinum peteretur, praeſto eſſent. Capra a Dragute [r] Marcianum, [s] Capileverium, [t] Hilarii fanum, ac [u] Ripenſe oppidum: [x] Jugum arx vetus obſeſſa et dedita: ſed Dragutem fidem non ſervaſſe ſcribit Hadrianius. Urgentem fruſtra Polinium, ut aut in Portum-ferratum aut Plombinum impetus fieret, Dragutes audire noluit. Itaque Ilvae X dies commoratus praedis abactis in Corſicam rurſus renavigavit, tranſportatis ſecum Thermo, Jordano Urſino, Aurelio Fulgoſio, [y] Valerone, Joanne [z] Turino et Vincentio [aa] Thaddaeo, reliquiſque regiis ducibus; qui de rebus Etturiae ſecuri, relicto [bb] Senis Ferrarienſi, ad Corſicum bellum profecti ſunt. Noſtros Corſicam aggreſſuros, jam ante conjecerat Auria; et, veritus ne noſtri, ſi propius acceſſiſſent, facile ad ſuas parteis univerſos incolas, ut ſunt mobilia Corſorum ingenia, traducerent, Neapoli ad [cc] Georgianum Genuae magiſtratum ſcripſerat; et monuerat, ut maritima inſulae loca, ac praecipue [dd] Calvium et [ee] Bonifacium, praeſidio ac commeatu firmarent. Noſtri exſcenſionem in inſulam fecere VIII Kalendas Septembreis. Eorum in comitatu erat [ff] Sanpetrus Ornanus et alii Corſi a Genuenſium partibus alieni, Joannes Bernardinus Sanſeverinus Somae dux cum XI Italorum ſignis, et Valero VI Gallorum vexillorum dux. Praemiſſus Somae regulus cum ſuis, qui Baſtiam, in qua inſulae magiſtratus jus dicunt, in litore Etruriae oppoſito ſitam, aggrederetur. Sub ſecundam noctis vigiliam appulſis IV triremibus, quibus vehebatur, et expoſito milite, in muros non ita altos inſilit, et facile loco fere vacuo potitur, quod oppidani in arcem metu Turcorum confugiſſent.

VAR. LECT. [α] Antonio Iſcalino Adaemaro *deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de Pavie.* [b] *Marſeille.* [c] *la Toſcane.* [d] *Eſcalin des Aimars,* dit *le capitaine Polin,* *baron de la Garde.* [e] *de Tolede.* [f] *Livorno.* [g] *Naples.* [h] *Golfo di Lepanto.* [i] *Faro di Meſſina.* [k] *Capo Paſſaro.* [l] *Elba.* [m] *Porto-ferraio.* [n] *Cuppano.* [o] *Piombino.* [p] *Appiano.* [q] *Roſſermini da Piſa.* [r] *Marciano.* [s] *Capolivero.* [t] *San Ilario.* [u] *il Rio.* [x] *il Giogo.* [y] *Valeron.* [z] *da Turino.* [aa] *Taddei.* [bb] *Siena.* [cc] *magiſtrat de S. George.* [dd] *Calvi.* [ee] *Bonifacio.* [ff] *Sanpetro da Ornano.*

NOT. [a] *totos IX annos.* Octavian Fregoſe, aiant traité avec le roi François I, qui vint à la couronne l'an 1515, fut creé gouverneur perpetuel des Genois: mais Genes, aiant eité priſe par les Imperiaux en 1522, ne retourna en l'obeïſſance du roi qu'en 1527, lorſque Lautrec alla en Italie pour delivrer le Pape: par conſequent, Octavian ne peut avoir gouverné neuf ans entiers, ni juſques à la bataille de Pavie 1525. *Put.*

giſſent. Mane cum facere deditionem regis nomine juſſi recuſarent, diſploſis ex triremi tormentis territi conditionem accipiunt, vitam et res ſalvas pacti. Appulſa reliqua claſſe, [a] Thermus continuo [b] Florentii-fanum petit, ex a Baſtia milliaribus diſtans, oppidum in ſpatioſa planitie juxta mare; ceteroqui minime munitum. Praemiſſo Valerone cum ſuis, oppidani vix conſpecto hoſte dedunt ſe. Quod ſitus loci arrideret, placuit illum muniri; ſummoque ſtudio feſtinatis operibus in id incubuit Thermus. Interea ipſe locum ad [c] Petri-fanum vicum ſitu firmum in montibus vicinis deligit, ad quem non niſi per anguſtas fauces adibatur; quas milite ſervari et pro tempore muniri imperat, miſſo Sanpetro Ornano cum parte copiarum [d] [1] Vernucinum, hodie [a] Ajacium vocant, oppidum mercatoribus Genuenſibus frequens et opulentum; quod primo impetu captum, ac militi in praedam conceſſum eſt, Corſis Genuenſium ſibi infeſtorum opes avide diripientibus. Parte alia Dragutes cum ſuis Bonifacium obſidet, primarium Corſicae oppidum, et arcem belli olim, cum Piſani et Aragonii contra inſulanos bellum gererent, ideoque a Genuenſibus poſtea ſummis ſumptibus magnoque ſtudio munitum, ut adverſus omneis omnium hoſtium impetus tutum eſſe videretur. Longa et continua verberatione cum parum proficeretur, amiſſis jam IↃC circiter Turcis, [e] Naſius ex Provincia ordinum ductor, quem Thermus Draguti comitem adjunxerat, homo gnavus et rerum agendarum peritus, ſpecie cum aliquo ex obſeſſis ſibi noto colloquendi, ſigno dato quoſdam evocat, et quo in periculo verſentur, ſi diutius reſiſtant, oſtendit; Dragutem, clade accepta non tam debilitatum quam irritatiorem redditum, decreviſſe, vel cum ſuorum omnium jactura, damnum illatum ulciſci; nec dubium eſſe, cum in eo propoſito ſit, quin ipſos expugnaturus ſit, et ad internecionem funditus deleturus: igitur calamitati praevertant, et regis clementiam experiri quam extremum vitae periculum adire malint. His et aliis rationibus Naſius ab oppidanis obtinet, ut deditionem regi, vitam et res ſalvas pacti, facerent, non ſine occulta Dragutis offenſione, qui capiendae ultionis commoditatem et praedam quaſi paratam ſibi e faucibus eripi indignabatur: quorum tamen alterum poſtea occaſione iſta conſecutus eſt. Nam praetorianus quidam, qui, dum praeſidiarii, uti convenerat, egrederentur, inter ſuos ſtabat, conſpicatus ex praeſidiariis militem, qui egregium et affabre factum ſcloppetum geſtabat, eum proterve manibus ipſius eripere conatus eſt: ille injuriam non ferens, probroſum quippe ſumme militi, ſi arma ſibi eripi patiatur, directo in praetorianum ſcloppeto ipſum confodit; ſociique aliquot quaſi per rixam accurrentes ibidem inibi occiſi ſunt. Unde irritati ceteri in miſeros praeſidiarios ruentes ulciſcendi damni in obſidione accepti occaſionem arripuerunt; vixque Naſius ipſe, qui, quod fidem de incolumitate obſeſſis obligaſſet, ut rixam componeret, in medios venerat, Dragutis opera e Turcorum manibus ereptus eſt. Sigonius vi tentatum primo Bonifacium ac tandem fraude expugnatum ſcribit; nec tamen explicat. Rem, ut a noſtris perſcripta eſt, et veriſimilis viſa, expoſui. Utcunque ſit, capto oppido, Dragutes indignabundus in altum vela dat, et captivis multis abductis alieno maxime tempore noſtros deſerit, cauſatus proximam hyemem. Interea Polinius impoſito in triremeis milite Calvium tendit, oppidum in mari poſitum, trilatera forma, cui arx munita inſidet; undique fere inacceſſum, niſi ab ea parte qua Franciſcanorum coenobium ſubjectum habet. Suburbia a noſtris capta, et oppidum arctiſſime cinctum toto Septembri et Octobri, cum, diſceſſu Dragutis audacior factus, Auria cum claſſe ſupervenit. Nam Genuenſes caſu inopinato perturbati, cum ſe, Calvio excepto, totius Corſicae poſſeſſione depulſos dolerent, ad eam recuperandam toto animo incubuerant; eique negotio cum ſummo imperio Auriam praefecerant; qui, nulla affectae aetatis, jam enim LXXXVII annum exceſſerat, excuſatione uſus, ſuis rogantibus deeſſe

VAR. LECT. [a] Ajazum P. D. o. f. d.
INTERPR. [a] *de Thermes* [b] *S. Fiorenzo.* [c] *San Pietro.* [d] *Ajazzo.* [e] *le capitaine Nas de Provence*
NOT. [1] *Vernucinum.* Ptolemée le nomme *Urſinum*: et ſic lege *Put.*

deeſſe noluit; et, cum ſolemni pompa imperii inſigne in templo accepiſſet, mox Caeſarem de re certiorem facit; monetque praecavendum in primis, ne noſtri Genuenſem populum frumenti ſubvectione intercluderent, atque ejus damni metu licet invitos ad ſuas parteis pertraherent. Ob id ad Caeſarem legatus decernitur, qui eum impenſe oraret, ut amicae reipublicae tam neceſſario tempore ſuppetias ferret. Is et prompto animo laturum ſe auxilia promittit, II CIƆ Hiſpanorum ac totidem Germanorum oblatis; et Auriae, ut omneis ad id bellum triremeis ſuas conferret, ſcripſit. In eam rem dilectus per Etruriam Genuenſes habent; et Chapinum Vitellium, qui Coſmo militabat, delecto militi praeficiunt, ac Lud.[a] Viſtarinum caſtrorum praefectum creant. Dum claſſis apparatur, Auguſtinus[b] Spinula cum XXVI triremibus praemittitur: cujus adventu[c] Calvii obſidio ſolvitur, Thermo ad eum locum, quem in vicinis montibus muniverat, ſe cum ſuis recipiente. Mox cum toto exercitu Auria Corſicam verſus curſum intendit; eo conſilio, ut, cum novitium militem haberet, a meridionali inſulae parte, in qua infirmiora loca noſtri tenebant, initium faceret, atque eadem opera ſuos exerceret, [d] Vernucinumque ac[e] Bonifacium, cujus civeis bene affecto erga rempublicam eſſe animo ſciebat, reciperet. Sed[f] Corſum promontorium ſecunda navigatione praetervectus, cum ſubito coorta tempeſtate citra periculum ultro progredi non poſſe animadverteret, (jam enim Novembri ineunte hyems ingruebat) conſilium ex tempore neceſſarium cepit; et in[g] Fani Florentii ſinum claſſem intulit. Oppidum illud noſtri valido praeſidio tenebant; et feſtinatis operibus muniebant. Sed, cum ex Genuenſi quodam, qui oppido profugerat, certo cognoviſſet Auria, magna rei frumentariae inopia oppidanos laborare, locum obſidendum eſſe ex praefectorum conſenſu decretum eſt: quam ad rem fecere animos aliquot naves Hiſpanae IV CIƆ Hiſpanorum vehentes, a Philippo Hiſpaniarum principe ſummiſſae. Cetera quoque ad eam obſidionem neceſſaria diligenter a Coſmo ſubminiſtrata ſunt; ac CC equites miſſi, ducibus Carloto[h] Urſino, Troilo[i] Roſſio comite, Barthol.[k] Rhodienſi et Paulo[l] Cerata. Interea, ut hoſtis aliquod operae pretium faceret, Baſtiam, quae haud longe hinc abeſt, expugnare ſtatuit; eoque V vexilla cum aliquot triremibus mittit. Eam L ſolummodo Galli tenebant; qui nihilominus animoſe reſtitere, et niſi admotis tormentis deditionem facere recuſarunt. Cum inde egrederentur noſtri, indignati Hiſpani tam exiguo numero homines adeo audacter ſibi illuſiſſe, pudore in iram verſo, parum abfuit quin, contra fidem datam, in eos, ut gratia et conditionibus indignos, infeſtis ſignis incurrerent: fides tamen Italorum interventu ſervata fuit. Inde totus belli impetus in Fanum Florentii vertitur; et, quamvis continuae foeda hyeme pluviae terra marique militem infeſtarent, ipſe Auria, nullo neque aetatis neque curarum incommodo fractus, conſtantiſſime in obſidione perſeveravit: noſtrique tandem conſtantia ejus victi et extrema penuria coacti deditionem poſt trium menſium obſidionem fecere, uti deinceps dicemus, quando ad inſequentem annum haec pertinent.

XII. UT vero etiam domeſtica attingam, hoc anno III Eid. Febr.[m] quaeſtores aerarii IV ſeu theſaurarii, qui patrimonii regii, quod vulgo Domanium vocant, curam gerebant, ac totidem indictionum et oblationum praefecti, vulgo Generales dicti, cum huc uſque ſeparata munia habuiſſent, et, dilapidato fere per oppignerationes regio patrimonio, illorum eſſet inane nomen, utrorumque nomina et functiones confuſae ſunt; aucto numero, et coactoribus primariis, qui XVI erant, aequato: inde ingens pecunia corraſa, nec aliud praeterea operae pretium fuit; patefacta interim porta ad immodicum illum, qui poſtea crevit, et maxime omnium hodie quaeſturam regni gravat, munerum publicorum numerum. Nec multo poſt fabrica monetaria Lutetiae inſtituta eſt a Gul. Marillaco; in qua aurei argenteique nummi elegantiſſima forma cudebantur, ita ut fraus, quae in decurtandis aliis a plagiariis impune admittebatur,

in

INTERPR. [a] *Viſtarino.* [b] *Spinola.* [c] *Calvi* [d] *Ajazzo.* [e] *Bonifacio.* [f] *Capo Corſo.* [g] *Golfo di San Fiorenzo.* [h] *Orſino.* [i] *de' Roſſi.* [k] *da Rodi* [l] *Cerato* [m] *Treſoriers generaux de France*

CIↃIↃLIII. in iis facile deprehendi poſſet: ſed poſtea intermiſſa, quod in ea plus formae quam
HENRICUS II. ponderis et aeſtimationis ratio habita eſſet. Lex item VIII Eid. Maii in ſenatu promulgata eſt, qua [a] praediorum urbanorum vectigalium poſſeſſoribus vectigalis redimendi poteſtas facta eſt, pretio definito, quod vicenorum annorum fructus penſionesve exaequaret. Mox legem interpretatus eſt princeps; et, ne tritici vinive vectigalia, et aliarum denique rerum, quam pecuniae, redemptitia cenſerentur, ſanxit. Hoc utilitati publicae datum. Plus aulicorum avaritiae conceſſum. Nam eodem anno actuarii publici in unaquaque regia curia edicto conſtituti ſunt; apud quos omnium rerum contractus, qui L Francicûm pretium excederent, deſcribi jubentur. Alii item edicto ſcribae creantur; apud quos acta omnia, quae ad ſacerdotia pertinent, exſcribi praecipitur. Utriſque quaeſitus color, ut nimirum falſitatibus obviam iretur. Denique et lege lata duplicatus eſt coactorum fiſcalium numerus; atque ſancitum, ut, cum annum munere defuncti eſſent, inſequenti rationes ad aerarium referrent, nec ad munus gerendum admitterentur, donec reſiduum exſolviſſent: quod idem poſtea obtinuit in iis omnibus muneribus, quae rationibus reddendis obnoxia eſſent; ita per multiplicatos aerarii rationales ſenſim imminuto ipſo aerario.

XIII. TUNC et multi in Gallia ob religionem ſupplicio affecti ſunt: ac [b] Lugduni quidem Martialis [c] Albus, Petrus [d] Scriba, Bernardus [e] Seguinus, Carolus [f] Faber, Petrus [g] Navierius, alii; qui omnes publicis [h] Bernatum ſumptibus Lauſanae operam literis dederant, et religionis, quam Bernates profitentur, propagandae cauſa in Galliam ſummiſſi fuerant: antequam tamen ejus rei quidquam egiſſent, comprehenſi publice cremantur; nec, ut iis parceretur, Bernates a rege impetrare potuerunt. Cum ad ſupplicium ducerentur, una quoque Ludovicus [i] Marſacus homo militaris, ſed qui in ſacris libris legendis multum temporis contriverat, productus eſt, minime revincto collo, ut fieri aſſolet; ſic enim judex, quod ille regi militaſſet, juſſerat: cumque videret ſociis indutum collo a carnifice laqueum, quaeſivit a praetore, an eorum potior quam ſua cauſa exiſteret: Cur enim, inquit, non me ſimili torque donas, et tam illuſtris ac praeſtantis ordinis me quoque equitem creas? Quo dicto alludebat ad uſu receptum inter principes morem, qui, quos cohoneſtare volunt, in ſui ordinis numerum cooptant, et torqui, veluti honoris ac virtutis inſigni, donant. Saeviebat tunc ultra modum Lutetiae peſtis; et multi quotidie ob religionem flammis exurebantur: cujus rei invidia a multis in cardinalem [k] Turnonium rejiciebatur; qui, regni tranquillitatis ſumme ſtudioſus cum eſſet, nec citra turbas in cauſa religionis quidquam novari poſſe exiſtimaret, Sectarios omneis ut publicae quietis perturbatores odio proſequebatur: ſed culpam plures in [l] Pictaviam Valentinam conferebant; quae, ut [m] Aumalium et Marcianum generos captivos redimeret, ob religionem damnatorum bona fiſco adjudicata a facili principe, cujus ingenio abutebatur, veneficiis ſuis impetraverat, et per homines ſuos atque emiſſarios, quaeſtiones ea de re ut frequentes ac calumnioſae plerumque haberentur, curabat.

XIV. SUB finem Octobris, ne utrinque hic annus judiciorum ſeverorum exemplis careret, Michaël Servetus Tarraconenſis Genevae ſupplicio affectus eſt. Is profeſſione medicus, cum impuras manus ad theologiae ſacra attuliſſet, erroneas de ſacroſancta Trinitate et ad Dei contumeliam pertinenteis opiniones invexerat, libriſque editis defenderat. Igitur comprehenſus, cum ſententiam mutare nollet, re prius ex Joan. Calvini conſilio cum Bernatibus, Tigurinis, Baſileenſibus et Schafuſianis miniſtris communicata, tandem ad mortem damnatus eſt. Ejus doctrinam poſtea Calvinus, quod ei ex illius nece invidia conflaretur, propoſuit, et publicato libro confutavit; quo in haereticos etiam gladio a magiſtratu animadvertendum eſſe contendit.

Maio

INTERPR. [a] *rentes foncieres.* [b] *Lyon.* [c] *Alba.* [d] *Eſcrivain.* [e] *Seguin.* [f] *Favre.* [g] *Navieres.* [h] *ceux de Berne* [i] *de Marſac.* [k] *de Tournon.* [l] *Diane de Poictiers, ducheſſe de Valentinois.* [m] *les ducs d'Aumale & de Bouillon.*

Maio praecedente regina filiam pepererat; pro qua Margarita regis ſoror fidejuſſit, de ſuoque nomine appellavit.

XV. EODEM menſe Franciſcus Donatus Veneti ſenatus princeps diem ſuum obiit; a Joan. Donato cognato laudatus; in cujus locum Marcus Antonius Triviſanus, vir ſanctitate vitae et integritate quam rerum agendarum peritia melior, quamvis ſe excuſaſſet, communibus ſuffragiis ſuffectus eſt. Nec multo poſt de re feliciter adverſus piratas geſta affertur a Chriſtophoro Canali, qui, [a] Biſum Muſtapham latrociniis nobilem, Dalmatiae et [b] Iapygiae oppoſita litora utrinque infeſtantem, in ſinu Hadriatico apud [c] Hydruntem aggreſſus, primo impetu treis ejus biremeis tormentorum ictibus verberatas demergit, reliquas in fugam vertit, ipſumque mox Muſtapham pugna elapſum ſumma diligentia tandem adſecutus capit, et captum in furcam agit. Kalend. Januar. hujus anni Joannes Rivius, [d] Athendori, quod eſt oppidum [e] occidentalis Saxoniae, Albionis et Witichindi Saxonum principum patruelium ſacro lavacro auctoritate Caroli magni ablutorum nobile, natus, [f] Miſenae Hermondurorum, ubi ludo literario praeerat, obiit, cum annos cum ſaeculo numeraret. Is Coloniae primum, dein poſt Georgium Agricolam Zuiccaviae, poſtea [g] Annebergi, ac tandem Miſenae, ab Henrico Saxone Mauritii ſeptemviri patre evocatus, pueritiae ac juventuti inſtituendae ſedulam operam totos XXV annos impendit, Latinae linguae, ex Terentii praecipue fabulis, quas et notis illuſtravit, hauriendae et addiſcendae ſuis auctor et hortator aſſiduus: ad extremum ſtudiis theologicis ſe totum mancipavit; in quibus et multa ſcripſit: ac poſtremo defecit, Georgio Fabritio [h] Chemnicenſi, qui ejus vitam deſcripſit, in munere ſcholae regendae ſucceſſore relicto. Haud multo poſt, pridie Kalend. Mart. [i] Salfeldiae in natali ſolo tabe extinctus eſt Eraſmus [k] Reinboldus; qui ſecundum Joannem [l] [α] Mullerum Regiomontanum et Nicolaum Copernicum rem aſtronomicam maxime illuſtravit, additis ad Ptolemaicas et Alfonſinas directionum et motuum coeleſtium Prutenicis tabulis exactiſſime putatis cum logiſtica aſtronomicorum ſcrupulorum; plura praeſtiturus, niſi eum praematura mors nobis eripuiſſet: nam tantum annos XLII in vivis fuit. Poſt eum exeunte Octobri Jacobus [β] Sturmius, magnum nobilitatis Germanicae ornamentum, anno climacterico ſuo ex febri quartana [m] Argentinae e vivis exceſſit; vir et ob raram eruditionem et rerum agendarum peritiam inſignis; qui Joanni Sleidano ad ſcribendam hiſtoriam auctor et adjutor fuit; et Franciſco in negotiis, quae illi cum Imperii principibus et civitatibus erant, egregiam admodum ac fidam operam navavit. Menſe praecedenti VIII Eid. Joannes [n] Dubravius Skala, quod erat antiquum familiae, antequam in equeſtrem ordinem cooptata eſſet, nomen, debitum naturae perſolvit, apoplexia ſuffocatus; [o] Pelſinae non ignobili Bohemiae oppido natus; qui bello et pace impiger, patriae hiſtoriae luculenta ſcriptione bene de ſuis meritus, Ferdinando fidam operam navavit tempore belli Saxonici in Bohemiae ſedandis ſeditionibus, et, poſt illud feliciter confectum, in popularibus ſuis principi juſta ira accenſo conciliandis; [p] Olomucenſi in Marcomannis epiſcopatu ob id auctus, quem totum decennium ſumma prudentia et ſanctimoniae laude tenuit. Hic et annus abſtulit Joannem Baptiſtam Egnatium, familia honeſta, ſed in tenui re, Venetiis natum; [q] Angeli Politiani, qui bonas literas in Italia intermortuas excitavit, diſcipulum, quique eas non mediocri ſtudio illuſtravit, et ſcriptis et publica XL annorum profeſſione, cum ſumma totius Italiae admiratione; ob id ab illuſtriſſimo ſenatu eam gratiam conſecutus, ut, quanquam publico munere defunctus,

VAR. LECT. [α] Mullerum *deeſt* P.D.o.f.d [β] Sturmius, cum annum LXIII exceſſiſſet, vir et ob raram eruditionem et cum ſumma prudentia conjunctam probitatem inſignis, ex febri quartana Argentorati deceſſit. P.D o. *Hujus quod ſupereſt, Dubravii item Skalae quod ſequitur elogium, deſunt his Codd.*

INTERPR. [a] *Biſo.* [b] *Iſtria.* [c] *Otranto.* [d] *Attendorn.* [e] *Weſtphalie.* [f] *Meiſſen.* [g] *Amberg* [h] *de Chemnitz.* [i] *Salfeld.* [k] *Reinbold.* [l] *Muller de Koningſhofen en Franconie.* [m] *Strasbourg.* [n] *Dubraw.* [o] *Pilſen.* [p] *Olmutz en Moravie.* [q] *Agnolo Baſſi, dit Politianus, à cauſe qu'il eſtoit né a Montepulciano*

defunctus, eodem ſtipendio, quod profitendo meruerat, quotannis donaretur, et ejus bona ex decemviralis concilii decreto publico cenſu eximerentur. Tandem, ſacrum ordinem profeſſus, beneficii a republica accepti memor, treis ampliſſimas patricii ſanguinis familias, [a] Molinam, [α] Lauretanam et Bragadenam, ſupremis tabulis heredes inſtituit: qua in hereditate praecipue numeratur copioſa librorum ſupellex, nummis antiquis aureis, argenteis et aereis, aliiſque praeterea veteris aevi monumentis, inſtructiſſima. Obiit octogenarius IV Non. Quintil. ad B. [b] Marinae honorifice funeratus. Sed maxime omnium funeſta, quamvis non omnino immatura, mors fuit Hieronymi Fracaſtorii, Veronae loco nobili nati; qui ad exactam philoſophiae et mathematicarum artium, ac praecipue aſtronomiae, quam et doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, cognitionem, ſummum judicium et admirabile ingenium attulit; quo multa ab antiquis aut ignorata aut ſecus accepta adinvenit et explicavit, et medicinam, ut honeſtiſſime ac citra lucrum, ita feliciſſime, fecit: poëticam vero ita excoluit, ut ad Virgilianam majeſtatem proxime acceſſiſſe eum faterentur aemuli; et in iis Jacobus Sannazarius, alioqui parcus et amarulentus alienae eruditionis laudator; qui viſa ejus Siphilide non ſolum Joannem Jovianum Pontanum ſed ſe quoque ipſum in [1] opere accurata XX annorum lima perpolito victum exclamavit. Ei certe hujus faeculi ingens miraculum Julius Caeſar Scaliger, tanquam illarum, quas dixi, ſcientiarum et poëtices ſummum faſtigium conſecuto, aras erexit. Obiit in [c] Caphiis ſuis, villa amoeniſſima ad [d] Baldi montis radices ſita, quo ſaepe ab urbe ſecedebat, ſeptuagenario major, ex apoplexia VIII Eid. Sextil. Inde corpus ejus Veronam relatum, et ad B. Euphemiae ſepultum eſt. Aeneae illius, et Andreae [e] Naugerii patricii Veneti viri doctiſſimi, effigies ſcitiſſime expreſſae [f] Patavii in Benedictino fornice viſuntur, a Joan. Baptiſta Ramuſio utrique amiciſſimo poſitae, addita antiquae arae pervetuſta dedicatione ex ruinis [g] Salonae urbis erutae; ut, qui arcta inter ſe neceſſitudine conjuncti vixerant, et pulcherrimarum rerum ſcientias ac politiores literas adeo excoluerant, eodem in loco ſpectarentur, et a juventute Patavina univerſoque gymnaſio quotidie ſalutarentur.

XVI. INTEREA in [h] Dacia provinciae ordines Hiſpanorum inſolentiam et externum Germanorum jugum exoſi ad defectionem ſpectabant, inſtigante eos regina Iſabella; quae Sigiſmundi Auguſti fratris ope et favore procerum freta, cum videret verba ſibi a Ferdinando dari, nullum non lapidem movebat, ut, quae ſponte reliquerat, vi et aſtu recuperaret. Id poſtquam praeſenſit Caſtaldus, Alphonſum fratris filium in Poloniam mittit ad reginam Bonam Iſabellae matrem, quae Sigiſmundum filium in auxilium ſororis armare dicebatur; qui Ferdinandum paratum Iſabellae ſatisfacere, etiam ampliatis conditionibus, oſtenderet, modo res amice tranſigeretur. Interim ad Ferdinandum ſcribit; et, quanto in diſcrimine res ſit, demonſtrat. Nec non Iſabellae animum tentat novis promiſſis, et per Franciſcum [i] Chendium et Thomam [k] [2] Varocium ejus familiareis omnem operam adhibet, ut ab amicitia Turcorum ipſa diſcedat. Verum illa, quamvis Ferdinandi conditiones et benevolentiam in bonam partem accipere ſimularet, neutiquam tamen, ut ab incepto deſiſteret, perſuaderi poterat, aut certa Turcorum auxilia fallacibus Ferdinandi promiſſis poſthabenda duceret. Solymanus ſiquidem in Perſiam profecturus Moldaviae deſpotae negotium dederat et [l] Caſſumbego Tauruni praefecto, ut, conjunctis cum [m] Budae purpurato viribus, reginae praeſto eſſent. Cui tempeſtati paene impendenti ut praeverteret Caſtaldus, ordinum provinciae comitia ad Eid. Mart. Coloſvarae indixerat, ut in iis ratio iniretur, qua contra tantos belli apparatus provincia defendi poſſet. Interim Andr. Bathorius, cui denuo vaivodae titulus confirmatus fuerat, cum exercitu ex popularibus conflato

VAR. LECT. [α] Loredanam *Put.*

INTERPR. [a] *Caſa Molina, Loredana, e Bragadena.* [b] *Santa Marina.* [c] *Caſi.* [d] *Monte Baldo.* [e] *Navagiero.* [f] *Padoue.* [g] *Salona.* [h] *Tranſilvanie.* [i] *Quendi Ferentz.* [k] *Varkocz.* [l] *Caſſum-beg, baſſa de Belgrade.* [m] *le baſſa de Bude.*

NOT. [1] *opere*, c'eſt les quatre livres de *partu Virginis* *Put.* [2] *Varkocium* *Put.*

conflato temere cum Turcis equitibus praedas paſſim agentibus haud longe ab Agria conflixit, multis ex ſuis partim interfectis partim captis: quos uti redimeret, cum uno ex Solymani cubiculariis et ſacerdote item Mahumetano, qui ad Georgium Martinuſium venerant legati, et eo occiſo captivi in arce Vivarenſi jam multos menſeis remanſerant, Ferdinandi permiſſu permutavit; et ab eodem impetravit, quo in poſterum ſuſtinere Turcorum impetus et reprimere poſſet, ut CIↃ levis armaturae equites et totidem pedites ipſius ſtipendiis alerentur, et ſibi attribuerentur. Tunc et [a] Cumanorum populorum querelae auditae, qui antea [b] Zalnoci juriſdictionis fuerant, et Zalnoco capto ab [c] Agrienſibus vindicabantur, cum ipſi ſub [d] Waradinenſi ditione eſſe mallent. Tamen, interventu Caſtaldi et Bathorii mitigatis eorum animis, conventum, ut Agrienſis juriſdictionis eſſent, quo, ſic paulatim a Tranſylvaniae corpore avulſi, Pannonici juris efficerentur. Nec provinciae proceres interea, qui reginae favebant, ceſſabant Turcum de induciis ſolicitare, quas ſe ab eo rebus Aſiae diſtricto facile impetraturos confidebant; iiſque impetratis illud ſe quoque conſecuturos ſperabant, ut gravi deinceps et inutili externi militis onere ſublevarentur, atque ita reginae negotium ex voto procederet. Dum in eo eſſent, affertur de [e] Caſſumbegi adventu, qui cum exercitu quaſi [f] Devam oppugnaturus reginae rogatu in [g] Daciam deſcenderat. Alia parte, in Poloniae limite, qui Daciam attingit, XII CIↃ in armis eſſe nunciabantur: eoque temporius ad comitia venit Caſtaldus; quo jam omnes praeter Bathorium, qui valetudinem cauſatus ſe excuſaverat, convenerant. Petebat Caſtaldus, ut, antequam de induciis ageretur, exercitus par propulſandis Turcorum injuriis conſcriberetur, et pecunia ac commeatus in eam rem conferrentur; praeterea foſſores ſubminiſtrarentur ad munitiones jam coeptas [h] Cibinii, [i] Albae Juliae, ac [k] Saxabeſſi extruendas. Ad ea reſponſum; abunde quidem in provincia eſſe hominum, ex quibus exercitus conficiatur: ceterum eam adeo pecunia et commeatu exhauſtam eſſe, agri cultoribus fere aut extinctis aut profugis, ut nihil hujuſmodi ſubſidii a ſe expectari debeat; proinde, cum alterum ſine altero conſiſtere non poſſit, ante omnia de induciis agendum eſſe: interea neceſſarium videri, ut Ferdinandus homines armatos idoneo numero cum ſtipendio ſummittat, quibus Dacia ab Hungariae, [l] Braſſoviae, et [m] Lippae partibus defendi poſſit: de foſſoribus ad civitatum praefectos ſe ſcripturos recipiunt; et curaturos, ut Ferdinandi petitioni, quantum ad illud attinet, ſatisfiat. Ita diſſolutis comitiis, cum Hiſpanis, diu ſpe ſtipendiorum lactatis, ad extremum dimidium tantum ejus quod ſperaverant repraeſentaretur, tanta ſeditio exorta eſt, ut nullis Caſtaldi precibus aut minis retineri potuerint, quo minus raptis ſignis et novis ducibus creatis, quod in hujuſmodi motibus ſolemne eſt, injuſſi per Pannoniam iter Viennam verſus ceperint: quos, cum aliud non poſſet, brevi ſubſecutus Caſtaldus ſub Maii finem Viennam venit; arrepta hinc, uti creditur, honeſta occaſione, qua ſe periculo conjurationis procerum, a quibus opprimi cum Hiſpanis periclitabatur, homo providus ſubduceret. Is avare adminiſtratae provinciae invidia non caruit, ex Georgii theſauris ingentem quaeſtum feciſſe a multis creditus. Ceterum, quae diſceſſum ejus inſecuta ſunt, ipſius aut ſummam prudentiam arguunt, qui tot malis, quae provinciae impendebant, in tempore praevertit; aut raram felicitatem, cum poſt diſceſſum illius haec contigerint. Nam mox Clemens Athanaſius juſſu Iſabellae noctu [n] Pochaium caſtellum ſitu et arte munitiſſimum ſcalis admotis, dein et Agriam, aggreſſus eſt, ſed irrito ſucceſſu. Nec multo poſt [o] Petrus Vicchius, qui magnum procerum numerum ſecum trahebat, a Ferdinando defecit; et cum Turcis pactus Lippam verſus iter inſtituit, eo animo, ut Giulam et Devam reginae nomine occuparet. Saxones vero, cum occaſionem a Ferdinandi amicitia diſcedendi quaererent, ſuperbe ab

INTERPR. [a] *les Cumains ou Comaniens, qu'on nomme aujourd'huy les Circaſſiens.* [b] *Zolnock.* [c] *ceux d'Erla* [d] *Waradin.* [e] *Caſſum-beg.* [f] *Deva.* [g] *Tranſilvanie.* [h] *Hermanſtadt.* [i] *Weiſſenburg* [k] *Zaaſzebes.* [l] *Cronſtadt.* [m] *Lippe.* [n] *Pokay* [o] *Petrovicks.*

eo [a] Alvinium caſtellum, quod ſuae juriſdictionis eſſe dicebant, repopoſcerunt; et, ne occaſio deficiendi ipſis praeberetur, obtinuerunt. Nihilominus ſtatim Dacia omnis quaſi facto agmine ſub Iſabellae jura conceſſit; et illa indictis Cibinium comitiis ex ordinum coofilio res in provincia ordinavit. Sed eam laetitiam ſecuta peſtis, quae biennium integrum per eas regiones crudeliter graſſata eſt, partim imminuit; partim, quod bellum interea geri oon poſſet, res oovi regis ſtabilivit; renovata cum Moldaviae et Walachiae deſpotis amicitia, et arctiore foedere cum Budae purpurato et [b] Tauruni ac Boſnae praefectis facto.

XVII. Hoc etiam anoo res in Oriente turbavere, duobus Solymani filiis extinctis, et Ruſtano [c] primario purpurato a regoi guberoaculis remoto. Sed altius repeteoda origo. Ex Circaſſa ſeu Boſphoraoa concubioa filium ſuſtulerat Solymanus, nomine Muſtafam, aetatis flore et indole egregium; qui, ob conceptam de virtute militari apud vulgus opinionem, et ob aetatis praerogativam, ſucceſſor patri in imperio deſtinabatur: ex Roxolana, quae principem gratiae locum poſt Circaſſam obtinebat, plureis liberos geouerat; Mahumetem, qui patre ſuperſtite mortuus eſt, Selimum, Bajazitem, et [d] Zeangirem gibboſum a re dictum, ac filiam unam Camaenam appellatam, quae Ruſtano nupſit. Is ſubulco patre natus per omneis militiae et honorum gradus ad hoc faſtigium poſt Hebraimi purpurati mortem evectus fuerat; homo perſpicaci et acri ingenio praeditus, et, ſi avaritiam excipias, ampliſſima illa fortuna ceteroqui non indignus: quae tamen ipſa Solymaoo in bonum vertit, cura fiſci et rei pecuniariae ei commiſſa, a qua magnificus princeps et longioquis ac continuis expeditionibus exhauſtus saepius laborabat. Tanta vero diligentia et parcimonia munus illud adminiſtravit Ruſtanus, ut cumulatis ingentibus divitiis longo poſt tempore regia camera in principis palatio oſtenderetur, cum hoc titulo, PECUNIAE RUSTANI DILIGENTIA ACQUISITAE. Hoc genero freta Roxolana, ingentis alioquio animi mulier, liberos ex ſe procreatos cum etiam contra ſuccedendi jura evehere omni ope eniteretur, ut majorem apud Solymanum digoitatis gradum adipiſceretur, a ſimulata religione occaſiooem ſumpſit. Nam, cum templum et xenodochium aedificare impenſe percupere fingeret, hac arte principis, qui religionis et hujuſmodi operum maxime ſtudioſus erat, gratiam aucupans, ſummum legis apud ipſos ſacerdotem, is Muphtis appellatur, conſulit, an, quod animo deſtinaverat, ſibi ſaluti et animae bono futurum eſſet: cum reſponderet ille, rem quidem Deo gratam fore, ſed neutiquam animae ipſius bono ceſſuram, quippe quae captiva eſſet, nec quidquam proprium ſibi ſed domino poſſideret; adeo ut, quidquid factum ſit, non in ſuam ſed Solymani domini ſalutem ſit ceſſurum; tam iniquo animo reſponſum tulit, ut vitae taedere ſe omnibus manifeſtum faceret; eaque ratione Solymanum perpulit, qui ipſam inſano amore deperibat, ut, moeroris per emiſſarios clam ab ea ſubornatos cauſa cognita, ſtatim illam bono animo eſſe juberet, miſſoque nuncio per epiſtolam manumitteret. Poſtquam rem ex voto ſucceſſiſſe videt Roxolana, philtris ab Hebraea ſaga, uti jactabatur, ſubminiſtratis, jam devinctum principis animum novo aſtu aggreditur: nam ab eo tempore, ut deſiderium ſui excitaret, a Solymani complexu, obtentu religionis, prorſus abſtinuit; et, cum eundem Muphtim ſuper ea re conſuleret Solymanus, ille, compoſito cum Roxolana, uti vero ſimile ſit, dolo, citra Dei offenſionem cum libera rem haberi noo poſſe reſpondit; proinde, ſi tantopere ipſius amore ureretur, eam uxorem duceret. Ita Solymanus Roxolanam, cum aliter ea ſine piaculo potiri non poſſet, legitimae uxoris loco habuit; conſtitura etiam XV CIↃ aureorum annuorum propter nuptias donatione, quod oullus praeter eum ex Oſmanidis a Bajazitis I temporibus fecerat, more illo ducendi uxores, noo tam ob religionem, quod quidam falſo ſcripſere, quam ex occaſione, in deſuetudinem abeunte. Siquidem Bajazites ille, poſtquam proelio victus

INTERPR. [a] *Alvintz.* [b] *Belgrade.* [c] *le Grand Viſir.* [d] *Ziangir le Boſſu.*

victus in Tamerlanis manus venit, cum omni contumeliarum genere affectus fuit, tum vero id admodum indigne tulit, quod ipſius uxor, quae una quoque capta fuerat, in ejus oculis ad ludibrium injurioſe contaminaretur. Propterea veriti ſucceſſores, ne, ſi ſimilis caſus incidiſſet, ſimilem quoque injuriam pati cogerentur, a ducendis uxoribus in poſterum abſtinuere, contenti ex concubinis et pellicibus liberos tollere, in quas minus injuriae quam in legitimas uxores cadere videbatur. Cum vero Roxolana, ex ſervili conditione jam libera, et ex pellice principis conjux effecta, in dies majora animo conciperet; et inique admodum ferret, ex concubina ſuſceptum Muſtapham ex ſe natis in imperio praeferri, (nam ex pellicibus concepti aeque ac nati ex legitimis uxoribus in honore ſunt apud Turcos, tantumque in ſucceſſione aetatis praerogativa ſpectatur) de tollendo e medio Muſtafa cogitare coepit. Is aetatis opportunitate et bellicae laudis opinione praetorianis ſumme charus jam certa ſpe imperium tenebat; ſed in primis cum liberalitas apud milites commendabat, et ex comparatione Solymanum patrem magna invidia onerabat, qui, Ruſtano miniſtro ad ſordeis uſque avaro uſus, ſtipendia ipſorum quotidie contrahebat, et ex rebus viliſſimis quaeſtum faciebat. Igitur Roxolana, ſive ambitione incenſa, ſive etiam verita, ne, ſi Muſtafas in imperio ſuccederet, ceteros ex ſe natos fati inevitabilis neceſſitas maneret, blanditiis et artibus apud maritum tantum potuit, ut ejus animum a filio natu majore alienaret; primo illum a ſpecie imperio digna et exercitiis bellicis laudando, deinde a liberalitate, qua non ſolum [a] praetorianos ſibi devinxerat, ſed, ut ceteri prae ſe contemptui eſſent, effecerat: mox, ubi nutare Solymani mentem vidit, ex ſuſpicione eum poſtremo in odium adduxit, ambigua verba jaciendo, et exemplum Bajazitis et Selimi patris in medium afferendo: quibus artificiis tantum apud amore ſui furentem ſenem perfecit, ut, cum ille vitae genus et ſtudia Muſtafae ſuſpecta haberet, curioſe per miniſtros in eum inquireret, et omnem operam daret, ut, quid ille ageret, ad ſe diligenter perſerretur; denique ab eo tempore, non ut a filio ſed tanquam ab hoſte, ſibi caveret. More in ea gente recepto, filiis provincias diſtribuerat Solymanus: ac Muſtafae quidem Magneſiam primum, dein Amaſianam, ubi cum matre degeret, poſtremo Carahemidam [b] Meſopotamiae ad Perſicos fineis poſitam aſſignarat: Mahumeto primo ex Roxolana genito Ciliciam, quae hodie [c] Caramania appellatur; mox, eo mortuo, Selimo fratri, Magneſiam Bajaziti conceſſerat. Ruſtanus gener, qui Roxolanae negotium gerebat, ut Muſtafam patri magis ſuſpectum redderet, [d] Ioniae et regionum [1] Amaſiae vicinarum praefectis ſigillatim mandaverat, ut de Muſtafae indole et ſtudiis diligenter perſcriberent: rem enim gratiſſimam patri facturos, qui majorem natu filium in virtute indies proficere libentiſſime audiret. Illi doli ignari crebro ſcribebant; literaſque acceptas Ruſtanus Roxolanae dabat, quibus Solymani animus jam ſemel in ſuſpicionem adductus magis quotidie incendebatur. Interea nihil intermittebat noverca, quo privignum quaqua ratione de medio tolleret: cumque venenum fruſtra tentaſſet, periculo a praeguſtatore facto, qui ſubito mortuus dominum periculi admonuit, mox ad familiareis arteis confugit; et blanditiis a marito impetravit, ut contra morem filiis ſuis liceret in aulam venire; rata ſic ſenſim ſuorum amorem in ejus animo poſſe renovari et confirmari; Muſtafae contra odium augeri, aut certe oblivionem induci. Poſtremum ac potentiſſimum calumniae telum Muſtafae inflictum eſt a literis aſtu Ruſtani confictis; quibus perſcribebatur, Muſtafam cum [a] Tecmaſe Perſarum rege et Oſmanidarum jurato hoſte clam patre de filia ipſius ducenda agere, eo conſilio, ut externis opibus fretus juvenis generoſus, cum jam praetorianos ob liberalitatis opinionem et ſucceſſionis certam ſpem ſibi arctiſſime devinctos haberet,

CIƆIƆ.LIII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [a] Tecmaſo P.
INTERPR. [a] *les Janiſſaires* [b] *Diarbequir.* [c] Leunclavius vocat *Caraman-Ili.* [d] hodie *Quiſeon.*
NOT. [1] hodie *Amaſia*, olim *Cappadocia.* *Put.*

haberet, feſtinato ſuccedendi ordine, per ſcelus patrem imperio excuteret. His literis efferatus Solymanus anno, qui hunc praeceſſit, in [a] Syriam Ruſtanum cum exercitu miſerat, ſpecie belli contra Perſas gerendi, re vera ut Muſtafam jam perduellionis apud ſe convictum comprehenderet. Quod cum exſequi non potuiſſet, quaſi pacata omnia in limite offendiſſet, Conſtantinopolim ad Solymanum rediit, noviſque denuo ſuſpicionibus animum ejus implevit. Itaque ipſe, qui a Roxolana et Ruſtano genero deceptus rem praeſentia ſua egere nec citra periculum amplius differri poſſe perſuaſum haberet, cum exercitu hoc anno [b] Alepum venit, evocato e [c] Pannonia Achamate purpurato obtentu belli, uti ſuperiore anno, cum Perſis gerendi. Continuo accerſitur a patre Muſtafas; qui, quamvis ab Achamate moneretur ſibi exitium impendere, ſi veniret, nihilominus innocentia ſua fretus, quo jubebatur, ire decrevit, conſulto tamen prius legis Mahumedicae doctore ſuo; nam ſingulis Sultanorum filiis purpuratum et legis doctorem attribui moris eſt: a quo, cum adhuc animi dubius haereret, quaeſiverat, utrum homini optabilius eſſet, orbis imperium an beatam vitam conſequi; et, illo reſpondente, fluxa eſſe et caſibus obnoxia, quae in vita appetant homines, ac poſtremo viam ad ſempiternam felicitatem praecludere; ideoque vitam tranquillam, quae ſolo et coelo beet, longe optabiliorem eſſe, quam omnia terrae imperia; eo magis in opinione confirmatus fuit quoquo modo vel capitis periculo paternis mandatis obſequi. Nec religione quidem ſomniorum, quae plurimi apud ſuperſtitioſos Turcos fiunt, deterreri potuit, quo minus ſe in viam daret: viſus enim in ſomnis paulo ante auroram videre prophetam veſte candida et coruſcantibus radiis lucenti amictum, qui ſe manu duceret in viridarium admodum amoenum palatio ſumptuoſiſſimo et horto conſpicuum; et ibi quidem puras animas et quae in vita a ſanguine et vitiis abhorruiſſent aeterna beatitudine frui diceret, contra vero nocentum et flagitioſorum animas duobus fluviis ferrugineas piceaſque undas volventibus, quos haud procul fluere oſtendebat, innatare ac tandem mergi. Cum quaeſiviſſet a doctore ſuo, quid iſtud ſomnii ſibi portenderet, ille, et infauſtum ſomnium eſſe, et, ut ſaluri conſuleret, juvenem admonuit. Nihilominus cum familia, uti ſtatuerat apud ſe, ad patrem profectus obvios praetorianos habuit, qui venientem omni honoris ac benevolentiae ſignificatione excepere. Id aſtu Ruſtani purpuratorum principis factum, qui praecipuos exercitus duces ac praetorianos, quo filium magis ſuſpectum apud patrem redderet, ad id invitaverat; non voce ſed capite innuens, rem ipſos gratiſſimam Solymano facturos eſſe. Quo magis ſuſpicioſus ſenex ſibi feſtinandum exiſtimavit; admiſſumque intra tentorium Muſtafam per eunuchos et mutos homines, qui ſultano ad nutus ſemper praeſto ſunt, comprehendi jubet. Cum ille, ut erat robuſto corpore, contra plureis animoſe colluctaretur, ut non de vita tantum ſed de imperio videretur contendere, (quippe non dubium erat, ſi interfectorum manibus elapſus ad praetorianos confugiſſet, quin illi rei indignatione permoti non ſolum eum, quem ſumme amabant, ſervaturi, ſed etiam imperatorem ſalutaturi eſſent) Solymanus, qui linteis tantum parietibus a loco, in quo res gerebatur, disjungebatur, ubi moram interpoſitam videt, caput velo exſerens minaciter mutis innuit, et ſegnitiem eorum torvum tuens increpat. Quo animadverſo, illi redintegratis viribus jam ſpiritu caſſum Muſtafam ſternunt, nervoque injecto gulam miſero frangunt, cum ille diu fruſtra ſignis, ut cum parente colloqui poſſet, etiam in ipſo luctamine ad miſericordiam compoſito vultu expetiviſſet. Quo facto, Amaſiae purpuratum, qui illi datus erat juventutis moderator, ut conſiliorum participem, quamvis ejus opera uſum Ruſtanum quidam ſcribant in fabricandis illis literis, quae de matrimonio cum Perſa contrahendo fidem faciebant, ſecuri percuſſit; unaque [d] Michaelium patricium Venetum, qui puer a Turcis captus ſumma cum bellicae laudis gloria apud illos adoleverat, et principis vexilli ſub Muſtafa geſtandi dignitatem meruerat. Occiſo Muſtafa, cum eunuchi ad demortui theſauros,

INTERPR. [a] *Soria.* Poſtel vocat *Suriſtan* [b] *Alep.* [c] *Hongrie.* [d] *Micheli.*

ne

ne diriperentur, capiendos, Solymani juſſu accurrerent, nondum cognita Muſtafae morte, tumultus ingens inter milites exortus eſt, qui vix Achamatis praeſentia, quamvis plurimum apud eos valeret auctoritate, poſt II CIↃ amplius hominum mutuam lanienam ſopitus eſt. Ubi vero cadaver in tapete porrectum ante tentorium expoſitum fuit, et evulgata mortis cauſa calumniae propior, commiſeratione multi ſed plures furore incenſi ad apertam ſeditionem ſpectare videbantur, niſi dux defuiſſet. Nuſquam major in caſtris luctus; jejuniiſque continuatis miles dolorem verum teſtatus eſt: quem ut tandem aliquando placaret Solymanus, Ruſtanum, cujus impulſu et machinationibus id factum ſciebant omnes, ſigillo adempto ab adminiſtratione removit, et in ipſius locum Achamatem purpuratum, belli gloria quam conſilio clariorem ſuffecit. Id ex compoſito inter Solymanum et Ruſtanum factum apparuit, ut ille ſe invidia exoneraret, et onus in alterum rejiceret; cum tamen factum minime improbaret, cujus, ſi quidem illum ſerio poenitebat, auctores et conſiliarios morte mulctare potuiſſet. Certe Ruſtanus privati habitu, ut lateret, clam caſtris auſugit, et Conſtantinopolim citato curſu ſe contulit; ubi ſe tamdiu continuit, donec, Achamate Solymani juſſu interſecto, in priſtinam dignitatem reſtitutus eſt. Muſtafae crudeliter adeo interfecti caſum alterius fratris morte fortuna cumulavit. Nam pater, ut Zeangiri illuderet, quem ſciebat ſummo amore fratrem proſequi, in tentorium eum, ut Muſtafam viſeret, vocari jubet; qui obvia laetitia fratrem complexurus, ut jacentem humi conſpexit, adeo facti indignitate commotus eſt, ut, deplorata primo innocentis juxta ac generoſi juvenis morte, et immanitate patris graviſſimis ac contumelioſis verbis incuſata, poſtremo, ne tanto dolori diutius ſupereſſet, pugione in viſcera adacto in mortui pectus incumberet; ut, quos fati invidia tam cito diſſociaſſet, mors quamlibet praematura conjungeret. Quod graviter admodum tulit Solymanus, quaſi geminato filiorum funere impiata familia; ſparſaque fama, Zeangirem ex ſubita infirmitate deceſſiſſe, rem diſſimulari voluit. Ita proditum ab omnibus fere, qui Turcica literis commendarunt; atque in primis a Jo. Leunclavio, induſtrio ac fideli harum rerum ſcriptore. Rem tamen aliter narrat in epiſtolis ſuis elegantiſſimis [a] Augerius Giſlenius Busbequius, anno ſequenti Conſtantinopolim orator a Ferdinando miſſus; Zeangirem videlicet accepto fraternae necis nuncio ex moerore Conſtantinopoli mortuum eſſe; quod mortuo mox patre provideret, quicunque tandem in imperium ſuccederet, idem ei regni initium, quem ſibi vitae finem, fore, nullique illum e fratribus parciturum, ſed omneis ut imperii aemulos e medio ſublaturum: qua cogitatione non ſecus ac praeſenti exitio ita exhorruiſſe, ut ſtatim in morbum inciderit, quem ſubita mors conſecuta ſit. Placatis utcunque praetorianis, Solymanus e caſtris ſe proripuit, et Alepo urbe incluſit, in ſpeciem, ut a caſtrenſi ſtrepitu remotior res illic ordinaret; re vera, ut vitam ſuam, quod praetorianis iratis parum fideret, in tuto ad aliquod tempus poneret. Ibi aliquandiu commoratus, cum exercitu per Syriam in Palaeſtinam deſcendit; cumque ab Hieroſolymorum urbe IV dierum itinere abeſſet, rurſus Alepum reverſus eſt, quod Perſas, qui de filiorum caſu cognoverant, in Amaſianam provinciam deſcendiſſe et omnia circum ferro et flamma vaſtare intellexiſſet. Dum haec aguntur, unus ex principis cubiculariis, rem Selimo gratam ſe facturum ratus, quippe cui fratre ſublato imperii ſucceſſio deferretur, ad eum in [b] Ciliciam ſumma celeritate contendit, mortis Muſtafae nuncium ferens: quem ille nequaquam benigno vultu excepit, ſed tanquam funeſtae cladis indicem ſtatim interfici juſſit; antiquis heroibus in eo comparandus, et quibuſdam fortaſſe major, quod non ſolum nullum laeti animi ſignum ad tantae rei nuncium dedit, ſed ſceleratae ac praepoſterae impudentis nebulonis adulationi praemium dignum rependerit. Poenituiſſe quidem facti Solymanum, ultroque poenas ab uxore et genero repoſciturum fuiſſe, vel ex eo a multis creditum, quod poſt Muſtafae mortem, ipſius filium Mahumetem XIII circiter annos natum, ex Illyrica

INTERPR. [a] *Auger de Ghiſlin, ſeigneur de Boesbek ou Busbecq.* [b] *Caramania.*

ſerva

CIↃIↃLIII.
HENRICUS II.

ſerva ſuſceptum, [a] Pruſiadis praefectum conſtituit, ſummaque benevolentia proſequi viſus eſt: cumque filiorum corpora Pruſiadem deportarentur, ut majorum monumentis infertentur, repertae ſunt in ſinu Muſtafae literae de novercae et Ruſtani contra ſe conjuratione fidem facientes; quas ille ad patrem ingreſſurus ſecum attulerat, ut ſe apud eum purgaret, et crimina objecta dilueret. Quae cum ad Solymanum a Ruſtani aemulis perlatae eſſent, diu ancipitem ſenis animum tenuerunt, amore inde veneficae uxoris inde indignae necis ultione ardentem; donec ſe collegit, et, cum errorem ſemel admiſſum amplius corrigere non poſſet, quod ſupererat, in futurum proſpicere conſultius duxit, blanditiiſque Roxolanae perſuaſus ſic in animum induxit, nihil ſibi religione antiquius eſſe debere, ac ne liberorum quidem ſalutem: Muſulmanam autem religionem, ſic enim illi ſuam ut optimam vocant, regni tutela et Oſmanicae familiae imperio contineri: hac afflicta, illam ſtare non poſſe: domui ſuae non aliunde ab ulla vi certius exitium imminere, quam a diſſenſionibus domeſticis: proinde, ut domus et imperium atque cum imperio religio conſervetur, quacunque ratione, vel cum liberorum paricidio, inteſtinis diſcordiis occurrendum eſſe; nec penſi faciendam eorum jacturam, quae religionis incolumitate compenſetur. His accedebant novercales importunae ac continuae quaerimoniae; audiri paſſim Pruſiade, cum nepos ipſius in publicum prodiret, puerorum civitatis voces proſpera ei omnia precantium, et ut diu avo ſuperſtes ſit optantium: iis deſtinari Mahumetem avi imperio et patris vindictae; neque enim defuturos filio Muſtafae praetorianos: proinde ei minus parcendum, qui paterni ſceleris contagione jam nocens eſſe coeperit; nec dubitandum, ubi adoleverit, quin ſe mox ducem paternae cauſae praebeat. His rationibus inductus Solymanus in nepotis necem conſenſit; Ebraimoque eunucho negotium dedit, ut eum de medio tollendum curaret. Is igitur Pruſiadem profectus, cum nimis inhumanum facinus duceret, filium ſciente matre et in ejus oculis necari, tum etiam quod id in urbe citra principis et ſuum periculum perpetrari non poſſe exiſtimaret, hoc aſtu rem exſequitur. Fingit ſe ab avo miſſum, ut nepotem et matrem ejus viſat: illum pravis conſultoribus uſum Muſtafae exitium maturaſſe; nunc, licet ſero, errore deprehenſo, chariorem eo filium ipſius habere, quo erga patrem iniquior fuerit. Ubi credulae matri hoc ſermone impoſitum videt, poſt unum atque alterum diem de prodeundo extra urbem animi gratia et liberioris aëris fruendi cauſa mentionem injicit. Id facile matri perſuaſum: itaque poſtridie conventum, ut ipſa curru vecta in ſuburbanum veniat, filius in equo praecedat. Currus ab eunucho commodatus eſt, ita compoſito axe, ut, cum ad aſpera quaedam et anguſta viarum ventum eſſet, frangi cum neceſſe eſſet. Ebraimus interea cum puero quaſi colloquii ſpecie longius procedit: ſequebatur quanta poterat celeritate mater, inauſpicatum iter ingreſſa: ubi vero ad ſalebras illas ventum eſt, impacta violentius ſaxis rota axis frangitur: quo augurio perterrita mater, jam mali praeſaga, protinus curru relicto cum ancillis proſilit et ad filium properat. Sed jam eunuchus ad locum neci deſtinatum deſcenderat; ubi, funeſta ſententia puero pronunciata, ille ex diſciplina gentis vultu nihil mutato ſtatim reſpondiſſe fertur, ſe hoc, non ut imperatoris, ſed tanquam Dei, cui parere ſit neceſſe, juſſum accipere: et cum dicto cervicem laqueo praebuit. Patrata nece, eunuchus poſtico elabitur, et ſumma celeritate profugit; ita certiſſimo, quod a matre filii caede efferata et Pruſienſibus, quibus chariſſimus uterque erat, exitio devitato. Sed haec poſtea acciderunt. Mors Muſtafae cum ad ſpem certam imperii Selimum vocaſſet, Bajazitem alterum Roxolanae filium otii impatientem ad res novas moliendas excitavit; qui favore matris fretus, quod vitae a fratre metueret, rationem inire coepit, qua tuendae ſalutis colore fratrem opprimeret, et priorem locum invaderet; quod magnorum motuum in imperio Turcico initium fuit: quae omnia deinceps ordine tradentur.

INTERPR. [a] *Burſa*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER DECIMUS TERTIUS.

EPITOME.

MORTUO Edvardo VI, *graves in Anglia motus, dum Jo. Dudleius Northumbrius charitatibus ſuis regnum conciliare nititur, excluſa Maria legitima regni herede.* II. *Jana Suffolcia invita ad regnum a vitrico rapta, et deploranda paulo poſt morte affecta cum patre, marito ac vitrico. Maria in regno confirmata.* III. *Poli cardinalis regium ſtemma et legatio. Celebrata Londini regni comitia : in quibus variis ſponſis propoſitis, et ſequenti anno pactae cum Philippo Hiſpaniarum principe nuptiae.* IV. *Wiatus capitur et capite plectitur.* V. *Leges de eccleſiaſtica diſciplina et auctoritate pontificis, et Elizabetha Mariae ſoror in carcerem conjecta. Philippi et Mariae nuptiae ; quarum contemplatione regno Neapolitano Carolus parens cedit.* VI. *Poli de pace inter Caeſarem et regem actio ; adventus in Angliam honorificus, et ab eo inſtaurata majorum religio.* VII. *Inter Jo. Fridericum et Auguſtum Saxones tranſigitur : et Jo. Friderici paulo poſt ſecuta mors.* VIII. *Albertus pergit contra Norimbergenſeis ; et Schuinfurtum diripit. Henrici Plavii contra Albertum ſucceſſus ; quo tandem poſt cladem ad Kitzingam acceptam ad nos confugiente, in ejus gratiam ſcriptae ad Imperii ordines Francofurti congregatos literae. Ordinum reſponſio.* IX. *Virorum literatorum mortes ; Joannis Feri, Xiſti Betuleii, Simonis Portii, Franciſci Franchini, Sigiſmundi Gelenii.* X. *Regis contra Caeſarem expeditio : ejus in hoſtico ſucceſſus. Bellorivum, Mariaburgum, Bovinae, Dionantum, Givacum deditum. Bincium diripitur. Rantiacum obſidetur ; et ex occaſione obſidionis pugna commiſſa ; in qua praecipua Guiſii virtus.* XI. *Domeſtica noſtra. Semeſtris ſenatus. Leges de ſenatu Armoricano. De ſalis vectigali per Aquitaniam redimendo. De numero regiorum ſcribarum.*

EX AUCTORIBUS,

Julio Ravilio Ruſo Ferrarienſi, Nic. Sandero, Jo. Sleidano, Aſc. Centorio Hortenſio, Lud. Beccatello, Fr. Rabutino, Gul. Paradino, ex Actis publicis et Archivis.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

MAGNI et hoc anno in Anglia motus poſt Edvardi VI mortem excitati ſunt. Nam Joannes [a] Dudleius Northumbrius, qui, ſublato [b] Somerſeto aemulo, rerum in Anglia potiebatur, et regem in poteſtate habebat, uti ſuperioribus libris diximus, ope amicorum ad majora animum appellere et occaſionem ex imbecillitate ac valetudine regis captans etiam regnum affectare coepit. Erant Henrico [c] Graio Doreeſtriae marchioni, quem Northumbrius nuper [d] Suffolciae ducem creari curaverat, ex Franciſca Brandona, Caroli [e] Brandoni et Mariae Henrici VIII ſororis, quae Ludovici XII uxor fuerat, filia, CIϽIϽLIII. HENRICUS II.

INTERPR. [a] *Dudley, duc de Northumberland.* [b] *le duc de Somerſet.* [c] *Grey, marquis de Dorſet* [d] *le duc de Suffolk* [e] *Brandon.*

CIƆIƆLIII.
HENRICUS II.

filia, tres filiae: ad quas, ſi Henrici liberi non exſtarent, jus in Angliae regnum ſuccedendi pertinere Northumbrius exiſtimabat: neque enim Margaritae natu majoris Henrici ſororis, quae Jacobo IV Scotorum regi nupſerat, ullam rationem ipſiuſve liberorum habendam eſſe; quippe qui alienigenae et extra regnum nati eſſent. Itaque de collocandis duabus minoribus Suffolcii filiis in matrimonium primariis Angliae viris conſilium iniit: majorem natu [α] Janam nomine ſibi ſumit. Eodem die Londini celebratae III ſororum nuptiae: [1] ac minores quidem duae [a] [β] Penbrochiae et Huntingdoniae comitum filiis primogenitis nuptui traduntur; Jana [b] Guilfordo ex Northumbrii filiis ordine quarto, nam reliqui tres jam uxores duxerant. Igitur, ingraveſcente Edvardi morbo ex humore acri in pulmones diſtillante, quo indies confici et in hecticum paulatim evadere conſpiciebatur, Dudleius, cum ex medicis morbum lethalem nec ſpei quicquam reliquum eſſe reſciviſſet, ac fore ut intra paucos dies rex deficeret, ei auctor fuit, ut teſtamentum conderet, quo ſecuritati ſuae, dum viveret, et tranquillitati publicae, ſi quid humanitus contingeret, conſtitutis in regno rebus conſuleret: nam vita principis ſalutem imperii contineri: eam in tuto poni non poſſe, niſi heres et ultor certus ſit: neque vero religionem ſalvam eſſe poſſe, nutante et ſciſſo civilibus diſcordiis imperio: ejus quo ſtudioſior hactenus fuerit, tanto impenſius laborare debere, ut in poſterum illibata et incolumis conſervetur: videre illum, quanto in periculo regnum et, regno everſo, religio futura ſit, ſi aut Maria aut Elizabetha ſuccedant; eas, non ſolum natalium vitio, ſed et ob religionis periculum, cui ante omnia proſpici debeat, a ſucceſſione excludi: et, ut de religione taceatur, quid non mali et infortunii regno impendere, ſi externi reges per adfinitates in Angliam invehantur? ſi ſub novis dominis nova jura, novae leges ac novi ritus in reipublicae perniciem inducantur? ſi mores patrii ad externi principis arbitrium accommodandi, et libertas turpi ſervitio mutanda erit? nemini enim dubium eſſe, jura antiqua et immunitates omnes principem exoticum paulatim antiquaturum, donec ipſum quoque tandem Anglicum nomen exſtinguatur: proinde videre ipſum etiam atque etiam debere; neque committere, ut Dei gloriam et ſuam ac ſuorum ſalutem neglexiſſe videatur: non hac fine a Deo cum tanta potentia ordinatos reges, ut animi gratia ad libidinem agant omnia; deberi iis obſequium, nec citra Dei offenſionem denegari poſſe; viciſſim ſuis tutelam debere reges, in hoc conſtitutos, ut jus ſuum cuique tribuant, et ab injuria defendant; ni faciant, manere olim a Deo ultionem, cum, vita hac quae brevis eſt elapſa, ad Dei tribunal ſiſtentur, ſempiternae vitae praemium aut aeternae mortis poenam laturi: eſſe [d] Suffolcii [2] duas filias, quae ipſum proxima cognatione attingant, quas honeſti mores et natalium dignitas abunde commendet, a quibus violatae religionis et externi jugi metus abſit, quippe quae cum lacte pietatem et puriorem doctrinam imbiberint, et in Anglia maritos majoribus ac probitate conſpicuos duxerint: eas ordine ad ſucceſſionem vocari debere, hac lege, ut religionem et rempublicam ſalvam tueantur: nec recuſare ſe, quando Jana natu grandior filio ſuo nupſerit, quin ſacramentum ab ea exigatur; neque enim tam ſuum quam univerſi regni in eo negotium agere. His rationibus pueri regis animus, ad imperium quidem olim nati, ſi vita ſuppeteret, ceterum obſequio ſub tutoribus et legum fraeno huc uſque aſſueti, inducitur, ut aſſentiret,
in

VAR. LECT. [α] Joannam *P. D. o. ubique.* [β] Penbrucii *P D o f d. Ed. Gen.* Hunguntoniae *P. D. o.* Hunthingtoniae *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *les comtes de Penbroke & de Huntington.* [b] *le lord Guilford Dudley.* [c] *Martin Keies, ſerjeant porter.* [catal. of Nob. by R.B. Dugdale Bar Stow, &c.] [d] *le duc de Suffolk.*

NOT. [1] Dele *ac minores quidem duae Penbrochiae et Huntingdoniae comitum filiis primogenitis nuptui traduntur; Jana Guilfordo ex Northumbrii filiis ordine quarto, nam reliqui tres jam uxores duxerant* lege *ac minores quidem duas Catharinam et Mariam duxerunt Henricus Penbrochiae comitis filius primogenitus, et* [c] *Caitſ januitorum regiorum princeps, Henricus nempe Catharinam et Caius Mariam gibbo deformem: Jana Guilfordo ex Northumbrii filiis ordine quarto nuptui traditur, nam reliqui tres jam uxores duxerant. Northumbrii deinde filia aetate minima, nomine Catharina, Haſtingio Huntingdoniae comitis filio natu maximo tradita eſt. Igitur* Put.

[2] Dele *duas*, lege *tres*. Vide paulo ſupra. *Put*

in primis religionis contemplatione, cui innutritus egregiae indolis princeps primas partcis ſemper tribuebat. Itaque XI Kal. Quintil. cum magis ac magis morbo preme-retur, teſtamentum fecit; quo, exheredatis duabus ſororibus ſuis, ut illegitimis, et ſi qui alii jus in regni ſucceſſione ſibi vindicant, Janam grandiorem natu Henrici Suffolcii filiam heredem inſtituit, eique, ſi ſine liberis deceſſerit, alteram ſororem, [α] quae Penbrochiae comitis filio nupſerat, ſubſtituit. Teſtamentum poſtea in procerum conſiſtorio lectum, et XXIV primorum aſſenſu firmatum, clam populo, ne qua turbarum occaſio daretur. Thomas [a β] Cranmerus Cantuarienſis archiepiſcopus aberat. Is, quod magnae auctoritatis eſſet, in aulam accerſitur, ut ſubſcribat: quod primo recuſavit, legitimae ſucceſſionis jus violati neutiquam aequum exiſtimans; ſed in familiare colloquium regis decumbentis admiſſus, cum ille urgeret, et religionis periculum ante oculos poneret, poſt longam diſceptationem, aſſenſum et ipſe praebuit. Tandem prid. Non. Quintil. Edvardus moritur annos natus XVI, cum VII patri ſuperfuiſſet; jam in illa aetate magno virtutis ſpecimine edito, conſtantia animi, amore recti et ſtudio literarum incredibili, quae raro ſimul in regio faſtigio concurrunt. Eodem prorſus menſis die mortuum eum obſervavere nonnulli, quo Henricus ipſius parens anno hujus ſaeculi XXXV Thomam [b] Morum ſecuri percuſſerat, quaſi tanti viri nece regii filii morte poſtea expiata. Corpus exenteratum, et [c] Weſtmonaſterii in D. Petri depoſitum, feretro ad id parato, [1] XII nobilibus pro more cuſtodiendum traditur; qui die ac nocte uſque ad exequias peractas ibi excubias egerunt ſine cereis ac funalibus. Maria tunc in [γ d] Hertfordenſi provincia [e] Hunſdoniae XX a Londino milliaribus commorabatur; quae, ubi de fratris morte cognovit et ſecretis Dudleii conſiliis, ante omnia vitae conſulendum exiſtimavit: ne quam tamen de ſe ſuſpicionem daret, cauſata contagionis periculum, ob unum e domeſticis ſuis peſte correptum, inde ſe proripuit, et, unius circiter diei ſpatio XL milliaribus exactis, in Norfolcienſem ditionem [2] ad [f] Framingam caſtellum ſeceſſit; unde, ſi fors tuliſſet, facilis tranſitus erat in Galliam: atque ibi collectis aliquantiſper animis, utpote metu illo, qui cum propius Londino abeſſet, major erat, jam fere vagua ad amicos et primariam nobilitatem ſcribit, et, quacunque incedebat, reginae aſſumpto titulo, populos humanitate devinciebat.

II. Cura Dudleii ſuppreſſa fuerat Edvardi mors, quae tandem VIII Eid. menſis evulgata eſt, et biduo poſt Jana regina promulgata, quantumvis ipſa ſeu conſcientia territa ſeu periculi praeſaga renueret, atque [δ g 3] Siona Dudleii arce, quae ab urbe VII milliaribus abeſt, in turrem Londinenſem deducta. Turris illa arx eſt in urbis angulo, quam, qui in regnum ſuccedunt, adire ibique X dies continuos morari moris eſt: inde, nec aliunde, imperii faſceis attollere et regnum auſpicari principes poſſe vulgo creditur. Adventante Jana, ingens populi concurſus factus, potius ad rei novitatem excitati, quam gratulantis ſpeciem prae ſe ferentis. Ingredienti claves urbis, tanquam traditi imperii pignora, a Dudleio oblatae, XXIV ſenatoribus praeſentibus, ex quibus ſolis regni concilium conſtat, numero interdum pro temporum ratione et ex regum voluntate aucto. Paulo poſt clam evocatur praetor Londinenſis et VI praecipui conſiliarii, a quibus de obſequio Janae praeſtando jusjurandum metu promiſſiſve exigitur. Eodem, quo Jana turrem ingreſſa eſt, die, allatae ſunt Mariae literae et in concilio recitatae;

VAR. LECT. [α] quae, uti diximus *P D o f.* [β] Crammerus *P. D. o. f. d. Ed Gen.* [γ] Excenſi provincia Eduarbenae XXIIII *P D o.* [δ] Flora *P D. o. f. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Cranmer, archevèque de Cantorbery* [b] *More ou Morus.* [c] *Weſtminſter.* [d] *de Hertford.* [e] *Hunſdon.* [f] *Framlingham en Suffolk.* [g] *Sion-houſe.*

NOT. [1] Rex Angliae, licet e vivis exceſſerit, non tamen pro mortuo cenſetur, donec ejus reliquiae terrae mandatae ſint, eodem cultu, eodem comitatu, XII praeſertim cubiculi procerum, quo vivum proſequi oportuit, mortuo etiam ad ſepulturam uſque exhibito C.

[2] *leg.*, et inde ad— C.

[3] Hanc arcem Julius Ravilius Rufus *Fiora*, Lucas Contilis (p 55. f v) rectius *Sion* vocat. Sionae enim aedes VII milliaribus a Londino diſtantes, in Thameſis ripa ſitae, ducis Somerſeti antea fuerunt: illo autem laeſae majeſtatis reo peracto, in fiſcum redactae, et ab Edvardo VI duci Northumbriae donatae ſunt. C.

CIↃIↃLIII.
HENRICUS II.

teeltatae; quibus mandabat regni ſenatoribus, ut ad ſe tanquam regni heredem venirent, et debitum obſequium praeſtarent: jam enim ſe ab univerſa fere Anglia ut legitimam reginam agnoſci. His lectis, ſenatores, qui Janae rebus favebant, cum viderent totam provinciam Norfolcienſem in Mariae verba juraſſe, et populum fere ubique alieno a Jana eſſe animo, ac metuerent, ne propediem etiam Londini tumultu excitato Maria a populo regina ſalutaretur, antevertendum rati, diploma promulgant nomine Janae tanquam reginae, addito eccleſiaſtici in Anglia et Hibernia primatus titulo, quem Henricus VIII primum, dein Edvardus ſibi ſumpſerant. Eo diplomate repetita priorum temporum memoria, quae ad Mariae et Elizabethae ſtatum pertinent, fuſe explicantur: et Mariam quidem, quod ex illegitimo matrimonio nata ſit; Elizabetham, quod ex matre impudica, et quae ob adulterium ſecuri percuſſa ſit; utramque vero, quod Edvardo ultimo regi non germanae ſed conſanguineae tantum ſorores eſſet, legibus regni ad ſucceſſionem ipſius admitti non poſſe demonſtratur: quamvis Henrici teſtamento, et edicto, quod anno XXXV regni ejus fuerat promulgatum, poſt Edvardum ad ſucceſſionem vocentur. Tum, expoſito jure, quod ſibi, ut ex Henrici VIII ſorore progenitae, in Angliae regno competit, et egregiae ſuae voluntatis teſtimonio dato, mandatur omnibus, ut eam, quam legitimo principi ſubditi debent, fidem ſibi exhibeant. Id manu Janae ſubſcriptum, et regni ſigillo firmatum, cum ſolemni clauſula, Deus reginam ſervet, in urbe et ad decimum uſque milliare extra urbem per praecones pronunciatur: nam ulterius illis, jam tumultuante paſſim plebe, progredi non licuit. Cum vero de tumultu per oppida paſſim creſcente afferretur, Dudleius conſcripto exercitu turbis obviam ire ſtatuit. Et, quamvis aegre a latere reginae Janae diſcederet, quia tamen neminem haberet, qui rem militarem cum ſummo imperio adminiſtrare poſſet, nec [a] Suffolcius reginae pater huic oneri par eſſet, ipſe onus ſuſcepit, ordinatis utcunque in urbe rebus, et conductis paſſim concionatoribus, qui ex ſuggeſtu ad populum Mariae et Elizabethae cauſam impugnarent, Janae defenderent: inter quos praecipuus fuit H. [b] Ridleius Londinenſis epiſcopus. Cum in eo eſſet, defectiones undique nunciantur. [c] [α] Huntingdoniae comitis frater, cui IV CIↃ peditum legendorum negotium datum fuerat, delectu habito, ſtatim ad Mariam tranſiit, et ad fratrem, ut ſe coram regina ſiſteret, ſcripſit, mortem brevi, niſi pareat, vel a ſe ipſo interminatus. Cum vero Dudleius naves in ora, quae Gallicum litus ſpectat, inſtrui curaſſet, quae et Mariam, ſi forte in [d] Belgium fugam pararet, intercludere, et ad omnem eventum, quicunque tandem incidiſſet, praeſto eſſe poſſent, eae mox ad Mariam defecerunt: quod magnum momentum rebus ejus attulit. Nam inde deducto milite machiniſque bellicis atque omni inſtrumento inſtructior contra Janam vadere decrevit. Tandem prid. Eid. Quintil. Dudleius urbe proficiſcitur cum quatuor filiis, praemiſſo [e] [β] Warwicenſi comite primogenito, qui cum IↃ equitibus [f] [1] Eduarbenam uſque procederet: ipſe cum fratre, qui caſtrorum praefectus erat, et [g] Parro [γ] [2] Northamptonio et [h] Huntingdonio comitibus ſubſequitur. Habebat omnino in exercitu II CIↃ equitum et VIII CIↃ peditum, magnum inſuper tormentorum egregie inſtructorum numerum; cum quo [i] Cantabrigiam uſque progreditur, quae [3] XX ab urbe milliaribus abeſt: ubi biduum commoratus, cum majorem militum partem dilapſam videret, ad Suffolcium, qui cum Jana filia Londini remanſerat, et ceteros ſenatores ſcribit, et auxilia ſummitti poſtulat. Inde arrepta occaſione, proceres, quod cum oratore regio, is erat Claudius [k] Lavallus Boſcodelfinius, ſibi agendum dicerent, Turre exeunt,

VAR. LECT. [α] Hungtintoni *P. D o.* [β] Bervicenſi *P. D. o.* [γ] Norantoniae *P. D o.*

INTERPR. [a] *le duc de Suffolk.* [b] *Ridley, evêque de Londres.* [c] *Huntington.* [d] *Pays-bas.* [e] *de Warwick* [f] *S. Edmunds-bury.* [g] *Parr, marquis de Northampton.* [h] *François Haſtings, comte d'Huntington.* [i] *Cambridge* [k] *de Laval de Bois-Dauphin.*

NOT. [1] L. Contile l'appelle *Eduardben*, ce que R... o Rob... appelle *Odoardberi coſi detto dal nome* ... Il faut lire *S. Edmundi Burgum.* [2] *Lege* Northamptoniae marchione, et Huntingdoniae comite, ſubſequitur. [3] *Dele* XX. *lege* XLIV. C.

CIϽIϽLIII.
HENRICUS II.

exeunt, et ad [α] [a] Penbrochiae comitis palatium tendunt, quo tandem omnes excepto Suffolcio convenere. Ibi, abſente Dudleio et longe a praeſidiartis, cum liberiores eſſent ſententiae, [β] Henricus [b] Arondelius comes talem orationem habuiſſe dicitur. Niſi injuriarum ſenſus, viri proceres et fratres dilectiſſimi, quas [c] Northumbrius non Mariae ſed vobis omnibus et univerſo huic regno conatur infligere, jam ad omneis pariter pervaſiſſet, et praeteriti facti indignitate non ſolum perculiſſet, ſed etiam futurorum malorum terrore cunctos impleviſſet, jure ſubvereri poſſem, ne privatae contumeliae ulciſcendae potius quam publicae cauſae defendendae gratia vos alloqui viderer. Nam meminiſtis, ut me inique nuper et injurioſe Northumbrius annum paene integrum in carcere detinuerit, et, cum omnia calumniatum tela in me nequicquam diſtrinxiſſet, ad extremum innocentiae veritatiſque vi inextricabileis infeſtiſſimi hoſtis nodos exiverim, et, invito eo, honorificum in hoc ſupremo regni ſenatu locum retinuerim. Sed, ſi quidem tam atrocis injuriae memoriam aliquod vindictae deſiderium conſequi neceſſe fuit, de eo abunde mihi ſatisfactum eſt, cum publica auctoritate illam vindicatam et me vobis redditum ac priſtinae dignitati reſtitutum vidi: ultroque omne id, quod in animo reſidebat, publicae tranquillitati condonavi; et ſaepius optavi, ut hic ſcelerum Dudleii finis eſſet, qui gradus fuit. Nec vero mirum, qui Somerſeto auctor fuiſſet, ut fratrem virum ſtrenuum ob neſcio quam domeſticam aemulationem ſecuri percuteret, tum ipſum injurioſe ſpretum et irritatum ad extrema conſilia adegiſſet, et conjurationis ſeu verae ſeu falſae convictum poſtremo damnaſſet, ſi me innocentem opprimere, et, terrore ſui omnibus bonis injecto, ſummum omnium ſcelus contra patriam noſque univerſos aggredi non dubitaverit. Nam, quo conſilia, doli, artes, machinae Dudleii pertineant, jam nemo non videt: nimirum omnes intelligunt, hoc eum moliri, ut, everſis legibus et erepto legitimis heredibus jure ſuo, violentum in nos imperium arripiat: ad quae conſilia exſequenda, proh dolor! nobis adminiſtris utitur. At nos vulgo paricidia, quae ſingulorum ſunt, deteſtamur, et iis puniendis poenam nullam ſatis dignam exiſtimamus: quid de illo ſtatuimus, qui non unius aut alterius ſanguine manus commaculare, ſed tot animas uno ictu jugulare ac funditus perdere in animum induxit? Sed, quae poena tyranno debeatur, meum non eſt in praeſentiarum diſquirere: ſat erit, ſi non committamus, ut ipſi nos poena, quae tyrannis debetur, digni habeamur. Spes fallax multos hactenus, plureis metus tenuit: nunc libere quod e republica eſſe ſentimus eloqui licet: quo majus futurum crimen noſtrum eſt, ſi jura regni ac libertatem, quam invicta animi conſtantia tueri debuimus, flagitioſo ſilentio amitti patiamur. Itaque ſemotis affectibus rem videamus, et in commune conſulamus. Regnum Mariae deberi regni legibus nemo ambigit. Nam, uti ſcitis, matrimonii bona fide contracti, etiam ſi poſtea ut illicitum diſſolvatur, ea vis eſt, ut liberi ex eo ſuſcepti pro legitimis habeantur. Id voluit Henricus pater, et publicus regni ſenatus decrevit. Quid contra objicitur? Religionis cauſa, et ab externis maritis periculum? At quae, malum, iſta animi imprudentia et caecitas eſt, ut incertum periculum evitemus, in certam perniciem nos fortunaſque noſtras praecipiteis dare? An obliti eſtis Dudleii aſtus, quibus tot proceres conſiliis ſuis adverſanteis de medio ſuſtulit, obtentu religione et legum auctoritate? Ut religione nihil antiquius eſſe homini debere in confeſſo eſt, ita plerumque illius nomine pernicioſiſſime peccari quotidiano experimento diſcimus. Itaque etiam atque etiam videndum, quatenus iis, qui conſiliis ſuis illam praetexunt, fides haberi debeat. An eum religione duci arbitremur, qui fidem amicis, fidem regi et patriae toties violavit? qui tot innocentum ſanguine optimi principis, qui ſub ipſius tutela

VAR. LECT. [α] Penbruchii *P. D. o. f. d. Ed Gen.* [β] G. Arondelius *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Guillaume Herbert, comte de Pembroke.* [b] *Henry Fitz-Alan, comte d'Arundel.* [c] *le duc de Northumberland*

CIƆIƆLIII.
HENRICUS II.

tutela erat, caput impiavit, et florentiſſimum Angliae regnum ſempiterno dedecore aſperſit? Nolite verbis credere, proceres ac fratres chariſſimi. Monſtra ſunt, quae fucus, quae vulpes, quae denique lupus iſte ovilla pelle tectus celat. Vindictas, caedeis, rapinas, proſcriptiones et cetera, quae tyrannicam dominationem conſequi ſolent, cogitat ille, qui religionis cauſam, cum regnum affectat, amplecti prae ſe fert. Jam vero, quod de periculo ab externis maritis in medium affertur, quam impudenter confictum eſt, ut nos vano terrore ab officio abduceret? An non regni legibus ſatis proſpectum eſt, quibus regum legitima potentia intra certos fineis ſeu cancellos quoſdam coërcetur? Quis vero tibi dixit, Dudlei, (nam te abſentem heic compellare juvat) Mariam externum virum ducturam eſſe? Nondum enim ea de re agitur, et, ſi quando agetur, a regni ſenatoribus, inter quos principem locum tenes, negotium diſceptabitur. Quin igitur hoc interim agis, quando Mariae regnum deberi vides, ut fidum ei obſequium ab omnibus praeſtetur? ut, cum ceteris exemplo tuo ad obſequium praeiveris, in ſententiis de marito Mariae, qui reipublicae utilis ſit, deligendo dicendis, et ipſe pro auctoritate, quam in regno obtines, ceteris quoque proceribus praeluceas? Neque enim melius religioni et publicae tranquillitati conſulere potuiſti, quam ea regina conſtituta, quae et legibus ad regnum vocatur, et conſentientibus omnium votis expetitur. Sic enim citra ſanguinem rebus pacatis, qui multus alioqui tibi ſpargendus erit, optima conſilia et regno ac religioni conducibilia proponere et capere potuiſſes. Nunc, cum, recta ratione agendi omiſſa, te in ſummas difficultates et anguſtias indueris, reliquum eſt, ut, quae ambitione et regnandi libidine caecus peccaſti, juſtitia et moderatione corrigamus. Itaque jam me ad vos converto, proceres ac fratres obſervandiſſimi, veſtramque prudentiam et aequitatem imploro. Nunc animi conſtantia ſimul et ſumma animorum conſenſione et concordia opus eſt, quo ignominiam ab Anglico nomine et periculum a cervicibus noſtris propulſemus. Neque enim committere debemus, ut populus, cujus non aeque intereſt atque nobilitatis legitimam regni ſucceſſionem non transferri, conſilii tantopere ſalutaris auctor fiat, noſque adeo exemplo ſuo, quid agendum ſit, edoceat; et qui auctoritate noſtra regi debet, vel invitos ad officium cogat. Atqui jam murmura et querimonias paſſim audire licet. An expectamus, ut, qui ſub ſignis noſtris meruere, nos auſpiciis ſuis militare compellant? An committemus, ut poſteritas ſatis animi nobis ad tuendam libertatem et regni jura aſſerenda, quae patientia noſtra hoc uſque in diſcrimen adduximus, non fuiſſe nepotibus noſtris exprobret? Abſit a nomine Anglico tantum dedecus. Quin potius juſta arma pro patria in publicae tranquillitatis hoſteis induamus. Quid enim metuimus? aut quibus viribus ſubnixum illum putamus tantum ſcelus auſum eſſe? an non noſtris? Quid ergo facto opus eſt? Nimirum ut, quibus iſte opibus ad regni perniciem et privatam ambitionem abuſus eſt, iiſdem nos ad publicam utilitatem et nominis Anglici gloriam conſervandam utamur. Scimus invitum militem et vi pertractum [a] Northumbrii parteis ſecutum eſſe, jamque magna ex parte dilapſum, conſeſtimque facto agmine a ſignis omnino diſceſſurum, cum nos eo relicto juſtam cauſam fovere intelliget. Agite ergo, et felicibus auſpiciis, ut Maria tanquam legitima regni heres ab omnibus ſalutetur, auctoritate veſtra efficite. Sic religioni, quam perturbata republica periclitari neceſſe eſt, optime conſuletis: ſic officio veſtro et conſcientiae, ſic dignitati et exiſtimationi eadem opera ſatisfacietis. Perorantem excepit [b] Penbrochiae comes: et cum Arondelii ſubſcribere ſe ſententiae alta et generoſa voce profeſſus eſſet, manu ad gladium appoſita ſubjecit, ſe quoque ferro cum eo paratum decernere, qui contrariam tueri praeſumeret. Aſſenſere omnes, pedibuſque itum in eam ſententiam, ut diplomate promulgato Maria regina declararetur: quidam tamen promulgationem tantiſper ſuſtinendam eſſe cenſebant, dum ad Mariam ſcripſiſſent, et omnium

INTERPR. [a] *le duc de Northumberland.* [b] *Pembroke.*

CIƆIƆLIII.
HENRICUS II.

nnnium nnmine praeteritorum veniam et nblivinnem ab ea impetraſſent. Vicit tameo illa ſententia, quac nulla mora interpoſita promulgationem ſine conditinne ſaciendam eſſe cenſuerat. Miſſi interim in turrem CL delecti, qui et arccm in poteſtarem redigerent, [a] Suffolcium, ut ſe concilin ſiſteret, compellerent. Is ab omnibus deſertus, ut erat humilis ingenii, protinus ſe-ipſum deſeruit, et, cum aliud nnn pnſſet, ad ſenatnres ſe iturum promittit: ante tamen in Janae cubiculum ingreſſus eſt; et, cum, regalibus inſignibus amotis, eam, nt ad privatam vitam redire nnn aegre ferret, admonuiſſet, illa nihil turbato vultu, Aequioribus auribus hunc nuncium accipin, pater, quam cum me invitam et minis adactam ad hoc faſtigium rapuiſti. Ur tibi et matri in primis morem gererem, peccavi graviter, et vim mihi attuli: nunc ſponte facio, et mihi morem gero, cum regno abdicare me et culpam alienam emendare compellor, ſi modo tantus error ſnla abdicatione et culpae confeſſione corrigi poteſt. His dictis, ſe in ſecretius cubiculum rccepit, de capite ſnlicita magis quam quod aegre regnn cedere videretur. Suffolcius ad concilium pergit, et decreto ſubſcribit. Diploma Londini XIV Kalend. Sextil. publice a Penbrochiae comite recitatum fuit; et in eo Mariae attributus etiam eccleſiaſtici primatus titulus. Cum recitaretur, anditn Mariae oomioe tanta vocum exultatin nrta eſt, ut Penbrochius demandatum munus vix peragere potuerit: projectoque ſtatim humi pileo ingentis pretii gemmis adornato, quod in effuſae laetitiae ſignum fieri aſſolet, aegre ſe circumfuſae turbae eripuit. Cootinuo pulſatae campanae, et ignes paſſim per urbeis accenſi. Proceres ad majus templum perrexere, ut Deo gratias agerent, et fauſta nmnia Mariae precarentur. Tum miſſi, qui cum Suffnlcin ad Janam in Turrem irent, et illuſtreis matrnnas, quac in comitatu illius erant, exire et ad ſuas quamque aedeis ſe recipere juberent. Educto ex Turre Suffolcii praeſidio, Jana cum arce cuſtodienda traditur [α] [b] Gandenin ex regni ſenatnribus viro primarin. Exacta inter popnlarcis exſultationes nocte, [c] Arondelius et [d] G. Pagetus ad Mariam proficiſcuntur, et quid actum eſſet demonſtrant. Interea ad [e] Northumbrium ſenatores dant literas, et eorum, quae acta erant, ipſum certiorem faciunt; mandantque, ut decretn ſubſcribat et exercitum dimittat. Praeſenſerat rem Dudleius, et corde alto dnlnrem premens jam diſſimulare didicerat. Itaque literis acceptis parum commnveri viſus eſt; ſed, abjectn pariter in terram pileo, et ipſe ſtatim publicam laetitiam teſtatus eſt, Mariamque reginam [f] Cantabrigiae ſalurari juſſit, decimo, poſtquam Janam reginam Londini proclamaverat, die: continuoque exercitus diſſolvitur, et oobilitas nmnis ad Mariam, venia praeteritnrum impetrata, tranſit. Ubi ſe ab omnibus deſertum vidit Dudleius, varias in cogitationes raptus eſt. Haerentem adhuc et de fuga cogitantem praetnriani, qui eum, duce Jnanne [g] Gatto, ſecnti fuerant, ipſum adeunt, et ocreas induentem comprehendunt; id ſe ideo facere dictiraotes, ut ſe illius teſtimonin a perduellionis crimine tuerentur. Reſtitantem et ob dignitatem (magnum equitatus in Anglia tribunatum is gerebat) manus ſibi injiciendi jus illis noo eſſe, fruſtra inclamantem, ſequi cogunt, et Arondelin, ſic enim interea mandaverat regina, tradunt, unaque ipſius filios et [β] Huntingdnniae cnmitem oec non Joannem Gattum et [γ] Henrieum Gatti fratrem ac Thomam [h] Palmetium. Ita Nnrthumbrius Londinum, unde pauln ante triumphanti ſimilis exierat, captivus deducitur, pnnbris et conviciis populi, cum paricidam ac proditnrem et innncentiſſimi regis carnificem per vias vocitaotis, petitus. Poſtridie [δ] [i] Northamptnniae matchin cum quibuſdam aliis

VAR. LECT. [α] Vandenio *P.* [β] Huntintoniae *P.D.o.* Hunthingtoniae *D.f.d. Ed. Gen* [γ] Arium *P. D. o.* [δ] Norantoniae *P. D.* o. f. Northantoniae *D.* d. *Ed. Gen. ubique.*

INTERPR. [a] *le duc de Suffolk.* [b] *le chevalier Thomas Cheyney, lord Warden* (ou *Guardien*) *des Cinq Ports.* [c] *le comte d'Arundel.* [d] *Guillaume, baron Paget de Beaudeſert.* [e] *le duc de Northumberland.* [f] *Cambridge.* [g] *le chevalier Gates.* [h] *Palmer.* [i] *Northampton.*

NOT. [a] Ravilio Roſſo, d'où ce lieu eſt pris, l'appelle *Milord Vanden:* il devoit dire *Milord Warden,* qui eſt le titre d'une charge; quoique M. de Thou le prenne pour le nom d'une perſonne. *C.*

aliis conjutatis adductus eſt; qui cum per urbem tranſirent, contineri vix populus potuit, quin inſeſtas manus miſeris afferret, et lapidibus hos peteret, illos flumine mergeret. Capitur et Joannes[a] Cheeus tegis demortui ptaeceptor, vir eruditus; qui poſtea dimiſſus fuit, ablatis omnibus paene ſacultatibus. Elizabetha, quae extra urbem diverſabatur, ubi de Maria in reginam aſſumpta intellexit, quod rem ſnam agi videret, nt ſotori gratificaretur, ultro obviam proceſſit, et cum ꝺ equitibus facto per Londinum itinere IV Kal. Sextil. ad reginam contendit; quae demum Kalend. Sextil. cum VI milliaribus ab urbe conſediſſet, dimiſſo magna ex parte exercitu, obvios habuit regni primores, et principes matronas, et urbem magno comitatu ingreſſa in Turrem venit. Venienti ſupplices occurrerunt Thomas[a] [b] Howardus Norfolcius, [c] Cortinaeus, Somerſeti nuper ſecuri percuſſi[d] vidua, Cudbertus[e] Tonſtallus Dunelmenſis et Srephanus[f] Gardinerus Wintonienſis epiſcopi, qui omnes in carcerem conjecti fuerant: Norfolcius, quod Henricus Mariae parens, extremis vitae diebus eum ipſius filium ſecuri percuſſiſſet, ultorem in patre metueret; Cortinaeus, quod ipſius patri caput amputatum fuerat, et, ne filius pariter in ultionem patris turbas novas cieret, timebatur: Wintonienſis denique et Dunelmenſis ob religionem, et qnod hic ſeditioni in regno ſub Edvardo exortae cauſam dediſſe diceretur. Ceterorum nomine Wintonienſis orationem ad reginam habuit: petitaqne venia et impetrata, libertati omnes reſtituti ſunt: et Cortinaeus quidem mox[g] Devoniae comes a regina creatus magno in honore apud ipſam fuit; Wintonienſis vero cancellarii dignitatem ſub ea conſecutus eſt, quanquam is olim ſententiae de divortio contra Catharinam Mariae matrem latae ſubſcripſiſſet, et libris editis Henrici VIII cauſam deſendiſſet. Poſtquam ad VII uſque Eid. Sextil. regina in Turre commorata eſt, [β] [h] Richmondiam regium palatium, quod VI ab urbe milliaribus abeſt, ſecundo flumine devehitur. Nondum de religione actum fuerat: itaque plebs, Proteſtantium doctrinae aſſueta, vix a lapidibus manus abſtinuit, cum in D. Pauli concionator quidam contrariam tueretur: eadem laſcivia in monachum ſacrum celebraturum in D. Bartholomaei mox uſa eſt. Tumultus rei poſtea a magiſtratu mulctati: edictoque regina manifeſtum fecit, ſe in majorum religione velle vivere; ne quid tamen alienum a recepta doctrina in concionibus ad populum diceretur, eodem edicto ſanxit. Jamque de conjuratorum cauſa diligenter quaeſtio habita fuerat: ipſique XIII Kalend. Septembreis[i] Weſtmonaſterium deducti, ut coram a judicibus interrogarentur. Ibi Northumbrius, cum ſe nihil niſi ex ſenatus decreto egiſſe diceret, excuſatione minime admiſſa, tanquam perduellis ad mortem damnatur. Pronunciata ſententia, generis mortis gratiam ſibi fieri ſuppliciter petiit et in mitiorem poenam mutari: item, ut filiis parceretur, et eorum aetatis ratio haberetur: poſtremo ad ſolatium, ut ſibi cum theologo colloqui liceret, poſtulavit, et ſermones conſerere de rebus ad rempublicam pertinentibus cum IV ex delectis primoribus. Tum interrogatur Northamptoniae marchio; qui poſtquam nullum, tumultus tempore, publicum munus exercuiſſe dixit, ſed venationibus intentum turbis ſe minime immiſcuiſſet, cum contra conſtaret eum Northumbrii parteis ſecutum eſſe, pariter ad mortem damnatus eſt. Ac poſt eum Warwicenſis comes Northumbrii natu grandior filius; qui, ubi in tam gravi crimine aetatis excuſationem non admittere judices vidit, ingenti animi conſtantia ſententiam mortis excepit, hac ſola petita gratia, ut omne ſuum aes alienum exſolveretur: nam perduellionis damnatorum bona, ſine aeris alieni onere, regni lege ad fiſcum tranſeunt. Ii mox in Turrem reducti. Poſtridie ad mortem patiter damnati ſunt Andreas Dudleius[k] Northumbrii frater,

VAR. LECT. [α] Havardus *P. D. o. f.* [β] Ricomontium *P. D. o.* Richomondiam *D. f. d. Ed. Gen* } *ubique.*

INTERPR. [a] *Cheke.* [b] *Howard, duc de Norfolk.* [c] *Edouard Courtenay, fils de defunt Henry comte de Devonſhire & marquis d'Exeter.* [d] *Anne, fille du chevalier Edouard Stanhope de Shelford, veuve du duc de Somerſet.* [e] *Tonſtal, evêque de Durham.* [f] *Gardiner, evêque de Winchester.* [g] *Devonſhire.* [h] *Richmond* [i] *Weſtminſter.* [k] *Dudley, frere du duc de Northumberland.*

frater, Joan.[a] Gattus praetorianorum praefectus, qui primus Edvardo de Jana adoptanda in Northumbrii gratiam auctor fuiſſe credebatur, et Henricus Gatti frater, ac poſtremo Thomas [b] Palmerius equeſtris ordinis vir. XI Kal. Septembr. ad ſupplicium [α] producitur, cum biduo ante ſacro ſolemni celebrato in carcere ſacrae coenae viaticum accepiſſet, Northumbrius: et oratione ex conſilio Nic. [β] [c] Heathi, qui poſtea [d] Eboraci archiepiſcopus creatus fuit, ad populum habita culpam confeſſus; et, venia delictorum petita, cunctos adſtanteis admonuit, ut priſcam majorum religionem amplecterentur, rejecta nuper invecta doctrina, ut quae malorum omnium, quae XXX abhinc annis paſſi eſſent, cauſa extitiſſet; in primis novae religionis concionatores ut ſeditionum buccinas regno exigerent, ſi innocenteis ſe coram Deo et ſalvam rempublicam vellent: ſe quidem non aliam quam majorum religionem ſemper in ſinu coluiſſe, ejuſque rei teſtem appellare [e] Wintonienſem epiſcopum ſummum amicum ſuum; (is rogatus ſemper ei aſtiterat) ſed ambitione caecum multa tempori condonaſſe, quorum poeniteat et ex animo taedeat: proinde ſponte mortem, quam commeruiſſe ſe agnoſcat, ſubire. His dictis, cum ſe circumſtantium precibus apud Deum commendaſſet, ad mortem ſe compoſuit: ac ſtatim carnifex, petita prius venia, lege in ipſum egit. Monitis Northumbrii varie adfecti ſunt adſtantium animi, mirantium, illum religionem, quam XVI amplius annos profeſſus eſſet, et cujus praecipue ratione Edvardo de exheredandis ſororibus conſilium dediſſet, improbare. Plerique ſcripſere, ſpe impunitatis hominem aſtutum vitaeque cupidum id feciſſe; et poſtea, cum circumſpiceret et verba ſibi data videret, poenituiſſe. Inſimulatus fuerat, nec leves erant conjecturae, quaſi regi venenum propinaſſet: ſed in quaeſtione nulla ejus rei facta eſt mentio, quod judices non tam Edvardi mortem quam conjurationem contra Mariam factam ſibi vindicandam propoſuiſſent. Eadem poena ſecundum eum [γ] Joannes Gattus et Palmerius affecti ſunt. Reliqui in carceribus aſſervati; dilata quibuſdam mortis poena, aliis etiam ſpe veniae [δ] facta. Andreas Dudleius et Henricus Gatti frater biduo poſt carcere liberati ſunt: et in Henrico quidem, qui ad annum uſque CIↃ IↃ LXXX ſuperſuit, cum primis admiratione dignum fuit, quod proxima, quam ad mortem damnatus eſt, nocte totus repente incanuit. P. Martyr Vermilius tunc [f] Oxonii erat, magni nominis inter Proteſtanteis theologus, eoque nomine pleriſque inviſus; cui, mortuo Edvardo, ſtatim denunciatum fuit, ne domo pedem efferret, neve quidquam inde aſportaret. Is ad amicos continuo ſcribit, et quo in periculo verſetur oſtendit, publicam fidem implorans et regis extincti memoriam, a quo evocatus in Angliam venerat. Itaque poteſtate Oxonio diſcedendi facta, Londinum proficiſcitur, et in ſinum [g] Cantuarienſis ut unici patroni et alumni confugit. Is jam nutare et cum fortuna pariter religionem mutaſſe vulgo ferebatur: verum ſub id ſcripto Non. Septembribus edito ſe purgavit, et decreta de religione ab Edvardo ſe auctore facta, ut Dei verbo et Apoſtolorum doctrinae congruentia, tueri ſe paratum oſtendit; in eoque propoſito a Vermilio confirmatus ipſum Vermilium ſibi ſocium et adjutorem in hoc negotio popoſcit. Sed a verborum diſputatione res ad vim vocatur, nec multo poſt ipſe, Cantuarienſis et Eboracenſis archiepiſcopi, et [h] Londinenſis, [i] Wigornienſis atque alii epiſcopi in carcerem traduntur: quibus mox alii ſuffecti ſunt. Crimini iis praecipue datum, quod conciones contra Mariam, antequam regina proclamaretur, publice habuiſſent. Comes iis additur Hugo Latimerus, ab Edvardo carcere exemptus, in quem ab Henrico patre ob religionem conjectus fuerat. De Vermilio aliquandiu diſceptatum eſt in ſenatu, an idem de eo, quod de ceteris, judicium

VAR. LECT. [α] producuntur *P. D. o.* [β] Haeti *P. D. o. f d. Ed. Gen.* [γ] Gatti fratres et *P. D. o.* [δ] facta. *Ab hoc verbo ad* P. Martyr, *deſunt tres lineae P. D. o.*

INTERPR. [a] *Gates.* [b] *Palmer.* [c] *Heath* [d] *York.* [e] *de Winchester* [f] *Oxford.* [g] *l'archevêque de Cantorbery.* [h] *de Londres.* [i] *de Worceſter*

CIↃIↃLIII. HENRICUS II.

judicium haberetut, quod ille multum damni religioni dediſſe diceretur: ſed itum eſt in eam ſenrentiam, ur, quia publica fide in Angliam venerat, cum ſuis incolumis dimitteretur. Itaque publicis literis acceptis manu reginae ſubſcriptis [a] Antuerpiam, et inde [b] Coloniam ac poſtremo [c] Argentioam, unde profectus fuerat, cum Bernardino Ochino ſe contulit. His regina confectis [d] Richmondia in Turrem venit; et ante omnia Edvardo fratri exſequias publice ritu antiquitus recepto [e] Weſtmonaſterii faciendas curavit, quantumvis renirentibus epiſcopis, quos penes ſe habebat, qui pro eo, qui extra eccleſiam mortuus eſſet, preces publice fieri aut ſacra celebrari nefas eſſe dicebanr: quorum poſtea diſciplinae acquievit; neque pro patre Henrico, qui defectionis a pontifice auctor fuerat, preces publice fieri paſſa eſt. Prid. Kalend. Octobr. a Turri Weſtmonaſterium rediit, ut inſequentl die more majorum urbem ingrederetur, et inſignia reginae ſumeret. Id magna pompa actum, deducenribus eam plus 10 ex proceribus, atque inter eos duobus primariis, qui [f] Normanniae et Aquitaniae ducum vice erant, in quibus ampliſſimis Franciae provinciis reges Angliae jus ſibi vindicant. Poſtridie Eliſabetha ſorore et [g] Clivenſi Henrici parris olim conjuge, ſed mox repudiata, magnaque illuſtrium matronarum turba et externorum principum oratoribus ſtipata procedit; er per arcus triumphaleis in via erectos, contiouis acclamationibus excepta, tranſivit: in quibus conſpiciendi operis fuere, quos Florentini et Genuenſes adornaverant, cum inſctiptionibus, quibus pietatem et juſtitiam in Anglia reſtitutam Mariae gratulabantut. Ipſa pallio purpureo holoſerico amicta, cujus longum ac ſinuoſum ſyrma a cubiculariorum principe et Norfolcii ducis uxore ſuſtinebatur, templum ingreſſa eſt, dextra ionitens [h] Dunelmenſi epiſcopo, et ſiniſtra [α] [i] Salopienſi comiti. Sequebantut Eliſabetha et Clivenſis: tum LXX circiter praecipuae regni matronae holoſericis palliis ac veſtibus ſebellinis pellibus fartis indutae, coronas in capite geſtantes: dein ordine duces, comites, marchiones et alii regni proceres incedebant. Tandem regina in locum editum in templo exſtructum perducitur a [k] Wintonienſi et aliis X epiſcopis. Poſtquam eam diu Wintonienſis populo oſtentavit, et veram reginam eſſe dixit, a circumſtantibus quaeſivit, an non illam pro legitima regni herede agnoſcerent. Aſſentientibus confuſo vocum ſono omnibus, tegina ad altare deſcendir; ibique praeſtito ſolemni regum ſacramento, ad audiendam ſacram concionem ſe compoſuit; quae ab epiſcopo de obſequio, quod regibus a ſubditis debetur, habita eſt: quo facto, exuto pallio ac veſte, anre altare proſtrata ſacro oleo uncta eſt; et poſtea, tribus coronis alia poſt aliam impoſitis, ulrimam retinuit: tum, decantato per ſymphoniacos B B. Ambroſii et Auguſtini hymno, ſuggeſtum rutſus aſcendit. Diploma mox a Wintonienſi tecitatum, quo praeteritorum venia omnibus concedebatur: et primus ipſe ad obſequium ſolemni more (id impreſſo in ſiniſtram malam oſculo fit) deferendum ad reginam acceſſit; quem ſecuri ſont ordine [l] Norfolcius ducum regni nomine, [m] Wintonienſis marchio pro marchionibus, et [n] Arondelius pro comitibus; tum reliqui Angliae reguli. Poſtea, ſacro celebrato, regina eodem ordine et pompa, qua venerat, io palatium reverſa eſt; ubi convivium magna lantitia apparatum erat. Menſae aſſedere infra eam Eliſabetha ſoror et Clivenſis; et paulo inferius Wintonienſis epiſcopus, qui rem ſacram peregerat. Dum prandetur, vir primarius [β] [o] Dimockus nomine, [γ] qui heteditario jure honorarius eſt regum Angliae miles et pugil, in equo armatus aulam, in qua coovivium celebrabatur, ingreſſus eſt, et per ſecialem Mariam ſe pro vera et legitima regni herede agnoſcere pronunciari juſſit, et, ſi quis adeo temerarius eſſet, qui contra dicete auderet, cum eo ſe duello

decernere

VAR. LECT. [α] Saruberienſi *P. D. o.* [β] Demorius *P. D. o.* Demockus *D. f. d. Ed. Gen.* [γ] qui hereditario jure honorarius eſt regum Angliae miles et pugil, *deſunt P. D. o.*

INTERPR. [a] *Anvers* [b] *Cologne* [c] *Strasbourg.* [d] *Richmond.* [e] *Weſtminſter.* [f] *Normandie & Aquitaine.* [g] *Anne de Cleves.* [h] *Tonſtal, evêque de Durham.* [i] *le comte de Shrewsbury.* [k] *Gardiner, evêque de Wincheſter.* [l] *le duc de Norfolk* [m] *Guillaume Paulet, marquis de Wincheſter.* [n] *le comte d'Arundel.* [o] *le chevalier Lionel Dymock.*

decernere paratum oſtendit; projectaque in provocationis ſignum humi chirotheca, ſemel atque iterum menſas per aulam diſpoſitas circumivit: dein ante reginam conſiſtens eam ſalutavit; quae accepto aureo poculo ſumma humanitate equiti propinavit, moxque, ubi hauſit, poculum vacuum ipſi dono dedit; quod ille abjecta ſtatim haſta manu cepit, et abiens ſecum abſtulit. Menſis remotis, poſtquam regina cum principum oratoribus (ii erant Caeſaris ac Ferdinandi Romanorum et Maximiliani Bohemiae regum legati, Jo. [a] Michaëlius pro Venetorum republica, pro Coſmo Florentinorum duce Jo. Baptiſt. [b] Ricaſolius Cortonenſis epiſcopus) familiaris ſermones aliquanto tempore contuliſſet, in cubiculum ſe recepit. Peractis ſacris ceremoniis, comitia regni Londinum indicuntur ad menſem Octobrem, parlamentum id vulgo vocant; in quo pleraque antea ſub Henrico et Edvardo decreta revocantur, et quaedam denuo decernuntur: ante omnia ſententia de Henrici et Catharinae Aragoniae divortio lata ſcinditur, atque inter ipſos legitimas ac juſtas nuptias contractas legitimamque ex iis prolem ſuſceptam fuiſſe pronunciatur, oblique ſugillato Annae [c] Bolenae matrimonio, et proinde Eliſabethae ejus filiae ſtatu. Lata etiam lex, qua decreta de eccleſiaſtica diſciplina ſub Edvardo facta revocantur, contraque decernitur, ut ſacerdotes, qui uxores duxerint, eaſque dimittere aut poenitentiam agere detrectaverint, a cultus divini celebratione arceantur, et fructuum eccleſiaſticorum privatione mulctentur; qui dimiſiſſent, aut poſt mortuam uxorem emendationem vitae omnibus probaſſent, ad ſacra rurſus admitterentur, nullum tamen ex bonis eccleſiaſticis emolumentum perciperent: ita multi epiſcopali dignitate abdicati, multi contra ab Henrico olim ordine ſummoti a regina priſtinae dignitati reſtituti ſunt. Antiquata et ea lex etiam ab Henrico lata, qua ſub perduellionis poena interdicebatur, ne quis de diſciplinae eccleſiaſticae a rege inſtitutae emendatione, aut rege ipſius capite, rebuſve ad eam pertinentibus loqui, aut decreta ſuper ea re facta in dubium revocare auderet. Antiquatus et iiſdem comitiis primatus eccleſiaſtici titulus. Reſtituti dignitati ac natalibus [d] Norfolcius dux et Reginaldus [e] Polus, qui alioqui lege regni, quod perduellionis accuſati fuiſſent, hereditatum cernendarum et teſtamenti factionis incapaces erant.

III. His actis, proxima cura de marito reginae deligendo fuit, a qua illa huc uſque abhorruerat, ſeu natura, ſeu quod provectiori aetate eſſet; jam enim annum XL expleverat: nec adeo venuſta forma erat, ut mariti gratiam aut amorem demereri ſe poſſe ſperaret. Tandem, ſive ex ſuorum conſilio ſive neceſſitate compulſa, de nuptiis cogitare coepit, quod vereretur, ne ob ſexus imbecillitatem in ſuorum contemptum deveniret, nondum conſtituta auctoritate, et regno a recenti factionum memoria adhuc fluctuante. Tres nuptiis ejus deſtinabantur, Philippus Hiſpaniarum princeps Caeſaris filius, Reginaldus Polus cardinalis, et [f] Cortinaeus regulus: hos majorum ſplendor et patriae charitas commendabat, quod ſub utroque et libertatis et regni immunitatum conſervandarum ſpes eſſet: ſed in Polo praecipue ſpectabatur proximitas, qua reginam contingebat, [a] quippe ex [g] filia Georgii ducis Clarentiae Edvardi IV fratris progenitus, ad haec morum gravitas et vitae ſanctimonia cum ſumma animi manſuetudine et prudentia conjuncta: Cortinaeum vero flos aetatis et comis ac perurbana conſuetudo chariſſimum reginae reddebant; et is quoque a regibus Angliae genus repetebat, et ad ſororem matris Henrici originem ſuam referebat; nonnihil tamen ſuſpectus, quod Proteſtantium doctrinae favere crederetur. Sed aliis, quorum ſententia obtinuit, regno impacato opus eſſe potenti rege videbatur, qui et domeſticos motus componeret, et adverſus Gallos, Scotia nuper occupata, utrinque et terra et mari vicinos juxta et infeſtos hoſteis, Angliam tueretur. His ſe rationibus ambitioſa foemina

VAR. LECT. [a] quippe ex Henrici VII ſorore progenitus P. D o.

INTERPR. [a] *Micheli.* [b] *da Ricaſoli, evêque de Cortone.* [c] *Bullen.* [d] *le duc de Norfolk.* [e] *le cardinal Pole.* [f] *Edouard Courtenay, comte de Devonſhire.* [g] *Marguerite, fille de George duc de Clarence.*

Digitized by Google

CIƆIƆLIII. foemina vinci facile paſſa eſt, et in Philippi nuptias conſenſit; de quo paulo ante fama
HENRICUS II. percrebuerat, quaſi conſobrinam ſuam Immanuelis Luſitaniae regis et Helionorae filiam ductùrus eſſet. Interea regina, cum in animo haberet majorum religionem in Anglia reſtituere, clam ad Polum mandata dederat, et quid ſuae voluntatis ac conſilii eſſet eum certiorem fecerat. Sed, quia res magnis difficultatibus implicata pontifici videbatur, antequam Polus legatus decerneretur, placuit, in Angliam mirti Jo. Franciſcum [a] Commendonum tunc pontificis cubicularium, poſtea cardinalem, magno et expedito ingenio virum, ut de rerum ſtatu cognoſceret. Is cum regina aliquoties ſecreto collocutus ſyngrapham ab ipſa accipit, qua ſedi Romanae obſequium pollicebatur, atque, ut regnum ſacris reſtitueretur, petebat: quod ut obtineret, pacatis quamprimum in regno rebus, honorificam ſe ad pontificem legationem adornaturam pariter recipiebat. Cum iis mandatis Commendonus Romam redit: nec mulro poſt Polus cardinalis legatus decernitur cum ampliſſima poteſtate, ut de pace inter Caeſarem et regem ageret. Cum adhuc in Italia haereret, [b] Maguzano coenobio, quod eſt in agro Veronenſi non procul a [c] Benaco, literas ad reginam dat Eid. Sextil. quibus ejus tam egregiam erga religionem et pontificem voluntatem collaudabat, et ut in propoſito perſeveraret hortabatur. Publica illa de pace legatio ſecretiori, quae Angliae ſtatum ſpectabat, adjuncta fuerat, ut alterius ſpecie altera tegeretur. Nihilominus Caeſar ſive ſagacitate innata ſive per miniſtros rem, ut erat, ſubodoratus, Hier. [d] Dandino cardinali, quem pontifex ad ipſum de pace legatum miſerat, ob graveis et juſtas cauſas non videri e re publica eſſe oſtenderat, ut Polus ſe in viam daret: idque Dandinus Germania rediens ad Polum ſcripſerat. Itaque cum poſtea pontificis juſſu Polus ſe ad iter accinxiſſet, miſſoque ad Caeſarem F. [e] Florebello eum adventus ſui certiorem reddidiſſet, ubi ad Palatini fineis venit, miſſo a Caeſare Didaco Mendoza revocatur, et [f] Dillingam, quod eſt epiſcopi [g] Auguſtani ad Danubium oppidum, proficiſci, ibique, quid Caeſar eum vellet, expectare cogitur. Id eo conſilio factum, quod Caeſar vereretur, ne Polus, qui ex regia ſtirpe erat, et multum gratia apud ſuos valebat, conjugii jam inchoati rationes praeſentia ſua interturbaret. Igitur Caeſar, antequam nuptiae cum Philippo filio omnino tranſactae eſſent, ut Polus in Angliam ingrederetur, nunquam conſentire voluit. Earum vero firmandarum cauſa ampliſſimam legationem, cujus erat princeps Lamorallus Egmondanus comes, adjunctis ei Carolo [h] Lalanio et Jo. [i] Momorantio Currerio, ſub exitum anni in Angliam mittit.

CIƆIƆLIV. Ineunte Januario legati, ubi Londinum venere, poſt aliquot dies rem conficiunt. Pactis dotalibus hac conditiones appoſitae ſunt: ut, nuptiis quamprimum fieri poſſit inter Mariam et Philippum contractis, Philippus omnium uxoris regnorum ac provinciarum titulos ſibi ſumat, ſociuſque in negotiorum adminiſtratione ſit, integris regni privilegiis ac conſuetudinibus; plena item ac libera beneficiorum, gratiarum ac functionum diſtributione penes reginam remanente: viciſſim regina in ſocietatem omnium regnorum ac dominiorum Philippi mariti, quae ipſe jam poſſideret, et ei poſtea obventura ſint, vocetur: et, ſi Philippo ſuperſtes ſit, donationis propter nuptias nomine, LX CIↃ librarum annua penſio, uti olim Margaritae Anglicae Caroli Burgundionis viduae, ei aſſignetur; quarum XL CIↃ in [α] Hiſpania exſolvantur, XX in [k] Belgio et provinciis Belgicae ditionis pendantur. Utque litibus ac diſſidiis obviam eatur, conventum, ut in dividenda hereditate, quicunque ex eo matrimonio naſcentur, in omnia regna ac dominia reginae, praeterea in omneis Belgii et Burgundiae, quos Caeſar poſſidet, principatus ſuccedant: Carolus natu grandior Philippi ex priore matrimonio filius viciſſim in cetera omnia, tam patris quam aviae et Caeſaris avi, in Italia et Hiſpania regna ſuccedat: ad ſolutionem tamen XL CIↃ librarum eorum bonorum ratione

VAR. LECT. [α] Hiſpania et Aragonia P. D. o. f.
INTERPR. [a] *Commendone.* [b] *Maguſano.* [c] *lago di Garda.* [d] *Dandino.* [e] *Florebelle.* [f] *Dillingen* [g] *d'Augsburg.* [h] *de Lallain.* [i] *de Montmorency, ſieur de Courrieres.* [k] *Pays-bas.*

ratione teneatur. Si ex hoc matrimonio tantum filiae naſcantur, primogenita in omneis Belgii ditiones ſuccedat hac lege, ut maritum in Anglia aut Belgio ex conſilio et conſenſu Caroli fratris deligat; ſi aliunde ſine fratris conſenſu ſumat, Belgii ſucceſſione privetur, et jura integra in Belgio penes Carolum fratrem et ejus heredes maneant: illi tamen ac ſororibus dos conveniens juxta locorum leges ac conſuetudines aſſignetur. Si contingat Carolum, aut qui illi ſucceſſerint, heredibus ſuis deficei, eo caſu, qui primus ex hoc matrimonio naſcetur, etiam ſi foemina ſit, in omnia utriuſque conjugum regna tam Belgii quam Hiſpaniarum atque in omneis Italiae principatus ſuccedat; idemque regni cujuſque jura, privilegia, immunitates, conſuetudines inviolatas ſervare teneatur. Inter Caeſarem, Philippum ejuſque heredes, inter reginam ejuſque liberos et heredes, et utrorumque regna ac ditiones conſtans amicitia, concordia et foedus perpetuum ſit atque inviolabile: nuper facta anno hujus ſaeculi XLII [a] Weſtmonaſterii, et quadriennio poſt [b] Ultrajecti XVII Kal. Febr. foedera renoventur ac confirmentur.

CIƆIƆLIV. HENRICUS II.

IV. AD hujus rei famam fremente populo novi motus denuo in Anglia exorti ſunt: eorum praecipui duces fuere Petrus [α] [c] Carewus et Thomas [β] [d] Wiatus; qui, re clam cum Henrico [e] Suffolcio adhuc captivo, ſed qui mutandi aëris cauſa praetextu morbi ad aedeis ſuas fide data diverterat, communicata, in Philippi adventum negotium differendum eſſe cenſuerunt, ne contra reginam ſed contra externi principis dominatum pro patriae libertate arma ſumpſiſſe viderentur: ſed Carewus, qui in mora periculum eſſe exiſtimaret, per [f] Cornubiam occulto militem cogit; neque citius ſpe detecta, oppreſſus, cum perfugium aliud non haberet, mature in Galliam ad regem tranſiit. Wiatus, qui videret jam evulgata ſua conſilia, nec aliud quam in virtute praeſidium ſupereſſe, diverſa parte in [g] Cantio regione Galliae proxima populum ad ſeditionem vocat, cum diceret, pravis conſultoribus uſam reginam externis nuptiis graviſſimum Angliae ſervitium parare, et religioni periculum creare. Suffolcium adverſus eum deſtinaverat regina: verum ille conſcientia territus periculo praeverterat, et in [h] Warwicenſem regionem ſe contulerat; ubi, cum fruſtra homines ad arma vocaret, et filiae Janae rurſus regnum aſſerere conaretur, miſſo a regina cum equitatu [i] Huntingdoniae comite, homine admodum infeſto, qui ipſum ut perduellem ante judicatum perſequeretur, ab omnibus deſertus, diſtributa ſuis omni pecunia, ruſtici fidei ſalutem commiſit; a quo ſeu metu ſeu praemii ſpe corrupto proditus, et in Huntingdonii manus traditus, Londinum deducitur. Interea contra Wiatum [k] Norfolcius mittitur ſub exitum Januarii: qui, ubi ad [l] pontem Roffenſem in Wiati conſpectum venit, a ſuis deſertus fugere cogitur, amiſſis tormentis et omni bellico apparatu. Cum fugeret, ab inſequentibus capitur: ſed mox a Wiato liberatur, qui eum, ut tam juſti belli dux eſſe vellet, hortatus eſt; ſin ad reginam redire vellet, ſuo nomine illi renunciaret, haec arma non contra ipſam, ſed contra exterorum machinationes pro patriae libertate ſumpta eſſe. Hoc ſucceſſu inſolentior Wiatus recta Londinum ſuos ducere decrevit cum IV circiter hominum millibus. Ad illius adventus famam Caeſaris legati, ſeditionis minuendae cauſa, tum ut proprio periculo praeverterent, navibus conſcenſis, Kal. Feb. diſcedunt: quo eodem die regina in urbem venit, et, convocatis tumultuarie populi comitiis, atque in Wiatum vehementius invecta, quid illius conſilii, quid contra voluntatis ſuae ſit, oſtendit: de matrimonio nihil ſe ſtatuiſſe, niſi de procerum conſilio; meliorem aetatis partem in virginitate exegiſſe, neque nunc adeo nupturire, quin, ſi modo regni Ordines ita expedire judicent, in eo vitae genere libenter ſit permanſura: nam, ne ſui connubii cauſa Anglia periclitetur, et ferro flammaque omnia miſceantur, id ſibi futurum longe acerbiſſimum: permaneant igitur

VAR. LECT. [α] Carrus P. D. o. [β] Viatus *ubique in* P. D. o.

INTERPR. [a] *Weſtminſter.* [b] *Utrecht* [c] *Carew.* [d] *Wiat.* [e] *le duc de Suffolk.* [f] *Cornwall ou Cornouaille.* [g] *Kent.* [h] *la province de Warwick.* [i] *Huntington* [k] *le duc de Norfolk.* [l] *le pont de Rocheſter*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

igitur in fide, et in perfidia ſceleratorum hominum ulciſcenda ſibi praeſto ſint: hoc enim ipſorum officii eſſe, qui ſe tanquam legitimam patris ac fratris heredem communi conſenſu reginam ſalutaverint. Propoſita etiam ſunt ad [a] Wiati invidiam, jam ante praeconis voce proditoris denunciati, poſtulata ipſius ad reginam miſſa, eademque publice recitata: quorum illud ferebatur eſſe primum, ut in cuſtodiam ſe regina traderet, et de nuptiis illius ac conſiliariis vel retinendis vel mulctandis ipſi ſtatuere liceret. Ita confirmatis civium animis, regina ad ↀ homines majorem partem exteros armat, et delectos ex iis ad eam portam, quae pontem [b] Thameſi impoſitum ſpectat, diſtribuit; alios idoneis locis in urbe collocat. Triduo poſt promiſcuae multitudini, quae conjuratorum parteis ſequebatur, impunitas proponitur, modo ab armis diſcedat; et ei, qui Wiatum captivum feciſſet, praemium conſtituitur. Quibus rebus nihil ille territus, cum citra ſanguinem rem ſe confecturum putaret, ad pontis portam venit: ſed ubi ſe minime admitti, uti ſperaverat, videt, XII ſupra Londinum milliaribus flumine tranſmiſſo, ad aliam portam, ad quam [c] Cortinaeus excubabat, tendit, et, ut ſibi tanquam amico aperiretur, poſtulavit, relicto in planitie ſubjecta exercitu. Dum verbis inter ſe Cortinaeus et Wiatus altercantur, [d] Penbrochius alia porta egreſſus cum delectis a tergo Wiati milites per pratum jacenteis nec opinato aggreditur, et abſente duce confuſos nullo negotio fundit; eodemque tempore Cortinaeus in Wiatum eruptione facta ipſum jam a ſuis deſertum capit: nihilominus poſtea proditionis inſimulatus, ob idque in carcerem conjectus fuit, quaſi conſiliorum Wiati particeps, quem propius urbem accedere et ſuburbium occupare paſſus eſſet; neque prius inimicum animum contra Wiatum declaraſſet, quam poſtquam ejus exercitum a Penbrochio caeſum eſſe intellexiſſet. Altera die, quae in VII Eid. Febr. incidebat, edicitur, capitis denunciata poena, ut, qui de conjuratorum numero quempiam receptaſſet, illico traderet. Plurimi producti: et [α] LXXX amplius [e] Londini et Weſtmonaſterii ſupplicio affecti ſunt; in iiſque ex nobilitate non pauci. Ea poſtrema conjuratio Janae [f] Suffolcii filiae et [g] Guilfordio ipſius marito perniciem attulit; qui tandem ad mortem damnati ſunt. Miſſus ad Janam a regina theologus, cum eam in viam a praecepta doctrina reducere tentaret, illa ſibi non tantum temporis eſſe dixit, ut controverſiis de religione diſcutiendis vacaret; proinde, quod ſupereſſet, piis precibus et ſupplicibus apud Deum votis melius impendi poſſe. Theologus, qui ſerio id a Jana dictum crederet, quaſi moram vitae longiorem concedi expeteret, reginam adit, et tridnum impetrat. Mox ad Janam reverſus, quid cum regina egerit, exponit, et, ut ſe audiat et melius de religione ſentire velit, rogat: tum illa renidenti vultu, Non haec (inquit) eo a me dicta erant, ut reginae renunciarentur: nam cave putes me ullo amplius vitae deſiderio tangi: ex quo enim abſuiſti, tantum me vivendi taedium coepit, ut de ſempiterna vita tantum ſolicita mortem prorſus contemnam: quam equidem, quoniam ita reginae placet, ſponte ac libens ſum ſubitura. Antequam ad ſupplicium produceretur, cum Guilfordius, ut ſibi cum uxore colloqui et extremum vale dicere liceret, impetraſſet, illa recuſavit, et, ut haec doloris pabula potius quam mortis ſolatia miſſa faceret, rogavit: brevi enim fore, ut arctiore nodo conjuncti potiore loco et vitae conditione ſe mutuo conſpecturi ſint. Cum exiret carcere, a Turris praefecto rogata, ut ſibi monumentum ſui aliquod relinqueret, illa pugillateis popoſcit, in iiſque treis ſententias breveis Graece et Latine, nam utramque linguam apprime callebat, ac denique vernacule conceptas deſcripſit, quibus innocentiam ſuam conteſtabatur, et, quamvis culpam morte dignam non diffiteretur, tamen ignorantiam ſuam apud homines, ſalvis legibus, errorem eum excuſare debuiſſe contendebat. Demum, cum turbam obviam nihil turbato vultu ſalutaſſet, et ſe piis eorum precibus commendaſſet,

ad

VAR. LECT. [α] CC P. D. O.

INTERPR. [a] *Wiat.* [b] *la Thamiſe r.* [c] *Edouard Courtenay, comte de Devonſhire* [d] *le comte de Pembroke.* [e] *Londres & Weſtminſter.* [f] *le duc de Suffolk* [g] *le lord Guilford Dudley.*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

ad locum ſupplicio deſtinatum venit, theologum manu trahens: quem comiter complexa, Deus tibi, inquit, omnia abunde tribuat pro humanitate, qua me proſecutus es; quamvis ex ea plus faſtidii quam ex proxima morte terroris hactenus ſenſerim. Tum ad adſtanteis converſa, cum modeſta oratione facti ſeriem expoſuiſſet, Ream me, inquit, non quod regnum affectaverim, ſed quod oblatum non repudiaverim, facit; exemplum memorabile poſteris praebituram, [* innocentiam] facta gravia, quae in publicam perniciem vergunt, non excuſare: abunde quippe ſceleris videri illum admiſiſſe, quiſquis alienae ambitioni et libidini vel invitus ſerviverit. His dictis, implorata Dei miſericordia, puellis pediſſequis adjuvantibus, comam ipſa ſibi ſolvit, rejectiſque in oculos crinibus cervicem feriendam carnifici praebuit, non ſine circumſtantium lachrimis, etiam eorum, qui Mariae cauſam ſemper ab initio amplexi fuerant. Hunc exitum habuit Jana majorum titulis illuſtris foemina, ſed virtute et ingenii nobilitate longe illuſtrior; quae, dum vitrici et imperioſae matris ambitioni obſequitur, funeſtum ſibi reginae nomen ſumpſit, et a regno ſtatim ad ſupplicium rapta alienae culpae poenas luit, tot adverſae fortunae ictibus conſtantia et innocentia ſuperatis. Id actum prid. Eid. Februarias; quo etiam die Guilfordius maritus ſecuri percuſſus eſt: et poſtea IX Kalend. Mart. Suffolcius capite plectitur, cum ante diem quartum fuiſſet damnatus. Hujuſmodi rerum ſtatum pertaeſi plerique, qui in Anglia erant, in Germaniam ſe contulere; in iiſque Joannes [a] Laſcus illuſtri loco Polonus, Hieronymi illius frater, cujus adeo magnum in [b] Pannonia et aula Turcica nomen extitit, in [c] Daniam primum, dein [d] Emdam in Friſia orientali profectus eſt, ibique ſubſtitit. Multi etiam indigenae ob religionem ſolum vertere; Joan. [e] Ponetus Wintonienſis quondam epiſcopus, Richardus [f] Moriſonus, Antonius [g] Cocus et Joan. [h] Checus Edvardi praeceptores.

V. HAUD multo poſt IV Non. Mart. leges ſuper eccleſiaſtica diſciplina a regina promulgantur; quibus inter alia jusjurandum illud ab Henrico, cum a pontifice deficeret, inſtitutum remittitur, quo omnes adigebantur, quicunque ad aliquod munus aut dignitatem eccleſiaſticam admittebantur, profiteri, ſe illum ac ſucceſſores ejus, tanquam ſupremum Anglicae eccleſiae caput, agnoſcere; pontificem vero nihil habere in illam juris, quippe urbis Romae epiſcopum, quicum nihil commune habere velint. Preces quoque vernacula lingua fieri praeceperat Henricus: iiſque rogabatur Deus, ut ipſos ab epiſcopi Romani ſeditione, conſpiratione ac tyrannide liberaret; hanc formulam typis excuſam aboleri juſſit regina. Tandem Wiatus Kal. April. capitis poenam luit; qui impunitate propoſita a quibuſdam malevolis ſubornatus, cum conjurationis conſcios edere juberetur, inter eos [i] Cortinaeum nominaverat, quaſi repulſam a Maria paſſus Eliſabethae ducendae et expulſa ſorore regni invadendi conſilium iniiſſet: ſed, antequam duceretur, Eliſabetham et Cortinaeum excuſavit, et conjurationis illius affineis eſſe religioſa aſſeveratione pernegavit. Eliſabetha nihilominus paulo ante ob eam cauſam in carcerem conjecta, ad Mariae uſque mortem ſub cuſtodia fuit. [1] Hoc ipſo tempore [a] Cantuarienſis archiepiſcopus et Hugo Latimerus Londinenſis epiſcopus [k] Windeſoram et inde [l] Oxonium abducti, coeptam anno ſuperiore Londini Kal. Novembr. diſputationem perſequuntur, coram [m] [2] Cantabrigienſis academiae theologis: cumque in ſententia perſtarent, rurſus in carcerem conjiciuntur. Habebantur tunc Ordinum Angliae conventus: in quibus duo propoſuit regina; de ſuo

P. [* *mentis innocentiam*]

VAR. LECT. [a] Cantuarienſis ac Londinenſis epiſcopi et Hugo Latimerus Vindeſoram *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *à Laski* [b] *Hongrie.* [c] *Dannemarc.* [d] *Embden en Friſe.* [e] *Poinet, evêque de Winchester.* [f] *Moriſon.* [g] *Cook.* [h] *Cheke.* [i] *Courtenay, comte de Devonſhire.* [k] *Windſor* [l] *Oxford* [m] *de Cambridge.*

NOT. [1] Dele *hoc ipſo tempore Cantuarienſis archiepiſcopus:* lege *hoc ipſo tempore Thomas Crannerus Cantuarienſis adhuc archiepiſcopus, Nic. Ridleius Londinenſi ſede nuper exturbatus, et Hugo Latimerus qui Wigornienſi epiſcopatus jam olim renunciaverat, Windeſoram, &c.* Sic corrigendus locus ex Godwini Annalibus Lat. Fol. ad ann. 1554. Latimer n'étoit point evêque de Londres, mais Nic. Ridley. *Put.* [2] *Lege,* ſecundum Godwinum, *utriuſque academiae theologis.*

CIↃIↃLIV. ſuo matrimonio, et reſtituendo pontifici primatu: quorum hoc reclamante nobilitate
HENRICUS II. pro tempore impetrare non potuit; illud certis legibus obtinuit, nimirum ut Hiſpaniarum princeps nullum ad munus publicum aut dignitatem in regno admittere poſſit, niſi qui in Anglia natus ſit, et reginae ſubditus; in familia ſua certo numero Anglos habeat, quos honorifice tractet, nec ab externis ulla injuria affici patiatur; non poſſit reginam ex Anglia, niſi ipſa roget, ſecum abducere, nec filios, quos ex ea ſuſceperit; qui in Anglia adoleſcent et educabuntur in ſpem ſucceſſionis, nec inde exire permittentur, niſi neceſſitas aut legitima cauſa inciderit, idque ex Anglorum conſenſu; regina ſine liberis decedente, princeps nullum habeat in regno jus, ſed liberum regnum ei, cui jure competet, relinquere teneatur; nihil in iis, quae ad jura ſive publica ſive privata, immunitates, conſuetudines regni ſpectant, innovet; antiqua regni jura confirmare et ſervare teneatur; nihil gemmarum et pretioſae ſupellectilis ex Anglia avehi permittat; nihil ex regio patrimonio alienet; naveis, machinas et omnem apparatum bellicum conſervet; arceis et munita loca diligenter cuſtodiri curet; poſtremo hujus connubii ratione nihil foederi inter regem et reginam nuper inito derogetur, paxque inviolata inter Gallos et Anglos maneat: principi tamen liberum ſit, ex aliis regnis et ditionibus Caeſari patri ſuppetias mittere, ſive ad injuriam propulſandam, ſive ad ultionem de accepta ſumendam. Cum nihil amplius impedimenti ſubeſſet, quo minus nuptiae celebrarentur, Philippus idoneam tempeſtatem nactus, cum [1] XVIII Kalend. Sextil. [a] Juliobriga Calecorum portu ſolviſſet, afflante auſtro, triduo poſt [b] [2] Antonam cum Hiſpanica claſſe appulit: ea erat XXC onerariarum navium et XL minorum; quarum utrinque latera XX Anglicae et totidem Belgicae naves tegebant. Obviam processere [c] Pagetus, [d] Rotelii et [e] Arondelii comites, [α] [f] privati ſigilli cuſtos, et magnus regni quaeſtor, omnes periſcelide donati equites. [β] Cum iis venit et marchio [g] Navicularius, dudum apud reginam principis legatus. Poſtridie princeps navi ad id ſuperbe ornata exceptus, una cum duce [h] Albano, [γ] [i] Roderico Gomeſio Silva, Antonio [k] Toletano et Petro [l] Lopezio ad portus molem in terram deſcendit, et equo regie inſtrato, qui ad id paratus erat, inſcenſo, in oppidum venit. In palatio, quo exceptus eſt, paſſim videre erat aulaea et oraniſcos Henrici VIII nomen cum primatus eccleſiaſtici titulo praeferenteis; adeo re abolita nondum ejus memoria aboleri potuerat. Die ſequenti, poſt miſſitata utrinque munera, princeps magna ſuorum et regulorum Anglorum, ac [m] Wintonienſis epiſcopi praecipue, qui cum L nobilibus, et comitis [n] Penbruchii, qui cum CCL, reginae juſſu ipſum ſalutatum venerant, caterva ſtipatus, pluvioſo admodum tempore [δ] Wintoniam ad reginam venit. Dies B. Jacobo, in cujus patrocinio Hiſpania eſt, ſacer, nuptiis deſtinatus fuit; quae Wintoniae magna pompa celebratae ſunt. Principis in comitatu erant Albanus, marchio [o] Piſcarius, [p] Caſtellae maris praefectus, et [q] Medinenſium dux, quiſque cum ſuis magnifice ornatis. Cum ad locum ventum eſt, Jo. Figueroa Caeſaris nomine regno Neapolitano ceſſit, et jus omne, quod ipſi in eo competebat, in Philippum filium tranſtulit. Mox recitantur pacta, quae per legatos conventa fuerant, et demum voce principis confirmantur. Tum more in privatorum nuptiis uſitato Wintonienſis, qui ut inaugurationem ſic et hanc ceremoniam peregit, cum aliis V epiſcopis, a circumſtantibus quaeſivit, an quiſquam eſſet, qui impedimentum juſtum aliquod ſubeſſe ſciret, quo minus nuptiae legitimae inter eos contrahi poſſent aut deberent. Cum nemo contradiceret,

et

VAR. LECT. [α] Priviſelus Pogaterus, et magnus *P.* Pogaterus privati *D* o. [β] cum iis erant primarii viri, Strangerus, Matraverſus, Veſtinus, qui menſae reginae inſerviebant. Cum iis venit *P.* [γ] Ruiſio *P. D* o f. [δ] Vintonium *P. D* o.

INTERPR. [a] *la Corunna en Galice.* [b] *Southampton.* [c] *le lord Paget* [d] *Henry Mannert, comte de Rutland.* [e] *Arundel.* [f] *François Ruſſel, comte de Bedford, garde du ſceau privé; & Guillaume Paulet, marquis de Wincheſter, grand treſorier.* [g] *de las Navas.* [h] *le duc d'Albe, maggior-domo maggior.* [i] *Ruy Gomez de Silva, primo camerier maggior.* [k] *de Toledo, primo cavallerizzo maggior.* [l] *Lopez maggior-domo.* [m] *de Wincheſter.* [n] *de Pembroke.* [o] *il marcheſe di Peſcara* [p] *l'amiral de Caſtille.* [q] *le duc de Medina Celi.*

NOT. [1] Lege XVII *Kal. Put.* [2] Dele *Antonam* lege *Southamptoniam.*

Digitized by Google

et contra omnes confuſa voce aſſentirent, confecta res eſt, ac proclamationes titulorum utriuſque publice factae Latina, Francica, et Anglica lingua. Peracto ſacro, inter choreas et convivia ac cetera regalis laetitiae oblectamenta dies extracta eſt. Inde deducente regina Philippus Londinum urbem regni primariam honorifico ac ſplendido paratu ingreſſus eſt.

VI. INTEREA Polus cardinalis, qui Caeſaris juſſu [a] Dillingae ſubſtiterat, per literas modeſte cum Caeſare expoſtulabat; oſtendebatque indignum pleriſque videri, pontificis legatum, qui pacis et religionis cauſa ad ipſum mitteretur, ejus aditu prohiberi: id ad ipſius dedecus et contemptionem pontificis pertinere: quantae enim id voluptati haereticis in Germania fore, in quorum oculis haec gerantur? quos denique animos in Anglia ſumpturos Catholicae religionis hoſtcis? Itaque orabat et obſecrabat, ut ſibi quamprimum ipſum conveniendi facultas daretur. Dillingae tunc erat Dominicus a Soto Hiſpanus, magni nominis theologus, qui Caeſari a ſacris concionibus fuerat. Per eum Polus Caeſarem urget, ne patiatur diutius legationem impediri magno Chriſtianae rei atque inprimis Anglici regni detrimento. Tandem, adſentiente Caeſare, Polus Bruxellas ad eum venit: ſed ibi tantiſper ſubſiſtere jubetur, quouſque Philippus filius in Angliam appuliſſet. Interim, ne nihil ageret Polus, alteram legationis partem aggreditur, ſi qua forte iniri ratio poſſet pacis inter ipſum et regem conciliandae. Nam pontifex [b] Dandinum ad Caeſarem et [c] Sangeorgium ad regem antea miſſos, cum nihil proficerent, revocaverat, et hoc totum negotium Polo commiſerat. Audito Polo, Caeſar, cum nullas conditiones, quae honeſtae eſſent, et quibus pax firma conſtitui poſſet, recuſaturum ſe oſtenderet, ceterum nihil deliberari poſſe, antequam de regis voluntate cognoſceretur, Polus nulla mora interpoſita in Galliam venit; ſcripſitque in itinere libellum, quo Caeſarem ad pacem hortabatur, ſumpto argumento ex ejus reſponſione. Tunc ſacri dies inſtabant, quibus Dominicae mortis memoria recolitur. Id tempus cum minime negotiis tractandis idoneum videretur, regi placuit, ne Polus interea ad ſe adiret: quam occaſionem arripuit vir pius hujus libelli, quem nondum ad Caeſarem miſerat, ad ipſum mittendi, adjuncta epiſtola. Elapſis deinde ſacris illis diebus, cum rege, ac poſt eum Anna Momorantio equitum magiſtro et cardinali Lotharingo, quos penes rerum ſumma erat, ſtudioſe ac vehementer de pace egit. Tandem non ſine ſpe concordiae a rege dimittitur; qui, poſtquam eum impenſe laudavit, magnopere dolere ſibi dixit, quod, ante Julii III pontificatum, aut non ipſe per ſe eum cognoviſſet, aut per alios de ſummis ipſius virtutibus magis ex fide non fuiſſet edoctus: quippe non alium ſe in pontificem eligi, quantum in ipſo eſſet, permiſſurum fuiſſe. A rege in Belgium redeunti cum miſerabilis ubique rerum facies in utriuſque principis confinibus ob oculos verſaretur, fumante adhuc ex recentibus incendiis ſolo, et dilapſis huc illuc colonis lamentabilis paſſim vaſtitas occurreret, ad haec ſenes ac mulieres cum pueris, qui domi ob infirmitatem remanſerant, humum floribus et herbis, quacunque ille incedebat, inſternerent, eo major additus eſt Polo ſtimulus, ut omni ratione enitendum ſibi exiſtimaret, quo concordia inter potentiſſimos principes ſarciretur, et incendium illud, quo Chriſtianus orbis per eorum bella tam diu conflagraverat, tandem reſtingueretur. Sed egregia optimi viri voluntas fruſtra fuit, adeo exulceratis utriuſque animis, et tam inveteratis vulneribus nondum coaleſcere valentibus. Dum in coenobio Bruxellis proximo, ad quod pro conſuetudine diverterat, haereret, expectans, dum ſuſpicax Caeſaris animus ſibi ſatisfaceret, chariſſimum ſibi Bartholomaeum Stellam affecta jam aetate ſenem, qui ipſum amoris ergo cum Donato Rullo in Angliam ſequi voluerat, amiſit: nec multo poſt, confectis jam in Anglia Philippi et Mariae nuptiis, cum irritus fuiſſet eorum conatus, qui apud Caeſarem, et Romae apud pontificem, in

INTERPR. [a] *Dillingen.* [b] *le cardinal Dandino.* [c] *le cardinal de S^t. George.*

CIϽIϽLIV.
HENRICUS II.

Anglia etiam apud reginam, per calumnias invidiam illi conflare tentaverant, Maria duos primarios viros [a] Pagetum et [b] Edvardum Haſtingum regii ſtabuli praefectum Bruxellas miſit, qui illum honorifice evocatum deducerent. Igitur, petita a Caeſare venia, [c] Polus, his viae comitibus, menſe Septembri ſe itineri commiſit; et [d] Caleto, quod tunc Angli tenebant, paratis ad id VI navibus, ſecundo vento, qui diu adverſus huc uſque flaverat, in patriam trajecit, et ad [α] [e] Doveram, qui proximus eſt inſulae portus, feliciſſime delatus eſt. Ibi ab [f] Elienſi epiſcopo et [g] Montiſacuti [β] vicecomite exceptus, magnoque nobilium undique confluentium numero, tandem [h] Graveſindae ad Tameſis ripam, quae Londino XX milliaribus abeſt, obvios habuit [i] Dunelmenſem epiſcopum et [γ] [k] Salopienſem comitem; qui, de adventu gratulati, ipſum regis ac reginae nomine plurimum ſalvere juſſerunt, et diploma de ejus reſtitutione maximo regni ſigillo obſignatum exhibuere; inſuperque addiderunt, in comitiis, quae pridie Eid. Novembr. inchoata fuerant, magno omnium conſenſu actum eſſe, ut lex abrogatetur, qua ille hoſtis patriae atque exul declarabatur omnique nobilitatis jure privabatur; atque, ut major actioni auctoritas accederet, Philippum ipſum et Mariam praeter morem, (nam tantum ſemel, cum coguntur et cum dimittuntur, reges ad ea venire ſolent) comitiis intereſſe voluiſſe. Inde Polus urbem IX Kalend. Decembreis venit, tunc primum regum permiſſu argentea cruce, quae legationis apoſtolicae inſigne eſt, prolata, et in prora cymbae, qua vehebatur, ut ab omnibus aſpiceretur, conſtituta. Praemiſſus [l] Wintonienſis epiſcopus regni cancellarius, cum pleriſque proceribus, qui navigio egredientem exciperent. Philippus ipſe, qui cum Maria adhuc ad menſam ſedebat, ſurgens obviam proceſſit: regina vero ad ſummas ſcalas venientem excepit; tantamque voluptatem ac laetitiam animo capere ſe dixit, quod illum ſalvum atque incolumem aſpiceret, quantam cepiſſet, tum cum liberam regni poſſeſſionem adiit. Triduo poſt regem adiit Polus, ut de iis, quorum cauſa miſſus fuerat, cum ipſo ageret. Rex obviam ei rurſus extra cubiculum proceſſit, faſciculum Roma nuper allatum deferens, quo mandatorum amplificatio ab ipſis avide expetita continebatur. Poſtridie rex ad ipſum officii cauſa viciſſim adiit: tuncque ſimul de rationibus egerunt, quibus regnum ad eccleſiae unitatem revocaretur. Res ſolemni ritu acta. Nam poſtridie conventus in regia coram ipſis regibus habitus eſt, cui Polus interfuit. Ibi Wintonienſis cum de Poli mandatis, quae a pontifice miſſus ad Angliae regnum haberet, egiſſet, Polus ipſe longam orationem vernacula lingua habuit; Gratiaſque ordinibus egit, quod ſe in patriam ac nobilitatem reſtituiſſent; ſicque ſibi praecluſum antea ad regnum aditum pateſeciſſent, et facultatem ipſis inſerviendi dediſſent: ſe viciſſim veniſſe, ut, qui in terrenam patriam ac nobilitatem ab ipſis reſtitutus ſit, eos in coeleſtem patriam ac potiorem nobilitatem reſtituat, qua ſe tum demum ipſi ſpoliaverint, cum ab unitate eccleſiae deſecere. Igitur hortatur, ut ſuperioris temporis, quod tantas ipſis et univerſo regno calamitates importaverit, errorem ingenue agnoſcant et ex animo deteſtentur, et, quod iis beneficium Deus vicarii ſui nomine per ejus legatum deferat, id ſincera animorum alacritate accipiant ac ſedulo retineant: reliquum eſſe, ut, cum ipſe adeſſet claveis adſerens, quibus eccleſiae valvas illis aperiret, quemadmodum aditum ſibi in patriam feciſſent, legibus, quae illum excludebant, antiquatis, ita ipſi leges illas omneis abrogarent, quae contra ſedem Apoſtolicam latae ipſos a reliquo eccleſiae corpore omnino divulſos tenerent. Audientium hoc ſermone animi varie adfecti ſunt, dum ſtatum praeſentem pertaeſi alii priora et vetera malunt; alios, qui contrariam doctrinam imbiberant, pontificii nominis auctoritas terreret. Tum Wintonienſis regni nomine gratias agit;

VAR. LECT. [α] Donaveram P. D. o. [β] regulo P. D. o. [γ] Sariſberienſem P. D. o.

INTERPR. [a] *le lord Paget, baron de Beaudeſert.* [b] *le chevalier Edouard Haſtings, maſter of the horſe, ou grand ecuyer de la reine.* [c] *le cardinal Pole.* [d] *Calais.* [e] *Douvres.* [f] *Thomas Thirlby, evêque d'Ely.* [g] *Anthony Brown, vicomte de Montacute.* [h] *Graveſend.* [i] *Tonſtal, evêque de Durham* [k] *François Talbot, comte de Shrewsbury.* [l] *l'evêque de Winchester.*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

agit; et deliberaturos eos reſpondet. Cum ſeceſſiſſet Polus, dum deliberaretur, mox revocatur; et eo praeſente rurſus Wintonienſis Deo gratias agit, quod prophetam ex ſuo numero ſuſcitaſſet, qui eos ſalvos faceret: tum, poſtquam beneficium, quod a pontifice ultro deferretur, multis verbis laudavit et extulit, ſe ipſum cum ceteris errore lapſum palam faſſus eſt, atque, ut omnes tandem ad ſe redirent et reſipiſcerent oblatam gratiam amplexantes, hortatur. Haec ita tunc acta. Demum pridie Kal. Decembreis, qui dies B. Andreae ſacer eſt, Polus ab [a] Arondelii comite regiae domus praefecto et VI aliis primariis periſcelide donatis equitibus totidemque epiſcopis deductus in regiam venit. Ibi in conſeſſu cancellarius circumſtanteis rogat, placeretne iis, ut ipſorum nomine venia a legato peteretur, et ad eccleſiae unitatem atque ad pontificis, qui eſt ſupremum ejus caput, obedientiam rediretur. Clamore magno aliis, ſilentio pleriſque aſſentientibus, libellus ſupplex regibus porrigitur, quo univerſi poenitere ſe ſciſſurae et a Romana eccleſia defectionis declarabant; et proinde rejicere leges omneis, quae contra pontificem latae eſſent, et quantum in ipſis eſſet abrogare: orabantque reges, quos Deus ab hac labe puros conſervaſſet, ut veniam ſibi per ejus legatum impetrarent, atque ejus beneficio in gremium eccleſiae tanquam filii recipérentur, et ejuſdem corporis membra prius divulſa agglutinarentur. Libellum poſtquam legere reges, Wintonienſi cancellario reddidere; qui cum alta voce, ut ab omnibus exaudiretur, recitavit. Cum ſurgerent reges, ut legatum deprecaturi adirent, ille antevertit: et poſt regum deprecationem, cum rurſus conſediſſet Polus, quid poteſtatis ſibi a pontifice conceſſum ſit, recitato diplomate univerſis palam fecit. Tum immortaleis ſe Deo gratias habere dixit, quod, quemadmodum priſcis eccleſiae temporibus Anglis hanc gratiam feciſſet, ut primi depulſis gentium erroribus verum Dei cultum publico conſenſu amplecterentur, ita nunc iiſdem tribuiſſet, ut, cum ſeſe ab eccleſia ſejunxiſſent, primi, quam graviter deliquiſſent, agnoſcerent: nec dubitandum eſſe, ſi vere eos atque ex animo poeniteat, quin angeli ſummum gaudium ex tot hominum tamque florentis regni converſione capturi ſint, quibus vel unius peccatoris poenitentem animum ſummam laetitiam afferre verbi divini teſtimonio conſtet. Tandem, cum ſurrexiſſet, et omnes in genua procubuiſſent, conceptis verbis univerſos Anglice loquens abſolvit. Mox in regiae ſacellum itum eſt, ad decantandum BB. Ambroſii et Auguſtini hymnum. Poſtridie Polus, rogante Londinenſi praetore, regum permiſſu, urbem cum legati ornatu atque omnibus inſignibus ingreſſus eſt. Deinceps de religione inſtauranda, revocandis piis viris exulibus contraque pellendis depravatae doctrinae ſectatoribus actum eſt. Poſtremo ampla et honorifica legatio ad pontificem decernitur, ad idque munus deſtinatur epiſcopus [b] Elienſis, Montiſacuti vicecomes et Edvardus [c] Carneus juriſconſultus, qui reginae et Philippi ejus mariti nomine obedientiam ſedi Romanae et pontifici praeſtarent. Ab ampliſſima et florentiſſima totius orbis inſula tandem in continentem redeundum eſt.

VII. IN Germania totus hic annus in rebus Saxoniae componendis et Alberti Brandeburgici cauſa nunc armis nunc conventibus ob id indictis agitata [a] circumactus. Joannes Fridericus poſt Mauritii ſeptemviri mortem cum fruſtra tentaſſet antiquam amiſſi ſeptemviratus poſſeſſionem recuperare, tandem, Daniae regis Auguſti ſoceri interventu, poſt ſemeſtrem fere diſceptationem inter parteis tranſactum eſt his conditionibus; ut Joannes Fridericus ſeptemviratu, Miſnia et argenti-fodinis Auguſto cederet; quae omnia ad ipſum, Auguſto ſine liberis maſculis decedente, redirent: interim illi liceat ſeptemviri nomen et dignitatis inſignia, tam in obſignandis literis quam in procudenda moneta, quamdiu vivet, uſurpare: Auguſtus viciſſim quaſdam praefecturas et oppida ei liberiſque ejus largiatur; et pro eo, quod ſupererat, ex illo aere alieno Saxonis, quod Mauritius diſſolvere promiſerat, C aureorum CIↃ dependat: arcem oppidumque

VAR. LECT. [a] circumegit ſe P. D. o f. d.
INTERPR. [a] *Arundel.* [b] *l'evêque d'Ely, & le vicomte de Montacute.* [c] *Carne.*

CIƆIƆLIV. HENRICUS II.

oppidumque [a] Regii-montis in Franconia ſitum, quod [b] Wirciburgenſi epiſcopo in XL CIƆ aureorum oppigneratum eſt, luat; et Saxonis liberis reſtituat: foedus hereditarium Saxonicae domus ſuperioribus bellis violatum ſarciatur, ac denuo confirmetur. Id cum Saxo jam ex morbo decumbens ſubſcriptione et ſigno appoſito ratum habuiſſet, et ut filii ſervarent juſſiſſet, non multo poſt extremum diem clauſit, V Non. Marr. vir conſtantiae et invicti animi, etiam ab ipſis hoſtibus, ad haec liberalitatis regiae laudem conſecutus, qui poſt varias vitae aerumnas et adverſitates, quibus tota vita conflictatus eſt, tranquillitatis portum in morte tandem invenit; obſcurior tamen ejus poſt obitum fama, quod [α] liberos paterna calamitate oppreſſos reliquiſſet. Undecimo ante eum die Sibylla [c] Clivenſis uxor [d] Winariae deceſſerat, voti compos, cum ſaepe dixiſſet, ſe aequiſſimo animo morituram, ſi ſibi maritum liberum domi reducem aſpicere liceret. Ipſe vero, dum ſepulchrum uxori in ſacra aede pararetur, quaſi brevi eam ſecuturus, locum ſibi ad latus illius ſervari juſſerat.

VIII. INTEREA ſub exitum menſis foederati ad [β] [e] Schuinfurti, quod ab Alberto tenebatur, obſidionem redeunt; qui eodem tempore [γ] [f] Hohelanſpergum alterum ditionis Albertinae propugnaculum armis occupant. Nec multo poſt Caeſar in foederatorum gratiam, proſtratae miſeri hominis fortunae more ſuo incumbens, jam hyeme ſuperiori proſcriptum, denuo datis, dum Bruxellis eſſet, literis proſcribit: et, quandoquidem bis irrito ſucceſſu [δ] [g] Rotenburgi ad Duberum flumen ob id conventum ſit, graviſſimis verbis mandat, ut principes atque Imperii ordines, praecipue vero finitimi, ſententiam latam exſequantur. Continuo affixis ubique literis ordines, qui ad Rhenanam provinciam pertinent, [h] Wormatiae convenere de executione, quam Caeſar urgebat, acturi. Tempus comitiorum inſtabat, quae [i] Auguſtae Vindelicorum indicta ſuperius diximus. His cum intereſſe Caeſar valetudine praepeditus non poſſet, in Ferdinandum fratrem, qui provinciam eam in ſe receperat, onus transfert: ſed turbulento adeo Germaniae ſtatu principes et ordines Imperii cum ſe excuſarent, et ſolus fere ex Caeſaris conſiliariis Auguſtanus cardinalis adeſſet, in commodius tempus res dilata eſt. Albertus, cum armis non poſſet, editis ſcriptis [k] Norimbergicos oppugnabat; et, cum de Caeſaris gratia adhuc non omnino deſperaret, eos ut patriae proditores acerbe perſtringebat, quod ſuperiori bello regi contra Caeſarem opem tuliſſent, et pecuniam occulte numerari juſſiſſent; denique Caeſarem in ſuſpicionem calumnioſe adductum ſociis atque epiſcopis odioſum reddidiſſent; quod auctores epiſcopis fuiſſent a pactis, quae Caeſar confirmaſſet, diſcedendi, belloque, de quo tantopere conquerantur, cauſam dediſſent; et, judicio a camerae judicibus redempto, bellum excitatum crudeliter geſſiſſent. Capto Hohelanſpergo, cum ſcripta ejuſmodi multa inibi reperiſſent Norimbergici, contrario ſcripto XV Kal. Junii evulgato ad ea reſpondent, et repetita belli origine culpam ejus in Albertum et Gulielmum [ε] [l] Grumbachum emiſſarium ipſius, dignum hero miniſtrum, rejiciunt; oſtenduntque, quam ille ſe ab omni ſemper concordiae ratione alienum praebuerit: cum principes ſuperiori anno Heidelbergae et ſemel atque iterum Rotenburgi pacificandi cauſa conveniſſent, per ipſum ſtetiſſe, quo minus conciliationis via iniretur: ſolitum etiam odioſe paſſim principes, qui ſe medios his turbis interpoſuerint, hoſtium ſuorum procuratores appellare. Praeterea eodem ſcripto crudelitas, qua erga captivos et ſupplices quotidie uteretur, adductis in medium exquiſitae immanitatis recentibus exemplis, ipſi exprobratur. Petunt igitur, ut, quandoquidem is malorum omnium auctor extiterit, ipſi contra nihil niſi auctore Caeſare ad vim et injuriam propulſandam egerint,

diligenter

VAR. LECT. [α] quod liberos longe ſui diſſimiles reliquiſſet. *P. D.* o. f. d.
[β] Schinfurti *P. D.* o. Scuhinfurti *D.* f. d.
[γ] Holanſpergum *P. D.* o. f. d.
[δ] Roteburgi *P. D.* o. f. d.
[ε] Grunbachum *P.*

INTERPR. [a] *Konigſhoffen en Franconie.* [b] *l'evêque de Wirtzburg.* [c] *de Cleves.* [d] *Weimar* [e] *Schweinfurt.* [f] *Hohenlantſperg.* [g] *Rotenburg ſur le Tauber.* [h] *Wormes.* [i] *Augsburg.* [k] *ceux de Nuremberg.* [l] *Grumbach.*

diligenter omnes conſiderent, quam e re communi Germaniae ſit, ut ſententia contra Albertum tanquam perduellem lata quam primum executioni demandetur, ne furenris hominis exemplo latius ſerpat audacia: orant et obteſtantur omneis, quibus jus et aequum cordi eſt, ut totis viribus incumbant, quo publica Germaniae peſtis opprimatur, nullum ipſi perfugium aut receptum dent, nec ope conſiliove juvent, aut falſis ipſius criminationibus in poſterum aures aperiant. Dum verbis res geritur, non ceſſabat Albertus; ſed, acceptis pro [a] Aumalio redimendo LXCIↃ aureorum, copias per Saxoniam cogebat. Cum his ſumma celeritate [α] [b] Schuinfurtum IV Eid. Junii petit; et cum IↃ CCC equitibus et VII peditum vexillis ſub noctem oppidum, qua parte non erat obſeſſum, ingreditur. Cum ibi omnia ad extremas anguſtias redacta offendiſſet, conſilium ex tempore cepit; et triduo poſt, oppido direpto, eductis circiter XVIII praeſidiariorum tam equitum quam peditum ſignis, ac tormentis, ſummo ſilentio, [1] ſtationibus crebris ad portarum cuſtodiam relictis, noctu egreditur, et [c] Kitzingam verſus iter inſtituit, oppidum infra poſitum ad [d] Moenum. Albeſcente die cum de fuga cognoviſſent foederati, pars in oppidum ruunt, in iiſque Brunſvicus, et, quod Albertinos properanteis fugerat, ipſi rapiunt, et oppidum poſtremo incendunt: pars fugientem hoſtem inſequuntur; quem tandem tardius propter tormenta incedentem adſecuti ſiſtunt: nec ille certamen detrectavit; ſed, acri commiſſa pugna, cum ſuperveniente toto exercitu tantae potentiae imparem ſe videret, monitis ſuis, ut qua quiſque poſſet ratione ſibi conſuleret, ipſe cum paucis ſe periculo ſubducit, et tranato flumine Kitzingam incolumis pervenit, amiſſis omnibus impedimentis. Ad hujus cladis famam, qui [e] Blaſſeburgum praecipuum illius et quod unicum ſupererat propugnaculum tenebant, octavo poſt die deditionem Ferdinando faciunt: nam Henricus [f] Plavius, qui oppidum continentet obſederat, paulo ante deceſſerat. Ita omni ditione exutus Albertus juſtas ſcelerum atque immanitatis ſuae poenas dedit, et in Lotharingiae fineis primum, deinde in Galliam ad regem confugit. Eo profligato, ne non ſuorum furore adhuc Germania plecteretur, Henricus Brunſvicus ad antiqua conſilia revolutus et ipſe furere coepit; ſactoque in inferiorem Germaniam impetu, permultos principes ac civitates atque ex nobilitate pleroſque pecuniam poſcit, et imperata facere cogit; in primis [g] Megalopolenſem, [h] Luneburgicos, [i] Anhaltinos ac [k] Manſfeldios male mulctat. Parte alia, inſtigante eodem Brunſvico, epiſcopi cum reliquis copiis Roteburgenſeis, quorum oppidum ad Imperium pertinet, et [β] [l] Hennebergium comitem, qui ſe bello hoc ultimo domi continuerat, hoſtiliter invadunt; hoc agentes, ut in bellum, quod pro communi ſalute geſtum eſſet, ſumptus pro virili ſuppeditarent: ſed res interventu aliorum principum tandem compoſita fuit. Urgente interea Caeſare, Imperii ordines Sextili menſe rurſus Wormatiae conveniunt: et, quia metus erat, ne Albertus, qui ad nos confugerat, regis viribus fretus in Alſatia et locis vicinis res novas moliretur, a Rhenanae provinciae ordinibus aliquot cohortes in Lotharingiae fineis miſſae ſunt; quae, non contentae aditus ſervare, cum multum damni Lotharingiae intuliſſent, nec alio praeterea operae pretio ſacto, quod nemo ſe illis locis commoveret, domum redeunt. Id, quod ad injuriam ſuam pertinere rex exiſtimaret, in cujus patrocinio tunc temporis Lotharingia erat, ad Imperii ordines, qui Wormatia Francofurtum migravetant, literas dat Kalend. Octobribus Germanica lingua ſcriptas; quibus, repetita conjunctionis utriuſque gentis memoria, dolere ſibi admodum dicit, quod quorundam ſactionibus factum ſit, ut illa utrique hactenus honeſta

et

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] Schinfurtum *P. D. o.* Scuhinfurtum *D* f. d [β] Hanneburgium *P. D. o.*

INTERPR. [a] *le duc d'Aumale* [b] *Schweinfurt.* [c] *Kitzingen.* [d] *le Mein.* [e] *Blaſſenburg.* [f] *Plawen.* [g] *le duc de Mecklenburg* [h] *les ducs de Luneburg.* [i] *les princes d'Anhalt.* [k] *les comtes de Mansfeld.* [l] *d'Henneberg.*

NOT. [1] Dele *ſtationibus crebris ad portarum cuſtodiam relictis*: lege *nullis relictis ad portarum cuſtodiam ſtationibus* Sleidan, d'où ce lieu eſt pris, met anni lib. 25. *Put.*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

et ſalutaris amicitia diſſolvi periclitetur: nam illorum impulſu quoſdam ordines, nulla offenſione accepta aut belli denunciatione prius facta, in ſe nec opinantem arma ſumpſiſſe; quod ſibi eo gravius ſit, quod ſpecie bello Albertum perſequendi id fiat. Siccine enim, inquit, in invidiam vertunt inimici, quod neceſſitudinis antiquae ſervandae cauſa feci? An non ſatis eſt omnibus perſpectum, Gallorum retro ſaeculis eam humanitatem et hoſpitalitatem fuiſſe, ut apud eos adflicti principes, ac praecipue Germani, ſecurum ſemper et certum perfugium habuerint? Quid ergo criminantur? illum me ope et hoſpitio juvare? Id vero minime nego; et, niſi animus ab omni ambitione et vanae laudis affectatione alienus eſſet, etiam gloriarer. Quid enim principi convenientius, quam adflicti principis miſericordia tangi? aut quid denique glorioſius, quam profligatas miſerorum fortunas ſublevare? Cuperem ſane videre Albertum domi pacatum, et avitis potius opibus florentem, quam adflictum et exulem atque ab omnibus deſertum: cuperem, ut ille ſe in hos miſeriarum laqueos non induiſſet, aut, quando aliter fieri nequit, aequis conditionibus cum eo tranſigi poſſet: verum, cum apud me cogitarem, adverſarii mei culpa factum eſſe, ut in has anguſtias ille ſe conjecerit; quippe qui tranſactionem eum epiſcopis ab ipſo factam, cum primo reſcidiſſet, mox ratam habuit, et Alberto auctor fuit, ut jus tranſactione quaeſitum armis perſequeretur; rem fore indignam putavi, ſi amicum principem deſererem, aut ejus adflicti fortuna non commoverer. Neque tamen propterea ei adverſus Imperii ordines ſuppetias ferre aut omnino aliquid contra amicitiae leges facere in animum induxi: leges illas religioſe colo, et porro colere decrevi; modo vos viciſſim nihil contra feceritis. Cum ergo nihil niſi pacatum et benevolum a me expectare debeatis, viciſſim peto, ne dolis et artibus inimicorum meorum, qui privata ſua negotia, magno veſtro cum diſpendio et dedecore, publica faciunt, decepti, aut arma ſumatis ipſi, vel auxilia et pecuniam illis contra me ſumminiſtretis. Nunc ſupereſt, ut, quid ſuper ea re voluntatis et propoſiti veſtri ſit, quamprimum per eum, qui has vobis reddet, mihi renuncietur, et juxta morem antiquum [a] Paſſavienſi poſtremo foedere confirmatum legatis meis, quos ad proximum Imperii conventum de pace publica miſſurus ſum, idonee caveatur. Ad ea reſponſum eſt; miſſos in [b] Lotharingiam equites non injuriae ipſi inferendae cauſa, ſed eo conſilio, ut Alberti hoſtis ab Imperii ordinibus judicati conatus, ſi quam forte eruptionem faceret, impedirentur: de legatis et pace publica quod petat, quando nullum ejus rei mandatum habeant, velle ad ſuos referre, qui, quod aequum ſit, procul dubio facturi ſint. Eodem tempore allatae ſunt Alberti literae; quibus de Antonio Perrenoto [c] Atrebatenſi graviter queſtus, [d] Trevirenſem ſeptemvirum et [e] Argentinenſem epiſcopum atque [f] Heſſum ipſum admodum virulente ſugillabat, ſanguinarios illos equites appellans, qui vitae ſuae ſint inſidiati. Ob religionem quoque tunc aliquantum in Bohemia altercatum eſt. Ferdinandus edicto promulgato ſuis mandarat, ne quid in ſacrae coenae ſacramento mutarent; ſed in ejus perceptione ſecundum receptum jam a multis ſaeculis in eccleſia uſum altera contenti ſpecie eſſent. Id cum graviter ferrent primates, nobilitas ac pleraeque civitates, de eoque ſaepius regem interpellaſſent, denuo per epiſtolam multis adductis argumentis enixe rogant, ut juxta Chriſti praeceptum et veteris eccleſiae conſuetudinem integrae coenae uſus ſibi permittatur. Ad eam Ferdinandus IX Kal. Quintil. Vienna reſpondet; et, cum ſummus ſit magiſtratus, cui obſequium ſecundum Deum debeant, mirari ſe dicit, quomodo obedire ſibi nolint; potiuſque novitiis quorundam opinionibus auſcultantes curioſitate quadam et ſuperbia tranſverſos agi ſe [a] ſinant, et a via majorum deflectant: rem eſſe profundioris deliberationis, de qua mature cogitaturus ſit, et effecturus, ut intelligant omnes, ſibi ſuorum ſalutem et tranquillitatem

curae

VAR. LECT. [a] ſinere——deflectere. P D. o f.
INTERPR. [a] *le traité de Paſſau.* [b] *Lorraine.* [c] *l'evêque d'Arras.* [d] *de Treves.* [e] *de Strasbourg.* [f] *le landgrave de Heſſe.*

curae eſſe: ſed interim petere, ut obſequantur, et nihil in eo negotio mutetur. Ad ea ab illis rurſus replicatum; non eſſe novum, quod petant; ſed Chriſti inſtituto et antiquae eccleſiae conſuetudini plane conſentaneum: non igitur curioſitatem aut ſuperbiam in cauſa eſſe, cur hoc beneficio ſuarum conſcientiarum tranquillitati conſuli exoptent: ipſum quidem tanquam ſummum magiſtratum ſe agnoſcere, cui omnia debeant, et qui a ſe omne obſequium expectare poſſit; ſed orare, quandoquidem hoc ad Dei gloriam ſpectet, ne in eo conſcientias ipſorum gravari, aut diutius tanto beneficio deſtaudari, patiatur. Antea et ob religionem periculum creatum fuerat Joan. [a] Friſio Neuſtatenſis coenobii in Wirciburgenſis epiſcopi ditione praeſuli, quod de Lutheraniſmo ſuſpectus eſſet. Itaque prid. Non. Maii citatus eſt, ut intra ſextum diem ſequentem [b] Wirciburgum veniret, et ad interrogata reſponderet. Propoſiti illi ſunt non ſolum praecipui doctrinae articuli, ſed etiam alii ad ceremonias et diſciplinam eccleſiaſticam pertinentes: ad quos ille [α] v Kalend. Junii reſpondit; et, ſcripturae ac patrum teſtimoniis ſententia ſua, ut ſibi videbatur, abunde confirmata, nihilominus VII Kalend. Quintil. damnatus et a functione ſua omnino remotus eſt.

IX. [β] ET haec quidem hoc anno in Germania geſta ſunt; qui ultimus fuit Joanni [c] Fero profeſſione Franciſcano, qui in Moguntinenſi eccleſia concionatorem egit, multaque ſcripſit tanta moderatione, ut, ſciſſa ob religionis cauſam Germania, ab utraque parte gratiam meruerit: tandemque in laudabili munere ſuo adſiduus, die B. Mariae natali ad meliorem vitam migravit. Fuit et hic annus ultimus [γ] Xiſto Betuleio [d] Auguſtae Vindelicorum nato, ubi ille et gymnaſio praefuit per annos XVI, et rem literariam, dum vixit, non mediocriter voce et ſcriptis editis juvit; a Joan. Baptiſta et Paulo Haintzeliis Auguſtanis fratribus, vicem bene merito de ſe praeceptori rependentibus, honorifice ibidem ſepultus. [δ] Eum mox ſecutus eſt Simo [e] Portius Neapolitanus, in patria anno aetatis LVII mortuus; olim P. [f] Pomponatii Mantuani celeberrimi aetate ſua philoſophi diſcipulus, nequaquam praeceptore ſuo inferior, ſed in eo ſuperior, quod ad peripateticae ſcientiae a doctoribus barbaris hactenus tractatae cognitionem linguae Graecae et bonarum literarum ornamenta attulit; nonnihil, dum Ariſtotelicae doctrinae plus juſto tribuit, in diſputationibus de anima et mente humana Pomponatii ſui culpae affinis creditus; pleriſque aliis in eo genere opuſculis, quae exſtant, magnum nomen adeptus. Hiſtoriam piſcium cum Piſis, ubi publice profitebatur, ſcribere aggreſſus eſſet, allato Gul. Rondeletii libro, quem ille ex Gulielmi [g] Peliſſetii epiſcopi Monpeſſulani commentariis compoſuit, ab incepto deſtitit, non ſine occulto livore, quod ſperatam ex eo opere gloriam ſibi praereptam videret; neque committendum putaret, ut decus longo jam tempore partum intempeſtiva augendae famae cupiditate decoqueret. Eodem aetatis anno Sigiſmundus [ε] [h] Gelenius, in Bohemia natus, [i] Baſileae deceſſit; cum egeſtate tota vita conflictatus, et lautiore fortuna dignus ab Eraſmo judicatus, cujus induſtria praecipue in vertendis pleriſque ſcriptoribus Graecis, et Plinio ad vetuſtorum codicum fidem emendando, deſudavit. Alii obitum ejus ad annum ſequentem injiciunt. Sub id Franciſcus [ζ] [k] Franchinus, [l] Conſentia in Brutiis natus, non ita provecta aetate, Romae, ubi fere vitam exegit, debitum naturae perſolvit. Is Marti Muſas ſociavit; et, victricia Caroli V. arma ſecutus, Algerianae expeditioni interfuit, ejuſque infelicem ac periculoſum ſucceſſum luculentis verſibus deſcripſit; Ultico [m] Hutteno equiti Franco, quamvis in diverſo ſcribendi genere ingenium exercuerit, quadantenus comparandus; cujus elegantes admodum dialogi,

nec

VAR. LECT. [α] vi Kalend. *MS. Reg.*
[β] *Feri elogium deeſt* *P.D.o.*
[γ] Xyſto *P.D.o.*
[δ] *Caninii anno* 1557 *mortui elogium quod ad finem lib.* 19, *in* Ed. Gen. *rejicitur, hic inſeritur in* P. *ante Portii elogium, quod ſequitur in* D.o.f.d.
[ε] *Gelenii elogium deeſt* P D.o.
[ζ] *Franchini elogium deeſt* P.D.o.f.d.

INTERPR. [a] *Frieſt de Neuſtadt.* [b] *Wirtzburg.* [c] *Wild cordelier de Mayence.* [d] *Augsburg.* Moreri dit, qu'il étoit né a *Memingen* [e] *Portio.* [f] *Pomponatio* [g] *Peliſſier, evêque de Montpellier.* [h] *Ghelen, ou Geſlen.* [i] *Baſle.* [k] *Franchini.* [l] *Coſenza en l'Abruzze* [m] *Hutten de Franconie*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

nec Luciani acumini cedentes, ex immaturo docti aeque ac ſtrenui viri obitu quaſi parvae tabulae ex magno naufragio ſuperſunt, et hodie mira cum ſuavitate ab aequis talium rerum aeſtimatoribus leguntur. Poſtea Franchinus a Julio III Maſſae ac Populoniae in Etruria epiſcopus creatus; eaque in dignitate defecit, ad S.[a] Trinitatis in colle hortulorum ſepultus.

X. APUD nos, cum de pace mentio injecta, nequicquam ſatagente Polo cardinali, fruſtra fuiſſet, rex, comparatis, quae ad bellum neceſſaria erant, annona, tormentis, pontonibus ac reliquo inſtrumento, omneis copias [b] Creſciacum in agro Laodunenſi convenire jubet XIV Kalend. Quintileis: eae erant XXV Gallorum vexilla ex veteranis et novis delectibus conflata, II Germanorum legiones, ducibus [c] Rhingravio et Rifebergo, XXV Helvetiorum ſigna, CIↃ IↃ cataphracti, II CIↃ partim levis armaturae partim ſcloppetarii equites. Exercitu [α] [d] Marlam uſque procedere juſſo, venere in caſtra Momorantius magiſter equitum, et [e] Santandreanus. Aliis et locis rex convenire juſſerat copias: partem ad [f] Quintini-fanum; eae erant X CIↃ circiter peditum, CCC cataphracti, IↃ levis armaturae equites, quibus praeerat [g] Rupiſurionius: ad [h] Meceriam vero XVI veteranorum peditum vexilla, ex [i] Metis, [k] Viroduni, Tulli ac vicinorum locorum praeſidiis deducta; IV Anglorum et Scotorum ſigna, II Germanorum legiones, ducibus [β] [l] Rockendorfo comite ac [m] Fontenaeo; CC cataphracti, IↃ CCC levis armaturae et ſcloppetarii equites, quibus [n] Condaeus praeerat: CC praeterea Germani equites. Quibus omnibus [o] Nivernium [p] Campaniae praefectum praepoſuerat, ut ſic ſuſpenſos, quo tenderet, hoſtium animos teneret. Primus impetus in [q] Atrebates a Rupiſurionio factus; editaque ea parte ingenti vaſtitate, Momorantius, cui ſe Antonius [r] Borbonius Vindocinus Picardiae praeſes ad [s] Eſtreae pontem conjunxerat, ad laevam flexit, quaſi [t] Avenas petiturus; quod et hoſtis ſibi perſuaſerat. Itaque deſerta a Caeſarianis caſtella [u] Cimacum, [x] Trelonium, [y] Glaionium et Convinae, facile in noſtrorum poteſtatem devenere; et rurſus in iis deſtructae munitiones. Nivernius, cum per Arduennam ſylvam difficili admodum inter anfractuoſos ſaltus et ſaxoſas atque anguſtas convalleis itinere proceſſiſſet, ad [z] Sarandae vallem haud longe a [aa] Lincantii arce nuper deſtructa ſecundis caſtris pervenit. Vallis ea [bb] Semoſio torrente dividitur, qui per [cc] Bullionum decurrens in [dd] Moſam infra [ee] Reginaldi-caſtrum exoneratur. Inde praemiſſus [ff] Jametii regulus cum legione Gallica et aliquot tormentis, qui Orſimontium caſtellum ſitu potius quam arte munitum occuparet. Praerupto illud ſaxo duabus partibus cinctum; ſed tertia parte, qua tormenta admoveri poſſe nunquam hoſtes ſibi perſuaſerant, haud inacceſſum. Itaque [gg] Colas Loiſius, Barſoni, qui loco praeerat, et tunc aberat, legatus, deditionem facere juſſus recuſaverat, niſi viſis tormentis: quod ubi praeter opinionem conſpexit, uno atque altero ictu diſploſo per poſticum cum familiaribus aliquot ſe ſubduxit, deſertis ſociis, qui ſtatim deditionem fecere. Inde ad [hh] Luctam promota caſtra; et [ii] Villarſium, a [kk] Loſſio tumultuario opere aedificatum propugnaculum. Mox et [ll] Jadina ab hoſtibus deſerta, et antequam diſcederent incenſa, noſtris patuit, dilapſis undique ruſticis cum gregibus ac ſupellectile, quam abſportare potuerunt. XIII Kalend. Quintileis Nivernius quartis caſtris [mm] Valſimontium venit, valle amoena ſitum, quae torrente vicinis otto montibus irrigatur. Miſſus inde fecialis [nn] Engoliſmenſis, qui [oo] Bellorivum dedi poſtularet; quae arx, et [pp] Orſimontium, Caroli Barlemontii in Belgio fiſci praefecti erat, in [qq] Eburonum finibus ſita: quod cum initio facere recuſaſſent praeſidiarii, mox admotis

VAR. LECT. [α] Marlaeum *P. D. o.* [β] Rocandulfo *P. D. o.*

INTERPR. [a] *le Trinité du Mont.* [b] *Creſſy au Laonnois* [c] *le Rhingrave, & de Reiffenberg.* [d] *Marle.* [e] *le mareſchal de S^t. André.* [f] *S^t. Quentin.* [g] *le prince de la Roche-ſur-Yon* [h] *Mezieres.* [i] *Mets.* [k] *Verdun & Toul.* [l] *de Rockendoiſ.* [m] *le baron de Fontenay.* [n] *Louis de Bourbon, prince de Condé.* [o] *le duc de Nevers.* [p] *la Champagne.* [q] *Artois.* [r] *de Bourbon, duc de Vendôme.* [s] *Eſtrée au pont* [t] *Aveſnes.* [u] *Chimay.* [x] *Trelon* [y] *Glaion & Couvins.* [z] *Suranda.* [aa] *fort de Linchant* [bb] *Semois r.* [cc] *Bouillon.* [dd] *la Meuſe.* [ee] *Chaſteau Regnaud* [ff] *Jametz.* [gg] *Colas Loys, lieutenant du ſieur de Barſon* [hh] *Louette.* [ii] *Villars.* [kk] *la Loſſe.* [ll] *fort de Jadines.* [mm] *Valſimont.* [nn] *Engouleſme.* [oo] *Chaſteau de Beaurin.* [pp] *Orchimont.* [qq] *Liege*

Digitized by Google

admotis IV tormentis, ſe [a] Nivernio permiſerunt. In ea captus Jo. [b] Colicarius, [α] Bincii in Hannonia natus, cum XL circiter ex ſuis; inter quos [c] Gerardus Jadinae nuper captae dux; et ipſe Loſſius, qui minime captivi numero habitus eſt, ſed Mezeriam amandatus, ut de eo tanquam perduelli ſupplicium ſumeretur. Is, ſiquidem natione Gallus, [d] Lumaci, de quo diximus, parteis primum ſecutus, eo mortuo, ſeſe hoſtibus addixerat. [e] Bellorivo capto veteranorum cohors impoſita, et L circiter equites ſcloppetarii. Dum Nivernii ſucceſſu in [f] Eburonibus inde territi hoſtes, inde Rupiſurionii excurſionibus in [g] Atrebatibus diſtinentur, et Momorantius iter inſtitutum proſequitur, Santandreanus cum CCCC cataphractis, IƆCC levis armaturae equitibus, legione peditum Gallorum una, et majore tormentorum parte [h] Maubertum verſus tendit; ibique X Kalend. Quintil. caſtra ponit; continuatoque itinere [i] Rupem-regiam venit, poſtremum limitis noſtri ea parte oppidum. Ab eo per ſylvas et ſaltus non ſolum natura ſed etiam induſtria hoſtium concaedibus factis impeditos iter eſt XIV amplius milliarium, donec in apertos campos deveniatur. Peritis tamen locorum diligenter conquiſitis et foſſorum opera difficultates illae ſuperatae ſunt: et poſtridie ſub meridiem omnes copiae, etiam tormenta ſine ulla jactura traducta ſunt; atque ad [k] Mariaburgum, quod primum hoſticae ditionis oppidum occurrit, Mauberti-fonti oppoſitum, caſtra promota. Santandreanus ipſe locum luſtrat, ductaque foſſa vallat, admotis tormentis: quod magnum terrorem obſeſſis nihil tale cogitantibus injecit; qui eo magis auctus eſt, poſtquam Julianum [l] Romerum cum delectis Hiſpanis auxilio miſſum bis a noſtris repulſum intellexerunt. Superveniente deinde Momorantio, propius ducta foſſa, et CXX circiter tormentorum ictibus diſploſis, praeſidiarii poſt tertiam ab obſidione diem de deditione agere coeperunt: conventumque, ut [m] [1] Ruiſardus loci praefectus et ceteri duces captivi eſſent, tormenta et annona oppidi penes noſtros remanerent, miles exutus armis abiret, impedimentis ſalvis. Ita citra ſanguinem et temporis diſpendium IV Kalend. Quintil. Mariaburgum, a Maria Hungariae regina ſic dictum, et ob venationum commoditates celebratum, in regis poteſtatem venit, et de ipſius nomine poſtea, quamdiu Gallici juris fuit, [n] Henricoburgum appellatum eſt. Prid. Kal. Jul. rex in caſtra cum Guiſio et primaria reliqua nobilitate venit: ibi exercitu omni in aciem ordinato et feſta tormentorum diſploſione exceptus, conſilium de munienda Rupe-regia vico inter Mauberti-fontem et Mariaburgum poſito cepit; operique praefecit [β] [o] Landam ſtrenuum ordinum ductorem, cui et CCC pedites attribuit. P. [p] Brolius Armoricus loco cum III Gallorum cohortibus imponitur. Jam Nivernius in Eburones deſcenderat, regionem poſt emenſas vaſtas illas ſolitudines militi delectabilem, caſtra metatus ad [q] Givacum adjacens [r] Moſae emporium celeberrimum, quod gemino pago utramque fluvii ripam quaſi ponte conjungebat: quo jam ante P. Salſeda militaris annonae praefectus cum VI Gallorum vexillis et duobus tormentis miſſus fuerat, et [s] Hiergam [t] Barlemontii et [2] [u] Fumentium [x] Araſcotii ducis oppida in poteſtatem redegerat, ita ut totus ille tractus a noſtris teneretur, et inde copioſus commeatus in regis caſtra comportaretur. Mox [y] Agimontium, quod ab Everardo [z] a Marka [aa] Rupifortii comitis notho filio tenebatur, a prima regis acie capitur ac diripitur. Poſtridie regius exercitus ad Givacum in citeriori ripa hoſpitium habuit. Ibi Angli et Scoti, qui regi militabant, cum longius ab exercitu receſſiſſent, ab hoſte intercepti male mulctati ſunt, quibuſdam occiſis, et C circiter equis generoſis amiſſis.

In

VAR. LECT. [α] Balneis *P. D. o. f.* [β] Landanum *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *Colichart, natif de Bins en Hainaut.* [c] *le grand Gerard, capitaine du fort de Jadines.* [d] *de Lumes.* [e] *Beaurin.* [f] *Liege.* [g] *Artois.* [h] *Maubert-fontaine.* [i] *Roc-roy.* [k] *Marienbourg.* [l] *Romero.* [m] *de Rinſard.* [n] *Henrienbourg.* [o] *le capitaine la Lande.* [p] *Breuil de Bretagne.* [q] *Givets.* [r] *la Meuſe.* [s] *Hierges.* [t] *le ſieur de Berlaymont.* [u] *Fumay.* [x] *le duc d'Arſcot.* [y] *Chaſteau d'Agimont.* [z] *de la Marck.* [aa] *Rochefort.*

NOT. [1] Lege *Rinſardus. Put.* [2] *Fumatum Put*

In ulteriore ripa [a] Nivernius caſtra metatus fuerat; cujus adventu [b] Theodorici-caſtrum, quod [c] praefecti Namurcenſis erat, deſeritur, et venientibus noſtris patuit: in eo reperta omnis generis pretioſa ſupellex et abundans annona. Poſtquam ad Givacum vi dies commorati ſunt, uterque exercitus ſemper utrinque ripam legentes proceſſerunt, et altero poſt die juxta [d] Bovinium et Dionantum epiſcopi [e] Leodicenſis oppidum conſedere. Eo jam Nivernius, Bellorivo capto, fecialem [f] Engoliſmenſem miſerat; qui, cum oppidanos rogaſſet, an pactis ſtare et proinde medios ſe in hoc bello gerere vellent, ab illis ſuperbum juxta et abſurdum reſponſum tulerat; nimirum eos, ſi cor aut jecur regis ac Nivernii apponeretur, illud elixum pro jentaculo libentiſſime comeſturos. Ubi ergo advenere, mox Bovinum Burgundicae ditionis oppidum, quod in citeriore ripa erat, et ab oppidanis tantum defendebatur, a regiis copiis obſeſſum et admotis tormentis poſt verberationem factam impetu capitur. Magna ſtrages primo a noſtris edita: pars fluvio hauſta; qui enaverunt a Nivernianis capti et ob contumaciam jure belli in furcam acti ſunt, quod tormentorum verberationem temere ſuſtinuiſſent. Reſidente tandem caedium calore, cum reliquiis, quae ſe in turrem receperant, mitius actum eſt, regis beneficentia, qui memor humanitatis Hiſpanorum, qua in [g] Tarvennae expugnatione erga noſtros uſi fuerant, iis pepercit, et incolumibus abire permiſit. In Dionanti expugnatione majus negotium fuit. Urbs eſt ſecundum ulteriorem Moſae ripam porrecta, quae arcem rupi undique fere praeruptae impoſitam ambitu ſuo complectitur: qua parte ad eam acceſſus eſt, duobus prominentibus propugnaculis et profunda admodum foſſa egregie munita eſt ſtudio ac diligentia Everardi [h] Marciani epiſcopi, qui et in ea palatium regaliter exſtructum a fundamentis olim excitaverat. Oppidani, ſive Gallici nominis odio, cui tamen quondam ſub Ludovico XI addicti fuerant, ſive innata animis ferocia, quod ſe ſeptemdecies a regibus ac Caeſaribus obſeſſos toties eos repuliſſe gloriarentur, ſuperbiae et immanitatis plenum reſponſum Nivernio cum dediſſent, reliquum erat, ut temeritatem audacia tuerentur: quae tamen non diu inulta fuit. Nam cum Nivernius et [i] Jametius, propius luſtrata arce, uterque periculum vitae adiiſſent, ſcloppeti majoris ictu ſuffoſſo Jametii equo, poſtridie XV tormentis cis flumen ad eam partem, quae fluvium ſubjectum habet, et totidem trans Moſam, qua ſeptentrionem ſpectat, admotis, biduumque continuata verberatione ac dejectis duabus turribus, impetus factus eſt, cohortante militem Gaſpare Colinio: ſed repulſi noſtri, et graviter ex iis vulnerati [k] Mola, [l] Saragoſius et [m] Fortius ſtrenui ordinum ductores. Cum Colinius eos denuo hortatus eſſet, ut avitae virtutis memores praeſentem regem adeſſe ſibi perſuaderent, qui cujuſque virtuti praemium ac ſempiternum dedecus ignaviae relaturus ſit, ipſe primus ad ruinam vadit cum Monpeſario, qui ultro ſignum atreptum muro intulit: cumque ambo in ſummum enixi eſſent, et expectarent, dum miles ductum exemplo incitatus ſubſequeretur, ſuperveniente nocte, nihil agi potuit. Interea oppidani, qui nullam ſalutis ſpem viderent, deditionem Nivernio faciunt, vitam ſalvam pacti et incendium deprecati. Introducti protinus [n] Duracius et Boëtius cum ſuis peditum cohortibus, qui, ne vis oppidanis fieret, prohiberent: quos Germani, gens praedae avida, intromiſſos rati, ut ſoli, ſe excluſis, praeda potirentur, rabie efferati in murum inſiliunt, et, nequicquam propugnantibus Gallis, urbem capiunt et immaniter diripiunt, templis etiam, quo ſe foeminae cum pueris receperant, violatis, et abductis inde omnis ſexus captivis. Poſtridie tamen praeconis voce, capitis denunciata poena, jubentur omnes, qui mulieres, virgines aut pueros haberent, ſine injuria dimittere. Tum redintegrata ad arcem verberatione, egreſſi [o] Floionus arcis praefectus et [p] Hamolius Germanorum dux, qui, diu de deditionis legibus altercati, in has tandem convenere: ut arma,

tormenta,

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *Chaſteau-Thierry.* [c] *bailly de Namur.* [d] *Bovines, & Dinant.* [e] *de Liege.* [f] *Angouleſme.* [g] *Terouenne.* [h] *de la Marck.* [i] *le ſeigneur de Jamets.* [k] *la Mole.* [l] *le capitaine Saragoſſe.* [m] *le Fort.* [n] *Duras, & Boiſſe.* [o] *le ſieur de Floion.* [p] *Hamol.*

tormenta, ſigna relinquerent; cum enſe, pugione ac rebus ſuis exirent. Erat in arce Julianus [a] Romerus, qui, fruſtra conatus [b] Mariaburgo ſuppetias ferre, inde excluſus, eo ſe cum ſuis contulerat. Is, quod olim coram Franciſco I ad [c] Fontem-bellaqueum duello certaſſet, noſtris non ignotus, colloquium cum Momorantio poſcit: et, multa de gentis ſuae dignitate et militari gloria prolocutus, nonnihil etiam Momorantio ab armorum ſcientia et ſumma praefectura adulatorie ſubblanditus, arma ſuis ac ſigna concedi petit. Verum ille, qui hanc gratiam Hiſpano fieri nollet, mirari ſe dixit, qui homo adeo rei militaris peritus militiae leges aut turpiter ignoraret aut flagitioſe diſſimularet: abſurdum eſſe, quod petat; hoc enim ſummum jus armorum eſſe, ut victus a victore leges accipiat. Dum Romerus haud ſatis conſultus inutili verborum concertatione tempus terit, Momorantius, qui vereretur, ne Hiſpani obfirmarent animos, eos interim per Bordilloninm et Rabodangium ſolicitat, et, ut mature ſibi conſulant, hortatur; jam enim Romerum ſibi et paucis ex amicis conſuluiſſe: quod ubi illi intellexere, a ſuo ſe duce deſertos rati, in eaſdem conditiones, quibus Floionus et Hamolius exierant, conſentiunt, et deditionem faciunt. Tum vero Romerus, deſperato ſimilis, eum peteret, ut arci reſtitueretur, ſe paratum oſtendens eam cum ſuis defendere, id vero regem conceſſurum reſpondit Momorantius, ſed ea lege, ut, ſi expugnaretur, ipſe cum ſuis laquei poenam ſubiret; increpita interim hominis perfidia, qui, tot beneficiis a rege affectus, non ſolum principi ſuo contra ipſum militaſſet, quod excuſandum erat, ſed Anglis etiam et epiſcopo [d] Leodicenſi operam navare non dubitaverit. Ita mitigata hominis vani ferocia eſt; et ipſe in temeritatis atque imprudentiae poenam captivus apud noſtros remanſit. [e] Dionanto capto, arx regis juſſu diruta eſt, nec non et [f] Bovini turris. Quibus confectis, rex Artutum [g] Coſſaeum Gonnorium [h] Briſſaci fratrem, honoris ergo conchyliato torque donatum, cum copioſa annona Mariaburgum miſit, qui oppido, uti nuper Meti, cum ſummo imperio praeeſſet: et, ne diuturniore mora commeatus conſumeretur, III Eid. Quintil. promota caſtra, quibus ſe Nivernius tranſmiſſo fluvio conjunxerat. Ad primum hoſpitium noſtri V dies ſubſtitere. Cum vero Sabaudus Caeſaris legatus vereretur, ne [i] Namurcum rex pergeret, eo magnas copias incluſerat, ut locum alioqui minime munitum hominum numero firmaret. Id ex Ferdinandi Gonzagae conſilio feciſſe Caeſarem Julianus Goſſelinus in ipſius Gonzagae vita ſcripſit; qui paulo ante Mediolano revocatus fuerat, uti deinceps plenius dicemus. Nam antea in Caeſaris concilio Bruxellis agitatum fuerat, reſiſtendumne regi eſſet tam exiguis viribus an retrocedendum ad tempus Antuerpiam et deſerendae ipſae Bruxellae, a quibus non amplius X milliaribus Belgicis abeſſet Mariaburgum a noſtris nuper occupatum: cumque major pars in tutius conſilium inclinaret, Gonzaga ſolus reclamavit, et Caeſaris exiſtimationi et dignitati minime convenire dixit, retro cedere: quantumvis enim imparatum, tamen cum ſub ſignis VIII CIƆ armatorum habere, cum quibus Namurcum tenere poſſit, et ita repreſſo Gallorum impetu Brabantiam a tergo ſecuram praeſtare. Cum contradiceret Jo. Bapt. Caſtaldus, quem nuper itidem Caeſar Vienna evocaverat, vir militari ſcientia clarus, qui praefecti caſtrorum munus ſub ipſo Gonzaga olim exercuerat, ille ſubiratus eum poſtremo in ſuam ſententiam adegit, et Caeſar Gonzagae conſilium ut honeſtius amplexus eſt, et Namurco cum iis quas habebat copiis, poſtquam oppidum praeſentia ſua tutatus eſt, exiit, relicta fere a noſtris hoſpitia ſingulis diebus occupans. Id a Namurco obſideudo regem revocavit; qui converſo itinere per [k] Hannoniam profecturus ſingulos milites viaticum ſibi in VII dies parare, et magnam commeatus vim in exercitus uſum, ſi opus eſſet, in carros imponi mandaverat; rebus ita ordinatis, vaſtaro circum ignibus agro, ut damnum ab hoſte in [l] Bononienſi provincia factum ulciſceretur, ad [m] Sabim, quae hodie Sambra dicitur, venit, in cujus tranſitu occurſurum hoſtem putabat.

INTERPR. [a] *Romero.* [b] *Marienbourg.* [c] *Fontainebleau.* [d] *de Liege.* [e] *Dinant* [f] *Bovines.* [g] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [h] *le mareſchal de Briſſac* [i] *Namur.* [k] *le Hainaut.* [l] *le Boulonnois.* [m] *la Sambre*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

putabat. Amnis ille per [a] Landrecium [1] et Avenas decurrens haud longe a Namurco in Moſam influit. Cum nemo occurreret, rex XIV Kalend. Sextil. cum toto exercitu Sabim tranſmittit, et citra fluvium caſtra metatur. IV haud amplius hinc milliaribus ſubſequebatur hoſtis: quo factum eſt, ut, diſtributo in III acies toto exercitu, Momorantius ultimum agmen duceret, ut, ſi propinquaret hoſtis, ejus impetum ſuſtineret. Ita incedente exercitu, [b] Mariomontium altero poſt die ventum eſt, locum amoenum Hungariae reginae, a praecurſoribus, antequam rex adveniſſet, incenſum. Tentata et a [α] [c] Rockandorſo [β] [d] Nivella in Atuaticis, cui ob id attributa Bullionii ducis ala equitum fuerat et II mediocria tormenta tradita, ſed irrito ſucceſſu: tantum direpta et incenſa ſuburbia, ac magna praeda abacta. Haud longe a Mariomontio [γ] [e] Bincium abeſt; oppidum item Hungariae reginae, in quo illa ſuperbum admodum palatium exaedificaverat, ſtatuis antiqui operis, tabulis eximiis, muſivo et teſſellato opere ad regiam magnificentiam ornatum. Oppido duas Germanorum cohortes impoſuerat Caeſar, quae tam diu illud tuerentur, dum exercitus regius, quem jam penuria laborare ſciebat, pertranſiiſſet. Sed, loco luſtrato et mane admotis tormentis, poſt brevem verberationem oppidum arbitrio regis permittitur; quod a noſtris direptum eſt, etiam immiſſo igne, quo ſuperbum illud aedificium, prius abſportatis, quae ſervari poterant, omnino conflagravit. Captus [f] Bloſſius loci praefectus. Et, ut incendium [g] Folembraco olim ab A. Croio Rutii comite reginae juſſu immiſſum omni ex parte ulciſceretur, miſſus [h] Girius alae equitum Nivernii legatus cum [δ] IV aliis equitum alis, qui [i] Rutium caſtrum flammis conſumeret. Eodem die, quo [ε] Bincium captum, ulterius progreſſum eſt; ac poſtridie ultra [ϛ] [k] Bavacum, quod alii Baganum vocant, X Kal. Sextil. infra [l] Querceum poſita caſtra. In itinere quaedam exigua municipia direpta et incenſa. Inde cum continuis ſuperiorum dictum imbribus fatigatus exercitus pluvioſo et admodum nubiloſo coelo incederet, commoda Sabaudo tempeſtas viſa eſt, qua noſtros aggrederetur. Jam fere omnes copiae per vallem rivo tranſverſo diviſam tranſierant, et ſuperabant tantum CIↃ equites in duo agmina diviſi ſub Jo. Borbonio Angiano et Franc. [m] Turrio Turenae vicecomite, et IↃ circiter levis armaturae equites; ductoribus Paulo Bapt. [n] Fulgoſio et [o] Choëſolio Lanco, quibus praeerat [p] Aumalius. Erat et in eo comitatu Lud. [q] Borbonius Condaeus, [r] Renatus Ellebovii marchio et Franciſcus magnus Franciae prior Aumalii fratres, Henricus [s] Momorantius Damvilla, [t] Suzae et [ζ] Saltus comites, ac [η] Antonius [u] Cruſſolius, qui poſtea Uticenſis dux fuit: quibus omnibus praeerat Santandreanus, qui tunc ultimam aciem ducebat. Colinius maris praefectus, qui latera cingebat, ſub meridiem poſt diſcuſſam nebulam ſerenato coelo cum IↃ circiter equites ſibi viſos Santandreano nunciaſſet, miſſi Fulgoſius et Lancus, qui certiora de hoſte cognoſcerent: ii mox totum equitatum Caeſareum incedere et VI CIↃ armatorum in eo eſſe retulerunt. Heic Santandreanus, qui ſe tantis viribus imparem videret, et metueret feſtinato tranſitu ne confuſis loco adeo anguſto ordinibus inde ſuis terrorem injiceret, hinc hoſtibus ad majora audendum animos faceret, conſilium ex tempore capit, et verſa in hoſtem fronte ſuos in aciem ordinat in tumulo, cui rivus, qua tranſeundum erat, ſubjacebat; Fulgoſiumque et Lancum praemittit, qui levi certamine hoſtem diſtinerent. Dum pugnatur,

VAR. LECT. [α] Rocandulfo *P. D.* o. f.
[β] Nivigella *P. D.* o. f. d. *Ed. Gen.*
[γ] Balnea abſunt *P. D.* o. f.
[δ] III *P.*
[ε] Balnea capta *P. D.* o. f.
[ϛ] Baganum, alii Bagacum *P.*
[ζ] Saulu *P. D* o. f. d.
[η] Jacobus *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Landrecy.* [b] *Mariemont.* [c] *de Rockendolf.* [d] *Nivelle en Brabant.* [e] *Bins.* [f] *de Bloſſes.* [g] *Folembray.* [h] *de Giry.* [i] *chateau du Rœux.* [k] *Bavay.* [l] *Queſnoy.* [m] *de la Tour, vicomte de Turenne* [n] *Fregoſe.* [o] *de Choiſeul, baron de Lanques.* [p] *Claude de Lorraine, duc d'Aumale* [q] *de Bourbon, prince de Condé* [r] *René de Lorraine, marquis d'Elbœuf.* [s] *de Montmorency, ſieur de Damville, ſecond fils du Conneſtable.* [t] *les comtes de Suſe, & de Sault.* [u] *de Cruſſol, duc d'Uſez.*

NOT. [1] Dele *et Avenas.* Aveſnes eſt ſiſe ſur la Sambre, & eſt à quatre lieues de Landrecy, ce lieu ci eſtant ſur l'Hepre. *Put.*

natur, [a] Angianus, qui primum agmen ducebat, juſſus rivum tranſire: quo abeunte, Turrius, qui alterum ducebat, ne quid vacui appareret, in ejus locum ſucceſſit; eo rurſus abeunte, alii, qui infra tumulum erant, ejus locum occuparunt. Ita ſenſim omnes ſine tumultu ſervatis ordinibus tranſmiſſi in adverſa rivi ripa conſtiterunt, integri agminis ſpeciem minime ſe loco moventis hoſti e longinquo ſpectanti praebentes; qui rivum intereſſe cum ignoraret, creſcente ſemper tranſmiſſorum numero, totum exercitum aut ſubeſſe aut auxilio adventare ſuſpicatus impetum ſuſtinuit, donec Santandreanus ipſe cum Condaeo et Aumalio ac ceteris proceribus tranſiit, relictis a tergo XXX circiter equitibus, et in iis Saltus ac Suzae comitibus, ac Cruſſolio, qui a ſcloppetariis utrinque in ripa diſpoſitis tecti incolumes et ipſi ad ſuos ſe receperunt, jam inſtante hoſte: qui ubi ad rivum venit, errore ſero agnito, pulcherrimam pugnandi occaſionem ſibi ademptam doluit; prudentiamque Santandreani et animi praeſentiam ſupra modum laudavit, qui pugnandi occaſionem adeo commodam hoſti de manibus eripuiſſet, prudentiaque ſua effeciſſet, ut citra ſanguinem tam periculoſo loco omneis ſuos traduceret. Eodem die Nivernius, qui ad latus incedebat, in hoſteis palanteis incidens multos ex iis cecidit. Tandem contracto omni exercitu, ad [b] Velium uſque proceſſum eſt, incenſis quaquaverſum a tergo vicis. Ibi quaſi ad pugnam inſtructa omnia eo ordine, ut in primo dextro cornu Germani medii inter duo Gallorum agmina ſtarent; in acie Gallicus peditatus inter Germanorum et Helvetiorum agmina medius pugnaret; latera equitatus aequaliter diſtributus cingeret, et levis armatura per agmina diviſa in fronte ſtatueretur. Sed, cum ea ſpes fruſtra fuiſſet, diem ibi commoratus rex, ut hoſtem jactabundum opperiretur, [c] Crepacordium uſque in agro [d] Cameracenſi progreditur; ubi ad eum Rupiſutionius cum commeatu copioſo venit, qui per [e] Vindocini abſentiam limitem noſtrum ea parte defenderat, et paulo ante inter [f] Bapalmam et [g] Rigiacum Atrebatum hoſtem interceptum acri certamine fuderat, capto [h] Fama arcis Cameracenſis praefecto et ejus [1] legato ac [i] Varluſetio ſtrenuo levis armaturae duce; cum II equitum vexillis, quae, dum adhuc rex ad [k] Dionantum ſederet, ad eum miſſa fuerant. Crepacordium, quod munire coeperant populares, ope foſſorum mox a noſtris deſtructum eſt. Ibi cum allatum eſſet, Caeſarem juxta [l] Cameracum caſtra munire decreviſſe, crebris certaminibus fruſtra tentato hoſte, rex IV Non. Sextil. caſtra movet, et [m] Caſtellum venit; ac poſtridie ad [n] Mornencuriam IV a Perona milliaribus conſedit: et, cum in conſpectum Rigiaci in Atrebatibus et poſtea Bapalmae veniſſet, praeſidiariis egreſſis, aliquantum certatum eſt; ac tertiis caſtris [o] Fervanum prope [p] Sercanum coenobium ventum, in Sanpauliani comitatus confinibus. In itinere cum praeſidiarii ſylvis, et locorum peritia, ut ſibi videbantur, tuti, ſub veſperam in noviſſimum agmen invecti eſſent, ab Anglis et Scotis male mulctati ſunt, pluribus ex ſuis deſideratis et amiſſis equis: quo ſucceſſu penſata eſt jactura nuper ab iis ad [q] Givaci portum accepta. Biduum ibi conſumptum; miſſuſque Vindocinus, qui [r] Rantiaci praeſidiarios deditionem facere juberet, et, quid [s] Fochenbergae praeſidii eſſet, exploraret. VI Eid. ejuſdem menſis Fervano mota caſtra; et, traducto per Sanpaulianum comitatum exercitu, relictis ad laevam [t] Dorlano et Hedino, ad dextram [u] Tarvennae ruinis, [x] Frugas ventum eſt: unde rurſus miſſi, qui Rantiacenos nomine regis deditionem facere juberent. Rantiacum caſtellum eſt loco paludoſo ſitum, inter colleis non ita vicinos, ut ab iis incommodari poſſit: rivo id alluitur, qui foſſam admodum profundam et latam undique arci circumfuſam implet: ea utpote munitiſſima arce Ludovici [y] Aurelianenſis illius, qui inſidioſe a [2] Philippo agnato Burgundiae duce Lutetiae occiſus eſt,

INTERPR. [a] *Jean de Bourbon, comte d'Enguien.* [b] *Villey.* [c] *Crevecœur.* [d] *le Cambreſis.* [e] *le duc de Vendôme.* [f] *Bapaume.* [g] *Arras.* [h] *le ſieur de Fama.* [i] *le ſieur de Varluſet.* [k] *Dinant.* [l] *Cambray.* [m] *le Caſtelet.* [n] *Mornencourt à deux lieues de Peronne.* [o] *Fervan.* [p] *abbaye de Sercamp.* [q] *Port de Givets.* [r] *Ranty.* [s] *Falemberg.* [t] *Dourlens & Hedin.* [u] *Terouenne.* [x] *Pruges.* [y] *le duc d'Orleans.*

NOT. [1] Poſt *legato* dele *ac.* *Put.* [2] Dele *Philippo* lege *Joanne.* *Put.*

CIƆIƆLIV.
HENRICUS II.

eſt, liberi ſub cuſtodia R. Croii diu habiti ſunt Caroli VI temporibus; tunc vero firmo Hiſpanorum praeſidio tenebatur. Loco a noſtris luſtrato, poſt levia aliquot certamina, in quibus Guiſius ipſe vitae periculum adiit, duobus locis verberationem fieri placuit: et Momorantius, qui primam aciem ducebat, ultra rivum partem copiarum traduxit; ductaque foſſa ab ea parte, qua hoſtem venturum apparebat, caſtra ita munivit, ut ad noſtros ſe recipere, ſi opus eſſet, citra periculum poſſet. Interea Caeſar cum toto exercitu ad [a] [1] Marcam cum II haud amplius inde milliaribus conſedit; diſploſoque tormento adventus ſui obſeſſis ſignum dedit: quod ubi Momorantius cognovit, ultro progreſſus eſt, ſi forte hoſtem ad pugnam pellicere poſſet; hoc enim unice exoptabat rex, ut antequam majores vireis, quae undique ex Germania adventare nunciabantur, hoſtis collegiſſet, cum eo confligeret: ideoque ad [b] Rantiacum caſtra poſuerat, quod aut expugnaturus eſſet in hoſtis conſpectu, magno ipſius dedecore, aut, ſi Caeſar ſuppetias ferre conaretur, illum neceſſario ad proelium cogeret. Re igitur in conſilio agitata, placuit, ut ſaltus, qui per collem imminentem porrectus ad noſtra uſque caſtra pertinebat, a noſtris ſervaretur: ejuſque rei curam ſumpſit Guiſius; qui diſpoſitis per ea loca CCC ſcloppetariis delectis et aliquot loricatis peditibus ab illa parte hoſtileis impetus repreſſit. Ea in re vertebatur ſalus noſtra aut exitium. Nam, cum noſtri hinc amne et alta palude ab oriente, inde colle proximo, qui ad occidentem ſpectat, coërcerentur, neceſſe erat, ut occupato ſaltu illo, qui in cubiti ſpeciem curvatus planitiem ſubjectam, in qua noſtri caſtra habebant, arctabat, via admodum anguſta, quae colli ſubjacet, et qua ſola abeuntibus noſtris exitus patebat, omnino obſtrueretur. Nam ad meridiem hoſtis occurrebat, paulatim aperiente ſe ab illa parte campo, donec ad Caeſarianorum hoſpitia, quae in tumulis oppoſitis diſpoſita erant, aſcenderetur. Itaque conſilium erat Gonzagae, qui praecipuus belli conſiliarius aderat, ut ſaltus occuparetur, et valido praeſidio firmaretur: ſic enim fore, ut noſtri undique cincti, neque multum incommodare, neque tuto conſiſtere, nec, ſi recedere vellent, id citra periculum facere, poſſent. Propterea Hiſpanis praeceptum erat, ut occupato ſtatim ſaltu ſe continerent, nec ulterius progrederentur. Id ab iis per inſidias bis tentatum, ſed incaſſum: quantumvis enim magna vi impreſſionem facerent, truculentis ſtridoribus per nemorum avia horrorem ingeminantes, cum ignari locorum eſſent, a noſtris, qui latebant, excepti et cum damno fortiter repulſi ſunt. Cum interim continua et violenta verberatione Rantiacum quaſſari audiret Caeſar, poſtridie, Gonzagae conſilium ſecutus, ſummo mane, cum coelum admodum nebuloſum eſſet, ut aſpectum noſtris eriperet, cum toto exercitu progreditur; et ante omnia [c] ſaltu illo, qui vulgo Gulielmi vocabatur, noſtros depellendos ſibi exiſtimavit, delectiſque ex omni peditatu IV CIƆ, cum cataphractis aliquot et ſariſſophoris, et II CIƆ equitum, qui eos ſubſequerentur, ad omneis caſus praeſto futuri, VII inſuper campeſtribus tormentis, ſaltum peti jubet. Sequebatur levis armatura, cui praeerat Sabaudus, et Germani equites, quos Gonzaga ducebat: per obliquum collem [d] Joannes Naſſovius Fochenbergam verſus, ubi levis armaturae noſtrae hoſpitium erat, deſcendebat, cum Germanorum agmine, cui attributus erat Martinus [e] Roſſemius Clivenſium equitum tribunus; ad cujus latera incedebat [f] Vulenfortius comes cum CIƆ IƆ circiter equitibus Germanis. Impetum Hiſpanorum, qui primi in ſaltum miſſi fuerunt, fortiter initio ſuſtinuere noſtri: ſed numero impares, Guiſii juſſu, qui eos diſpoſuerat et aciem ducebat, paulatim pugnando ſemper retroceſſere. Tum diſcuſſa nebula, cum totus Caeſaris exercitus ſe conſpiciendum praebuiſſet, Momorantius, traductis citra rivum copiis, numero militum idoneo ad aggerem tuendum relicto, ad Guiſium, qui nondum collem deſeruerat, accurrit, et per anguſtas convalleis accelerato

irinere

INTERPR. [a] *Marque* [b] *Ranty.* [c] *le bois Guillaume.* [d] *le comte Jean de Naſſau* [e] *Roſſem, mareſchal de Cleves* [f] *de Valenfort.* Rabutin & la Popelin mettent *Valſenfort.*

NOT. [1] Poſt *Marcam* dele *cum.* *Put.*

itinere in collem praemiſſam Gallorum legionem eniti, et IV equitum agmina ſubſequi jubet. Ad radicem collis Germanorum et Helvetiorum agmina incedebant; quos ad laevam tegebat [a] Aumalius cum levi armatura, planitiem Fochenbergae ſubjectam tegens: ad dextram ante cataphractos equites emiſſi aliquot Scoti equites, qui hoſtem, ſi in latus incumberet, irruentem ſuſtinerent. Interim, ſenſim cedentibus ſcloppetariis noſtris, qui ſaltum tenebant, Guiſius ad alam ſuam, quae C equitum erat, et alam Gaſparis [b] Saulii Tavanii, quae L conſtabat, ſe receperat: Helvetii vero cum a rege equitatum tutelae ſuae pro more poſcerent, rex, qui armatus in equo ſingulos ordines circumiverat, et ad fortiter pugnandum omnes incitaverat, ſe cum ſuis praeſto ipſis ut amicis ac foederatis futurum pollicitus, eos magna alacritate implevit. Jamque hoſtes, occupato ſaltu, ſe victoria potitos rati, conſertis ordinibus in noſtros impetum faciebant, cum Guiſius obvius factus, ubi jam [c] Colinium, qui Gallorum peditum agmen primarium ducebat, in pedes deſcendiſſe vidit, ad ſuos converſus, Haec illa eſt dies, fratres ac commilitones chariſſimi, inquit, omnium votis adeo exoptata, qua virtutis ac fidei veſtrae periculum facere, et coram potentiſſimo rege ſpecimen edere licet. Id fortuna, quod raro cuiquam aut prudentia ſua aut fiducia, dedit, in praeſentiarum vobis tribuit, ut ſimul clariſſimum de hoſte triumphum reportare et moleſto huic bello glorioſum finem imponere poſſitis. Hoc eſt, cur rex prudentiſſimus Rantiacum obſidere decrevit; non quod in puſilli caſtelli expugnatione magnum momentum eſſe judicaret, ſed ut inſidioſum hoſtem hactenus tergiverſantem ad certamen tandem eliceret. Hoc eſt, quod ſenſim cedendo et quaſi victoriam hoſti tradendo me ad vos recepi, ut eum, ad inevitabilem pugnam pertractum, vobis vincendum traderem. Nunc igitur, fratres ac commilitones chariſſimi, priſtinos animos induamus, et gloriam a majoribus acceptam, parta tam nobili de potentiſſimo hoſte victoria, hodie augeamus. His dictis, [d] Nemoroſium cum levis armaturae agmine, in quo Fr. [e] Rupiſulcaudius comes, Carolus [f] Randanus frater, Carolus [g] Halvinius Pienna et Joannes [h] Chabanius Curtonius erant, praemittit; quem Tavanium cum ſua equitum ala et ſuae ipſius alae parte ſuſtinere jubet. Inclinata, primo hoſtis jam victoris impetu, ut plerumque evenit, levis armatura noſtra, et Hiſpani, quibus praeerat Henricus HenticES, ac Germani, jam de noſtris actum credentes, ſolvi, et ut in certa victoria huc illuc confuſi vagari; in quos Tavanius animoſe invectus violentam impreſſionem fecit: ſed, pedite oblique in latera noſtrorum jaculante, anceps erat periculum, donec Guiſius cum Alfonſo [i] Ateſtino ſororio et Franciſo priore Franciae, immiſſis equis in peditatum pariter et equitatum hoſtili impetu facto, eos fundit; unde Hiſpani pedites in ſaltum evadere conati, cum ad anguſtias illas rurſus ſe colligere inciperent, ab iis ſcloppetariis, quos Aumalius ſecum duxerat, prohibiti ſunt. Interea Guiſius ſemper ulterius provectus Germanos equites poſt diſploſionem factam ordine recedentes cominus urget, ita ut illi, cum rurſus ſpatio arctato ad certamen redire non poſſent, in Naſſovianam legionem effunderentur; quae diſſipata in proximam incumbens eam pariter diſſipat: tum ſuperveniente Nivernio, Hiſpani equites, qui reſtitutis ordinibus ad oram ſylvae certamen reſtituere conabantur, omnino diſſoluti ſunt, et in ſaltum proximum rejecti; quo et ipſe Gonzaga confugere coactus eſt, qui, viarum ignarus cum tota nocte deerraſſet, diu pro mortuo in Caeſaris caſtris habitus eſt. Eodem et ſe propere recepit Granvellanus [k] Atrebatenſis ſigillorum Caeſarianorum cuſtos, qui tanquam ad certam victoriam ſpectator venerat. Ulterius proceſſuros noſtros inhibuit Momorantius, et nox proxima revocavit. Perierunt inibi ex noſtris CCL circiter; et in iis Curtonius et [l] Forgeus Tavanii ſignifer: ſauciati Randanus, Euſtochius [m] Confluentius Auxii vicecomes, [n] Avantius Randani ſignifer, et

INTERPR. [a] *Claude de Guiſe, duc d'Aumale.* [b] *de Saulx, comte de Tavannes.* [c] *Gaſpard de Coligny, amiral de France.* [d] *le duc de Nemours.* [e] *de la Rochefoucaud.* [f] *Charles de la Rochefoucaud, ſieur de Randan.* [g] *de Halluin, ſieur de Piennes.* [h] *de Chabanes, baron de Curton.* [i] *d'Eſte.* [k] *l'evêque d'Arras.* [l] *de Forges, guidon de Tavanes.* [m] *de Conſtant, vicomte d'Auxy.* [n] *d'Avence.*

Digitized by Google

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

et [a] Amanzaeus Randani legatus, qui ex vulnere poſtea Lutetiae deceſſit. Ex hoſtibus deſiderati CIↃ IↃ, ut noſtri tradunt: campeſtria tormenta, et XVII ſigna peditum capta, et IV equitum: captus et [b] Sillius ex primaria nobilitate Caeſari perchatus, qui ex captivitate occaſionem ſumpſit de pace inter Caeſarem et regem agendi, ultro citroque ad utrumque commeans, ſed irrito fine. Praecipuam eodem die laudem meruit Tavanius; quem rex a certamine redeuntem, ſtricto adhuc et ſanguinolento enſe, amice complexus eſt, et proprio torque collo detracto honoris ergo donavit: creati et equites Joannes Mendoza Helvetiorum praefectus, Theodoticus [c] Undervallius et [d] Petronianus Clerius, ac poſtremo [e] Anoſius, qui deinde a rege orator ad Rhaetos miſſus eſt: item omnes, qui cum aliquo imperio alis [f] Guiſii, [g] Nivernii, [h] Bullionii et ipſius Tavanii praeerant, eodem praemio cohoneſtati ſunt. Certamine nocte dirempto, Momorantius in victoriae adeptae ſignum, loci, in quo pugnatum eſt, potens, in eo pernoctavit; totuſque fere exercitus ſub ſignis ſtetit, pervigilante itidem hoſte. Craſtina die, cum rex putaret hoſtem rurſus ad proelium deſcenſurum, ut damnum acceptum ulciſceretur, praemiſſis aliquot, qui quid ageret explorarent, nihil aliud relatum, quam Caeſarem caſtris ſuis, quae nocte illa ducto altius aggere vallaverat, ſe continere. Audita interim inſolita tormentorum diſploſio in hoſtium caſtris in laetitiae ſignum, ob nuncium de re feliciter a [i] Meleniani marchione contra Strozzium ad [k] Marcianum geſta, de qua poſtea dicemus. Id ut Caeſaris dolorem de clade eo die praeter expectationem accepta minuit, ita multum de regis laetitia delibavit; qui tamen ejus rei culpam in quemvis alium potius quam in Strozzium rejecit, quem et per literas ſolatus eſt, et deſtinata tribunatus equitum dignitate, ſerius tamen miſſo diplomate, remuneravit, in R. [l] Marciani Sedanii locum, qui paulo ante carcere liberatus, mox ubi domum rediit, deceſſit, non ſine veneni ſuſpicione: quod Caeſarianis poſtea, ruptis induciis, exprobratum eſt. Dum ambo exercitus in eo ſunt, nihil toto eo die actum: tantum continuata verberatio, cujus occaſione cum in Caeſaris concilio deliberaretur, utrum recedendum eſſet et obſeſſi deſerendi, rurſus Gonzaga, qui honeſtioris, licet periculoſi, conſilii Caeſari auctor fuerat, urgere, ut in propoſito perſtaret, neque ſe loco moveret: non tam heſterno die cladem acceptam, quam certiſſimae victoriae occaſionem, militis dicto minime audientis temeritate, amiſſam: non propterea victoriam penes Gallos eſſe, qui IV ſolummodo ſigna non tam abſtulerint quam ultro milite tradente acceperint; quam plenam merito ſe retuliſſe gloriaturi ſint, ſi ipſum recedere conſpexerint: victoriae quippe anceps adhuc judicium eſſe, quam is hoſti traditurus ſit, qui primus locum deſeruerit. His dictis pervicit, ne caſtra moverentur: quod ubi rex vidit, qui munitis adeo caſtris hoſtem incluſum aggredi tutum non exiſtimaret, et hactenus perexiguo profectu verberationem continuaverat, deficiente jam commeatu et corrupto aëre ac morbis inter ſuos graſſantibus, ab obſidione diſcedere ſtatuit; quod honeſte et tuto ſe facturum, hoſte ſi non debellato ſaltem cum damno repulſo, cenſuit. Itaque XVIII Kalend. Septembr. incenſis caſtris rex diſcedit; eo ordine, ut ipſe cum acie prima incederet; tum ſecunda acies ſequeretur, in qua Germani cum tormentis et II Gallorum legionibus erant; quarum latera utrinque cingebat agmen, quod Momorantius ducebat, et [α] VII equitum alae: Santandreanus ultimam aciem claudebat cum Aumalio et levi armatura. Miſſus tamen ante diſceſſum, qui Caeſarem abitus certiorem faceret, et, ſi proelii aleam rurſus tentare vellet, ſe eodem, quo certatum erat, loco, IV horas expectaturum oſtenderet: quod et factum eſt. Nam, poſt traducta tormenta et conclamata vaſa, exercitus omnis in aciem inſtructus, quaſi certaturus, ſub ſignis III horas continuas fuit: ut

non

VAR. LECT. [α] III *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *d'Amanzay.* [b] *le ſieur de Silly.* [c] *Underwal.* [d] *Petronian Cleri.* [e] *le ſieur d'Anois.* [f] *le duc de Guiſe.* [g] *le duc de Nevers* [h] *le duc de Bouillon.* [i] *de Marignan* [k] *Marciano.* [l] *de la Marck, prince de Sedan.*

non bona fide, licet ex Gonzagae commentariis, is, qui viram ejus ſcripſit, prodidiſſe videarur, noſtros clandeſtina fuga et hoſte non moniro, collectis ſignis et abſque tympanorum pulſu, abiiſſe; quod et Hadrianins eadem fide ſcripſir; qui er IV CIↃ IↃ CCC tormentorum ictus contra Rantiacum diſploſos, et Germanorum peditum quaedam ſigna, unum equitum et IV tormenta capta memorat. Primis caſtris a Rantiaco [a] Montem-Cabracum itnm eſt, II a [b] Monſtrollo milliaribus; ibique IV diebus conſumptis, rex propius Monſtrolium venit, atque ad Carthuſianorum coenobium hoſpitium habuit: quo loco dum ad reficiendum militem commoratur, Angli ac Scoti, qui laxius diverſabantur, noctu ab hoſtibus ad [c] Marcolium vicum intercepti nimiae ſecuritatis ſuae poenas luerunt, quibuſdam ex iis una conflagranre hoſpitio abſumptis, quibuſdam occiſis, pluribus cum omni impedimento capris. Caeſar, ſoluta Ranriaci obſidione, cum aliquot dies ſarciendis arcis ruinis impendiſſet, [d] Audemari ſanum ſe contulit, et mox [e] Rigiacnm; unde, aliquandiu cum arthritide morbo ſibi familiari conflictatus, [f] Betunam ac poſtremo [g] Bruxellas rediit; ibique [h] Mediolani principatu in Philippi Angliae regis, filii gratiam ſe abdicavit, et in ejus poſſeſſionem Ludovicus Cardona regis nomine miſſus eſt. Starim er evocatus ex Anglia, ur patrem aegrum viſeret, Philippus; in quem omnia regna ſua ac dominia rransferre Caeſarem in animo habere conſtans rumor erar. Diverſa parte rex, impoſitis [i] Ardeae et Bononiae praeſidiis, cum Guiſio et primaria nobilitate [k] Compendium venit. Momoranrius in exercitu manſir, et in alteram [l] Quantiae ripam copias rraduxit, per [m] Brimcum, [n] Spinacum et Bellorivium vicos in fluminis margine poſitos diſtributas. Inde, ne limitis annona inutiliter conſumeretur, VI Kalend. Septembreis, perſolutis ſtipendiis, Helvetii dimittuntur; et regni delectus, qui cum rege venerant, domum revertunrur. Quo facto, Momoranrius er [o] Santandreanus, tradito exercitu [p] Vindocino, qui ſupervenerat, ad regem proficiſcuntur: quod ubi hoſtes cognovere, qui, diſſolutis quaſi per hyberna praeſidiis, nihil eo anno molituri videbantur, ſubito ad ſigna convenirnt, incertum Monſtrolium, Ardeam an [q] Dorlanium petituri; quibus obvius factus Vindocinus, rranſmiſſo [r] Altilia, ad [s] Dampetram caſtra metatur; ſed, cum hoſtem [t] Auxium-caſtellum veniſſe, quod Comiris Egmundani in regis ditione oppidum eſt, et loco incenſo aliquot levis armaturae equites ex noſtris fudiſſe intellexiſſet, caſtra Dampetra movet, et propius [u] Abbaris-villam ac Dorlanium proficiſcitur, quo hoſtis tendere videbatur; impoſitiſque in ea loca praeſidiis, rranſmiſſo [x] Somona, ad [y] Pontem-Remigii Kalend. Septembribus caſtra ponit, er vallo ducto pontem firmat, loco idoneo ad tuendum cum tractum et prohibendum tranſitu hoſtem. Cum aliud Caeſariani non poſſent, direptionibus ac incendiis per noſtrum limirem aliquandiu graſſati, ad [z] Ricarii uſque fanum excurrerunt; quos Vindocini juſſu inſecuti CCC cataphracti equites, duce Angiano, praemiſſa levi armatura, cum conſertos incedere coëgiſſent, a praedarionibus et incendiis eos prohibuere; captiſque aliquot carris commeatu onuſtis, cum ſubcineririum panem et tantum poma acida in iis reperiſſent, ex eo et ipſos victus penuria laborare, et non diu ſub ſignis manſuros conjecerunt. Nihilominus illi Altiliae oram legenres Dampetram, [aa] Durriam er proximos vicos ac caſtella incendiis deformavere. Cum Monſtrolium petituri viderentur, eo Vindocinus CXX caraphractos equites ex ſua et Santandreani ala delectos cum IX peditum vexillis miſit. Illi, ſuperato Altilia, pridie Eid. Seprembreis [bb] Menilium venere, locum in lata palude ex adverſo Hedini ſuperioribus annis a Caeſare diruti ſitum; quem conquiſitis undique ruſticis et ſoſſoribus feſtinato opere munire coeperunt, in eamque,

quae

VAR. LECT. [a] Autia *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Montcavré.* [b] *Monſtreuil.* [c] *Marenlo.* [d] *St Omer.* [e] *Aeras* [f] *Bethune.* [g] *Bruxelles.* [h] *Milan.* [i] *Ardres & Boulogue ſur mer* [k] *Compiegne.* [l] *Canche r.* [m] *Brimeu* [n] *Eſpineu & Beaurin.* [o] *le mareſchal de St. André.* [p] *le duc de Vendôme.* [q] *Dourlens.* [r] *Authie r.* [s] *Dampierre.* [t] *Auxy le Chaſteau* [u] *Abbeville.* [x] *la Somme.* [y] *Pontdormy.* [z] *St. Riquier.* [aa] *Dourrier.* [bb] *Meſnil*

quae hodie viſitur, amplitudinem et firmitudinem perduxerunt. Vindocinus, per praeſidia diſtributo exercitu, militem feſſum in hyberna mittit, et partem equitum per loca hoſti vicina collocat, qui ruſticos operi ſuo intentos ab injuria prohiberent: peditum Gallorum cohortes, item Angli ac Scoti per oppida Somonae impoſita diſtribuuntur: [a] Rhingravii et Fontenaii legiones ad [b] Spiritus Ripenſis fanum miſſae: [α] [c] Rockandorſus et Riſebergus cum ſuis in [d] Subalpinam regionem ablegati ſunt. Haec foris eo anno geſta.

XI. DOMI vero magna mutatio in ſenatu facta eſt, conſilio et auctoritate eorum, qui, dum ingenio ſuo abutuntur, penſi nihil fecere morem antiquum vertere. Nam, cum ab ipſo initio et Philippi Valeſii temporibus, anno Chriſti CIↃ CCCXLIV, (ſic enim res habet, uti ex archivis camerae criminalis patet; quod fruſtra in annalibus noſtris, diverſa falſo tradentibus, requiras) parlamentum, uti vocant, quod ad id uſque tempus ambulatorium fuerat, Lutetiae ſtatarium eſſet conſtitutum, certus etiam ſenatorum numerus definitus eſt, qui a III Eid. Novembr. uſque ad VII Eid. Septembr. nulla intermiſſione jus dicerent. Ii erant C viri; III videlicet praeſides, VI libellorum ſupplicum magiſtri, majoris camerae conſiliarii, clerici XV, totidem laici; claſſis inquiſitoriae conſiliarii, ſive, ut vulgo vocabantur, terrae conſuetudinariae auditores, XXIV clerici, XVII laici; item domeſticorum regiorum cauſis judicandis delegati conſiliarii V clerici, III laici, a quibus ad ſenatum provocatio erat; quibus omnibus additi XII Franciae pares numerum C explebant. Is numerus poſtea cumulatus XX ſenatoribus ſub Franciſco I et VIII libellorum ſupplicum magiſtris. Cum igitur ampliſſimi ordinis toto anno jus dicentis major videretur eſſe auctoritas et potentia, quam ut aulici, qui ex ſuo arbitrio omnia pendere volunt, eam ferre poſſent, cardinalis Lotharingus homo rerum novarum ſtudioſus quorundam impulſu regi auctor fuit, ut, cum annui judices hactenus fuiſſent, deinceps ſemeſtres eſſent, ut interquieſcendi conceſſo ſpatio in vicem ſuccedentes magis aſſidui in jure dicundo eſſent. Conſtitutum eodem edicto, ut, cum [e] ſalaria quaedam antea a litigantibus, quod minus honeſtum videbatur, acciperent, iis ademptis, ſtipendia, quae prius admodum exilia erant, a rege augerentur; ſicque, ſordido illo praemio ſublato, jus cuique in poſterum gratuito redderetur. Et hactenus quidem quaeſitus rei ſpecioſus color, quod, rejectis ſordibus et ſedulitate judicum excitata, dignitas ordini reſtituta, et litigantibus levamentum, ſublatis longis litium ambagibus, allatum videbatur. Verum, ut in praeſidialium tribunalium creatione, ſic et in ſemeſtrium, ita edictum illud vocabant, ordinatione auctus eſt judicum numerus, pretio ab iis accepto; quae praecipua edicti cauſa fuit. Ita rei honeſtiſſimae, uti jactabant, a turpiſſima nundinatione ductum eſt initium: quo et factum eſt, ut, per diviſionem illam minuto univerſo numero, praecipitatum ſit tempus, quo claſſium inquiſitoriarum conſiliarii, antea non niſi longo in jure dicundo uſu confirmati, majorem cameram ingrediebantur; ſicque, novitiis plerumque et inexercitatis ad ſupremam cameram promotis, non tam reſtituta ordinis ampliſſimi dignitas et diſciplina, quod unum operae pretium ex nova illa inſtitutione ſperabatur, quam mutilata et ſoluta eſt. Quod cum ſero animadverſum eſſet, et ſtipendiis auctis aerarium regium ultra modum gravaretur, tandem placuit, ut ſemeſtrium abolita creatione judices rurſus annui jus dicerent, et ad exonerandum aerarium, minutis ſtipendiis, honorarium, uti prius, a litigantibus acciperent: quod magnam rurſus mutationem et confuſionem peperit, cum ſuperfluo judicum exundante numero novi illi, qui in ſummam cameram feſtinato curſu ingreſſi fuerant, rurſus ad claſſeis inquiſitorias, quaſi averſis veſtigiis, retracti ſunt. Ea conſtitutio, antequam exitum ſortiretur, magna contentione in aula agitata fuit: nam ſenatus interceſſit, et VI Eid. Febr. ſupplex libellus a curia perſcriptus; et ejus nomine ab [f] Aegidio magiſtro ſenatus principe, Jo. [g] Santandreano

VAR. LECT. [α] Rocandulfus P. D. o f.

INTERPR. [a] *le Rhingrave & le baron de Fontenay.* [b] *St. Eſprit de Rœux.* [c] *Rockendolf & Reiffenberg* [d] *Piedmont.* [e] *eſpices* [f] *Gilles le Maiſtre.* [g] *les preſidents de St. André & Menard*

et Antonio Minardo praeſidibus regi oblatus eſt: cujus ad ſingula capita, quibus proponebantur incommoda edictum hujuſmodi neceſſario conſecutura, reſponſum eſt a Michaële [a] Hoſpitalio ex ſenatore nuper rationibus regiis praepoſito; qui, ſicuti ab aulicis jactabatur, uſu doctus, dum ſenator eſſet, multa perperam, multa minus honeſte fieri, quae, ſtante potentia illa unita, minime corrigi poſſent, optimum factu exiſtimabat, ut diviſione nimia illa potentia minueretur, quo, debilitans tam firmi corporis viribus, caſtigationem facilius admitteret: in eamque rem Jo. [b] Auratus tunc aulicorum puerorum praeceptor et mox profeſſor regius, vir divini ingenii, carmen elegantiſſimum, ſed petulanti libertate, in gratiam cardinalis Lotharingi, qui negotium illud urgebat, conſcripſit; quo ampliſſimum ordinem androgyno Platonico [α] comparat. Tenuit ergo tandem regis et aulicorum auctoritas; et ſemeſtris ſenatus factus eſt: coepitque nova illa ordinatio VI Non. Quintil. hujus anni; eodemque menſe a. d. IV Non. anno tertio poſt, deſiit. Hujus autem rei nulla fere veſtigia apud eos, qui hiſtorias noſtras ſparſim et particulatim ſcripſerunt, reperiuntur; nec vero in archivis curiae Pariſienſis invenitur, aut inter conſtitutiones regias edictum relatum eſt: adeo memoria tam recentis ac memorabilis rei cito abolita eſt; quae certe tunc intempeſtiva, tamen, ut hodie tempora ſunt, ſicut olim optima ratione ſublata eſt, ita nunc fortaſſe juſtiſſimas ob cauſas moderatione adhibita reſtitui deberet. Sed haec alterius loci et diſquiſitionis ſunt. Eodem anno lex de [c] ſenatu in Armorica provincia conſtituendo a rege facta in Pariſienſi curia IV Non. Maii promulgatur; ſic ordinata curia, ut in II claſſeis diſtributa IV praeſidibus, XXXII conſiliariis, II ſcribis, II fiſci advocatis et cognitore regio conſtaret: cautum item, ut praeſides II, atque in iis ſenatus princeps, et XVI conſiliarii, atque ex advocatis unus, extra provinciam legerentur: cautum et, ut alternatim jus dicerent; menſibus quidem Auguſto, Septembri, Octobri et Novembri ad [d] Condate Redonum; Februario vero, Martio et Aprili [e] Condivicini in Namnetibus; reliquo tempore provinciales VII conſiliarii judicia exercerent. Id commodo provinciae in ſpeciem datum. Sub initium anni lex durior in ſenatu recitata eſt VI Eid. Januar. qua [f] Pictones, Rupellani ac circuminſulani, Engoliſmenſes, Lemovices, Petracorii, Santones atque Aquitani, qui vulgo dicuntur, ſalis vectigal, quod iis provinciis impoſitum erat, undecies centum nonaginta quatuor millibus Francicûm nummûm redimere compelluntur. Auctus et ſecretariorum regiorum numerus; additique ad antiquum numerum, qui CXX erat, XXC, ut ſimul CC numerum explerent; eaque de re lex in ſenatu promulgata eſt IV Eid. Decembreis poſt magnas contentiones, cum ea [h] ante IV Kal. Novembr. in [g] Pariſienſi, quam vocant, cancellaria, publice lecta eſſet, praeſente ipſo [g] procancellario.

VAR. LECT. [α] comparat: et, ſicut propter faſtum et nimiam inſolentiam Jovis juſſu diviſum illum tradunt poetae, ſic ſenatum plus aequo ſuperbum et ferocientem a conſultiſſimo principe diviſum eſſe dicit, ac fore, ut, ſi inſoleſcere pergat, ex ſemeſtri trimeſtris, atque ad extremum ſeſquimeſtris et menſtruus efficiatur; adeo ut locum tandem dicterium habiturum ſit, Lunam ut menſes, ſic magiſtratus regere. Pervicit ergo tandem regis et aulicorum *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *de l'Hoſpital.* [b] *Dorat* [c] *Parlement de Bretagne.* [d] *Rennes.* [e] *Nantes.* [f] *Poictou, la Rochelle, ceux des iſles voiſines, l'Angoulmois, Limouſin, Perigort, Saintonge, & Guienne.* [g] *la petite chancellerie.* [h] *le garde des ſceaux.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER DECIMUS QUARTUS.

EPITOME.

BELLUM Etruſcum. Fabiani Montani cum Coſmi filia ſponſalia. II. *Jo. Jacobus Medicinus Melenianus dux deſtinatus. Ejus origo et fortuna.* III. *Senarum obſidio.* IV. *In Corſica Florentii-fanum a Jordano Urſino Auriae deditum.* V. *Damnum ad Coſmae-fanum a Florentinis acceptum.* VI. *Cluſiana infelix expeditio; et Santacii dolus.* VII. *Clanius fluvius et ejus ſitus ac natura.* VIII. *Petrus Strozzius cum auxiliaribus copiis ad Senarum obſidionem ſolvendam miſſus.* IX. *Leo Strozzius tot palmarum dux ad Scarlinum ſcloppeti ictu a ruſtico confoditur.* X. *Blaſius Monlucius Senis a rege praeficitur.* XI. *Proelium Marcianum, hinc duce Meleniano, hinc P. Strozzio; in quo noſtri caeſi.* XII. *Lucinianum mox a Caeſarianis capitur.* XIII. *Strozzius Senas per hoſteis medios perrumpit; confirmatiſque ſpe auxiliorum obſeſſis, ſed in ſumma anguſtia relictis, urbe exit.* XIV. *Mons regius a Joannino Zetho proditus.* XV. *Turcicae claſſis oſtentatio.* XVI. *Aphrodiſium, quod pro amiſſa Tripoli Hieroſolymitanis equitibus a Caeſare oblatum fuerat, cum illi accipere recuſarent, a fundamentis diruitur.* XVII. *Nocturna Senarum oppugnatio irrita.*

EX AUCTORIBUS,

Jo. Baptiſta Hadriano, Corn. Tacito, Bl. Monlucio, Hiſtoria Corſica P. Ant. Philippinii, Carolo Sigonio, Lud. Marmolio Carvajali.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

CIↃIↃLIV. HENRICUS II.

IN Etruria bellum interea acrius, quam ſuperiore anno, non ſolum inter Caeſarem et regem, ſed etiam inter Coſmum et noſtros exarſerat. Is ſiquidem, quamvis alieno tempore, a Caeſarianis deſertus, cum conſideraret, quanto in periculo verſaretur, ſi noſtri pedem in Etruria firmarent, non tam ad Hiſpanos, a quibus injurioſe et contemptim deſertus fuerat, reſpiciens, quam rerum ſuarum ſecuritati conſulens, quod clam et cuniculis hactenus fecerat, jam aperte ſibi faciendum exiſtimavit, ut totis viribus connixus Gallos omni Etruria expelleret. Res initio tamen ſecreto acta, quod magnis difficultatibus Hiſpani tunc temporis in Italia conflictarentur: nam [a] Claraſcum et Foſſanum laxiore ſed diuturna obſidione a noſtris premebatur, ut metus eſſet, ne tandem annonae penuria praeſidiarii deditionem facere cogerentur, Gonzaga ab omnibus rebus imparato, et in primis a pecunia praecipuo belli nervo: quo fiebat, ut non perſolutis jam a multo tempore ſtipendiis militi odioſus eſſet, popularibus vero ſumme gravis ob cumulata quotidie nova tributa, et per ſingulos focos imperatam nuper pecuniam, quod admodum Inſubribus intolerabile videbatur: ad haec Hiſpanis propter

INTERPR. [a] *Cheraſco & Foſſano*

CIↃIↃLIV.

HENRICUS II.

propter dominatus aſperitatem magnopere inviſus erat, nondum ſeveritatem ejus, qua in ſeditioſos milites in Sicilia ante XIV annos uſus fuerat, oblitis: et ob id crebris in Caeſaris aula delationibus traducebatur, quod, ob immodicam rapacitatem et avaritiam aeque civibus ac militi gravis, res Caeſaris in Italia labefactaret. Ille igitur, qui tantum omnium in ſe odium concitatum videret, omni auxilio deſtitutus, cum vix provinciam a noſtrorum armis tueri poſſet, haud magna ad Etruſcum bellum auxilia Coſmo ſuppeditare poterat. Ex Hiſpania vero milites, quibus inter Provinciam et Corſicam a noſtris nuper infeſſam tranſeundum erat, non niſi periculoſe tranſportabantur et ora fere maritima Senenſium omnis a rege tenebatur. Caeſar ipſe longinquo et gravi bello cum rege implicatus parce militem ac nullam fere pecuniam in res Italiae conferebat. Neapolitanis autem auxiliis, ut proximis, ita ſemper dubiis, non adeo fidebat Coſmus, ut quae ad primum de Turcicae claſſis adventu rumuſculum protinus a prorege revocarentur. Itaque, quo magis Caeſarem undique anguſtiis premi videbat, eo ſibi diligentius curandum exiſtimavit, ut, quae ab externis praeſidiis deerant, ſuis opibus ſuppletentur. In primis pontificem ſibi devinciendum putavit, deſponſata una ex filiabus Fabiano Balduini fratris filio impuberi, in quo poſt Joannis Baptiſtae mortem pontifex familiae ſuae ſpes omneis collocaverat. Coſmum magnas et illuſtreis adfinitates novo imperio firmando neceſſarias ambientem, ideoque in tam deſpecti hominis conjugium aegre conſentientem, rerum ſuarum ſtabiliendarum deſiderium poſtremo ad id perpulit, cum videret, regem per [a] Lanſacum oratorem Romae ſuum ſedulo pontificis gratiam captare, ultro etiam oblata regii ſanguinis virgine. Verum Julius ad ſcurrilitatem uſque feſtivus, et alienam ab innata deceſſoribus pontificibus ambitione mentem prae ſe ferens, cum tamen interea Coſmi ut proximi et ſuorum rebus utiliſſimi principis adfinitatem ultra modum expeteret, et [b] Camertium principatum Fabiano deſtinaret, ut conditionem tam amplam eluderet, ſic Lanſacum urgentem dimiſit, ut diceret, quam ex nobiliſſima omnium, quae uſquam fuiſſent, familia rex prognatus eſſet, tam ſe ac ſuos omnium, qui viverent, mortalium ignobiliſſimos agnoſcere: proinde nuptias, quae inter pares melius coirent, inter inaequaleis adeo perſonas commode contrahi non poſſe. Itaque per Bernardum [c] Juſtum ab epiſtolis Romam a Coſmo miſſum fiduciariae nuptiae contractae. Eodemque tempore Coſmus Iſabellam filiam Paulo Jordano [d] Urſinae familiae rebus noſtris ob antiquas factiones ſemper addictae principi deſpondit: Pauli ſororem paulo ante in uxorem duxerat M. Antonius [e] Columniae item familiae princeps; cujus majores ſemper Caeſarianas parteis ſecuti fuerant.

II. ITA duobus potentiſſimis contrariae factionis conciliatis regulis, ut ſibi videbatur, jam firmior Coſmus, Jo. Jacobum [f] Medicinum Melenianum aſtutum et ſcientia militari quam natalibus nobiliorem acciverat, quem eo fideliorem ſibi navaturum operam pollicebatur, quod ſciret hominem ambitioſum, qui ex alludentis nominis occaſione ſe Mediceae familiae ſumptis etiam ejus inſignibus jamdudum inſeruerat, ſummopere expetere, ut ejus gentis, a qua nobilitatem mutuabatur, gratiam aliquo inſigni beneficio demereretur. Itaque, re cum Franciſco [g] Toletano, qui Caeſaris res Florentiae procurabat, communicata, Bartholomaeum [h] Concinum ab epiſtolis fidum et perſpectae ſibi prudentiae virum ad Caeſarem mittit, qui de pellendis [i] Etruria Gallis cum eo ageret; et conditiones has proponeret: ut ſcilicet Caeſar IICIↃ Germanorum ex [k] Inſubribus, totidemque Hiſpanorum ex regno Neapolitano, CCC item levis armaturae equites ex Gallia [l] Togata ſummitteret, mandaretque, ut ex regni vectigalibus in annum aut ſaltem in X menſeis ſtipendia aſſignarentur: ipſe Coſmus reliquos in bellum illud ſumptus ſuppeditaret, quo reipublicae Senenſis ditio a Gallis occupata rurſus in Caeſaris poteſtatem

INTERPR. [a] de St Gelais, ſieur de Lanſac. [b] ducato di Camerino [c] Giuſti. [d] de' Orſini. [e] Colonna. [f] de Medicino marcheſe di Marignano. [g] de Tolede. [h] Concini. [i] la Toſcane. [k] Piedmont [l] Lombardie.

poteſtatem redigeretur: qui ſumptus, bello finito, a Caeſare reſarcirentur praeſenti pecunia aut poſſeſſionibus in regno Neapolitano aut Inſubribus attributis; et, quo uſque id praeſtaretur, oppida et arces eo bello in agro Senenſi captas Coſmo retinere jus eſſet. Acceptis a Caeſare conditionibus, cum Concinus rediiſſet, Coſmus rem ſummo ſilentio aggreditur; diſpoſitis in confinibus a [a] Volaterris, [b] Geminiani fano, [c] Collibus, [d] Stagia, [e] Caſtellina, [f] Clantio, [g] Umbronis valle [h] Politianum uſque crebris ſtationibus, et obſervatis aditibus, ne quis exploratum miſſus ex agro Florentino in Senenſem tranſiret: quae tamen non ita ſecreto agebantur, quin rex per [i] Ferrarienſem cardinalem, quem crebris interea officiis ac legationibus Coſmus ludificare conabatur, factus certior, jam Coſmum pro hoſte haberet; neque ulterius ſibi procraſtinandum duceret, quin aperto et infeſto marte ipſum aggrederetur, belli provincia Petro Strozzio capitali Mediceae domus hoſti demandata: quod reginae proxima cum eo cognatione junctae contemplatione factum, rebus noſtris apprime exitioſum fuit; quippe hujus ac cujuſvis alioqui muneris capax Strozzius, ſed odio ob paternae fortunae memoriam caecus, cum potius ad ultionem quam ad victoriam properaret, et victum certam perniciem manere intelligeret, conſilia potius ab inconſulta animi perturbatione quam a ſedata mente in eo bello capiebat. Ejus vero adventu adeo exulceratus eſt Coſmus, ut, licet jam ante de bello gerendo certus, tamen, qui aequas et ſibi utileis conditiones minime repudiaturus videbatur, poſtquam inimicum hominem a rege oppoſitum et cum exercitu adverſus ſe miſſum vidit, etiam vel iniquiſſimus conditionibus bellum ſine pacificationis ſpe ſibi gerendum exiſtimavit. Acceſſit ad hoc, quod, cum Strozzius cum ampliſſima poteſtate Senas veniſſet, et copiam mandati cardinali Ferrarienſi feciſſet, ille, qui non tantum belli ducem ſed ſucceſſorem in reipublicae procuratione ſibi miſſum doleret, non ſolum indignari ſed ſecure omnia ac negligenter agere coepit: quo et factum eſt, ut, quamvis Strozzius raro in urbem veniret, ne praeſentia ſua Ferrarienſis auctoritatem ac dignitatem minuere videretur, ſed bellico munere contentus foris tantum arma tractaret, ſecretae nihilominus ſimultates inter ipſos ex ea occaſione ſuborirentur. Cuncta ſegnius ab eo tempore adminiſtrata, coeptae munitiones intermiſſae, ſecreta cum pontifice et aliis principibus conſilia penitus omiſſa ſunt. Strozzius, poſtquam [k] Maſſilia ſolvit, in Corſicam deſcendit; et, habito cum [l] Thermo colloquio, ac luſtratis inſulae munimentis, [m] Centumcellas venit; et mox Romam; ubi, cum ſui adventus cauſas pontifici aperuiſſet, veniſſe ſe nimirum, non ut quidquam moveret, ſed ut Senenſium libertatem, qui ſe in regis clientelam dediſſent, et regiam ſimul auctoritatem in Italia tueretur, amicitiamque ac benevolentiam regis prolixe detuliſſet, facile et hoc ab otii et voluptatum amante homine impetravit, ut induciae Parmenſis ac Miraudulani belli ratione ante biennium factae et propediem exiturae in alterum biennium prorogarentur. Inde [n] Senas venit, a civibus honorifice acceptus, non ſine occulta Ferrarienſis indignatione, quem ab eo tempore in ſuo munere obeundo ſegnem et praecipue in re pecuniaria expedienda negligentem noſtri fere experti ſunt. Relicto in urbe Ferrarienſi et Corn. [o] Bentivolio, Strozzius ad luſtranda vicina propugnacula cum ſuis exit. Interea Coſmus, antequam bellum aperte denunciaret, quam occultiſſime potuerat, res ad repentinam invaſionem ordinaverat; praeceperatque Friderico [p] Montacuto Piſanae arcis praefecto, cui plurimum fidebat, ut, commiſſa arcis cura uni ex ſuis, et dato negotio Camillo [q] Fabriano Piſanorum delectuum ductori, cum IↃC ex ſuis quamprimum [r] Liburnum proficiſceretur, et, comportatis ſecum ſcalis, artificioſis ignibus, arcubus ac vectibus, in [s] Ilvam et inde Plumbinum diſpoſitis ad id nuper advectis

Corſica

INTERPR. [a] *Volterra.* [b] *San Gimignano.* [c] *Colle.* [d] *Staggia.* [e] *la Caſtellina.* [f] *Chianti.* [g] *Valdambra.* [h] *Montepulciano.* [i] *cardinale di Ferrara.* [k] *Marſeille.* [l] *Paul de la Barthe, ſieur de Thermes.* [m] *Civita vecchia.* [n] *Siena.* [o] *Bentivoglio.* [p] *da Montauto.* [q] *da Fabriano.* [r] *Livorno.* [s] *Elba & Piombino.*

Corſica triremibus trajiceret; ipſe terreſtri itinere Plombinum contenderet, ubi cum Roderico [a] Avila praeſidiariorum [b] Orbirelli duce ſe conjungeret, et aſſumptis IↃ, [c] Groſſeti intercipiendi, quod ab Alexandro [d] Interamnare cum CC militibus tenebatur, nondum adeo firmiter muniti rationem iniret. Mandatum et Rodolpho [e] Baleono, ut [f] Politianum cum IↃC externis militibus properaret, et aſſumptis Politiani, [g] Cortonae, [h] Arretii et Arni-vallis delectibus, cum [i] Petro Montio in agrum [k] Senenſem ingrederetur, et ſi poſſet [l] Clnſium vel [m] Montem-Ilelnum vel [n] Corſinianum aut denique Bonconventum interciperet, et inde Senas verſus ad Melenianum contenderet. Praeceptum item Lucae Antonio [o] Cupano Plombini praefecto, ut cum ſuis et CC ex [p] Campilienſi praefectura, et cum C, quos ex [q] Portu-Ferrato accerſeret, Maſſam vicinam aggrederetur. Imperatum et [r] Roſae Vicchio ordinum ductori, ut ex Groſſeti expeditione rediens cum C ex ſuis [s] Caſtellionem in agro Piſcienſi municipium caperet. His ita ordinatis, Melenianus cum IICIↃ externorum militum et CCCC Hiſpanis, quos Florentiae Coſmus anre coëgerat, et campeſtribus aliquot tormentis, urbe ſummo ſilentio exit, ſcalis, ignibus, vectibus et omni nocturnae aggreſſionis inſtrumento inſtructus. Biduum ante clauſae urbis portae fuerant, ne quid ad noſtros renunciari poſſet; et [t] Bonitium deſtinatur, ad quem locum ex [u] Caſſiani et Geminiani fanorum delectibus proximioribus VIII ſigna convenirent ad VII Kalend. Februarias: numerus eorum erat IVCIↃ peditum et CCC levis armaturae equites.

III. CUM his [x] Melenianus per [y] Stagiam noctu itinere facto VI a Senis milliaribus ſubſtitit; praemiſſiſque CCC expeditioribus, quoniam cum toto exercitu non poterat, quod tempeſtuoſa nox ea maxime eſſet, et corruptis luto itineribus aegre miles incedebat, cum aliquot e noſtris ſtationariis extra urbem prope palatium, quod vulgo diabolorum vocant, offendiſſet, eos recedenteis inſecutus, ſcalis ad [z] Camolliae portae munimentum admotis vim facit: multi ex hoſtibus inſiliunt, plerique per portam ipſam propugnaculi a noſtris negligenter cuſtoditam ingreſſi ſunt. Munimentum illud a noſtris excitatum fuerat, ne hoſtis moenibus propinquaret; ſed rarae in eo excubiae, ac per noctem fere nullae agebantur. Eo capto, Melenianus, magnum operae pretium feciſſe ratus, non in urbem ſtatim, uti ſtatuerat, impetum fecit, ſed ſuos, qui propter continuum imbrem ſpe tardius adveniebant, praeſtolati et interea foſſorum opera munitiones inſtaurare ſatis habuit. Albeſcente die, Bentivolius cum ſuis exiguo numero egreſſus cum a Meleniano repulſus fuiſſet, ſuadentibus civibus, ut totis viribus in munimentum impetus fietet, loco nondum firmato, Ferrarienſis id prohibuit; veritus, ne quis motus interea in civitate, hoſte tam vicino, exoriretur; praepoſteraque diffidentia ſua effecit, ut feſſo militi rempus daretur ſpiritus et vireis colligendi et ſe ad defenſionem comparandi; quod noſtris ſummopere incommodavit. Locus valido praeſidio mox firmatur; eique Leonidas Malateſta praeponitur. Hoc habuere principium Coſmi arma: nam in [aa] maritima ora et [bb] Clanii valle [cc] Montacuti et Baleoni conatus fruſtra fuere, Strozzio Groſſetum ſtatim profecto et mox Senas advolante. Coſmus, ut belli a ſe ſuſcepti ratio apud vicinos principes conſtaret, ſubito ad ſenatum Venetum, Ferrariae et Mantuae duces, item ad Lucenſeis ſcripſit; et, ſugillata regis ambitione, qui ſpecie defendendae Senenſium libertaris ad Italiae totius imperium aſpiraret, pro libertate Italiae et Caeſaris auctoritate arma ſe ſumpſiſſe dicit; ingratitudiniſque Senenſeis ſubinde accuſat, qui tot beneficiorum a ſe acceptorum obliti ultro ſe in regis inimici clientelam dederint, rejecto Caeſaris legitimo patrocinio, quem merito ob expulſum Joan. [dd] Lunam ipſis iratum omni officio placatum reddiderit, ut, ſi ad aequas couditiones deſcendere voluiſſent,

res

INTERPR [a] *d'Avila.* [b] *Orbitello.* [c] *Groſſeto.* [d] *da Terni.* [e] *Baglioni.* [f] *Montepulciano.* [g] *Cortona.* [h] *Arenzo, e Valdarno.* [i] *Piero del Monte.* [k] *di Siena.* [l] *Chiuſi.* [m] *Montalcino.* [n] *Pienza.* [o] *Cuppano, gouverneur de Piombino.* [p] *Campiglia.* [q] *Porto-ferraio.* [r] *Roſa di Vicchio.* [s] *Caſtiglione della Peſcaia.* [t] *Poggi-bonzi* [u] *San Caſſiano, e San Gimignano.* [x] *le marquis de Marignan* [y] *Staggia.* [z] *portone di Camollia.* [aa] *la Maremma.* [bb] *Val di Chiana.* [cc] *da Montauto* [dd] *di Luna.*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

res procul dubio componi potuerit. Scripſit et pontifici, qui ſe velnti pro arbitro in eo negotio gerebar, miſſo ad eum Bernardo [a] Colle ab epiſtolis; petiitque, ut, quandoquidem pro communi Italiae libertate bellum coeptum ſit, cujus praecipuam partem pontificia ditio efficiat, ſibi cum bona ipſius venia viciniae ac ſocietatis jure uti liceat; univerſaque Italia Gallo tanquam communi hoſti interdicatur. Pontifex, ut Coſmo gratificaretur, neque ſe omnino infeſtum nobis oſtenderet, edicto profeſſus eſt, neutri ſe parti eo in bello opitulari velle; ſanxitque poena propoſita, nè quis ex ſuae ditionis ſubditis alterutros ope auxiliove juvet. Poſtremo Coſmus et ad Senenſeis in hanc ſententiam ſcribit. Scire vos velim, o Senenſes, non motus alicujus adverſus vos excitandi, ſed Gallici jugi a cervicibus veſtris depellendi cauſa, me arma ſumpſiſſe. Quod ſi melius conſulti mecum conſpiraveritis, quam utilem et honeſtam operam meam anteà, tam deinceps rebus veſtris ſalutarem experiemini. Sin contra animum obſtinatis, et, in bello adverſus Caeſaris auctoritatem ſuſcepto perſeverantes, vos caeci perdere viciniſque veſtris incommodare decreviſtis, quam me hactenus amicum, tam [α] infeſtum et adverſus eos, qui vos oppreſſum venere, perque ruinam veſtram ad alios invadendos ſibi viam ſternunt, acerrimum [β] hoſtem ſentietis. Haec eſt mea erga vos voluntas, haec animi ſententia; quam ut vobis notam facere oportuit, ita vos eam ſequi et amplecti tam nunc expedit, quam rejicere et aſpernari porro luctuoſum et damnoſum erit. Ad haec ſenatus triduo poſt, hoc eſt, pridie Kal. Febr. reſpondet. Quod nobis, cum minime putabamus, bellum moveris, propter recentem foederationem, admodum mirati ſumus: ſed admirationem auxit, quod id in beneficii loco ponere et amicitiae praetextu excuſare literis ad nos nuper datis conatus ſis. Nam contraria facta ſpecioſam orationem tuam revincunt; et, cum nulla offenſione tibi obnoxii ſimus, ſatis oſtendunt, te non alia cauſa quam nos opprimendi deſiderio incitari: id eo magis clarum fit, quod nos ab eorum amicitia, quos tu quidem ad oppreſſionem noſtram veniſſe dicis, ſed quibus tamen hactenus amicis et fortiſſimis libertatis noſtrae defenſoribus uſi ſumus, abducere niteris; quo nimirum, amoto tam praeſenti auxilio, inermeis injuriae ambitioſorum hominum exponas, qui ſpecie amicitiae nobis jampridem inſidiantur. Sed cauſa tam juſta freti, et florentibus Chriſtianiſſimi et erga nos munificentiſſimi regis opibus ſubnixi, nihil inimicorum minis territi, iniquos illorum conatus irritos fore ſperamus: confidimuſque, te, Coſme, poſtquam apud te perpenderis bellum hoc, quod nunc ſuſcipis, neque juſtum neque honeſtum eſſe, nec eventu, ut remur, in poſterum laetum futurum, ejus ulterius perſequendi conſilium quoque omiſſurum eſſe: atque, hoc ut mature facias, antequam neceſſitate coactus culpam corrigere compellaris, te enixe rogamus et obteſtamur. Ita denunciato utrinque bello, cum nondum Germani et Hiſpani a Caeſare promiſſi adveniſſent, Coſmus Troilo [b] Roſſio comiti, Camillo [c] Corregienſi et Ludovico [d] Doarae negotium dat, ut ſinguli C equitum turmas conſcriberent: delectus etiam paſſim in [e] Umbria et Piceno [γ] habendos curat, et in agro [f] Peruſino, nam id diſſimulanter ferebat pontifex; et univerſi peditatus Italici curam Aſcanio [g] Corneo committit. Ante omnia propugnaculum ad portam Camolliam coeptum continuatis operibus muniebat, ut ea parte aditum in urbem intercluderet. Strozzius viciſſim opinione citius bellum domi nactus, evocatis [h] Urſini Petiliani LXX cataphractis equitibus, quos ſtipendiis regiis alebat, et CCC circiter peditibus, [i] Montem-regium, [k] Caſolium, [l] Lucinianum et vicina loca firmaverat, et alias copias [m] Groſſetum et Maſſam in [n] ora maritima miſerat. Senis vero omnia ſumma diligentia et alacritate adminiſtrabantur, infirma loca muniebantur, et nova ſubinde munimenta

VAR. LECT. [α] infeſtum hoſtem *P.D.o.f.d.* [γ] habendos *deeſt* *P.D.o.*
[β] propugnatorem *P.D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *di Colle.* [b] *de' Roſſi.* [c] *da Coreggio.* [d] *da Doara.* [e] *la Romagna e la Marca d'Ancona.* [f] *da Perugia.* [g] *della Cornia.* [h] *Orſino, conte di Pitigliano* [i] *Monte-reggioni.* [k] *Caſoli.* [l] *Lucignano* [m] *Groſſeto, e Maſſa.* [n] *Maremma di Siena.*

Digitized by Google

munimenta excitabantur, civibus nullum infracti animi ſignum prae ſe ferentibus, et ad omnem laborem ſe comparantibus: a quibus Aeneas[a] Picolomineus ad regem, et Alexander Aeneae agnatus Romam ad pontificem ac regios miniſtros mittuntur; ille quidem, ut de praeſenti rerum ſtatu amicum principem faceret certiorem, et auxilia flagitaret; hic vero, ut cum pontifice de injuria reipublicae a Coſmo facta expoſtularet, et, ut medium interponere ſe dignaretur, rogaret: quod in ſpeciem factum, ut invidiam belli inteſtini in Italia excitati a ſe amoliretur; re vera, ut interea cum regi addictis cardinalibus conſultaret, et de belli gerendi ratione cum eis ageret. Eo fiebat, ut ſummis difficultatibus negotium illud implicaretur, et magnae molis obſidio Senenſis omnium judicio exiſtimaretur. Nam, cum civitas per colliculos porrigatur ſpatioſo ambitu, quippe quae ɪɪɪ fere milliaria complectatur, ad haec, optimis muris et profundiſſima propter ſitum foſſa undique fere cincta, milite et ceteris rebus neceſſariis tunc probe munita eſſet, non niſi magno hominum numero ac diuturno tempore expugnari poſſe videbatur. Cum vero per ᴠɪɪɪ portas ad eam adeatur, Camollia poſt occupatum ab hoſtibus propugnaculum obſtructa, ᴠɪɪ aliae ſuperabant, per quas abunde et copioſe commeatus in urbem importabatur, adeo ut majore multo annonae penuria in caſtris hoſtium initio laboraretur, quam in urbe, excurrentibus paſſim noſtris et ex Plombinenſi agro praecipue, qui, abſente Friderico [b] Montacuto, exiguo militum numero a Luca Antonio [c] Cupano aegre defendebatur, praedas quotidie agentibus. Ibi etiam [d] Burianum a [e] Mario Sfortia Sanfloriano captum et direptum, deſiderato [f] Ricio Salvio Senenſi ordinum ductore. Has difficultates Coſmi prudentia ac diligentia ſuperavit; qui proſperis de Britanniae rebus nunciis recreatus, ubi de reginae Mariae cum Philippo Caeſaris filio jam conventis nuptiis cognovit, in ſpem erectus eſt, fore omnino ut Caeſar nova ea acceſſione auctus ad res Italiae tuendas in poſterum paratior et expeditior eſſet. Interea Thomam [g] Buſinium [h] Tridentum ad [α] [i] Madrucium cardinalem mittit, ut ipſius opera ɪɪ ᴄɪↄ Germanorum conduceret; eorum praefectura atque illorum, qui ex [k] Gallia Togata expectabantur, Nicolao Madrucio cardinalis fratri attributa.

IV. Tunc temporis in Corſica [l] Florentis-fanum, ad cujus obſidionem Andreas [m] Auria haerebat, novis Hiſpanorum, Adelantado [1] [n] Camorienſi, [β] id praefecturae nomen eſt, duce, item Germanorum ſub Alberico Lodronio copiis nuper confirmatus, in ſummas anguſtias redactum fuerat: tandem cum hominem nullo neque aetatis neque curarum incommodo frangi viderent noſtri, conſtantia ejus victi, ac praeterea commeatus inopia coacti, et alioqui omni auxiliorum ſpe deſtituti, disjectis tempeſtate, quae [o] Maſſilia ſummittebantur, et interceptis navibus, poſt trimeſtrem obſidionem de conditionibus agere coeperunt; & Jordanus Urſinus ea de cauſa a praeſidiariis miſſus cum Auria tranſegit. Incolumitas omnibus noſtris conceſſa: a gratia excepti Genuenſis reipublicae exſules, quantumvis Urſino annitente, ut deditionis conditionibus comprehenderentur; quod poſt longam altercationem impetrari ab Auria nunquam potuit. Quo cognito, Bernardinus [p] Corſus, qui in oppido erat, vir fortis, alioqui periculorum contemptor, cum honeſtam mortem potiorem duceret, quam ſe inimicorum dominorum arbitrio committere, cum ſuis audax facinus aggreditur; et, quantumvis ducta undique foſſa cincto oppido, ad haec ſtationibus ubique diſpoſitis aditus ſtudioſe ſervarentur, ut nemo inde exire poſſet, ipſe quaſi ad certam mortem properans, cuſtodibus obviis caeſis et perrupto aggere,

poſt

VAR. LECT. [α] Madrucium *deeſt* P.D.o. [β] id praefecturae nomen eſt *deſunt* P.D.o.

INTERPR. [a] *Piccolomini.* [b] *da Montauto.* [c] *Cuppano.* [d] *Buriano.* [e] *il conto Mario Sforza di Santafiore.* [f] *Ricco Salvi Sienois* [g] *Buſini.* [h] *Trente.* [i] *le cardinal Madruce* [k] *Lombardie.* [l] *San Fiorenzo.* [m] *Doria.* [n] *di Canaria.* Sandoval le nomme *Alonzo Luis de Lugo Adelantado del Teneriffe.* [o] *Marſeille.* [p] *Corſo.*

NOT. [1] Dele *Camorienſi*: lege *Canarienſi.* *Put.*

CIↃIↃLIV. HENRICUS II.

poſt editam ingentem ſtragem ſe manibus hoſtium eripuit; exemploque ſuo docuit, nihil eorum impervium virtuti eſſe, qui ſalutem per deſperationem quaerunt. Acceptis ab Urſino conditionibus et datis obſidibus [α] [a] Valerone et [b] Agapeto praecipuis ducibus, poſtquam deditio facta eſt, Auria Italos tegi militanteis ad [c] Senenſium litora, Gallos [d] Antipolim in Provincia, ut inſulam noſtro milite exhauriret, exportandos curavit, ea lege, ne intra VI menſcis contra Caeſarem, Genuenſeis, et Coſmum, qui Genuenſeis eo bello induſtrie juverat, arma ferrent. Fruſtra exſules conquiſiti; qui fere omnes cum Bernatdino egreſſi virtute ſua ſibi viam per medios hoſteis ſtraverant. Capto oppido et praeſidio firmato, Auria a Petro [e] Paceco cardinali, qui poſt Petrum [f] Toletanum regno Neapolitano praefectus fuerat, rogatus Hiſpanorum partem in [g] Campaniam, Joan. Andrea duce, cujus jam opera in parte muneris uti coeperat, miſit, ut ad omneis Turcicae claſſis impetus praeſto eſſent: ipſe, ut ſe cum reliquis Caeſaris triremibus conjungeret, [h] Centumcellas contendit. Mox [i] Baſtia, ad quam Albericus [k] Lodronius et Carolus Urſinus caſtra poſuerant, quod ea defendi non poſſet, hoſti venienti patuit. Adamus [l] Centurio Auriae legatus Genuam mittitur, qui de ſucceſſu Senatum edoceret, et neceſſaria ad bellum compararet. Jamque arctius Senae premebantur, captis vicinis aliquot a [m] Meleniano caſtellis; atque in primis aquae penuria laborabatur, reſectis fontium canalibus, qui e [n] Camolliano tumulo in urbem derivantur: nam, cum urbs edito loco ſita ſit, non niſi e ſuperiore illo colle aquae in uſus publicos haberi poſſunt, ciſternis in privatorum uſum inſervientibus. Molatrinae etiam paſſim incenſae & dirutae. Venere tunc Germani e [o] Gallia Togata; ſed F. Gonzaga ex iis IↃCCC retinuerat, quorum opera ad [p] Valſeneram inter [q] Clerium & Damiani-ſanum, quae a noſtris tenebantur, muniendam utebatur; tantumque CIↃ CC ſummiſerat. Hiſpani, qui Neapoli per mare veniebant, a X triremibus ex noſtris, quae tempeſtate jactatae hoſtium manus evaſerant, aliquantum damni una & altera trireme deſideratis acceperant, & IↃ fere ex ſuis amiſerant, quorum pars caeſi, pars armis exuti & remo addicti ſunt; recenti adhuc odio, quod nihilo clementius noſtros ad [r] Ilvam nuper accepiſſent. Qui periculum effugere, [s] Plombinum delati ac Liburnum, incolumes in caſtra pervenere. Iis praefecerat Coſmus Franciſcum [t] Atium alterius Florentiae arcis cuſtodem, eo facto ipſius gratiam captans: id vero moleſtiſſime tunc Coſmo accidit, quod, cum propter frequenteis, quae de F. Gonzaga quotidie deferebantur, querelas Caeſar, tum maxime a Joanne Luna arcis Mediolanenſis praefecto nuper in aulam ea de cauſa profecto incitatus, eum omnino a provinciae illius adminiſtratione removere ſtatuiſſet, Melenianum in ejus locum, quia alium non habebat, ſufficere voluerat. Sic enim judicabat, belli rationes interturbatum iri, ſi Melenianus revocaretur. Itaque ſedulo cum Caeſare per legatos egit, ut Meleniano, qui ſe jam ad profectionem parabat, liceret cum bona ejus gratia bellum hoc, quod tanti momenti eſſet ad res ſuas in Italia ſtabiliendas, ante diſceſſum conficere: idque impetravit. Itaque in Gonzagae locum Gomeſius Figueroa, jam inclinata aetate homo, qui longo tempore Genuae res Caeſaris procuraverat, ad haec negotiis quam armis tractandis aptior, ad Mediolanenſem praefecturam evocatur, magno rerum Caeſaris detrimento. Interea, excurrentibus ex urbe militibus per oram maritimam, Coſmus Petrum [u] Gentilem Peruſinum cum CC peditibus, L equitibus eo miſit, qui noſtrorum conatus impediret.

V. Tunc et res male geſta a Julio et Pandolfo [x] Ricaſoliis, qui a Meleniano impetraverant, ut ſibi liceret [y] Coſmae-fanum exiguum caſtellum in Umbronis valle a Brollio

VAR. LECT. [α] Valerono *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Valerone.* [b] *Agapeto de' Todi:* ainſi le nomme Belleforeſt. [c] *du Siennois.* [d] *Antibes en Provence.* [e] *Paceco.* [f] *de Tolede.* [g] *Terra di Lavoro.* [h] *Civita vecchia.* [i] *la Baſtia.* [k] *Lodrone, &c Carlo Orſino* [l] *Centurione.* [m] *le marquis de Marignan.* [n] *poggio di Camollia.* [o] *Lombardie.* [p] *Valfenieres.* [q] *Chieri, e San Damiano.* [r] *Elba.* [s] *Piombino, e Livorno.* [t] *d'Aro.* [u] *Gentile da Perugia.* [x] *da Ricaſoli.* [y] *San Guſmé nel Valdambra.*

[a] Brollio IV milliaribus diſſitum, quod a Senenſibus tenebatur, et [b] Clantio multum incommodabat, aggredi: iis adjuncti Antonius Maria Peruſinus et Symeo [c] Roſerminius cum ſuis cohortibus; Leo item [d] Carpenſis cum L equitibus, et [e] Simo Ambra ac [f] Preſacius Aretinus volonum duces. Paratis deditionem facere praeſidiariis, vita ac rebus ſalvis, quod exiguo numero eſſent, cum recuſaſſent hoſtes, illi ex deſperatione in furorem verſi gnaviter ſe ad defenſionem comparant; et, evocatis, qui circum erant, auxiliaribus copiis, hoſtem cum damno ac dedecore obſidionem ſolvere compellunt, deductis aegre tormentis. Damnum et tunc a Melenianis acceptum, cum, pabulatum in vallem proximam commeatu abundantem cum mulis ac jumentis profecti, in CCL circiter pedites ex noſtris et turmam equitum incurrerunt, et amiſſa omni praeda ac jumentis caeſi et in fugam verſi ſunt; ex iiſque L capti vix e noſtrorum manibus, ſuperveniente Rodulfo [g] Baleono, eripi potuere; ex noſtris inter pugnandum capto Aemilio [h] Turaminio patricio Senenſi, ardentius in hoſtem provecto. Cum vero noſtri per [i] Politianum agrum crebro praedas agerent, [k] Corneus IV cohortes nuper a Baleono conſcriptas, duce Hercule [l] Penna, evocat, et CLX circiter equites, quorum ductor Joannes Baptiſta [m] Martinius. His junxerat ſe Joannes Franciſcus [n] Balnei et Leonetus Corbarae comites, uterque cum L equitibus; qui omnes [o] Folianum convenerunt, ut inde noſtrorum ex Civitella in [p] agrum Aretinum eruptiones impedirent. Excitatum et a Corneo ad [q] Clanii pontem munimentum juxta Politianum, et praeſidio firmatum, quo Senenſeis tranſitu intercluderet. Cum jam duo menſes elapſi eſſent, nullo alio operae pretio facto, et fremerent omnes bellum inutiliter a Meleniano duci, Coſmus etiam ipſum crebro ſolicitaret, Melenianus [r] Avolam Bellantianorum caſtellum, quod inter Clantium et [s] Caſtellinam ſitum rebus ſuis multum incommodabat, petit. Praeſidiarii poſt verberationem tandem dedere ſe victoris arbitrio coacti ſunt; juxtaque belli leges ſevere a Meleniano habiti, et, quod, cum locus tormentorum patiens non eſſet, tormenta tamen admoveri paſſi fuiſſent, omnes in furcam acti. Nihilominus noſtri cum Clanii ponte occupato in Aretinum agrum excurrerent, et late omnia infeſta redderent, hoſtes ut damna accepta ulciſerentur, bipartitis copiis, pars duce Balcono cum CIↃ IↃ peditibus et equitum turmis Bartholomaei et Carloti Urſinorum, qui nuper Corſica redierant, per Folianum, reliqui, duce Corneo, per Politianum in agrum Senenſem deſcendunt, et deſtructis molattinis ac praedis abactis omnia ferro et igne vaſtant. Progreſſus uſque [t] Clantianum Corneus [u] Saporoſum Firmitanum ordinum ductorem fundit, et XXV ex ſuis capit: dein conjunctis cum Balcono copiis Turritam aggreditur: cumque ibi noſtros inſidiis exceptos in oppidum diſſipatos compuliſſet, Paulus Urſinus et Flaminius [x] Stabia, qui [y] Luciniano militibus nudato metuerent, noctu cum ſuis proficiſcuntur, et oppidum praedae expoſitum deſerunt. Ibi relicto Georgio [z] Interamnate cum peditum ſigno, [aa] Arſinam-longam ſuperioris anni direptionibus deformatam petunt, et, deditionem facere detrectantibus noſtris, retro Politianum redeunt. Interea tormentis res ad urbem gerebatur, ex propugnaculo a Meleniano capto, et munimento a noſtris ex adverſa parte ad Camolliam portam excitato, et [bb] Proſperi-fano, contraria verberatione ſe invicem infeſtantibus. Captum tunc et coenobium Inſulanum, quod in via erat, quae [cc] Montem-regium ducit; ſicque impeditus liber a Monte-regio ad [dd] Caſolium acceſſus. Capta et Tolſa haud amplius milliario ab urbe diſſita, quae a ruſticis tenebatur, qui omnes fere in furcam acti: ac mox [ee] Scopetum, quod vix hoſte viſo deditionem fecit.

Miſſus

INTERPR. [a] *Brolio.* [b] *Chianti.* [c] *Roſſermini.* [d] *da Carpi.* [e] *Simone d'Ambra.* [f] *Preſaccio d'Arezzo.* [g] *Baglioni.* [h] *Turamini.* [i] *Montepulciano.* [k] *della Cornia.* [l] *della Penna.* [m] *Martini.* [n] *de Bagno, e della Corbara.* [o] *Forano.* [p] *contado d'Arezzo.* [q] *ponte di Chiana.* [r] *Aivola, villa de Bellanti.* [s] *la Caſtellina.* [t] *Chianciano.* [u] *Saporoſo da Fermo* [x] *da Stabbia.* [y] *Lucignano* [z] *da Terni.* [aa] *Aſina-lunga.* [bb] *San Proſpero.* [cc] *Monte-reggioni.* [dd] *Caſoli.* [ee] *Scopeto*

CIƆIƆLIV.
HENRICUS II.

Miſſus et [a] Clociolam, Turcorum civium Senenſium caſtellum, Chapinus Vitellius cum peditatus Hiſpanici parte, cc equitibus ac II tormentis; quibus admotis, ſtatim locus deditur: ſic enim convenerat cum filiis, qui arcem tenebant, veritis, ne patri alioqui ſuſpecto fraudi eſſet, ſi ad primum hoſtis conſpectum deditionem feciſſent. Inde [b] Melenianus ipſe ad [c] Columbae-fanum copias ducit, quod a ruſticis tenebatur; qui, quod reſiſtere auſi eſſent et tormentorum verberationem ſuſtinere, omnes in furcam acti: foeminis tantum ac pueris parcitum. His confectis Meleniani conſilium erat ad S. Marci portam, quae oram maritimam ſpectat, propius accedere, munitiſque ibi caſtris arctius urbem cingere: ſed Cluſiana clades conatus ejus aliquantum retardavit.

VI. [d] Cluſium tenebat [e] Santacius Jaquini Vaſconis legatus Cutiliana vico in montibus Piſtorio vicinis natus, homicidiis infamis, qui P. Strozzio aliquandiu militaverat, & injurioſe ab eo, uti jactabat, habitus, Coſmi permiſſu in patriam redierat; unde poſtea rurſus cum bona ejus venia, quod fidem de Strozzio, cui ob injuriam privatam infenſus erat, occidendo dediſſet, ad nos transfugerat. Huic cum [f] Bacio Roſpilioſo Piſtorienſi, homine Cancellariae factionis, cui et addictus erat, amicitia intercedebat; a quo ingentibus promiſſis invitatus, ut pacem ac ſecuritatem patriae tradito Cluſio conciliare vellet, tandem, re cum Strozzio communicata, ipſius permiſſu fidem amico dat, et Aſcanio [g] Corneo oppidum traditurum ſe pollicetur. Condicta dies et hora: ea erat nox media inter Veneris et Sabbathi diem ſanctae hebdomadis: tunc enim praeſidiarios ex occaſione exituros, paucoſque domi remanſuros, per quos ſibi facile ſit, quod promiſerit, exſequi. Etſi Corneus de Santacii fide dubitabat, tamen quod Coſmum ſecreta dudum cum eo conſilia agitare ſciret, et alioqui dignum aliquod facinus ſeorſim a Meleniano, a quo non ita ſe diligi ſentiebat, facere deſideraret, expeditionem ſuſcipit; et gloriae partem non invitus Balcono, qui et ipſe Meleniano minus gratus, communicat. Interea Strozzius Caſolio et ex [h] ora maritima copias occulte evocat; ex iiſque IↃCCC ſcloppetarios deligit, cum omni, quem penes ſe habebat, equitatu, quorum curam Aurelio [i] Fulgoſio et Montacuto committit, qui nocte condicta [k] Sarteanum III a [1] Caſolio milliaribus ſumma celeritate ac ſilentio veniunt. Receperat Santacio Corneus, ne hominem in ſuſpicionem adduceret, cum CCCC ſolummodo Cluſium ſe venturum: ceterum cum majore multo numero ire decreverat, ut, ſi res non ſuccederet, tam magnas vireis haberet, ut vinci non poſſet, et, ſi oppidum minime caperet, ſaltem vaſtato agro Santacii perfidiam citra periculum ulciſceretur. Cum igitur copiae ad id deſtinatae Sarteanum conveniſſent, ſummo ſilentio de nocte proficiſcuntur, eo ordine, ut primum agmen ex delectis duceret Corneus, ſecundum Balconus, qui pugnandi ardore in pedes deſcenderat, relictis v equitum turmis, totidem enim habebat, et eorum cura commiſſa Barth. [l] Graeco, et Jo. Franc. [m] Bainei comiti: ultimum agmen [n] Hercules Penna claudebat. Ita XII milliaria emenſi ad eam viam feſſi veniunt, quae inter clivum ad dextram arduum et foſſam ex adverſo profundam contrahitur; demumque utriſque coëuntibus omnino interciditur, ut non niſi ponte tranſiri poſſit. Illac ubi tranſiere, ſolutis, ut fit in loco anguſto, ordinibus, campus declivis aperiri coepit, qui rurſus juxta oppidum conſtringitur. Ibi cum omneis in pedes juſſiſſet deſcendere Corneus, et equos lixis cuſtodiendos tradere, ipſe progreditur, et duabus ante auroram horis oppido propinquat. Tum miſſo, qui Santacio adventum ſuum renunciaret, et ad colloquium cum Bacio invitaret, ille ſibi non eſſe integrum egredi, ceterum egregie

parata

INTERPR. [a] *Chiocciola, maiſon de' Turchi.* [b] *le marquis de Marignan.* [c] *Santa Columba.* [d] *Chiuſi.* [e] *Santaccio, lieutenant de Givocchino Guaſconi da Cutigliana della montagna di Piſtoia.* [f] *Bati Roſpiglioſi, di fazione Cancelliera.* [g] *della Cornia* [h] *Maremma.* [i] *Fregoſe, e da Montauto.* [k] *Sarteano proche de Chiuſi.* [l] *Greco.* [m] *il conte da Bagno.* [n] *Hercole della Penna.*

NOT. [1] Dele *Caſolio*: lege *Cluſio*. *Put.*

parata omnia reſpondet, et ut veniat hortatur. Igitur rurſus miſſi duo, qui cum [a] Santacio colloquendi ſpecie vultum ejus et loci faciem inſpicerent. Ii antequam admitterentur, diu morati poſtremo ad Santacium introducuntur; qui, jam nudata voluntate, cum ſignum, quod a [b] Corneo haberent edere juberentur, intentato mortis metu et laqueo producto, illi nihil minis territi ſe nullum habere et tantum ad colloquium miſſos eſſe reſponderunt; et ita retenti ſunt. Miſſus interea a Santacio, qui Corneum feſtinare juberet: cui Corneus fidem non habuit, quod ſuos minime redire videret. Itaque jam albeſcente die, cum illi non redirent, Corneus XX delectos eodem mittit, qui quid intro ageretur inſpicerent: quos ubi Santacius venire ſenſit, non amplius cunctandum aut diſſimulandum ratus, tormentum clavis ferreis ac plumbeis plenum diſplodi jubet, cujus uno ictu omnes promiſcue diſcerperentur; moxque igne de turre accenſo, ut inde ſignum noſtris daretur, Franciae nomen inclamatur, et ſcloppetis infeſtis praeſidiarii in hoſteis ejaculantur. Sero errorem ſenſit Corneus, qui locorum minime gnarus in inſidias praecipitaverat: cum enim tam firmas copias putaret adduxiſſe, ut vinci non poſſet, tandem ſe locorum anguſtiis, per quas recedentibus neceſſario tranſeundum erat, non hominum numero oppugnari animadvertit. Tamen conſilium ex neceſſitate cepit, et periculi magnitudinem virtute, quantum in ſe eſſet, ſuperare decrevit; reductoſque ſuos eodem ordine, quo venerat, ſuperatis prioribus anguſtiis, in planitie ponti ſubjecta in aciem inſtruit; qui, quod magnam partem tirones eſſent et de via ac vigilia feſſi, aegre et confuſe ſe ad pugnam comparabant. Heic magno errore a Corneo peccatum fuiſſe ſero cognitum eſt, qui pontem, per quem redeundum erat, minime ſtatione firmaverat, quem noſtri ſupervenientes occupatunt, et inde progreſſi, hoſteis initio ſe ſtrenue defendenteis, ſed qui, ubi ad laevam novas copias et equitatum noſtrorum ex colle deſcendentem videre, ſenſim ſolvi, mox et fundi coepere, adorti ſunt. Bartholomaeus, qui equitatum ducebat, homo impiger, cum non aliam ſalutis viam videret, mature in adverſos acri impetu facto per collem enititur; et ita, quamvis diſſipatis ſuis, evaſit. Baleonus vero, qui ultimum agmen ducebat, cum impetum praeſidiariorum, qui eruptionem eodem tempore fecerant, animoſe diu ſuſtinuiſſet, tandem cum parte peditatus, quae in collem evaſerat, nam equitatus noſter pontem inſederat, ſe conjungit; et, dum ibi inter primos fortiter pugnat, ſcloppeti ictu ſub auriculam ſiniſtram accepto occiſus eſt. Corneus cum idem conſilium, ſed ſerius, per adverſos noſtrorum ordines evadendi, quod Bartholomaeus et Balnei comes feliciter ſumpſerant, ſequi decreviſſet, a ſuis deſertus et equo ſuffoſſo in manus Theophili [c] Calcagnini comitis incidit. Captus et Petrus Paulus [d] Tuſingus, et ſtatim liberatus. Vix ex omni numero LXXX equites elapſi; ceteri occiſi aut capti: peditatus magnam partem caeſus; qui ſuperfuere intercluſi ſe dediderunt. Hunc exitum [e] Cluſiana expeditio habuit: de qua cum ad Julium pontificem, cujus ſororis Corneus erat filius, allatum eſſet, fertur dicterio ſe et Corneo digno, facta ad Santacii nomen, quod lingua Italica obſcurum ac nullius virtutis ſanctum ſonat, alluſione, triſtem nuncium more ſuo excepiſſe: mirari ſe nimirum, qui Corneus, qui minime veros Sanctos ac ne Deum ipſum crederet, ſe temere Santacio crediſſet, et fidem ejus promiſſis tam inconſiderate habuiſſet. Hoc caſu cum aliquantiſper interturbata eſſent hoſtium conſilia, negligentia tamen ac ſecuritate noſtrorum effectum eſt, ut tantae victoriae fructum amiſerimus: et contra Coſmi ſolertia et accurato ſtudio effectum, ut damnum illa clade acceptum pro tempore ſarciretur. Nam cum Clearchus [f] Bevagna unus ex Baleoni ducibus, cujus curae [g] Politiani cuſtodia credita fuerat, ſtatim dilabente equitum turma, quam ibi habebat, locum deſe-

INTERPR. [a] *Santaccio.* [b] *della Cornia.* [c] *Calcagnini.* [d] *Toſinghi.* [e] *de Chiuſi* [f] *da Bevagna* [g] *Monte-pulciano.*

CIƆIƆLIV.
HENRICUS II.

deſeruiſſet, Georgius[a] Interamnas, qui commodum ſub id tempus Turrita cum peditum cohorte advenerat, ſuffectus eſt, moxque miſſus Carlotus Urſinus, qui praeſidiariis praeeſſet; et Sfortiae[b] Sanfloriano, qui nuper Roma venerat, ſupremum per totam eam regionem imperium attributum. Miſſi ſtatim in[c] Clanianam vallem CIƆ Hiſpani et CXX equites cum Chapino Vitellio et Hier.[d] Albitio; qui ſumma celeritate XXXII milliaria uno die emenſi, ut repentinis motibus, qui taleis caſus ſequi conſuevere, praeverterent,[α] Civitellae ſubſtiterunt. Noſtri ad[e] Valiani pontem Clanio impoſitum caſtra poſuere: quo de fluvio locus poſtulat ut aliquid dicatur.

VII. IV ab[f] Arretio milliaribus copioſa aquarum colluvies in[g] Arnum exoneratur, quae incerto fonte diverſas in plagas per plana, prout declivius heic vel illic ſolum, modo in hanc modo in illam partem decurrit; et pars ſeptentrionem verſus, pars ad orientem tendit, et juxta[h] Urbeventum in[i] Paliae flumen delabens Tiberi abſorbetur, pleriſque locis adeo humili alveo, ut, quanquam fluat, paludis tamen potius ſpeciem quam fluminis referat; fundumque ita tenacem habet, ut vix vado tranſiri queat. Clanii nomen ei inditum eſt, unde Claniana vallis dicta, quae ab Arno ad Tiberim per LX amplius milliaria porrigitur, collibus fructiferis undique cincta: et a ſeptentrione quidem Arretium,[k] Caſtellionem[1] Florentium, et[l] Cortonam, quae Florentinae ditionis ſunt, ſpectat; ab auſtro Civitellam,[m] Marcianam et Folianum, ad quae per[n] Arni-valleis iter eſt: habet et ab ea parte[o] Lucinianum, Aſinamlongam, Sarteanum,[p] Clantianum,[q] Cluſium, Cetonam, oppida Senenſium ditionis, inter quae ac Turritam meridiem verſus[r] Politianum jacet caſtellum,[s] Angeli illius adeo eruditi viri, et poſtea[2] Marcelli Cervini, qui pontifex ſed brevis aevi creatus eſt, cunis nobile, quod ad Florentinos pertinet. Nunc illius aquae derivatione Etruriae pars ea ſumme fertilis reddita eſt, citra inundationis periculum, cujus metu Florentinos quondam legatos ad ſenatum miſiſſe Corn. Tacitus auctor eſt. Ab ortu etiam, qua pontificiam ditionem attingit, Julii Ricaſolii induſtria magno regionis emolumento noſtris temporibus deductam eam aquam conſtat; quae, ubi profundiore alveo contrahetur, pontibus ſtratis tranſmittitur, ſicuti Valliano, a caſtello, cui ſubjicitur, ita vocato, per quem Cortona et[t] Caſtellionaeo Politianum itur. Locum tunc Coſmus ab utraque ripa valido praeſidio firmaverat, quod ad Politiani ſecuritatem maximum momentum haberet. Poſtquam eum fruſtra tentavere noſtri, Politianum, quo ſe Jo. Franciſcus[u] Balnei comes a ſtrage Cluſiana receperat, tubicinem mittunt, qui regis nomine oppidum dedi poſtularet. Cum nihil ſucceſſu territos eos viderent noſtri, ad praedas verſi domum revertuntur, abductis ſecum permultis captivis, cum quibus aequabili belli jure ut ageretur, urgebat Strozzius; idque ea mente faciebat, ut Florentinos exſules, quos multos in caſtris habebat, viros alioqui ſtrenuos, ſed poenae turpis metu pericula detrectanteis, metu illo ſublato, ad rem bellicam promptiores redderet: quod a Coſmo impetrari nunquam potuit, qui in Florentinos captos tanquam perduelleis animadvertendi poteſtatem ſibi ſervavit, quantumvis Strozzius minaretur, ſe eodem jure in Hiſpanos bello captos uſurum. Protinus utrinque novi delectus habentur: et ad Coſmum quidem venit cum IƆ peditibus Jo.[x] Piſcianus, et Vidus Galianus cum CCC; venit et Leonettus[y] Corbara cum ala L equitum: qui omnes[3] trans Clanium per Politianum, Valianum et Folianum a Sanfloriano

VAR. LECT. [α] Civitellam pervenerunt, ibique ſubſtiterunt *P D o f*

INTERPR. [a] *da Terni.* [b] *il conte di Santafiore.* [c] *Val di Chiana.* [d] *de gli Albizzi.* [e] *ponte à Valiano* [f] *Arezzo.* [g] *Arno r.* [h] *Orvieto* [i] *Paglia.* [k] *Caſtiglione Fiorentino* [l] *Cortona.* [m] *Marciano e Foiano.* [n] *Valdarno* [o] *Lucignano, Aſina-lunga, Sarteano.* [p] *Chianciano.* [q] *Chiuſi, Cetona.* [r] *Montepulciano* [s] *Agnolo Politiano.* [t] *Caſtiglione.* [u] *conte da Bagno.* [x] *da Peſcia, e Guido da Gagliano* [y] *dalla Corbara.*

NOT. [1] Florentinum *Put.*

[2] Marcellus Cervinus n'eſtoit pas né à Montepulciano, mais à Fano. Sic Thuanus, lib. 15. Mais bien Ricardus Cervinus ſon pere y eſtoit né. C'eſt pourquoi je voudrois effacer ces mots, *et poſtea Marcelli Cervini, qui pontifex ſed brevis aevi creatus eſt.* *Put.*

[3] Dele *trans Clanium:* lege *Valianum, Folianum, et alia trans Clanium loca, a Sanfloriano* Sic Hadrianus, p 396 lib 10. *Put*

Sanfloriano diſtributi ſunt. Miſerat interea Strozzius unam et alteram equitum alam [a] Caſolium, ducibus [b] Seriliaco, qui nuper Parma advenerat, et [c] Mario Sanfloriano; quibus ſe comitem adjunxerat Baptiſta [d] Junius exſul Florentinus cum ccc peditibus. Caſolio [e] Colles oppidum et [f] Geminiani-fanum objectum eſt: quibus propterea ad impediendos noſtrorum conatus impoſiti Jacobus Malateſta cum ccc nuper conductis, et cum totidem [g] Bellus Forolivienſis. Tunc et remotus Politiani praefectura [h] Gorus Monte-benicenſis ob ſuſpicionem conſiliorum cum noſtris initorum; quod tamen poſtea calumnioſum compertum eſt, et ab oppidanis confictum, quibus ille ob nimiam ſeveritatem odioſus erat. In Gori locum ſuffectus eſt Jo. [i] Oradinus. Jam redierant in caſtra cIↃ Hiſpani, duce Leone [k] Sanctio, a [l] Meleniano poſt cladem Cluſianam ad firmandum limitem Arretinum miſſi; et [m] [α] Gajacius cum ala equitum. Ita aucto exercitu, Melenianus, ne nihil ageret, Chapino Vitellio, cui Germanos ac tormenta attribuerat, negotium dat, ut Belcarum III milliaribus ab urbe [n] Turaminiorum Senenſium caſtellum, quod [o] Monte-regio ex ora maritima ad urbem venientibus tranſitum dabat, vi expugnaret. Admotis tormentis, locus captus; mox et [p] Leccetum coenobium. Strozzius, qui metueret, ne ſenſim via obſeſſis ad oram maritimam praecluderetur, ad S. Marci portam haud longe ab urbe feſtinatis operibus munimentum excitaverat; nec longe rurſus hinc monaſterium Benedictinum operibus ac milite firmaverat. Eas munitiones ſibi expugnandas ratus Melenianus, antequam altius exſtruerentur, Belcaro capto, ſtatim v Eid. April. cum Vitellio et Carolo Gonzaga, III cIↃ delectis ex Germanorum, Italorum et Hiſpanorum copiis, cc equitibus ac II tormentis eo tendit. [q] Monaſterium [r] Ventura Caſtellanus cum cxx peditibus tenebat, cui cc abhinc paſſibus tumulus imminebat, a noſtris itidem munitus et propugnaculis jam aliquantulum erectis firmatus. Eum ante omnia aggrediuntur hoſtes; negotiumque datur Ferdinando [s] Saſtrio et Hier. [β] [t] Inioſae Hiſpanis ducibus, qui Coſimo militabant, ut cum cc peditibus diverſa parte impetum facerent. Succedente conatu, Bentivolius, qui cum IↃ ccc delectis Italis auxilio venerat, in vallem urbi vicinam conceſſit; in quem, capto tumulo illo, Melenianus Italos et Hiſpanos immittit, qui recedenteis noſtros inſequerentur: ipſe cum Germanis ac tormentis loco idoneo ſubſtitit, quo coenobium tenentibus nocere, et ſuis, ſi opus eſſet, praeſto eſſe poſſet: [u] Bombalinumque Arretinum cum IↃ ſclopetariis collem propinquum occupare jubet, ut, ſi per D. Marci portam a Senenſibus eruptio fieret, ſuis adeſſet, et noſtrorum impetus commodius ſuſtineret. Interea acriter a Bentivolianis et Melenianis in valle certabatur, pejore tamen noſtrorum conditione; qui tandem impares ad munimentum ex adverſo S. Marci portae exſtructum ſe recepere, quo jam Strozzius ipſe cum delecta juventute advenerat. Ubi Gallos ceſſiſſe videt Melenianus, copias omneis ad monaſterium reducit; admotiſque tormentis cum in eo eſſet, ut verberationem inciperet, partem copiarum ad alterum uno abhinc milliario coenobium, quod, ad portam Romanam urbi proximum, cc ex noſtris tenebant, repente mittit: quibus venientibus noſtri ceſſere; hoſteſque loco potiti cum praeſidio impoſito firmant. Tum denunciatione obſeſſis in coenobio facta, ut locum dederent, cum recuſarent, ſuperbo etiam dato reſponſo, pulſantur muri; et, ruina edita, Hiſpani ſtatim impetum faciunt, ſed primo repulſi ſunt. Strozzius, qui cuperet conatum impedire, cum cIↃ peditibus et equitatu, quem penes ſe habebat, aggredi hoſtium caſtra ſtatuit; praemiſſiſque aliquot equitibus, qui circuitu facto in frontem incurrerent, ipſe a tergo aggerem parat adoriri. Id neutiquam Fridericum [x] Montacutum latuit, qui caſtrorum praefectus per Meleniani abſentiam omnia adminiſtrabat.

VAR. LECT. [α] Gagazius P D. o. f. d. [β] Junioſae P D o. f. d. Ed Gen.

INTERPR. [a] *Caſoli* [b] *de Serillac.* [c] *il conte Mario di Santaſiore.* [d] *Giugni.* [e] *Colle* [f] *San Gimignano.* [g] *Bello da Forli* [h] *Gora da Monte-benichi* [i] *Oradini.* [k] *Sanſt.* [l] *le marquis de Marignan.* [m] *il conte di Cajazzo.* [n] *Turamini.* [o] *Monte-reggioni.* [p] *Lecceto.* [q] *Muniſtero* [r] *Ventura di Caſtello* [s] *Saſtre.* [t] *Ghighioſa.* [u] *Bombagline d'Arezzo* [x] *da Montauto.*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

adminiſtrabat. Is inſtructo exercitu [a] Brixium Plevenſem aggere cum ſuis egredi et ultro confligere jubet: eoque conflictu ex noſtris c, ex hoſtibus xx ſolummodo, ut ipſi ſcribunt, occidere, quos imparatos oppreſſurum ſe Strozzius ſperaverat. Hoc facto, cum nulla ſpes obſeſſis ſuppetias ferendi ſupereſſet, Ventura ad Vitellium mittit legatum ſuum, qui de deditione cum eo ageret: ille hominem ad [b] Melenianum noctu ducit; et poſt unius diei altercationem, cum nullas conditiones admitteret Melenianus, tandem noſtri arbitrio ipſius ſe permiſere: quibus vita condonata, et, ut cum enſe abire poſſent, permiſſum, fide data, intra III menſeis proximos regi non militaturos. Ita intercluſo undique Senenſibus exitu, et penſato aliquantum damno ad [c] Cluſium accepto, Melenianus in proſperi ſucceſſus ſpem certam venerat. Contra Senenſes, hoc caſu non tam territi quam periculi admoniti, [d] Thomam Veteranum ad regem mittunt, qui ipſum et Momorantium, penes quem omnia regni negotia erant, de rerum ſuarum ſtatu edoceret et auxilia flagitaret.

VIII. SUB id tempus e Gallia venere Octavius Farneſius et Ludovicus Picus [e] Mirandulanus, ut delectibus novis Gallorum vireis in Italia firmarent. Sed deerat pecunia, ſumptus tot exercitibus alendis pares regio aerario minime ferente. Qui tamen defectus, Senenſium pro libertate certantium alacritate et Florentinorum exſulum fide ſublevabatur, Roberto Strozzio Romae omne ſtudium adhibente, ut regis amicos confirmaret, et opes ſuas atque amicorum ſine modo in id prodigente. Ejus etiam opera factum eſt, atque Petri fratris in primis, ut Leo Strozzius, quem aulicorum factionibus dignitate motum Melitam ſeceſſiſſe ſupra diximus, vir ingentis animi et Coſmo ſummopere formidoloſus rurſus ad regis obſequium rediret. Huic conceſſum, ut cum XII triremibus in mari mediterraneo et per omneis portus, qui in Italia regis nomine tenebantur, ſummum imperium haberet, nec in Galliam, niſi cum vellet, venire teneretur. Has conditiones vir generoſus, necis paternae memoria adhuc oculis obverſante, facile amplexus eſt; quamvis opimiores longe ei a Jo. Vega Siciliae prorege deferrentur, ſolicitante ad id eum Omede Hiſpano ordinis Hieroſolymitani magiſtro. Igitur ille cum aliquot equitibus amicis ac pleriſque exſulibus Florentinis, relicta Melita, in Italiam venit; et ad Herculis portum ſubſtitit, locoque muniendo diligenter intendit. Eodem tempore IIↀ Germanorum ex Subalpina regione a Briſſaco ſummiſſa, et delecti Galli, ductore [f] Valerone, [g] Antipoli ſolvere, et [h] portum Herculis tenuere. Ab Algeriae quoque rege, is erat [i] Azenes Hariadeni [k] Ahenobarbi filius, impetrata claſſis, quae cum Dragute, cui a Solymano rebus Aſiaticis tunc occupato id negotii datum erat, ſe [α] conjungeret. In Corſica vero, [l] Caſtellario et Curia ab Auguſtino Spinola captis, morbo graſſante, Genuenſes militem per oppida quae tenebant diſtribuerant: indeque capta occaſione P. Strozzius Italos, qui ſub Thermo in inſula merebant, reportandos in oram Senenſem curaverat; qui cum [m] Liliorum inſulam vulgo dictam, quae [n] Amalfitani ducis eſt, praeternavigarent, turrem portui Herculis obverſam, cui praeſidium Amalfitani permiſſu a Coſmo impoſitum fuerat, cepere. Venit cum iis Sanflorianus [o] Longobardiae prior, qui regi militabat, et [p] Salerni regulus, qui inde [q] Caſtrum tendit, ut cum amicis, quos Romae et Neapoli habebat, propior conſilia agitaret. Nec ceſſabat Coſmus, delectibus paſſim imperatis, et, ut vireis regis diſtraheret, ſolicitato per Hieronymum [r] Carpenſem familiarem ſuum Octavio Farneſio, quem cum aliqua offenſione nuper ex aula rediiſſe intellexerat. Verum is, quanquam ſpes de [s] Placentia reſtituenda fieret, inſuperque ampliſſimae conditiones offerrentur, tunc temporis adſentiri noluit,

quod

VAR. LECT. [α] conjungeret: *is quippe cum L triremibus propediem expectabatur* P. D o. f.

INTERPR. [a] *Brizzio della Pieve.* [b] *le marquis de Marignan.* [c] *Chiuſi* [d] *Tomaſo del Vecchio* [e] *il conte di Mirandola.* [f] *de Valeron* [g] *Antibes.* [h] *Porto-Ercole.* [i] *Haſſan.* [k] *Barbaroſſa.* [l] *il Caſtellare e Corte.* [m] *Iſola del Giglio.* [n] *le duc d'Amalfi* [o] *Lombardie.* [p] *le prince de Salerne.* [q] *Caſtro.* [r] *da Carpi.* [s] *Piacenza.*

quod, inconſulto Alexandro cardinali fratre, quem in Gallia apud regem reliquerat, de re tanti momenti tranſigere, ac ne deliberare quidem, aut poſſe aut velle ſe diceret. Interea [a] Melenianus, qui vi non poſſet, arctius obſeſſam urbem fame premere ſtatuit; eoque conſilio hoſpitia propius diſponit: quibus tuendis cum copioſiore milite opus haberet, per Tridentini cardinalis ditionem a Nic. Madrucio ipſius fratre Coſmi rogatu delectus habiti, qui tamen ob varia impedimenta Maio menſe citius in caſtra pervenire non potuerunt. Vincentio [b] Nobili pontificis ſororis filio, qui ab eo ad Coſmum miſſus fuerat, ut de adfinitate nuper ſecum contracta gratias ageret, Coſmus, ut avunculo gratificaretur, peditatus Italici curam attribuerat, quae Aſcanio [c] Corneo tunc captivo antea commiſſa fuerat, inſuperque [d] Clanianae vallis praefecturam. [e] Sanflorianus equitatui univerſo praeerat, Chapino Vitellio equitibus veteranis, quibus Rodolfus [f] Baleonus ad [g] Cluſium occiſus imperabat, praepoſito. Fridericus [h] Montacutus caſtrorum praefecti munus eo bello obibat: et Fridericus Sabellus in Leonidae Malateſtae locum ſuffectus [i] munimentum ad portam Camolliam exſtructum initio anni occupatum cum CIƆ IƆ militibus tenebat. Carolus vero Gonzaga Meleniani legatus erat. Parte alia, Strozzius nihil non movebat, ut hoſtem ab obſidione revocaret. Joannes Bernardinus [k] Sanſeverinus Somae dux, qui in [l] Plombinenſi agro bellum gerebat, totam oram maritimam Gallicis armis hoſti infeſtam reddebat; et cum IƆ CCC profectus Burianum ceperat, et arcem obſederat: verum, ſuperveniente Alexandro [m] Bellucino Mutinenſi, cum a [n] Gavorano, quod Bellucinus oppugnare velle fingebat, metueret, iter flexit; ex eaque occaſione Bellucinus ſtatim Burianum venit, et commeatu ac recenti milite, cujus ergo venerat, firmavit; ſicque Somae ducem ab arcis obſidione omnino removit. [o] Caſolio etiam [p] Serillacus et Marius Sanflorianus continuo excurrebant; exceptumque inſidiis Dominicum [q] Rinucinum in agro Volaterrano cum CCL peditum cohorte male mulctaverant, ac poſtremo in domum obviam incluſum, occiſo Friderico [r] Eugubino comite, ad deditionem compulerant. Crebrae item inter Camolliae et munimenti ab hoſte occupati praeſidiarios velitariae pugnae fiebant, tam prope ſtationibus diſpoſitis, ut colloquentium voces utrinque exaudirentur. Cum fruſtra noſtri tentaſſent hoſtem longius ſummovere, Melenianus, locis iis, quos tenebat, ut ſibi videbatur, ſatis firmis, animum ad vicina oppida ſub poteſtatem redigenda adjecit: ac primum quidem turrem [s] Vinaliam, quae intra [t] Ovilem portam et Vieni-fanum jacet, et a ruſticis ac militibus aliquot tenebatur, aggreditur, adductis ſecum III Germanorum vexillis, IƆ Hiſpanis ac totidem Italis, majore tormento I et duobus minoribus. Ubi venit, per tubicinem dedi locum petit, extremum ſupplicium minatus, ſi expectarent dum tormenta admoverentur. Recuſantibus obſeſſis, pulſantur muri; quorum mox parte dejecta, praeſidiarii Meleniano ſe dedunt, quos ille, ea quam interminatus fuerat ſeveritate uſus, omneis in furcam egit. Id admodum Strozzii animum exulceravit; qui, cum ad contemptum ſuum rem pertinere exiſtimaret, in loco urbis editiſſimo, ubi olim arx erat, patibulum erigi et IV Hiſpanis ibidem in hoſtilis exercitus conſpectu gulam laqueo frangi juſſit: quam injuriam Hiſpani, quando in homines non poterant, immiſſo in palatia Senenſium, quae circa urbem erant et huc uſque ſervata fuerant, incendio ulti ſunt. Dein poſt animoſas illas ab utraque parte ultiones, molleſcentibus animis, humanius inter eos agi coeptum, exceptis ſemper exſulibus Florentinis, in quos ut perduelleis animadvertendi jus Coſmus ſibi ſervavit. Mox [u] Coſmae-fanum, [x] Virignani turris, [y] Sexta, Orgiale et Mons-Glacanus, loca vicina, occupata aut dedita.

INTERPR. [a] *le marquis de Marignan.* [b] *de' Nobili.* [c] *della Cornia* [d] *Val di Chiana.* [e] *il Conte di Santafiore.* [f] *Baglioni.* [g] *Chiusi.* [h] *da Montauto.* [i] *fort de Camollia.* [k] *Sanſeverino, duca di Soma.* [l] *Terra da Piombino.* [m] *Bellincini da Modena.* [n] *Gavorano.* [o] *Caſoli.* [p] *de Serillac.* [q] *Renuccini* [r] *d'Agubio.* [s] *la tour nommée il Vignale.* [t] *porta Ovile & San Vieno.* [u] *San Gusme.* [x] *Torre di Vitignano.* [y] *Seſta, Orgiale, & Montegiacani*

CIƆIƆLIV.
HENRICUS II.

dedita. [a] Ancajanum etiam, quod inter Caſolium et Mootem-regium eſt, impetu captum; ac tum primum jure belli cum iis ab Hiſpanis actum. Jamque arctius urbs obſidebatur; et novis atque adeo externis auxiliis, ut eam liberaret, ſibi opus eſſe judicabat Strozzius. Itaque, cum fruſtra ab Helvetiis rex militem in [b] Etruriam deducendum petiiſſet, quod foedere nuper renovato domus Medicea comprehenderetur, a [c] Rhaetis, quibuſcum rex ſeparatim pepigerat, quamvis cum Helvetiis ii foederati eſſent, auxilia impetravit. In [d] Ciſalpina regione et novi delectus habiti, ducibus Ludovico [e] Cariſſimo, Hadriano [f] Balcono, Camillo Martinengo, Fulvio Rangono et Octavio Tienae comite; quibus omnibus praefectus [g] Mirandulanus. [h] Senas jam cum novo milite venerant Aurelius [i] Fulgoſius, Paulus [k] Urſinus, Bonifacius [l] Cajetanus, Flaminius [m] Stabia, Urſinus et Hier. [n] Corbara; nam Bentivolius jam a longo tempore in urbe erat, et per Strozzii abſentiam rei bellicae praeerat. Quibus belli apparatibus ut in tempore praeverteret, Coſmus ad Caeſarem ſcripſerat, et mature auxilia popoſcerat; in primis autem II CIƆ Germanorum ex [o] Norico acciri petierat, praeter Madrucianos, qui propediem venturi erant: atque, ut copiis noſtris, quae jam Mirandulae et Parmae convenerant, incommodaret, cum [p] Meleniano decreverat, ut juxta urbem et in [q] Claniana valle, ex qua noſtri juvabantur, meſſis corrumperetur: idque negotii datum Vincentio [r] Nobili, qui, re confecta, in caſtra confeſtim rediret, et hoſpitium ad Romanam portam, qua ſola adire urbem et inde libere exire licebat, muniret, ut omni ex parte acceſſus ad illam praecluderetur. Interea affertur, XX triremeis [s] Maſſilia in Corſicam ad transportandum militem et praeſidiis firmandum [α] [t] Ajacium et Bonifacium navigaſſe, quae inde in Africam adverſam ad [β] Algeriae regulum tranſiturae eſſent, ut cum eo ſe Draguti ex oriente Solymani juſſu cum L triremibus brevi venturo conjungerent. Quo magis feſtinandum ſibi exiſtimavere Caeſariani: et, cum [u] Mediolano metuerent, lecta in [x] Inſubribus V CIƆ peditum, et CC equites Cremonae convenire juſſi, quibus omnibus Jo. Luna arcis Mediolanenſis praefectus cum ſummo imperio praeeſſet, et cum iis ſe Rhaetis venientibus opponeret. Novi etiam delectus habiti a Camillo [y] Columna per [z] Latium Caeſaris juſſu; et IV CIƆ peditum ex [aa] Samnio et CC levis armaturae equites evocati in agrum Peruſinum et Cortonenſem deſcenderunt, ut Coſmo, quidquid moliretur, praeſto eſſent. Nam Florentinos exſules Romae ac Venetiis regiorum miniſtrorum hortatu denuo conſpiraſſe intellexerat, et, impellente [bb] Bindo Altovito cum omni familia, pecuniam conferre, quae conducendis II CIƆ peditum et CC levis armaturae equitibus, duce Vincentio [cc] Thaddaeo, ſatis eſſet. Jamque Rhaeti a rege conſcripti in itinere erant; et, cum non ſatis mature Joannes Luna ſe iis oppoſuiſſet, in agrum [dd] Brixianum Venetae ditionis deſcenderant, atque per Mantuanum deflectentes tranſmiſſo [ee] Pado [ff] Concordiam venerant. Tres omnino viae erant, per quas inde in Etruriam perveniri poterat: una per [gg] Pontremolium, et [1] Tarrenſem vallem, quae a Caeſarianis tenebatur, et alioqui anguſtos admodum et impeditos aditus habebat, ideoque noſtris tranſitu difficilis: altera per agrum [hh] Mutinenſem et Carfinianam vallem ditionis Ferrarienſis; ſed occurrebat [ii] Sanperegrini mons in Apennino ſuperandus, unde per [kk] Caſtrum-novum [ll] Bargam ibatur, aſpero maxime et impedito itinere, et quo tormenta ſubvehi non poſſe apparebat: ad haec, omnis illa regio ſterilis eſt, et Lucenſes cum Caeſare foederati et Coſmo amici tranſitum minime conceſſuri credebantur: reſtabat

VAR. LECT. [α] Ajacium, quod Urcinum Ptolemaeo dici quidam putant, et *D.f.* [β] Algerii *P. D.o.f.*

INTERPR. [a] *Ancajano.* [b] *la Toſcane.* [c] *Griſons.* [d] *Lombardie.* [e] *de' Cariſſimi.* [f] *Baglioni.* [g] *il conte della Mirandola* [h] *Siena.* [i] *Fregoſe.* [k] *Orſino.* [l] *Gaetano.* [m] *da Stabbia.* [n] *della Corbara.* [o] *Baviere.* [p] *le marquis de Marignan.* [q] *Val di Chiana.* [r] *de' Nobili.* [s] *Marſeille.* [t] *Ajazzo & Bonifacio.* [u] *Milan.* [x] *Lombardie* [y] *Colonna.* [z] *Campagna di Roma.* [aa] *Abbruzzo.* [bb] *Bindo Altoviti.* [cc] *Taddei.* [dd] *nel Breſciano.* [ee] *le Po.* [ff] *Concordia.* [gg] *Pontriemoli, e Val di Taro* [hh] *il Modeneſe, e la Carfagnana.* [ii] *San Pellegrino* [kk] *Caſtel nuovo.* [ll] *Barga*

NOT. [1] Dele *et*: lege *per*. *Put.*

reſtabat tertia, qua per Bononienſem agrum in [a] Umbriam, ſi tranſitus concederetur, noſtri [b] Peruſiam profecturi et per [c] Cluſium Senas perventuri erant. Itaque omnem operam dabat Coſmus, ut pontifex regi tranſitum negaret: idque ab eo obtinuerat, Sanvitali cardinali eam ob cauſam a Julio [d] Bononiam ablegato, et [e] Urbini duci copiarum pontificiarum praefecto dato negotio, ut cum III CIↃ delectorum aditus ſervaret. Bargam miſſus a Coſmo M. Antonius [f] Oddus, qui regionis delectibus praeeſſet; et Prato Antonius Marius [g] Silvagius Peruſinus cum peditum cohorte impoſitus. [h] Piſtorium Symeo [i] Roſceminius et mox Nic. [k] Alidoſius, qui ex Latio cum CCL peditibus nuper venerat, miſſi, cum paulo ante Piſis cuſtodiendis [l] Conceptus Vincus Firmanus praepoſitus fuiſſet. Inde miſſi Chapinus Vitellius cum CL equitibus et III Italorum peditum vexillis [m] Clantium verſus, [n] Sanflorianus cum CIↃ IↃ Hiſpanis, et Madrucius cum totidem Germanis, qui uſque ad [o] Clanianam vallem progrederentur, ibique ſe ad corrumpendam meſſem, uti convenerat, cum Vincentio Nobili conjungerent: his ſe addidit comitem [p] Radoſius Dalmata cum L equitibus Epirotis. In itinere captum [q] Monaſterium cardinalis [r] Mignanelli caſtellum; [s] Armajolum direptum, ubi oppidani animoſe admodum ſe defenderant; [t] Rabolanum et Aſcianum ab municipibus partim dedita, partim capta, et militi in praedam conceſſa. Capta et alia loca minime munita, in quibus tamen defendendis oppidani pro Senenſium libertate devoti animoſiores quam prudentiores ſe praebuere. Tandem, relicto [u] S. Caeciliae podio, quod firmius videbatur, quam ut primo impetu capi poſſet, Sanflorianus ad [x] Folianum ſe cum [y] Nobili conjunxit. Cum inde juxta [z] Lucinianum conveniſſent, corrupta prius meſſe, et deſtructis [aa] Rugomagno, Fernetella et Scrofanio, locis ab oppidanis deſertis, Aſinamlongam adoriuntur: quae, cum praeſidiarii, qui duce Jacobo Romano locum tenebant, deditionem facere recuſarent, admotis tormentis et pulſatione facta, mox impetu capta eſt; et Romanus ipſe ad Sanflorianum perductus ejus juſſu continuo ſtrangulatur. Turrita et [bb] Clantianum ſuperabant, a quibus [cc] Politianum admodum infeſtabatur. Primo Turrita tentatur, quae a LX circiter praeſidiariis praeter oppidanos tenebatur: cumque primo reſtitiſſet, mox admotis tormentis, deſperata ſalute, praeſidiarii ſe Vincentii Nobilis arbitrio permiſere; qui et iis vitam indulſit, et locum, quem plerique deſtructum mallebant, munivit ac praeſidio firmavit. Quo facto, cum Melenianus vereretur, ne Strozzius totis viribus in caſtra milite deſtituta impetum faceret, copias revocat; tanta feſtinatione, ut non ſolum Clantianum, quod Politiani, ut ſibi admodum infeſtum, oblato milite ac pecunia expugnari poſtulaverant, tentatum non ſit, ſed copiae alia via, quam qua deſtinaverant, utpote breviori et expeditiore, redierint, et omnem regionem illam, quae ad [dd] Bonconventum pertinet, intactam reliquerint, minime ibi corrupta meſſe. In itinere Caeciliae-fanum captum, quod tamen nuper ſibi minime aggrediendum cenſuerat Sanflorianus, inter Lucinianum et urbem ſitum caſtellum, quod valde Senenſium obſeſſorum rebus poſtea [α] incommodavit. Sub id tempus Ferrarienſis cardinalis, Strozzium ſocium in imperio non ferens, Senenſium rerum curam liberam ei reliquit, et, fide a Coſmo accepta, urbe exceſſit. Cum jam in agrum Peruſinum, qui ditionis pontificiae eſt, perveniſſet, diſcurrente hoſte, Carloto Urſino duce, circumventus eſt, et, impedimentis amiſſis, vix evaſit: ſed publicam fidem violatam imploranti et pontificiam auctoritatem, nam in ejus ſolo praeda facta fuerat, ſtatim omnia reſtitura ſunt. Jamque noſtri, qui Mirandulae convenerant, per [ee] Bononienſem agrum in Lucenſem deſcenderant pontificis permiſſu, CIƆIƆLIV. HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] incommodavit. Inde in caſtra ad Melenianum pervenerunt. Sub id— P. D. o. f

INTERPR. [a] *la Romagna* [b] *Perugia* [c] *Chiuſi* [d] *Bologna* [e] *Urbino* [f] *delli Oddi.* [g] *Selvaggi da Perugia.* [h] *Piſtoia.* [i] *Roſſermini.* [k] *Alidoſi* [l] *Concetto Vinco da Fermo* [m] *Chianti.* [n] *il conte di Santafiore.* [o] *Val di Chiana.* [p] *le comte Rados de Dalmatie.* [q] *Monſtero.* [r] *Mignanello.* [s] *Armaiuolo.* [t] *Rabolano e Aſciano.* [u] *il poggio di Santa Cecilia.* [x] *Foiano.* [y] *de' Nobili* [z] *Lucignano* [aa] *Rugomagno, Farnetella, e Scrofano.* [bb] *Chianciano.* [cc] *Monte-pulciano.* [dd] *Buonconvento* [ee] *Terra di Bologna nel Luccheſe.*

permiſſu, qui factum poſtea apud Coſmum excuſavit: et erat re vera impar ad prohibendos noſtrorum conatus; et Luceoſes etiam Coſmi odio Seoenſium res occulto favore proſequebantur, quantumvis Franc. Toletanus Caeſaris nomine per Franc. Oſorium, et Coſmus per Benedictum [a] Diaectum, apud eos ſtudioſe egiſſent, ut amicitiam eum Caeſare colere et fidem ſervare vellent. Interea miſſi, qui venientibus noſtris ſe opponerent: et in dies expectabatur Joaones Luna eum II CIↃ Germanorum, qui ad [b] Areuatum-eaſtellum in agro [c] Placentioo cooſederat, et per [d] Feroniae-lueum, vulgo Petram Saoctam vocant, [e] Piſas veoturus erat. Tum Strozzius, qui cuperet cum auxiliaribus quam primum ſe conjungere, et impedire, ne hoſte medio vires regiae diſtraherentur, III Eid. Junias Seois eum IV CIↃ Italorum peditum, CCCC equitibus et C ſclopperariis equitibus, Cor. [f] Bentivolio, Aurelio [g] Fulgoſio, [h] Montacuto et aliis ducibus, prima nocte egreditur; et inter propugnaculum ad Camolliam portam exſtructum ae [i] Monaſterium facto itinere [k] Caſolium IX ab urbe milliaribus pervenit. De Strozzii profectione certior per exploratores factus Melenianus fuerar; ſed quo ille tenderet ignarus, vicina caſtella praeſidiis firmaverat, et Joanni Sabello ae Lud. [l] Doarae [m] Elſanam vallem eum CCC peditibus et L equitibus ſervandam commiſerat: Friderieo autem Doarae et [n] Balnei comiti oegotium dederat, ut noſtros perſequereotur. Coſmus item Jac. Vitellium [o] Sragia [p] Collem revocaverat, et ad [q] Caſſiani-fanum et Empolim III externorum militum cohortes miſerat, ſi forte illac impetum faceret Strozzius; qui ubi diem Caſolii ad reficiendum militem commoratus eſt, ſub veſperam iter inter [r] Geminiani-faoum et Volaterras [s] Caſtrum uſque Florentinum tota nocte cootinuat; et praedis paſſim abactis ae direpto caſtro [t] Falſitano ſub auroram [u] Pontaderam X a Piſis milliaribus Arno impoſitum eaſtellum pervenit, tanta eeleritate, ut Piſanos nec opinato adventu ſuo perculſos, ſi conſilii aliud non habuiſſet, opprimere potuiſſe creditus ſit. Dum io eo eſſet, ut vadum tranſmittendis copiis idoneum reperiret, Theophilus [x] Calcagninus comes et Gabriel Taliaferreus Parmenſis equitum ductores ab exercitu ulterius Piſas provecti, ut commodius diverſarentur, [y] Caſcinium oppidum veoerant: eujus rei certior factus per oppidanos Conceptus [z] Vineus, qui civitati cum ſummo imperio praeeтat, illue delectos mittit, qui a Caſeinienſibus adjuti ſecuros noſtros facile opprimunt et duees ipſos eapiunt. Coſmus, cognito Strozzii eooſilio, ſtatim [aa] Collenucium Paneetam Piſas praemiſerat, qui quaota maxima poſſet cogi militum copia tranſitum ooſtris impediret: ioſuper navigia omnia ſubduei mandaverat. Verum jam ad [bb] Caleinariam vadum repertum ſuerat, per quod tamen, eum pedites tranſire recuſarent, Strozzius, ut erat generoſo et induſtrio animo, primus incitaro equo in ulteriorem ripam cum parte equitatus tranſit: tum diſpoſitis in flumine denſatis aliquot equitum ordinibus, qui rapidi amnis impetum frangerent, infra eos pedirem juſſit incedere: et ita ſine damno tranſmiſſis ſuis, per ſilvis cootectum iter in Lueenſem agrum deſeendit, ut ibi Rhaetis, qui jam venerant, ſe conjungeret, conniventibus ad omnia Lueenſibus: ad quos paulo ante Ferraria illue a noſtris miſſus Nic. [cc] Franciotus Lueenſis, qui regi militabat, oon ſolum tranſitum, ſed etiam copioſum commeatum, uti rumor erar, alendo exercitui impetraverat; quem illi Provincia, quaſi in reipublicae uſum, ad [dd] Vicum regium, ditionis ſuae portum, eongerendum euraverant. Interea [ee] Melenianus, qui bellum, quod alienis ſumptibus gerebat, ſuo more libenter io longum extraheret, Coſmi diuturnitatem ejus pertaeſi expoſtulationibus victus, tandem ipſe Empolim venir, ut ibi flumen tranſiret. Jam Strozzius [ff] Altum-paſſum occupaverat, et V a Luca milliaribus effuſo exercitu inter [gg] Porcariam et Lunatam etiam [hh] Pontem-Morianum ad Auſerem amnem, vulgo [ii] Serchium, munire coeperat, eum Melenianus

ad

INTERPR. [a] *da Diaceto.* [b] *Caſtello Arquato.* [c] *Terra di Piacenza* [d] *Pietra Santa.* [e] *Piſa.* [f] *Bentivoglio.* [g] *Fregoſe.* [h] *da Montauto.* [i] *Muniſtero.* [k] *Caſoli.* [l] *da Doara* [m] *Val d'Elſa.* [n] *da Bagno.* [o] *Staggia.* [p] *Colle.* [q] *San Caſtiano, o Empoli.* [r] *San Gimignano, e Volterra.* [s] *Caſtel Fiorentino.* [t] *Caſtel Falſi* [u] *Pontadera.* [x] *Calcagnini, e Tagliaferri da Parma.* [y] *Caſcina.* [z] *Concetto Vinco.* [aa] *Colluccio Pancetta.* [bb] *Calcinaia* [cc] *Franciotti.* [dd] *Vio-reggio.* [ee] *le marquis de Marignan.* [ff] *Alto-paſcio.* [gg] *Porcari, e Lunata.* [hh] *Ponte a Moriano.* [ii] *Serchio.*

Digitized by Google

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

ad [a] Piſciam caſtra metatur, haud longe a noſtrorum caſtris; temerario conſilio, uti multis videbatur, qui, juxta hoſtem viribus ſuperiorem et pugnam appetentem tam vicina caſtra habere, minime prudentis ducis eſſe exiſtimabant; quippe qui, ſi congrederetur, periculo ingenti ſe exponeret: ſi pugnam detrectaret, ignominioſa multa pati cogeretur; quod et accidit. [b] Caroli-montem magni momenti arcem vicinam tenebat Anaſtaſius [c] Fabrianus exiguo nec admodum fido praeſidio: cum locum dedere juberetur a Corn. Bentivolio, primo recuſavit, quaſi ſe defendere in animo haberet: ſed, cum Ferdinandum [d] Saſtium eo a [e] Meleniano cum CC ſcloppetariis Hiſpanis miſſum intra arcem accipere noluiſſet, injuſſu Coſmi, ut aiebat, qui, niſi viſa teſſera arcem potentiori ſe viribus ne traderet, in mandatis habebat, poſt admota a noſtris tormenta deditionem facit. Corruptum a noſtris deditionem feciſſe cum ſcripſit Hadrianius; quod metu potius ab homine periculorum inexperto factum eſſe exiſtimaverim. Dum in eo ſunt, Rob. Strozzius, quem Petrus frater Senis reliquerat, Meleniani diſceſſu jam libera fere civitate, nam Fridericus [f] Montacutus cum CIↃ IↃ tantum Camollianam munitionem et [g] Monaſterium tenebat, cum ſuis exit, et, captis circumpoſitis caſtellis, per totam regionem excurrit. Jam [h] Rhaeti per [i] Carſinianam vallem in Lucenſem agrum pervenerant; unde cum Bargae metueret Coſmus, oppido, quod a Florentina ditione longe diſſitum et Ferrarienſi ac Lucenſi agro undique cinctum ad Apennini radices, qui [k] Galliam Ciſalpinam ab [l] Etruria dividit, praedae hoſtium expoſitum videbatur, eo Andream [m] Rondininum Faventinum cum CC peditibus et M. Antonium [n] Oddum mittit, qui oppidanis alioqui ſtrenuis cum ſummo imperio praeeſſet: cumque jam noſtri prope eſſent, Antonium [o] Buccam Piſanum [p] Fiviſano evocat, et cum II cohortibus ſubſequi jubet. Is, raptim ex vicinis caſtellis IↃ circiter eductis militibus, eorumque cura Jacobo fratri commiſſa, [q] Caſtellum uſque novum obviam noſtris procedit, ibique cum Hadriano [r] Balcono, qui primam aciem ducebat, commoditati loci ſaxis undique, utpote in montium radicibus, impediti confiſus, acriter conflixit: ſed tandem, ſupervenientibus noſtris, in vicinum montem, amiſſis impedimentis, cum ſuis ſe recepit, relato Jacobo fratre ſaucio, qui ex vulnere paulo poſt deceſſit. Id impedimento fuit, ne noſtri recta Bargam contenderent; quo ſe hoſtes a pugna cum mox contuliſſent, oppidanis animos fecerunt, ut ad defenſionem ſe comparare auderent. Itaque, [α] Raimondo [s] a Papia Furcovallio, qui auxiliareis ad Strozzium ducebat, oppidanis deditionem imperante, et libertatem ac praeclara omnia a rege pollicente, illi recuſarunt, et in Coſmi fide perſeveravere. Jamque Rhaeti, et equitatus qui Parma veniebat duce [t] Mirandulano, ad [u] Pontem-Morianum convenerant: Melenianus vero Piſciae ſubſtiterat, Carolum Gonzagam cum IV CIↃ peditum Italorum praeſtolans, quos caſtris ad urbem evocaverat, et cum iis propius Lucam progredi, ibique Joannem Lunam cum auxiliaribus venientem expectare decreverat. Poſtquam Strozzius Rhaetos ac Mirandulani equitatum accepit, [β] Altum-paſſum occupat, et non intermiſſo itinere in Leonem [x] Carpenſem incurrit, qui cum ala equitum Fabricium [y] Ferrerium [z] Feroniae lucum a Meleniano miſſum ad Joannem Lunam, ut ejus adventum acceleraret, comitabatur. Heic jam conſerta pugna, cum ſuperveniſſet Chapinus Vitellius cum LXX equitibus, et mox [aa] Sanflorianus ipſe cum reliquo equitatu, acrius certatur, donec Melenianus rei a Jo. [bb] Tegtimo

VAR. LECT. [α] Raimondo a Papia *deſunt* P. D o. ſ. d

INTERPR. [a] *Peſcia.* [b] *Monte-carlo.* [c] *da Fabbriano.* [d] *Saſtre.* [e] *le marquis de Marignan.* [f] *da Montauto.* [g] *Muniſtero.* [h] *les Griſons.* [i] *Val di Carfagnana.* [k] *Lombardie.* [l] *la Toſcane.* [m] *Rondinini da Faenza.* [n] *de gli Oddi.* [o] *Bocca.* [p] *Fivizzano.* [q] *Caſtel-nuovo.* [r] *Baglioni.* [s] *de Pavie, ſieur de Fourquevaux.* [t] *il conte di Mirandola.* [u] *Ponte à Moriano.* [x] *da Carpi.* [y] *Ferriero.* [z] *Pietra Santa.* [aa] *il conte di Santafiore.* [bb] *Tegrini.*

NOT. [β] Dele *Altum-paſſum occupat, et* Supra pag. precedente, il a dit, que Strozzius *Altum-paſſum occupaverat*: c'eſt pourquoi il faut effacer ces mots. M. de Thou a changé le ſens d'Adriani, lib. XI. « Ma lo Strozzi ſollecitando il caminar delle « genti, ſpinſe innanzi parte della cavalleria venuta « da Parma per la via d'Altopaſcio, ſeguitandola « benche molto lontano, il reſto del campo *Put.*

CIↄIↄLIV. HENRICUS II.

Tegrimo Lucenſi certior factus cum Iↄ equitibus accurrit: tum vero totis viribus confligitur; ſed, captis Paulo Sfortia Sanfloriani fratre et Carolo [a] Silioſa Hiſpano et amiſſis multis ex ſuis, cum jam acies inclinaret, mature receptui cecinit [b] Melenianus, et [c] Piſciam retro ceſſit: ubi, tumultuaria habita inter duces deliberatione, ſtatim vaſa conclamari jubet, et ſumma celeritate, quae fugae quam diſceſſui propior videbatur, [d] Piſtorium contendit, relicta etiam ſine praeſidio Sarravalle, loco admodum anguſto, per quem noſtris inſequentibus neceſſario tranſeundum erat. Sed Strozzius ſatis habuit [a] Piſciam ab hoſtibus relictam occupare: a cujus direptione militem abſtinuit, exoratus a Pandolfo [e] Martellio, cujus frater Gulielmus in caſtris noſtris erat. Spes facta fuerat Strozzio ſummittendorum ex Provincia auxiliorum, quae ad [f] Vicum regium propediem appulſura expectabat; ſieque in animum induxerat, ubi copias omneis collegiſſet, fore, ut numero ſuperior, accepto commeatu, quem Leo frater ex vicina ad portum Herculis regione undique coëgerat, hoſtem a Senarum obſidione depelleret, et annonam in urbem inferret. Qua in re pernicioſiſſimo longe errore a Strozzio peccatum eſt: nam, dum fruſtra expectat, et Piſciae haeret, interea Joannes Luna, ſolicitante [g] Leone Carpenſi, uno die XXVIII milliaria emenſus, cum II CIↄ Germanorum ac reliquo peditatu Feroniae-lucum venit; cumque in eo eſſet, ut ſe cum Meleniano conjungeret, commodum ei accidit, ut Iↄ CCC Hiſpani, quos Andreas [h] Auria Caeſaris juſſu e Corſica tunc a bello feriante tranſportabat, [i] Liburnum appellerent; quibus ſecum acceptis, Luna ad [k] Sarravallem ſe cum Meleniano tandem conjunxit, nequicquam medium interponente ſe Strozzio, qui ſpe auxiliorum diu deluſus, ubi copias hoſtium conjunctas vidit, eadem celeritate, qua venerat, Senas revertitur, tranſvadato Arno paulo infra eum locum, per quem ante ad Pontaderam tranſmiſerat. Inde ſummo mane profectus, impoſito [l] Monte-catinae arci Alexandro [m] Interamnate cum IV Italorum ſignis et [n] Monti-Caroli [o] Jaquino Vaſcone Florentino cum CCC peditibus et IV machinis campeſtribus, antequam Melenianus eum adſequeretur, in tranſmittendo Arno aliquandiu ad [p] Empolim cunctatus, [q] caſtrum Falſitanum venit. Ibi demum cum in conſpectum alter alterius, interjecta tantum valle, veniſſent, noſtri [r] Vivaldi-fanum, quo tendebat Melenianus, primi occupant; et poſt leve certamen Strozzius tandem [s] Caſolium incolumis cum ſuis pervenit. Tunc pulcherrimam occaſionem e manibus ſibi ereptam ſcribunt Caeſariani, Joannis Lunae culpa, qui CC cataphractos, totidem levis armaturae equites, II CIↄ Germanorum, Iↄ CCC Hiſpanos nuper e Corſica advectos et IV CIↄ Italorum ſecum trahens, diutius Piſis moratus, non prius caſtra movit, quam Strozzium jam Caſolium perveniſſe intellexit. Melenianus vero, ubi Strozzium elapſum vidit, praemiſſo Chapino Vitellio, qui foſſam et aggerem ad urbem ductum et milite fere nudatum, antequam noſtri impetum facerent, occuparet ac firmaret, ad coeptam obſidionem revertitur; moxque caſtella vicina a Roberto Strozzio, ſe abſente, occupata recipit. Statim et Piſcia et vicina ei regioni caſtella, quae P. Strozzius nuper in fidem acceperat, abeuntibus noſtris, ad Coſmum defecere, [t] Brancatio Oricellario praefecto omnem operam adhibente, ut terrore diſperſos huc illuc populareis colligeret, et ad officium reduceret. Interea Strozziani, qui Caſolii erant, cum ſumma rerum omnium inopia conflictabantur, adeo ut plerique milites a ſignis dilaberentur: nihilominus Florentini exſules, qui [u] Lugduni, Venetiis ac Romae erant, tantam de noſtrorum in Etruria ſucceſſibus fiduciam ceperant, ut brevi non Senarum urbem tantum ſalvam ſed et reditum in patriam opera Strozzii ſperarent. Itaque pecuniam, conſilia, operam, ſtudia ſedulo conferebant,

impulſore

VAR. LECT. [a] Piſciam Arienen *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Ghighioſa.* [b] *le marquis de Marignan.* [c] *Peſcia.* [d] *Piſtoia.* [e] *Martelli.* [f] *Vio Reggio.* [g] *Lione da Carpi.* [h] *Doria.* [i] *Livorno.* [k] *Serravalle.* [l] *Monte-catini.* [m] *da Term.* [n] *Monte-carlo.* [o] *Giovacchino Guaſconi.* [p] *Empoli.* [q] *Caſtel Falſi.* [r] *San Vivaldo.* [s] *Caſoli.* [t] *Brancaccio Rucellai.* [u] *Lyon.*

impulſore praecipuo Bindo Altoviro, ut, dum res noſtras adjuvant, Coſmi fortunam labeſactarent. Sed et pontifex, quamvis adfinitate cum Coſmo contracta, occulte regi favebat, quod Senarum, ſi obſidio ſolveretur, aliquando potiendarum ſpem animo concepiſſet: cumque ſe male habitum Averardus [a] Serriſtorius Romae Coſmi orator fruſtra apud pontificem queſtus eſſet, urbe excedere voluerat, quod neque honorificum Coſmo, ſi longiorem ibi moram faceret, neque rebus ſuis utile id futurum exiſtimaret.

IX. Eam Florentinorum exſulum alacritatem aliquantum fregit inopinata mors Leonis Strozzii, in cujus virtute ac ſolertia non minorem quam in Petro fratre fiduciam illi poſuerant. Is ingentibus ſpiritibus vir ab ineunte aetate militaribus ſtudiis innutritus, et variis terra marique expeditionibus exercitatus, tantum generoſitate et felicitate profecerat, ut jam tunc inter ſummos hujus ſaeculi duces merito haberetur: ad haec, tanta patriae charitate flagrabat, ut, cum ejus liberandae ab opibus Gallicis ſpem concepiſſet, non ſolum fidem regi conſtanter praeſtiterit, ſed etiam omnia ſibi patienda exiſtimaverit, ut voti compos evaderet, et ipſius auxilio aliquando patriae cum reliqua nobilitate proſcripta reſtitueretur. Itaque, cum indigne apud nos, ſicuti ſupra demonſtratum eſt, habitus Melitam ſe contuliſſet, ſpretis honorificis adeo a Caeſare propoſitis conditionibus, facile ſe vinci paſſus eſt, ut, diſſimulata injuria, rurſus regi militaret, et contumeliam illam, alioqui maxime omnium impatiens injuriae, amori patriae condonaret. Cum igitur ea ſpe [b] portum Herculis veniſſet, et auxilia e [c] Provincia ſummittenda jampridem illum fruſtrarentur, ne nihil interea ageret, per [d] Plombinenſem agrum omni tunc fere praeſidio nudatum excurſiones facit; et, impoſitis in III triremeis III peditum ſignis, atque evocato Somae duce, qui ſummo cum imperio [e] Groſſero et adjacenti regioni praeerat, [f] Scarlinum aggreditur, Plombinenſis ditionis caſtellum, quod LXXX circiter militum praeſidio a Petro [g] Gentili Peruſino tenebatur, alioqui neque arte neque ſitu munitum nec tormentis inſtructum. Cum, productis e triremibus III tormentis, Gentilis deditionem facere recuſaret, Leo negligenter provectus, ut locum contemplaretur, a ruſtico, qui in inſidiis poſt carectum latebat, ſcloppeto graviter in ilibus vulneratur; quo ex vulnere, in triremeis atque inde [h] Caſtellionem Piſcariae relatus, paulo poſt exſpiravit, cum vix XXXIX annum attigiſſet. Hunc exitum habuit invicti animi ac fortis induſtriae dux; qui, cum de ſe tantum hoſtibus terrorem injeciſſet, a vili homuncione in ignobilis oppidi obſidione occiſus eſt. Sic vel hoſtes de eo ſentiunt: nihil illi ad ſummam et tanta virtute dignam fortunam defuiſſe, quam animi moderationem; quem dum ad potentiorum obſequium flectere non valet, in magnas ſe difficultates induit, et indignam plerumque meritis ſuis gratiam retulit. Occiſo eo, admotis tormentis a Somae duce, praeſidiarii deditionem fecere. Nuncium fraternae necis, prout debuit, aegerrime tulit Strozzius: non propterea tamen infracti animi vir, dolore victus, ſeipſum deſeruit; ſed, cum omnium rerum inopia Caſolii laboraret, neque dum auxiliares ex Provincia copiae advenirent, conſilium ex tempore capit, et in maritimam oram commeatu abundantem deſcendere ſtatuit; in qua ſi nullum aliud operae pretium faceret, ſaltem interea exercitum aleret. Recedente ab urbis gubernaculis Ferrarienſi, cum Strozzius rebus domi foriſque gerendis unus non ſufficeret, petierat a rege, ut virum prudentia ac virtute conſpicuum deligeret, qui per ſuam abſentiam Senis cum ſummo imperio praeeſſet.

X. Ea de re in aula aliquantum altercatum fuit, Anna Momorantio magiſtro equitum Jacobum [α] [i] Bucardum virum rerum gerendarum peritum in medium proponente,

VAR. LECT. [α] Bucatum P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Serriſtori.* [b] *Porto-Ercole.* [c] *Provence.* [d] *Terra di Piombino.* [e] *Groſſeto.* [f] *Scarlino.* [g] *Gentile da Perugia.* [h] *Caſtiglione della Piſcaia.* [i] *le ſieur de Boucard.*

nente, Guiſianis contra [a] Blaſium Monlucium ingerentibus; [α] etſi Monlucius ipſe ſcribit, ſeſe, ut tantae provinciae idoneum, ab rege nominatum fuiſſe, rejectis iis, qui a Momorantio, Guiſio et Santandreano propoſiti fuerant, ducibus. Inter haec literae a Briſſaco, ſub quo Monlucius diu militaverat, venere; quibus regem monebat, ne Monlucium huic rei praeficeret, quippe hominem iracundum et tractandis civium libertati aſſuetorum ingeniis minime idoneum: quod ipſe Monlucius ſibi [β] fortaſſe blandiens in commentariis ſic interpretatur, quaſi Briſſacus regem a conſilio de ſe Senis praeficiendo dehortaretur, quod ipſius opera ad bellum Subalpinum egeret. Tandem Monlucius delectus, qui cum [γ] Antonio Iſcalino Adaemaro [b] Polinio Garda ad [c] Herculis portum ſub id tempus appulit, quo Leo Strozzius miſerabili caſu occiſus fuit. Amiſſo Scarlino, cum vereretur Coſmus, ne reliqua Plombinenſis dirionis caſtella in noſtras manus devenirent, illuc ſtatim mittit Jacobum Malateſtam et M. Antonium [d] Reatinum cum 11 peditum ſignis: [e] Campiliam vero Alexandrum [f] Bellucinum proficiſci jubet; et caſtella, quae in Volaterrano agro ſunt, Lucae Antonii [g] Cupani curae commiſit. Cumque omnis citra Politianum ager continuis noſtrorum excurſionibus infeſtaretur, ob idque oppidum ipſum in ſummo periculo eſſet, induciae factae ſunt in Quintilem et Sextilem menſeis proximos, quibus a noſtris ac Senenſibus et viciſſim a [h] Montis-Poliriani oppidanis ab armis abſtineretur. Iis comprehendi placuit et [i] Valianum cum ſuo territorio. Superabant [k] Arretium, [l] Folianum, Olivetum, Marcianum et Civitella, oppida, quae novis delectibus a Coſmo firmata ſunt. Sub id tempus copiae a Camillo [m] Columna in [n] Latio conſcriptae advenere, ducibus Pompeio Camilli filio, Honorio [o] Sabello et Pompeio Tutavilla. Mox et equitatus ex [p] Samnio a Joanne Manrice Caeſaris apud pontificem oratore deductus. Melenianus, profecto in oram maritimam Strozzio, cum nemo ſe illi opponeret, vaſtato circum agro, ad obſidionem revertitur; et inde Carolum Gonzagam cum III CIƆ Italorum tironum, et IV tormentis [q] Piſtorio a Leone [r] Ricaſolio ſuppeditatis, mittit, qui [s] Montem-catinum locum ſitu munitum, qui ab Alexandro [t] Interamnate tenebatur, obſideret. Ab ea parte, quae ortum reſpicit, verberatio facta: cumque circiter XXV paſſuum ruina edita eſſet, et ſuperarent horae tres ad occaſum, Gonzaga tamen impreſſionem in ſequentem diem diſtulir, ratus fore, ut noſtri interea de deditione agerent; quod inaudiverat Franciſcum [u] Crepacordium in oppido cum Interamnate de imperio diſſentire, et deditionem urgere; et alioqui ſuorum virtuti diffideret: ceterum id maximo errore; nam noſtri, interim reſumptis viribus, cum poſtridie impreſſio ad ruinam fieret, et diverſa parte Symeo [x] Roſerminius cum ſuis incumberet, ſumma virtute oppidum defenderunt, et hoſtem tandem repulerunt, occiſis pleriſque ac vulneratis, et in his Antonio [y] Bucca Piſano: verum, cum nulla ſpes auxiliorum praeſidiariis eſſet, et ſumma aquae penuria intus laborarent, novaque ſubſidia, [z] Balnei comite et Vincentio [aa] Rodolfo ducibus, in hoſtium caſtra veniſſent, honeſtis conditionibus fit deditio. Caſtelli moenia ſolo aequata ſunt, uti et Pontaderae, quod noſtris ſemel atque iterum receptaculum praebuiſſent. Ad [bb] Montem-Caroli, quod locus munitior eſſet, quam ut primo impetu capi poſſet, depoſita praeſidia, [cc] Petri-ſaño ac [dd] Monte-Claro Monti-Caroli oppoſito et [ee] Turcetia arce milite firmatis, ut liber tranſitus eſſet, neque a noſtris vicinus ager infeſtaretur. Interea relictis ad Camolliam portam IV CIƆ Italorum peditum, tranſmiſſo [ff] Bozonis-ponte, Melenianus

VAR. LECT. [α] etſi ſcribit Monlucius, a Momorantio, Guiſio, et Santandreano coram rege ſingulos propoſitos duces; quibus rejectis, rex ſe, ut tantae provinciae idoneum, nominaverit. Cum in eo eſſent literae P. D. o. f. d.
[β] fortaſſe *deeſt* P.
[γ] Antonio Iſcalino Adaemaro *deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Blaiſe de Montluc.* [b] *le capitaine Polin, baron de la Garde.* [c] *Porta-Ercole.* [d] *da Rieti.* [e] *Campiglia.* [f] *Bellucini.* [g] *Cuppano.* [h] *Monte-pulciano.* [i] *Valiano.* [k] *Arezzo.* [l] *Foiano, Oliveto, Marciano, e Civitella.* [m] *Colonna.* [n] *Campagna di Roma.* [o] *Savello e P. Tuttavilla.* [p] *Abbruzzo.* [q] *Piſtoia.* [r] *da Ricaſoli.* [s] *Monte-catini.* [t] *da Terni.* [u] *Crepalcuore.* [x] *Roſſermini.* [y] *Bocca.* [z] *di Bagno.* [aa] *Ridolfi.* [bb] *Monte-carlo.* [cc] *San Piero.* [dd] *Monte-Chiaro.* [ee] *Turchetto.* [ff] *ponte à Bozzone.*

[a] Melenianus ad portam Romanam, quae et nova dicitur, caſtra ponit; et, ut omnem acceſſum in urbem praecluderet, caſtella, quae inter urbem et Booconventum ſita ſunt, unde commeatus Senas importabatur, in poteſtatem redigere ſtatuit. Eoque cum II CIƆ peditum profectus [b] Cunam admotis tormentis capit. Tum [c] Monteronium et Fabiani-fanum ad primos juſſus deduntur. Jam Florentinorum exſulum auxilia convenerant ſub V vexillis, duce Vincentio [d] Thaddaeo, Roberti Strozzii ac Bindi [e] Altoviti ſumptibus; et P. Strozzius [f] Montem-Ilcini uſque iis obviam proceſſerat, acceptis omnibus copiis, ut contra Melenianum recta tenderet. Sub id quoque tempus copiae ex Gallia advenerunt, II CIƆ veteranorum Germanorum ac totidem peditum ex Delphinatu et provincia [g] Narbonenſi a noſtra claſſe et Algeriana tranſportata. Ea claſſis L fere triremibus et IV majoribus navibus inſtrumento militari et commeatu copioſo onuſtis, minoribus item aliquot navigiis conſtabat, quae citra impedimentum in [h] Plombinenſem canalem ingreſſa VII Genuenſium naveis frumento onuſtas ſine certamine interceperat, dum Andreas [i] Auria in [k] Ilva ſederet, et a Petro [l] Pacceco Neapolim evocatus, ut a Draguti ex oriente venientis impetu regni oram tueretur, ad profectionem ſe compararet. Auxiliares ad Scarlinum in terram expoſiti, R. Strozzio viae duce, cum ad P. Strozzium contenderent, et is conjunctis omnibus copiis, quae ad XII CIƆ peditum efficiebant, jam urbi propinquaret, Monteronium et Cunam nuper ab hoſte occupata caſtella recipit. Melenianus, qui nondum bene muniris ad Romanam portam caſtris merito metuebat, ne inde ab urbanis copiis inde a Strozzianis eodem tempore invaderetur, re cum Jo. Luna ac reliquis ducibus deliberata, antequam noſtri adventarent, tanta diligentia ac ſilentio caſtra movet, ut fugere potius quam abire videretur, amiſſis magna ex parte impedimentis; retroque ad Camolliam portam conceſſit: factum tamen poſtea per Chapinum Vitellium Florentiam miſſum apud Coſmum excuſavit. Mox Carolus Gonzaga, qui vicina Monti-Caroli loca inſederat, cum ſuis revocatur, in ejuſque locum Camillus Columna, qui jam Cortonam venerat, mittitur, quod is Meleniani imperio ſubeſſe nollet. Utrinque in anguſto res erant. Nam, cum Melenianus more ſuo bellum duceret, et militi, quo benevolentiam ejus ſibi conciliaret, auctor eſſet, ut juſto ſemper plura peteret, fiebat, ut exhauſto diuturna obſidione aerario Coſmus bellicis ſumptibus non ſufficeret. Strozzius vero ubi propius ad urbem venit, cum vaſtato circum agro commeatum aliunde quam ab urbe non haberet, fiebat pariter, ut urbem, quam liberandam ſuſceperat, in ſummas anguſtias praeſentia ſua redigeret: nec obſcura jam Senis murmura audiebantur. Itaque Strozzius, ad portam Romanam, unde hoſtes diſceſſerant, poſitis caſtris, luculenta ad octoviros habita oratione civium animos confirmavit, et ad patientiam hortatus in poſterum bene ſperare juſſit: in caſtris enim hoſtium diſſidere duces; et Melenianum procraſtinatione immodiciſque ſumptibus Caeſari aeque ac Coſmo gravem eſſe: Camillum Columnam ipſius imperium detrectare; Gonzagam et Carolum Urſinum aegre ei parere; quippe qui, dum gloriam omnem et utilitatem ad unum ſe trahit, ceteris belli ducibus maligne detrahat: propediem ſe contra hoſtem iturum, et proelio cum eo decretum; cujus is exitus futurus ſit, ut, ſive hoſtis vincat ſive vincatur, obſidionem continuo ſolvat. Inde Monteronium nuper receptum redit Strozzius, et urbe eductos CCCC pedites, Juſtiniano [m] Faventino et [n] Saporoſo Firmano ductoribus, [o] Bondae-fano, quod eſt coenobium [p] Monaſterio ab hoſtibus munito vicinum et paene ab iiſdem dirutum, imponit. Cum crebro tam vicinis utrinque praeſidiis pugnaretur, coenobioque illo a noſtris occupato hoſtes valde infeſtarentur, Melenianus noſtros ex eo dejicere ſtatuit. Itaque cum II CIƆ Germanorum,

INTERPR. [a] *le marquis de Marignan.* [b] *Cuna.* [c] *Monteroni & San Fabiano.* [d] *Taddei.* [e] *Altoviti.* [f] *Mont-alcino.* [g] *Languedoc.* [h] *da Piombinò.* [i] *Doria.* [k] *Elba.* [l] *Paceco.* [m] *da Faenza.* [n] *Saporoſo da Fermo.* [o] *Santa Bonda.* [p] *Munſtero.*

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

Germanorum, IↃ Hiſpanis, ac delectis Italis illuc profectus ſatis habuit primo die [a] Monaſterium novo milite firmare: poſtero cum quaſi locum obſeſſurus veniſſet, ſtatim ſuperveniente Monlucio cum Mario Sanfloriano, nam Strozzius interca diverſa parte cum [b] Lanſaco et Furcovallio ſpatiabatur, acriter dimicatum eſt; cumque hoſtis cederet, Meleniani adventu proelium reſtituitur. Noſtri ad extremum campo ope Rhaetorum accurrentium potiti ſunt, recedente Meleniano. Deſiderati ex noſtris, uti Caeſariani ſcripſere, CCCC, ac totidem ſanciati: ex hoſtibus minor numerus; nam L tantum occiſi et C vulnerati; ſed inter eos magni nominis dux Alfonſus [c] Bernalis Cananius Hiſpanus occubuit; P. Paulus [d] Toſingus, Clemens [e] Pettae comes, Fridericus [f] Firmanus et Seb. [g] Pizinardus graviter vulnerati ſunt. Scribit Monlucius eo certamine caſtra hoſtium adeo fuiſſe confuſa, ut, ſi noſtri recedentes inſecuti fuiſſent et Germani maturius adveniſſent, die illa inſignem ac plenam victoriam reportare potuerint; idque ſe a Meleniano ipſo poſtea intellexiſſe. Denuo Monaſterium novo milite firmatum eſt, [h] Bombalino Arretino eo cum delectorum cohorte introducto, qui territis hoc ſucceſſu praeſidiariis animos adderet. Cum longiore mora Strozzius Senenſibus gravis eſſe inciperet, traducto magna pompa per urbem exercitu, a Romana porta ad Ovilem caſtra transfert, Franciſcanorum coenobium verſus, quod mox a [i] Lucino Fiviſano Meleniani juſſu deſeritur: qui cum et ipſe a pecunia et commeatu laboraret, quid interea ageret, ſibi cum Coſmo conſulendum exiſtimavit. Igitur ad eum miſſus Sanflorianus, quo et Joannes Luna venit, penes quem in Italia rerum Caeſarianarum ſumma erat, ut etiam ei in conſiliis capiendis parere teneretur Melenianus. Re diſceptata, placuit, ut contra Meleniani ſententiam, qui ab obſidione diſcedere nolebat, cum toto exercitu noſtri invaderentur, ne quid interea Strozzius metu vacuus in Florentina ditione moliretur. Jam enim Joannes Manrices cum copiis Neapolitanis Cortonam venerat, quae IIICIↃ peditum circiter conficiebant; iiſque praeerat Joſephus [k] Cantelmus Popolii comes, ſicuti equitatui M. Ant. [l] Columna magnae ſpei juvenis. Itaque Melenianus, propugnaculo ad portam Camolliam extructo, impoſito Petro [m] Montio, nam F. [n] Montacutus ex morbo decubuerat, et Monaſterio Ludovici [o] Burgenſis curae commiſſo cum ſupplementis idoneis, in viam ſe dat, ut Strozzium perſequeretur, qui jam Lucinianum venerat. Ille tranſmiſſo ad pontem Arretinum [p] Clanio cum VICIↃ peditum ad [q] Arretii uſque portas excurrebat, et captis hominibus ac praedis abactis omnia ſui terrore impleverat. Urbs ipſa fruſtra tentata, Camillo Columna cum cohorte ſua et Bombalino eam defendentibus. Inde Strozzius in [r] Arni-vallem deſcendens, capta [s] Laterina ac direpta, [t] Sebini-fanum venit, quod erat ditionis Balduini pontificis fratris caſtellum, ideoque utrinque ab utriuſque copiis ſervabatur: acceptoque ab oppidanis commeatu, ad Marcianum caſtra ponit, quod mox, admotis tormentis, a Lactantio [u] Picio Burgenſi deditur. Statim et deditum [x] S. Caeciliae podium, [y] Serra et Olivetum. Inde Civitella oppugnari coepta: ſed ſuperveniente Meleniano ab obſidione diſceditur. Cum uterque exercitus haud amplius III milliaribus invicem abeſſent, crebris certaminibus pugnabatur; in iiſque Marius Sfortia Sanflorianus, dum ardentius in hoſtem invehitur, equo ſuffoſſo, ab Alexandro [z] Palogio capitur; quem dum hoſti eripere conatur [aa] Langobardiae prior frater et ipſe capitur, amboque Florentiam ducuntur. Progreſſus ulterius Strozzius poſtquam Civitellam venit, ingens inter Rhaetos ac Italos rixa orta eſt; ex illiſque cum C circiter cecidiſſent, vix tandem praeſentia ipſius ducis et periculo territi a violentia abſtinuere. Compoſito utcunque hoc motu, ad Sebini-fanum noſtri caſtra ponunt, in quod commeatus ex Luciniano ac vicinis

caſtellis

INTERPR. [a] *Muniſtero.* [b] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac; & de Pavie, ſieur de Fourquevaux.* [c] *Bernal barone di Cagnano.* [d] *Toſinghi.* [e] *Pietra.* [f] *da Fermo.* [g] *Pizzinardo.* [h] *Bombaglino d'Arezzo.* [i] *Luchino da Fivizzano.* [k] *Cantelmo, contè di Popoli.* [l] *Colonna* [m] *Pietro del Monte.* [n] *da Montauto.* [o] *Borgo.* [p] *la Chiana.* [q] *Arezzo.* [r] *Valdarno.* [s] *Laterina.* [t] *San Sevino* [u] *Picchi dal Borgo.* [x] *Poggio di Santa Cecilia.* [y] *le Serre & Oliveto.* [z] *Palagi.* [aa] *le prieur de Lombardie.*

caſtellis importabatur. Inde Strozzius cum [a] Melenianum Olivetum verſus tendere intellexiſſet, ipſe [b] Folianum expugnare ſtatuit, quo ſe Carlotus [c] Urſinus cum L circiter delectis ex [d] Umbria, qui ſub [e] Vido Galiano militabant, quantumvis diſſuadente Camillo Columna, incloſerat. Igitur, relictis circa [f] Marcianum XV vexillis, Strozzius copias eo ducit, et deditionem imperat. Cum recuſaret Carlotus, admotis tormentis ad eam partem, quae [g] Franciſci-fanum reſpicit, et edita ingenti ruina, territi praeſidiarii irruenteis noſtros non ſuſtinuere; ſed, impetu capto oppido, CLX circiter ex hoſtibus deſiderati ſunt; quorum necem mox fortuna ulta eſt, cum, diſcurrente paſſim victore et incendia huc illuc ſpargente, pulveris tormentarii apotheca ignem concepiſſet, et LX circiter ex noſtris hauſiſſet. Auxit hoſtium cladem mors Carloti, qui ſcloppeti ictu ibi, cum ſe dedere vellet, imprudenter occiſus eſt. Id tanta celeritate actum, ut Melenianus, qui ſuppetias ferre decreverat, in tempore adeſſe non potuerit. Cum hoc ei non ſucceſſiſſet, Marcianum aggredi ſtatuit, certa ſpe, ut aut brevi illud expugnaret, aut, ſi noſtri auxilio venirent, de ſumma rerum, quod unum exoptabat, certamine decerneret. Erat enim longe viribus ſuperior; quippe qui XII CIƆ peditum in caſtris haberet; treis nimirum legiones, Neapolitanam, Siculam et Corſicam; duas priores ex veterano milite, hanc ex novitio conflatam; quibus unum Hiſpanorum vexillum Coſmus addiderat, duce Franciſco [h] Olgada: II inſuper Germanorum legiones; et VI CIƆ circiter Italorum: praeterea CIƆ CC levis armaturae, et CCC cataphractos equites. Cum his copiis Marcianum venit: continuoque noſtri huc illuc diſpalati, cognito ejus adventu, colligunt ſe et in arcem recipiunt. Firmato Foliano, et inde advecto commeatu, quo locus abundabat, Strozzius, praemiſſo [i] Collatino Collalti comite, qui Marciani praeſidiarios de adventu ſuo certiores faceret, eo cum exercitu venit, tripartito ordine: in prima acie ipſe Strozzius ſtabat, cum majore equitatus parte, et II CIƆ ſcloppetariorum, quos Mirandulanus ducebat, Gallicis cohortibus utrinque latera tegentibus: in ſecunda acie Germani erant; et in poſtrema denique Rhaeti, quibus utrioque Itali conſimiliter diſpoſiti latera tegebant. Erant in noſtro exercitu omnino X vexilla Germanorum, totidem Rhaetorum, XIV Gallorum, et VI CIƆ circiter Italorum.

XI. CUM ambo exercitus ad Marcianum conſediſſent, adeo vicinis caſtris, ut ſola tantum valle dirimerentur, ſtatim acriter dimicatum eſt, alternante victoriam fortuna: nihilque ad ſummum certamen defuit, niſi quod ambo duces ſe continuerunt, et, ſummiſſis tantum per vices, qui feſſis ſuccurrerent, ſe loco non movere; tandemque, continuato VIII horas integras certamine, ſenſim appetente nocte, uterque ſe recepere. Deſiderati eo die ex noſtris, ut Caeſariani ſcribunt, CCCC; et in iis [k] Albertacius Delbenius; vulnerati Aurelius [l] Fulgoſius, Lud. [m] Cariſſimus, Vinc. [n] Thaddaeus et Saporoſus [o] Firmanus: ex hoſtibus C circiter periere; et inter eos Joan. Baptiſtae [p] Martinii equitum ducis ſignifer: ſauciati Didacus [q] Luna Joannis filius, et alii CL. Poſtridie rurſus pugnatum eſt; ſed deteriore noſtrorum conditione: quod ut animos hoſti faciebat, ita noſtrorum alacritatem haud dubie retundebat; continuaque tormentorum diſploſione fiebat, ut noſtri magnum quotidie damnum acciperent; nec in aciem educi equitatus poterat citra manifeſtum exitium, quippe cum numerati ſint intra triduum CXX equites aut equi tormentorum glandibus diſcerpti, ut plus a tormentis quam a ſcloppetis periculi eſſet. Magnis praeterea incommoditatibus utrinque conflictabantur exercitus. Nam noſtris e longinquo, atque adeo [r] Luciniano, aqua comportabatur in caſtra, in quibus unus tantum fons erat, tot haurientibus minime ſufficiens: Caeſariani aquam a [s] Clanio milliare amplius diſtante petebant, nec plerumque citra certamen: et ſub Quintilis exitum immodici aeſtus utriſque ſummopere

INTERPR. [a] *le marquis de Marignan.* [b] *Foiano* [c] *Orſino* [d] *la Romagna.* [e] *Guido da Gagliano.* [f] *Marciano.* [g] *San Franceſco.* [h] *d'Olgada.* [i] *il conte Collaltino da Collalto.* [k] *Albertaccio del Bene* [l] *Fregoſe.* [m] *de' Cariſſimi.* [n] *Taddei.* [o] *da Fermo.* [p] *Martini.* [q] *de Luna.* [r] *Lucignano.* [s] *Chiana*

mopere incommodabant. Cum dubitaret[a] Melenianus, nec prœlii aleam tentari e re eſſe cenſeret, atque ita Jo. [b] Manrici videretur, qui retro cedendum eſſe ac commodiore loco caſtra munienda exiſtimabat; ſic enim fore, ut brevi citra periculum vires noſtrae jam labore et penuria debilitatae diſſolverentur; contradixit Hieronymus[c] Albitius, qui Coſmi nomine concilio intererat; ſuaque ſententia pervicit, ne caſtra moverentur, his maxime rationibus: quod, quamvis loco incommodo caſtra haberent, iniquiore longe loco res noſtrorum eſſent, quos omnia ad victum neceſſaria deficerent, ac prope jam animus deeſſet, modo ne ipſi illis recedendo facerent: rem quippe eo deductam eſſe, ut victoriam tradere et fateri victorem adverſarium videatur, quiſquis prior receſſerit: ſuſpenſos omnium animos quaſi ad ſpectaculum ſedere; atque eos inprimis, qui neutri ſe adhuc parti addixerint, illius fortunam ſecutos, cui belli fortuna neceſſario tentanda aſpiraverit. Quibus poſtremis verbis pontificem innuebat, qui Hiſpanorum odio occulte rebus noſtris favebat, et eventum prœlii expectabat, quo manifeſtius animi motum declararet. Placuit ergo, ut, propoſitis rei difficultatibus, rurſus ad Coſmum referretur: interea ſe intra caſtra continerent, et quid noſtri molirentur expectarent. Cum Coſmus in ſententia perſtaret, atque omni ratione urgeret, ſi noſtri vim facerent, ut prœlio decerneretur, Melenianus, etſi rem non carere periculo providebat, tamen aſſenſus eſt; et, felix augurium ex proſpera Coſmi fortuna ac prudentia capiens, potius inſequendos noſtros quam retro cedendum eſſe decrevit. Strozzius igitur, qui hoſtem, quem hactenus prœlium defugiſſe videret, et nunc etiam minime tentaturum eſſe perſuaſum habebat, caſtra non movere, uti ſperaverat, cerneret, et [d] Rhaetos ob non ſoluta ſtipendia fremere intelligeret, ex eaque occaſione clam a Meleniano corruptos ad defectionem ſpectare, periculo praevertendum duxit. Quibus incommoditatibus et hoc accedebat, quod XXIV CIↃ aureorum, quae Venetiis ad ſolvenda militi ſtipendia ſummittebantur, a [e] Balnei comite in agro [f] Caeſenate pontificiae ditionis intercepta fuerant. Itaque mature diſcedere, et Lucinianum ac Folianum verſus tendere ſtatuit. Quod cum minus generoſe et honeſte noctu fieri exiſtimaret, nocte, quae IV Non. Sextil. praeceſſit, omnia impedimenta ac tormenta magno ſilentio praemittit, et ſummo mane inſtructo exercitu ſe ad profectionem comparat. Quod ubi vidit Melenianus, de re jam per exploratores factus certior, LX equites, quibus mox II CIↃ Hiſpanorum addidit, in Strozzianos vadere jubet, et noſtros per acclivia collium juga, qui Folianum ducunt, jam incedenteis conſerta pugna diſtinere, quouſque ipſe cum toto exercitu ſubſequeretur. Cum aliquanto tempore velitari pugna certatum eſſet, tandem in vallem ſpatioſam collibus ſubjectam uterque deſcendere, quae profunda foſſa ſeu aquarum undique ex vicinis montibus torrentium receptaculo dividebatur. Tum utrinque inſtructae et oppoſitae acies, foſſa illa media; quam qui prior tranſire cum peditatu aggrederetur, ejus procul dubio iniquior futura conditio eſſet. Caeſarianum exercitum in tria cornua diſtribuerat Melenianus: in quorum primo II CIↃ Hiſpanorum erant, quibus praeerat Franciſcus [g] Arius arcis Florentinae praefectus; in ſecundo IV CIↃ Germanorum ſub Nic. Madrucio; poſtremum ducebat Joſephus [h] Cantelmus Popolii comes, in quo VI CIↃ circiter peditum Italorum erant: ad latus laevum, ubi ſe campus aperiebat, incedebant CIↃ CC levis armaturae equites, ductoribus [i] Sanfloriano ac Natali [k] Nugarolo comitibus, quos proxime cataphracti ſequebantur. Melenianus ſummus dux, cum Joan. Luna, Joan. Manrice, Camillo Columna, ordines circumibat; et omneis ad fortiter pugnandum hortabatur. Strozzius in IV agmina omnem exercitum diſpoſuerat: in dextro cornu Germani, quos hinc Rhaeti inde Galli cingebant; in laevo Itali pedites erant, numero fere hoſtibus pares: ſed illi equitatu ſuperiores erant; quo et tandem vicere. Nam cum Joan. Luna et M. Antonius

INTERPR. [a] *le marquis de Marignan.* [b] *Mauriquez.* [c] *de gli Albizzi* [d] *Griſons.* [e] *di Bagno.* [f] *terreno di Ceſena* [g] *d'Aro.* [h] *Cantelmo, conte di Popoli.* [i] *il conte di Santafiore.* [k] *Nugolara.*

Antonius Columna, qui ultimum agmen ducebat, tranſmiſſa loco idoneo foſſa, in equitatum noſtrum, cui praeerat Mirandulanus, impetum feciſſent, Mirandulani ſignifer[a] [1] Bignetus nomine, incertum ignavia an a[b] Meleniano corruptus, converſo equo nec expectato hoſte, aufugit, fugaque ſua confuſos ordines ſecum traxit. Cum fruſtra proelium reſtituere omni ope eniteretur Strozzius, jam ſaucius jamque ſemel atque iterum equo dejectus, et bis equo impoſitus, ultro etiam equum proprium commodante[c] Moniacuto, ut periculo ſuo periculum ſummi ducis ſublevaret, tandem ad peditatum, in quo reliqua ſpes erat, verſus eſt; quem, utpote ab equitatu deſertum, cum fluctuantem inveniſſet, praeſentia tamen ſua effecit, ut ordines ſervaret, et frontem quaſi pugnaturus hoſti oſtentaret. Melenianus, qui jam fugato equitatu magnum operae pretium feciſſe videbatur, ne partam victoriam temeritate amitteret, cum conferto et integro adhuc peditatu noſtro minime primo ſibi congrediendum putavit; ſed diſploſis aliquoties IV campeſtribus tormentis, quae ſecum advexerat, noſtros graviter infeſtavit, eoque tandem adegit, ut tranſmiſſa foſſa cum hoſte, quamvis iniquo loco et alieno tempore, manus conſererent. Heic primo noſtri in obvios magno impetu provecti Hiſpanos aperiunt: verum, a Germanis repulſi, et in latus poſtremo incumbente hoſtili equitatu dejecti, poſt longum et obſtinatum duarum horarum proelium tandem caeſi ſunt. Caeſis noſtris, Strozzius jam ſaucius in ilibus, cum omneis generoſi ac ſtrenui ducis parteis eo certamine impleviſſet, vix tandem amicorum hortatu ſe pugnae eripuit, et cum reliquiis exercitus Lucinianum contendit. Hae clade periere ex noſtris ac praecipue Gallis, ſi Caeſarianos audias, circiter IV CIϽ; ut alii ſcribunt, II CIϽ, quod verius puto: in iis[d] Valero peditatus Gallici dux, unus ex Corn.[e] Bentivolii fratribus, et[f] Cinus Caponius Florentinus. Capti[α] [g] Raimondus a Papia Furcovallius, qui auxiliareis copias Parma adduxerat, et,[h] Rhaetorum duce initio pugnae occiſo, ipſe in ejus locum ſucceſſerat, atque in Rhaetici agminis fronte pugnans eo die conſpectus fuerat; Paulus Urſinus[i] Gajacii comes, Octavius[k] Tienae comes, et alter ex Bentivolii fratribus; ex Florentinis exſulibus Flaminius[l] Caſa, Petrus[m] Martellus,[n] Bacius Erricus, Hieron.[o] Cleardus: qui omnes cum Joan. Baptiſta Strozzio die ſuperiore capto Florentiam ad Coſmum cum C circiter ſignis miſſi ſunt. Captus et Mazinus[p] Delbenius; ſed Sanfloriani beneficio ſervatus. Joan. Bapt.[q] Altovitus, Julianus Medices et Jo. Franc.[r] Junius ad Strozzium ſe recepere. Deſiderati ex hoſtibus admodum pauci; in iis[s] [2] Mazaloſtus Caſanenſis et Seb.[t] Lilius Lucenſis ordinum ductores, ac poſtremo Gregorius Mendezius Hiſpanus ſcloppetariorum equitum dux. Mazini Delbenii conſilio Strozzium interdiu potius et in inimici exercitus conſpectu quam noctu et clam abitionem paraſſe ſcribit B.[u] Monlucius; idque maximo errore factum dicit, cum inter rei militaris peritos conſtet, quod ne Strozzius quidem ipſe maximus noſtra aetate dux ignoravit, ubi duo exercitus in conſpectum venere, utercunque illorum prior ſe recepit, cum victoriam adverſario tradere: quod et experimento mox inſigni ad[x] Quintini-fanum et nuper ad[y] Cratumnum in Andibus conſerto infelici proelio experti ſumus. Id et tunc Strozzium ſtudioſe monuerat Monlucius; ſuaſeratque, ut noctu potius quam interdiu diſcederet: ſic enim tutiorem nec propterea minus honorificum fore ejus diſceſſum; ut nec turpe olim Franciſco fuerit ad Landrecium noctu vaſa conclamaſſe, et, cum die non niſi manifeſto periculo diſcedere potuiſſet, nocte ſe recepiſſe. De

Mazino

VAR. LECT. [α] Raimondus à Papia *deſunt.* *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *le capitaine Bighet, Italien, qui portoit l'enſeigne colonelle.* [b] *le marquis de Marignan.* [c] *da Montauto.* [d] *Pierre de Vierron, ſieur de Velleron au comtat Venaiſſin.* [e] *Bentivoglio.* [f] *Gino Capponi.* [g] *Remond de Pavie, ſieur de Fourquevaux.* [h] *les Griſons.* [i] *Cajazzo* [k] *Tiene.* [l] *della Caſa.* [m] *Martelli.* [n] *Baccio Arrighi.* [o] *Ciardi.* [p] *Delbene.* [q] *Altovito.* [r] *Giugni.* [s] *Mazzaloſte da Caſcina.* ſic Adriani. [t] *Gigli Luccheſe.* [u] *Blaiſe de Montluc.* [x] *St. Quintin.* [y] *Craon en Anjou.*

NOT. [1] Biguetus *Put.* [2] Mazzatoſtus. *Put.* *L.*

CIↃIↃLIV.

HENRICUS II.

Mazino poſtea audivi, injuria id ſibi a Monlucio tribui: nam, cum ipſe apud Strozzium inſtaret, ut noctu ſe reciperet, illum, ſive quod minime rebatur hoſtem proelio dimicaturum, ſive quod honeſtius duceret interdiu diſcedere, proprio uſum conſilio praeſentis periculi aleam ſubiiſſe. Ut ut ſit, Monlucius, ubi per [a] Lecuſſanum, quem ad Strozzium miſerat, de ejus conſilio cognovit, mali, quod accidit, praeſagus, habita ad ſenatum Senenſem oratione eos periculi inſtantis ac prope certi admonuit, et, ut libertatis atque antiquae ſuorum virtutis memores nec non regis beneficiorum eſſent, ac proinde in tam generoſo et juſto propoſito conſtanter perſtarent, hortatus eſt; ordinataque per urbem militia, et comportata ex agro annona ac viritim parce diſtributa, ad extrema quaeque ſe comparent: ſic enim fore, ut hoſtium conatus impediantur, donec auxilia a rege veniant. Qua oratione effecit, ut moniti cives ad tantae cladis nuncium minus exhorreſcerent; et, quaſi jam periculo defuncti, eo diligentius ad urbis defenſionem accingerentur. Interea Strozzius, qui ſe [b] Lucinianum a pugna receperat, quamvis a ſuis deſertus, ſe non deſeruit; ſed, ut erat ingenti et invicto animo viribus colligendis et novis delectibus faciendis operam intendit: remiſſoque Senas Corn. Bentivolio cum XL equitibus, quo jam [c] Combaſſum ſtatim poſt ſtragem miſerat, ipſe et Aurelius [d] Fulgoſius itidem ſaucius [e] Montem-Ilcini delatus eſt, commiſſa Luciniani cuſtodia [f] Alto Contio, cui et ſe auxilia ſummiſſurum recepit. Melenianus tanta potitus victoria, quod rebus bene geſtis fere uſu venire ſolet, ea uti nequivit: ſed, cum dubitaret, ne Strozzius equitatu collecto, qui fere integer ex proelio diſceſſerat, rurſus impetum faceret, ſe continuit, nec niſi poſtero die Lucinianum duxit; ad cujus adventum Contius, qui oppidanis diffideret, nec in ſuorum virtute magnam ſpem haberet, ſalutis propriae magis quam Strozzii mandatorum memor, ſtatim locum deſerit; quo abeunte, oppidani extemplo claveis ad Melenianum deferunt, et portas venienti victori aperiunt. Capta inibi et in itinere tormenta, quae Strozzius praemiſerat. Indigni facti poenas poſtea luit Contius; quem Strozzius, cum ad ipſum excuſandi ſe cauſa veniſſet, mox condemnatum capite truncari, et ſigniferum item Mirandulani, qui in proelio fugae initium fecerat, comprehenſum ignominioſe in furcam agi juſſit; ſeveritate illa, fortaſſe pro tempore intempeſtiva, juſtum utcunque de clade accepta dolorem ultus. Ea clades in [1] III Non. Sextil. incidit, qui B. Stephano urbis epiſcopo ſacer eſt: in cujus rei memoriam, poſtquam III dies continuos Florentiae ſupplicationibus publica laetitia celebrata eſt, Coſmus equitum [2] collegium inſtituit: eoque plenius gaudium ex victoria cepit, quod, ſe auctore et veluti auſpice, contra Meleniani ac reliquorum ducum ſententiam tam feliciter pugnatum eſſet. Obſervatum eſt, locum certaminis vulgo Gallicidium vocari; quod augurium internecionis Gallorum victores poſt pugnam factam accepere. Ejus ſtatim perlatus ad Caeſarem nuncius, Ferdinando [g] Saſtrio a Coſmo in [h] Belgium miſſo, qui et in Angliam ad Philippum tranſiit. Is ubique, ut par erat, ſumma laetitia acceptus eſt: et Caeſar, qui tunc ad [i] Rantiacum cum rege congreſſurus ſedebat, laetari ſe ſummopere eo ſucceſſu teſtatus eſt: ac fore dixit, ut intra paucos dies eam laetitiam illuſtriore parta de Gallis victoria cumularet: ſed ſpem eam diſpar eventus fruſtratus eſt, ut jam diximus. Luciniano recepto, Melenianus poſt triduum rurſus ad obſidionem revertitur. [k] Bonconventum, Cuna, Monteronium et vicina caſtella mox venienti patuere. Ad Franciſcanorum coenobium legionem Corſicam, Siculam ad Carthuſianorum Melenianus impoſuerat: ipſe cum reliquo exercitu [l] Arbiae-ruptae, ita locum vocant, III ab urbe milliaribus, ſibi hoſpitium delegerat, in via, qua Montem-Ilcini itur. Interclusis undique aditibus et urbe arctius

INTERPR. [a] *de l'Ecuſſan.* [b] *Lucignano.* [c] *le capitaine Combas.* [d] *Fregoſe.* [e] *Montalcino.* [f] *Alto Conti.* [g] *Saſtre.* [h] *Pays-bas.* [i] *Ranty.* [k] *Buonconvento, Cuna, Monteroni.* [l] *Arbia rotta*

NOT. [1] Dele III: lege IV Non. C'eſt le ſecond jour d'Aouſt. *Put.* [2] Lege *collegium poſtea inſtituit.* Vid A D. 1560. *Put.*

arctius cincta, firmatis inſuper ad Camolliam portam et [a] Monaſterium novo milite propugnaculis, [b] Montem-Caroli ſibi ante omnia expugnandum exiſtimavit; quo jam aote miſſus fuerat [c] Sigiſmundus Roſeius comes, qui locum quidem diſpoſitis ſtationibus [1] conſtruxerat, ſed nullum aliud hactenus operae pretium fecerat. Ubi vero de [d] Marciana clade allatum eſt, [e] Jacquinus Vaſeo, qui cum aliis exſulibus Florentinis locum tenebat, poſtquam Melenianum adventare intellexit, nec ullam ſpem auxiliorum eſſe, vitae metuens, nam eum iis jure belli minime agebatur, relictis impedimentis et IV tormentis, qoae cum copiis auxiliaribus Parma advecta fuerant, et in ea arce depoſita, ſummo ſilentio diſcedit: quem, re ſerius cognita, Roſcius inſecutus paucos ex noſtris intercepit. Vaſco incolumis cum ſuis Locam pervenit. Cum vero Strozzius graviter vulneratus ad Ileioi-montem decumberet, et [f] Senis [g] Moolucius ex periculoſiſſimo morbo aegrotaret, placuit, ne res noſtrae omnioo deſerereotur, ut Laoſacus, qui poſt Monlucii adventum ad pontificem redierat, Roma evocaretur. Qui cum Ilcini-mootem veniſſet, inde ſe in pedes dedit, et, ducibus viae imperitis, ad iter noctu accinxit III Eid. Sextil. cum Theophilo [h] Calcagnino comite, qui paulo ante eum [i] Paulo Sfortia Saoſloriano a noſtris capto permutatus fuerat, a ſtationibus hoſtium interceptus, et Florentiam deductus, ubi io [k] S. Miniati arce diu poſtea aſſervatus fuit.

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

XIII. CAPTO [l] Lanſaco, et Monlucio vi morbi ingraveſcente pro mortuo habito, Strozzius vix dum ex vulnere recreatus in urbem ſibi omnino veniendum duxit: raptiſque ſecum III peditum Italorum vexillis, quorum duces erant [m] Mootacutus, [n] Claramontius, et Franciſcus [o] Urſinus, et II equitum alis, quas [p] Seriliacus ducebat, [q] Marſilii Sipetrae legatus, aſſumpto etiam Franciſco [r] Bandioo urbis praeſule, noctu profectus [s] Crevolium venit: ibi adjunctis III aliis Italorum vexillis, Senas contendit, plus C jumentis commeatu oouſtis ſubſequentibus. Conſilium fortuna comprobavit. Nam, cum in diſpoſitas ad D. Marci portam inſidias incidiſſet, ubi Jo. Baptiſta [t] Arcuenſis comes [u] Madrucii legatus cum II Germanorum vexillis collocatus fuerat, et item Hiſpani, et Hippolytus [x] Giramus cum aliquot levis armaturae equitibus, gnaviter utrinque pugoatum eſt, Strozzio nullum vel ſtrenui militis munus non obeunte. Cum ooſtri oumero vincerentur, ad arteis confugere. Forte Seriliacus plures ſecum tubas comportaverat; quibus, ubi ad manus ventum eſt, perſonantibus, cum hoſtes omnem ooſtrum equitatum adventare crederent, retroceſſere; eodemque fere tempore, ooſtris jam diſſipatis, et hoſtibus vano metu perturbatis, utrinque fugiendi initium factum eſt. Ipſe Strozzius, cum in pedes cum urbis archiepiſcopo, et Odeto [y] Silva, qui Venetiis illuc venerat, ut inde Romam ad oratoris munus obeundum Lanſaci captivi loco conteoderet, deſcendiſſet, jam albeſcente die, in Seriliacum, et ipſum quid ageret dubium, incidit; a quo cum de ſucceſſu edoctus eſſet, collectis, qui ex fuga ſupererant, ac mulis praecipue, ad urbem contendit, noo ſine ſuorum et hoſtium clade. Sed commune damnum communis laetitia ſolata eſt, dum quiſque victoria ſe potitum putat: quae tamen eo certior penes ooſtros fuit, quod ſummus dux ac ceteri proceres cum mulis ac jumeotis in urbem incolumes pervenere. Audax et juxta periculoſum facinus, quod alioqui in ſummo duce damnaretur, urbis praeſens ſtatus atque urgens neceſſitas in Strozzio excuſavit; qui raro fidei exemplo ſuum periculum, quod illi ſine gratiae ſpe a Coſmo imminebat, ſi in ipſius manus incidiſſet, reipublicae periculo poſthabuit. Ubi in urbem ventum eſt, confirmatis civium

INTERPR. [a] *Muniſtero.* [b] *Monte-carlo.* [c] *il conte Sigiſmondo de' Roſſi.* [d] *da Marciano.* [e] *Giovacchino Guaſconi.* [f] *Siena.* [g] *de Montluc.* [h] *Calcagnini.* [i] *il conte Paolo Sforza di Santafiore.* [k] *San Miniato.* [l] *de Lanſac.* [m] *da Montauto.* [n] *Chiaramonte.* [o] *Orſino.* [p] *de Serillac.* [q] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [r] *Bandino.* [s] *Crevoli.* [t] *d'Arco.* [u] *de Madruce.* [x] *Giramo.* [y] *de Selves.*

NOT. [1] Dele *conſtruxerat:* lege *obſtruxerat,* eſt pris, met *Benche vi haveſſe chiuſo tutti i paſſi,* e ou bien *undique cinxerat.* Adriani, d'où ce lieu *teneſſe quel Caſtello cinto d'aſſedio.* Put.

CIƆIƆLIV. HENRICUS II.

civium animis ſpe venturorum brevi auxiliorum, de republica ordinanda agi coepit. Creatus populo dux Claudius[a] Zuccantinus. Cum non conveniret de octoviris, penes quos rei bellicae ſumma eſt, deligendis, Aeneas Picolomineus auctor fuit, ut eorum eligendorum jus in Strozzium, Monlucium, Silvam, ac [b] Sanlucium, qui nuper eo miſſus ex aula venerat, transferretur in proximos VI menſeis; ita tamen, ut ex ſingulis IV montibus, quos vocant, ſecundum antiqua reipublicae jura ac conſuetudines, II aſſumerentur. Ab iis nominati ex ordine populari Marius Bandinus et Hieron. [c] Spanocius; ex patricio Claudius [d] Ptolomaeus et Deiphobus [e] Turaminius; ex cenſorio M. Ant. [f] Americus et Aeneas [g] Savinius; ex [1] novo P. Ant. [h] Peccius et Andreas [i] [2] Tricenius. Proſpectum et, ut ex [k] Scalano ptochotrophio pueri, foeminae ac valetudinarii exigerentur; in quorum alimoniam multa annona conſumebatur: cujus propterea adminiſtratio ordinariis miniſtris adempta, et ad tempus delectis commiſſa eſt. Dum adhuc Senis eſſet Strozzius, CC ſcloppetarii, qui cum eo venerant, [l] Capratam facto itinere, conati ſunt urbem furtim ingredi: ſed intercepti, pars in urbem irrepſere, pars capti et caeſi ſunt. Captum et ſignum Caroli Carafae, qui poſtea in cardinalium collegium cooptatus eſt. Cum Caprata, quae IV a [m] Crevolio milliaribus abeſt, multum hoſtibus incommodaret, eam expugnare aggreſſus eſt Melenianus; eoque miſſus Gabriel Serbellonus ſororis filius, cum CIƆ IƆ Hiſpanis et mediocribus duobus tormentis. Cum praeſidiarii deditionem facere recuſaſſent, verberatione dejecto muro et impetu facto, locus captus ac direptus, et defenſores omnes trucidati: pueris tantum et foeminis parcitum. Mox et in fidem accepta [n] [3] Murbum, [o] Mons-pertuſus, [p] [4] Tregauda, inter Crevolium et [q] Ilcini-montem caſtella. Interea Strozzius, jam XII dies in urbe commoratus, cum videret in dies Monlucii valetudinem confirmari, prid. Eid. Septembreis, aſſumptis CL ſcloppetariis et XXV equitibus, adducto ſecum Silva, urbis archiepiſcopo, atque Aenea Picolomineo, urbe noctu profectus, Caſolium venit; et inde mox Ilcini-montem ſe contulit. Cum vero a [r] Monte-regio et Caſolio multum damni Florentina ditio acciperet, Coſmus Melenianum urgebat, ut quacunque tandem ratione poſſet inde noſtri pellerentur: utque eum, cujus ingenium apptime noverat, magis inflammaret, Bindi Altoviti proſcripti poſſeſſiones, quae plus XX CIƆ aureorum aeſtimabantur, ei donaverat. Igitur miſſus Julius [s] Montis-veteris comes et Alexander [t] Cacia cum VII vexillis, in quibus CIƆ circiter pedites erant, et II ſignis Hiſpanorum, qui nuper ex Pannonia venerant. Ii Menzanum in itinere admodum infirmum caſtellum, cum praeſidiarii deditionem facere detrectarent, aggrediuntur; ſed irrito ſucceſſu, qui intro erant ſe gnaviter defendentibus.

XIV. INDE Montem-regium petunt, locum egregie munitum, quem Joanninus [u] Zethus a Strozzio impoſitus cum firmo praeſidio tenebat. Is ante a Meleniano tentatus ſpem dederat, ſi propius admoverentur copiae, honeſtis conditionibus deditionem facturum. Igitur habito colloquio cum Franciſco Medice nuper ad [x] Menzanum ſauciato, cum inter eos ſecreto de conditionibus conveniſſet, ex compacto admoventur VIII tormenta; editaque ruina, Concini et Jacobi [y] Tabuſſi interventu fit deditio, in has leges: ut liceret praeſidiariis cum omnibus impedimentis ac ſupellectile, ſignis explicatis, claro pulſu tympanorum, fune ſeloppetario accenſo, exire: ipſe Zethus cum ceteris exſulibus Florentinae ditioni ſubditis ac proinde proſcriptis perduellionis crimine abſolverentur, et bonis ac civitati reſtituerentur. Tradita arx cum tormentis, et in manus A. Caciae, qui Coſmi nomine aderat, conſignata. Tabuſſo arcis

INTERPR. [a] *Zuccantini* [b] *de St. Luc.* [c] *Spanocchi.* [d] *Tolomei.* [e] *Turamini.* [f] *Amerighi.* [g] *Savini.* [h] *Peci.* [i] *Tricerchi.* [k] *l'hoſpital della Scala.* [l] *Caprara.* [m] *Crevoli.* [n] *Murlo.* [o] *Monpertuſo* [p] *Treguanda.* [q] *Montalcino.* [r] *Monte-reggioni, e Caſoli.* [s] *Monte-vecchio* [t] *del Caccia.* [u] *Zeti.* [x] *Menzano* [y] *Tabuſſo.*

NOT. [1] *nono, ſeu noveno* Put. [2] *Tricerchius* Put. [3] *Morlum* Put. [4] *Treganda* Put.

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

arcis cuſtodia cum idoneo praeſidio commiſſa eſt. Strozzius, amiſſo proditione Zethi, cui alioqui plurimum fidebat, Monte-regio, cum de Caſolio, quod a Pompeio [a] Cruccio Mediolanenſi tenebatur, ſolicitus eſſet, eo Camillum Martinengum proficiſci jubet: nec majorem fidem in Cruccio, quam in Zetho expertus eſt. Nam poſtquam Melenianus, capto in itinere [b] Cluſidino caſtello, eique impoſito Ludovico [c] Doara cum ala equitum et Franciſco [d] Montacuto cum peditum cohorte, capto etiam Menzano, quo incluſus tenebatur Hier. Serbellonus ipſius ſororis filius, paulo antea captus, eo V vexilla Germanorum et totidem Hiſpanorum duxit. Admotis VI tormentis aperto muro, Crucceius ab uno ex amicis, quem Melenianus ſecum adduxerat, invitatus, accepta fide, in caſtra hoſtium venit, et a Meleniano corruptus in turpiſſimas conditiones conſenſit: quarum cum eum puderet, in oppidum ad Martinengum redire noluit: cumque ſe deſertum videret, nec, abſente Pompeio Cruccio, ejus cohorti, in qua praecipuum oppidi praeſidium erat, ſatis fideret, ipſe, imprudenter an coactus, non accepta fide, oppido exiit cum Meleniano collocuturus; a quo retentus cum poſtea in eaſdem conditiones conſenſiſſet, Germanis tamen et Hiſpanis locum non bene cuſtoditum invadentibus, oppidum omnino direptum fuit, ultro etiam vicinis ad praedam accurrentibus. Annonam, quae in eo abundans erat, Melenianus a milite vili pretio redemit, et in exercitus uſum diligenter aſſervari juſſit. Deditionem fecere mox [e] Radicondolium et [f] Guidonis-mons, vicina caſtella. Inde Carolus Gonzaga, cui orae maritimae cura commiſſa fuerat, cum Hiſpanis, quibus praeerat Ferdinandus Silva, [g] Montem-rotundum aggreditur: admotis II tormentis ac verberatione facta, cum praeſidiarii paciſci vellent, Hiſpani, qui aegre Gonzagae parebant, invito eo, conditionibus rejectis, impetum faciunt, et locum captum avare ac crudeliter diripiunt. Multa inibi annona reperta; quam Melenianus, qui poſt captum Caſolium illuc advolaverat, vili itidem pretio in uſum exercitus redemit. Impoſitus cum praeſidio Coſmi nomine Camillus [h] Landinus Volaterranus. Cum mox, veniente Gonzaga, [i] Maſſae oppidum Monti-rotundo vicinum, quod a Joanne [k] Saxatello tenebatur, ab oppidanis inſtigante Achille [l] [1] Serio deditum eſſet, remanentibus in arce noſtris, ſtatim admotis machinis, praeſidiarii paciſcuntur: iiſque noctu, ne vis ab inſolenti milite fieret, dilapſis, [m] Corvatus Peruſinus Coſmi nomine ingreſſus eſt. Capta [n] Giriſalconium, Trabale, Prata, [o] [2] Talium, caſtella: quae ſeu innato libertatis ſeu Gallici nominis amore cum crebro rebellarent, Coſmus auctor fuit, ut eorum muri ſolo aequarentur. Strozzii ex urbe diſceſſu cum res Senenſium in arcto eſſent, et vereretur Monlucius, ne praeſidiarii, qui magnam partem ex Germanis conſtabant, ac cives ipſi inedia ac ceteris obſidionis incommodis fracti tumultuarentur ac tandem deficerent, oratione apud milites habita et ſpe auxiliorum facta, eos in ſua verba denuo adegit, ſpondente pro Germanis [p] Recrodo, qui ſuos extrema quaeque pati paratos oſtendebat. Idem fecere et Senenſes; ac ſe filioſque et conjuges perituros fame potius affirmavere, quam fidem regis desererent. Poſtquam eos ob tam egregiam voluntatem laudavit Monlucius, etiam de annona parcius diſtribuenda cum iis egit; jejunium hoc, quod illis imperaretur, non animae ſolum bono, ſed etiam corpori ſalutare futurum dictitans. Inde Lecuſſanum ad regem mittit, qui eum de ſtatu rerum edoceret, et auxilia expoſceret. Miſſus cum eo ſenatus nomine [3] Bernardus [q] Boninſegnius. Interea Strozzius Groſſetum venerat, ut vicina loca praeſentia ſua firmaret; ac Portum-Herculis in primis, cui metuebat, et in quem facturum impetum rebatur hoſtem. Eo ante miſerat 10 pedites ſub Carolo Caraſa, Matthaeo

Stendardo

INTERPR. [a] *della Croce.* [b] *Chiuſdino.* [c] *da Doara.* [d] *da Montauto.* [e] *Radicodoli.* [f] *Monte-Guidi.* [g] *Monte-ritondo.* [h] *Landini di Volterra.* [i] *Maſſa.* [k] *Saſſatello.* [l] *Geri.* [m] *Corvato da Perugia* [n] *Girifalco, Travale, Prata.* [o] *Tatti.* [p] *Reckrod.* Montluc l'appelle *Recroc* [q] *Boninſegni.*

NOT. [1] Gerio *Put.* [2] Tattum *Put.* [3] Bernardinus *Put.*

CIƆIƆLIV. HENRICUS II. [a] Stendardo, Moreto Calabro et Alexandro Interamnate; qui poſt redditum Montem-catinum rurſus regi militabat. Sed in itinere a Germanis intercepti, cum primo ſuperiores fuiſſent, ſuperveniente Ludovico Doara cum cc Hiſpanis, fuſi fugatique ſunt, capto etiam Stendardo Carafae ſororis filio: captae et foeminae pleraeque ac pueri, qui Senis Groſſetum amandabantur, et in urbem rurſus compulſi ſunt.

XV. COSMUS ut novo milite urbem jam arcte cinctam arctius cingeret, a cardinali Paceco regni Neapolitani prorege militem flagitaverat: quod facile obtinuit, jam digreſſo Dragute; qui, cum ex compacto in Calabriae oram deſcendiſſet, et [b] Peſtum in ea captum diripuiſſet, mox in [c] Hadriaticum ſinum ingreſſus, nec ulla praeterea re geſta, [d] Dyrrachium conceſſerat, fruſtra urgente [e] Salernitano, ut ulterius progreſſus in Neapolis conſpectum veniret: quod ſi faceret, tumultum procul dubio in urbe excitatum iri, ac fore, ut a ſuarum partium ſociis, qui multi in ea erant, admitteretur Dragutes, et urbe ipſa potiri poſſet: quod ille omnino petenti denegavit. Cum vero de Aſcanio [f] Columna ſuſpicio exorta eſſet, quaſi a Salernitano ſollicitatus res in regno novas moliri tentaret, Philippus paulo ante Marco Antonio Aſcanii filio, qui tunc in Etruria Caeſari militabat, mandaverat et auctor fuerat, ut paterna caſtella in [g] Samnio, Pelignis ac [h] Latio occuparet: et Paceeus ipſum Aſcanium in Samnio comprehendi et in carcerem conjici curaverat. Alii et hanc cauſam, cur Aſcanius cuſtodiae mandatus ſit, tradunt; quod nimirum Salernitanum tunc in Etruria agentem, cum quo arctiſſimam colebat amicitiam, inſidiarum, quae ipſi a Caeſarianis etiam immiſſo percuſſore parabantur, in tempore monuiſſet. Ita domi foriſque tuto regno, prorex libenter Coſmo aſſenſit, et CIƆ IƆ Hiſpanos in Etruriam portandos Andreae Auriae tradidit, additis IƆ aliis, qui [i] Aphrodiſio olim impoſiti, urbe nuper Caeſaris juſſu demolita, ex Africa advenerant. Qua de re, antequam ulterius progredior, aliquid dicendum videtur.

XVI. CAPTA Tripoli, cum Caeſariani Aphrodiſio jure metuerent, ſuborta ſeditione inter praeſidiarios Hiſpanos, quod illis ſolemne eſt, multo magis timere coeperunt. Criminabantur milites, a [k] Sanctio Leva, qui in Alvari Vegae locum urbi nuper a Caeſare impoſitus fuerat, interverſa xxx menſium ſtipendia; tantoque furore bacchati ſunt, ut, Leva non ſine vitae periculo praefectura et urbe ejecto, ac depoſitis ducibus, tribunis, centurionibus, novos inſtituerint, et [1] Petrum [l] Apontium ſibi ducem ſumpſerint. Cum Leva initio per amicos milites tumultum componere omni ope connixus eſſet, poſtremo in Siciliam trajecit; et inde, cum Vegam fruſtra idem tentaſſe cerneret, Bruxellas ad Caeſarem profectus eſt, ut facti rationem redderet, et de criminibus objectis apud eum ſe purgaret. Eodem tempore Joannes [m] Falco a ſeditioſis miſſus, qui pro praeſidiariis cauſam coram Caeſare diceret. Dum de re plenius cognoſceretur, Ferdinandus [n] Acunea in Levae locum ſufficitur, poteſtate ei attributa componendi tumultus et veniae univerſis Caeſaris nomine impertiendae; cum mandatis inſuper, ut, re prius cum Joanne Paceco cardinali regni Neapolitani ac Joanne Vega Siciliae proregibus communicata, Aphrodiſium, quod non niſi magno et inutili ſumptu ſervari poſſet, et amiſſum toti Italiae ac praecipue Siciliae rebus detrimentum eſſet allaturum, ſolo aequaretur, ita ut a Turcis rurſus inſtaurari non poſſet. Interea Vega quoſdam e praeſidiariis ſibi conciliat, atque in iis Joannem Oſorium et Vegam praecipuos; per quos contraria ſeditione exorta ſeditioſos opprimit, et duces captos quam primum ad ſe in Siciliam tranſportandos curat: qui ſtatim atque in Siciliam appulerunt, arce, in qua ſub cuſtodia tenebantur, a Turcis capta, capti ipſi et remigio addicti ſunt; in iiſque Apontius Conſtantinopolim abductus, ubi miſerabiliter periit. Miſſo protinus Aphrodiſium [o] Oſorio Quinonio, alii ſeditionis rei in

Siciliam

INTERPR. [a] *Stendardo, Moretto Calavreſe, e Aleſſandro da Terni* [b] *Caſtello di Peſte.* [c] *Golfo di Venetia* [d] *Durazzo* [e] *le prince de Salerne* [f] *Colonna* [g] *Abbruzzo.* Adriani met *regno Napoletano.* [h] *Campagna di Roma.* [i] *Africa.* [k] *Sancho di Leyva.* [l] *Antonio de' Aponte* [m] *Falcon* [n] *de Acuna.* [o] *Oſorio de Quinones.*

NOT. [1] Dele *Petrum*. lege *Antonium* Sic Marmol. *Put.*

Siciliam ad proregem mittuntur, et [a] Panhormi atque aliis locis merito ſupplicio afficiuntur. Antequam de diruendo [b] Aphrodiſio mandatum exſequeretur Acunea, cum Claudio [c] Sangleo, qui nuper, defuncto Omede, Hieroſolymitani Ordinis magiſter creatus fuerat, ex Paceci et Vegae conſilio actum fuerat, an, ut olim Tripolis, ſic, amiſſa Tripoli, Aphrodiſii tutelam ſuſcipere vellent, in eamque rem XXIV CIↃ aureorum quotannis a Caeſare ex proximae Siciliae vectigalibus accipere. Ille rem ad equitum concilium refert. Miſſus interea Leo Strozzius, cui, a rerum Gallicarum adminiſtratione paulo ante remoto, triremium Melitenſium praefectura nuper commiſſa fuerat, qui urbem viſeret, et loci commoditates exploraret. Poſt ejus reditum variae inter equites dictae ſententiae: tandem vicit ea, quae ob aerarii tenuitatem et regis offenſionem, cui arctiſſimum cum Turcis initum nuper foedus ſcirent, Aphrodiſium non eſſe accipiendum cenſebat: itaque miſſi duo ex eorum numero in Belgium ad Caeſarem, qui ei gratias eo nomine agerent, et cur oppidi defenſionem ſuſcipere renuerent apud ipſum excuſarent. Caeſar et excuſationes in bonam partem accepit, et Acuneae rurſus per literas negotium dat, ut Aphrodiſium demoliretur. Ille igitur in Africam profectus, parte ſtipendiorum militi perſoluta et venia praeteritorum facta, quod juſſus erat, aggreditur, machinis prius bellicis omnibus ac munitionibus et milite in naveis impoſito, lectis etiam ducum oſſibus, quae ante quadriennium in primario urbis templo condita fuerant, ne quid reliquiarum Chriſtiani nominis in barbarorum et infidelium poteſtate remaneret. Actis igitur XXIV cuniculis, ac relictis tantum qui ignem ſubjicerent, cum cuniculi, ſigno dato, praeter unum omnes eodem tempore ignem concepiſſent, moenibus et turribus magno cum fragore dejectis, urbs munitiſſima et tota Africa, cujus vulgo nomen gerebat, florentiſſima, illuſtri terum inconſtantiae documento, diruta et, ne hoſtibus uſui eſſe poſſet, funditus everſa eſt.

XVII. [α] [d] MELENIANUS his, quas ſupra memoravi, copiis ſubnixus, cum poſt [e] Marcianam victoriam terrore nominis ſui omnia impleviſſet, noſtros, qui [f] Cluſii erant, et quos contra pactas cum [g] Politiani praeſidiariis inducias praedas agere quotidie dictitabat, non amplius ſibi ferendos exiſtimavit. Itaque Leonidas Malateſta, qui equitatui ad illas regiones deſtinato praeerat, juſſus ab eo excurſiones facere, damnum ultus eſt: ſed in reditu, cum in Hadrianum [h] Baleonum incidiſſet, male mulctatus fuit; captique a noſtris Richardus [i] [1] Mazzaloſtus, qui ſuffoſſo equo dejectus fuerat, et Antonius Marius Peruſinus peditum ductor. Poſt Maſſam captam, Gavoranum ad primam tubicinis denunciationem a legato Maherbalis Urſini deditur; locoque imponitur Jacobus Malateſta cum vexillo peditum et Alexander [k] Bellucinus cum ala equitum, contra noſtrorum, qui Scarlinum vicum tenebant, impetus ſatis firmum praeſidium. Eo Strozzius ante Carolum Carafam miſerat, qui locum muniret et tueretur. Superabat [l] Crevolium, archiepiſcopi [m] Senenſis caſtellum, quo medio ab urbe ad Ilcini-montem iter et receptus erat. Id Strozzius, quod magnum in ipſius conſervatione momentum eſſet, muniendum commiſerat [n] Julio Tiennae comiti, III peditum vexillis impoſitis. Igitur Melenianus Coſmi hortatu eo profectus eſt cum IↃ CCC Hiſpanis et II CIↃ Germanorum, relicto in caſtris Chapino Vitellio, tempore admodum incommodo, cum menſe Novembri continuis imbribus jam corruptae viae eſſent, adeo ut vix hominum viribus aut protelis boum tormenta ſubvehi potuerint. Majoribus VIII machinis et IV minoribus ad locum admotis, cum Julius deditionem facere recuſaret, poſt continuam duorum dierum verberationem pertinaciam remiſit, et ſe Meleniani tandem arbitrio permiſit. Noſtri, qui CCC erant, armis detractis, dimiſſi ſunt: Julius captus: oppidum in praedam victori ceſſit, excepta annona, quae in uſum exercitus ſervata eſt. Crevolio imponitur cum vexillo Albertus [o] Angiolinus:

atque

VAR. LECT. [α] nunc ad Melenianum revertor; qui his, quas *P D o.*

INTERPR. [a] *Palerme.* [b] *Africa.* [c] *de la Sangle.* [d] *le marquis de Marignan.* [e] *de Marciano.* [f] *Chiuſi.* [g] *Monte-pulciano.* [h] *Baglioni.* [i] *Mazzatoſto.* [k] *Bellincini.* [l] *Crevoli.* [m] *di Siena.* [n] *il conte Giulio di Tiena* [o] *Angiolino.*

NOT. [1] Mazzaroſtus *Pet.*

LIBER DECIMUS QUINTUS.

DUM in Etruria male pugnaretur, in Corſica ineunte menſe Junio [a] Cambra ordinum ductor, qui [b] Curiae arcem ſaxo fere undique praerupto impoſitam cum L circiter militibus tenebat, ſuperveniente hoſte, per poſticum fune delapſus locum vili pretio accepto hoſti prodidit: ob idque poſtea Maſſiliae comprehenſus cum X ex familiaribus ſuis, qui culpam in eum rejiciebant, in furcam actus eſt. Eam arcem Thermus recipiendam ſibi cenſens, quippe in meditullio inſulae ſitam, et qua neceſſario tranſeundum erat ad utrumvis inſulae littus tendentibus, eo cum exercitu menſe Sextili venit. Continuata uſque ad Octobris exitum obſidione, cum forte obſeſſi eruptionem feciſſent, [c] Sanpetrus Ornanus Corſus cum C ſolum militibus et aliqua inſularium ſibi amicorum manu eos non tantum fortiter ſuſtinuit, ſed, multis occiſis et CCC in fugam conjectis, C amplius cepit: eo minore tamen facti laetitia, quod vulnere in femore accepto de vita periclitatus eſt. Tandem, cum penuria aquae, quae illis locis aeſtate deſit, obſeſſi in eo eſſent, ut ſe dederent, praeſidiarii, qui [d] Baſtiae et Calvii erant, de auxilio ferendo cogitare coeperunt; coactiſque XIV vexillis, Curiam tendunt. Horum de conſilio certior factus Thermus illico ex omni exercitu CIↃ pedites deligit, ducemque illis praeficit Jacobum [e] Marium Sanflorium; totidem ex inſulanis ab Ornano, qui, licet adhuc ex vulnere infirmus, huic expeditioni intereſſe voluit, conſcripti, qui odio Genuenſium nomina dederant: cum iis et aliquot equitibus profectus Thermus, ubi hoſteis noſtrorum adventu territos retro cedere intellexit, quod ab iis non plus II milliaribus abeſſet, Simonem [f] Grandem et Motetum cum ſingulis cohortibus et aliquot equitibus praemittit, qui abeunteis a tergo inſequerentur. Sanflorius cum reliquis copiis, diverſo itinere, monte, qui per III milliaria porrectus interjacebat, circuito, per latus incumbens, ad montis radices admodum ardui, ubi Caſa-nova vicus eſt, eos adſequitur jam in altum evadenteis, anguſto adeo calle, ut ſinguli tantum incederent. Ibi noſtri, per biduum continuato itinere, hoſteis fame et labore confectos adorti, LX circiter ex iis occiſis, ceteros ad deditionem compellunt, deſiderato tamen ipſo Jacobo Mario duce: conventumque in has leges; ut, diſtributo unicuique viritim aureo, inſula excederent: antequam tamen navibus imponerentur, per obſeſſorum oculos traducti ſunt, ut, cum illi auxiliorum ſpe deſtitutos ſe cernerent, maturius deditionem facerent: quod et mox fecere, vitam et res ſalvas pacti. Curia recepta, noſtri in hyberna miſſi ſunt.

CIↃIↃLIV.
HENRICUS II.

II. IN [g] Subalpina vero regione Ferd. Gonzaga omni ſtudio [h] Valſenerae muniendae incumbebat, cui Alvarum [i] Sandacum magni nominis ducem Hiſpanum praefecerat. Tentatum interim a Biragis, ſed irrito ſucceſſu, [k] Volpianum, quod a Caeſare [l] Magio tenebatur, vigilantiſſimo duce. Jampridem Gonzaga apud Caeſarem accuſatus fuerat, quod per familiareis ſuos homines rapaciſſimos, ſpretis magiſtratibus ac reliquis Caeſaris in Italia procuratoribus, omnia adminiſtraret; quo fiebat, ut ſtipendiorum defectu ſolutior miles inſoleſceret, ac provinciae gravis eſſet; Gallorumque interea in dies potentia creſceret; nec eſſet, quam diu Gonzaga rerum in [m] Inſubribus potiretur, exhauſto aerario, unde conatibus eorum obviam iri poſſet. His accedebant alia, ad commovendum Caeſaris alioqui ſuſpicacis animum potentiſſima; majora

nempe

INTERPR. [a] *le capitaine la Chambre.* [b] *Caſtello di Corte.* [c] *Sampiero d'Ornano* [d] *la Baſtia & Calvi.* [e] *Mario di Santafiore.* Les noſtres le nomment *de Ste Fleur.* [f] *Grand, & Motet.* [g] *Piedmont.* [h] *Valſeneres.* [i] *di Saude.* [k] *Vulpiano.* [l] *Maggi.* [m] *le Milanois.*

nempe adfectare illum quam pro fide debeat; proinde in ejus manibus non bene ſupremum armorum in Italia imperium collocatum eſſe, qui Italus ſit, et foedere ſeu cognatione cum omnibus Italiae principibus ac rebus-publicis conjunctus, et qui fortaſſe, Carolo ſublato, de [a] Mediolano uſurpando cogitet: ob id illum arctiſſimam cum Veneto ſenatu et Ferrariae duce amicitiam colere: ob id Mediolanum contra omnium ſententiam muniviſſe, ut ſe adverſus arcis praeſidiarios, quam ſui juris nunc facere non poſſit, aliquando tueatur: ob id, alieno maxime tempore, pacata Italia, ut penes ſe arbitrium armorum haberet, ad bellum Parmenſe Caeſarem incitaſſe; et cum Hercule Mantuano cardinali fratre ac Ferrarienſi cognato ſtudioſe egiſſe, ut cardinalis [b] Salviatus, quem omnes ſcirent a Caeſaris partibus ſemper alienum fuiſſe, pontifex crearetur, quo hominem ſibi devinctum ad conſilia ſua exſequenda deinceps paratiorem haberet: audiri paſſim in urbe ſuorum voces illum proxima cognatione Franciſcum II Sfortiam ultimum ducem contingere dictitantium; nec carere ſuſpicione, quod vir gnavus et rebus gerendis exercitatus omnia in praeceps ruere negotia ſinat: quae omnia quo pertineant, ſerio cogitare debere Caeſarem, qui ſciat minoribus longe initiis maximos motus in Italia excitatos eſſe. Ea propter anno ſuperiore Joannes Luna arcis Mediolanenſis praefectus, ſive ſuo ſive innato Hiſpanorum contra Gonzagam odio, in aulam profectus cum [c] Atrebatenſi diligenter egerat; prolatiſque ſenatus Mediolanenſis teſtimoniis, rem ita habere perſuaſerat, cum alioqui ei ſemper antea cum Gonzaga optime conveniſſet. Haec, inſcio omnino Gonzaga, non agebantur: itaque ſaepius ille de calumniis apud Caeſarem expoſtulaverat, et, cum videret ejus animum ad adverſariorum parteis propendere, cum Philippo filio, cujus gratiam demeruiſſe ſibi videbatur, ſaepius per literas egerat, ut juſtae cauſae defenſionem apud patrem ſuſciperet: ad quas ille humaniſſime reſpondebat; et, ut parentem negotiorum mole obrutum et ſenio jam moroſiorem excuſaret, ſuum ipſius exemplum in medium proponebat, qui in Hiſpania diu longe a negotiorum procuratione relegatus fuiſſet. Eadem ſubinde ſcribebat et [d] Rodericus Gomeſius Silva cubiculariorum Philippi princeps; et, ut vicem ſuam patienter ferret, hortabatur, et interim de Philippi benevolentia eum ſecurum eſſe jubebat. Haec ſuperiore triennio ita actitata ſunt. Tandem Caeſar, qui rem diu diſſimulaverat, proſperis Gallorum in ea parte Italiae ſucceſſibus irritatior, quam toties repetitis illis querelis ac delationibus commotior, eum omnino Mediolano evocare conſtituit. Quod ut honeſtius faceret, ad Gonzagam dat literas; quibus mandabat, habere ſe magni momenti negotium, de quo agere cum ipſo velit; ac proinde jubere, ut ad ſe quam primum proficiſcatur, relicta civili adminiſtratione penes ſenatum ac magnum cancellarium, is erat Franciſcus [e] Taberna, et armorum cura penes Melenianum: qui ſi bello Senenſi occupatus venire non poſſit, eam apud Gomeſium [f] Suarem Figueroam ſuum Genuae jam a longo tempore oratorem deponat. Mox et alteras literas dat; quibus, ut omnem excuſationis cauſam praeriperet, imperabat, ut, ſi valetudine, quo minus ſe viae in equo committeret, impediretur, lectica vectus ad ſe contenderet. Is ergo, ubi nullum amplius cunctationi locum eſſe vidit, optime munita, ut ſibi videbatur, [g] Valſenera, ſub exitum Martii in viam ſe dat, poſt depoſitam adminiſtrationem, quam in ipſa felicior, quod decedenti ex provincia diſpar ſucceſſor datus, cujus comparatione olim clarum ipſius nomen, ſed ultimis annis aliquantum obſcuratum, lucem recepit. Nam Figueroa, natalibus quam virtute illuſtrior, in otio et pacis artibus inter convivia, choreas ac ſcenicas pompas educatus, haud mirum ſi nulla armorum peritia polleret; ad quam jam ſenex et effoeto voluptatibus corpore vocatus non multum profecit, niſi quod deceſſoris ſui, quantumvis odioſi, deſiderium non ſolum apud provinciales, ſed etiam apud milites, ignavia ſua excitavit. Evocato Gonzaga, miſſi

protinus

INTERPR. [a] *Milan* [b] *Salviati.* [c] *l'evêque d'Arras.* [d] *Ruy Gomez de Silva.* [e] *Taverna.* [f] *Suarez de Figueroa.* [g] *Valſeneres.*

Dum tormenta et neceſſaria ad id inſtruuntur, placuit tentari, an ſcalis noctu ex improviſo admotis res confici poſſet. Tempus condictum ad noctem, quae VIII Kalend. Januar. diem natali Chriſti dicatum, praecedit. Duobus locis irruptio facta circiter poſt primam a media nocte horam; ad arcem ab Hiſpanis et Germanis, quos ipſe [a] Melenianus ex.[b] Monaſterio deduxerat, et ad Camolliam portam a Joanne Franciſco Balnei comite cum Italis, quos ex propugnaculo adverſo ſecum ſumpſerat. Ad Camolliam excubabat cohors Gallorum peditum una, altera Senenſium in ſuburbio vicino: arcem Germani ſervabant; nec longe excubabat cohors itidem Senenſium: cumque vigilantiae Germanorum diffideret Monlucius, cum Recrodo egerat, ut, ſi quid inopinati accideret, Germani Senenſeis auxilio venienteis admitterent. Accidit vero, ut ſcalae breviores quam oporteret fabricatae eſſent; quibus cum vix eniti miles poſſet, introductis tamen ex iis aliquot, dum Germani non jam cum hoſtibus, ſed cum hoſpitibus, qui ad ſtrepitum [α] veniebant, decertant, ſtatim locum vacuum deſerunt: in quem ſuccedentes Senenſes, pro vita ac libertate fortiſſime dimicantes, hoſteis, occiſis ex iis aliquot primariis, repellunt. Ad Camolliam periculoſius certatum eſt: nam, cum tribus ex partibus impetus factus fuiſſet, Alberti [c] Papae Santalbani cohors, quae ea nocte excubabat, cuique legatus ejus praeerat, ipſe enim interea domi erat, illico fugam arripit: et IV milites, qui vicinam turrem tenebant, ut videre Camollianos praeſidiarios fugere, tres ex iis ſe demittunt, quartus manu porrecta inſilientem hoſtem excipit. Reſtabat, ut Camollia et turre occupatis, ſuburbium quoque occuparent, in quo Senenſes excubabant; qui nihil territi irruentem hoſtem fortiter ſuſtinuere, Jo. Galeacio Sanſeverino [d] Gajacii comite, qui ad portam urbis ſtabat, eorum virtutem accendente, dum Monlucius cum ſuis auxilio veniret; qui mox cum facibus ad portam urbis praeſto fuit, praemiſſo Cornel. Bentivolio, qui hoſtem jam victoria exſultantem acri conſerta pugna in Camolliam compulit. Miſſi interea ad S. Marci portam et Novam Monlucii juſſu, qui hoſtem repulſum eſſe per urbem proclamarent, eo conſilio, ut civibus animus adderetur, et, ſi qui forte eſſent, qui cum hoſte conjuraſſent, nihil moverent. Inde ad pomoerium uſque progreſſis noſtris, cum Monlucius in Santalbanum, qui accurrerat, incidiſſet, adacto ad jugulum enſe, cum per eum factum eſſe diceret, ut urbs in diſcrimine verſaretur, mortem minatur, niſi periculum periculo ſuo ſuperaret, et in Camolliam ipſe primus inſiliret. Aſſenſus ille, ſeu pudore ſeu metu, invitatis [e] Luſſano, [f] Blaccone et Combaſſo, qui aderant, primus inſilit; quem mox amici ſecuti ſunt, et cum iis XV delecti milites: Bentivolius ipſe et Gajacius ac Monlucius per portam anguſtam ac ſinuoſam vix tandem ingrediuntur, et cominus commiſſa pugna, nam ſariſſis et contis res agi tam arcto loco non poterat, hoſtem expellunt. Superabat turris, in quam [g] Chattius, vix ex vulnere in capite accepto adhuc bene curatus, Monlucii juſſu ſcala admota cum delectis inſilit, et inde hoſtem dejicit. Repulſi et qui foris in latus impetum faciebant, ſerius adventante Meleniano, qui, arce capta, ad eos venturum ſe cum Hiſpanis et Germanis promiſerat. Eo igitur poſt ſuos jam dejectos, cum ingenti facium numero, ſub tertiam a media nocte horam ſuperveniente, rurſus acriter dimicatum eſt: ſed, ſummiſſis CC ſcloppetariis, duce [h] Boninſegnio Bernardini filio, juvene ſtrenuo, qui feſſis ſuccederent, extracto in auroram uſque certamine, tandem Melenianus cum damno ſe recepit. Deſiderati ex hoſtibus aut vulnerati circiter IↃ C; ex noſtris paulo plus L. Magno errore Melenianum cum tot facibus, quibus ſe et ſuorum numerum noſtris prodebat, veniſſe ſcribit Monlucius: ſed factum excuſat idem, quod Melenianus ſuis Camollia potitis non jam dejectis ſuccurrere ſe putabat, quibus, ut ſe adverſus noſtros defenderent, lumine opus erat. Cum ſic repulſi fuiſſent hoſtes, a dolis et nocturnis inſidiis ad vim apertam ſe rurſus contulerunt. Verum haec ad ſequentem annum pertinent.

JACOBI

VAR. LECT. [α] auxilio veniebant *P.*
INTERPR. [a] *le marquis de Marignan.* [b] *Munſtero.* [c] *Pape de St. Auban.* [d] *Cajazzo.* [e] *Luſſan,* [f] *Blacons, & Combas.* [g] *le capitaine Charry.* [h] *Boninſegni.*

protinus Medlolanum Bernardus [a] Bolea, et Franc. [b] Paceeus poſtea in cardinalium collegium cooptatus, qui in eum tanquam male adminiſtratae provinciae reum inquireret: cujus actionis is exitus fuit, ut, re diligenter inveſtigata et ad Caeſarem relata, potius honeſte miſſus quam omnino abſolutus et innocens declaratus [α] ſit. Interea [c] Briſſacus, qui Valſeneram rebus ſuis multum incommodare judicaret, omnem operam dabat, ut operas interturbaret, et ad extremum ut locum commeatus penuria ſub poteſtatem redigeret. Itaque in ejus obſidione cum aliquanto tempore haeſiſſet, Figueroa, evocato [d] Magio, qui peditatui praeeſſet, et praemiſſo Jo. Guevara, qui equitatum ducebat, illoc profectus eſt. Noſtri inſidias in itinere ſtruxerant, per quas, occupatis a noſtro milite anguſtiis, neceſſario hoſti tranſeundum erat. Sed Magius homo diligens et locorum gnarus tanta celeritate uſus eſt, ut [e] Mora-Gondrinium, qui a Briſſaco ad ſervandas illas anguſtias miſſus fuerat, anteverterit. Nec multo poſt A. [f] Coſta Trinitatis comes [g] Summam-ripam occupat, III a Valſenera milliaribus; ad quam recuperandam, quod obſidentes inde multum damni acciperent, et alloqui non ita firma eſſet, Briſſacus copias confeſtim duxit: quo abſente, Sandacus praeſidio exit, et locum vicinum, qui a noſtris tenebatur, capit, occiſis ac ceteris ſecum abductis; moxque Trinitatis comes [h] Claraſco profectus pleraque jumenta ſatina onuſta Valſeneram noctu intulit; iiſque commeatus ad tolerandam obſidionem pluſculos dies ſatis fuit. Poſtea Figueroa, acceptis VICIϽ Germanorum, partim Genua miſſis poſt claſſis Turcicae diſceſſum et pugnam Marcianam, partim Tridento nuper appulſis, Hiſpanis item et Italis, qui in [i] Etruria militaverant, [k] Aſtae magnum exercitum cogit; cui impar Briſſacus tandem ob obſidione diſceſſit. Figueroa interim, ingenti carrorum numero [l] Villafrancae parato, copioſum commeatum et cetera neceſſaria Valſeneram importanda curavit. Dum ſub ſignis eſſet exercitus, aliquoties certatum eſt, noſtris Damiani-fano, [m] Polerino, ac circum vicinis locis ſaepius excuntibus. Sed dilapſo hoſte, cum exercitum collegiſſet Briſſacus, [n] Salvatoris-fanum et pleraque vicina caſtella in poteſtatem redegit. Erat tunc Figueroa cum Magio [o] Valentii, quod eſt oppidum ſitu commodum ad Padum, ſed muris admodum infirmum; Germanoſque ſecum habebat; quorum partem in urbe collocaverat, partem extra urbem juxta fluvium diſtribuerat. Inſtabat Magius, qui Briſſacum cum bellico apparatu exiiſſe ſciret, ut oppidum muniretur, et Emmanuel Luna cum Hiſpanis, quos penes ſe habebat, [p] Sartirana evocaretur. Vix alterum impetrari potuerat a ſecuro ſene, cum ſupervenit Briſſacus; ſtatimque Figueroa cum Alvaro Sandaeo et E. Luna conſilium ex tempore capit, et, ne cum oppido ſimul ignominioſe caperetur, inde copias educere conſtituit. Magius, qui provideret, poſt aliquod certamen ſuos in oppidum a noſtris compulſum iri, veritus, ne, ſi conſerti, ut fit, turmatim irruerent, inſtante hoſte, ipſi cum oppido periclitarentur, [q] Patavio Leccio ſtrenuo militi negotium dat, ut, ſi caſus ferret, duabus partibus propugnaculum, quod [r] Baſſinianum reſpicit, aperiri curaret, quo recedentes ſui ſine tumultu intro acciperentur. Ipſe, qui Caeſarianos regiis impares videret, cum delectis peditibus ex omni Germanorum, Italorum et Hiſpanorum numero in noſtros impetum facit; interimque Figueroam iniquo certamine cum noſtris conflictantem monet, ut ſe reciperet, qui bipatente porta exceptus citra periculum et tumultum in arcem rediit: Magius ſenſim cum Joanne Franciſco Sanſeverino ad ſuos ſe recepit. Cum Briſſacus poſt cruentum certamen paulum receſſiſſet, nec tamen omnino abceſſiſſet, Magii juſſu pons [s] Bormiae impoſitus a Sanſeverino reſcinditur; ductaque foſſa ex adverſo arcis, quae Emmanueli Lunae cuſtodienda data fuerat,

VAR. LECT. [α] ſit, uti deinceps videbimus. P. D. o. f.

INTERPR. [a] *di Bolea.* [b] *Pateco.* [c] *le mareſchal de Briſſac.* [d] *Maggi.* [e] *le ſieur de la Motte Gondrin.* [f] *la Coſte, comte de la Trinité.* [g] *Sommerive*, Ital. *Sommariva.* [h] *Chieraſco.* [i] *la Toſcane.* [k] *Aſti.* [l] *Villefranche.* [m] *Polerino.* [n] *San Salvadore.* [o] *Valenza.* [p] *Sartirana.* [q] *Padouano da Leccio.* [r] *Baſſignano* [s] *la Bormia.*

CIↃIↃLIV. HENRICUS II. fuerat, omnis rei conficiendae ſpes noſtris ablata eſt. Itaque Briſſaeus verſis armis quaedam minoris momenti caſtella aggreditur; et in iis [a] Spinum ac Ponzonem munita loca capit. Miſſus interea a Figueroa in [b] Lumellinam vallem et agrum Ticinenſem Franciſcus [c] Landrianus comes cum ID C circiter Germanis equitibus, qui noſtrorum, ſi illuc excurrerent, impetus prohiberet. Cum vero, noſtris jam fere univerſo [d] Linguavillae pago potitis, dubitarent Caeſariani, ne [e] Aquae-Statilienſium, quod oppidum eſt in ditione Monſerratenſi, dubiae fidei, cujuſque homines ad noſtras parteis inclinare videbantur, deficeret, eo profectus eſt Magius cum Alberici [f] Lodronii et Sanſeverini Germanorum et Italorum legionibus. Recuſantibus initio eum intra moenia accipere Aquenſibus, quod ſubiratum ad ſe Magium contendere cernerent, ille ſubito tormenta admoveri jubet: ſed Lodronii interventu res compoſita eſt, et Magius intra urbem acceptus; qui, [g] Bormia tranſmiſſo, [h] Melazenum citra ſanguinem recepit, promotiſque Ponzonem verſus caſtris, cum obvium habuiſſet [i] Carthuſium propugnaculum noſtrorum praeſidio firmatum, quod niſi caperet, magnis et inſuperabilibus in Ponzonis obſidione difficultatibus conflictaturus erat, id primum invadit; et, praeſidiariis deditionem facere detrectantibus, tormenta admovet loco paulum remotiore, quod, in ſubjecta valle, ubi id commodius fieri poſſe videbatur, tormentis collocatis, metus eſſet, ne ſupervenientes auxilio noſtri ex edito loco ruentes oppugnantibus negotium faceſſerent. Ita tandem aperto muro, Carthuſium deditum eſt, eademque opera pleraque loca infirma recepta. Reſtabat Ponzo oppidum; quod cum eſſet adortus, rem opinione majorem ſe aggreſſum ſenſit, praeſertim jam inclinata tempeſtate, et nivibus per ea loca, quae montana fere ſunt, praealtis. Itaque, re cum Lodronio et Sanſeverino deliberata, Caſalium ad Figueroam revertitur. Monuerat ſaepius Figueroam Magius, ut Caſalio proſpiceret: nam advertiſſe ſe nocte laxas et infrequenteis excubias fieri: opus eſſe majore praeſidio, tam vicinis [k] Verrucae et Montiscaſtini praeſidiis, quae a [l] Biragis vigilantiſſimis ducibus teneantur. Sed contra Figueroa cauſabatur imperium Caeſaris, urbem ſuae fidei ac cuſtodiae commiſſam nullo onere gravari mandantis. Monitus et a Magio [m] Valentii comes, dux praeſidiariis impoſitus; qui etſi periculum non diffiteretur, paucitate tamen militum ſe excuſabat, etiam adempta ſibi nuper Italorum cohorte. Cum nihil proficeret, impetrata a Figueroa miſſione, cum Jo. Guevara ad ſua revertitur, luſtrata in itinere [n] Eporedia, cui [o] Morales praeerat; quem quaſi periculi praeſagus monuit, ut ſibi proſpiceret.

III. EA urbs in faucibus [p] Graiarum et [q] Poeninarum Alpium paulo infra [r] Praetoriam Auguſtam, a qua hodie totus ille tractus vallis Auguſtana dicitur, ad [s] Duriam ſita eſt, inter horridos et inacceſſos montes. Magii monita ſuperbe neglexit Morales, cum minime Eporediae ab hoſte metuere ſe diceret, cui etiam ultro venienti occurrere paratus ſit. Sed eum mox ſuperbiae ſuae poſt Magii et Guevarae diſceſſum poenituit. Nam haud multo poſt Briſſacus ſub initium Decembris cum exercitu ſupervenit, et ad eam partem, quae Duriam reſpicit, ex adverſa fluminis ripa tormenta diſponit. Miſſi auxilio primum Andreas Corregienſis ordinum ductor, deinde a Magio [t] Carpeniae comes et Paganus ordinum ductor; quorum ille captus, hic cum majore ſuorum parte in urbem penetravit. Edita magna muri ruina, quippe qui ab illa parte valde debilis eſſet, cum Duriam vado tranſiri poſſe, quod nunquam crediderat, praeſertim media hyeme, animadvertiſſet Morales, jactantiae prioris immemor de faſtu ſuo multum remiſit, et, nullo dum a noſtris impetu facto, urbem deſerit XIX Kal. Jan. cumque ſe in arcem recepiſſet, V poſt diebus conditiones a Briſſaco oblatas accepit, magno ſuo ac gentis Hiſpanae dedecore. Id magnum momentum rebus noſtris

INTERPR. [a] *Spino & Ponzone.* [b] *la Lomelline & le territoire de Pavie.* [c] *Landriano.* [d] *le Langhe.* [e] *Aqui.* [f] *Lodrone* [g] *la Bormia* [h] *Melazeno.* [i] *Cartoſa.* [k] *Verrua & Monte-caſtino.* [l] *les Biragues,* Ital *Biraghi.* [m] *Valentia.* [n] *Ivrea.* [o] *Morales.* [p] *le petit St. Bernard & la colonne-Jou* [q] *le Grand Mont S. Bernard & le Mont-Jou.* Vid. Paradin [r] *Aoſta.* [s] *la Doire,* Ital. *la Doria.* [t] *Carpegna.*

noſtris attulit, patefacto Helvetiis auxiliaribus ab ea parte venientibus brevi ac commodo itinere, et aperta ad liberas excurſiones in [a] Inſubres et Ticinenſem agrum faciendas via. Capta [b] Epotedia, ſtatim [c] Bugiela dedita haud longe a [d] Sarno fluvio, et omnes illius tractus populares in regis verba adacti: quibus etiam, ut eorum gratiam demererentur, facta a Briſſaco gratia medii tributi, quod Caeſarianis pendebant; ſic ut pro XX CIↃ aureorum tantum X CIↃ annua in poſterum regi exſolverent. Deditum et [e] Mazinum caſtellum munitiſſimum, poſtquam biduo tormentis violenter fuiſſet pulſatum. Quod cum majora audendi animum noſtris feciſſet, ruptis a [f] Volpiani milite induciis et repulſo cum damno Trinitatis comite, qui commeatum eo inferre conabatur, Briſſacus ſub initium anni ſequentis [g] Jacobi-fanum occupat, vicum loco idoneo poſitum ad prohibendas praeſidiariorum, qui Volpianum, [h] Vercellas et Creſcentium tenebant, excurſiones. Ita vero inſtituta munitio, ut, cum loci forma quadrata eſſet, ad ſingulos angulos ſingula propugnacula erigerentur; quorum exſtruendorum cura ſingulis ducibus commiſſa eſt; qui feſtinatis operibus, cum et ipſi manum operi admoverent, in eam altitudinem illa evexerunt, quae loco vel adverſus extremos impetus tuendo ſatis eſſet, ut inſigni experimento paulo poſt patuit. Duo ex iis portam mediam, quae Eporediam ducit, claudebant; duo ex adverſo alteram portam, quae [i] Fanum-Germani ſpectat, mediam item cingebant: et, quia ſpatium porrectius quam latius erat, foſſa intro ducta, et ad foſſae latera utrinque propugnacula interiora erecta et projecti tumuli; qui propugnacula prominentia quaquaverſum aequali et apto intervallo ſpectantes, ne impetus in ea fieret, prohibebant. Productis potentiae Gallicae finibus, etiam [k] Crepacordium in agro Ticinenſi munitum caſtellum in regis poteſtatem venit. CIↃIↃLIV. HENRICUS II. CIↃIↃLV.

IV. NEC multo poſt [l] Caſalium [α] S. Evaſii ad Padum, ſic enim civitas illa, quae hodie principatus Monſerratenſis caput eſt, vocatur, opibus et nobilitate potens, cujus praecipuae familiae ſunt [β] [m] [1] Sanmartinorum et Blandratarum comitum, felici juxta atque audaci Jacobi [n] Salvaſſonis aſtu a noſtris eſt occupatum. Hic, nobili loco in [γ] [o] Petrocoriis, ſed in tenui re, natus, diu Toloſae inter eos, qui juri civili in illa celeberrima academia operam dant, gladiatoriam fecerat: unde propter indignum aliquod a ſe patratum facinus in Italiam profugerat; ubi in [p] Subalpina regione florentiſſimo tunc militaris ſcientiae emporio tantum virtute et ſolertia profecit, ut non ſolum vitae prioris infamiam elueret, ſed et ſummos honores ſub proregibus noſtris meruerit, et ei praecipue ob acrem et ſagacem diligentiam exploratorum emittendorum et examinandorum cura a Briſſaco commiſſa ſit. Cum igitur [q] Verrucae praefectus eſſet, qui locus haud longe a Caſalio abeſt, per quendam emiſſarium ſuum, [r] Fontarolam nomine, qui vendendorum olerum ſpecie frequenter illuc commeabat, et, ut genus hoc homines in utrumque parati utramque partem plerumque produnt, in Hiſpanorum familiaritatem ſeſe inſinuaverat, deque urbis ſtatu, munitionibus, ordine excubiarum, Figueroae ingenio et aliorum ducum plene edoctus, notato loco, quo admotis ſcalis commode ſubire poſſet miles, rem Briſſaco aperit, et diem VI Eid. Mart. rei perficiendae conſtituit, quo nuptiae primarii cujuſdam ex urbis nobilitate viri erant celebrandae: ſic enim judicabat, cum et alias omnia ſolute ac negligenter ibi agerentur, tum vero ea die multo ſolutius in nuptiarum ſolemnibus inter ludum et vinum tranſactum iri, ut et tutius et citra inſidiarum ſuſpicionem res confici poſſet. Quam ſuſpicionem ut omnino tolleret, ipſe ſimulato morbo medicos Caſalio

Figueroae

VAR LECT. [α] Vadaſti *P D. o. f. d.* [γ] Cadurcis *D. o.*
[β] Sangermanorum *P D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *le Milanois & le territoire de Pavie* [b] *Ivrea* [c] *Biele,* Ital *la Biella.* [d] *Sarno* [e] *Mazino.* [f] *Vulpiano.* [g] *Santjà en Piedmont.* [h] *Vercelli & Creſcentino.* [i] *San Germano.* [k] *Crepacuore au territoire de Pavie.* [l] *Caſale S. Vaz ſur le Po.* [m] *di San Martino & Biandrata.* [n] *Salvaiſon.* [o] *Perigort.* [p] *Piedmont.* [q] *Verrua.* [r] *Fontarole.*

NOT. [1] *Sanmartinorum.* Paradin met *S. Georges* au lieu de *S. Martin.* Put

Digitized by Google

CIƆIƆLV. HENRICUS II.

Figueroae permiſſu evocandos curaverat; qui ubi Verrucam ſub veſperam advenere, eos, quaſi ſe ad quietem compoſuiſſet, honorifice in diverſorium deduci et diem craſtinum expectare juſſit; ſtatimque, cum circiter ꝺ ccc delectis a [a] Briſſaco, ad [b] Jacobi-fanum muniendum tunc forte occupato, ſummiſſis, quos ipſe Briſſacus cum reliquis copiis ſubſecuturus erat, Caſalium profectus, cum vino ac ſomno ſepultas excubias repetiiſſet, tertia fere poſt mediam noctem hora ſcalis admotis ſine impedimento inſiliit, et caeſis primis ſtationibus in urbem cum omnibus ſuis evaſit, antequam excitarentur praeſidiarii, qui pridiana crapula ſegnes vix ſe lectis moliebantur. Ita occupatis plateis et foro, tubas, quas plures ſecum attulerat, canere jubet; et Franciae nomine ingeminato, quaſi apertis portis jam Gallicus exercitus urbem intraſſet, tantum terrorem injecit, ut nullo fere certamine edito Figueroa ac Guevara ſe in arcem receperint. Germani ad turrem, quae reliqua in urbe erat, deſerta civitate, ſe contraxerant. Salvaſſo urbe potitus, adveniente Briſſaco, ſucceſſum urget, et ad turrem expugnandam contendit; ubi, dum noſtri inconſultius ruunt, et Germani initio gnaviter ſe defendunt, cc fere ex noſtris perierunt. Tandem turre vi expugnata et ad internecionem caeſis cuſtodibus ac Germanorum ſummo duce Jo. Bapt. [c] Lodronio, arcem obſident commeatu fere omni deſtitutam. [α] Nam, dum a praefecto, quem Fridericus Mantuae dux impoſuerat, teneretur, Hiſpani, qui urbem tuendam ſuſceperant, parce annonam nec fere niſi dietim in arcem inferri patiebantur. Figueroa igitur, qui videret nullam in Germanis, quos penes ſe habebat, ſpem eſſe, et victum ad paucos dies ſuperare, de deditione agere coepit; et, vitam ac res ſalvas pactus, niſi intra XXIV horas auxilio juvaretur, arce ſe exceſſurum promittit. Gonzaga perfidia ſeu potius ſecuritate [d] Didaci Arbricii, qui Figueroae ab epiſtolis erat, factum dicit, ut Figueroa nihil de noſtrorum conſilio reſciverit; quippe a Magio miſſum ejus rei nuncium, per hominem ſibi fidum. Is, credo, Petrus [e] Plantanida erat, muniendorum locorum apprime peritus, qui et ſecretum conſilium de [f] Auguſta Taurinorum capienda cum eo communicaturus venerat; ut ſcribit Lucas Contilis in Caeſaris Magii vita. [1] Capto [g] Caſalio, mox et [h] Salvatoris-fanum et Valentium in noſtram poteſtatem venere: quorum Briſſacus, ne neceſſe haberet vireis ſuas tot locis ſeparatas habere, moenia dejici et propugnacula everti juſſit.

V. MELENIANUS interea in Senarum obſidione, cum aſtus non proceſſiſſet, a Joanne Manrice Caeſaris ac Philippi Angliae regis nomine ſolicitatus, ad haec ingentibus promiſſis a Coſmo invitatus, aperta vi rem tentare ſtatuit. Subminiſtrata ad id a Coſmo XXVIII tormenta, praeter ea quae in caſtris erant; et data rei cura Gabrieli [i] Serbellono ac Julio [k] Aliſano peritiſſimis hominibus: ipſe Melenianus cum Chapino Vitellio, poſtquam undique ſitum urbis contemplatus eſt, ad eam partem, quae [l] Fano-Franciſci ſubjecta eſt, [m] portam Ovilem verſus machinas dirigi cenſuit. Ea fama ſparſa, nimirum totis viribus impetum facturos hoſteis, ob idque majora tormenta magno numero Florentia advecta eſſe, ingens in urbe primo animorum conſternatio fuit; coactoque concilio deliberaturi cives convenerant, an potius e re communi videretur, quam extrema belli ſubire, de conditionibus legatos ad Melenianum mittere: jamque in eam partem propendere plurium vota apparebat, cum Monlucius rei per Hieronymum [n] Spanocium et Bartholomaeum [o] Cavalcantium certior factus, cum Corn. Bentivolio communicato conſilio, omneis Gallorum, Italorum et Germanorum duces advocat; et, cum huc uſque ex morbo infirmus obvoluto ſemper

fere

VAR. LECT. [α] quae cum à praefecto P. D o f.

INTERPR. [a] *le mareſchal de Briſſac.* [b] *Santjà.* [c] *Ladrone.* [d] *Diego di Arbrizzo.* [e] *Piantanida.* [f] *Turin.* [g] *Caſale.* [h] *San Salvadore.* [i] *Serbellone.* [k] *Alfani* [l] *San Franceſco.* [m] *porta Ovile.* [n] *Spanocchi.* [o] *Cavalcanti.*

NOT [1] Dele *capto Caſalio, mox et Salvatoris-fanum et Valentium in noſtram poteſtatem venere: quorum Briſſacus, ne neceſſe haberet vireis ſuas tot locis ſeparatas habere, moenia dejici & propugnacula everti juſſit.* Ces lignes doivent eſtre effacées, puiſqu'il paroit par la ſuite que Valence fut inutilement attaqué par les noſtres; mais San Salvadore fut pris. *Pat.*

fere capite ac veſte pellibus farta indutus ſe domo tenuiſſet, ſplendidiori demum amictu, ceu venuſtulus aliquis et formae ſtudioſus juvenis, faciei etiam pallore diſſimulato, et modico vini Graeci potu rubore contracto, in publicum prodiit, et fiduciam praeſentia ſua civibus fecit; quos in conventu publico, ubi jam ſedebant, allocutus gravi ac vehementi oratione a conſilio aeque turpi atque ipſis exitioſo dehortatus eſt, ſacramenti religione denuo obſtrictis Recrodo ac ceteris ducibus pro rege ac republica, quam rex tuendam ſuſcepiſſet, fideliter atque ad ultimum uſque ſpiritum decertaturos. Id coram populi duce, XII conſiliariis, ac rei bellicae Octoviris, qui magiſtratum conſtituunt, actum: quod mox per Ambroſium[a] Nutium ad reliquam nobilitatem relatum eſt, magnaque omnium laetitia exceptum. Confirmatis civium animis, reliquum erat, ut urbis ſecuritati proſpiceretur. Ac primum quidem ad munitiones faciendas urbs in VIII regiones diſtributa eſt; quarum ſingulae ſingulis Octoviris attributae, qui per ſingulos homines ſibi fidos deſcriptionem omnium tam virorum quam foeminarum facerent, qui operas diurnas ad urbis munitionem commodare tenerentur; viri quidem a XII anno uſque ad LX, foeminae vero uſque ad quinquageſimum. Juſſi illi palas, marras, ſportas ac cetera fodiendae ac portandae terrae neceſſaria inſtrumenta comparare. Ita vero rem militarem in urbe ordinaverat Monlucius; ut omnibus iis, qui arma ferre poterant, in XXV vexilla diſtributis, IV urbis praefectos praeponeret, qui Octoviris rei bellicae parerent; ut, cum res poſceret, Monlucius ſingulis Octoviris imperaret, illi legatis ſuis; qui, ſi ruinam ſarcire aut opus facere neceſſe eſſet, regionis ducem aut urbis praefectum monebant; et tum ille operarios ſuos aut vexilli ducem citabat: ſic intra horae ſpatium citra tumultum foſſores atque operarii magno numero, aut cohortes, quantis opus eſſet, ad Monlucii imperium conveniebant: et, ut proditionibus internis occaſio praecideretur, ſingulis VI horis teſſera mutabatur. Conſilium Monlucii erat, qui videret exiguam aut nullam auxiliorum ſpem eſſe, diſtractis torſariam regiis viribus, hoſtem intra moenia accipere et cum eo totis viribus confligere; quod extra urbem non niſi iniquo marte fieri poterat. Itaque citra murum LXXX circiter paſſuum foſſam ducere, eamque tormentis, quae catenis clavis et laminis ferreis impleri mandaverat, ac ſcloppetis majoribus atque omni ſcloppetariorum urbis multitudine munire decreverat: ad latera vero propugnacula erigere; ex quibus poſt illam violentam diſploſionem ipſe cum ducibus enſem, ſariſſam, pilum et cetera hujuſcemodi arma geſtantibus oblique utrinque incurreret, et hoſtem jam diſploſione conturbatum cominus aggrederetur. Adhuc incertum erat, qua parte urbs eſſet verberanda: quod ut certo cognoſceret Monlucius, ſub noctem ruſticos emittebat, cum aliquo ordinum ductore; ruſticos vero progredi jubebat, et, ſi murmur aliquod hominum inter ſe colloquentium inaudirent, ſtatim ad ordinum ductorem referre; qui mox humi repens cum ruſtico locum adibat; et, ſi quidem treis aut plureis ſimul colloquenteis audiret, id ad Monlucium referre jubebatur; qui, ex eo conjectans locum a rei tormentariae praefectis luſtrari, ac proinde ea parte debere verberationem fieri, regionis praefectos vocabat; qui per legatos foſſorum duces citari curabat, ut ſe ſtatim ad opus accingerent. Iis indiciis Monlucius ſubodoratus, ea parte, quam dixi, verberationem faciendam eſſe, quamvis abunde proviſa haberet omnia, tamen non mediocriter animi angebatur; quod neceſſarium videret, ut civium praedia et hortos toto eo tractu porrectos demoliretur. Nam ad portam Ovilem ſpatioſus angiportus prominebat vacuus, quem terra oppleri oportebat: quod exſequendum ſuſceperat[b] Vici comes: nec aliunde terra peti, quam ex hortis vicinis poterat; per quos medios foſſa ducenda erat, et educendi utrinque aggeres. Verum anxietatem hanc ſolvit civium de libertate magis quam de bonis

ſolicita

INTERPR. [a] *Nuti.* [b] *il conte del Vico.*

ſolicita conſenſio; qui, ubi de hoſtium conſilio cognoverunt, juſſi protinus conve-oere, et ſumma alacritate hortos ac praedia ſua demoliti ſunt, oullo cujuſquam gemitu aut queſtu in tanta multitudine audito, allatis etiam magno oumero facibus, ut luce noctem vincerent. Meleniaous ea nocte vix XII rormenra admovere potuit; quippe quae magna operum vi in collem ſubvehenda eſſent. Ab iis initio verberatio in imum murum facta; ſed exiguo profectu, utpote lateritium et tormentorum ictus ſine ulla ſuccuſſatione excipientem. Dein rormenta in medium murum directa; quem aperuere tantum, non diruere. Tum vero patuit munitio intus a noſtris coepta: contra quam cum [a] Melenianus opus eſſe videret majore tormentorum oumero, quibus ſubvehendis tota dies cederet, interimque munitionis adtollendae ſpatium obſeſſis concederetur, tamen cohortes quaſi ad impetum faciendum praeparati jubet. Ipſe, poſt tormenta in humili caſa tectus, lectica, nam tum forte podagra vexabatur, latebat, cum Monlucius vix taodem deprehendit ex antiqua arce tormentorum poſteriora conſpici; in quae per latus contraria verberatio dirigi poſſet. Itaque confeſtim illuc directum tormentum a Senenſi peritiſſimo diſplodi aliquoties jubet; quo Germanorum cohors, quae prope erat, infeſtata, mox et aliquot Hiſpani occiſi ſunt: delaroque forte in caſam ictu, Melenianus, qui tunc cum cubiculario quodam nobili Philippi regis ad eum miſſo ſermones ferebat, ejus ruina paene obrutus vehementique pavore correptus, quaſi contrario morbo, podagrae doloribus tunc temporis ſolutus fuit.

VI. ITA corruptis hoſtium tormentis, conſultatum io caſtris, an verberatio continuanda eſſet: tandemque placuit, vim abſtinendam, expectandumque eſſe, dum armis invicta civitas fame vinceretur. Igitur tormenta deducta, et, quae Florentia advecta fueraot, ita cenſente Manrice ipſo, qui rem adeo urgebat, remiſſa. Jam magna victus inopia iotus laborabatur; et capitis indicta poena ioterdictum erat, oe quid commeatus io urbem importaretur; idque ſevere admodum Vitellius exſequebatur, ſtatim ſine gratiae ſpe, qui deprehendebantur, proximae arbori aut tigno ſuſpenſis. Cum igitur videret Monlucius, ſe fame non armis peti, ut obſidionem in aliquot menſeis extraheret, de Germanis, quorum murmura jam audiebantur, urbe emittendis cogitare coepit: quod ut honeſtius et citra ſeditionis periculum fieret, per Strozzium evocandos eos, quaſi ſe inſcio, cenſuit; miſſoque ad Strozzium [a] [1] Flamioio familiari ſuo conſilium ſuum aperit: quod cum ille probaret, literis ad [2] Recrodum datis ipſum, ut ad ſe cum Germanis quamprimum veniat, obteſtatur; decreviſſe enim exercitum cogere, et impetum in hoſtium caſtra facere, quod ſine Germaois tentare oequeat; conteſtaturque extremis literis adverſus ipſum et ejus ſocios, niſi pareant, de univerſa rerum oostrarum in Etruria peroicie. Allatis literis clam ſenatu et coram Monlucio recitatis, ille primo mirari ſe atque etiam commoveri finxit: mox, ubi Germanos outare, et, famis metu periculum minuente, tandem imperata facere paratos ſenſit, ipſe rei exſequendae modum proponit; qui eo majore felicitate exitum ſortitus eſt, qood literis Strozzii interceptis de Monlucii conſilio hoſtes aliquid cognoviſſent, ſed diem tamen ignorarent. Itaque diligentes excubiae fiebant, firmatis plus ſolito ſtatiooibus: quas ut falleret Monlucius, die dicta clam omnibus portas claudi jobet, et intempeſta nocte II delectorum Gallorum cohortes, I Italorum emittit; quarum primam [b] Charrius, ſecundam Blaceo, tertiam [c] Gajacius ducebat; qui ſtationes invaderent, dum interim Germani, foſſa ſuperata, pertranſirent. Illi ſtrenue rem agunt: et Charrius quidem duas Hiſpanorum obvias ſtationes, quibus praeerat Hier. [d] Torrenſis, perrupit; in tertia plus negotii fuit, occiſis inibi ex noſtris

XL

VAR. LECT. [a] Melenianus *deeſt* P D. o.

INTERPR. [a] *le capitaine Coſſeil.* [b] *les capitaines Charry & Blacons.* [c] *il conte di Cajazzo.* [d] *de Torres.*

NOT. [1] Dele *Flaminio:* lege *Coſſellio* Vid. Monluc. lib. 3. p. 223. 8vo. *Put.* [2] Lege *ad Recrodum per* † *Flaminium datis.* *Put.*
† *le capitaine Flaminio*

XL optimis militibus: verum, dum certatur, Germani elapſi ſunt, quantumvis eos ad ª ¹ Almam uſque inſequente Franciſco ᵇ Aroſio et Ferdinando ᶜ Silva ᵅ Roderici Gomeſii fratre, qui peditatui Hiſpano per Adelantadi abſentiam praeerat. Cum vero jam longum iter per opaca noctis emenſi eſſent, et quaſi in ſecuro ſolutis ordinibus jam feſſi incederent, juxta ᵈ Lucinianellum a Chapino Vitellio ac vicinis praeſidiariis intercepti ſunt, omneſque fere deleti; tantum cc circiter ſuperſtites fuere, ſalvis ſignis, quae tandem ᵉ Ilcini-montem retulerunt. Hoc caſu perculſi primo civium animi, ſed mox a Monlucio, id maximo ipſorum bono factum dictitante, nec niſi clam ipſis tuto fieri potuiſſe comprobante, confirmati, nihil de priſtina fide et alacritate propterea remiſerunt: ſed, cum penuria in dies creſceret, et opus eſſet majore ſeveritate, quam a civibus in conciveis ſuos exſpectari poſſet, quo ſecuritati publicae conſuleretur, ipſum Monlucium dictatorem creant, abrogata ceteris magiſtratibus auctoritate, et in eum ad menſem unum tranſlata. Is ſtatim, diſtributis ſtationum vicibus inter oppidanos ac milites, ita ut oppidani duas noctes, milites unam tantum interquieſcerent, civibus x unciarum panem in ſingulos dies, militi externo XIV ſufficere ſtatuit; et, ut deſcriptio inutilium capitum fieret, decrevit: qua facta, IV CIↃ CCCC circiter viri et foeminae urbe exacti, et hoſtis ludibrio ac ſaevitiae expoſiti, miſerabile utique et crudelitati propius ſpectaculum, niſi patriae libertatis, cujus cauſa ſemper praecipua eſſe debet, ſalus ac praeſens rerum neceſſitas id excuſaret. Ita in III fere menſeis extracta obſidio, dum interim ſummis et ipſe ᶠ Melenianus difficultatibus premeretur, commeatu, qui e longinquo petebatur, plerumque deficiente, et equitatu pabuli penuria ſemper e caſtris remotiore. His accedebat, quod duces fere omnes, praeter unum Vitellium, Meleniani rapacitatem et ſuperbiam ac contumelioſam moroſitatem peroſi, longe hoſpitia ab eo habebant; et ipſe arthritidis doloribus confectus mutandi aëris cauſa ᵍ Montecio ʰ Belcatum ſeceſſerat. Itaque lente omnia agebantur. Neque tamen ille omnino ceſſabat; qui, ut interim ſeditionem in urbe excitaret, hoc aſtu uſus eſt. Petrum quendam ſubornat, qui ſparſis per nobilium domos literis eos, ut ſe reſpicerent, hortabatur: vanam hactenus fuiſſe Gallicorum auxiliorum ſpem, nec debere expectare illos, dum ad extremam neceſſitatem obſtinatione ſua compellantur, non utique eaſdem tunc a victore conditiones, quae offerantur, accepturi: proinde in tempore ſibi conſulant, et cum iis, qui jam moniti ſapiunt, conſilia conferant, quorum domos crucis albae ſigno notatas conſpecturi ſint. Eae literae ubi in alicujus e civibus domum conjectae fuerant, ſtatim deprehenſae ad magiſtratum deferebantur; qui ſubito domos nota illa inſignitas explorari jubebat. Id cum bis terque diverſis locis factum eſſet, populuſque fremeret, et ſuſpectos ad ſupplicium ſine mora poſceret, Monlucius obtinuit, ut tres ex nobilium ordine, quorum domos inſcriptas deprehendiſſent, in carcerem conjicerentur; ratus, id quod erat, Melenianum videlicet hac arte de nobilitate cum populo committenda cogitaſſe, cujus is exitus eſſet, ut nobilium ordo numero inferior, cum ſe injuria a plebeis opprimi videret, urbis partem ad tutelam ſuam occuparet, et, ut vim injuſtam a ſe amoliretur, conſilia vel cum hoſte conferre non dubitaret: neque enim adduci poterat, ut primarios ac perſpectae ſemper fidei civeis ſecreta cum hoſte conſilia agitare crederet. Itaque ſedulo populum ac magiſtratum monebat, ut a vi temperarent, neque civium ſanguine innocenteis hactenus manus commacularent; ſed rem tempori permitterent, quo magiſtro in veri notitiam brevi venturi ſint. Tum ſupplicationes decretae, ut plebis incitatae animi religione mitigarentur: interim per diſpoſitos exploratores cum diligenter noctu per urbem oberranteis notari juſſiſſet Monlucius, in Petrum illum Meleniani emiſſarium

VAR. LECT ª Ruffi P. D. o. f. d.

INTERPR ª *Arbia.* ᵇ *d'Aro.* ᶜ *de Silva.* ᵈ *Lucignanello.* ᵉ *Montalcino* ᶠ *le marquis de Marignan.* ᵍ *Montecchio.* ʰ *Belcaro.*

NOT. ¹ Dele *Almam*: lege *Arbiam.* *Put.*

Digitized by Google

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

emiſſarium ſuſpicio cecidit ; qui comprehenſus ac tormentis ſubjectus rem ut erat Monlucio detexit. Ita primarii illi cives non ſolum calumniae ſed et mortis periculo exempti ſunt : moxque a Monlucio moniti et exorati ſenatum adeunt, et licet inviti gratias magiſtratui agunt, quod non temere inſidioſae calumniae fidem tribuiſſent, nec plebis furori indulſiſſent. Tum effuſis utrinque lachrimis conciliati inter ſe cives, et populi metus ceſſavit. Reſtabat, ut emiſſarius capite lueret : ſed Monlucius ei a magiſtratu delicti licet graviſſimi veniam impetravit. Cum in dies arctior in urbe eſſet annona, contractum rurſus demenſum Monlucii juſſu, dietimque tantum XII unciarum panis ducibus et militi externo, civibus et militi urbano IX diſtribuebantur : ipſe Monlucius cum Bentivolio et [a] Gajacio ſemel tantum in die cibum capiebat ; atque ita ab extremo Februario ad obſidionis uſque exitum perduravit. Jam carnes omnes, etiam equorum ac mulorum, conſumptae erant ; et quotidie militum numerus ac civium decreſcebat ; multique inter ambulandum, ſine morbo, lapſantibus ſubito membris, per vias concidere conſpiciebantur ; quod malvarum eſui a medicis cauſam inquirentibus tributum, quas alvum plus nimio ſolvere et concoctionem impedire dicebant, eoque fieri, ut qui eis veſcerentur, collapſis paulatim viribus, ſine ſenſu tandem deficerent. Miſſi interea Romam ſaepius a ſenatu, qui explorarent an auxiliorum toties promiſſorum ſpes eſſet, Americus [b] Americius primum, dein [c] Corſiniani epiſcopus et Carolus [d] Meſſanius ; tandem et P. Antonius [e] Peccius, qui, cum Romae cardinalium ac reliquorum regiorum miniſtrorum voluntates periclitatus eſſet, literis ad ſenatum datis eos hortatus eſt, ut ſaluti ſuae conſulerent : nullam niſi in ipſis et conditionibus a Caeſare et Coſmo propoſitis ſpem eſſe ; neque vero illos ita irritatos, quin placari poſſint, modo mature ſibi proſpiciant : multa condonari in juſta libertatis defenſione, quorum alias ob cauſas nunquam gratia fieret. Miſſus poſtremo Ambroſius Nurius noſtris partibus maxime addictus, qui, quid ſpei reliquum eſſet, videret, et, ſi neceſſario conditiones accipiendae eſſent, id ut ſalva republica ac civium libertate fieret, procuraret : nam hoc fide ſua meritos de rege [f] Senenſeis. Diſſidebant tum Romae inter ſe cardinalis Ferrarienſis et Strozzius ; quod hic, qui Coſini odio pacem in [g] Etruria nollet, nullas omnino conditiones admittebat ; ille contra, qui metueret, ne Senenſium civitas in Caeſaris aut Coſmi poteſtatem deveniret, quaſvis conditiones admittendas cenſebat ; et, ſalva civium libertate ac regis auctoritate, ut res componeretur, omni ſtudio nitebatur ; pontificemque urgebat, ut ſe medium interponeret ; qui, abjecta ſpe, quam de adipiſcenda ea ditione initio conceperat, poſtquam in voluptates effuſe ſolutus eſt, languidius ſe in eo negotio gerebat. Proximum erat, ut civitas apud aliquem Italiae principem deponeretur, Ferrarienſis videlicet fratrem, aut alium, de quo conveniretur. Verum hae conditiones cum proponerentur, Coſmus, qui hujus belli invidiam a ſe amoliri vellet, rem totam ad Caeſarem rejiciebat ; quem ſciebat omnino in animum induxiſſe Senis potiri, quippe quas ad Imperium pertinere contenderet : nam in tabulis Imperii perſcriptum reperiri, Senenſeis olim Carolo IV imperatori fidem addixiſſe, et ejus auſpiciis reipublicae formam, qua hactenus uſi fuerant, inſtituiſſe ; ac proinde, cum a Caeſare deſecerint, ejecto Hiſpanorum praeſidio et deſtructa arce, perduellionis crimen videri incurriſſe ; ac propterea ſtatim poſt rebellionem camerae judicio proſcriptos fuiſſe : Caeſarem vero, quaſi ad ſe jure devoluto, eos Philippo filio Angliae regi ſecreto inſtrumento attribuiſſe : itaque debere illos, qui huic negotio ſe immiſceant, cum Caeſare agere. Haec ita a Coſmo dicebantur, ut tempus duceret : quod ſperaret, ſi civitas ſine conditione Caeſaris arbitrio permitteretur, fore, ut aut eam grandi aere oppigneratam apud ſe deponeret, aut, ſi ejus poſſeſſionem a ſe omnino abdicare vellet, ſibi quam alii tradere mallet. Ea propter, miſſo Hieronymo [h] Veterano, qui olim conſilio

INTERPR. [a] *il conte di Cajazzo.* [b] *Amerighi* [c] *Pienza.* [d] *Maſſaini.* [e] *Pecci.* [f] *Siena.* [g] *la Toſcana.* [h] *da Vecchiano di Piſa.*

conſilio [a] Clodiae inito interfuerat, uti diximus, defectionis Senenſium primarius CIƆIƆLV.
miniſter, et poſtea ob privatam injuriam noſtrarum partium pertaeſus ad Coſmum HENRICUS II.
defecerat, Caeſaris ac Philippi filii voluntatem periclitatus fuerat. Dum fruſtra laborat cardinalis Ferrarienſis, nec Strozzius de promiſſis auxiliis fidem liberat, creſcente ſemper in urbe penuria, tamen obſeſſis fecit animos [b] Caſalii ſucceſſus, qui in hoc tempus incidit; poſt quem Briſſacum, omni cura alia ſolutum, cum victore exercitu auxilio venturum expectabant. Sed, cum etiam ea ſpes fruſtra fuiſſet, rurſus aliud accidit, quo homines nihil non pro libertate facere et pati parati in novorum auxiliorum fiduciam erecti ſunt.

VII. NAM ſub id tempus Julius III intemperantia vitae magis quam ſenio effoetus fato conceſſit; qui, Joanne Baptiſta Balduini fratris filio mortuo, cum non ita a Fabiano juniore Baptiſtae fratre ſolicitaretur, totum ſe voluptatibus mancipaverat, parato ad delicias nobili illo ſeceſſu, ſtructura et operibus antiquis admirando, in quo fere reliquam vitam a negotiis vacuus cum amicis ſui ſimilibus inter ludos, aleam, comoedias et, quae talia comitari amant, ſacro faſtigio indigna oblectamenta, continuatis nocti diebus, tranſegit; ac tandem IX Kalend. April. deceſſit, relicto nominis herede Innocentio illo [c] Montano, qui, ſceleribus et morum obſcoenitate infamis, longo poſt tempore ſacrum collegium dehoneſtavit. Quam vero a negotiis abhorreret Julii animus, ſatis declarat, quod de mortis ejus genere refert Onufrius Panvinius: Balduinum ſcilicet ipſius fratrem pro ſe et Fabiano filio, cui Coſmi filiam deſponſatam fuiſſe diximus, cum [d] Camertium oppidi potiundi ardenti deſiderio aeſtuaret, repetita ſaepius interpellatione tandem eo pigrum ſenem adegiſſe, ut promitteret, ſe de ea re in conſiſtorio quamprimum relaturum; pontificem vero, ubi cunctos adverſari ſuae ſententiae vidit, rem procraſtinando diſtuliſſe, et, ne conſiſtoria habere ab importuno fratre cogeretur, languorem finxiſſe; cujus quo majorem fidem faceret, uſitatis cibis abſtinuiſſe, aut parcius quam pro more ſumpſiſſe; ex eaque vitae ratione, per ridiculam ſimulationem commutata, morbum ſerio contraxiſſe, qui cum jam LXVII annum egreſſum brevi tempore abſumpſerit. Hujus in locum cum novum pontificem ſuffectum iri ſperarent Senenſes, qui eorum juſtam cauſam majore ac praeſentiore auxilio tueretur, rurſus animos ſuſtulerunt: verum ob longas altercationes re diutius, quam putaverant, dilata, eoque tandem deducta, ut panis omnino in urbe deficeret, de conditionibus ſerio agi coepit, cum bona Monlucii gratia, qui tamen ipſe regis nomine de deditione agere noluit. Nec minus interea obſeſſos Strozzius ſpe bona implebat, qui, delectibus paſſim habitis, jam ſe VI CIↃ peditum ſub ſignis habere dicebat, quorum ope et obſidionem brevi ſoluturum ſe, et in pontifice deligendo cardinalibus, qui regis partibus addicti erant, praeſto futurum jactabat. Accidit et ut tunc commeatus, qui ex ima [e] Neuſtria ſummiſſus fuerat, in Herculis portum inferretur; et CIↃ IↃ pedites, qui XXVIII triremibus impoſiti [f] Maſſilia ſolverant, in Corſica felicem exſcenſionem fecerint. His acceſſit, quod [g] Corſinianum praecipuum in [h] Claniana oppidum, cui Leonidas Malateſta praeerat, paulo ante, Aenea Picolomineo inſtigante, rebellaverat, capto Joanne Baptiſta [i] Arretino cum LX circiter praeſidiariis; unde crebri inter vicina adeo praeſidia in ora maritima conflictus. Cum autem [k] Sigiſmundus Roſſius comes, qui [l] Bonconventum tenebat, cum C levis armaturae equitibus, evocato [α] [m] Caciolo Menaldio, ad [n] Kyriaci-fanum prope Ilcini-montem in noſtros impetum feciſſet, mox inſidias veritus ſe recepit, [β] Menaldio capto cum Jo. Baptiſta [o] Scazino; qui turpe fugere rati poſt acre certamen cum multis aliis Ilcini-

VAR. LECT. α Bacialo Monaldio *P.D.o.* β Monaldio *P.D.o.f.d.*

INTERPR. a *Chioggia.* b *Caſale.* c *di Monte.* d *Camerino.* e *la baſſe Normandie.* f *Marſeille.* g *Pienza* h *Chiana.* i *d'Arezzo.* k *il conte Sigiſmondo de' Roſſi.* l *Buonconvento.* m *Bacciotto Menaldi.* n *San Chirico.* o *Scazzino.*

[a] Ilcini-montem deducti ſunt; ubi, quod ſevere nimis Melenianus in Florentinos rebelleis, ſic proſcriptos vocabat, animadverteret, nec ullis conditionibus [b] Caroleto fido Strozzii miniſtro atque exploratori mortis gratiam facere voluiſſet, paulo poſt ipſius Strozzii juſſu, preces ſuas tam parvi ab hoſte fieri indignantis, in furcam acti ſunt. Dum haec fiunt, fregit obſeſſis animos [c] Scarlinum, quod a Camillo [d] Seeſio cum LXXX praeſidiariis tenebatur, a Luca Antonio [e] Cupano Plombini praefecto interceptum. Cum Strozzius nihilominus de auxiliis ſpem faceret, miſſo Hermete Pallavicino familiari ſuo, qui Senenſium de deditione conſilia impediret, et memores eos decoris antiqui ac priſtinae libertatis eſſe juberet, decreti tandem a Senenſibus ad Coſmum legati, Hieronymus [f] Ginus Bandinellus, Alexander [g] Gulielmius, Scipio [h] Giſus, Hier. [i] Malavoltius. Antequam tamen proficiſcerentur, Ilcini-montem ad Strozzium mittunt, qui eum de re omni erudiant: ex cujus conſilio ad Briſſacum eodem tempore mittuntur Nicodemus Forteguerra, et Strozzii nomine [k] P. Maria [a] Americius, qui auxilia urgerent, et quid ſpei eſſet, antequam cum Coſmo transigeretur, ad ſenatum referrent. Lucenſes et a Strozzio ſuſcitati ſe interpoſuerunt; et, largum commeatum venientibus auxiliaribus polliciti, fluctuanteis, hinc praeſentis exitii metu, hinc libertatis retinendae deſiderio, a qua ne manifeſto quidem periculo deterreri poterant, animos Senenſium rurſus ad aliquod tempus confirmarunt. Captum et tunc [l] Valianum ab Hadriano [m] Baleono Cluſii praefecto; qui, [n] Betto Peruſino cum CIↃCC ad [o] Quercetam pontem ſecreto Clanium tranſire juſſo, arcem eam praeſidio nudatam facile occupavit: ſed non item pontem ac propugnacula circum a Coſmo exſtructa; in quae, capto Valiano, ſtatim a Malateſta recens miles ex [p] Cortona, Politiano et Arretio introductus eſt. Sed, cum Strozzius, qui eo cum copiis ſubito advolaverat, arcem tuto teneri non poſſe judicaret, tam propinquo hoſte, locum deſerit, et, revocatis Corſinianum II Gallorum et XVIII Italorum vexillis, quae ſecum adduxerat, iis Aurelium Fulgoſium cum ſummo imperio praepoſuit. Huic oppoſuerat ad Politianum Coſmus [q] Radoſinum comitem Dalmatam cum C equitibus Epirotis: cumque inter eos quotidie fere pugnaretur, [r] Seriliacus alae equitum Gallorum praefectus inibi occiſus eſt.

VIII. **Interea**, annona in dies in urbe deficiente, poſt multas altercationes tandem perſcriptae conditiones: ut Caeſar civitatem ac rempublicam Senenſium in fidem ſuam et Imperii acciperet, ſalva libertate et magiſtratuum antiqua auctoritate: praeteritorum oblivio induceretur: cives ſuis bonis ac dignitati reſtituerentur; liceret tamen iis, qui velint, vel ſolis vel cum omni familia inde migrare, et quo videbitur proficiſci: ad tuendam et conſervandam urbem Caeſari jus ſit, quantum velit praeſidium ex quacunque natione imponere, quod ſuis ſumptibus alere teneatur; ita tamen, ut non niſi de civium conſenſu arcem in civitate novam exſtruat, aut dirutam inſtauret: propugnacula ad urbem durante obſidione aut ante exſtructa ſtatim poſt deditionem et introductum praeſidium diruantur: Caeſari liceat rempublicam arbitrio ſuo conſtituere, juxta montium et regionum ordinem in republica hactenus receptum, ſalva tamen praefecti urbis, ſenatus et magiſtratuum tam urbanorum quam extra urbem auctoritate, immunitatibus ac privilegiis: liberum ſit Gallis ducibus ac militibus et eorum parteis ſecutis ad tympani pulſum inde exire cum armis, ſignis explicatis ceteroque belli inſtrumento et omnibus impedimentis: cautum, ne eo beneficio uti poſſint, quos exſules et rebelleis Caeſar ac Coſmus appellabant; quem in numerum veniebant Neapolitani, Mediolanenſi imperio ſubditi, ac Florentini: additum, ne haec pacta prius rata haberentur, quam poſt VIII dies a tempore

qno

VAR. LECT. [a] Americus P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Montalcino.* [b] *Carleto da Montalcino* [c] *Scarlino.* [d] *Seſi.* [e] *Cuppano, gouverneur de Piombino* [f] *Ghino Bandinelli.* [g] *Guglielmi.* [h] *Ghighi, al. Giſi.* [i] *Malavolti.* [k] *Piermaria Amerighi.* [l] *Valiano.* [m] *Baglioni, gouverneur de Chiuſi.* [n] *Betto da Perugia.* [o] *Porto della Quercia.* [p] *Cortona, Montepulciano e Arezzo.* [q] *il conte Rados di Dalmatia.* [r] *de Serillac*

quo ſenatus ea comprobaſſet. Haec IV Non. April. Florentiae coram Jo. [a] Mantice et Fr. [b] Toletano acta. Quae ubi [c] Senas allata ſunt, [d] Melenianus per tubicinem colloquium poſcit. Miſſi a Monlucio Bentivolius et Charrius: ad quos Melenianus, Pactis, inquit, comprehenſum eſt, ut Monlucio ac ceteris Gallis atque Italis ſub rege merentibus liceat arma ſua geſtantibus, explicatis vexillis et ſonantibus tympanis cum omnibus rebus ſuis exire. Haec autem, quorſum pertineant, Monlucius veteranus dux et harum rerum peritus quin clare videat, non dubito. Enm tamen pro benevolentia, qua vos ex animo proſequor, monitum per vos volo, cum regi non Senenſibus militet, Senenſeis pro Gallis minime paciſci, aut eis idonee cavere potuiſſe. Itaque, ſi ſibi ac ſuis conſultum cupit, pro ſe ac ſuis regis nomine mecum paciſcatur; nec dubitet, quin conditiones regis dignitate et ſua virtute dignas a me impetraturus ſit. Quod ubi Monlucius per Bentivolium et Charrium intellexit, ſtatim reſpondit, ſcire ſe quid ex belli uſu liceat: ceterum ſe ac ſuos ea virtute eſſe, ut, quamvis extremis anguſtiis conflictentur, nihil regis dignitate et Gallico nomine indignum facturi ſint: proinde ſufficere ſibi, quod Senenſes pro ſe pacti ſint: quae pacta ſi quis violare audeat, paratum ſe ea armis ac vitae periculo tueri; nec commiſſurum, ut nomen ſuum ullis de urbium deditione pactis unquam apponatur. Hoc ingenuo et audaci reſponſo ſtupefactus Melenianus tandem acquievit; et curaturum recepit, ut, ſicuti Senenſes caviſſent, ipſe cum ſuis honorifice citra periculum urbe egredi poſſet. Ab eo capite, quo Gallis cautum fuerat, excepti fuerant exſules et rebelles a Caeſare, Philippo Angliae rege et Coſmo proſcripti. Id cum Monlucius inique admodum ferret, quippe qui viros natalibus ac virtute praeſtanteis ac de rege ſeque optime meritos in certiſſimum capitis diſcrimen vocari pati non poſſet, urgente praecipue Bartholomaeo Cavalcantio, Senenſeis tumultuario in concilium vocat, et captionis plenam pactionem eſſe oſtendit, quae eos ipſos, qui paciſcantur, pactionis beneficio excludat: nam ſcire ſe certo, Senenſeis, ſtatim poſt ejectum urbe Hiſpanorum praeſidium et dirutam arcem, inſtigante Caeſare, ab imperiali camera proſcriptos eſſe, et Caeſarem, devoluto per ſententiam ad ſe jure, eos Philippo filio attribuiſſe: itaque videre ipſos, quam non ſincere cum eis agatur; et potius eſſe, ut, dum arma adhuc retinent, extrema quaeque experiantur, ac generoſe tandem moriantur, quam depoſitis turpiter armis carnifici ſe et amicos una jugulandos praebeant. Etſi non ignorabat Monlucius, Senenſeis, quibus alio capite expreſſe cautum erat, minime ex eo in diſcrimen vocari, tamen ſcrupulum injicere volebat, ut periculo ſuo territi amicos ac ſocios ſuos non deſererent. Et vicit ejus auctoritas: nam ſtatim ad arma in urbe conclamatum eſt magno conſenſu. Quod ubi Melenianus vidit, ſubito Florentiam ad Coſmum mittit; qui veritus, ne deſperatione adacti Senenſes cum Gallis ultimum impetum facerent, et raros jam in aggere et circa Melenianum ipſum milites aut caederent aut repulſos obſidionem ſolvere cogerent, mox [e] Concinum remittit, cujus opera ſolerti juxta ac diligenti in hoc negotio ſemper uſus fuerat; et, inducta exceptione, omnibus indefinite liberam abitionem permittit. Dicta dies ad XI Kal. Maias; quo, poſtquam Camillus [f] Elcii comes, Nic. [g] Scrigardius, Auguſtinus [h] Bardus et Laelius [i] Peccius cum Octoviris rei bellicae Florentia rediere, Monlucius, tradita civibus Camollia porta et veteri arce, cum ſuis urbe exiit, eo ordine, ut Bentivolius et [k] Gajacius cum IV Italorum cohortibus, quorum duces erant Bartholomaeus Jordanus [l] Piſaurienſis, Rinaldus [m] Vecius Ferrarienſis, [n] Turcetus Brixianus et [o] Flaminius Peruſinus, quibus ſe ſocium addidit Marius [p] Bandinus plebis praefectus, [q] Santalbanus et Luſſanus cum Gallis praecederent, ultimum agmen clauderent Charrius et Blaco: quos poſtremo in equis ſequebatur Monlucius cum

INTERPR. [a] *Manriquez.* [b] *de Toledo.* [c] *Siena.* [d] *le marquis de Marignan.* [e] *Concini* [f] *d'Elci.* [g] *Serigardi* [h] *Bardo.* [i] *Pecci.* [k] *il conte di Cajazzo.* [l] *da Peſaro.* [m] *de' Vecchi da Ferrara* [n] *Torchetto da Breſcia* [o] *Flaminio da Perugia.* [p] *Bandino* [q] *Pape de St Auban, & de Luſſan*

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

cum Hieronymo [a] Spanocio, cui plus ceteris timebat, medii inter Italos et Gallos incedebant ↀCCC circiter viri et ſoeminae Senenſes cum pueris et infantibus, qui, ut libertatem, pro qua generoſe adeo pugoaverant, vel cum omnium fortunarum jactura ſervarent, patriam deſerebant; lamentabile utique vel ipſis hoſtibus ſpectaculum. Auxere miſerationem, cum ab amicis ac propinquis, qui io urbe remanebant, diſcederent, amplexus et lachrimae utrioque effuſae, quod iis, quibuſcum tam conjuncti vixerant, aut jam hoſtes aut brevi futuri eſſeot. Milites certe noſtri vix lachrimas continebant; et, cum magna cooſtantia ſine ullo murmure famem in obſidione toleraſſent, aegre diſcedere et miſeros civeis deſerere videbantur. Multi eo die ex iis inter iocedendum mortui conciderunt, cum ante quatriduum panem non guſtaſſent. Senibus et mulieribus gravidis atque infantibus portandis Moolucii rogatu perhumane a Meleniano commodati ſunt L muli. Ipſe, qui Hiſpanos et Germanos in aciem diſpoſuerat, cum Chapino Vitellio ad [b] Lazari-ſanum Monlucio obviam venit; cumque medium uterque aliquanto tempore deduxerunt. Cum poſt amicos ſermones ac complexus poſtremo diſceſſiſſent, ad [c] [1] Almam-ruptam [α] Almo amni impoſitum vicum uſque noſtri proceſſerunt; ubi XVIII aſinos pane onuſtos repererunt, reficiendo militi a Meleniano benigne ſummiſſos. Inde ad Booconventum progreſſi, deducente eos Gabriele Serbellono, cui id muneris poſt Meleniaoi avunculi abitum commiſſum fuerat: qui poſtquam adventantem cum equitatu P. Strozzium vidit, Monlucium, Bentivolium, [d] Gajacium ac ceteros duces complexus diſcedit. Noſtri cum Strozzio [e] Ilcini-montem eodem die profecti ſunt. Ibi cives Monlucium ſecuti, patria relicta, quae patria amplius non eſſet, regis auſpiciis rempublicam denuo ordinant, inſtituto ſenatu, creatis magiſtratibus, et praefectis in oppida, qoae tenebant, ad jus dicendum miſſis, ut hac ſpecie libertatem antiquam retinerent, et patriae amiſſae caſum quodammodo ſolarentur. Biduum ante deditionem Monlucius diploma a ſenatu reipublicae ſigillo firmatum impetraverat, quo Senenſes teſtabantur, ipſum egregiam operam in civitate defendenda regi et reipublicae navaſſe; ſe viciſſim nihil omiſiſſe, quo fidem regi datam et libertatem a majotibus traditam tuerentur; ſed invictos armis et animis tandem neceſſitati, [β] hoc eſt fami, ceſſiſſe; Monlucium nihilominus nuoquam adduci potuiſſe, ut regis nomine de deditione ageret, ſed ſe pro Monlucio ac regiis ducibus ac milite pactos eſſe. Cum Monlucius aliquot dies cum Strozzio fuiſſet, ab eo triremem, qua in Galliam cum ſuis portaretur, obtinet: atque, dum [f] Centumcellis ea inſtruitur, praemiſſis Luſſano, [g] Blacone, Santalbano, ipſe interim Romam divertit; partim ut regios miniſtros ioviſeret, partim ut gloria ſua late per Italiam ob memorabilem illam obſidionem ſparſa lo celeberrimo theatro praeſens frueretur. Jam poſt Julii mortem Marcellus Cervinus, [h] Fano in agro Piceno natus, cum majores ſuos a [i] Politiano [k] Etruriae caſtello repeteret, in ſummum pontificem electus fuerat V Eid. Aprileis, XVIII, poſtquam Julius deceſſerat, die; [γ] Ranutii Farneſii cardinalis Alexandri, qui tunc aberat, fratris favore praecipue ſublevatus, ſub quorum avo ob ſummam eruditionem et cum gravitate conjunctam morum probitatem ad magnos curiae Romanae honores evectus, poſtremo ipſius Alexandri commendatione in cardinalium collegium cooptatus fuerat. Is, quod pater Richardus aſtrologiae judiciariae ſcientia clarus ei ex ſtellarum conjunctione ſummam in eccleſia dignitatem praedixiſſet, cum a Caſſandra [l] Beocia matre ad nuptias invitaretur,

VAR. LECT. [α] Almae *P.* [β] quae ex fame procedebat, ceſſiſſe *P. D. o. ſ. d.* [γ] Alexandri Farneſii cardinalis praecipue favore, ſuffragantibus ei Guidone Aſcanio Sfortia et Ranutio Alexandri fratre cardinalibus; ſub quorum *P. D o.*

INTERPR. [a] *Spanocchi.* [b] *San Lazaro.* [c] *Arbia-rotta.* [d] *il conte di Cajazzo.* [e] *Montalcino.* [f] *Civita-vecchia.* [g] *le capitaine Blacons.* [h] *Fano nella Marca d'Ancona.* [i] *Monte-pulciano.* [k] *la Toſcane.* [l] *Bencia.*

NOT. [1] Dele *Almam:* lege *Arbiam-ruptam* *Put.*

invitaretur, pertinaciter recuſaverat; nolle ſe dictitans clariorem longe fortunam, quam ſibi aſtra ſoluto ac coelibi portenderent, matrimonii vinculis commutare. [α] Id ſane Lucas [a] Gauricus, cujus magnum in ea arte nomen, in libro Geniturarum prodidit; qui liber, quod ſumme mirandum, triennium antequam Cervinus pontifex renunciatus eſt, Venetiis apud [b] Curtium Trojanum publicatus fuit; ut, non vanam omnino eam praedictionem fuiſſe, aut de praeteritis, ut plerumque fit, tantum pronunciaſſe, appareat. Statim ubi magiſtratum inivit, ut grati animi ſpecimen daret, ſe daturum operam dixit, ut Farneſii intelligerent, familiae ſuae beneficio Paulum III in ſe revixiſſe: ſed, cum valetudine parum proſpera uteretur, ad haec comitiorum incommodis valde debilitatus eſſet, duodecimo poſt die gravius et pituita et non levi febre decubuit; qua imminuta, et minui ſenſim vires coepere, tandemque apoplexia correptus pridie Kalend. Maias, LV, minus VI diebus, aetatis anno, et XXII pontificatus die ex hac vita migravit; et juxta Nicolai V monumentum conditus eſt: vir rara eruditione, prudentia et ſanctitate vitae antiquis comparandus; et ſub quo certa ſpes emendandae eccleſiae affulſerat, niſi ipſum, quod multo ante non diſſimulaverat ſe vereri, pontificii faſtigii altitudo, quae pleroſque alios merſit, forte fuiſſet depravatura. Nam cum, anagnoſte de more ſacros libros aut patrum veterum ſcripta, dum cibum ſumeret, recitante, poſt longum ſilentium in memoriam revocaſſet Hadriani IV verba, quibus miſeram pontificum Romanorum conditionem deplorabat, menſa manu percuſſa, ſubjecit, non videre ſe, quomodo, qui faſtigium hoc altiſſimum tenerent, ſaluti ſuae conſulere poſſent. Antequam moreretur, ad eum ſalutandum admiſſus eſt Monlucius: unde mox Centumcellas profectus triremem paratam cum ſuis conſcendit, et vento ſecundo uſus curſum inter Sardiniam et Corſicam tenuit, donec Bonifacium appulit, ibique Joſephum Bonifacium [c] Molam convenit, qui Andream Auriam cum L circiter triremibus ad [d] Stephani-fanum juxta [β] [e] Orbitellum ſubſediſſe renunciat. Tunc [f] Thermus [g] Calvium cum Paulo Jordano obſidebat, qui, ubi propinquare Auriam ſenſit, ſumma celeritate obſidionem ſolvit, demerſis in mare III tormentis, ne in Hiſpanorum manus venirent; quae eodem anno noſtri expiſcati ſunt. Haud longe [γ] Antonius Iſcalinus Adaemarus [h] Polinius Garda XXVIII triremeis, quas habebat, in proximam ſtationem ſubduxerat: qui, ubi de Auriae adventu cognovit, in altum evectus [i] Maſſiliam verſus contendit. [δ] Eum abeuntem fruſtra tardiore velificatione inſecutus eſt Auria; quod rebus Thermi ſaluti fuit, qui interea vaſa conclamavit, et ſine damno a Calvio diſceſſit; alioqui vix hoſtium manus elapſurus, ſi, Polinio omiſſo, recta illuc curſum Auria direxiſſet. Sed Monlucius, qui Thermum periculi admonuerat, in ipſum periculum imprudens praecipitavit. Nam, dum in Galliam navigaret, nebuloſo aëre in claſſem Auriae, qui Polinium inſecutus re infecta redibat, incidit; diligentia tamen praefecti triremis, qui mutata velificatione hoſtium impetum eluſit, ſervatus; Maſſiliam mox praeter omnium opinionem incolumis appulit, qui, cum aut Senis occubuiſſe, aut, ſi evaſiſſet, in mari ab Auria interceptum eſſe, pro certo ſibi perſuaſerant. Inde per diſpoſitos equos in aulam perrexit; ibique ob rem egregie geſtam [k] conchyliato torque a rege donatus eſt; qui honos tempore illo ſummus, cum quidem tantummodo dignis concederetur, deinceps viluit, poſtquam promiſcue, nulla habita meritorum ratione, etiam indignis conferri coepit. Tunc regis animum ſuſpenſum tenebat pacis ineundae ab Anglis propoſita actio: de qua antequam dico, quae in Gallia ac Belgio antea geſta ſunt, paucis retexere neceſſarium videtur.

IX.

VAR. LECT. [α] *Haec de Gaurico ejuſque libro narratio deeſt* P. D o.
[β] Plombinum *P. D. o.*
[γ] Antonius Iſcalinus Adaemarus *deſunt* P. D. o. f. d.
[δ] quem fruſtra *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Gaurico.* [b] *Curtio Trajano.* [c] *de la Mole.* [d] *porto di Santo Stefano.* [e] *Orbitello.* [f] *de Thermes.* [g] *Calvi.* [h] *le baron de la Garde,* dit *le capitaine Polin.* [i] *Marſeille.* [k] *fut fait chevalier de S. Michel.*

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

IX. EXTREMO anno ſuperiore, cum poſt coeptam Menilii ex adverſo Hedini munitionem Sabaudus educto exercitu ſub initium Novembris [a] Spititus-fanum irrito conatu tentaſſet, [α] Jacobus [b] Sabaudus Nemoroſius, Antonii [c] Borbonii Vindocini, qui provinciae praeerat, juſſu, ei ſe cum levi armatura oppoſuit; magnumque virtutis ac diligentiae ſpecimen dedit, hoſteis crebris incurſionibus laceſſendo ac fatigando; et tandem ſine ſuorum damno [d] Abbatis-villam ſe recepit: quo in certamine praecipua fuit [e] Peluſii laus. Inde Sabaudus, ne nihil egiſſe videretur, [f] Piquinium venit, ubi rurſus a Nemoroſio infeſtatus eſt: ſed, dum ille pugnandi ſtudio ardentius in hoſtem invehitur, parum abfuit, quin caperetur. [g] Samarobrigam Ambianorum jam venerat Vindocinus, quo Sabaudus Piquinio deſcendit, et, cum in aciem educto exercitu ibi aliquandiu conſtitiſſet, [h] Corbiam pergit; ubi ſama erat, eum vado [i] Somonam tranſire decreviſſe: quem propterea in adverſa amnis ripa Vindocinus ſemper ſequebatur, ut eum inter tranſeundum opprimeret. Sed supervenientibus pluviis jam inclinata tempeſtate retro pedem ferre coactus eſt; impoſitiſque Menilio xx Germanorum et Hiſpanorum vexillis ſub [k] Daiſio, qui nuper [l] Rigiaci Atrebatum praefectus fuerat, Bruxellas ad Caeſarem contendit. In Campaniae limitem rex, [m] Dinanto capto, Bordillonum miſerat, ut ruſticorum populationes prohiberet. Is [n] Fumentium ab hoſtibus per regis abſentiam captum ac ſemidirutum recepit, et, arcibus aliquot proximis in poteſtatem redactis, ſecuram noſtris regionem aſſeruit; praeſeoriaque ſua effecit, ne munitiones [o] Mariaburgi, [p] Rupis-regiae et [1] Mauberti impedirentur. [q] Valuſſeus quoque cohortis dux ex [r] Ivodii praeſidio munita arce eductis ligneis machinis, quae ſpeciem aeneorum tormentorum praeferebant, [s] Villemontium caſtellum ad deditionem compulit; quod mox tamen ab hoſtibus receptum eſt, occiſis iis quos Valuſſeus inibi reliquerat. Tunc et infelicem expeditionem Franciſcus [t] Deſpeus Vetuſvilla Metis praefectus ſuſcepit. Inter [u] Moſellam et Moſam hoſtes munitionem excitaverant in via, qua [x] Theodonis-villa Metim itur, ut noſtrorum excurſiones prohiberent; ei a forma et inter duos amneis poſitu [y] Malum-Sigma nomen inditum. Eo Vetuſvilla numeroſum peditatum cum equitatu et aliquot tormentis praemiſerat: ſed conſilii certiores facti hoſtes non ſolum noſtrorum impetum ſuſtinuerunt, verum etiam magno cum noſtro damno repulerunt, pluribus ex noſtris deſideratis, ac vix reductis tormentis. Nec feliciori uſus eſt fortuna [z] Mazerius unius peditum cohortis, ex iis quae Vindocino attributae fuerant, legatus, qui cum duobus aliis ordinum ductoribus et cxv delectis, [aa] Rantiacum uſque excurſione facta, in reditu a [bb] Menilii praeſidiariis, cum praeda onuſtus tardius incederet, interceptus eſt, et ipſe cum duobus illis ſociis interfectus.

X. TUNC et detecta fuit Franciſcanorum Metenſium conjuratio, a Caeſarianis corruptorum, ut urbem proderent. [cc] Synodus illius ordinis Meti indicta erat; ad quam ex omnibus orbis partibus delecti confluere debebant. Eo colore milites [β] monachorum habitu introducere, et, quaſi dolia vino plena in tantae multitudinis alimoniam adveherent, arma iis incluſa in urbem inferre decreverant: quo facto, Theodonis-villae praeſidiarii, poſitis loco idoneo prope Metim inſidiis, ante urbem venturi erant: contra quos, procul dubio erat, noſtros magno numero exituros; et ita, exhauſta per noſtrorum eruptionem urbe, introducti a Franciſcanis milites ad arma clamaturi erant, et, portis occupatis, eos, qui in inſidiis latebant, excepturi; quibus conjuncti, quod reliquum noſtrorum in urbe erat, facile oppreſſuri eſſent. Sed, quia

VAR. LECT. [α] Jacobus Sabaudus—Antonii Borbonii *deſunt* P. D. o. f. d. [β] ſurugerorum P.

INTERPR. [a] *St. Eſprit du Rœux.* [b] *de Savoie, duc de Nemours.* [c] *de Bourbon, duc de Vendôme.* [d] *Abbeville.* [e] *de Pelous.* [f] *Piquigny.* [g] *Amiens.* [h] *Corbie.* [i] *la Somme.* [k] *le ſieur Dais.* [l] *Arras.* [m] *Dinant.* [n] *Fumay.* [o] *Marienbourg.* [p] *Roc-roy, & Maubert-fontaine* [q] *Vauluſſeau.* [r] *Ivoy.* [s] *Villemont.* [t] *de Scepeaux, ſieur de Vielleville, gouverneur de Mets.* [u] *la Moſelle, & la Meuſe.* [x] *Thionville.* [y] fort appellé *la Mauvaiſe S.* [z] *le capitaine Mazieres.* [aa] *Ranty.* [bb] *Meſnil.* [cc] *le chapitre general.*

NOT. [1] Mauberti-fontis *Put.*

quia obſervatum a noſtris fuerat, quendam ex conjuratis Franciſcanum ſaepius ad CIↃIↃLV. hoſtcis Theodonis-villam commeare, ſuſpicione inde oborta, comprehendi hominem HENRICUS II. placuit; qui tormentis ſubjectus rem, ut erat, aperuit: exemploque inſigni illo patuit, vulpina plerumque conſilia ac teterrima monſtra religionis obtentu diſſimulari. De eo ac conſciis mox, ut meriti erant, ſupplicium ſumptum eſt. Eodem tempore et perfidiae ac perduellionis poenas dedit [a] Avoëlla praefecti arcis [b] Abbatis-villae legatus; qui, ut privatam injuriam ulciſceretur, cum Daiſio [c] Menilii praefecto de arce tradenda, modo ſibi inimicus dederetur, fidem interpoſuerat; quod per ipſum tabellarium detectum fuit. In Belgio ſub veris principium cum rumor eſſet, Caeſarianos prope [d] Caſtellum in agro Cameraceenſi undique magno numero convenire, ut ibi coacto exercitu ad [e] Mariaburgum priore anno captum facerent impetum, rex, qui tum ad [f] Fontem-bellaqueum erat, celebrandis Nicolai [g] Lotharingi Valdemontii cum Joanna [h] Sabauda [i] Nemoroſii ſorore nuptiis occupatus, Santandreanum per Vindocini provinciae praeſidis abſentiam in Picardiam mittit cum Nemoroſio, [k] Carnutum vicedomino, [l] Rhingravio, ac numeroſa nobilitate, qui [m] Fani Pauli comitatum ingreſſi agrum late vaſtarent, quod ex eo nec aliunde annonam Menilium inferri poſſe conſtaret. Inde per [n] Atrebates facto itinere et vaſtato circum agro, eum ſe recipere finxiſſet, cognito Hiſpanos et quoſdam regionis delectus ad Caſtellum hoſpitium fixiſſe, eo mox noctu converſa fronte tendit, et ſummo ſilentio profectus admoris ſcalis improviſos aggreditur et capit. Cum Hiſpanis humaniter actum; cum indigenis inclementius, quod odia inter limitaneos quotidie novis utrinque injuriis fuiſſent exacerbata. Militi in praedam oppidum conceſſum, et vaſtatus circum ager, ne hoſti, quem eo conventurum fama erat, uſui eſſet. In Campaniae limitem eodem tempore [o] Bordillonius Nivernii legatus, et cum eo Ren. [p] Lotharingus Ellebovius miſſus eſt; quem Melchior [q] Pratenſis Moupeſatus, [α] [r] Antonius Cruſſolius, [β] Franciſcus [s] Balma Suſacus, [t] Peluſius, alii ex primaria nobilitate ſecuti ſunt: qui mox evocatis undique praeſidiariis, quanquam tunc adhuc nives altae eſſent, magna diligentia commeatum et cetera neceſſaria Mariaburgum intulerunt. Dum pars lignatione occupatur, alii ulterius progreſſi [u] Cimacum, qua belli arce hoſtes ad excurſiones faciendas utebantur, tendunt, et vacuum defenſoribus nacti incendunt ac vicinos circum vicos. Qui [x] Solturnium tenebant, quod majora tormenta noſtros ſecum minime adduxiſſe reſciviſſent, nihil Gallorum adventu territi deditionem facere recuſarunt: et ita noſtri ad ſua reverſi ſunt.

XI. HIS actis, quod jam colloquii ab Anglis propoſiti tempus inſtaret, ex utroque limite deducti milites; et, donec de exitu conſtaret, ab armis utrinque ceſſatum eſt. Nam [y] Polus, vir natalium ſplendore clarus, ſed doctrina et rara hoc aevo pietate longe illuſtrior, qui ſuperiore anno omnem operam dederat, ut principum animos ad concordiam flecteret, ab eo tempore non deſtitit orare reginam, ut rem honorificam et utrique parti atque toti Chriſtiano orbi ſalutarem ac neceſſariam urgeret. Itaque reginae rogatu delegati a Caeſare Jo. [z] Cerda Medinae-coeli dux, Carolus [aa] Lalanii comes, Antonius Perrenotus [bb] Atrebatum epiſcopus, cui poſt Nicolaum patrem imperialis ſigilli cura commiſſa fuerat, H. Viglius Zuichemus ſecretioris concilii et N. [cc] Bravenus ſenatus [dd] Mechlinienſis praeſides, qui [ee] Gravelingam Burgundicae ditionis oppidum convenirent. A rege miſſi Annas Momorantius equitum magiſter, Carolus cardinalis Lotharingus, Carolus [ff] Marillaeus Venetorum et Joan.

VAR. LECT. [α] Antonius *deeſt* P.D.o. Jac. Cruſſolius D.f.d. [β] Franciſcus *deeſt* P.D.o.

INTERPR. [a] *Auvoelle.* [b] *Abbeville.* [c] *le fort du Meſnil.* [d] *Chaſteau Cambreſis.* [e] *Marienbourg.* [f] *Fontainebleau.* [g] *de Lorraine, comte de Vaudemont.* [h] *de Savoie.* [i] *le duc de Nemours.* [k] *le vidame de Chartres.* [l] *le Rhingrave.* [m] *le comté de St. Paul.* [n] *Artois.* [o] *Imbert de la Platiere, ſieur de Bourdillon.* [p] *de Lorraine, marquis d'Elbeuf.* [q] *des Prez, ſieur de Montpeſat.* [r] *Antoine, comte de Cruſſol, vicomte (puis duc) d'Uſez.* [s] *de la Baume, comte de Suze.* [t] *de Pelous.* [u] *Chimay.* [x] *Saultour.* [y] *le cardinal Pole, ou Pelus.* [z] *de la Cerda.* [aa] *de Lalain.* [bb] *d'Arras.* [cc] *le ſieur Bravenus.* [dd] *de Malines.* [ee] *Gravelines.* [ff] *de Marillac, evêque de Vannes.*

CIƆIƆLV.
HENRICUS II.

Joan. [a] Morvillerius Aureliani epiſcopi, et Claudius [b] Albaſpineus regi a ſecretis epiſtolis, qui [c] Ardeam Francici juris oppidum itidem convenirent. Venit et ipſe Polus pacis conciliator, et cum eo Stephanus Gardinerus [d] Wintonii epiſcopus, quem regina Angliae paulo ante carceri, in quem ab Edvardo fratre conjectus fuerat, exemerat, et regni cancellarium creaverat, [e] Arondelii comes et [α] Guliel. [f] Pagetus, primarii viri. Regina ad vicum, cui [g] Mariae nomen, in agro Caletenſi, quem tunc Angli tenebant, inter Gravelingam et Ardeam locum quadrata forma quaquaverſum c circiter paſſuum ſpatio ſumpſerat; quem foſſa valloque muniendum curaverat, extructis ad ſingulos angulos ex materia domiciliis, quae telis extrorſum velata et aulaeis intus egregie ornata commodum interdiu delegatis hoſpitium praebebant: nam ſub veſperam quiſque ad oppidum, unde venerat, ſe conferebat. In medio amplum et apparatu magnificum erectum erat tabernaculum, ad quod ex ſingulis hoſpitiis per itidem tela velatas porticus forma decuſſata directas adibatur. Caeſariani eam partem, quae ad Septentrionem vergit et Gravelingam reſpicit, ſibi ſumpſerant; noſtri eam, quae ad meridiem et Ardeam; Polus orientem; Angli occidentem et [h] Caletum ſpectabant. x Kalend. Junias convenere primum legati; qui dies ſalutationibus et amplexibus utrinque datis impenſus eſt. Poſtridie utraque pars cum Polo et Angliae miniſtris, qui medii erant, ſingillatim egit. Demum VII Kal. Junias Angli, cum intelligerent, regem de [i] Mediolanenſi imperio et [k] Aſtenſi ditione, ut vetere patrimonio, ſibi ſatisfieri velle, Caeſarem vero ejus, ut de quo tranſactum eſſe diceret, mentionem fieri nolle, quaſi arbitri hanc mediam propoſitionem injiciunt; ut rex Chriſtianiſſimus Carolo Philippi filio, Caeſaris nepoti, Elizabetham in matrimonium daret, et dotis nomine jure in Mediolanenſi atque Aſtenſi ditione cederet; quae dominia, ampla et idonea propter nuptias donatione, de qua inter parteis conveniret, gravarentur. Ad haec noſtri non recuſare ſe dicunt, ad firmandam concordiam, quod de matrimonio proponatur; paratumque regem honorificam et idoneam dotem filiae aſſignare: verum de Mediolanenſi principatu et Aſtenſi ditione, quae maſculorum avita patrimonia ſint, non admittere: ſed, ſi quidem [l] Aureliano alteri ex filiis Maximiliani Bohemiae regis filia Ferdinandi neptis deſpondeatur, et Mediolanum cum Aſtenſi ditione cis attribuatur, non dubitare, quin concordia inter reges ſarciri, et matrimonium inter Carolum et Elizabetham contrahi poſſit. Biduo poſt Hiſpani reſpondent, de Caroli et Elizabethae matrimonio conditionibus ab Anglis propoſitis contrahendo nihil ſe in mandatis habere: ſed, ſi Gallis ita videatur, ea de re ad Caeſarem perſcripturos: de matrimonio vero Aureliani cum regis Bohemiae filia et Mediolani reſtitutione fruſtra Caeſarem conſuli, qui jam illud Philippo regi conceſſerit: interea debere a Gallis reſtitui, quae Sabaudiae duci adempta et hoc ultimo bello ad Caeſarem pertinentia armis occupata ſint. Cum Atrebatenſis, niſi eorum omnium reſtitutio fieret, non videre ſe diceret, quomodo inter eos convenire poſſet, Momorantius ſic aequo jure convenire poſſe reſpondit; ſi utrinque eorum, quae uterque detineret, reſtitutio fieret: idque regem, ut demonſtraret quantopere pacis ac tranquillitatis ſtudioſus ſit, facere paratum oſtendit. Heic Polus, qui rem confici cuperet, optimum factu ſibi videri dicit, ut jam nunc communi Chriſtiani orbis bono contractis per conjugia adfinitatibus pax firmetur; et, quae controverſiae de ditionum bello occupatarum reſtitutione ſuperent, quando neutra pars quod teneat dimittere velit, ad arbitros, de quibus partes conveniant, remittantur. Id Galli cum placere ſibi reſpondiſſent, Hiſpani contradixere; quod longum tempus interceſſurum dicerent, antequam de arbitris conveniret; et nondum conſtaret, quid alter ab altero repoſciturus eſſet: nam de Mediolano

VAR. LECT. [α] Guliel. *deeſt* P. D. o.

INTERPR. [a] *de Morvilliers, evêque d'Orleans.* [b] *de l'Aubeſpine.* [c] *Ardres.* [d] *de Winchester.* [e] *d'Arundel.* [f] *le lord Pages.* [g] *Mare près Calais.* [h] *Calais.* [i] *de Milan.* [k] *d'Aſti.* [l] *le duc d'Orleans.*

Mediolano tantum et [a] Belgio actum eſſe; ſed oportere ante omnia, ut, quae [b] Sabaudiae duci in [c] Subalpina regione, Genuenſibus in Corſica, Mantuae duci in agro Monſerratenſi adempta ſunt, item [d] Metis, Virodunum et Tullum Imperio reſtituantur. Ad haec Lotharingus: quae Sabaudiae duci rex ademerit, id ſuo jure feciſſe; quippe qui aviae ſucceſſione praecipuum jus in iis bonis ſibi vindicet: quod ad Genuenſeis attinet, cum illi obſequium, quod regibus Galliae ex foedere debeant, detulerint, regem libenter ipſis de occupatis in Corſica ſatisfacturum eſſe: Mantuae ducem minime conqueri poſſe, ſi oppida quae ab hoſte tenebantur ad vicinarum regionum tutelam hoſti ademerit, ſalvo ipſius jure: quod idem et de Imperii civitatibus reſponſum intelligat. Ita, poſt varios inter [e] cardinalem Lotharingum et Atrebatenſem ultro citroque habitos ſermones, diſceſſum eſt. Tandem Kal. Jun. Wintonienſis, qui de ineundae pacis ratione deliberandi tempus ſibi ſumpſerat, cum omnes eodem die conveniſſent, aequum videri dixit, ut connubium inter Carolum et Elizabetham aequis et honeſtis conditionibus contraheretur; et controverſia de Mediolano, Belgio et Sabaudia concilio permitteretur: interea uterque in poſſeſſione locorum controverſorum maneret: quod ad Sabaudum attinet, celebrato inter ipſum et Margaritam regis ſororem matrimonio, ei ſuorum bonorum liber uſusfructus a rege concedatur; ſed rex juris ſui conſervandi cauſa arceis et oppida munita praeſidio teneat. In id conſenſurum regem cum Galli dixiſſent, ſed opus eſſe, ut indefinite de omnibus partium controverſiis liberum concilio judicium permittatur, Hiſpani, qui de conjugio agi placere dicerent, illud interim urgebant, ut ultimo bello occupata ante omnia reſtituerentur; nec recuſare, quin concilium de partium controverſiis decernat: neſcire tamen, an Caeſar de Mediolano compromiſſurus ſit; nam hactenus illum ad haec aures obturatas habuiſſe. Galli non aliter regem in reſtitutionem, quae proponatur, conſenſurum replicabant, quam ſi pariter Henrico Navarrae regi, Octavio Farneſio ac ceteris regni foederatis, quae adempta ſint, reſtituantur. Spes quidem a Caeſarianis facta de Menilio, quod ex adverſo [f] Hedini anno ſuperiori muniri coeperat, [g] Mariaburgo item et tribus Imperii civitatibus in Lotharingia penes regem relinquendis: ſed nihil haec ad illa, quae a rege repoſcebantur. Itaque, cum fruſtra Polus laboraret, ac delegati Angli et noſtri viderent id agere Caeſarianos, ut ſpe pacis lactatum regem ipſi, paratis interim quae ad bellum neceſſaria erant, imparatum opprimerent, poſt actas Polo et delegatis Anglis regis nomine gratias, ad ſua quiſque, re infecta, reverſi ſunt.

XII. Eodem, quo ad colloquium ventum eſt, die, Romae poſt non longas, ſed acerrimas comitialeis contentiones, patribus Caeſarianae factionis repugnantibus, praevalente Farneſiorum, qui ei favebant, potentia, Joannes Petrus Caraſa in pontificem electus eſt. Pater huic fuit Jo. Antonius [h] Montorii in Marrucinis comes, Diomedis [i] Mataloniae comitis filius, illuſtri inter Neapolitanas familia ortus. Jo. vero Petrus ab ineunte aetate, quietioris vitae, ſicuti videbatur, cupidus, totum ſe literis dedit, trium linguarum cognitione et theologiae ſcientia, ad quam vitam ac mores compoſuerat, apprime inſtructus. Itaque, cum Romae in contubernio Olivarii Carafae cardinalis agnati ſui aliquanto tempore fuiſſet, a Julio II [k] Theatae in Marrucinis epiſcopus creatus fuit; [* unde Patres Theatini vocati ſunt,] eodem prorſus vitae inſtituto, quo ii, qui Jeſuitae poſtea, [** novo atque, ut pleriſque viſum eſt, ſuperbo nomine] appellati

P. [* *oppidi vernacule Chieti dicti; unde, ſive a loco ſive ab affectata in ſpeciem quiete, Patres Theatini ſive vernacule Chietini vocati ſunt,*]

P. [** *religioſo juxta ac ſuperbo, ut pleriſque viſum eſt, nomine,*]

INTERPR. [a] *Pays-bas.* [b] *Savoie.* [c] *Piedmont.* [d] *Mets, Verdun, & Toul.* [e] *le card. de Lorraine, & l'eveque d'Arras.* [f] *Hedin.* [g] *Marienbourg.* [h] *Montorio au royaume de Naples.* [i] *Matalona.* [k] *Chieti*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

appellati ſunt: de quibus deinceps erit plura dicendi locus. Cum ergo is poſt obitas pleraſque legationes Neapoli, in Anglia et Hiſpania, [a] Brundiſino epiſcopatu a Carolo V donatus eſſet, non ſolum eum reſpuit, ſed et jam adeptum dimiſit, et in [b] montem Pincium conceſſit, ibique nec commodis aedibus aut loco amoeno a rerum humanarum cura alienam prorſus vitam aliquot annos egit, inſtituto ſacerdotum ſodalitio, qui, paupertatem, caſtitatem et obedientiam more ceterorum profeſſi, votis ante aram Vaticanam, approbante Clemente VII, nuncupatis, ſe illi ſocios adjunxerunt. Ii fuere initio [c] Cajetanus Tienae comes Vicentinus, Bonifacius [d] Collenſis Alexandrinus et [e] Paulus conſiliarius Romanus. Demum a Paulo III concilii oecumenici celebrationem perſequente evocatus, hujus ſaeculi anno XXXVI, in cardinalium collegium cooptatus eſt; varia hominum fama ob id jactatus, cum quidam ſanctiſſimum virum a tranquillioris vitae portu ad publicae adminiſtrationis fluctus ſe revocari paſſum ſummis laudibus extollerent, alii id factum ut levitatis et ambitionis plenum improbarent. In eo munere cum morum gravitate, doctrinae praeſtantia, eloquentia et in dicenda ſententia libertate magnam auctoritatem adſecutus eſſet, auctor pontifici fuit, ut Inquiſitionis tribunal, ad pullulanteis eo tempore pravas de religione opiniones reprimendas opportunum, uti rebatur, ac neceſſarium remedium, inſtitueretur. Tandem pontifex renunciatus, et in memoriam optime de ſe meriti pontificis Paulus IV dici voluit. Rogatus ſtatim poſt adeptam dignitatem, quanam ratione et ipſe et Joannis Alphonſi fratris filii victuri eſſent, Magnifice, inquit, et ut ſummum principem decet. Itaque magna ac ſumptuoſa admodum pompa coronam a Joan. Bellaio epiſcopo Oſtienſi ſumpſit: et ita ſeveritas illa, ex qua emendationem in eccleſiaſtica diſciplina quidam ſperabant, plerique verebantur, cito in ſuperbiam vertit. In interregno magni Romae et licentioſi motus exſtitere: nam in Maſſeorum domo, quae inter nobileis cenſetur, frater fratrem cum uxore ac liberis immaniter trucidavit XVII Kal. Junias; vixque populum laſcivientem a licentia cohibere potuit diſpoſitis per plateas militibus [f] Guidus Ubaldus Urbini dux, qui forte aderat. Venerat eo et paulo ante Marcelli mortem Hercules Ferrariae dux, cardinali fratri praeſto futurus.

XIII. INTEREA, captis Senis et introductis VII Germanorum delectorum et Hiſpanorum VI vexillis, illato praeterea copioſo commeatu, cum Melenianus [g] Belcarum ſe contuliſſet, Coſmus, ut reipublicae ſtatum ordinaret, cum id ſine expreſſo Caeſaris mandato facere recuſaſſet Fr. [h] Toletanus, [i] Angelum Nicolinum rerum urbis apprime gnarum eo mittit. Delecti XX ſecundum urbis regiones maxime Gallis infeſti, quibus reipublicae ſumma commiſſa eſt; praeterquam armorum, quae penes Caeſarianos manſit: idque ut eo uſque locum haberet decretum, donec aliter Caeſari viſum fuiſſet. Mox arma omnia cives deponere, quod eorum fides Coſmo ſuſpecta eſſet, Ilcini-monte tam vicino, quo ſe Marius [k] Bandinus, Hieron. [l] Spanocius, Julius [m] Vierus, Ambroſius [n] Nurius, [o] Zucantini et Landucii receperant, et in [p] Dominicifanum, quod inſtar arcis erat, comportare juſſi: quae res prae ceteris eorum animos male habuit, ademptis armis pariter et libertatem adimi in ſecreto querentibus omnibus. Introducta praeterea III Germanorum vexilla, et II levis armaturae alae. Sanflorianus armatis praeerat, qui, humanitate, quantum poterat, eorum qui remanſerant lenitis ingeniis, benevolentiam omni officio demerebat: nam inſtaurata ipſius cura fontium caſtella, et aquaeductus ſubterranei in popularium gratiam reſtituti, qui a Florentinis durante obſidione amputati fuerant. Sed irrita fere ejus opera fuit, cunctis aeque Caeſaris ac Coſmi jugum exoſis, et aliis, quibus ferendis armis par animus, Ilcini-montem, aliis vitae quietioris cupidis quotidie [q] Urbeventum ac Romam, ſecedentibus.

XIV.

INTERPR. [a] *de Brindiſi.* [b] *Monte-pincio.* [c] *Gaetano, conte di Tiena Vicentino.* [d] *de Colle Aleſſandrino.* [e] *Paolo Conſigliere Romano.* [f] *Guidobaldo.* [g] *Belcaro.* [h] *de Tolede.* [i] *Agnolo Nicolini.* [k] *Bandino.* [l] *Spanocchi.* [m] *Vieri.* [n] *Noti* [o] *i Zuccantini & i Landucci.* [p] *San Domenico.* [q] *Orvieto.*

XIV. His actis, conſilium initum eſt de aggrediendo [a] Herculis-portu et noſtris inde expellendis, ut Etruria omnino a Gallis ſecura eſſet. Sic enim judicabat Coſmus, quamdiu Galli ſtatione illa potirentur, fore, ut oppida et arceis, quas in Etruria tenebant, milite ac commeatu firmare, ſicque contra omneis impetus nullo negotio tueri poſſent: nam, cum jam praecipua in Corſica loca occupaſſent, iis ex Provincia facile eſſe per Corſicam in Etruriam quovis tempore vel cum exigua claſſe tuto commeare. Diſſentiebat tamen Melenianus; et rem periculi ac difficultatis plenam eſſe dicebat; ſive quod bellum ducere quam conficere mallet, ſive quod, de eventu veritus, gloriam expugnatione Senarum partam in minoris momenti oppidi oppugnatione nollet amittere. Vicit tandem Coſmi ſententia: et, firmata idoneo praeſidio urbe, Chapinus Vitellius cum V CIↃ circiter Germanorum et Hiſpanorum, et qui reliquus erat equitatu, caſtra movet, et [b] Corſinianum verſus, quod a noſtris tenebatur, iter facit. Praemiſerat Coſmus Joannem [c] Paſſalinum Piſtorienſem muniendorum locorum peritum et [d] Aliſanum rei tormentariae apprime gnarum, qui Orbitello profecti, portum Herculis et munitiones ſupra et circum a noſtris exſtructas diligenter contemplati, commode locum expugnari poſſe retulerunt: eoque majore animo in id incumbendum cenſuit Coſmus. Admotis tormentis, ſtatim deditum Corſinianum; cui Jacobus [e] Puccius cum praeſidio impoſitus eſt: mox et [f] Kyriaci-fanum ac vicina aliquot caſtella. Inde, juſſo ſecum portare quatuor dierum viaticum milite, Vitellius [g] Ilcini-montem verſus praedas agit et [h] Groſſetum; tandem converſo itinere Herculis portum petit, [i] Campilia ante in poteſtatem redacta, quae a Metello Urbeventano cum C peditibus tenebatur. In collibus, quae oppido imminent, munita caſtra, et expoſita tormenta a Coſmo ſummiſſa, quae Andreas [k] Auria, qui, re bene in Corſica geſta, ad [l] Stephani-fanum appulerat, ſecum advexerat. Eo mox ſub exitum Maii Florentia venit Melenianus a Coſmo perſuaſus. Strozzius in arce erat, cum paulo ante in oram maritimam deſcendiſſet, quod loco illi et Groſſeto metueret: qui, ubi per captivos Hiſpanos de hoſtium conſilio cognovit, et oppidum ac munitiones per homines peritos ab ipſis exploratas, ex eorum verbis conjiciens id quod erat, novam munitionem ante propugnacula jam exſtructa excitare aggreſſus eſt. Diverſa parte Coſmus, ne agro circum vaſtato miles a victu laboraret, hinc [m] Liburneo [n] Orbitellum, hinc [o] Politiano, [p] Luciniano et Arretio largum commeatum in caſtra comportari curaverat: magnum praeterea foſſorum numerum convenire [α] juſſerat. Arx colli erecto, qui portum ſuperſtat, inſidet; cujus radices in continuos et inaequaleis colleis paulatim aſſurgunt uſque ad [q] Argentarium montem, qui in mare Tyrrhenum porrigitur, et arci ac portui ſimul imminet. Per eos colleis noſtri munitiones exſtruxerant, ut arcem ac portum ſubjectum defenderent; in iiſque praecipuum [r] propugnaculum fuit, quod ipſi Vulturinum dixerant, expoſitum ad occidentem: alterum Septentrionem ſpectabat, quod [β] [s] Aſturinum vocabant: tertium iis recenter addiderant S. Hippolyti de nomine appellatum; quod utrumque regebat. Praeterea in collibus per intervalla militem idoneis locis diſpoſuerant, ut aditum venienti hoſti intercluderent, minus prudenti conſilio; quod pluribus locis ſparſo milite vireis diviſerant, quibus conjunctis ad impetum hoſtium ſuſtinendum opus erat: ii erant partim Galli et Itali, partim Helvetii, circiter CIↃ. Ad fauceis vero portus in tumulo, qui fluctibus exſtat, ad prohibendas hoſtilium triremium excurſiones aggerem excitaverant et locum milite firmaverant. Ad S. Hippolyti munimentum primus impetus a Meleniano factus: quo capto, per colliculi dorſum in Vulturinum et Aſturinum verberatio

VAR. LECT. [α] juſſerat. Operae autem pretium fuerit heic loci poſitum velut ob oculos ponere. Arx *P. D o.* [β] Struncum *P. D o. f.*

INTERPR. [a] *Porto-Ercole.* [b] *Pienza.* [c] *Paſſaglia Piſtoieſe.* [d] *Alfani.* [e] *Pucci.* [f] *San Chirico.* [g] *Montalcino.* [h] *Groſſeto.* [i] *Campiglia.* [k] *Doria.* [l] *porto Santo Stephano.* [m] *Livorno.* [n] *Orbitello.* [o] *Monte-pulciano* [p] *Lucignano & Arezzo.* [q] *Monte Argentaro.* [r] *le boulevard du Vautour,* Ital. *Avoltojo.* [s] *le boulevard de l'Auſtour,* Ital. *Stronco.* Avis eſt rapax.

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

verberatio facile dirigi poterat, et inde in arcem ac portum deſpectus erat; quibus rurſus propugnaculum pro munimento impoſuerat Strozzius. Eo Vitellius cum CIↃ IↃ partim Germanis partim Hiſpanis ſummo ſilentio ſub noctem proſectus, duobus abhinc milliaribus conſederat. Inde paulo ante auroram locum nondum bene munitum, noſtris dejectis, nullo fere negotio impetu occupat: quo capto, deinceps tormenta commode ſubvecta et propius alias munitiones atque arcem ipſam admota ſunt. Biduo poſt noſtri [a] inſula Herculis, quae portus anguſtias obſtruit, a Vitellio deturbati; ita ut Auriana claſſis propius adpellere poſſet, intercluſo noſtris libero exitu, ne inde in Corſicam inde [b] Centumcellas deinceps, ut antea, liceret commeare. Cum interea Ilcini-monte proſectus Bentivolius, [c] Cluſio et vicinis locis educto milite, omnem circa [d] Folianum et Politianum agrum vaſtaret, quo hoſtem ab obſidione revocaret; Coſmus contra, [α] a tergo ſecurus, [e] Senis, [f] Corſiniano, [g] Cortona, [h] Arretio evocatos praeſidiarios in Cluſium agrum emittit, qui contraria populatione noſtrorum impetum matura jam meſſe prohiberent. Iis ductor praeficitur Ludovicus Martinengus, qui tunc Coſmo militabat. Ad portum Herculis admotis tormentis Aſturinum verberatur, altitudine ceteras munitiones ſuperans. Poſt verberationem acer impetus ab Italis et Hiſpanis factus; in quo praecipue Vitellii virtus enituit, qui calore pugnae pacne ducis oblitus eo die ſtrenui militis parteis implevit. Sed repulſi hoſtes primo, multis ex ſuis amiſſis; ingenti etiam noſtrorum jactura, ex ictu tormenti Alexandro [i] Interamnate ſemimortuo relicto, qui anno ſuperiore ad [k] Montem-catinum captus fuerat. Cum noſtrorum animos is caſus fregiſſet, Strozzius, qui de exitu vereretur, nec ſua praeſentia, quod ſperaverat, praeſtitiſſet, nocte inſequenti clam cum [l] [1] Montalto et Flaminio [m] Urſino oppidum deſerit; et, relicto Chriſtophoro [n] Urſino Capella, qui praeeſſet, ſecunda tempeſtate uſus Centumcellas pergit: atque inde mox, cum non ſatis pontificiae ditionis oppido fideret, [o] Montem-altum Farneſiorum caſtellum ſe contulit. Quod ubi intellexit [p] Melenianus, eo majore diligentia obſidionem urget, quod Strozzii diſceſſu infractos praeſidiariorum animos videret, et Turcicae claſſis adventum, quae jam in Calabriae conſpectum veniſſe nunciabatur, antevertendum duceret. Itaque majore impetu inſtaurata ad Aſturinum verberatio; quam nequicquam noſtri primo ſuſtinuere: nam ſtatim ordinibus confuſis locum deſerunt, multis ex ſuis deſideratis, pluribus captis. Quo facto, nulla mora interpoſita, [q] Vulturinum aggreditur Melenianus; et, alia parte verberatione inſtituta, alia ſcalis admotis cum impetum feciſſet, diffugientibus pariter noſtris, facile loco potitur: quia vero munitio illa oppidi muro ea parte ſumme infirmo conjungebatur, ſtatim promotis tormentis in eum verberatio directa, muroque dejecto eadem alacritate miles inſilit, et magna ſtrage edita, occiſis inibi CCCC circiter oppidanis, viris, foeminis, infantibus, praeſidiarii in arcem compelluntur; qui mox, quantumvis Capella contradicente et exſulibus Florentinis fidem eorum obteſtantibus, ſe Meleniano ſine conditionibus dediderunt. Capti Lud. [r] Nobilis Strozzii familiaris et ſtrenuus dux, P. Paulus [s] Tuſingus, Gaurus [t] Fuccecius, Camillus [u] Martinengus, et Alexander [x] Salviatus Petri filius; qui Florentiam perductus poſtea Coſmi juſſu ſecuri percuſſus eſt. Captus et [y] Othobonus Fliſcus Ludovici frater, conjurationis Genuenſis particeps, et in manus Andreae Auriae traditus, ut ſumpta de eo ad arbitrium poena Janetini agnati mortem ulciſceretur: qui miſerum juvenem culeo, inſtar paricidae, inſutum, in profundum demerſit. Quod factum, ut indignum ea virtute atque aetate viro, prudenter ſilentio praeterire, qui ejus vitam ſcripſerunt; id unum

VAR. LECT. [α] utpote a tergo *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Pſoletto d'Ercole.* [b] *Civita-vecchia.* [c] *Chiuſi.* [d] *Foiano e Monte-pulciano.* [e] *Siena.* [f] *Pienza.* [g] *Cortona.* [h] *Arezzo.* [i] *da Terni.* [k] *Monte-catini.* [l] *da Montauto.* [m] *Orſino.* [n] *de la Chapelle aux Urſins.* [o] *Montalto.* [p] *le marquis de Marignan.* [q] *boulevard del Avoltojo.* [r] *de' Nobili.* [s] *Toſinghi.* [t] *Goro da Fuccecchio.* [u] *Martinengo.* [x] *Salviati.* [y] *Ottobuono dal Fieſco.*

NOT. [1] Montacuto *Put.*

unum videlicet in tantae moderationis duce reprehenſione dignum judicantes, quem omni laude poſteritati commendandum ſuſceperant, [α] majore ac vix excuſanda immanitate in exanime Leonis Strozzii paulo ante ad [a] Scarlinum interfecti corpus ſaevitum eſt; quod ibi repertum in mare pariter abjectum fuit. Id actum VIII Kal. Jul. Ab ea expeditione diſcedens [b] Auria, quo claſſis Turcicae impetum ſuſtineret, Genuenſibus auctor fuit, ut [c] Florentii-fanum moenibus nudaretur, ne magno ejus inſtaurandi ac cuſtodiendi neque multum neceſſario ſumptu reſpublica gravaretur: cujus conſilium ſecuti illi rem per Joannem Andream poſtea exſecuti ſunt. CIƆIƆLV HENRICUS II.

XV. CAPTO [d] Herculis portu et intercluſo noſtris per mare in Etruriam appulſu, res Gallica in ea provincia labare coepit; quam Briſſacus virtute ac diligentia ſua in [e] Subalpina regione fulciebat. Is, ne, mentione pacis injecta, interea ab hoſte opprimeretur, ad bellum neceſſaria diligenter comparaverat, et IV Eid. Junii Caſalio exercitum eduxerat. In eo erant Gallorum vexilla XVII, quibus praeerat [β] Franciſcus [f] Guſierius Bonivetus; Germanorum VIII; Helvetiorum VI, alae equitum XII, levis item armaturae III, ductore Henrico Momorantio [g] Danvilla, ipſa Danvillae ala, altera Franc. Bernardini, tertia [γ] Joannis [h] Gontaldi Bironi cum parte alae [i] Motagondrinii: ſubſequebantur IV muralia tormenta et II majores colubrinae omni apparatu inſtructae: eodemque die 10 circiter a [k] Pomario caſtello paſſibus caſtra poſita ſunt. Danvilla cum Motagondrinio, Bernardino, [δ] [l] Bricomotio et [m] Gordio uſque ad [n] Valentii conſpectum proceſſerat: quo et hoſtes de noſtrorum adventu certiores facti cum III tormentis campeſtribus venerant, et diſpoſitis in ſaltu vicino inſidiis latebant noſtros opperientes. Sed, feſſis a via peditibus, cum periculoſum videretur per impedita loca ulterius progredi, hinc inde diſceſſum eſt. Poſtridie Pomarium verberatur; et poſt c circiter diſploſos ictus a praeſidiariis, qui CXXX numerati ſunt, deditur. Capto Pomario, Valentium verſus promota caſtra, praemiſſo Danvilla cum levi armatura, quod per loca anguſta et vineis conſita iter faciendum eſſet: cum ſequi juſſus [o] Terrida et Grimorius cum parte equitatus, et mox Bonivetus cum toto peditatu: ultimum agmen ducebat Briſſacus cum Germanis et Helvetiis, quorum cuſtodiae machinae bellicae concreditae erant. Cognito noſtrorum adventu, tam praeſidiarii, qui in oppido erant, quam qui extra in Padi ripa hoſpitium habebant, in aciem exeunt, eductis IV campeſtribus tormentis. Diſploſa utrinque initio tormenta: ſed, quia hoſtes huc illuc ſparſi levibus procliis noſtros laceſſebant, fiebat, ut minimum a tormentis infeſtarentur. Itaque juſſus Danvilla cum XXX circiter equitibus cominus in eos impreſſionem facere; quam cum non niſi conferto agmine ſuſtinere poſſent, protinus denſatis cuneis concurrunt, et, ſupervenientibus Terrida ac Grimorio, acriter certatur. Repulſi tandem ad foſſam uſque hoſtes, fauciatis ex noſtris Jac. [ε] [p] Angenneo Rambulieto et [q] Sala: Bironi ac [r] Buterii legati, qui in manus hoſtium inciderant, inſtantibus noſtris, liberati ſunt. Tunc vero, ubi omnes hoſtium copiae ſe collegere, tormentis agi coeptum; ſic ut pedites in oppidum ſe recipere, equites locum inter oppidum et coenobium, quod oppido ſubeſt, occupare coacti fuerint. Inſequentibus noſtris, ingens pulvis, quaſi equitum adventantium e longinquo, apparuit: eoque Danvilla cum ſuis pergit: nec illi certamen primo detrectabant: verum, ubi propius Valentium acceſſere, cum obvios habuiſſent ſcloppetarios aliquot Hiſpanos, iis mediis obliquata fronte cluſis noſtris, recta in oppidum contenderunt. Heic propter exortum

VAR. LECT. [α] *Quod de ſaevitia in Leonis Strozzii corpus narratur deeſt* P. D. o.
[β] Franciſcus Guſierius *deſunt* P. D. o. f. d.
[γ] Joannis Gontaldi *deſunt* P. D. o. f. d.
[δ] Bricomontio P.
[ε] Angenna P.

INTERPR. [a] *Scarlino.* [b] *Doria.* [c] *San Fiorenzo.* [d] *Porto-Ercole.* [e] *Piedmont.* [f] *Gouffier, ſieur de Bonnivet.* [g] *le ſieur de Damville.* [h] *de Gontaut, ſieur de Biron.* [i] *de la Motte Gondrin.* [k] *Pomaro.* [l] *de Briquemaut.* [m] *le ſieur de Gordes.* [n] *Valenza.* [o] *les ſieurs de Terride & de Grimor.* [p] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [q] *de la Sale.* [r] *de Boutieres.*

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

exortum pulverem cum conſpectus utriſque ademptus eſſet, adempta pariter aerius pugnandi occaſio; ita tamen ut noſtri loco potirentur; in quo, utpote inter oppidum et [a] Padum poſito, cum commode caſtra metari non poſſent, ultra tormenti jactum receſſerunt. Cum vero major numerus praeſidiariorum intus eſſet, quam extra obſidentium, Briſſacus ad [b] Salvatoris-fanum in Monferratenſis agri confinibus ſitum caſtellum ſuos ducit, V ab [c] Alexandria milliaribus; quod poſt CCC circiter ictus diſploſos deditionem fecit. Relictis ſignis, dimiſſi praeſidiarii incolumes cum enſibus. Pleraque vicina caſtella occupaverat Briſſacus; quae, cum induciarum ſpes fruſtra fuiſſet, moenibus nudari juſſit, ne rurſus uſui hoſti eſſent. Tunc et Volpianum, quod commeatus penuria laboraret, lenta obſidione premebatur, ducto etiam a noſtris aggere ad eam partem, quae Duriam ſpectar: quo nomine duo ſunt fluvii ex Alpibus in ſubjectam planitiem deſcendentes, et eam regionem vulgo [d] Canavenſem dictam utrinque ab ortu et occaſu claudentes: quorum is, qui [e] Duria Baltea vocatur, in Padum haud longe a [f] Creſcentino exoneratur; alter, qui [g] Duria Riparia appellatur, et juxta [h] Druentiae, contrario curſu occidentem verſus tendentis et in [i] Rhodanum influentis, fonteis oritur, per [k] Seguſionem decurrens, tandem in Padum conſimiliter paulo infra [l] Auguſtam Taurinorum mergitur. Id difficilem hoſtibus auxilio venientibus acceſſum reddebat, interjectis tot fluviis.

XVI. JAM Ferdinandus Alvarus Toletanus Albae dux a Philippo Angliae rege miſſus per diſpoſitos equos Mediolanum venerat prid. Eid. Jun. ut rei bellicae in Italia cum ſummo imperio praeeſſet, amoto omnino a rerum gubernaculis Ferd. Gonzaga. Quod a [α] Roderico Gomeſio Silva [m] cubiculariorum principe, qui tunc in regis ſui gratia praecipue florebat, procuratum plerique ſcribunt, qui ſuperbum et ambitioſum [n] Albani ingenium ſubveritus eum procul ablegare, et Gonzagam, cujus tractabilius ingenium ſperabat, in comitatu regis remanere, reipublicae et propriae dignitatis intereſſe exiſtimabat. Quod tamen Gonzaga, qui tunc in Caeſaris aula erat, et reditum in Italiam ſuum urgebat, nunquam concoquere potuit, quantumvis eum per humaniſſimas literas Philippus demulceret, et Silva ad patientiam hortatus in poſterum bono animo eſſe juberet. Nam ille, qui plus dignitati ſuae quam eorum prudentibus monitis tribuebat, ut cauſa ſua diſceteretur et exiſtimationis ſuae ratio haberetur, ante omnia petebat. Cauſa cognita, cum eum tandem Caeſar a criminibus objectis innocentem declaraſſet, et acta ac dicta contra eum ut calumnioſa ac nullius momenti pronunciaſſet, accuſatoreſque graviter caſtigandos decreviſſet, praeterea ſanxit, ut aes omne alienum, quod ille in belli Parmenſis et Subalpini ſumptus contraxerat, diſſolveretur, ac praeterea XXX CIↃ aureorum ei dependerentur; inſuper in rei bene pace ac bello geſtae fidem Sanſeverina vallis in agro Neapolitano cum VI CIↃ aureis annui reditus ac penſione X CIↃ aureorum, militia item ordinis Alcantarenſis III CIↃ aureorum annui reditus Andreae filio attribueretur; ac poſtremo honorarii ergo ad ſacri conſiſtorii conſiliarii dignitatem in ejus gratiam praeſidis titulus adderetur. Id IV Eid. ejuſdem menſis Bruxellis actum et Caeſaris manu ſubſcriptum ac ſigillo firmatum cum per [β] Franciſcum [γ] [o] Eraſſum ab epiſtolis primarium miniſtrum ad Gonzagam perlatum eſſet, et omnem operam daret Gomeſius Silva, qui aderat, ut Gonzaga Caeſaris judicio acquieſceret, et hoc ſibi ſatisfactum pro tempore exiſtimaret; contra Gonzaga, ut priſtinae dignitati reſtitueretur, inſtaret, aut ſaltem Belgio praeficeretur; poſt crebros ultro citroque repetitos in Angliam et Belgium itus et reditus, cum nihil Caeſar et Philippus mutarent, ille indignatus, petita ab utroque licentia, in Italiam privatus diſceſſit. Ubi Albanus in Italiam venit, potentiſſimo ac

florentiſſimo

VAR. LECT. [α] Ruiſio *P.D.o.f.d.* [β] Franciſcum *deeſt* *P.D.o.f.d.* [γ] Eraſtum *P.D.o.f.d.*

INTERPR. [a] *le Po.* [b] *San Salvadore.* [c] *Aleſſandria della Paglia.* [d] *il Canaveſe.* [e] *la grande Doire.* [f] *Creſcentino.* [g] *la petite Doire, ou Doriette.* [h] *la Durance.* [i] *le Rhoſne.* [k] *Suſe.* [l] *Turin.* [m] *primero Camarero.* [n] *le duc d'Albe.* [o] *le ſecretaire Eraſſo.*

florentiſſimo exercitu in [a] Inſubribus ad [b] Ripam-ruptam coacto, de [c] Volpiano obſidione liberando inter duces conſultare coepit. In eo erant xxx CIↃ Germanorum, Italorum et Hiſpanorum peditum, VI CIↃ circiter equitum, [α] xxv omnis generis tormenta. Cum magnae difficultates initio occurrerent, eas Caeſar Magius prudenti conſilio ſolvit, cum diceret, aggerem in Duriae ripa a noſtris erectum exiguo negotio duorum tormentorum ope poſſe dejici, ac deinceps exercitum citra periculum tranſmitti; inſuper viaticum in quatuor dies ferendum cum pontonibus, quibus uterque fluvius itu et tranſitu permeari poſſet. Itaque [d] Salugiam profecti [e] Piſcariae marchionem cum Garſia [f] Toletano mittunt, qui rem uti propoſita fuerat exſequeretur. Sed non expectato eorum adventu noſtri, qui exiguo numero in aggere erant, [g] Briſſaci juſſu x Kalend. Sextil. ab obſidione diſcedunt, et liberum hoſti ingreſſum in oppidum relinquunt: in quod mox duobus diebus continuis annona ſub exitum Julii copioſe illata eſt. Eodem tempore [h] Trinitatis comes [i] Valſenera egreſſus cum CCCC equitibus et IↃ peditibus, ut agrum circumjacentem, qui a noſtris tenebatur, depopularentur, in noſtrum equitatum imprudens incidit: a quo caeſus ac fugatus eſt, multis ex ſuis interfectis. Incendebat noſtros ſeverum Albani factum, qui nuper, cum [k] Caſalium oppugnaturus crederetur, [l] Fraxinetum ad Padum vi ceperat, et, duce in crucem acto atque Italis omnibus occiſis, Gallos remo addixerat. Volpiano commeatu ac milite firmato, Albanus per pontones et crateis [m] Duriam Balteam cum exercitu tranſmittit; et, per [n] Liburnum itinere facto, ad [o] Jacobi-fanum nuper a Briſſaco muniri coeptum caſtra ponit, quo ſe incluſerant [p] Bonivetus et Ludovicus [q] Biragus cum II CIↃ Gallorum, II Germanorum vexillis, quorum dux [β] [r] Rockandorſus comes, II Italorum, et C equitibus Epirotis, quibus Theodorus [s] Bedenius praeerat. Sibi perſuaſerat Albanus, noſtros, cum primum de ejus adventu cognoviſſent, protinus eductis tormentis, locum deſerturos: ſed contradicebat Magius, qui vero ſimile negabat, Bonivetum Gallici peditatus praefectum et Ludovicum Biragum ſolertem juxta ac ſtrenuum virum eo temere veniſſe, ut inde ad primum ſtrepitum turpiter exirent: proinde tutius eſſe [t] Maſinum aggredi, aut [u] Eporediam ipſam, in qua capienda minus negotii ſubeſſet. Cum nihilominus in propoſito perſeveraret Albanus, ad primum adventum praeſidiarii egreſſi tanta alacritate cum hoſte conflixere, ut Raimundus Cardona, qui tormentorum praefectus erat, eorum impetus aegre ſuſtinuerit; vixque, quo minus tormenta in noſtrorum poteſtatem venirent, impedierit; vulneratus ipſe graviter, et Alexander [x] Carpeniae comes. Verberatio deinde inſtituta contra murum, qui Boniveti et Danvillae propugnacula interjacebat: ſic enim inter duces diſtributa, de eorum nomine appellabantur: verum ea verberatione parum profectum, Magio et Cardona ſemper altercantibus. Per xv dies oppugnatio fruſtra tentata, diſploſis II CIↃ et IↃ CCC ictibus, tot enim numerati ſunt; nec toto eo tempore foſſae aggerem muro oppoſitum hoſtis occupare potuit. Bonivetus ipſo pugnae calore profectus in propugnaculum de ſuo nomine dictum clypeo tectus inſiliit, et diu hoſtium vultus et ora contemplatus, ſcloppetorum grandine nequicquam eum undique petente, vix tandem a ſuis intra pomoerium retractus eſt. Fama de oppidi obſidione ſparſa, cum res non niſi proelio dirimi poſſe videretur, ſummiſſa a rege auxilia fuere: quorum de adventu ubi cognovit Albanus, multis amiſſis ex ſuis jamque fere diſſipato exercitu, ab obſidione diſcedere et retro [y] Vercellas recipere ſe coactus eſt. In itinere [z] Gabia caſtellum et [aa] Martini-fanum capta, quae mox feſtinatis operibus muniri imperavit. Haud longe a Caſalio, quod VI Kalendas Septembr.

CIↃIↃLV.

Henricus II.

VAR. LECT. [α] xxv *MS. Reg.* [β] Rocandulfus *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *Lombardie.* [b] *Riva rotta.* [c] *Vulpiano.* [d] *Saluggia.* [e] *Peſcara.* [f] *de Tolede.* [g] *le mareſchal de Briſſac.* [h] *de la Trinitad.* [i] *Valſenieres.* [k] *Caſal.* [l] *Fraſſineto del Po.* [m] *la grande Doire.* [n] *Livorno bourg du Piedmont à 15 miles au Nordoueſt de Caſal.* [o] *Santjà.* [p] *de Bonnivet.* [q] *de Birague.* [r] *de Rockendolf.* [s] *de Bedaigne.* [t] *Maſino.* [u] *Ivrea.* [x] *Carpegna.* [y] *Vercelli.* [z] *Gabiano.* [aa] *San Martino.*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

Septembr. ab hoſte inſidiis fruſtra rentatum eſt, jam aliquot Hiſpanos introduxerat [a] Albanus, in cujuſdam viduae domo abditos, qui noctu irrumpentibus ſuis, ſtatione caeſa, praeſto futuri erant: ſed irritum id conſilii fuit, deprehenſis literis, quibus dies dicebatur et dabatur ſignum, cum ab muliercula in cophino inter olera deferrentur. Eodem die et noſtri de capienda Aſta ſcalis admotis conſilium inierant: ſed brevioribus ſcalis repertis, conatus itidem fruſtra fuit.

XVII. HI caſus ut Albani jactationem, qui ſe XX dierum ſpatio totam [b] Subalpinam regionem ſub poteſtatem redacturum promittebat, vanitatis arguerunt, ita noſtris ad majora audenda animos fecere. Itaque [c] Volpianum aggredi placuit: quod, ut rebus noſtris magnopere incommodabat, quippe in meditullio eorum locorum, quae rex tenebat, ſitum, ita loco capto magnam acceſſionem fieri extra dubium erat. Deliberationem eam confirmavit, quod ex medico quodam reſciverat [d] Briſſacus CCCC circiter praeſidiarios tunc temporis ex morbo decumbere. In oppido omnino erant V ſigna ex Italis, Germanis et oppidanis ipſis conflata, CCCC circiter equites, cum ala levis armaturae Caeſaris Magii, qui oppido praeerat, et, cum nunc cum Albano eſſet, ut ſuppeteriae obſeſſis ferrentur, urgebat: quod commode fieri poſſe dicebat, ſi Albanus ad [e] Gaſſenum caſtra promoveret, ubi vado reperto facile noſtros ab obſidione averteret. Sub Auguſti finem convenerunt ad [f] Balengii fanum omnes noſtrae copiae, Claudio [g] Lotharingo Aumalio ductore: in queis erant Gallorum peditum XXII vexilla, Germanorum VIII ſigna, Helvetiorum VII, XV cataphractorum, IX levis armaturae equitum alae: quae omnes copiae, ut Monlucius ſcribit, V CIↃ peditum, CIↃ cataphractos, CIↃ CC levis armaturae equites efficiebant. Obſidioni etiam interfuere, praeter Aumalium ac Briſſacum, equites torquati [h] Angianus et Condaeus Borbonii fratres, Jacobus [i] Sabaudus Nemoroſii dux, Franciſcus [k] Guſierius Bonivetus, Franciſcus [l] Vindocinus Carnutum vicedominus, Joannes [m] Grongnetius Vaſſaeus, Artutus [n] Coſſaeus Gonnorius Briſſaci frater, Ludovicus [o] Biragus et, qui ultimus ſupervenit, Blaſius Monlucius: praeterea ingens primariae nobilitatis numerus, quae ad proelii famam ultro e Gallia in Italiam advolaverat. Ita diſpoſitus erat peditatus, ut tribus locis oppidum et arcem cingeret: Helvetii ad eam partem, quae Padum ſpectat, hoſpitium habebant: Germani inter Volpianum et [p] Lignium, Galli ad majus arcis propugnaculum ſtabant: Aumalius cum Borboniis, Nemoroſio ac proceribus ad Balengii fanum ſubſtiterat, CIↃ ab oppido paſſibus: Danvilla levis armaturae dux longius ad [q] Montematium receſſerat, II CIↃ ab urbe paſſibus, cum ſua equitum ala ac praeterea CC cataphractis et IV Italorum ſignis, eo miſſus, ut [r] Duriae tranſitum [s] Trino ac Creſcentino venientibus impediret. Miſſus et Rochus [t] Caſtaneus Rupipozaeus, qui [u] Brindiciae vada ſervaret. Is Emmanuelem Lunam ab Albano cum IↃ C ſcloppetariis Hiſpanis et Italis miſſum et [x] Pontem-Sturae profectum, ut auxiliareis oppido inſerret, cum noctu ſummo ſilentio Padum tranſmiſiſſent, intercepit, ita ut magna ſtrage edita vix ex toto illo numero XX C cum Luna ipſo incolumes in oppidum pervenire potuerint. Dum inſequuntur noſtri fugientibus immiſti, tumulum ante arcem excitatum et foſſa inter arcem ac propugnaculum ducta vallatum invadunt, et foſſam ipſam occupant. Inde verberatio tribus partibus inſtituta: ad majus arcis propugnaculum V muralia tormenta directa; IV ex Monlucii conſilio, qui cum Aumalio ipſo et [y] Feguerio haud citra periculum locum luſtraverat, perforato aggere, qui muro opponitur, ad eam partem diſpoſita, quae oppidum et arcem interjacet: IV denique ad illam partem, in qua Helvetii hoſpitium habebant. Biduo antequam

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Piedmont.* [c] *Vulpiano.* [d] *le mareschal de Briſſac.* [e] *Gaſſeno.* [f] *San Balegno.* [g] *de Lorraine, duc d'Aumale.* [h] *Jean de Bourbon comte d'Enguien, & Louis prince de Condé.* [i] *de Savoie, duc de Nemours.* [k] *de Gouffier, ſieur de Bonnivet.* [l] *de Vendôme, vidame de Chartres.* [m] *de Grongnet, ſieur de Vaſſé.* [n] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [o] *de Birague.* [p] *Liny.* [q] *Montenaro.* [r] *la Dore.* [s] *Trino e Creſcentino.* [t] *Chaſteigner, ſieur de la Rochepozay.* [u] *Brandici.* Paradin met *Braudiſſe: c'eſt un lieu ſur le Po.* [x] *Pondeſture.* [y] *de Fequieres.*

Digitized by Google

antequam ad propugnaculum, quod arcem tegebat, foſſa duceretur, [a] Chippius campiductor, noctu ſumptis induſiis albis, cum aliquot delectis in oppidi foſſam inſilierat, et in imo poſitas munitiones, quae utrinque vallum defendebant, dejectis praeſidiariis, occupaverat. Eodem tempore, dum verberatio continuatur, ad majus propugnaculum tres cunei acti. XIX diebus ac noctibus continuata verberatione, cum in eo eſſent, ut in cuneos ignis immitteretur, omnes ſtatim ad impetum faciendum parati ante ruinam conſtiterunt: ipſique Borbonii, Nemoroſius cum Boniveto, Ludovicus [b] Tremollius, Gilbertus [c] Levius Ventadurius, [d] Urſeus, Vidus [e] Dallonius Luda, [f] Caumontius Lauſunius. Cl. [g] Caſtreus, Joannes [h] Surchius Malicorneus et [i] Vivonus Caſtaneus cum iis erant. Igne immiſſo et inferiore propugnaculi fornice ſubverſo multi ex hoſtibus abſorpti ſunt; continuoque noſtri inſiliunt ac loco potiuntur, et, dum fugienteis inſequuntur, multos ex iis occiderunt, praeſidiariis, ne noſtri cum hoſtibus in arcem permiſti ingrederentur, portas occludentibus. In eo conflictu, in quo Borboniorum, Nemoroſii ac ceterorum procerum de periculo ſecurorum praecipua virtus fuit, interfectus Caeſar [k] Toletanus [l] Albani fratris filius, et [a] Garcilaſſus Vega magnae virtutis dux: capti Sigiſmundus Gonzaga et [m] Lazarus ſtipatorum Albani praefectus. Infelicior noſtrorum ſucceſſus fuit in ruinam alia parte eodem tempore irrumpentium: nam, cum ſcalis primo in foſſam deſcendendum eſſet, et inde in murum enitendum, artificioſorum ignium fulgetra, ſaxorum imbre, contis, ſcloppetorum ictibus noſtri tandem cum jactura poſt acre certamen repulſi ſunt; et [n] Tuttavilla Creantii comes ſaxo in capite ictus ex vulnere paulo poſt deceſſit. Quamvis is caſus laetitiam de occupato arcis propugnaculo conceptam aliquantum delibaſſet, [o] Aumalius tamen proſperi ſucceſſus ſpe plenus protinus ex Monlucii conſilio tormenta duo in propugnaculum ſubvehi imperat, unde in arcem verberatio torqueri poſſet. Quo animadverſo, praeſidiarii, qui facto virium periculo impareis ſe ad ſuſtinendos noſtrorum impetus viderent, poſtridie, qui fuit XII Kal. Octobreis, ad colloquium deſcenderunt; et, ut honeſtius deditio fieret, ut L ictus contra arcem diſploderentur, obtinuerunt. Ita impedimentis omnibus ſalvis, cum armis, ſignis explicatis, tympanis ſonantibus hoſtes oppido emiſſi ſunt, et Danvilla ductore Trinum uſque incolumes deducti. Capto oppido, quod XX annorum continuis excurſionibus ac depraedationibus in ſummam opulentiam excreverat, illud continuo moenibus nudari placuit: quod ſumma celeritate, convocatis undique ruſticis, qui inde ſummas injurias tanto tempore acceperant, Briſſacus exſecutus eſt. Interea Albanus munitionem ad [p] Sturae-pontem coeptam, quantum poterat, urgebat. Eo in oppido arx eſt rupi impoſita, in quam Ludovicus Sfortia a ſuis proditus ſub cuſtodiam a Ludovico XII conjectus fuit; magni momenti locus, quod eo munito [q] Auguſtam Taurinorum [r] Caſalio per aquam venientibus quodammodo iter praecluderetur. Itaque victor exercitus eo perrexit, [s] Duriaque ſtratis pontibus tranſmiſſo, prope Creſcentinum promota caſtra, ubi magnis et crebris velitationibus interim certatum eſt. Alteris caſtris Aumalius Liburnum venit, et poſtridie [t] Villam-novam haud longe a Caſalio: quo eodem die [u] Danvilla et [x] Rupipozacus cum levi armatura in aliquot pedites Hiſpanos, qui commeatum ac duas colubrinas ad Sturae-pontem deducebant, nec opinato inciderunt: cum iiſque iniquo loco congreſſi,

INTERPR. [a] *le baron de Chippy, meſtre de camp.* [b] *de la Tremoille.* [c] *de Levi, ſieur de Ventadour.* [d] *le ſieur d'Urfé.* [e] *de Daillon, comte du Lude.* [f] *de Caumont, ſieur de Lauzun.* [g] *de la Chaſtre.* [h] *de Chourſes, ſieur de Malicorne.* [i] *de Vivonne, ſieur de la Chaſtaigneraie.* [k] *de Tolede* [l] *le duc d'Albe.* [m] *le capitaine Lazare.* [n] *d'Eſtouteville, comte de Creance.* [o] *le duc d'Aumale* [p] *Pondeſture.* [q] *Turin.* [r] *Caſal.* [s] *la Doire.* [t] *Villeneufve.* [u] *Henry de Montmorency, ſieur de Danville.* [x] *le ſieur de la Rochepozay.*

NOT. [a] Dele *et Garcilaſſus Vega.* Il faut effacer ce nom, puiſque Monluc, d'où ce lieu eſt pris, n'en parle point, lib. 4 p. 261. 8vo. & auſſi, que M. de Thou, au livre ſuivant, parle de Garcilaſſo avec employ *Put*

congreſſi, inter anguſtas convallcis ſigillatim carpti et undique circumventi, multis ex ſuis ſeu captis ſive occiſis, vix tandem ſe periculo explicuerunt. Legatus [a] Peluſii ibi deſideratus, et Rupipozaeus ipſe graviter vulneratus.

XVIII. DUM [b] Caſalii trans Padum exercitus traducitur, agitatum inter duces, [c] Sturae-pontem an [d] Montem-calvum tentari expediret. Cumque Montem-calvum peti placuiſſet, ad Pontem-Sturae equitatus pugnam ciet, dum interea peditatus pertranſiret. Noctu admotis ſcalis oppidum ſine ſanguine a [e] Salvaſſone Caſalii praefecto captum eſt: nam infirmum admodum erat. Plus in arce negotii fore apparebat: et, cum in propugnaculum, quod portae ad dextram incumbebat, verberatio directa eſſet, impetu facto, noſtri primo repulſi ſunt. Munitio in ima foſſa ſuberat, ex qua hoſtes porrecta in latus ejaculatione noſtros foſſam ingredientes ſummovere poterant. Itaque in pontem a [f] Calliaco directa III tormenta; quibus pontem confractis catenis dejici, et, dejecto ponte, ipſam arcis portam perfringi poſſe ſperabatur: cuneus inſuper ſub propugnaculo actus. Venerat eo [g] Thermus a rege miſſus, ut cum ſummo imperio praeeſſet: ſed, cum intellexiſſet tot principes ac proceres, qui aderant, ei gravate parituros, ut erat prudenti et moderato ingenio, poteſtate ſibi conceſſa uti noluit. Verberatione facta, arcis praefectus, ubi ſe in eas anguſtias conjectum videt, de exitu citius juſto veritus, non expectato dum noſtri impetum facerent, Non. Octobr. deditionem paciſcitur in has conditiones: ut, rebus ſalvis, cum armis, explicatis vexillis et ſonantibus tympanis egrederetur, abducto ſecum, quo honorificentior eſſet diſceſſus, unico ex arce tormento: quod tamen, temone et rotis confractis, illi facere non licuit. Cum tam honorifica deditione ſibi tutus videretur, Sturae-pontem profectus recta ad Alvatum [h] Sandaeum oppidi praefectum rem excuſaturus tendit: ſed ille nihil cunctatus, quod indignum nomine Hiſpano factum exiſtimaret, hominem non auditum ſtatim in furcam agi juſſit. Magni momenti fuit is ſucceſſus; quod et oppidum ante [i] Albani oculos captum eſſet, cujus adeo formidabilis adventus in Italiam fuerat, et eo capto Sturae-pontis excurſiones fraenabantur, et Caſalii cum [k] Auguſta Taurinorum commercium et navigatio ſecurior reddebatur.

XIX. IBI commorante XL amplius dies exercitu, tempus militi reficiendo idoneum, laſcivientibus otio et rerum proſperitate noſtrorum animis, ultro a [l] Nemoroſio invitati hoſtes, ſi qui vellent virtutis periculum facere, et adverſis lancearum ictibus decernere. Jam antea, quando ad [m] Valentium noſtri certaverant, Danvilla tubicine miſſo idem a [n] Piſcariae marchione petierat: et ille quidem conditionem acceperat; ſed morbo impeditus, ut expectaretur, dum convaleſceret, obtinuerat. Tunc renovata ſponſio: et Thermus cum 10 equitibus et CC ſclopperariis exiit, certaturis praeſto futurus, ſi quid hoſtes contra fidem datam molirentur. Primus Nemoroſius cum Piſcario concurrit, bis irrito conatu: tertia vice haſtae utrinque confractae, ſed neutro vulnerato. Proximus [o] Claſſius Vaſſaei grandior natu filius cum Malaſpinae marchione comparatus certavit infelici exitu: nam adacta trans cervicem haſta dejectus eſt, et paulo poſt ex eo vulnere deceſſit. Nec felicior fuit Gaſparis [p] Bollerii Magneſii Rupipozaei legati ſors; qui cum [q] Alabenſi Hiſpano conflixit, et accepto pariter in cervice vulnere quatriduo poſt mortuus eſt. Verum adverſam noſtrorum fortunam ultus ſeu ſolatus eſt [r] Moncatus Pivarſii ſignifer, qui Franciſcum Caraſam pontificis agnatum commiſſis haſtis transfodit, et humi exanimem ſtravit. Inde poſt gratias, ut fit, perhumane actas et amplexus utrinque datos diſceditur. Rem paulo aliter narrant Itali: nam Nemoroſium a Piſcario leviter in brachio ictum, et a

INTERPR [a] *de Pelous.* [b] *Caſal.* [c] *Pondeſture.* [d] *Monte-calvo.* [e] *de Salvaiſon.* [f] *le ſieur de Caillac.* [g] *de Thermes.* [h] *di Sande.* [i] *le duc d'Albe.* [k] *Turin.* [l] *le duc de Nemours.* [m] *Valenza.* [n] *Marcheſe di Peſcara.* [o] *de Claſſé Vaſſé.* [p] *de Bolliers, ſieur d Manes, lieutenant de M. de la Rochepozay.* [q] *de Alava.* [r] *Monchat, enſeigne de Pivars.*

Nemoroſio Piſcarii equum vulneratum contra dictam in certamine legem memorant: praeterea, cum Nemoroſio veniſſe non Magneſium, ſed [a] Noallium, virum nobilitate et virtute inſignem, de quo in Metenſi obſidione diximus: et Georgium Manricem, non Malaſpinae marchionem, cum Claſſio conflixiſſe ſcribunt: cum vero, qui cum Noallio comparatus eſt, Caeſarem [b] Millortium vocant e Scotia oriundum: de cetero cum noſtris conveniunt. Briſſacus, illato in [c] Montem-calvum commeatu et impoſito A. [d] Dallio Piquinio Samarobrigae Ambianorum vicedomino cum idoneo praeſidio, diſcedit: et, quia jam autumnus inclinabat, in hyberna copias dimittit. Dum quiſque ad praeſidium ſibi a Briſſaco deſtinatum digreditur, [e] Claramontius, qui Caſalium petebat, a Piſcario, qui in inſidiis inter Montem-Calvum et Caſalium cum IↃ circiter levis armaturae equitibus et CCC ſcloppetariis latebat, interceptus eſt, et, amiſſis omnibus impedimentis ac XXX ex ſuis, vix cum vexillo ſe Caſalium recepit. Sed damnum paulo poſt [f] Salvaſſo ultus eſt, qui juxta Alexandriam cum II equitum Italorum alas divertiſſe reſciviſſet, eo noctu cum IↃ ſcloppetariis et XXX circiter equitibus ex Claramontianorum reliquiis, VI Eid. Decembris profectus, eos, dum cibum ſumerent, intercepit: deſiderati ex hoſtibus amplius LXI multi praeterea equi magni pretii in noſtrorum poteſtatem venere.

XX. INTEREA, fama de Turcicae claſſis, quae, jam Apulia et Calabria decurſa, [g] fretum Mamertinum enavigaverat, adventu ſparſa, Coſmus omnem operam dabat, ut Plombinenſis ora, qua parte Turci impetum facturi credebantur, milite et rebus ad propugnationem neceſſariis muniretur. Promota itaque caſtra [h] Plombinum verſus, et [i] Caparbio in itinere et [k] Telamonis turre capta, et relicto ad latus [l] Groſſeto, quod diuturnioris obſidionis eſſe apparebat, [m] Caſtellionem Piſcariae admotis tormentis capit. Inſuper [n] Liliorum inſula haud longe ab [o] Herculis portu, et inſulae arx a Marco Centurione triremium praefecto ſub poteſtatem redacta eſt. Noſtri, ne nihil interea agerent, [p] Cluſio et locis vicinis IↃ circiter peditibus et L equitibus coactis et ſuperindutis interulis [q] Politianum aggrediuntur, ſed irrito ſucceſſu. Contra miſſae ab hoſtibus IV equitum Neapolitanorum alae [r] Clantianum cum aliquot cohortibus, quae circumjacentem ad [s] Ilcini-montem regionem vaſtarent: ejuſque rei cura commiſſa Hieron. [t] Albitio. Miſſi et magno numero foſſores, qui [u] Caſſeripodium haud longe a Plombino propugnaculis aliquot excitatis munirent, [x] Liburno, Herculis-portu ac [y] Ferrato portu ad id ſubminiſtratis machinis et reliquo apparatu bellico, ſummae rei praefectus Lucas Antonius [z] Cupanus; cui adjunctus [aa] Petrus Montius cum CC peditibus et Symeon Roſerminius et Alfonſus [bb] Antianus Piſani cum ſingulis peditum vexillis. Arceſſitur et [cc] Volaterris Dominicus [dd] Rinucinus, Plombinoque cum CC peditibus imponitur. Exercitui terreſtri praeerat Vitellius; cui adjuncti denuo Joan. Baptiſta Martinius et Vincentius [ee] Lignacus cum C levis armaturae equitibus. Jamque Turcica claſſis, quae LXXX triremium erat, [ff] Pontiis egreſſa ex adverſo [gg] Terracinae, ſecundo vento uſa, ad [hh] Stephani-fanum appulerat, cum paulo ante Cupanus cum ſuis in [ii] Ilvam trajeciſſet: atque inde IV Eid. Quintil. in Plombini conſpectum venit, quo ſe nuper Chapinus Vitellius cum II Germanorum vexillis, praeter Italorum praeſidium, quod jam in oppido erat, de obſidione metuens incluſerat. Dum claſſis ante Plombinum ſtaret, XX navigia, quae Algeria venerant, ad Populoniam deflectunt, civitatem olim frequentem, nunc fere deſertam: cujus oppidani, cognito Turcorum adventu, relictis domibus, huc illuc ſparſis, ſtatim in arcem confugiunt, et urbem hoſti diripiendam permittunt. Dum

arx

INTERPR. [a] *de Noailles.* [b] *Millard.* [c] *Monte-calvo.* [d] *de Dailly, ſieur de Piquigny, vidame d'Amiens.* [e] *de Clermont.* [f] *de Salvaiſon.* [g] *Faro di Meſſina.* [h] *Piombino.* [i] *Caparbio.* [k] *Torre di Telamone.* [l] *Groſſeto.* [m] *Caſtiglione della Peſcaia.* [n] *l'Iſola del Giglio.* [o] *Porto-Ercole.* [p] *Chiuſi.* [q] *Monte-pulciano.* [r] *Chianciano.* [s] *Montalcino.* [t] *de gli Albizzi.* [u] *poggio del Caſſero.* [x] *Livorno.* [y] *Porto-ferraio.* [z] *Cuppano.* [aa] *Piero del Monte.* [bb] *dell' Ante; di Piſa.* [cc] *Volterra.* [dd] *Rinuccini.* [ee] *Lignago.* [ff] *l'Iſola di Ponza.* [gg] *Terracina.* [hh] *porto Santo Stephano.* [ii] *Elba.*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

arx a Turcis obſidetur, reliqua claſſis ad [a] portum Fareſum juxta Plombinum deſcenderat, et in terram III CIↃ [b] praetorianorum et aliorum Turcorum expoſuerat: quod ubi animadvertit Leo [c] Sanctius, cum equitatu progreditur, ut in Populoniae arce obſeſſis ſuppetias ferret. Nec cecidit in vanum conatus: nam Turci, equitatu adveniente territi, ab obſidione diſcedunt, et, amiſſis aliquot ex ſuis, ad navigia ſua propere confugiunt. Tum inter Plombinum et Fareſum acriter pugnatur: neque enim plus CIↃ paſſuum intervallum eſt: egreſſuſque Vitellius et evocatis Germanis, praemiſſo Salae comite Madrucii legato, ipſe cum tota acie ſuperveniens violentam in Turcos impreſſionem facit, ſariſſophorum praecipue opera uſus, et Turcorum ordines ſolvit: quibus diſſipatis cum Germani inſtarent, diſploſis aliquanto tempore ex claſſe tormentis inſequentium impetus retardatus eſt: ſed accenſi ſucceſſu Germani et animoſius invecti non prius a pugna deſtiterunt, quam recedenteis Turcos in claſſem uſque compulerunt, CCCC circiter ex iis occiſis, in iiſque praetorianorum duce, ac paucis admodum ex ſuis deſideratis. Cum inde duas horas continuas claſſis Turcica in Chriſtianorum conſpectu in anchoris ſtetiſſet, verſis proris in Ilvam curſum dirigit, et [d] Longonis-portum petit; vaſtatoque circum agro et praedis factis atque abductis more ſuo captivis, nullo alio praeterea operae pretio, poſt levia aliquot certamina, in Corſicam, ut ſe cum noſtris conjungeret, perrexit. Eo jam [e] Maſſilia appulerat claſſis Gallica XXVIII triremium, duce [f] Polinio Garda; quibus impoſiti erant CIↃ IↃ delecti cum copioſo commeatu ac cetero inſtrumento bellico.

XXI. TUM rurſus Calvium obſideri placuit; quo capto tota inſulae poſſeſſione Genuenſeis dejici poſſe ſperabatur. Oppidum illud paulo ante a [g] Paulo Jordano fruſtra tentatum fuerat, et poſt introducta ab Andrea Auria auxilia ipſe locis munitis ſe continuerat, dum Turci advenirent: qui poſtquam a [h] Corſo promontorio litus infeſto milite percurrerunt, III CIↃ circiter ſuorum in terram exponunt, ac totidem noſtri: productiſque machinis XI, ex adverſo portae oppidi cas ſtatuunt, et III alias ad arcem verberandam eodem tempore educunt: ab ea parte, quae mare ſpectat, ut diſpoſitae et II colubrinae, quae obliqua pulſatione defenſores infeſtabant. IV Eid. Sextil. magna murorum edita ſtrage, admotae ſcalae et impetus a Vaſconibus noſtris factus; terque redintegrato certamine, ter noſtri repulſi, multum indignante Urſino, qui nullum non ſtrenui ducis ac militis munus ea die implevit. CCC fere ex noſtris deſiderati ſunt: amiſſa praeterea III ſigna. Poſtridie Turci, qui ſpectatores ſederant, quaſi ad impetum faciendum ſe parant: ſed, contenti confuſis vocum ſtridoribus aures praeſidiariorum impleviſſe et crebra ſcloppetorum diſploſione coelum miſcuiſſe, a certamine abſtinuere: continuo, re deſperata, machinae reductae et triremibus una cum milite impoſitae; ulteriuſque progreſſi noſtri ad [i] Baſtiam caſtra ponunt, optime ab Auria antea munitam: cumque Urſinus admoveri tormenta juſſiſſet, Turcis recuſantibus vireis conſerre, neque per ſe ipſe rem conficere poſſet, res exitum non habuit. Ita ſub finem Sextilis inde Turcica claſſis orientem verſus, poſtquam Sardiniae oram pervagata eſt, ad ſua revertitur: noſtri Maſſiliam, unde venerat, paulo poſt ſe contulit.

XXII. HORUM diſceſſu ſecurior Coſmus, qui, veritus ne noſtri a Turcis adjuti rurſus Etrutiae oram tentarent, Plombinum feſtinatis operibus muniebat, impoſitoque Leonida Malateſta cum novo praeſidio locum firmaverat, ad cogitationem antiquam de vaſtando circa [k] Ilcini-montem agro animum adjecit. Sed conſilium illud interturbaverunt Senenſium, qui ad Ilcini-montem rempublicam ordinaverant, et noſtrorum in Etruria conatus. Nam, miſſis ultro citroque literis, et qui Senis remanſerant, et qui libertatem fortunis omnibus praeferentes ad Ilcini-montem convenerant,

INTERPR. [a] *Porto Fareſe.* [b] *Janiſſaires.* [c] *Santi.* [d] *Porto-longone.* [e] *Marſeille* [f] *le baron de la Garde, dit le capitaine Polin.* [g] *Paolo Giordano Orſino.* [h] *Capo Corſo.* [i] *la Baſtia.* [k] *Montalcino.*

convenerant, ſeſe invicem confirmabant; et, quamvis ſenatus in urbe a Coſmo ex [a] Angeli Nicolini ſententia inſtitutus publicis literis Senenſeis exſules, ut in civitatem redirent, invitaret, id coacte non ſponte fieri apparebat. Itaque Caeſariani, ut ſecuritati ſuae conſulerent, omnibus armis oppidanos exuerant, etiam iis, quae ſui defendendi cauſa, non ad vim inferendam inſerviunt, ac loricis praeterea annularis, quarum frequens uſus in Italia promiſcue permittitur. Suſpicionem augebat, quod, occupato in maritima ora Coſmi milite, Corn. Bentivolius emiſſis aliquot peditibus cum equitatu [b] Bonconventum uſque excurrerat, et [c] Kyriaci-fanum non bene praeſidio firmatum occupaverat: [d] Crevolium praeterea praefecti ignavia deditum in fidem acceperat: [e] Claromontius in ora maritima conſimiliter [f] Caſtellionem Piſcariae receperat, paulo ante a Vitellio captum, ultro etiam arce dedita: et quotidie [g] Petiliano novus miles Groſſetum conveniebat. Itaque Coſmus, qui [h] Senis metueret, III Hiſpanorum vexilla, quae inde deducere conſtituerat, minime loco movenda pro tempore exiſtimavit; ſed, praemiſſo Hier. [i] Piſano, qui Italis illuc propediem mittendis praeeſſet, [k] Sanfiorianum ad exercitum evocaverat: inſuper et novos delectus in [l] Arretino agro et per [m] Umbriam haberi mandaverat. ⅠↃCC delecti, qui ſub [n] Chapino Monte-veterano, Antonio Maria Peruſino et Thoma [o] Theodulio Forolivienſi militarent: ac Politiano Joan. Baptiſtam [p] Bonjaninum Arretinum, Caſolio Thomam [q] Salatiae comitem, cum ſingulis ſignis, ac poſtremo [r] Corſiniano, a quo ſibi plus timebat, [s] Sigiſmundum Roſſium ex nobili [t] Sanſecundorum comitum familia, impoſuit. Dum haec fiunt, et Chapinus Vitellius molarinis, quae circa [u] Campiliam ſunt, in ora maritima ſub poteſtatem redigendis occupatur, noſtri rurſus egreſſi pridie Kalend. Sextil. [x] Lucinianum, quod a [y] Concepto tenebatur, ſcalis admotis aggrediuntur: ſed, praeſidiariis gnaviter ſe defendentibus, et oppidanis, ne praedae victori eſſent, praeſidiarios adjuvantibus, fruſtra fuere. Ad hunc motum Sanflorianus Coſmi juſſu Senis cum parte Germanorum et Hiſpanorum exierat, et [z] Lucinianelli haud longe a Bonconvento conſederat. Noſtri inde, ne re omnino infecta redirent, Corſinianum deflectunt, et Sigiſmundum Roſſium, qui loco praeerat, antequam Sanflorianus auxilio accurreret, eo adigunt, ut honeſtis conditionibus deditionem faceret, vitam et res ſalvas ſuis pactus, et ut iis liceret ſignis explicatis exire: hac lege tamen, ne intra VI menſeis contra regem ac Senenſium, qui ad Ilcini-montem erant, rempublicam arma ferrent. Cum Coſmus male animatos non ſolum Senenſeis ſed et populareis videret, et tam crebras oppidanorum, qui ſe ſponte dedebant, defectiones neceſſario conſequi indignaretur, de diruendis caſtellis et ſolo aequandis oppidorum moenibus, iis tantum exceptis quae limiti contra noſtros defendendo neceſſaria erant, conſilium ſecreto inierat: idque Caeſarianis approbaverat: ſed, quo minus id executioni demandaretur, obſtabat, quantum poterat, ſenatus, qui Senis erat, qui libertatis ſeu reipublicae umbram ſub Caeſaris nomine tuebatur. A pecunia quoque laborabatur; nec ſtipendia a Caeſare et Philippo filio ex regno Neapolitano et Sicilia promiſſa repraeſentabantur, frementibus Hiſpanis, et eorum exemplo Germanis, qui duorum menſium ſtipendium ac tertium praeterea pro re bene ad [aa] Plombinum geſta ſuperbis ac ſeditioni proximis verbis flagitabant: quo fiebat, ut Senarum urbs nondum bene confirmata in periculo verſari videretur. Itaque Coſmi rogatu a Caeſare Franciſcus [bb] Toletanus miſſus fuerat, qui urbi cum ſummo imperio praeeſſet. Is jam exarmatos civeis nactus, cum rem, ſi non omnino confectam, ſaltem bene coeptam judicaret, ulteriora ſibi tentanda exiſtimavit; et contra pacta ac fidem datam non ſolum novam reipublicae

INTERPR. [a] *Agnolo Nicolini.* [b] *Buonconvento.* [c] *San Chirico.* [d] *Crevoli.* [e] *Chiaramonte da Groſſeto.* [f] *Caſtiglione della Peſcaia.* [g] *Pitigliano.* [h] *Siena.* [i] *da Piſa.* [k] *il conte di Santafiore.* [l] *d'Arezzo.* [m] *la Romagna.* [n] *Chiappino da Monte-vecchio.* [o] *Theodoli da Forli.* [p] *Bongianni d'Arezzo.* [q] *il conte di Gattara.* [r] *Pienza.* [s] *il conte Sigiſmondo de' Roſſi.* [t] *di San Secondo.* [u] *Campiglia.* [x] *Lucignano.* [y] *Concetto.* [z] *Lucignanello.* [aa] *Piombino.* [bb] *de Tolede.*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

reipublicae formam inſtituit, ſed omnem libertatis ſpeciem prorſus ſuſtulit. Cum enim magno applauſu exceptus eſſet, et praefectus populi ad eum ſalutandum adiiſſet, ac, nupero civitatis ſtatu multis verbis deplotato, civium promptiſſimum ad omnia ſtudium Caeſari et Philippo filio detuliſſet, Toletanus, laudata eorum adeo propenſa voluntate, ſubjecit, non alium tantarum calamitatum ſe videre exitum, quam ſi ſe et omnia ſua optimorum principum arbitrio ac voluntati ſine conditione et exceptione permitterent: in quam ſententiam, quae vim blandis hortatibus admiſtam habebat, conſenſit populus, et mox ſenatus: et quamvis Caeſar, ne Coſmo offenſionis cauſam praeberet, pacta ab eo ſacta, quae non ſatis conſiderate Toletanus approbaverat, rata habuiſſet, novum denuo inſtrumentum ea de re confici mandavit, quo ditionem Senenſium jure Imperii ad ſe devolutam Philippo filio conceſſit, et reſciſſis pactis a Coſmo conventis ſupremum ac merum in eam rempnblicam imperium a civibus ipſis in ſe translatnm eidem attribuit, et aedificandarum arcium et quarumvis aliarum rerum, etiam citra ſenatus ac populi conſenſum, ordinandarum poteſtatem ſecit. Jus inſuper civis Toletano ſpecialiter conceſſum, et ut in ſenatum, cum vellet, veniret, et quod ſibi videretur in medium proponeret, atque in omnibus negotiis Prioris, ſicuti vulgo vocant, auctoritatem obtineret. Id facere pronum fuit Caeſari, inſeſſa a praeſidiariis civitate: nec deerant etiam ex civibus, qui libertatem mallent, qui non aliter Florentinorum ac Coſmi jugum, quod ſummopere exhorreſcebant, excuti poſſe dicerent, et oppida ac caſtella ſuae ditionis a Coſmo poſſeſſa recuperari, quam ſi reſpublica, quae ſe defendere per ſe non poſſet, in Philippi potentiſſimi principis manus ſe ſponte traderet; qui a Coſmo occupata repoſcere, et eos, conſtitutis in Italia rebus, aliquando in antiquam libertatem ſuo beneficio vindicare poſſet. Quod cum in ſuam perniciem fieri videret Coſmus, tamen id prudenter diſſimulabat, occaſionem rei conficiendae opperiens, et, quantum in ſe erat, res Caeſaris et Philippi ejus filii, quorum parteis ſequebatur, ope, conſilio ac viribus adjuvabat.

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER DECIMUS SEXTUS.

EPITOME.

NOVI pontificis per Etruriam motus et ſuorum machinamenta; ad quae Coſmus initio diſſimulat. Jo. Franc. Vidius Balnei comes avitorum bonorum poſſeſſione dejectus et Romam citatus. II. *Carafarum in Caeſarem et ejus partibus addictos odium. Sfortiae Sanfloriani ob id infeſtati.* III. *Perſcriptae Romae ab Avanſono oratore regio et Georgio Armeniaco cardinali conditiones, et in Galliam per Hannibalem Oricellarium miſſae; ſecundum quas infauſtum nobiſcum percuſſum foedus: ejus ſiniſtrum augurium a Turnonio cardinali prudentiſſimo viro factum. Crevolii in Etruria a Caeſarianis expugnatio.* IV. *Corn. Bentivolii ſucceſſus. Sarteanum amiſſum.* V. *Meleniani Inſubribus praefecti Mediolani obitus; ſolertia, crudelitas, varii mores. Huic Chriſtophorus Madrucius cardinalis ſufficitur.* VI. *Albanus Genuam venit, et inde Neapolim devehitur, bello contra pontificem gerendo dux deſtinatus.* VII. *Jo. Groperi et Claudii Eſpencaei honorificum elogium.* VIII. *Bellum inter Caeſarem et regem Carafarum accaſione renovatum. Noſtrorum in Belgico limite ſucceſſus. Ad Germinium haud longe a Givaco, et mox ad Givacum ipſum conflictus.* IX. *Batavicae item naves ex India redeuntes a Gallis ſive incendio ſeu direptione conſumptae, magna utrinque jactura, et Spinavilla Harflorienſi claſſis noſtrae duce deſiderato.* X. *Henricus Navarrae rex Pavii in Benearnenſi principatu moritur, Joanna filia, quae Antonio Vindocino duci nupſerat, relicta regni herede.* XI. *Domeſtica ſequuntur. Criminalium rerum ſuccincti quaeſitores. Cum rex ſectarii criminis cognitionem ſibi ac judicibus ſuis ſumpſiſſet, hoc anno diploma fecit, quo eam eccleſiaſticis judicibus relinquebat; praefectiſque ſuis mandabat, ut, quos illi ac fidei quaeſitores ut pravae opinionis convictos damnaſſent, pro delicti magnitudine, ſine mora nec ulla provocationis habita ratione, punirent. Graviſſima contra diploma ſenatus Pariſienſis interceſſio.* XII. *Tranſactum cum Joanne Broſſio Stamparum duce de Armoricano principatu.* XIII. *Genevae et Lucernae motus.* XIV. *Clarorum virorum mortes, Wolfangi Lazii, Conradi Pellicani, Georgii Agricolae, Gemmae Friſii, Edvardi Wotoni, Iſidori Clarii, Olympiae Fulviae Moratae, M. Ant. Majoragii, Orontii Finei, Petri Gillii.* XV. *Nic. Durandi Villagagnoni in Americam expeditio. Andreae Theveti ineptae praeſtigiae.* XVI. *Auguſtana comitia, et Naumburgenſis ex iis ſecutus conventus, in quo inter Proteſtanteis initum foedus. Agitata inter Philippum Heſſum et Willelmum Naſſovium Arauſionenſem de Cattorum ditione controverſia, nullo exitu.* XVII. *Tandem* VII *Kalend. Octobr. poſt magnas contentiones, religioni data pax, belli hinc Turcici hinc Gallici metu: ſociis Auguſtanae confeſſionis permiſſa ejus libera profeſſio, ita ut propter eam nemini in vita ac bonis vis fiat.* XVIII. *De coena Domini inter Proteſtanteis controverſia renovatur.* XIX. *Joanna Caeſaris et Ferdinandi parens moritur.* XX. *Caeſar de abdicanda omni rerum humanarum a ſe cura cogitat, exemplo aliorum principum, et ſolemni Bruxellis conventu in filium velleris aurei equitem creatum omnia regna ac ditiones transfert, Imperio in Ferdinandi fratris jam Romanorum regis gratiam ejerato.*

Ex

EX AUCTORIBUS,

Jo. Baptiſta Hadriano, Onufrio Panvinio, Alexandro Andrea, Franc. Rabutino, Lud. Guicciardino, actis Curiae Pariſienſis, Thoma Cormerio, Jo. Lerio, Jo. Sleidano.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

COSMUS cum ſummis in Etruria et apud Caeſarem difficultatibus conflictabatur, tum longe majoribus Romae diſtinebatur. Nam, ſtatim ubi Paulus IV inauguratus fuit, non pacifici patris ſed indulgentiſſimi in ſuos patrui ſpecimen dedit, et rerum novarum ſuſpicionem Caeſari atque iis qui Caeſaris partibus addicti erant, non exiguam injecit. Itaque et mox a Coſmo Matthaeum [a] Stendardum Caroli Carafae ſororis filium, qui tanquam exſul Neapolitanus cum aliis Florentinis captivus jam longo tempore detinebatur, ſuperbe repoſcit: eumque cum facile a Coſmo ac Toletano, qui tunc Caeſaris negotia in Etruria adminiſtrabat, obtinuiſſet; et Carolum ipſum Carafam, qui noſtras partes ſequebatur, et diu ſub Strozzio militaverat, ac nuper [b] Herculis-portum defenderat, ſtatim cardinalem creavit, ſuperbo et alieno a quiete ingenio hominem, et belli potius quam pacis artibus innutritum. Evocaverat et [1] Alfonſum Carafam, [c] Montorii comitem, Caroli fratrem; mitiori quidem ingenio virum, ſed non minus propagandae familiae vel cum aliena jactura cupidum: quem paulo poſt, remoto ab eccleſiae gubernaculis [d] Urbinatium duce, traditis ſolemni pompa inſignibus ac ſcipione, ſummae rerum praefecit. Tunc et [e] Camertium principatus, quem Julius III Balduino fratri ac Fabiano ejus filio deſtinato Coſmi genero conceſſerat, ei ademptus et eccleſiae patrimonio reſtitutus, promiſſis ejuſdem reditus poſſeſſionibus. Accidit et tunc, ut admodum exulceraretur pontificis animus ex hac occaſione; quod Joannes Franciſcus [f] Junius exſul Florentinus indigne per conductos ſicarios occiſus Romae fuerat; de qua caede dum quaereretur, culpa ſeu ſuſpicio in Averardum [g] Serriſtorium Coſmi apud pontificem oratorem recidebat: quem vero ſimile fiebat curaſſe, ut generoſus vir ac libero ingenio praeditus civis, proindeque Coſmo hero formidoloſus, de medio tolleretur. Cum igitur Coſmus cum pontifice egiſſet, ut Rodolphi [h] Balеoni in agro [i] Peruſino poſſeſſiones ab Hadriano fratre, dum ſedes vacaret, occupatae, Rodolphi filiis, quorum tutelam ſuſceperat, reſtituerentur, id quidem ab eo impetraverat; ſed nihilominus, cardinali Carafa poſtea contradicente, res confici non potuit: nec contentus ille beneficium a patruo conceſſum denegaſſe, ultro etiam Coſmum monuit, ut archiepiſcopatus Florentiae vectigalia, quae propter Antonii [k] Altoviti archiepiſcopi exſulis crimen prochotrophio addicta fuerant, ipſi Altovito reſtituerentur. Lis etiam mota Jo. Franciſco [l] Balnei comiti ex nobili [m] Vidorum familia, qui ſemper Coſmo militaverat, propter pecuniam in [n] Caeſenate agro pontificiae ditionis Gallis ademptam; et ipſe Romam citatus eſt: qui, cum ad vadimonium non reſponderet, neque ad diem dictam compareret, etiam proſcriptus eſt: ob idque poſtea Aſcanio [o] Corneo, qui [p] Cluſii captus nuper cum [q] Lanſaco Florentiae captivo permutatus fuerat, negotium datum, ut

INTERPR. [a] *Stendardo.* [b] *Porto-Ercole.* [c] *Montorio.* [d] *Urbino.* [e] *Camerino.* [f] *Giugni.* [g] *Serriſtori.* [h] *Baglioni.* [i] *Terr. da Perugia.* [k] *Altoviti.* [l] *Bagno.* [m] *Guidi.* [n] *Ceſena nella Romagna.* [o] *della Cornia.* [p] *Chiuſi.* [q] *de S^t. Gelais, ſieur de Lanſac.*

NOT. [1] Dele *Alfonſum*: lege *Joannem* Il Charles, le ſecond Antoine, & le troiſiéme ce Jean-n'eſtoit que le troiſiéme: l'aîné eſtoit le cardinal ci dont il eſt queſtion ſelon Sanſovin. *Put. L.*

ut cum x peditum vexillis proſcripti caſtella occuparet. Miſſus et cum eo Ant. Carafa pontificis agnatus, cui bona illa donata erant, qui, per Picenum profectus, Ancona [a] Ariminum machinas per mare deportandas curaverat. Suſpicio erat, Coſmum clam Balnei cnmitem adjuvare, [b] Caſtrocaro, qnod in utriuſque confiuibus eſt, novo milite firmato: quod cum pernegaret Coſmus, tum captis aliquot nullo negotio comitis locis, conſtitit, Coſmum poutificis metu medium ſe eo in bello geſſiſſe. Poſtremo [c] Montis-belli oppidum et mox arx a pontificiis capta, diffugientibus praeſidiariis: et ita omni bonorum poſſeſſione exutus Balnei comes, diſſimulante injuriam Coſmo, ne ſe iutempeſtivo bello immiſceret. Cumque pontifex ſeveris admodum edictis propoſitis vetuiſſet, ne quis ſuae ditionis alteri principi, niſi impetrata a ſe licentia, militaret, Leonidas Malateſta et Jacobus ejus filius ac plerique alii proſcriptionem veriti Caeſarem et Coſmum deſeruerunt: ſolus M. Ant. [d] Reatinus, qui Caſtrocaro cum delectorum vexillo praeerat, pontificis edicta contempſit, et in Coſmi fide conſtanter permanſit.

II. Haec levia in ſpeciem initia cum ſuſpectam Carafarum ambitionem Caeſari et Coſmo reddebant, tum vero novi motus repente in urbe exorti omnia miſcuerant. Horum haec origo fuit. [e] Sanflorianus comes Sfortiae gentis princeps, qui cum Guidone Aſcanio cardinali et Alexandro [f] camerae, uti vulgo appellant, clerico, fratribus, parteis Caeſarianas ſemper ſecutus fuerat, ſedulo cum Carolo [g] Hieroſolymitanae militiae per Langobardiam praefecto et Mario nuper capto, alteris fratribus, egerat, ut regem deſererent, et tutiori fortunae fortunas ſuas crederent: idque ipſis facile perſuaſerat, poſtquam, captis [h] Senis, majorem Sfortiae gentis bonorum partem in Caeſaris poteſtatem venire neceſſe erat. Sed Carolus, qui ſub Henrico merebat, et III triremeis optime inſtructas [i] Maſſiliae habebat, ante omnia petebat, ut, priuſquam a regis obſequio diſcederet, duas ſaltem triremeis in Caeſaris portum aliquem poſſet ſubducere, ne nudus et inermis ad eum tranſiiſſe videretur. Id quo ſine ſuſpicione perficeret, [k] Centumcellas pontificiae ditionis oppidum eas evocaverat: quae eo mox regis permiſſu et Nicolai [l] Alamanni ductu, cui illas rex commendaverat, appulere; ſtatimqne Alexander Caroli frater, cum triremeis a fratre emiſſe diceret, dejectis inde Gallis, et ſpnliato omni imperio ipſo Alamanno, ſui juris illas fecit: neque tamen eas deducere potuit, quod excitato tumultu Petrus [m] Capuanus arcis praefectus, expoſtulante de injuria apud ipſum Alamanno, ne inde exiret, portu clauſo prohibuerat. Verum interea rei certior factus cardinalis frater, antequam de ea pontifex quidquam reſciret, per Joannem Franciſcum [n] Lottinum, qui ei ab epiſtolis erat, hominem fidum ac diligentem, a Joanne [o] Moutorii comite diploma ad Centumcellenſis arcis praefectum impetrat; quo ille jnbebatur Alexandrum cum triremibus libere dimittere; qui, propere accepta a praefecto licentia, cum iis Cajetam atque inde Neapolim ad Bernardum Mendozam profectus eſt. Id ubi per oratorem regium pontifex cognovit, immane quam commotus eſt imperioſus ſenex, qui pro illuſtriſſimae familiae decore, cui injuriam factam exiſtimabat, pro innata animi magnitudine et dignitate ac potentia ſibi ab Jeſu Chriſto credita, ſtatim cardinali Sanfloriano ſub ſevera interminatione mandavit, ut triremeis quam primum reducendas et Alamanno reſtituendas curaret: Alexandrum ipſum citari juſſit, ut tam audacis facti rationem redderet. Hoc veluti claſſico, quaſi jam bellum pontifex denunciaſſet, excitati exſules Neapolitani ac Florentini et ex aliis Italiae partibus magno numero Romam momento confluxere, invitante eos cardinali Carafa, homine inquieti ingenii, et qui alioqui inveterato odio Hiſpanos proſequebatur. Is ſiquidem cum Caeſari

INTERPR. [a] *Rimini.* [b] *Caſtrocaro.* [c] *Monte-bello.* [d] *da Rieti.* [e] *di Santafiore.* [f] *cherico di Camera.* [g] *le prieur de Lombardie.* [h] *Siena.* [i] *Marſeille.* [k] *Civita-vecchia.* [l] *Alamanni.* [m] *di Capoua, al Capouano.* [n] *Lottini.* [o] *Moutorio.*

Caeſari bello Germanico miliraret, ſuborta de captivo quodam controverſia ab Hiſpano injuria laceſſitus, cum apud [a] Albanum expoſtularet, et, ut ſibi honotifica duelli ratione ſatisfieret, ab eo peteret, non ſolum non auditus eſt, ſed et ignominioſe repulſus: cumqne ob id in Italiam relicto exereitu ſe reciperet, [b] Tridenti Caeſaris juſſu retentus fuit, nee prius dimiſſus, quam idonee eaviſſer de non provocando ad eertamen adverſario, profeſſus plene ſibi ab eo ſatisfactum. Ab eo tempore ſemper a Caeſaris partibus alieno animo fuerat; et, contracta cum Petro Strozzio arctiſſima amicitia, quantum poterat, patrui animum natura per ſe praecipirem ſuſpicionibus implebat, et contra Hiſpanos inſtigabat. His accedebant et privatae ipſius pontificis [α] injuriae, a Caeſare acceprae. Eae erant; qnod, dum archiepiſcopus [c] Theatinus eſſet et poſtea [d] Brunduſinus atqne in publico regni concilio ſenator, miſſus a pontifice in Angliam legatus, ignominioſe ſenatoria illa dignirate a Caeſare nulla juſta de eauſa ſpoliatus fuerat: quod in cardinalium collegium allectus a cubieulario ſuo Hiſpano venenum ſibi paratum deprehendiſſet: quod, dum libere more ſuo in conſiſtorio ſenrentiam diceret, Caeſarem ut ad Proteſtanrium eauſam conniventem arque adeo tanquam haereticorum ſautorem perſtrinxiſſet: id namque Caeſar ad animum revocaverar; ſactumque ex ea re fuerat, ut ipſe, archiepiſcoparu Neapolitano donatus, longo tempore a Caeſaris miniſtris, quo minus in poſſeſſionem mitteretur, et libera ejus juriſdictione uti poſſet, prohiberetur. Recens etiam adhue erat memoria interceſſionis Caeſarianorum, qui nihil non fecerant, ut electionem ejus impedirent. Haec ille animo repetens, nec ſatis perpendens quam, a pecunia milite ac ceteris rebus ad bellum neceſſariis imparatus, intempeſtive arma ſumeret, dum ſuis plus nimis auſcultat, damnoſo ſe juxta atque injuſto bello et amicos ſuos implicuit: et quamvis [e] Marius Sſortia cardinalis fratris juſſu, ut quoquo modo irriratum pontificis animum placaret, ad Mendozam profectus eſſet, et, periculum fratris veritus, cum urgeret, ut triremes ab Alexandro fratre abductae [f] Centumcellas reducerentur, quod et ſactum eſt, nihilominus cardinalis Caraſa, ut omnem conciliandarum rerum rationem tolleret, ſama ſparſa de conjuratione contra pontificem in [g] camerarii aedibus inira, eum, ad ſe pontificis nomine vocatum, ſtatim currui impoſitum in [h] Hadriani molem ſub cuſtodia miſit. Eodem rempore et comprehenſus Camillus [i] Columna, in ſpeciem quod cum [k] Sarriae marchione oratore Caeſareo, et [l] Cincioni comite, qui Philippi nomine ad obſequium pro more deferendum paulo ante in urbem venerat, frequentia ac ſecreta colloquia babere diceretur; re vera, quod, licet eum omnium rerum, quas in ſe patratas dicebat, ignarum ſciret, quia tamen verebatur, ne vir ſtrenuus, et praecipuum Columniae ſamiliae columen, pontificibus ſemper inſeſtae, aliquid in Caeſaris grariam nnvaret, idcirco illum [m] Gabiis dolo accitum et eaptum in arctam cuſtodiam conjecir. Julianum item [n] Caeſarinum et Aſcanium [o] Corneum, ob eaſdem ſuſpiciones ſibi inviſos, vadibus datis, urbe diſcedere prohibuit. Caraſarum voluntati contradicebat Joſephus [p] Cantelmus Popolii comes, proxima pontifici cognatione junctus; er, ſive conſilio, ſive ſuarum rerum, quas ipſe in Caeſarea ditione poſſidebat, cura inductus, eos a bello dehortabatur: ob idque a eardinali Caraſa injurioſe increpitus, petira a pontifice venia, in regnum ad ſua reverſus eſt. Nec multo poſt [q] Mutius Tuttavilla, praetorianorum praefectus, et cum eo IV cubicularii a munere ſuo remoti ſunt; quod in ſuſpicionem veniſſent, quaſi contrariae parti faverent. Interea delectus paſſim per [r] Umbriam optimo milite foecundam et [s] Picenum haberi coepti; et datum negotium Urbinatum duci, miſſo ad eum [t] Laurentio Vaſcone XVI Kalend. Septembr. ut VI CIↃ peditum,

ccc

VAR LECT. [α] injuriae, dum privatus eſſet, a Caeſare P. D. o f.

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Trente.* [c] *di Chiets.* [d] *Brindiſi.* [e] *Mario Sforza di Santafiore.* [f] *Civita-vecchia.* [g] *in caſa del card. di Santafiore, camarlingo.* [h] *Caſtel S. Angelo.* [i] *Colonna.* [k] *Sarria* [l] *il conte di Cincione.* [m] *Zagorolo,* ut putat Onuphr. [n] *Ceſarini.* [o] *della Cornia* [p] *Cantelmo, conte di Popoli.* [q] *Mutio Tuttavilla.* [r] *Ducato di Spoleto,* al *Romagna.* [s] *Marca d'Ancona.* [t] *Lorenzo Guaſconi.*

Digitized by Google

ccc equites in Umbria conſcriberet; quos, cum opus eſſet, Romam ſecum adduceret. Juſſus et urbe excedere Hippolytus [a] Ateſtinus cardinalis, qui regis negotia Romae adminiſtrabat; quod, ſicuti a Carafis jactabatur, luxurioſius Romae viveret: re vera, ob aemulationem, quod pontifici in adipiſcenda ſuprema dignitate adverſatus fuiſſet. Aliam tamen ignominioſae adeo miſſionis cauſam commentus eſt cardinalis Carafa, cum factum apud Herculem Ferrarienſem fratrem et ipſum Hippolytum excuſaret. Nam adverſariorum artibus, quas ipſe nondum detegere aut antevertere potuerit, perſuaſum pontifici dicebat, ipſum juſto majora animo conſilia agitare: idque, uti conjectare ſe aiebat, Pii [b] Carpenſis cardinalis aſtu factum, qui veteres inimicitias cum Ferrarienſi exerceat, et ne ad potiorem fortunam olim perveniat maxime reformidet: quod ex Caeſarianorum literis conſtet: ipſum vero Carpenſem ea de re cum Jo. [c] Bellaio cardinali communicaſſe, homine ambitioſo, qui, amoto Ferrarienſi, duorum alterum aut etiam utrumque conſecuturum ſe ſperet; ut aut rerum Gallicarum ſummam ad ſe contrahat, aut aliquando ſummum pontificatum adipiſcatur, cujus ſpem ei fecerit Carpenſis. Bellaium Gallici nominis ſtudioſiſſimum ſummo odio proſequebatur cardinalis Lotharingus; eoque inſtigante, cardinalis Carafa illum, quod arcta cum Carpenſi familiaritate viveret, apud regem traduxerat, ac ſuſpectum poſtremo reddiderat; adeo ut regii procuratores ipſius opera non amplius uterentur, et omnia regis negotia Romae clam eo peragerentur. Captus et tunc Carafarum juſſu a [d] Bononiae vicario [e] Breſignii Abbas Hiſpanus, qui Philippo inſerviebar, cum diſpoſitis equis [f] Mediolano Neapolim tenderet; et injurioſe reſeratae Albani literae, quibus jactabant Carafae, palam fieri fidem conjurationis ab Hiſpanis contra pontificem Sfortianorum ope initae. Romam et vocatus M. Antonius [g] Columna Aſcanii filius: verum a Joanna Aragonia matre monitus, quae ad eum binos nuncios diverſis viis Marinum miſerat, non comparuit, ſed ad muniendum [h] Pallianum animum appulit: quod tamen mox, munitionibus nondum in eam altitudinem, ut locus defendi poſſet, exſtructis, diſcedente Columna, Carafis ab oppidanis deditum eſt. Captum continuo [i] Neptunum Columniae itidem ditionis ad mare oppidum. Interpellatus et in carcere Sanflorianus cardinalis Pauli Jordani [k] Urſini avunculus ac tutor, ut [l] Bracianam arcem in pontificis manus conſignaret: et auctor fuit Urſino Coſmus, qui ei ſub id tempus Iſabellam alteram ex filiabus in matrimonium dederat, ut, accepta a Carafis cautione, arcem traderet, et qua poſſet ratione pontificem ſibi placatum haberet.

III. HAEC funeſti non ſolum Italiae, ſed praecipue rebus noſtris belli initia fuere: In cujus ſocietatem cum fruſtra Carafae ſenatum Venetum pertrahere tentaſſent, re Romae cum Joanne [m] Avanſono oratore regio et Georgio [n] Armeniaco cardinali communicata et pactis confectis, Hannibalem [o] Oricellarium, cujus avunculus Jo. [p] Caſa ab epiſtolis et arcanis pontifici erat, in Galliam ad regem mittunt, qui eum de rebus omnibus edoceret, et ad foedus cum pontifice percutiendum ſolicitaret. Jamque IↃ I CIↃ peditum Romam convenerant, et regis procuratores Carafis conceſſerant; ut, dum ampliora mandata a rege haberent, interim equitatu Gallico, qui ſub Octavii Farneſii ductu Parmae et Mirandulae erat, ad praeſentem belli neceſſitatem uti poſſent: quod conſilia Coſmi in Etruria magnopere conturbabat; qui nihilominus apud [q] Toletanum inſtabat, ut, educto exercitu, [r] Crevolium nuper captum, et unde infeſtis excurſionibus noſtri quotidie praedas agebant, quam primum reciperetur. Vix Germani induci potuere, ut Senis exirent. Tandem cum III Hiſpanorum vexillis, ſtipendiorum brevi perſolvendorum certa ſpe pleni, eo profecti ſunt, [s] Sanfloriano exercitus duce. Impetus ad oppidum factus poſt violentam verberationem cum

INTERPR. [a] *d'Eſte.* [b] *le cardinal de Carpi.* [c] *du Bellay* [d] *Bologna.* [e] *l'Abbate Breſengo.* [f] *Milan* [g] *Colonna* [h] *Palliano.* [i] *Nettuno* [k] *Orſino* [l] *Bracciano.* [m] *d'Avanſon.* [n] *le cardinal d'Armagnac.* [o] *Rucellai.* [p] *della Caſa.* [q] *François de Tolede.* [r] *Crevoli.* [s] *il conte di Santafiore.*

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

cum acriter a noſtris repulſus eſſet, amiſſis plus qninquaginta ex optimis qnibuſqne, praeſidiarii, qui nullam auxiliotum ſpem viderent, inde ſe noctu proripiunt, et oppidum vacuūm hoſti relinquunt; qui moenia mox ſolo aequari juſſit. Inde Sanfloria-nus, aegre fetens adhue fratrem cardinalem ob oon reſtitutas triremeis in carcere detineri, fruſtraque ſuiſſe Marium fratrem, qui eas a Mendoza repoſcitutus Neapolim profectus fuerat, ipſe ad [a] Albanum bello [b] Subalpino occupatum, et tunc ad [c] Sturaepontem cum Joan. Baptiſta [d] Caſtaldo et [e] Meleniano de belli tatione conſultantem, dum Volpianum a noſtris obſidebatur, contendit; et ttiremeis ab eo impetravit, quibus [f] Centumeellas reductis, pontiſex a catdinalinm collegio exoratus [g] camerarium, poſtquam ccc ciↃ autcorum depoſitis idonee Caraſis cavit, carcere emitti juſſit. Interca Coſmus per Sanflotiani abſentiam, [1] ne [h] Clanii vallem praeſidiis noſtris exhauriret, et fecuriorem ad urbem ſumma omnium rerum inopia labotautem acceſſum redderet, Chapino [i] Vitellio mandaverat, ut, educto exercitu, [k] Cluſium adoriretur, et inde [l] Sarteanum peteret. Io itinere occupatum [m] Corſinianum; quod toties captum ac receptum, oc rurſus in noſtrorum poteſtatem deveniret, moenibus omnino nudatur. Intereeptae tunc et a [n] Randoſio comite Epirota litetae a Senenſi quodam, qui [o] Radicofanii erat, ſeu verae ſeu de induſtria ſcriptae, Coſmi conſilia interpellaverunt. Iis ſignificabatur, Radicofanium non ita munitum eſſe, quin, ſi hoſtis vireis illuc verteret, loco facile potiri poſſet. Fides habita literis: et, quoniam non minoris momenti oppidum illud videbatur, quam ſi Cluſium aut Sarteanum peteretur, quippe quo capto montanus tractus, qui ad [p] Montem-Ileini pertinet, et [q] Petiliano ac Caſtro in [r] Etruriam ingteſſus obſtrueretur, ex Coſmi conſilio Vitellius exercitum [2] eo duxit. Per ſalebroſos anfractus eum vix IV tormenta [s] Arretio deduci potuiſſent, ruina edita, impetus factus; ſed ita lento pede Italis et Hiſpanis in mutum enitentibus, ut facile repulſi ſint, ſtuſtra ducibus praeeuntibus, et eos ad vittutem exemplo vocibus ac poſtremo minis incitantibus. Bis tentatum oppidum: cum tertio Vitellius impetum a diverſa parte faeere inſtituiſſet, Germanis operam ſuam ſpondentibus, hinc exercirum deduci Coſino placuit, praecipitante jam Octobti et crebris ſupervenientibus pluviis. Tunc pulehertimam ooſtris oblatam occaſionem ferunt rerum Etruſcarum ſcriptotes; qui [t] Senas eo anguſtiae redactas memorant, ut, quamvis ſumma diligentia ac magnis ſumptibus annonam Apnlia et Sicilia pet mare [u] Liburnum advectam in urbem quotidie comportari curaret Coſmus, vix XV dierum commeatus in ea ſupereſſet; ut nulli dubium ſuetit, ſi copiae, quas noſtri ab Octavio Fatneſio ac vicinis In Etruria praeſidiis cogere poterant, quaſque in eam rem pontifex, qui jam tum cum rege conſentiebat, commodaturus credebatur, eo conveniſſent, quin Senas longe majori facilitate, quam captæ fuerant, in poteſtatem redacturi fuiſſent. Tunc B. Mendoza, qui, dum Albanus adventaret, ſummae rerum in regno praeerat, ad pontificii limitis fineis eum VIII CIↃ peditum et CIↃ IↃ equitibus venerat, ut terrorem pontifiei ac Caraſis, antequam bellum Philippo denunciaſſent, intentaret, et eos a conſiliis jam captis, ſed nondum parefactis, hac ratione averteret. Et quidem initio pontifex ſive taedio ſive poenitentia duei viſus eſt; delectiſque ex cardinalium collegio negotium dedit, ut viam concordiae inter duos potentiſſimos principes ſareiendae inirent: ac, ne quam interea Albano de ſe quidquam inelemeotius cogitandi aoſam praeberet, ſevere edixerat, ne quis in ſua ditione delectus haberet; atque Octavio Farneſio, qui regi adhuc militabat, mandaverat, ut copias, quas Caſtri et Petiliani habebat, quam primum dimitteret: qua re ille indignatus, qui alioqui jamdudum regi ſuccenſebat,

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *de Piedmont.* [c] *Pondeſture.* [d] *Caſtaldo.* [e] *le marquis de Marignan.* [f] *Cevita-vecchia.* [g] *il cardinale di Santafiore, camarlingo.* [h] *Val di Chiana.* [i] *Vitelli.* [k] *Chiuſi.* [l] *Sarteano.* [m] *Pienza.* [n] *le comte de Randos, Albanois.* [o] *Radicofani* [p] *Montalcino.* [q] *Pitigliano e Caſtro.* [r] *la Toſcane* [s] *Arezzo.* [t] *Siena.* [u] *Livorno.*

NOT. [1] *potius* ut Clanii. [2] *eo*] Radicofani s'entend, ſuivant le texte d'Adriani. *Put. L.*

CIƆIƆLV.
HENRICUS II.

ſuccenſebat, quod Bello Etruſco minime praeſectus fuiſſet, Parmam conceſſit, et, deſerto rege, cum Caeſare ac Philippo Albani interventu poſtea tranſegit. Cum in eo eſſet pontifex, ut ambigeret, bellumne ſuſciperet an pacis rationes ſequeretur, cardinalis Caraſa, qui nihil aeque ac quietem oderat, noſtros incitat, ut renovata injuriarum memoria, quarum pontifex tenaciſſimus erat, et periculi magnitudine propoſita levem ac nutantem ſenis animum impellerent: ita factum ſane non difficile, ut pontifex aliena a pace conſilia mallet: quam ad rem aptiſſimo inſtrumento uſus eſt Caraſa, pertentata jampridem cardinalis [a] Lotharingi, quem familiariter noverat, voluntate. Itaque, re poſt Hannibalis [b] Oricellarii in Galliam adventum in regis concilio deliberata, Annas [c] Momorantius, matura aetate vir, et proinde ab omni vanitate alienus, ad haec, ſimilium fraudum non ignarus, id ſibi intempeſtivum videri et a rerum praeſenti ſtatu abhorrere dicebat; quippe res ita ſe habere, ut aut pax aut induciae cum Caeſare et ejus filio propediem fiant: quas aut violari aut non citra culpae noſtrae invidiam ſolvi neceſſe ſit, ſi arma protegendi pontificis colore in Italiam, ubi cum Philippo pax convenerit, transferantur: itaque ſuſtinendam deliberationem, dum conſtet, quem exitum negotium de pace cum Caeſare Anglorum interventu facienda ſit habiturum; ſiquidem illud multo majoris ponderis eſſe, et majus ad res Gallicas firmandas momentum habere. Heic Lotharingus cardinalis, homo inquieto ac rerum novarum cupido ingenio, et, ſi ferociam bellicam demas, Carafae ipſi non abſimilis, cum jamdudum, tranſcriptu in ſuam familiam [d] Andegavenſium nomine, una quoque ſpem de rebus in regno Neapolitano ad privatae familiae ſuae amplificationem ſtabiliendis concepiſſet, et, ſi bellum in iis partibus ſuſciperetur, ejus ſummae praefectum iri Guiſium fratrem certo ſciret, multis verbis adeo propenſam pontificis voluntatem laudavit; nec occaſionem tam pulchram omittendam eſſe cenſuit propagandi in Italia imperii, quod, olim pontificum beneficio acceptum, Galli facile recuperaturi eſſent eodem favore adjuti; atque in primis pontificis illius, qui, ſummo loco in eo regno natus, intermortuas Andegavenſium factiones vel ſua auctoritate eſſet ſuſcitaturus: quod de pace cum Caeſare et ejus filio facienda objiciatur, non tanti eſſe, ut incerta pro certis amplecti ii debeant, quos dignitati ac nominis Gallici amplitudini ſtudere potius quam hominum opinionibus inſervire par ſit. Addita ad haec adulatoria permulta, quae regis rerum ſucceſſu elati animum a Guiſio et aliis Guiſio faventibus circumſeſſum facile impellerent, haud multum renitente Momorantio, quamvis rem minime probaret, qui et ipſe aulicae adulationi aſſuetus peſſima aemulatione, cum de infelici ejus belli exitu, qua erat prudentia, vere ominatus ejus invidiam in Guiſianos aliquando derivatum iri ſperaret, regi contradicere noluit. Cujus conſilii aſtutioris quam melioris poſtea eum poenituit, cum, bello induciis ruptis et potiore Gallicarum virium parte a Guiſio in Italiam traducta, ipſe infeliciter ad [e] Quintini-fanum pugnavit, et ob id majore, quam qua aemulum onerare voluerat, invidia conflagravit, vulgo facta ex rerum eventu magis quam ex veris cauſis metiente. Miſſus itaque ad pontificem Lotharingus; qui, aſſumpto [f] Lugduni cardinali [g] Turnonio, Romam profectus eſt menſe Octobri; ubi Turnonium potius negotii participem quam ſuaſorem aut adſtipulatorem habuit. Is, eadem de funeſto hoc bello auguratus, non eodem, quo Momorantius, animo id diſſimulavit: ſed profuſis uberrim lachrimis Galliae futuram calamitatem jam tum deploravit, Deum conteſtatus, culpaque in Lotharingi ſeu vanitatem ſeu ambitionem rejecta; ac factum poſtea apud pleroſque magnos viros et fide dignos ſaepius excuſavit. Sub id tempus diploma evulgaverat pontifex, quo decernebatur, ut, cui jure epiſcopatus Oſtienſis obveniſſet, is collegii decanus eſſet, ob eamque dignitatem ceteros etiam ſe antiquiores cardinales anteiret.

INTERPR. [a] *le cardinal de Lorraine.* [b] *Rucellai.* [c] *le conneſtable de Montmorency.* [d] *d'Anjou* [e] *S^t. Quentin.* [f] *Lyon.* [g] *le cardinal de Tournon.*

anteiret. Eo fiebat, ut Turnonius, ſalva dignitate, Romam venire ſe non poſſe exiſtimaret, ne infra Bellaium, cui ea dignitas obvenerat, quem ordine praecedebat, ſederet. Propterea diu Lugduni haeſerat, donec crebris Caraſarum literis expugnatus rex Turnonio, ut nihilominus ſe in viam daret, enixe mandavit. Tandem percuſſum foedus, ſed ſecreto; ita ut, cum Lotharingus Roma abiret, re infecta diſcedere videretur. Miſſus mox Ludovicus [a] Sangelaſius Lanſacus, qui foederis conventiones ad regem perferret, ut eas approbaret, et interpoſito decreto ratas haberet. Lotharingus per Ferrariam iter habuit, et Herculem adfinem ſuum de iis omnibus, quae Romae egerat, diligenter edocuit; quippe quem jam eadem vanitate, qua regem impulerat, et ipſum licet jam affecta aetate in pernicioſiſſimi belli ſocietatem pertraxerat. Inde Venetias profectus, cum eadem de re in ſenatu egiſſet, ſuppreſſa ſemper foederis jam icti veritate, ibi demum ſibi rem cum viris eſſe ſenſit, qui, contenti bonam erga regem voluntatem ſuam teſtari, de cetero ab omni belli ratione ſe prorſus alienos eſſe oſtenderunt. Capita autem foederis, quod penes me integrum habeo, haec praecipua fuere. Rex Chriſtianiſſimus fidem obliget, protecturum ſe Paulum IV et ſanctam ſedem contra omneis vim inferenteis, cujuſcunque conditionis ſint, etiam ſupremae; et hanc praecipuam in belli per Italiam gerendi aut ſuſcipiendi ratione curam ſibi fore promittat: cardinalem Caraſam, Joannem [b] Montorii comitem et Antonium Caraſam ac eorum heredes in clientelam ſuam ſuſcipiat; et, loco bonorum iis ob hujus belli cauſam ademptorum, idoneas poſſeſſiones in Italia aut Francia attribuat: Foedus perpetuum ſit inter regem, pontificem et Romanam ſedem, tam ad inferendum quam ad ſuſtinendum bellum per totam Italiam, excepta Subalpina regione, quae his pactis comprehenſa non intelligatur: Romae aut Venetiis quingenta aureorum CIↃ deponantur, a rege quidem CCCL, a pontifice vero CL, intra menſem Februarium proximum, in belli ſumptus; in cujus uſum X aut XII CIↃ peditum externorum, cum opus erit, in Italiam rex ſummittat, cum IↃ cataphractis ac totidem levis armaturae equitibus; quibus univerſis aliquis principali dignitate praeditus a rege praeficiatur: quibus verbis deſignabatur Guiſius cardinalis Lotharingi frater: Viciſſim pontifex X CIↃ peditum, aut [α] majorem numerum, prout belli neceſſitas exiget, et CIↃ equites ſuppeditet, qui ex depoſita pecunia alantur; commeatum et liberum tranſitum regis copiis praebeat; tormenta inſtructa, et cetera ad belli uſum neceſſaria, quam multa et quotieſcunque neceſſe erit et poterit, ſubminiſtret: Belli initium a regno Neapolitano aut Etruria, prout commodius videbitur, fiat; et, ſi res exigat, in [c] Galliam etiam Ciſalpinam transferatur: Coſmo bellum inferatur, ad id, ut Florentinorum reſpublica in libertatem antiquam vindicetur: Nemo ex foederatis cum communibus utriuſque aut alterutrius partis hoſtibus pacem faciat, inſcio altero et non conſentiente: Venetus ſenatus hoc foedere comprehendatur, et alii quicunque principes, qui pro libertate Italiae foederi ſubſcripſerint. Conventum item, ut, recuperato Neapolitano regno, pontifex uni ex liberis regiis, excepto Delfino, illud univerſum attribuat, praeter Beneventum et ejus territorium, quod pontifex ſibi ſumet: Ditionis pontificiae limes ad [d] Germani-ſanum ab una parte, ab altera ad [e] Litim uſque porrigatur, et trans Apenninum ad [f] Piſcariae uſque flumen; ita ut omnia loca, quae citra fineis illos in [g] Samnio et [h] Campania jacent, et in iis [i] Cajeta civitas, ad pontificiam ditionem in poſterum pertinere intelligantur: Cenſus, qui quotannis horum regnorum ratione pontifici penditur, uſque ad XX CIↃ aureorum augeatur: Is, qui beneficiarium a pontifice regnum accipiet, omnia tributa, onera, angarias et cetera hujuſmodi a Caeſarianis et Hiſpanis impoſita revocet, et res ad antiquam penſitationum rationem reducat; proceres regni, nobiles ac ceteros, quod Gallicas parteis ſecuti ſunt, bonis privilegiis et immunitatibus

VAR. LECT. [α] minorem *P. D. o. ſ. d.*

INTERPR. [a] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [b] *Montorio.* [c] *Lombardie.* [d] *San Germano.* [e] *il Garigliano.* [f] *Peſcara.* [g] *Abruzzo.* [h] *Campagna di Roma* [i] *Gaeta.*

tibus privatos, reſtituat; nullum in rebus ſacris ſibi jus vindicet, niſi in iis quae ad ipſum
tanquam patronum pertinere judicabuntur; juriſdictionem eccleſiaſticam edictis, ap-
pellationibus [α] aut alia quavis ratione non interpellet; nec, quo minus annona libere Romam importetur, prohibeat; obediens ſit, et fidem pontifici ſervet, atque in uſum belli cccc cataphractos equites et II triremeis omni re inſtructas ſuppeditet; exſules pontificiae ditionis in beneficiario regno non receptet; ut nec pariter regiae ditionis exſules pontifex in ſuo territorio, excepta Roma, quae communis omnium patria eſt: Sedi Romanae poſſeſſiones xv cIↃ aureorum annui reditus in Sicilia attribuantur: Montorii comiti uſque ad xxv cIↃ aureorum annui reditus bona in regno aſſignentur, quae libere ac pleno jure poſſideat; et de quibus ipſe ac heredes libere teſtari, contrahere et quovis modo uti frui poſſint: Antonio Carafae poſſeſſiones xxv cIↃ aureorum annui reditus concedantur: Primo quoque tempore Rex Chriſtianiſſimus filium in regnum mittat, ut in eo educetur; et, donec adoleverit et ad legitimam aetatem, qua rebus ſuis supereſſe queat, pervenerit, deligantur a rege ac pontifice viri idonei, qui regnum adminiſtrent: Rex beneficiarius aut ejus heredes ac ſucceſſores in Caeſarem, regem Romanorum, in Galliae Ciſalpinae principem et Etrutiae aut denique in Franciae regem aſſumi non poſſit; quod ſi contigerit, regnis ac dominiis hujuſmodi quam primum renunciare teneatur; et, ſi renunciare nolit, omni horum beneficiariorum regnorum jure excidat et ipſo facto privetur: Si vero is propter aetatis imbecillitatem non ita cito in regnum mitti poſſit, interea reſpublicae per homines a rege ac pontifice deligendos regis pueri nomine adminiſtrentur, qui regi ac pontifici jusjurandum praeſtent, ſe omnia ſincere ac fideliter ex eorum voluntate geſturos: Si per aetatem puer rex fidei jusjurandum pontifici praeſtare non poſſit, rex pater filii nomine illud praeſtet, ea forma qua nuper Julio III praeſtitum eſt; quod poſtea, cum ad legitimam aetatem pervenerit, rex beneficiarius ratum habeat, et ipſe denuo, ſi opus ſit, juret: Liceat pontifici ad annonam ſublevandam in Sicilia ad x cIↃ menſuras frumenti omni onere ac tributo liberas, cum volet, emere, et Romam tranſportare; caveatque rex, ut nulla mora a praefectis aut [β] aliis impedimentum interponatur, quo minus ad primum poſtulatum id citra fraudem confici poſſit. Haec per Lotharingum et Carafas Romae acta [γ] XVII Kalend. Januar. Cum Ferrarienſi vero jam ante XVII Kalend. Decembr. convenerat; Ut, foedere cum pontifice icto, ei exercituum imperium committeretur per omnem Italiam, praeterquam in [a] Subalpina regione; et ipſe amicos regis pro amicis, hoſteis pro hoſtibus ſine exceptione habere teneretur: Si vero regi ita videatur, aliquem principali dignitate praeditum ex Gallia mittere, is per Ferrarienſis abſentiam exercitibus praeſit: Liberum regio militi tranſitum praebeat Ferrarienſis per ſuae ditionis loca, et commeatu juvet; contra, hoſti tranſitum neget, nec commeatum praebeat: In ſingulos menſeis II cIↃ aureorum penſio ei a rege dependatur: Rex in clientelam Ferrarienſem et ejus loca omnia, quae nunc poſſidet, quaeque porro poſſeſſurus ſit, accipiat, et ut ſua protegere teneatur: In eam rem C cataphractos equites, quorum Ferrarienſis imperium habeat, more in regno recepto, rex alat; inſuper CC levis armaturae equites, et II cIↃ peditum: Praeterea CCC aureorum millia deponantur; quae, ſi ex pecunia regia minime repraeſentari poſſint, a menſariis mutua ſumantur: Recuperato regno, XX cIↃ aureorum annui reditus, Etruria vero in poteſtatem redacta, XV cIↃ, ſi Mediolanenſe imperium recipiatur, L cIↃ, poſſeſſiones ei attribuantur; et Cremona pignoris loco in ejus manus conſignetur: Ipſe viciſſim tormenta inſtructa, pulverem ac pilas ſubminiſtrare teneatur; liberumque ſit ei Camillum Columnam ad regis parteis pertrahere, et ejus opera in eo bello uti; rexque ei CCC aureorum in ſingulos menſeis penſionem eo caſu perſolvere teneatur.

IV.

VAR. LECT. [α] inhibitionibus aut *P D o.* [β] aliis *deeſt* *P. D. o. f. d.* [γ] XVIII *P D o.*
INTERPR. [a] *Piedmont.*

IV. DUM haec Ferrariae ac Romae agerentur, Corn. Bentivolius [a] Ilcini-monte egreſſus [b] Otterium et Montalionem, [c] Sinolfi patricii Senenſis caſtella, qui nuper a Fr. [d] Toletano perſuaſus a rege defecerat, nec opinato intercipit: eoque facto cum ingreſſus ex [e] Latio in [f] Etruriam aperiretur, opinionem conceperat Coſmus, non omnino vana eſſe, quae de Senarum obſidione Romae et inter Gallos jactabantur, civitate praecipue ita afflicta ob penuriam et praeſidiariorum inſolentiam, ut exiguo negotio expugnari poſſe videretur. Itaque centum aureorum millia mutua a Philippo Angliae rege petierat in hujus belli uſus: et, cum ſub id tempus Toletanus Senis ex morbo deceſſiſſet, Franc. Mendoza cardinalis [g] Burgenſis urbi a Philippo praepoſitus eſt; qui ejus nomine LXCIↃ aureorum numerari juſſit, ex quibus XXCIↃ ad paupertatem civium ſublevandam erogarentur, reliqua in belli praeſentis ſumptus expenderentur. Ea ratione, tum etiam ob pietatis opinionem, cum ſibi miſerorum civium benevolentiam adventu ſuo conciliaſſet Burgenſis, longe aliam conſiliorum cum Coſmo viam inivit, quam qua uſus fuerat Toletanus Coſmo adfinis, et qui ejus rebus haud dubie favebat: verum eas difficultates, quae inde naſcebantur, Coſmus eadem, qua hactenus uti conſueverat, diſſimulandi prudentia ſuperavit. Poſt [h] Volpianum captum et [i] Sturae-pontem fruſtra a noſtris tentatum, [k] Albanus, diſſoluto Gallico exercitu, per praeſidia ſuos diſtribuerat: et Bernardinus Mendoza, quem ad pontificium limitem veniſſe diximus, cum ſuis receſſerat: ac Philippus ſub id tempus Garcilaſſum [l] Vegam ad pontificem miſerat cum literis prolixae benevolentiae plenis, ut omnem ſuſpicioſo ſeni res novas moliendi cauſam praecideret. Pontifex quoque, quod hyems inſtabat, militem ſuum in hyberna diſtribuerat; et [m] Paliano, Neptuno et Anagniae muniendis intentus ſe continebat; cum Coſmus, quamvis intempeſtivo tempore, ne nihil agere videretur, accepta a Philippo ea, quam dixi, pecunia, ut illatam in Sinolfanorum caſtellorum occupatione injuriam ulciſceretur, exercitum educit, [n] Sanfloriano duce, qui, [o] Serris in itinere receptis, [p] Cluſium verſus procedit, ac Sarteanum primum aggreditur. Id a Gallo duce et Fauſtino [q] Camerte homine ſtrenuo tenebatur. Deditionem facere juſſi cum recuſaſſent, admota VI tormenta, quorum diſploſione dejectis oppidi muris, praeſidiarii et oppidani quidam in arcem confugerunt, et locum vacuum hoſti reliquere: quo direpto, majus negotium in arce capienda fuit; quae ſi in noſtrorum poteſtate remaneret, nullum operae pretium factum videbatur. Difficultatem faciebat; quod ab ea ſolum parte, quae intra oppidum eſt, verberari arx poterat, quippe ceteris partibus, quae extra erant, ab impetu hoſtili ob ſitum ſecuris. Itaque domibus, quae ex arcis adverſo intro ſunt, terra oppletis, Sanflorianus continuo in eas tormenta imponi jubet, et inde diſploſionem in arcem fieri: quo animadverſo, noſtri munimentum cum foſſa poſt murum excitant. Edita ruina et facto impetu, hoſtes magno cum damno repulſi ſunt: neque propterea ab obſidione diſceſſum eſt: ſed, conſcripto novo milite, et [r] Politiano ac Luciniano deductis tormentis, Hiſpanis item [s] Orbitello atque Herculis-portu evocatis, cunei acti ſub majore propugnaculo, egregiam operam navante Friderico [t] Montacuto, qui Italis praeerat. Tandem, cum nulla auxiliorum ſpes obſeſſis affulgeret, et jam annona deficeret, noſtri ad deditionis conditiones deſcenderunt; cum prius intellexiſſent, Joan. [u] Gallardum, qui cum delectis hoſtium caſtra continuis excurſionibus infeſtabat, cum ſuis caeſum, et ipſum ab hoſte captum. Igitur vitam ac res ſalvas pacti: cum iis Fauſtinus et aliquot e ſuis comprehendi nollent, conventum, ut reliqui incolumes exirent, Fauſtinus cum ſuis in arce remaneret. CCCC omnino dimiſſi ſunt, optime armis inſtructi. Fauſtinus nocte inſequenti, ubi ſe conſtantia ſua ſocios retinere

non

INTERPR. [a] *Montalcino* [b] *Ottieri e Montaione* [c] *Sinolfo di Siena.* [d] *de Tolede.* [e] *Campagna di Roma.* [f] *la Toſcane* [g] *le cardinal de Burgos.* [h] *Vulpiano.* [i] *Pondeſture.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *la Vega.* [m] *Paliano, Nettuno, & Anagni.* [n] *di Santafiore.* [o] *le Serre.* [p] *Chiuſi & Sarteano.* [q] *da Camerino.* [r] *Monte-pulciano & Luciguano.* [s] *Orbitello & Porto-Ercole.* [t] *da Montauto* [u] *Gagliardo.*

non poſſe vidit, cum ſuis exit, et per media hoſtium caſtra, caeſa Germanorum ſtatione, [a] Cluſium incolumis pervenit. Deſerta arx [b] Bombalino Arretino cuſtodienda traditur, qui impetu ad eam facto mortis periculum adierat. Capta mox [c] Cetona et alia vicina caſtella. Dum Sarteanum oppugnatur, inter [d] Clantianum et Cluſium quoque pugnatum eſt: et Jo. Bapt. [e] Martinus, ſuffoſſo equo, captus cum duobus ordinum ductoribus ac praeterea Philippus [f] Alamannus in noſtrorum manus devenere. Capti et ex noſtris aliquot, ſed nullius nominis. Cluſium, jam fere exacto Decembri, minime peti placuit, quod majoris difficultatis et dubii eventus obſidio plena videretur, iis, qui Sarteano dimiſſi fuerant, illuc profectis.

V. SUB id tempus Joannes Jacobus [g] Medicinus Meleniani marchio, cum paulo ante ex [h] Subalpina regione [i] Mediolanum rediiſſet, morbo ex longis vigiliis ac diuturnis laboribus contracto correptus, VI Eid. Novembr. deceſſit; et XI Kal. Decembr. poſtea honorifice magna pompa et comitatu, cui [k] Albanus ipſe et primaria provinciae nobilitas interfuit, funeratus eſt. Is humili atque ignobili loco natus Bernardo patre, qui vectigalium Mediolani redemptor fuerat, ex alluſione mentito nomine, ſe in Mediceam familiam inſinuavit; et ſuae ac fratris Joan. Angeli, qui pontifex poſtea creatus eſt, fortunae faber exſtitit, his fere initiis. Cum in adoleſcentia magnum promptae ad quodvis facinus audaciae ſpecimen dediſſet, eoque nomine in Hieronymi [l] Moroni familia non infimum locum teneret, Franciſcus Sfortia ultimus Mediolani dux, cui nimia [m] Monſignorini Vicecomitis apud populum gratia ac potentia merito ſuſpecta eſſet, ſuggerente Morono, ad ipſum Vicecomitem de medio tollendum ejus et [n] Ponzini ordinum ductoris opera uti voluit. Patrata caede, ut facti invidiam a ſe amoliretur Sfortia, Ponzinum, ne rei veritas veſtigaretur, ſecreto interficiendum curavit; idem de Medicino facturus, niſi ille aſtum contrario aſtu eluſiſſet. Nam, cum Moronus ei literas ad [o] Muſſi munitiſſimae in [p] Novocomenſis lacus ripa, qua Helvetios ſpectat, arcis praefectum dediſſet, ſpecie ut eum in arcem reciperet, re vera ut ipſum de medio tolleret, ille dolum praeſentiens, ſuppreſſis literis, alias ſumma arte confinxit, quibus tanquam Sfortiae mandatu ſcriptis praefectus ille in manus Medicini arcem tradere et Mediolanum quam primum proficiſci jubebatur. Hoc aſtu cum Muſſiana arce potitus eſſet Medicinus, neceſſitatem Sfortiae injecit, ne factum evulgaretur, aut rem diſſimulandi aut aequis conditionibus cum eo tranſigendi. Poſtea, icto inter regem Venetos ac pontificem clandeſtino foedere, ipſe ob loci commoditatem de conducendis VICIↃ Helvetiorum, foederatorum nomine, provinciam ſuſcepit anno hujus ſaeculi XXVI; quo in negotio avare eum verſatum eſſe tradit Fran. Guicciardinus. Biennio poſt ab Antonio [q] Leva ſolicitatus in Caeſaris parteis tranſiit; et, accepto pro Muſſiana arce compenſationis titulo [r] Meleniano, unde Meleniani marchio dictus eſt, ab eo tempore ſummis ac continuis in re bellica muneribus praepoſitus fuit. [s] Bello Pannonico peditatus Italici praefectura, ac mox expeditione contra Genevam a Carolo Sabaudiae duce ſuſcepta, dein Germanico omnium maximo bello, magnus tormentorum praefectus fuit: Parmenſi item bello et Etruſco, atque in Senarum expugnatione magnum nomen adeptus; quamvis [α] mora ac lentitudine non mediocriter Caeſar et Coſmus offenſi ipſum tanquam bellum illud cauponantem per literas ac nuncios ſaepiſſime interpellaſſent. Fuit vir ingenio acri, ſed ſubdolo, muniis belli obeundis impiger, robuſtiſſimo corpore, vigiliae et laborum admodum patiens, et, ſi ferinam atque ad crudelitatem pronam naturam, inexplebilem denique alieni cupiditatem demas, cum maximis ſui ſaeculi

ducibus

VAR. LECT. [α] ejus mora *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Chiuſi.* [b] *Bombaglino d'Arezzo.* [c] *Cetona.* [d] *Chianciano.* [e] *Martini.* [f] *Alamanni.* [g] *de Medicino, marquis de Marignan.* [h] *Piedmont.* [i] *Milan.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *Morone.* [m] *Viſconti* detto *Monſignorini.* [n] *Pozzino.* [o] *Caſtello di Muſſo.* [p] *lago di Como* [q] *di Leyva* [r] *Marignan,* Ital *Melignano.* [s] *la guerre de Hongrie.*

ducibus comparandus. Sed, quamvis rapacitate ultra modum gauderet, rapto tamen honeſte utebatur; in exſtruendis videlicet aedificiis et domeſticis ſumptibus. Idem plerumque aleae ludo dies noctibus continuabat; quod fortaſſe vituperandum magis ducerem, niſi militaribus viris hoc familiare eſſet vitium. Cum corpus ejus primo Melenianum deportatum eſſet, poſtea Pii IIII ipſius fratris juſſu Mediolanum tranſlatum, et regia magnificentia exſtructo monumento honeſtatum, magnis ſumptibus eo Roma ex monte Caelio advectis ſtupendi operis columnis. Mortuo Meleniano, et decedente ex provincia Albano, Philippus ex Joannis Baptiſtae Caſtaldi conſilio Chriſtophorum Madrucium cardinalem Tridentinum ſummae rerum praefecit, liberali et amoeno ingenio virum; qui, in ſeptemvirorum ac reliquorum Imperii principum etiam Proteſtantium amicitia florens, magnum ad res in Germania gerendas momentum attulerat, et in maximis negotiis fidam operam Caeſari navaverat. Huic attributus [a] Piſcatiae marchio, qui rei bellicae ſub ipſo praeeſſet.

VI. ITA conſtitutis in [b] Inſubria et Subalpina regione rebus, Albanus Genuam venit; et [c] Liburnum delatus obvium Coſmum et cardinalem [d] Burgenſem habuit; cum quibus aliquanto tempore collocutus, jam de foedere nobiſcum icto certior, inde Neapolim devectus eſt. Antea novus miles in Hiſpania conſcriptus fuerat; et V CIↃ ex eo numero impoſita navibus in Italiam tendebant, cum [α] Antonius Iſcalinus Adaemarus Polinius [e] Garda X triremium ductor, qui Lothariogum ac Turnonium cardinales [f] Centumcellas portaverat, tempeſtate ſuborta abreptus in Corſicam ad [g] Florentiifanum deſertur; ubi itidem, haud longe a loco in quem noſtri ſucceſſerant, Hiſpanica claſſis, quae novos illos delectus Genuam deportabat, cum eadem tempeſtate abrepta curſum tenere non potuiſſet, appulerat. Quorum de adventu poſtquam cognovit Polinius, ſe aliquandiu continuit, tempus colligendis viribus ſumens: inde impetu in nec opinantes facto, qui praedatorias Turcorum biremes eſſe rebantur, facile eos in fugam vertit. Depreſſae II naves onerariae, quae, quod graviores eſſent, ceteras inſequi non valuerunt. In iis CIↃ fere Hiſpani erant; quorum pars mari hauſta, pars in catenas conjecta eſt. Eodem tempore Bona Sfortia, Sigiſmundi Aug. Poloniae regis parens et Iſabellae Jo. Tranſilvani matris, filii pertaeſa, [h] Sarmatia relicta, in Italiam venit, et honorifice Venetiis excepta eſt. Obviam frequens ſenatus et e nobiliſſimae matronae in Bucentauro prodiere: ipſa inter Hippolytum Ferrarienſem et Othonem [i] Truchesium Auguſtanum cardinales media in [k] Ateſtinas aedes magna pompa deducta eſt: unde paratam triremem conſcendens in Apuliam ad [l] Barium navigavit; cujus urbis poſſeſſio gentilitio Aragoniae gentis jure dotale et hereditarium illi erat. Ibi ſolute et diſſentiente a priore vita ratione poſtea vixit, conſuetudine cujuſdam [m] Papacaudae non ſatis honeſte uſa; cui et omnia bona teſtamento, praeteritis liberis, reliquit, et, fama ac bonis decoctis, haud multo poſt in ſumma egeſtate et infamia deceſſit. Mox et Franciſcus [β] [n] [1] Donatus, Venetiarum princeps, cum annum et XI menſes dignitatem tenuiſſet, imbecillo admodum corpore, morbi ſaevitia exſtinctus eſt. Eum, quod in re frumentaria male verſatus eſſet, et privato commodo publicum poſthabuiſſet, loco remotum ſcripſit Sleidanus, ex falſa relatione; quod condonandum ei alioqui diligentiſſimo ſcriptori, qui hoc in his ſchedis quas paulo ante mortem congeſſerat nec publicaverat, prodidit, certiora utique proditurus, ſi longius ipſi vitae tempus Deus dediſſet. Nec tamen adeo a vero abludit: nam ob rem frumentariam male curatam, quod ex tribus capitibus in principum Venetorum jurisjurandi formula comprehenſis praecipuum eſt, in ſummum populi odium

cum

VAR. LECT. [α] Antonius Iſcalinus Adaemarus *deſunt* *P. D.* o. f d. [β] Venerius *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Peſcara.* [b] *Lombardie & Piedmont.* [c] *Livorno.* [d] *le cardinal de Burgos.* [e] *le baron de la Garde* [f] *Civita-vecchia* [g] *San Fiorenzo.* [h] *Pologne.* [i] *Truchſes, card. d'Augsburg.* [k] *d'Este.* [l] *porto di Bari.* [m] *Pappacoda.* [n] *Venero.*

NOT. [1] Dele *Donatus*: lege *Venerius*. *Put.*

eum veniſſe, at non dignitate motum eſſe, ſcripſit Ludovicus Guicciardinus. Ejus corpus ad Servatoris conditum: cui Petri fratris pietate magnificum admodum monumentum erectum fuit. In demortui locum ſuffectus eſt Laurentius [a] Priulus; vir prudentia ac morum probitate conſpicuus, et literis non mediocriter ornatus.

VII. Sub exitum anni ſtato tempore pontifex creat cardinaleis Joannem [b] Siliceum archiepiſcopum Toletanum, Bernardum [c] Scotum Sabinum, Diomedem Carafam, Scipionem [d] Rebibam, Joannem Suavium [e] Reumanum Vaſconem, Joan. Anton. [f] Capiſuccum, et Joan. [g] Gropperum Germanum, [α] qui dignitatem ultro oblatam, quam ceteri mortales plerumque ardentiſſimis votis ambiunt, rara hoc aevo modeſtia et animi magnitudine repudiavit. Qua eadem modeſtia alter Germanus olim epiſcopus [h] Eiſtetenſis, nomen non apponit Onufrius Panvinius neque Alfonſus Ciaconus, ante XCIII annos a Pio II cardinalis creatus, beneficio remiſſo, ſe excuſaſſe proditur. Etiam de Claudio [i] Eſpencaeo Pariſienſi theologo, et Jo. [k] Caſa, qui pontifici ab epiſtolis erat, in cardinalium collegium cooptandis tunc actum. Utrumque commendabat generis nobilitas, et doctrina; quamvis diverſa: nam alter, theologicis ſtudiis innutritus, in profeſſione ſua conſenuerat; alter, eloquentia atque eleganter Etruſce ac Latine ſcribendi peritia vel cum antiquis comparandus, magna negotia ſub pontificibus ſumma ſolertia geſſerat: ſed longe diſpares utriuſque mores erant; cum ille ſanctitate vitae ac morum caſtitate praeſtaret; hic, ſaeculi licentia ac loci, in quo degebat, libertate uſus, [β] ſolute fere vitam egiſſet: itaque ab aemulis uterque apud pontificem delatus; Eſpencaeus quidem, quod quaedam perperam inter concionandum de aurea, quam vulgo appellant, legenda locutus, cum ferream potius vocandam eſſe contenderet, poſtea publice recantare coactus fuiſſet, [1] quod et a Joanne Sleidano memoriae proditum eſt; alter, [2] quod etiam carmine rem nefandam [γ] in juventute laudaſſe diceretur: ſicque ob diverſas longe cauſas uterque ab eadem dignitate ſummotus eſt. Atque haec quidem in Italia eo anno acta.

VIII. In Gallia, antequam coeptum de pace colloquium ſolveretur, rex poſt luſtratum menſe Aprili exercitum de exitu veritus copias omneis per Campaniae ac Picardiae limitem diſtribuerat; negotiumque dederat provinciarum praefectis, ut, quid conſilii hoſtibus eſſet, per indicia et exploratores cognoſcerent. Cum igitur nunciaretur, jam hoſteis in armis eſſe, et ad XVIII CIↃ peditum, magnam partem ex indigenis, et ad III equitum CIↃ, fama vero majores res fingente, [l] Givacum conveniſſe, duce Martino [m] Roſſemio Clivenſium equitum tribuno, ut in limitem noſtrum excurrerent, [n] Nivernius diverſa parte et [o] Bordillonius ejus legatus omnem operam dabant, ne imparati opprimerentur: atque hic quidem, quantum poterat, munitiones [p] Mezeriae coeptas urgebat. Jactabatur inter hoſteis, Givacum noſtros oppugnare decreviſſe; eoque majore diligentia illi locum muniebant, ne et ipſi opprimerentur; quod tamen arte confictum plerique interpretabantur, ut Hiſpani, qui [q] Namureum, excitata ob non ſoluta ſtipendia more ſolemni ſeditione, jam multos menſeis in miſera ſervitute detinebant, ex ea occaſione oppido educerentur. Inde crebrae utrinque excurſiones; atque hoſtium quidem in [r] Retelenſem agrum, cum quibus [s] Mariaburgi praeſidiarii ſaepius confligebant. Jamque Junius inire coeperat; neque dum de colloquii exitu conſtabat. Itaque rex, in dies certior factus ſuis de

rebus,

VAR. LECT. [α] de quo nonnihil ſupra diximus, qui P. D. o. [β] libidinoſe P. D. o. f. [γ] in juventute deeſt P. D. o.

INTERPR. [a] *Priuli.* [b] *Silíceo, archevêque de Tolede.* [c] *Scoto di Sabina.* [d] *Rebibba.* [e] *Rieman, natif de Rieume petite ville en Gaſcogne.* [f] *Capozucche.* [g] *Gropper.* [h] *d'Eychſtadt.* [i] *d'Eſpenſe.* [k] *della Caſa.* [l] *Givets.* [m] *Roſſem, mareſchal de Cleves.* [n] *le duc de Nevers.* [o] *de la Platiere, ſieur de Bourdillon.* [p] *Mezieres.* [q] *Namur.* [r] *le Retelois.* [s] *Mariembourg.*

NOT. [1] Dele *quod et a Joanne Sleidano memoriae proditum eſt* Car Sleidan, liv. 26, n'en parle point. Il eſt vray qu'au liv. 15, an. 1543, il dit que d'Eſpenſe ſe retracta de quelque choſe qu'il avoit dit en preſchant: mais il n'adjouſte point que cela l'empechaſt d'eſtre Cardinal. Put.

[2] Dele *quod etiam carmine rem nefandam in juventute laudaſſe diceretur:* lege *quod praepoſterae libidinis laudes etiam carmine celebrare auſus eſſet.* Put & Rig

CIↃIↃLV.

HENRICUS II.

rebus, quae a delegatis proponebantur, cum non convenire poſſe provideret, [a] Nivernio negotium dat, ut quam maxima poſſit diligentia Mariaburgum commeatu ac rebus neceſſariis firmet: huicque propterea attributi cccc equites cataphracti et peditum cohortes aliquot, praeter eos, qui limiti cuſtodiendo inſerviebant. Is ubi [b] Quercum-populoſam venit, [c] Bottano annonae in eo limite praefecto imperat, ut quantum farinarum ac vini poſſit in carros imponi curet intra biduum aut triduum; quod periculum eſſet, tam vicino hoſte, ne, ſi diuturnior mora interponeretur, aut eundo per impedita loca cum carris et impedimentis aut in reditu damnum a noſtris acciperetur. Id, ut jam proviſum, ſumma diligentia ac ſilentio exſecutus eſt Bottanus; et ɪↄ circiter carros per agrum Retelenſem conquiſitos confeſtim rebus praeparatis onerat; eodemque die, qui fuit XVIII Kal. Quintil. [d] Mauberti-fontem deduci jubet: quo loci jam XX vexilla ex veteranis et novis delectibus conflata convenerant. Capto ibi cibo, neque plus duarum horarum ſpatio conſumpto, ſub noctem Nivernius, qui carros ſubſequebatur, digreditur, ita inſtructa acie, quaſi pugnaturus in hoſtem vaderet. Sanſacus cum circiter ccc equitibus ſcloppetariis partim Gallis partim Anglis ac Scotis praecedebat; quem ſubſequebatur [e] Ellebovii marchio cum levi armatura, cui praeerat, in qua circiter erant ɪↄ ccc equites. Primam aciem poſt eum ducebat Bordillonius; in qua erant cc cataphracti equites: et in extremo agmine VIII peditum vexilla, ex quibus fariſſophori cataphracti deni in ſingulos ordines incedebant, quos ſcloppetarii ab utroque latere tegebant: reliqua II vexilla carros utrinque claudebant, in ſingulos carros fariſſophoris duobus et totidem ſcloppetariis attributis. Inſuper addita II peditum ſigna ex iis quos penes ſe habebat Nivernius, qui aciem ducebat, cum ccc cataphractis equitibus et VIII itidem peditum vexillis, quae carros longo ordine utpote ſingulos incedenteis hinc inde cingebant. Ultimum agmen claudebat Joannes [f] Marcianus Jametius, tot bellis ſpectatus dux et jam ſenex, pone ſe XXX equitibus ſubſequi juſſis, qui lixis et impedimentis aliis ad omnes occaſiones praeſto eſſent. Eo ordine VIII leucarum longiſſimarum ſpatio per anfractuoſos ac praecipiteis ſaltus facto itinere, ita ut ab hoſtium incurſionibus undique tuti eſſent, tandem Mariaburgum pervenerunt: illatoque commeatu, Nivernius ipſe venit, ut oppidum luſtraret, cui [α] [g] Fumetius poſt [h] Gonnorium praepoſitus fuerat, qui ſecum [i] Rupimanii filii et [k] Firmitaoi alas equitum levis armaturae habebat. Inde eodem ordine, ſed alia via reditum eſt, mirantibus noſtrorum diligentiam hoſtibus. Nivernius, in itinere [l] Rupe-regia, cui [m] Landa ordinum ductor praeerat, luſtrata, confirmatiſque praeſidiariorum animis, dimiſſo Bordillonio, qui inde [n] Mezeriam contendit, Mauberti-fontem ſub veſperam venit; et [o] Retelii ac per [p] caſtrum Porcianum et vicina praeſidia militem diſtribuit. Eodem tempore magna diligentia Bullionii arx muniebatur a [q] Lobio [r] Marciani Bullionii ducis ſignifero, qui cum L delectis equitibus continuas in hoſtico excurſiones faciebat, et paulo ante VII Eid. April. plus ccc ex hoſtibus, qui, ut [s] Ivodii praeſidiarios pabulatum euntes interciperent, inſidias ſtruxerant, fuderat, ceciderat, ceperat. Ubi vero poſt delegatorum diſceſſum irritam de pace ſpem fuiſſe apparuit, tum vero omnia ad bellum aperte praeparata, et ɪↄ ccc circiter cataphracti equites in limitem [t] Belgio vicinum ac totidem in Campaniam [β] miſſi. Dum haec fiunt, hoſtes magno numero dies noctesque muniendo [u] Givaco impendebant. Oppidum ad [x] Moſam ſupra [y] Dionantum ultra

citraque

VAR. LECT. [α] Fumentius P.
[β] miſſi: et, quia fama erat Albanum in Inſubres veniſſe et commeatum Volpianum introducere decreviſſe, eo miſſa a rege IIII ɪↄ Helvetiorum, et aliquot Germanorum ſigna, cccc item cataphracti equites, qui Briſaco praeſto eſſent; de cujus belli ſucceſſibus jam ſupra diximus. Dum haec P. D. o. f.

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *le Chesne populeux.* [c] *le ſieur de Bottran, commiſſaire des vivres.* [d] *Maubert-fontaine* [e] *d'Elbeuf.* [f] *de la Marck, ſeigneur de Jamets.* [g] *le ſieur de Fumet.* [h] *Artus de Coſſé, ſieur de Gonnor* [i] *Tiercelin, ſieur de la Roche-du-maine* [k] *le ſieur de la Ferté* [l] *Rocroy.* [m] *le capitaine la Lande* [n] *Mezieres* [o] *Rethel.* [p] *Château-Porcien* [q] *de la Lobe.* [r] *de la Marck, duc de Bouillon.* [s] *Ivoy.* [t] *Pays-bas* [u] *Givets.* [x] *la Meuſe* [y] *Dinant*

citraque flumen ſparſum eſt: et in citeriore ripa mons imminet, cui jam olim [a] Agimontii comes arcem ſuperſtruere aggreſſus fuerat; ſed, operibus a Caeſare interpellatis, imperfecta remanſerat; quae demum inſtaurabatur; et inde crebrae Mauberti-fontem verſus et [b] Albentonum ab hoſte excurſiones fiebant: atque, ut in confuſa multitudine (jam ad XXCIↃ [c] Teutonum, [d] Menapiorum, [e] Tungrorum, [f] Eburonum, [g] Pleumoſiorum atque etiam Hiſpanorum, praeterea IVCIↃ equitum Germanorum in caſtris eſſe nunciabantur) primo Germani tumultuari, quod indigne ferrent, Hiſpanis ſtipendia perſolvi, et ſui rationem non haberi: deinde etiam omnes ob annonae inopiam, non ita abundante ſolo, murmurare: poſtremo, ex inopia morbo peſtilenti graſſante, multi ſenſim diſperire: plerique a ſignis diſcedere; praecipue poſtquam [α] Roſſemius ipſe contagioſa illa lue correptus eſt, ex qua [h] Antuerpiam delatus mox deceſſit. Is magnae et fortis induſtriae dux olim ſub Franciſco I ſtipendia fecerat, ſicuti I libro diximus; et memorabili illa expeditione anno hujus ſaeculi XLII cum [i] Longovallo ſuſcepta totum Belgium concuſſerat, Antuerpia ipſa paulo minus occupata: dein, pacificato [k] Clivenſi cum Caeſare, et ipſe in gratiam a Caeſare ob ſummam bellicae virtutis opinionem acceptus eſt; cui poſtea uſque ad obitum conſtanter militavit. Hujus de morte et hoſtium ſtatu poſtquam cognitum eſt, noſtri conſilium de iis ad Givacum in ipſis caſtris opprimendis iniere: quod ut commodius confici ac tutius poſſet, condicta dies, ad quam omnes copiae ex Belgii et Campaniae limite certo loco convenirent, et ad hoſtem ſimul contenderent. Itaque [l] Santandreanus ex Picardia cum IↃCCC cataphractis ac totidem levis armaturae equitibus ac praeterea VIIICIↃ peditum, praemiſſo [m] Rhingravio cum ſuis, [n] Corneti-montem et inde [o] Retelium ad [p] Nivernium venit, ut de belli rationibus cum eo ageret. Tandem ad Mauberti-fontem convenere omnes III Non. Quintil. in quibus erant omnino IICIↃ equitum, XXXII Gallorum peditum vexilla, et XX veteranorum Germanorum ſigna, quibus Rhingravius praeerat. Praeterea ex primaria nobilitate advolaverant, praeter [q] Nemoroſium et Ellebovium, [r] Sanſacus, Jo. [s] Annebaldus [β] Claudii praefecti maris filius, Franc. [t] Rupiſulcaudii comes, Carolus [u] Randanus frater, [x] Marſilius Sipetra, [y] Cruſſolius, [z] Mompeſatus, [γ] [aa] Negropellicius, [bb] Suſaeus, alii. Poſtridie [cc] Convinium ſemidirutum caſtellum haud longe a [dd] Mariaburgo promota caſtra, quo et Bordillonius cum ſua equitum ala venit, et carros pulvere, pilis tormentariis et rebus aliis neceſſariis onuſtos ſecum advexit. Traductus ante Mariaburgum exercitus, et commeatus modicus [δ] loco illatus. Heic [ee] Rupimanii filius et [ff] Firmitanus cum ſingulis equitum levis armaturae alis, ac praeterea V peditum ſignis, quae in oppido erant, noſtris ſe adjunxere. Tunc demum, coactis in unum cunctis copiis, exercitus in aciem inſtructus coepit incedere. Sanſacus cum levis armaturae equitibus, Anglis ac Scotis, praemiſſus, qui itinera exploraret, et de hoſtium conſiliis cognoſceret. Hunc ſequebatur Nemoroſius et Ellebovius cum levi armatura. Primum agmen Santandreanus cum peditatu Gallico et IↃ cataphractis equitibus, aciem cum totidem equitibus et peditatu Germanico Nivernius ducebat, qui univerſo exercitui praeerat. Ita ſumma alacritate quaſi ad certam victoriam profecti cum ad [gg] Fagnolium caſtellum proceſſiſſent, venit ad eos Jacobus [hh] Bucardus cum mandatis a rege ad Nivernium, ut denſatis ordinibus et caute incederent, neque proelii aleae rem

temere

VAR. LECT. [α] Roſſemus *P. D. o. f.* [γ] Negropellius *P. D o f. d.*
[β] Claudii *deeſt* *P. D. o. f. d.* [δ] loco *deeſt* *P D. o. f.*

INTERPR. [a] *Agimont.* [b] *Aubenton.* [c] *Bas Allemans.* [d] *Clevois, Gueldrois.* [e] *Wallons.* [f] *Liegeois.* [g] *Flamans & Bourguignons de la Comté.* [h] *Anvers.* [i] *de Boſſut, ſieur de Longueval.* [k] *le duc de Cleves.* [l] *le mareſchal de St. André.* [m] *le Rhingrave.* [n] *Mont-Cornet.* [o] *Rethel.* [p] *le duc de Nevers.* [q] *le duc de Nemours, & le mareſchal d'Elbeuf.* [r] *de Sanſac.* [s] *d'Annebaud.* [t] *de la Rochefoucaud.* [u] *de Randan.* [x] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [y] *Antoine, comte de Cruſſol.* [z] *des Prez, ſieur de Montpeſat.* [aa] *le ſieur de Negrepeliſſe.* [bb] *le comte de Suze.* [cc] *Couvins.* [dd] *Marienbourg.* [ee] *le ſieur de la Roche-du-maine.* [ff] *le ſieur de la Ferté.* [gg] *Faignoles.* [hh] *le ſieur de Boucard.*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

temere committerent; tantum hoſtem ſuſpenſum tenere contenti eſſent. Jam Ellebovius ad Santandreanum IↃ equites ex hoſtibus a Sanſaco viſos renunciaverat. Itaque noſtri, qui aeſtu feſſi in ſylvae ora ſubſtiterant, armis mox ſumptis, ad iter ſe accingunt: et, cum [a] Germinium II a [b] Givaco milliaribus veniſſent, obvia habuere XVII peditum ſigna et CIↃ IↃ C circiter equites, qui Givaco exierant, et per collem adverſum porrecti noſtros tanquam in inſidiis ſylva tecti expectabant. Heic acre certamen exoritur: ſed, cum hoſtes ſylva egredi nollent, et ſatis haberent, ſi noſtros deſtinato hoſpitio prohiberent, Ellebovius a Nivernio, qui haud longe aberat, CIↃ CC delectos pedites, ac [α] CCCC equites, qui pedites ſequerentur, ſummitti petit: qui ubi venere, [c] Bordillonio eodem ac III praeterea equitum alis ſubſequi juſſis, tum demum acrius certari coepit: ſed, impreſſionem faciente levi armatura a ſcloppetariis adjuta, hoſtes veriti, ne undique circumvenirentur, paulatim cedere et dimicando ſemper nec ſolutis ordinibus in collem eniti coepere: ubi, inſequentibus ſcloppetariis et equitatu jam latius explicato impreſſionem faciente, [β] rurſus utrinque certamen integratum eſt. Cum retro cederent hoſtes, ſemper ſervatis ordinibus, apparebat, eos id aſtu facere, ut noſtros fatigatos ſenſim in locum iniquum ad pugnam neceſſariam cogerent: et ita Nivernio ac Santandreano videbatur; qui proinde accelerato peditatu et equitatu mox eo ſumma alacritate perrexere, ſuos ad pugnam fortiter capeſſendam hortati. Verum hoſtes, poſtquam ex colle noſtros quaſi ad certamen per ſubjectam vallem properanteis deſpexere, tunc demum per ſaltum retro pedem ferre, et inde per convalleis noſtros inſequenteis eludere, donec ita ſemper cedendo ſervatis ordinibus ad ſuos ſe recepere. In eo conflictu, qui nocte diremptus fuit, pauci utrinque perierunt. Noſtri in colle ab hoſte nuper inſeſſo in victoriae ſignum pernoctavere; loco admodum incommodo, praecipue equitibus, ſed victori non inglorio. Nox ea, diligenter ordinatis ſtationibus, inſomnis fuit; ſed ab omni motu quieta: explorata per eam a noſtris ducibus itinera, et ad hoſtem acceſſus notati. Poſtridie, qui fuit XVII Kal. Sextil. eductus in aciem exercitus in ſumma collis planitie, qui a [d] Nemauſo vico incipiens et inde jam latior in valleis complureis, quaſi ramos, funditur, atque eam imprimis, per quam noſtris ad Givacum iter fuit, ubi demum contrahitur, cubitumque efficit latitudine IↃ paſſuum, in quo munimentum illud novum quadrata forma excitaverant hoſtes, atque inde in confragoſa praecipitia deſinit, quorum radices per Moſam adverſum porriguntur. Ab eo munimento ducta fuerat foſſa ad propugnaculum jam ad idoneam altitudinem perductum in media valle, quae citerius Givacum ſubjectum habet; et inde ad aliud propugnaculum inferius porrigitur, quod [γ] utrinque Givacum et medium amnem deſpicit, atque alia ducta foſſa ipſum cingit, lateribus utriuſque propugnaculi ſuperiorem et inferiorem aggerem utrinque egregie tegentibus: munimento autem illi [e] Carlomontio nomen impoſuere. Ceterum ex colle illo alius obliqua ſinuatione panditur ſylva caedua conſitus, qui ad laevam [f] Agimontium verſus et occidentem ſolem declivi deſcenſu paulatim extenditur in vallem illa parte anguſtiorem, et rivulo, qui eam dividit, ſe in crebros ſinus curvante fere undique clauſam, atque ob id irriguam et reſtagnante plerumque aqua paludoſam. Per mediam vallem, quae colleis interjacet, per quam expeditius iter eſt, equitatus incedere juſſus eſt; quod per ſuperiorem viam anfractibus ac ſaltibus impeditam, quae recta Givacum ducit, equitatus commode tranſire non poſſet. Per ſummum collem duo peditum agmina aequali fronte, ſed modico intervallo, incedebant: tertium ad ſervandum aditum locatum eſt. Sclopetarii ſubtus in valle diſpoſiti, directis in tumulo II colubrinis, quae in montis latus et in imam uſque vallem ictus diſploderent. Rurſus inter colleis illos et citerius Givacum alius

VAR. LECT. [α] CCC P. D. o. f. d. [β] rurſus acrius P. D. o. f. [γ] utrumque P. D. o. f. d.
INTERPR. [a] *Germigny.* [b] *Givets.* [c] *de Bourdillon* [d] *village de Niſmes.* [e] *Charlemont.* [f] *Agimont.*

alius collis eminet, qui ex majore altero forma triangulari CC circiter paſſuum ſpatio panditur; in cujus meditullio alius conica figura aſſurgit CC cubitorum altitudine, in cujus apice hoſtes majores ſcloppetos diſpoſuerant: poſt quem latebat equitatus hoſtilis a tormentorum ictibus tectus: neque ad eos adiri poterat, niſi tranſmiſſo rivo: eo ſuperato, in altum militi noſtro enitendum erat, qui ita ad omneis hoſtilium munimentorum et hoſtium ipſorum impetus exponebatur. Igitur, poſtquam per mediam vallem primus equitatus uſque ad rivum tranſverſum proceſſit, obvios ibi habuit ſcloppetarios aliquot, cum quibus conflixit: cum ſcloppetariis Germani equites ſuperveniſſent, diverſa parte Bordillonius cum aliquot alis equitum, aliis itidem noſtris, ſupervenit: cumque rurſus denſum ſcloppetariorum agmen in noſtros impetum feciſſet, et equitatus hoſtilis in ſummo colle conſtitiſſet, [a] Nivernius ex Gallis et Germanis CIↃ CC ferme deligit, qui proelium reſtituerent, et eo hoſtem adducerent, ut de ſumma eo die decerneretur. Ii, ubi ad rivum venere, incredibili ardore eum ſuperant, ut hoſtem cominus aggrederentur: quo facto, jam calente proelio, immanis ſtrepitus exortus eſt ſcloppetorum et tormentorum ictibus et vociferantium utrinque clamoribus, inter convalleis perſonante aëre: ad haec, fumo flammaque, et inter haec coruſcante armorum fulgore, pulvere item ſublato, horribile ubique occurrêbat ſpectaculum. Cum, cedentibus hoſtibus, ſcloppetarii et Germani equites, ut eos ſuſtinerent, de colle tandem deſcendiſſent, [b] Nemoroſio, [c] Ellebovio ac [d] Randano a parte noſtra, mox tranſmiſſo rivo, incurrentibus repulſi ſunt, et, poſt diſploſionem more ſuo converſis ordinibus, rurſus in collem evaſerunt; quos inſecuti noſtri ad dimidium uſque collem, tandem ibi ſubſtiterunt, ultro hoſtem ad dimicandum provocantes, qui fruſtra ſcloppetos illos majores in ſuperiore colle deſtitutos in noſtros diſplodere conati, cum pulvis tormentarius, qui in dolio prope erat, forte ignem concepiſſet, eoque caſu milites, qui aderant, abſumpti fuiſſent, tandem retro pedem tulere. Ne ulterius noſtri eos inſequerentur, in cauſa fuit regis mandatum: cui dum obſequitur Nivernius, tam pulchram occaſionem elabi paſſus eſt. Statim tamen [e] Givacum ad Carolum Barlemontii comitem, qui loco a Caeſare impoſitus fuerat, tubicen miſſus, qui, ſi ipſe proelio vellet decernere, paratos noſtros diceret; ſed is eum minis et ſine reſponſo dimiſſus eſt. Hac vana noſtrarum virium oſtentatione, nec alio praeterea profectu, inſignis Givacena expeditio fuit. Paucis utrinque deſideratis, noſtri, jam inclinante die, [f] Nemauſum rediere. Ibi cum [g] Solturium ac Cimacum, antequam redirent hoſtes, capienda decreviſſent, miſſi delecti equites, [h] Tiercellino Rupimanii filio duce, qui Solturianos deditionem facere juberent. Cum illi, tam propinquo exercitu, non auſi recuſare, paratos ſe aequis conditionibus deditionem facere reſpondiſſent, iis temere fide habita, Tiercellinus reſponſum ſtatim ad Nivernium deferendum curat, qui, jam conclamatis vaſis, in eo erat, ut Nemauſo diſcederet. Is igitur, qui, jam deficiente commeatu et feſſo milite, illuc cum toto exercitu deflectere ſummopere incommodum judicaret, nuncium laetus accipit; et jam de Solturio ſecurus recta Cimacum tendit, quod ſine defenſoribus et ab hoſte deſertum eſſe ſibi perſuaſerat. Ubi aliam viam inſtitiſſe noſtros Solturiani intellexere, jam audaciores redditi poſt longas altercationes poſtremo non prius de deditione ſe acturos reſpondent, quam tormenta in conſpectum fuiſſent adducta. Jam Nemoroſius ad Cimacum proceſſerat, cum de ultimo Solturianorum reſponſo cognitum eſt: quod cum, contra quam ſperaverant, noſtri egregie praeſidio munitum oſtendiſſent, erant quippe in eo II peditum vexilla et una equitum ala, ad extremum ingruentibus imbribus, inde, re infecta, diſcedere coacti ſunt; neutro potiti, dum utrumque ſe conſecuturos temeraria ſpe confiderent. Inſecuti noſtros praeſidiarii, diſpoſitis inſidiis, cum praemature ſylva exiiſſent, aliquot e ſuis amiſſis ac XV captis,

in

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *le duc de Nemours.* [c] *le marquis d'Elbeuf.* [d] *le comte de Randan.* [e] *Givets.* [f] *Niſmes.* [g] *Saultour & Chimay.* [h] *Tiercelin, ſieur de la Roche-du-maine.*

CIƆIƆLV.
HENRICUS II.

in ſylvam compulſi ſunt ; hoc damnum poſtea ulti, [a] Venturii cohorte, quae pabulatum longius proceſſerat, ſub veſpera intercepta et caeſa. Supervenientibus dein pluviis et feſſum militem ſupra modum infeſtantibus, Nivernius [b] Albentonum et Cometi-montem proficiſcitur ; praemiſſiſque Germanis, et equitatu, quem Santandreanus adduxerat, in Picardiam remiſſo, tandem, ubi [c] Retelium venit, exercitum diſſolvit. Non exiturum menſem apparebat, quin hoſtes injuriam in ſpeciem Givaci acceptam contraria expeditione ulciſcerentur : tamen levibus tantum excurſionibus utrinque in limite certatum eſt.

IX. SUB id tempus noſtri in oceano cum Belgicis navibus ingenti ac furiali proelio pugnavere. Cum enim naveis aliquot majores Batavicas omni Indicarum et aliarum pretioſarum mercium genere onuſtas ex Hiſpania renavigare allatum eſſet, Dieppenſibus, penes quos praecipua rei nanticae glotia ſemper apud nos fuit, a tege negotium datur, ut [d] Caletenſi pago et Ebroicano tractu conquiſitas naveis inſtruerent ad hoſtium claſſeis intercipiendas, et prohibendas piratarum excurſiones. Illi cum XIX navibus bellicis et cataſcopiis VI, duce [e] Spinavilla Harflorienſi rei navalis periiſſimo, in [f] Doverae [g] Britanniae emporii conſpectu Batavicas nacti infeſtis viribus invadunt ; ſed confuſo initio ordine, quod, cum de pugnae adhuc ratione deliberaretur, variatum fuerat ſententiis. Nam plerique ſentiebant, omiſſis prioribus, in noviſſimas hoſtium naveis impetum faciendum eſſe : ſic enim priores ſe a periculo longius abeſſe exiſtimaturos, ac proinde ſtatim fugam arrepturos, et in lucro poſituros, ſi tanti pretii mercium partem conſervare poſſint : ſi vero cum univerſis pugnetur, contra eventurum, ut ex periculo animi hoſtibus creſcant. In hoc diverſa ſentientium tumultu Spinavilla naveis incitat, et praetoriam aggreditur. Naves hoſtium erant omnino XXII, quas Urcas vulgo vocant ; quae, quamvis ad merceis portandas deſtinatae, omni tamen re ad defenſionem neceſſaria inſtructiſſimae erant. Cum praetoria Spinavilla pugnante, ceteri duces XV hoſtileis manibus ferreis et harpagonibus injectis ad certamen cogunt. Quatuor horarum ſpatio certatum acri admodum et cruenta pugna, nutante utrinque victoria ; quod, licet noſtri militum numero vincerent, hoſtes navigiorum magnitudine, gravitate ac firmitate ſuperiores ex iis, tanquam ex ſuperſtructis turribus, crebris machinarum, quibus abundabant, diſploſionibus in noſtros fulminarent, et pugnandi neceſſitate auctis animis noſtrorum virtutem aequarent : tandem, fatiſcentibus ab utraque parte viribus, ad extrema deventum eſt : cumque crebri artificioſi ignes, quorum accendendorum peritia Belgae ſupra omneis praeſtant, utrinque inter certandum immitterentur, tandem navis una ex noſtris ignem concepit ; quo ipſa mox et aliae V itidem ex noſtris conflagraverunt, et, ab iis rurſus in hoſtileis totidem ſerpente flamma, incendium tanta celeritate graſſatum eſt, ut jam utrique plus de eo reſtinguendo quam de victoria cogitarent. Caeſariani ſcribunt, noſtros, tantam hoſtium virtutem praeter expectationem expertos, a proelio voluiſſe diſcedere, et ſigno edito inducias popoſciſſe : ſed, inter clangores et ſtrepitum non exauditos, conſilium ex deſperatione cepiſſe, et immiſſo in proprias naveis igne periculum incendio propulſare conatos. Ut ut ſit, accenſo igne, ſive a noſtris facto initio, ſive ab hoſtibus, quod vero propius eſt, magna rerum mutatio ſecuta eſt. Nam noſtri, ut incendio ſe eriperent, protinus in hoſtium naveis, ſpreto periculo, inſiliunt ; et, cum numero vincerent, hoſteis plus jam de mercibus quam de pugna ſolicitos invadunt, et navibus potiuntur, non ſine magna jactura. Tandem nox proelium, quod VI horis continuatum eſt, diremit. Captae V hoſtium naves cum multis captivis, quae tormentorum ictibus quaſſatae et flammis paene conſumptae ad oſtentationem potius quam ad uſum noſtris fuere, in victoriae ſignum Dieppam perductae.

INTERPR. [a] *le capitaine l'Adventure.* [b] *Aubenton & Mont-Cornet.* [c] *Rethel.* [d] *pays de Caux, & autres villes sur la mer.* Vide Scal. ad Auſon. l. 2. c. 14. [e] *Eſpineville d'Harfleur.* [f] *Douvres.* [g] *Angleterre.*

perductae. Periere ex hoſtibus, partim ferro et flamma, partim fluctibus hauſti, ad CIↃ: ex noſtris circiter cccc, et in iis Spinavilla dux; quod eam victoriam luctuoſam et regi damnoſam effecit. Hoc actum extremo Sextili; quo eodem menſe intellectum eſt, [a] Arauſionenſem principem, aucto novis Germanorum auxiliis exercitu, in caſtra cum ſummo imperio a Caeſare miſſum veniſſe; qui ante omnia coeptas [b] Carlomontii munitiones latius pandi, et uſque ad vallem, in qua noſtri, repulſis hoſtibus, ſubſtiterant, porrigi juſſit. Inde educto medio fere Septembri exercitu, quaſi Mariaburgum petiturus eſſet, [c] Fagnolium caſtellum, quod a noſtris tenebatur, recepit, humanitate ſumma erga praeſidiarios uſus: cui ut ſe opponeret Nivernius, ſtatim [d] Rozatum in Tiracenſi agro [e] Campaniae copias convenire jubet. Capto Fagnolio, Arauſionenſis, et traducto ante [f] Mariaburgum exercitu, [g] Convinium venit; ubi Nivernius aliquot praeſidiarios reliquerat: quibus diſcedentibus, turrem inibi munitam dirui juſſit, et inde ad [h] Solturium caſtra promovit; ubi eum omni exercitu eo uſque ſubſtitit, dum caſtrum, quod [i] Philippopolim nominavit, muniret, et adverſus noſtrorum impetus tutum praeſtaret. Eodem tempore rex pudendum potius quam detrimentoſum damnum in Belgii limite accepit, regni delectibus caeſis, multiſque ex nobilibus, et iis, qui ſe ob immunitates pro talibus venditant, ab hoſte captis. Nam generoſior quiſque, ne non ultro aut coactus militiae nomen dediſſe videatur, aut ſub regio vexillo militat, aut alicui cataphractorum equitum alae adſcribi mavult. Id autem in hunc modum accidit. Cum delectus illi, ex cccc peditibus et CIↃ cc equitibus conflati, quorum dux erat [k] Jallius ex primaria in [l] Andibus nobilitate vir, in hoſticum excurriſſent et magnas praedas abegiſſent, dum redirent ſolutis ordinibus homines, ut plurimum militiae ignari, inter [m] Rigiacum Atrebatum et [n] Bapalmam ab [o] Alſimontio loci illius praefecto ſecus viam et oppoſitam ſylvam ac ſubjectum rivum inſidiis excepti ſunt, et ab exiguo numero caeſi, ac majorem partem, cum effugium non eſſet, capti, non ſine verborum ludibrio, nimirum, [p] nobileis Galliae non appenſos a Belgis capi. Quod dicebatur alluſione facta ad monetae aureae Anglicanae genus, quae vulgo nobilium nomine indigetatur. Id fama quam re majus animos hoſtibus fecit ad majora audenda. Statim igitur ſparſus rumor, Guiſam eos oppugnare velle: ideoque illud oppidum novis praeſidiis abunde firmatum eſt. Verum aliam hoſtium mentem fuiſſe mox compertum, quippe qui munitiones Carlomontii et Philippopoli coeptas perficere in animo haberent, et, ſi occaſio ferret, cum jam in armis eſſent, noſtri autem copias dimiſiſſent, Mariaburgum et [q] Rupemregiam, loca commeatu deſtituta, quamvis intempeſta hyeme, aggredi.

X. PAULO ante Henricus [r] Labreranus Navarrae rex et Aquitaniae praeſes [s] Podii in Benearnenſi pago deceſſerat; cujus parenti regnum iniqua Julii II proſcriptione in praedam datum Ferdinandus [t] Aragonius Caeſaris maternus avus eripuerat: princeps magno animo et frugali ſplendore; cui ſua et noſtra fortuna defuit, quo minus, quae cauſa noſtra amiſerat, ope noſtra recuperaret: ſed tantum id effecit, ut in pacificationibus inter Caeſarem ac reges Galliae ab eo tempore factis, ſuppreſſa ejus rei mentione, jus integrum penes ſe et heredes ſuos remaneret. Huic non ſolum in Navarrae regni titulum et in opulentiſſimas, quas in Gallia habebat, poſſeſſiones Anton. [u] Borbonius Vindocinus Picardiae praeſes, qui Joannam ejus unicam filiam olim Willelmo [x] Clivenſi deſponſatam in uxorem duxerat, ſucceſſit; ſed etiam in Aquitaniae praefectura, quae totius Galliae ampliſſima merito cenſetur. Eo e provincia decedente, Picardiae praefectura Gaſpari Colinio maris praefecto a rege attributa

INTERPR. [a] *Guillaume de Naſſau, prince d'Orange.* [b] *Charlemont.* [c] *Faignolles.* [d] *Rozoy en Tierache.* [e] *la Champagne.* [f] *Marienbourg.* [g] *Couvins.* [h] *Saultour.* [i] *Philippeville.* [k] *le Jaille.* [l] *Anjou.* [m] *Arras.* [n] *Bapaume.* [o] *le ſieur d'Haulſimont.* [p] *les nobles ſans peſer.* [q] *Roc-roy* [r] *d'Albret, roy de Navarre & gouverneur de Guienne.* [s] *Pau en Bearn.* [t] *d'Arragon.* [u] *de Bourbon, duc de Vendôme.* [x] *le duc de Cleves.*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

attributa eſt; qui ut hoſtium conſilia irrita redderet, de copioſiore commeatu Mariaburgum et Rupem-regiam inferendo, re cum [a] Nivernio communicata, ſtatim cogitavit. Id quo ſerius, quam convenerat, fieret, in cauſa fuit, quod [b] Belli-jocus Sequanus [c] Theodonis-villae praefectus, corrupto quodam milite, [d] [a] Emerium, quod [e] Choëſelius Lancus cum viginti-quinque praeſidiariis tenebat, prope [f] Metim magni momenti ad regionis ſecuritatem caſtellum occupaverat; quod [g] Sanſacus Veteris-villae legatus, eductis, quam celerrime potuit, [h] Virodnno, Tullo, Ivodio et Monmedio praeſidiis et admotis tormentis, poſt CXX ictuum diſploſionem ſub initium Octobris recepit. Annonae dein conquirendae, quod non ita facile erat, regionibus vicinis continuo militum itu et reditu exhauſtis, et cogendis copiis, quae Arauſionenſibus pares eſſent, ſi ille ſe oppoſuiſſet, totus October inſumptus eſt. Tandem X Kalend. Novembreis [i] Colinius cum IↃC circiter cataphractis equitibus [k] Porciani-caſtellum venit, et Rhingravius cum XX veteranorum Germanorum vexillis [l] Corneti-montem, Sanſacus cum [m] Rabodangio, [n] Altacuriano, [o] Villerio Depotio et veteranorum Gallorum XXV ſignis; omneſque prid. Kalend. Decembr. Maubertum convenere; equitatuique [p] Scalae, [q] Albinii et per vicinos vicos aſſignato hoſpitio, Colinius, qui primum agmen ducebat, eodem die Rupem-regiam profectus eſt. Inde praemiſſus Sanſacus cum levi armatura et CCC circiter ſcloppetariis: quem mox ſubſequi juſſus Bordillonius, cum equitum agmine, qui tota nocte incederent, et, itineribus exploratis, de hoſtium conſiliis cognoſcerent. Poſtridie Colinius Rupe-regia progreditur, quo mox Nivernius venit, cum IↃ cataphractis equitibus, et Rhingravius cum Germanorum vexillis. Eodem carri convenere, ulterius progredi veriti, donec noſtri [r] Convinium veniſſent, quod medio itinere hoſteis impetum facturos conjicerent. Cum tamen ſe hoſtis loco non moviſſet, et ſine certamine noſtri incolumes eo perveniſſent, ibi diſpoſitis hoſpitiis et fixis tentoriis, tantum XV carri annona onuſti Mariaburgum ea die illati ſunt, ac ſequentibus III diebus reliqui omnes in oppidum magna difficultate introducti, itineribus continuo imbre partim lubricatis partim omnino corruptis, ut equi fere inter eundum deficerent; quorum ingentem numerum per vias paſſim jacentium videre erat. Ad haec, equitatus noſter a nive et frigore vehementer infeſtabatur, equis ipſis pabulo deficiente, quod [s] Cimaco non citra periculum petendum erat, frigore et fame in rabiem verſis, adeo ut equiſonum foenum aut pabulum porrigentium crura aut brachia plerumque apperterent. Interea crebris excurſionibus utrinque certabatur, hoſte in carros per impedita et ſaltuoſa loca, quorum gnarus erat, impetum feliciter faciente; noſtris vero etiam in hoſtium caſtra invadentibus. Paulus Bapt. [t] Fulgoſius per media hoſtium caſtra perruptis ſtationibus [u] Givacum uſque penetravit, et in reditu quoſdam obvios equites cecidit, captiſque ex iis aliquot, ac, vix [x] Trelonio et [y] Avenarum praefecto fuga elapſis, incolumis ad ſuos reverſus eſt. Illato commeatu, noſtri eodem ordine, quo venerant, [z] Maubertum rediere, collocatis in medio carris jam vacuis: intercepti tamen, qui ob itinerum anguſtiorum incommoditatem maturius ſe in viam dederant. Venit et in hoſtium poteſtatem [aa] Daſpartus veteranus miles, cujus praecipua induſtria fuerat in annona comparanda: is deprehenſus cum Nivernii ea de re mandato, et interrogatus ab Arauſionenſi de commeatu illato, cum pleno fiducia vultu majora vero reſpondiſſet, omnem ſpem hoſti de Mariaburgo ac Rupe-regia tentandis ſuſtulit. Itaque Arauſionenſis,

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *le capitaine Beaujeu, de la Franche Comté.* [c] *Thionville.* [d] *Emery.* [e] *de Choiſeul, ſieur de Langues.* [f] *Mets* [g] *de Sanſac, lieutenant de M. de Vielleville.* [h] *Verdun, Toul, Ivoy, & Montmedy.* [i] *l'amiral de Coligny.* [k] *Chaſteau-Porcien.* [l] *Mont-cornet.* [m] *de Rabodanges.* [n] *d'Haultcour.* [o] *de Villiers des Pots.* [p] *l'Eſchelle.* [q] *d'Aubigny.* [r] *Couvins.* [s] *Chimay.* [t] *Fregoſe.* [u] *Givets.* [x] *Trelon.* [y] *Aveſnes.* [z] *Maubert-fontaine.* [aa] *Daſpart.*

NOT. [a] *Emerium* Put. Mais la Popeliniere p. 67. met *Chaſteau Emery*. C.

Arauſionenſis, impoſitis [a] Carlomontio ac Philippopoli praeſidiis et diſtributo in hyberna milite, Bruxellas ad Caeſarem [a] contendit.

XI. Hoc anno, xv Kal. April. regiae ſobolis v ac poſtremus filius Henrico naſcitur, Hercules dictus, Alenconiorum dux deſtinatus; qui poſtea mutato nomine Franciſcus appellatus eſt, et bellum in Belgio geſſit. Jam antea, xv Kal. Mart. edictum in ſenatu promulgatum fuerat, quo in ſingulis curiis praeſidialibus et quibuſdam aliis minoribus [b] quaeſtor criminum inſtitutus eſt, attributo ei annuo ↀ c Francicûm honorario; eidemque [c] legatus militaris adjunctus cum ccc Francicûm ſtipendio, inſuper [d] lictores ſeu accenſi ſeni quaternive cuique attributi: [e] latrunculatoribus vero, exceptis iis qui in x primariis regni provinciis merent, munus abrogatur. Nec multo poſt in ſingulis regni curiis quaeſtorum legati militares cum IV accenſis creantur: quod novum et hactenus inſolens primo repudiatum, poſtea temporis ſucceſſu obtinuit. Prid. Eid. Junias lex in ſenatu recitata eſt, qua, in aedificiis urbanis quidquid in vias promineret et publico officeret, Lutetiae everti jubebatur: quod idem poſtea altera lege in ceteris regni civitatibus et majoribus oppidis ut locum haberet rex edixit. Cum vero ante quadriennium in ſenatu edictum promulgatum fuiſſet, uti jam ſuo loco diximus, quo rex plenam et integram de ſecta Lutherana cognitionem ſibi ſervabat, et judicibus ſuis attribuebat, ſine ulla exceptione, niſi aut declarationem aliquam haereſis requireret, aut de iis pronunciandum eſſet qui ſacris initiati ſunt; hoc anno, Carolo cardinali [f] Lotharingo inſtigante, qui jam de expeditione Neapolitana cogitans ea in re novo pontifici gratificari vellet, rex contrariam juſſionem [g] emiſit; qua praefectis omnibus mandabat, ut quos eccleſiaſtici judices ac fidei quaeſitores ut pravae opinionis convictos damnaſſent, pro delicti magnitudine, nulla interpoſita mora nec ulla provocationis habita ratione, punirent. Quod ut perſuaderet judicibus, ipſe cardinalis in ſenatum venit, et edictum multis rationibus confirmatum propoſuit. Eo audito, ſenatus ſpatium ad deliberandum popoſcit; et poſt deliberationem, miſſis e ſuo numero delegatis, in haec verba ad regem reſcripſit XVII Kalend. Novembreis. Quod miſſo nuper ad nos edicto, rex ſupreme domine, omnino pugnante cum altero ante aliquot annos in hoc tuo ſenatu promulgato, ſtatuiſti, id cum minime aequum cenſeret ſenatus, ſuarum partium eſſe duxit, ut ad te de rationibus referretur, quibus adductus fuit, quo minus ei ſubſcriberet. Regni legibus ita conſtitutum eſt, ut regibus plena ſit et abſoluta in ſuos poteſtas, et, qui ei parent, non aliunde quam ab ipſis jus petere debeant. Nam, licet ſacrorum penes ipſos non ſit omnino arbitrium, cum tamen jam a multo tempore ſe religionis ac ſacerdotalis dignitatis vindices acerrimos praeſtiterint, in iis merito ſibi jus quaeſierunt; adeo ut, cum de rerum ſacrarum ſoli poſſeſſione controverſia eſt, non niſi apud regios judices lis inſtitui poſſit. Atqui perſonas ipſas, in quas tibi vitae neciſque jus eſt, alienae poteſtati hoc edicto ſubjicis; qua re dignitatem et auctoritatem tuam laedi et infringi magnopere dolemus: quippe cum tuos lege ſcripta deſeras, quorum famam, exiſtimationem, fortunas, ſalutem denique externis, hoc eſt eccleſiaſticis judicibus, permittis, et, adempto provocationis beneficio, quod unicum innocentiae praeſidium eſt, eos illegitimae poteſtati atque adeo ſuperbiae et arrogantiae hominum poteſtate regia in ſe tranſmiſſa abutentium objicis. Itaque aequius eſſe cenſemus, ut magiſtratibus tuis de hoc crimine quaeſtionem et judicium mandes: et, cum quaeretur, ſententiane quaepiam haereſim redoleat, ea de re ſacerdotes ſtatuere decernas; quibus et in ſuos juriſdictionem exercere per te liceat. Inprimis tibi rogandus pontifex, ut de his appellationibus tuos judices cognoſcere permittat; et a ſenatoribus, qui ſacris initiati

VAR. LECT. [a] contendit: qui jam, abdicato a ſe Imperii et omnium regnorum jure, de profectione in Hiſpaniam cogitabat: qua de re mox plenius dicemus, ſi prius domeſtica quaedam explicaverimus. xv Kal. April. P D o. f.

INTERPR. [a] *Charlemont & Philippeville.* [b] *le prevoſt de robe courte.* [c] *le lieutenant criminel.* [d] *les prevoſts & archers des mareſchaux.* [e] *les prevoſts des mareſchaux* [f] *de Lorraine.*

CIƆIƆLV.
HENRICUS II.

initiati ſunt, haec ultima appellationum judicia fiant: qui ſi numero idoneo non ſint, in eorum locum viri pietate, integritare et vitae innocentia conſpicui ſufficiantur. Quaeſitor vero legatos in ſingulis provinciis viros ſanctirare ac probitate praecellenteis inſtituat: et epiſcopi, non autem rei, ſumptus quaeſtiooi habendae neceſſarios faciant; de quibus, ſi res poſtulabit, judicio facto ſtatuatur. Haec ſunt, quae ad edictum pertinere exiſtimavimus: quibus et hoc addendum duximus; Quandoquidem miſctorum, qui quotidie ob religionem plectuntur, ſuppliciis id rantum hactenus effectum eſt, ut crimen potius deteſtabile eſſet, quam errores ipſi corrigerentur; aequum videti, ut potius veteris eccleſiae veſtigiis inſiſtatur; quae oon ferro et flammis in religione conſtituenda ac propaganda, ſed puriore doctrina et honeſtae vitae antiſtitum exemplis, rem confecit. Igitur in id tibi toto animo incumbendum cenſemus, ut, quod in tua unius poteſtate poſitum eſt, quibus rationibus olim religio conſtituta eſt, iiſdem nunc conſervetur ac retineatur: antiſtites, ſicut fidos ovium paſtores decet, ovile quiſque ſuum praeſentes gubernent: idem faciant, qui iis ſubſunt; hoc eſt, pie vivant, et ſincere Dei verbum doceant, aut ſaltem per miniſtros idoneos doceri curent: in poſterum vero ii praeficiantur, qui poſſint ipſi, quod ſui muneris eſt, per ſe exſequi, hoc eſt, docere populum, neque vicaria ad id opera indigeant. Haec eſt radix, quam excolete; hoc fundamentum, cui ſuperſtrui oportet. Hac enim ratione minime dubitamus fore, ut venieoti morbo, antequam latius ſerpat, in tempore occurratur, et pravarum de religione opinionum in dies pullulantium luxuries coërceatur. Contra, haec remedia ſi ſpernantur, nullae leges, nulla edicta, quaecunque tandem fiant, huic malo curando ſatis erunt.

XII. HOC et anno inter regem et Joanoem [a] Broſſium Stamparum ducem, Britanniae Gallicae in Armoricano tractu praeſidem, tranſactum fuit. Is a Carolo [a] [b] Bloëſenſi genus ducebat, qui, cum de Britanniae principatu contenderet, opibus noſtris fretus, a Joanne [c] Droceoſi Monfortii comite memorabili proelio, anno CIↃ CCCLXV, III Kalend. Octobr. in [d] Namnetibus caeſus eſt. Ab eo tempore Monforriani io ea regione rerum potiti ſunt, uſque ad Annam Franciſci ducis unicam filiam, quae Carolo VIII primum, dein Ludovico XII nupſit: quo ex matrimonio prognata Claudia primogenita Franciſci I uxor fuit; ſub quo Britannia coronae regiae ex Ordinum provinciae decreto ita unita eſt, ut nullo caſu ab ea in poſterum alienari poſſit. Quaedam ea tranſactiooe Broſſio a rege compenſationis titulo conceſſa ſunt; et io iis [e] Pentevriae comitatus. Quibus acceptis, viciſſim ille et nomioi Britanniae, quod majores ipſius uſurpaverant, et univerſo juri in illo principatu renunciavit.

XIII. TUNC et Genevae ad Lemanum lacum tumultus quidam nocturnus excitatus fuit a quibuſdam ſenatorii Ordinis, qui rerum ſummam ad ſe ſuaeque factionis homines contrahere in animo habebanr. Ii Joannem Calvinum [f] Novioduneoſem, qui jam complureis annos in urbe docebat, ſummopere oderant; atque illos in primis, qui ob religionem, ut ſe ſuppliciorum periculo eripereot, eo e Gallia migraverant; quorum pleroſque in civium numerum allectos dolebant, eoque factum, ut alterius partis multiplicato numero alterius robur et auctoritas labefactaretur. Igitur, ut illos ejicerent, hoc aſtu uſi ſunt. Noctu concurſatione diverſis locis facta, quaſi ſigno dato, Gallos in armis eſſe paſſim clamitatum, et urbem proditam: ſed, cum advenae ſe domi continerent, plebs quoque, quam conjurati ſe in eos hac ratiooe armaturos ſperaverant, ſe cootinuit: et ita fraus conjuratorum fruſtra fuit. Horum quidam ſupplicio affecti, quidam fuga ſaluti conſuluerunt. [g] Lucarnenſes quoque,

quorum

VAR. LECT. [a] Bloëſenſium comite P.

INTERPR. [a] *de Broſſes, duc d'Eſtampes, gouverneur de Bretagne.* [b] *de Blois.* [c] *de Dreux, comte de Montfort.* [d] *pays Nantois.* [e] *Penthievre.* [f] *de Noyon.* [g] *Locarne, ville & bailliage,* autrefois *partie du duché de Milan, & donnée par François* I *aux* 12 *anciens Cantons de Suiſſe.*

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

quorum pagus ad communem Helvetiorum civitatem pertinet, eo tempore ſibi puriorem, ut aiebant, verbi Dominici uſum permitti poſtulabant. Cum pleraqne pars eorum, in quorum ditione erant, antiquam religionem tueretur, ſententiis variarum fuit, et res ad bellum inteſtinum ſpectare videbatur, donec ſententia ea vicit, qua decretum eſt, ut in majorum religione permanerent; qui parere nollent, iis liberum eſſet alio commigrare. Itaque qnamplurimi ad [a] Tigurinos ſe contulerunt; apud quos hoſpitio liberaliter excepti ſunt.

XIV. Hoc anno vivis exemptus eſt Wolfangus Lazius Viennae Auſtriacae in patria fere quinquagenarius, rerum Graecarum ſimul Romanarum et Germanicarum non indiligens ſcriptor, quod praeclara ejus monimenta apud poſteritatem reſtantur, patriae ſuae illuſtrator, et antiquitatis ſolers indagator, ex medico Caeſareo a Ferdinando non ſolum in concilium, ſed etiam, ob egregia erga ſe ac rempublicam literariam merita, in ordinem equeſtrem allectus. [*] Conradus item Pellicanus, [b] Rubeaquo In Alſatia natus, et diu Hebraicas literas Tiguri magna cum laude profeſſus, qui innumera fere Rabbinorum commentaria, non ſolum in ſanctam ſcripturam ſed etiam de arcanis Judaicae doctrinae ritibus ſcripta, ex Hebraicis Latina fecit, hoc anno valde ſenex naturae debitum perſolvit. His annumerabo Georgium Agricolam, [α] [c] Glauchae in Miſnia natum, qui de re metallica, foſſilibus et ſubterraneis animantibus ita accurate hoc ſaeculo ſcripſit, ut omneis antiquos in eo genere longe ſuperaverit, et exacta non ſolum eorum, quae a veteribus prodita ſunt, explicatione, ſed et multarum rerum, quae veniens aetas indagavit, veſtigatione eam hiſtoriae naturalis partem illuſtraverit; addita poſt Gulielmum Budaeum, Leonardum Portium et Andream Aleiatum de ponderibus, menſuris, de pretiis metallorum et monetarum, diligentiſſima tractatione: ac tandem hoc anno [d] Chemnicii Hermundurorum haud longe a maxime famoſis hoc aevo Saxonum ſeptemvirorum argenti-fodinis, ubi multa ipſe coram, priſcis incognita, [β] exploravit et obſervavit, ultimum vitae diem clauſit XI Kalend. Decembreis, cum annum aetatis LXI ageret. Ante Agricolam fatis conceſſit VIII Kalend. Jun. Gemma, a patria Friſius vulgo dictus, [e] Lovanii medicinam publice profeſſus: ſed mathematicarum ſcientiarum, quas domi docebat, rara ſcientia longe illuſtrior fuit; quas etiam inſtrumentis ſummo artificio elaboratis cum primis illuſtravit: et in aulam Caroli V ſaepe evocatus cum ſe modeſte excuſaret, otium ſibi gratia principum potius eſſe inſigni exemplo docuit: in quo et defecit, calculi malo extinctus, cum tantum XLVII annos exegiſſet, Cornelio Gemma filio relicto, qui eaſdem arteis magna cum laude Lovanii profeſſus intermortuam patris gloriam ſolertia propria ac doctiſſimis ſcriptis editis renovavit. Aliquanto poſt, III Non. Octobreis Edvardus [f] Wotonus, [g] Oxonii natus et apud ſuos medicinam profeſſus, editoque de differentiis animalium commentario clarum inter literatos adeptus nomen, anno climacterico ſuo, relicta numeroſa ſobole, Londini deceſſit; ad [h] S. Albani ſepultus. Iſidorus [i] Clarius, patria Brixianus, profeſſione Benedictinus, in primis commemorandus venit, qui [k] Fulginii eccleſiae per ſeptennium praefuit, vir

P. [*] *Nec multo poſt Juſtus Jonas, Northuſa, veteri Cheruſcorum oppido, natus, Jo. Friderici Saxonis ſeptemviri liberorum educationi admotus, eorumque fortunae calamitoſiſſimis temporibus perpetuus comes, et Martini Lutheri fidus ac conſtans miniſter, ut in cujus ſinu ille veluti animam exſpiraverit, tandem climacterico ſuo Eisfeldiae, ubi docebat, mortuus eſt.*

VAR. LECT. [α] Glauchae in Miſnia natum [β] propriis oculis exploravit *P. D.* o. f. d. *deſunt P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Zurich.* [b] *Rufach en Alſace.* [c] *Glaucha.* [d] *Chemnitz en Miſnie.* [e] *Louvain.* [f] *Wotton.* [g] *Oxford.* [h] *St. Alban.* [i] *Clario, né à Chiary petite ville du Breſſan.* [k] *Fuligno.*

CIↃIↃLV. HENRICUS II.

vir tribus linguis doctiſſimus; qui ad doctrinam Chriſtianam mores caſtiſſimos, vitam integerrimam, animum nihil praeter charitatem et eccleſiae emendationem ac unionem ſpirantem attulit; tanta in pauperes largitate et in omneis benignitate uſus, tantaque ſanctitatis opinione inde concitata, ut poſt mortem turba irruente et invitis cuſtodibus aedeis perrumpente totis XL horis ad deoſculationem [*] patuerit, nullo foetore emiſſo. Vixit LX annos: et febre violentiſſima correptus V Kalend. Junii placide ad Deum migravit; in eccleſia ſua Fulginii ſepultus. Quo et eodem anno immatura morte erepta eſt Olympia Fulvia Morata Ferrarienſis, morum ſanctimonia, ingenio et eruditione cum quavis priſci aevi comparanda foemina. Huic parens fuit Fulvius Peregrinus Moratus Mantuanus, homo doctus; qui filiam in literis inſtituit, in quibus tantum profecit, uſa etiam Chiliano Sinapio praeceptore, ut Graece et Latine ſcribere eleganter et verſus utraque lingua pangere didicerit. Dein in Renatae Herculis II Ferrarienſis uxoris familia cum Proteſtantium doctrinam hauſiſſet, ubi et in comitatu atque adeo amicitia Annae Ateſtinae, quae poſtea Franciſco Lotharingo Guiſae duci nupſit, principem locum tenuit, totam ſe [α] theologicis ſtudiis mancipavit. Poſtremo ob religionem natale ſolum vertere coacta cum Aemilio fratre in Germaniam venit, et Andreae [a] Gruntlero medico nupſit, cum quo conjunctiſſime, ſed paucis annis, vixit; et Heidelbergae, ubi larem fixerat, VII Kalend. Novembreis ex hac vita exceſſit, cum vix totos XXIX annos exegiſſet. Eam mox Aemilius frater et Andreas maritus ſecuti ſunt, in eodem tumulo ad D. Petri conditi. Hujus miſcellanea coëgit et publicavit Coelius Secundus Curio, ob religionem et ipſe Italia profugus, quae foeminae omni laude digniſſimae mores et raram eruditionem exprimunt, et, quid a tam excellenti ingenio expectari potuiſſet, niſi praemature adeo in vivis eſſe deſiiſſet, clare oſtendunt. [β] Praeceſſit hos omneis M. Antonius [b] Majoragius; a Majoragio vico, in quo Julianus Comes ejus pater habitabat, ita vocatus, cum ante Antonius [c] Maria Comes diceretur, ob idque a Fabio Lupo et [γ] Maximo Nigro accuſatus: a quo ſe crimine ille luculenta in ſenatu Mediolanenſi habita oratione purgavit, et non ſine exemplo factum oſtendit, ut nomen mutaret. Multum eloquentia valuit; et Ariſtotelis et Ciceronis de ea arte libros maxime illuſtravit: hunc etiam adverſus Coelii Calcagnini calumnias defendit: et, cum poſt egregie navatam totos XIII annos in erudienda juventute Mediolanenſi operam ad ſacrae doctrinae ſtudia ſe demum contuliſſet, in Deo obdormivit, [δ] pridie Non. April. [ε] anno aetatis XLI; Mediolani in majore templo, tumulo a ſe vivo extructo [ζ] a Bartholomaeo Comite uxoris fratre conditus. Apud nos [d] Orontius Fineus Delfinas, patre medico [e] Brigantione natus, prid. Non. Octobr. paulo ſexagenario major, ultimum vitae diem clauſit. Is primus, ſecundum Jacobum [f] Fabrum Stapulenſem, qui ſcientiarum orbem in Gallia a multis ſaeculis incognitum aut intermortuum excitavit; ſed, principia ſola tradere contentus, cum ad majora pergeret, tantum fonteis indicavit. Lutetiae Pariſiorum magna frequentia mathematicas ſcientias, a Franciſco I praemiis invitatus, docuit, et ſcriptis pro tempore eruditiſſimis illuſtravit. Ex noſtris et hoc anno Romae deceſſit Petrus [g] Gillius Albienſis; qui ad exactam utriuſque linguae, antiquitatis, veterum ſcriptorum, bonarum diſciplinarum ac praecipue rei naturalis cognitionem indefatigabile longinquas regiones luſtrandi ſtudium attulerat: quo incitatus per XL amplius annos, inſtituta per Graeciam, Aſiam utramque et majorem Africae

P. [* *quod minime voluiſſet*]

VAR. LECT. [α] pietatis P.
[β] *Majoragii elogium fruſtra hic quaerat apud* P. *ibi tamen legitur ad calcem lib. ſeq.*
[γ] Macrino P.
[δ] prid. Non. April. anno aetatis XLI *deſunt* P.
[ε] anno aetatis XLI *deſunt* D. o. f.
[ζ] a Bartholomaeo comite uxoris fratre *deſunt* P.

INTERPR. [a] *Grantler.* [b] *Majoragio.* [c] *Maria del Conte.* [d] *Oronce Finé.* [e] *Briançon en Dauphiné.* [f] *le Fevre d'Eſtaples.* [g] *Gilles d'Alby.*

Africae partem diligenti peregrinatione, partim ut Graecos libros, ſic enim a Franciſco juſſus erat, undique colligeret, partim ut multorum locorum poſitum deſcriberet, mortuo eo, diu vagatus, cum raro Dei beneficio ex [a] Gerbenſium piratarum manibus elapſus eſſet, tandem in familiam munificentiſſimi literarum patroni Georgii [b] Armeniaci cardinalis, qui Romae regis negotia procurabat, tanquam in tutiſſimum portum ſe contulit; ubi, dum ordinandis ac recolligendis, quas tanto tempore ſparſim congeſſerat, narrationibus dies noctibus continuat, ardentiſſima febre correptus diem ſupremum clauſit, annos natus LXV, et ad B. Marcelli funeratus eſt. Scripta ejus ne perirent, ejuſdem Armeniaci cardinalis in clientem amor et propenſum ad rem literariam juvandam ſtudium prohibuit, qui partem majorem eorum in Galliam adſerri juſſit, et publicanda curavit. Pars tamen eorum a Petro [c] Belono Cenomano amanuenſi et peregrinationum per aliquot annos comite ſubrepta creditur; qui, licet ea ſuo, non Gillii, nomine poſtea evulgaverit, tamen vel plagiarius non mediocrem a literatis gratiam iniit, cum, quod multi faciunt, illa publico minime invidit.

XV. In hunc etiam annum incidit Americana expeditio, a Nicolao Durando [d] Villagagnone Hieroſolymitani Ordinis equite ſuſcepta, de quo ſaepius jam a nobis facta mentio eſt, homine ſtrenuo et magnis negotiis atque expeditionibus exercitato, et, quod ratum eſt in ejuſmodi conditionis hominibus, non vulgaribus literis erudito. Is, gloriae ſtudio et, ut quidam addunt, ingenti parandarum divitiarum ardore incitatus, a rege, Gaſp. Colinii maris praefecti interventu, impetraverat, ut ſibi claſſem adornare et in novum orbem ejus auſpiciis Gallica ſigna liceret inferre: ſic enim eadem opera Francici nominis dignitati conſuli, ac ſimul hoſtium vireis diſtrahi ac debilitari, qui magnas ex ſecura illarum regionum poſſeſſione opes in belli uſus corraderent; et Gallorum exemplo ad illas aperiri externis gentibus ingreſſum, ut ſcilicet, libertate Americanis reſtituta, commune omnium ac publicum ibi ſtatuatur commercium, quod, intolerabili populis iis jugo impoſito, Hiſpani ſibi ſolis arrogant. Haec ita palam dicebantur. Cum Colinio vero clam egerat; et, quod cum Helveticae atque adeo Genevenſis confeſſionis ſociis, qui jam tum in Gallia nimium quam multi erant, in occulto favere ſciret, de illa in occupandis a ſe regionibus propaganda ſpem fecerat. Ita Villagagno inſtructis regis juſſu II magnis navibus, quarum ſingulae CC doliorum capaces erant, et tormentis idoneo numero in eas impoſitis, oneraria praeterea nave C amphorarum, quae annonam ac cetera neceſſaria portaret, comitibus inſuper permultis nobilibus viris, nautis et artificibus, [e] Franciſcopoli IV Eid. Quintileis ſolvit: ſed, tempeſtate ſuborta in Dieppae portum rejectus, ibique expoſitis aliquot e ſuis, qui maris pertaeſi heic navigandi finem fecere, Franciſcopolim redit: unde XIX Kalend. Septembreis rurſus ſolvens, ſuperatis [f] anguſtiis inter utramque Britanniam, XX poſt die in conſpectum [g] Tenariſae venit, unius ac praecipuae inter [h] Fortunatas inſulas, jam CIↃ IↃ leucas a loco unde diſceſſerat emenſus, ab aequinoctiali linea XXVIII gradibus Septentrionem verſus. Inde [i] Africae oram legendo [k] Ligerim flumen praeternavigat; et, [l] promontorio Albo, quod ſub Cancri tropico eſt, decurſo, ad promontorium [m] Aethiopicum, quod XIV gradibus a [1] torrida zona abeſt, pervenit VI Eid. Septembreis, a quo ad Tenariſam CCC retro leucae numerantur. Poſtea ad torridam uſque zonam Guineae litus legit; quam adeo temperatam expertus eſt contra veterum opinionem, ut qui veſtem induiſſet eam ob aeſtum minime deponere neque qui careret ob frigus ſumere cogeretur. Tandem VI Eid. Octobreis apud inſulam, de B. Thomae nomine dictam, punctum perpendicularem ſubiit; ex qua, [n] Euroauſtro flante, in occidentem revolutus XIII Kalend. Novembreis inſulam Aſcenſionis vulgo dictam

INTERPR. [a] *de Gerbe.* [b] *d'Armagnac.* [c] *Belon du Mans.* [d] *de Villegagnon.* [e] *Havre de Grace.* [f] *la Manche*, qui eſt le deſtroit entre la Bretagne & l'Angleterre. [g] *Pic de Teneriſf.* [h] *les Canaries.* [i] *Barbarie.* [k] *la Loire*, ainſi nommée par nos gens. [l] *Capo Blanco.* [m] *Cap d'Ethiopie.* [n] *le Sud-Eſt.*

NOT. [1] Dele *a torrida zona*: lege *ab aequatore* Put

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

dictam obviam habuit, quae VIII gradibus cum ſemiſſe ab aequatore diſtat, et IↃ leucis a continente abeſt; demumque Eidib. Novembribus [a] Genabarac fluvii, a ſimilitudine lacus ſic appellati, qui vulgo Januarius Luſitanis dicitur, aeſtuarium ingreditur XXIII gradibus ultra aequinoctialem lineam ſub ipſo Capricorni tropico. Ibi exſcenſione facta, IↃ circiter ex indigenis obviam venere arcubus ſagittiſque armati, noſtris adventum gratulantes, et, ſuis facultatibus ultro oblatis, atque in laetitiae ſignum ſolemnibus accenſis ignibus, gaudere ſe dixerunt, quod eos hoſpites haberent, qui ſe adverſus [b] Luſitanos alioſque infeſtos hoſteis propugnaturi eſſent. [c] Genabarae autem lacus tanta latitudine eſt, ut ſcripſerint, qui eo appulerunt, cum totius orbis navibus tutam ac commodam praebere ſtationem poſſe. Quia vero, relicto oceano, trium incultarum inſularum oras ſcopulis undique cinctas legere oportebat, naves ingredientes, ne ad illos allidærentur, ſummopere periclitatae ſunt. Deinde praeternavigandum fretum fuit, quod, cum non amplius CCC paſſus pateat, ſiniſtrorſum monte conſtringitur, ac rupe praealta conicam figuram exprimente, adeo exacta rotunditate a natura elaborata, ut manu facta eminus ſpectantibus videatur. Ulterius progredientibus rupes plana occurrit, quae CXX circiter paſſus ambitu ſuo complectitur; in quam primo Villagagno ſupellectilem omnem et impedimenta impoſuerat: ſed fluctuum vi repulſus III CIↃ paſſuum ultra procedit, et aliam inſulam antea deſertam CIↃ paſſuum capacem, longitudine latitudinem ſexies ſuperante, inſedit; quae ſcopulis undique ſumma aqua exſtantibus cingitur, ideo vel navigiolis inacceſſa, niſi ex adverſa portus parte, qua oceanus in oſtium influit. Ab utroque latere rupes prominent, in quibus Villagagno tuguria tanquam ſpeculas excitari juſſit: in medio, in quo rupes alia LX pedes lata porrigebatur, praetorium fixit: munimentum vero illud totum de praefecti maris nomine Colinium appellavit, domiciliis in eo conſtructis; quae, connumerata omni Villagagnonis familia, LXXX homines incolebant. Ibi tormenta diſpoſita. Ultra munimentum X fere milliaribus in eodem aeſtuario pulcherrima et fertiliſſima inſula jacet XII milliarium ambitu, ob idque magnae inſulae nomen ceterarum comparatione a Gallis illuc tunc profectis ſortita: ex ea noſtri farinam ac cetera ad victum neceſſaria frequenter commeantes exportabant. Ubi appulit Villagagno, ſtatim ad Colinium ſcribit; eumque de navigatione, adventu in Braſilianam regionem, loci natura, populorum moribus breviter inſtruit; et, quo ipſum in poſterum aequiorem haberet, ſpem de puriore religione, ita vocabant, iis locis inſtauranda factam confirmat; petitque, ut ſibi cum bona ejus venia theologos Geneva accerſere liceat. Ea de cauſa ad Joannem Calvinum dedit literas anno ſequenti: quibus acceptis, ille ſymmyſtis rem communicat; habitaque ſuper ea re deliberatione, duo ex ipſorum numero deliguntur, qui ad Villagagnonis et Colinii preces profectionem ſuſcipiunt, Petrus Richerius jam quinquagenarius et Gulielmus [d] Quadrigarius: quibus ſe comites addidere complures, et in iis Joannes [e] Lerius Heduus. Omnibus ducem ſe praebuit Philippus [f] Corquilletius Pontius, qui ſe ob religionis cauſam Genevam contulerat; homo Colinio notus, ob idque a Colinio ipſo, ut hanc provinciam, quae ad Dei gloriam, ut ipſe aiebat, pertineret, ſuſcipere non gravaretur, per literas ſolicitatus. Cum ii [g] Caſtellionem ad [α] Lupam Colinium in Gallia conveniſſent, acceptis ab eo literis, [h] Honflorium profecti ſunt; ubi a [i] Boſio Villagagnonis ſororis filio, in eam rem ab avunculo miſſo, humaniter accepti cum III navigiis egregie inſtructis XIII Kalend. Decembreis ſolverunt; et eadem, qua Villagagno, via IV Non. Mart. [k] Frium promontorium venerunt, ac triduo poſt [l] ſinum Januarium ingreſſi [m] Colinium munimentum incolumes petiere. Ubi appulere, mox, Villagagnone

VAR. LECT. [α] Lonium P. D o.f.d.

INTERPR. [a] *Rio de Genero.* [b] *Portugais.* [c] *lac de Genero.* [d] *Chartier.* [e] *de Lery Bourgeignon* [f] *Corguilleray, dit du Pont.* [g] *Chaſtillon ſur Loin.* [h] *Honfleur.* [i] *Bois le Conte.* [k] *Cap Frio* [l] *golfe de Genero.* [m] *le fort de Coligny*

Villagagnone praeeunte, eccleſiae forma conſtituta ritu Genevae recepto, etiam eelebrata coena, cui Villagagno ipſe interfuit XII Kalend. April. ſed, cum poſtea controverſia ſuper ea re inter eos incidiſſet, remiſſus in Galliam Quadrigarius, qui Calvini ſententiam exquireret. Interea, ex controverſia illa ortis ſimultatibus, Villagagno, a cardinali Lotharingo, uti creditur, per literas monitus, Genevenſeis miniſtros male a ſe habitos dimiſit: et [a] Pontius cum [b] Richerio ac ſociis et Jo. Letio in primis, quibus ſe comites poſtea adjunxere [c] Capella et Boſius, in continentem, relicto Colinio munimento, migravit ſub exitum Octobris, octavo, poſtquam in Braſiliam appulerat, menſe: demum, prid. Non. Januar. anni ſequentis, navigio Martini [d] Balduini ſuos imponit, qui, varia fortuna jactati ac famem extremam in itinere paſſi, tandem extremo Maio in Britanniam noſtram exſcenderunt. Hanc navigationem is, quem dixi, Letius, ſimul et regionis naturam ac mores gentis, ſumma fide ac ſimplicitate deſcripſit; quam et eandem Andreas [e] Thevetus, qui cum ipſo Villagagnone illuc profectus trimeſtre tantum in Braſilia commoratus eſt, peculiari libro, cui Franciae Antarcticae nomen fecit, pariter deſcripſit: cui non tam in ea narratione fidem derogari velim, quam, quoniam ejus mentio incidit, de homine, qualis quantuſque fuerit, eos qui illum ignorant commonefacere. Fuit patria [f] Engoliſmenſis, profeſſione primo Franciſcanus, dein, cum vix literas ſciret, abjecto cucullo, ex monacho celeberrimus planus religioſis et aliis peregrinationibus primam aetatem contrivit: ex quibus fama contracta, animum ad libros ſcribendos inepta ambitione applicuit; quos, alieno calamo plerumque exaratos, et ex itinerariis vulgaribus atque hujuſmodi de plebe ſcripturis conſarcinatos, miſeris librariis pro ſuis venditabat. Nam alioqui literarum, antiquitatis, atque omnis temporum rationis ſupra omnem fidem fuit imperitus; ut fere incerta pro certis, falſa pro [α] veris ſumma fiducia ſemper ſcriberet. Equidem memini, cum amici quidam mei, viri docti et emunctae naris, ad eum animi gratia ventitarent, me praeſente, tam abſurda quaedam, tam ridicula, quae pueri vix crederent, illi perſuaſiſſe, ut ipſe riſum non tenerem: ut me hodie miſereat multorum, qui, cum in literis plurimum videant, agyrtae tamen illius fucos non ſolum non pervideant, ſed ejus nomen quotidie in libris ſuis honorifice appellent: mirarique ſaepius ſubiit, qui fieri potuerit, ut homo, cui tam facile imponeretur, tanti nominis viris tam turpiter imponat; quos ideo nunc monitos cupio, ut in poſterum inſciti et inepti nebulonis nomine ac teſtimonio praeclara ſcripta ſua contaminare deſinant.

XVI. BELLO per omnem fere Italiam et [g] Belgii ac Campaniae limitem ardente, res in Germania quietiores fuere. Caeſar anno ſuperiore comitia [h] Ulmam indixerat; dein [i] Auguſtam Vindelicorum tranſtulerat, atque, ut principes et Imperii Ordines ſub Eid. Novembr. praeſto eſſent, mandaverat: poſtremo, valetudine praepeditus cum ipſe intereſſe non poſſet, per Ferdinandum fratrem Non. Febr. hujus anni actionis initium fecit. Ibi ille, cum pauci admodum principes intereſſent, multa de Caeſaris ac ſua egregia erga ipſos voluntate et in religionis ac publicae tranquillitatis negotio praecipua cura praefatus, id in primis Caeſarem cupere dixit, ut, quidquid ad Dei gloriam et Imperii pacem pertinet, id de communi ipſorum conſilio ſtatuatur: ipſum omni diligentia hactenus enixum eſſe, ut, ſublatis offenſionibus, religio et quies publica firmaretur: et, quae duobus poſtremis conventibus decreta ſint, quaeque in ſe receperit, facto abunde praeſtitiſſe: ſed ea tempora incidiſſe, eos motus inteſtinos nulla ſua culpa excitatos, qui tam laudabileis conatus interpellaverint: nunc, cum primum malo ingraveſcenti medicina adhiberi potuit, negotium amplius differri noluiſſe; ac vicarium ſe cum plena agendi poteſtate conſtituiſſe, qui per ejus abſentiam

VAR. LECT [α] veris et inepta ſemper *P.* veris et abſurda ſemper *D. o. ſ.*

INTERPR. [a] *du Pont.* [b] *Richier* [c] *le ſieur de la Chappelle* [d] *Baudouin.* [e] *Thevet.* [f] *d'Angouleſme.* [g] *Pays-bas & Champagne.* [h] *Ulm.* [i] *Augsburg.*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

tiam cum ipſis rationes reipublicae tum honeſtas tum utileis ineat; homineſque delectos in eam rem ſibi attribuiſſe: igitur a religione ducendum videri principium, cujus diſſidium tot mala non Germaniae ſolum ſed toti Europae importaverit, et Turco communi Chriſtianorum hoſti portam ad invadendas [a] Pannonias aperuerit: id enim ſumme lamentabile ac Deo inviſum ſpectaculum quorundam novis opinionibus imbutorum obſtinata contumacia fieri, ut, qui ejuſdem lavacri, nominis, imperii, linguae denique ſacris ac conjunctione initiati ſunt, ad hunc modum divellantur; eoque gravius id merito videri, quod non una aut altera, ſed ad libidinem cujuſque novae quotidie ſectae exoriantur; quam qui velit, licenrioſe amplectatur: dubitare neminem poſſe, quin id ad Dei contumeliam ſpectet, et charitatis vinculum ſolvat, promiſcuaeque multitudinis conſcientias miſere diſcruciet, quid ſtatuere aut credere debeat, prorſus ignorantis: jam malum adeo late graſſatum eſſe, ut adoleſcentibus ſenſim ſingulorum animis illud quoque una coaleſcat; ac pleroſque reperiri, qui omnium rerum ſecuri jam nihil credant, neque reſpiciant quid ratio, quid honeſtas, quid conſcientia ipſa praeſcribat: qua in re opus eſſe magiſtratus officio, qui religionis negotium, quo Dei honos et omnis vitae honeſtas continetur, commendatum habeat: his diſſidiis componendis Caeſarem totis viribus jam a multo tempore incubuiſſe, ipſorumque rogatu a pontificibus oecumenici concilii celebrationem impetraſſe; quod cum non ſemel indictum et jam aliquoties inchoatum ſit, quo minus ex eo fructus ullus ad rempublicam redierit, ejus rei cauſas ipſos ſcire, ac proinde ſuperſedere ſe illarum commemoratione: ſi expedire videbitur, curaturum ſe, ut illud rurſus indicatur: ſin propter bellicos tumultus in aliud tempus transferri placeat, videndum eſſe, an alia ratio tolerabilis concordiae ſarciendae iniri poſſit: de concilio nationali mentionem aliquoties injectam eſſe: ſed vereri, ne res ea, utpote uſu minus recepta, temporibus his parum accommodata ſit: placere potius, ut per colloquia negotium peragatur; qua in re pium Caeſaris ſtudium etſi aliter ſuperioribus annis acceptum ſit, atque utrique parti ingratum fuerit, ſperare tamen futurum, ut, ſepoſito utrinque omni affectu privato, optime inter eos conveniri poſſit: quod ad publicam tranquillitatem ſpectet, ſancitas quidem eſſe leges ſuperioribus comitiis, quibus communi otio optime proſpectum ſit: verum, cum iis contineatur, ſeditioſos ac perduelleis condemnare ac proſcribere non licere, niſi prius in jus vocati et ſervato judiciorum ordine convicti fuerint, ita anfractuoſo ſufflamine cauſas eas protelari, et occaſionem interim dari ſeditioſis multa nequiter audendi: cautum item eſſe, ut ei, qui vim patitur, finitimi ſubvenire teneantur; quod cum non fiat, alia remedia adhibenda eſſe: proinde in commune conſulant, quo modo haec duo legis capita corrigi debeant, quo publicae quietis hoſtium audacia coërceatur, et ii, qui in Imperii fide permanent, ſibi contra vim non defutura auxilia eſſe intelligant: de conſtituendo item judicio, de collatione publica, de moneta, deque ceteris rebus ad Imperii ſtatum pertinentibus, mature deliberent. Haec diffuſa oratione comprehenſa ſtatim per Germaniam evulgantur: quae quo minus perinde in bonam partem acciperentur, praecipue a Proteſtantibus, multa impedimento fuere; atque illud maxime, quod eodem tempore ex diverſis locis perſcriptum eſt, ipſum Ferdinandum ex Bohemia cc circiter eccleſiae miniſtros migrare juſſiſſe, eoſque [b] Witembergam atque in [c] Miſniam ſe contuliſſe. Et, quia ad comitia Hieronymus [d] Moronus cardinalis a Julio pontifice legatus fuerat, ita ejus adventum illi interpretabantur, quaſi idem in Germania Moronus a Caeſare evocatus, quod [e] Polus in Anglia ſub Philippo ejus filio, moliturus eſſet: nam id palam jactare pontificem. Inter haec nihil agebatur in comitiis. Nam foederati belli contra Albertum ſuſcepti reliquias perſequebantur: et, cum priore anno [f] Blaſſeburgum primariam totius regionis arcem cepiſſent, eam hoc tempore,

INTERPR. [a] *Hongrie & partie de l'Auſtriche.* [b] *Wittenberg.* [c] *Miſnie.* [d] *Morone.* [e] *le cardinal Pole.* [f] *Blaſſenburg.*

CIƆIƆLV.

HENRICUS II.

tempore, ne forte recuperata majoribus damnis occaſionem aliquando praeberet, a fundamentis evertunt, non ſine manifeſta Brandeburgicae domus ac propinquorum offenſione. Auguſtus ſeptemvir a Ferdinando ſaepius ad comitia evocatus, quo minus tunc iret, parum tranquillum Saxoniae ſtatum per legatos excuſat; et, de periculo, quod a Turco impendet, mentione injecta, demonſtrat, quam neceſſarium ſit concordiam ſarciri, ut, ſublatis offenſionibus atque omni diffidentia exſtincta, conjunctis animis et viribus, pernicioſis communis hoſtis conatibus mature obviam eatur: qua in re graviſſime ab utraque parte peccetur: nam ex Proteſtantibus pleroſque minus aequos eſſe; quibus quaedam a Mauritio fratre paulo ante mortem in religionis ceremoniis conſtituta minime placeant: nimis vero duros eſſe, qui confeſſionem Auguſtanam oppugnant, nec interim cogitant de juſta, pia ac legitima diſciplina et emendatione in eccleſia conſtituenda: proinde orare vehementer, ne librum illum, qui ante XXV annos Caeſari fuit in hac ipſa Auguſtae urbe exhibitus, habeat pro malo et impio; et interea pax eccleſiae concedatur, neque propter religionem ulli periculum creetur: nam nuper [a] Paſſavii a Mauritio hanc conditionem fuiſſe propoſitam, quae quamvis a Caeſare ad univerſos Imperii Ordines rejecta ſit, ipſum tamen tum illam minime improbaſſe, et tranſactioni diſertis verbis adjeciſſe, curaturum ſe diligenter, ut in comitiis res aequabiliter ageretur, neque ſuffragiis de religione ulla ineſſet captio. Haec a legatis coram Ferdinando acta, pridie quam ipſe verba faceret. Paulo poſt ipſe Auguſtus et Joachimus Brandeburgicus ſeptemviri, Joannis Friderici filii, Heſſus et alii Saxoniae principes [b] Numburgum ad Salam conveniunt prid. Non. Mart. et foedus ante c annos inter Saxonicam, Brandeburgicam et Heſſicam familiam initum renovant; ſimulque declarant, velle ſe conſtanter confeſſioni Auguſtanae inhaerere: ac, ne quam occulti conventus aut conſilii ſuſpicionem praeberent, quinto poſt die ad Caeſarem ſcribunt; adduntque, quoniam tempore haud ſatis pacato in ſuis finibus maneant, legatos ad comitia miſiſſe, quibus mandata dederint, ut ad concordiam omneis actiones ſuas et conſilia referant; ne videlicet propter religionem vel cauſam aliquam civilem ulla ſit extimeſcenda vis aut periculum. Eodem die et ad Ferdinandum dant literas in eandem ſententiam; et in primis Paſſavienſis tranſactionis caput illud, de quo diximus, urgent. Mox ad Eid. Martias, [c] Moguntinus archiepiſcopus ab Alberto tam male habitus e vita demigravit; cui Daniel [d] Brendelus ſuffectus eſt. Cumque ſub id tempus de Julii pontificis morte allatum eſſet, Moronus, qui ab eo miſſus in Germaniam venerat, ſtatim converſo itinere Romam, ut novi pontificis electioni intereſſet, redit cum Othone [e] Truchesio cardinali Auguſtano, qui, antequam proficiſceretur, per literas ad ſenatum principum et legatorum miſſas cupere ſe quidem pacem ſignificavit, ſed ut conſilium ullum ſuſcipiat, quo ſanctae ſedis dignitati aut antiquae religioni praejudicetur, non commiſſurum. Tunc et actum de controverſia jam toties agitata inter [f] Heſſum et Willelmum [g] Naſſovium ſuper [h] Catorum ditione: cui ut finis imponeretur, neve gravius aliquod malum ex eo naſceretur, principes aliquot parteis ſuas interponunt. Ii erant Palatinus ſeptemvir, Chriſtophorus [i] Wirtembergicus et Willelmus [k] Clivenſis, qui tanquam arbitri honorarii ad Kal. Julias partibus diem [l] Wormatiae conſtituunt. Eo miſſus fuit ab Heſſo Willelmus filiorum natu maximus. Propoſitis conditionibus, aliquandiu inter parteis diſceptatum fuit: poſtremo, ut de iis amplius deliberaretur, decretum; ad eamque rem certum tempus praefinitur: cumque poſtea [m] Bacheraci ac noviſſime rurſus Wormatiae ob adverſam Palatini valetudinem conveniſſent, tranſactione finita lis fuit, et definita certa pecunia, quam Heſſus Naſſovio exſolveret; et ita in Catorum poſſeſſione maneret. Sed, cum Naſſovius, niſi pecunia praeſtituto tempore dependeretur,

INTERPR. [a] *Paſſau.* [b] *Naumburg ſur la Saale.* [c] *de Mayence.* [d] *Brendel.* [e] *Truchſes, card. d'Augsburg.* [f] *le landgrave de Heſſe.* [g] *le comte de Naſſau.* [h] *Catzenelnbogen.* [i] *le duc de Wirtemberg.* [k] *le duc de Cleves.* [l] *Worms* [m] *Bacharach.*

CIƆIƆLV. HENRICUS II.

dependeretur, irritam eſſe tranſactionem, juſque integrum manere vellet, Heſſus autem hanc conditionem rejiceret, re infecta diſceſſum eſt. Rumor quoque de Danica claſſe ad ſeptentrionem navigante ſuſpenſos principum animos tenuit; cum alii Caeſaris conſilio id fieri dicerent, qui regis filium aut fratrem in Scotorum regni poſſeſſionem mittere cogitaret; alii in Galliae regis uſum comparatam; alii denique, quod vero propius erat, ad hoc deſtinatam, ut, ſi forte Caeſar aut Philippus filius, quorum jam potentia propter Angliae acceſſionem ſeptentrionalibus principibus formidabilis eſſe coeperat, longius evagarentur, coërceri poſſent: ideoque maritimae civitates ſumptus in eam claſſem ſumminiſtrare vulgo credebantur. Poſt longam et incertam expectationem omnis hic rumor tandem evanuit, et Daniae rex, qui nihil ſibi ea opus fuiſſe adverſus Auſtriacos videret, ad piratas perſequendos inſtructam illam dicebat.

XVII. Haec in cauſa fuere, cur in comitiis Feb. menſe coeptis tam lente ageretur. Cum vero legati tandem aſſenſiſſent, ut religionis negotium explicaretur, poſtremo placuit, religioni dandam eſſe pacem: ſed hoc addebant Proteſtantes, liberum eſſe debere omnibus ſine ulla exceptione confeſſionem Auguſtanam amplecti, etiam eccleſiaſticis. Contra contendebatur, neque civitatibus, quae decretum Auguſtanum de religione ante ſeptimum annum recepiſſent, neque toti ordini ſacro id permittendum eſſe: quinimo, ſi quis epiſcopus aut in ſacerdotali dignitate conſtitutus a recepta religione deficiat, eum loco moveri, aliumque in ipſius locum ſubſtitui debere. Cum inter eos non conveniret, ab utraque parte rationes ſcripto comprehenſae Ferdinando exhibitae ſunt. Deinceps evulgatur extra ordinem ſcriptum, quo Proteſtantium poſtulatum, ut iniquum et pietati ac publicae honeſtati damnoſum, rejiciebatur: nam ita omnem diſciplinam ſolvi, ſi promiſcue omnibus mutandae religionis libertas concedatur; morem hunc jam ab Apoſtolorum tempore in eccleſia fuiſſe IV oecumenicis ſynodis confirmatum, ut, qui Dei domui praeſunt, non ullam damnatam religionem permittant: ſed praeſules, immo etiam privatos ad defectionem inclinanteis placide moneant, et ab errore deterreant, ac poſtremo huic immoranteis ad eccleſiam deferant: alioqui libertatis ſpecie peſſimam licentiam invehi, quam fidei diſſipationem conſequi neceſſe ſit. Tum Ferdinandus, datis ad Imperii ſeptemviros ac reliquos principes Sextili ineunte literis, eorum abſentia factum dicit, quo minus convenire potuerit: nam opinione ſua, ſi comitiis interfuiſſent, rem ad optimum finem potuiſſe perduci; quod cum Deus non conceſſerit, conſultum videri, ut in hunc modum fiat decretum: Quia per principum abſentiam nihil decerni poſſit, placere, ut in proximum conventum differatur actio, cujus initium ª Ratiſponae circa Kal. Mart. fieri debeat, cuique intereſſe omnes teneantur: Ratiſponae vero locum ſe comitiis delegiſſe, quoniam propter imminens a Turcorum impetu periculum longius a ſuis finibus abeſſe non poſſit. Ad haec principes, Minime conſultum videri, ſi ante pacem firmatam diſcederetur: in magna ſiquidem expectatione totam Germaniam eſſe, et ſententiis utrobique melius quam unquam antea convenire; ac proinde orare, ut finis huic controverſiae, antequam diſcedant, imponatur: ſic enim fore, ut in altero conventu de rebus Turcicis et aliis expeditius ſtatui poſſit. Igitur Ferdinandus, ubi vidit rem amplius differri non poſſe, pridie Kal. Septembr. quid de contrariis utriuſque partis ſcriptis ſibi videatur, oſtendit; et hoc urget, ut Proteſtantes exceptionem propoſitam admittant; nimirum, ut eccleſiaſtici, qui religionem mutaverint, loco moveantur: id enim aequum videri: alioqui merito conqueſturos eſſe, qui antiquam religionem retinent, iniquo jure ſecum agi, quippe quibus praeſcribatur, quae ratio in praefecturarum, collegiorum, ac beneficiorum adminiſtratione ſervanda ſit, cum ipſi Proteſtantibus, quomodo cum ſuae ditionis eccleſiarum miniſtris

agere

INTERPR. ª *Ratisbone*, Germ. *Regenſpurg*

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

agere debeant, minime praeſcribant: ad haec, exinde neceſſario ſequi, ut praefecturae diſſipentur, et, ſi licentioſa illa et in Deum contumelioſa libertas concedatur, mutata natura et conditorum inſtituto, fiant civiles ac prorſus profanae. Rurſus ad haec principes; minime id ſibi conſilii eſſe, ut ſacrum patrimonium dilapidetur: ſed id tantum ſpectare, ne vis fiat conſcientiis, aut cuiquam fraudi ac dedecori ſit religionis profeſſio, quam ut veram et verbo Dei ac veterum patrum ſcitis conſentientem amplectantur: itaque orare, ut haec exceptio omittatur. Tum Ferdinandus eos hortatur, ut adſentiantur: nam alioqui periculum eſſe, ne re infecta diſcedatur: neque enim amplius rem differri poſſe. Ad aſſenſum poſtremo compulit: tandemque decretum fit, quod palam more ſolito VII Kal. Octobr. recitatur. Hujus haec praecipua capita fuere: ut libera permittatur quibuſcunque Auguſtanae confeſſionis profeſſio, neminique propter eam vis fiat; ſimulque bonis, facultatibus, vectigalibus ac poſſeſſionibus, quas habent, pacate uti frui liceat: religionis diſſidium non aliis quam amicis rationibus componatur: viciſſim confeſſionis Auguſtanae ſocii erga eccleſiaſticos ſe moderate gerant, eiſque religionem ſuam, ceremonias, leges, poſſeſſiones, vectigalia ac jura libera concedant; nec ulla ratione impediant, quo minus iis uti frui pacate poſſint: qui non ſunt alterutrius religionis, hoc decreto non comprehendantur: ſi quis antiſtes aliave dignitate in eccleſia praeditus a religione veteri deſciſcat, is continuo dignitate ac jure excidat, fructibuſque, quos inde percepit, privetur: quod ipſum tamen ſine ulla ejus infamia fiat: juſque ſit collegio, aut iis, ad quos jure vel conſuetudine id pertinet, alium in illius locum ſufficere: quia vero nonnulli Imperii Ordines eorumque majores quaſdam eccleſiaſticas praefecturas, collegia, coenobia et alia id genus bona ſacra ſibi ſumpſerunt, eaque in miniſterii ſcholarum et alios utileis uſus converterunt, ii ne hoc nomine interpellentur, nec in jus vocentur; neque Camerae judicibus ob id quidquam adverſus illos ſtatuere liceat; quod de iis bonis intelligatur, quae minime ad Imperium aut alios Imperio ſubjectos Ordines pertineant, et quae alienata vel uſurpata fuerint ante [a] Paſſavienſem pacificationem: item, ut juriſdictio ſacra non exerceatur contra Auguſtanae confeſſionis ſocios; ſed ſuſpendatur, donec ſublatum erit diſſidium: ſcholae, eleemoſynae, xenodochia, uti olim conſtituta ſunt, ita nunc maneant; et in iis admittantur ac foveantur omnes pauperes et afflicti, non habita ratione utrius illi ſint religionis, in quorum uſus ac ſubſidium alimonia confertur; eaque de cauſa ſi lis oriatur, de partium conſenſu arbitri deligantur, qui, cognita cauſa, intra ſemeſtre tempus pronuncient.

XVIII. EODEM tempore, pace in Proteſtantium Germaniae eccleſiis conſtituta, diſſidium, quod totos XXX annos de Dominicae coenae veritate fuerat, inter ipſos recruduit: in eamque rem Bremenſium et Hamburgenſium miniſtrorum libri prodierunt; quibus praecipue Joannes Calvinus et Jo. [b] Laſcus, de quo ſuperius diximus, perſtringebantur: ad quos mox Calvinus et Henricus Bullingerus reſponderunt. Laſcus vero inſcripto ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem libello queritur, nulla cognitione cauſae per colloquium aut amicam ſuffragiorum collationem habita, ſed praejudicio tantum ipſorum ſententiam damnari. Id et in cauſa fuit, ut anno ſequenti, cum Conradus Pellicanus in Hebraicis literis doctiſſimus deceſſiſſet, [c] Tigurini datis ad ſenatum [d] Argentinenſem literis enixe rogarent, ut P. Martyr Vermilius, qui nuper illuc ex Anglia venerat, ad ſe mitteretur: nam et is a Saxonicis miniſtris oppugnabatur. Nec invitus fecit ille, ut Argentina diſcederet, quo argumentum illud Tiguri liberius tractaret, et ad adverſariorum argumenta reſponderet.

XIX. PAULO ante Joanna Aragonia Caeſaris ac Ferdinandi parens [e] Mantuae Carpetanorum deceſſerat, ex zelotypia olim contracto animi morbo poſt Philippi mariti

INTERPR. [a] *Traité de Paſſau.* [b] *Laski.* [c] *ceux de Zurich.* [d] *de Strasbourg.* [e] *Madrid.*

CIↃIↃLV. mariti mortem, qui in apertam ac ſolemnem inſaniam evaſit: et ab eo tempore turre incluſa cumque felibus colluctans ad extremam ſenectutem pervenit, ſervatis regnorum Hiſpaniae titulis, quos conjunctim cum filio, ſive id ſua voluntate, ſive ex Ordinum decreto fieret, quamdiu vixit, in omnibus actibus publicis ſemper uſurpavit. Huic funus [a] Bruxellis Caeſar, Ferdinandus [b] Auguſtae fecit.

Henricus II.

XX. Matris morte Caeſar ſive admonitus ſive adverſam fortunam pertaeſus, urgente ingraveſcentis valetudinis incommodo, de ſeceſſu in Hiſpaniam ſerio cogitare coepit. Ad eum jam Philippus filius ex Anglia venerat, injurioſe dicteriis ac libellis in dotali regno ante appetitus; in quibus multa erant, quae multitudinem acuere contra Hiſpanos, multa, quae reginae mentem poterant a marito alienam reddere: verum, in auctores inquiſitione diligenti facta, nihil deprehendi potuit. Incitabatur praecipue Caeſar rerum ſuarum taedio, quas quotidie ſecum una ſeneſcere cum doleret, in Hiſpaniam procul ab omni adminiſtratione ſecedere decreverat, ut et valetudini non jam recurrenti ſed continuis doloribus afflictae conſuleret, et, renovata in filio juvene fortuna, eam contra florentem potentiſſimi regis atque hactenus feliciſſimi fortunam opponeret. Nec deerant exempla illuſtrium virorum, qui in eodem faſtigio conſtituti eandem vitae clauſulam fecerant, quae in ea deliberatione haerenti occurrebant: atque in primis Diocletiani longe optimi principis, ſi ea excipias, quae ille Gentilium errore deceptus in Chriſtianos peccavit, qui poſt adminiſtratum virtute ſumma ac prudentia totos XX annos Imperium, Nicomediae cum Maximiano collega eo ſe abdicavit, anno Chriſti CCCVIII, et [c] Salonae in Dalmatia vitam hortorum cultura oblectans privatus tranſegit. Deinceps ſciſſo Imperio, Anaſtaſius II et mox Theodoſius III Chriſtiani, abdicata principali majeſtate, in monaſterio vitam finierunt. Iſacius item Comnenus, qui Michaëlem Stratiotam Imperio dejecit, ſive ſpectro territus, ex quo lethalem morbum contraxerat, ſive ut adfectati Imperii invidiam declinaret, mortua conjuge, Conſtantino Ducae Imperio ceſſit, et in Studienſe ſive Anthemii coenobium a ſe exaedificatum, tonſa coma, a qua nobiliſſimae familiae nomen, ſponte tranſiit. Michaël item Rangabe dictus in inſula [1] Proto, poſt geſtum II annos Imperium, conſenuit: et poſt eum Michaël Ducae filius, cum Imperium VI annos et totidem menſeis tenuiſſet, in Studii ſeceſſum truſus eſt: cui Nicephorus Bōtoniates ſucceſſit, qui rurſus Comnenorum factione pulſus, abjectis purpureis calceis, Peribleptae monaſterium, cujus poſt Romanum Argyrum alter conditor vocabatur, ingreſſus eſt, comaque raſa ac mutata veſte, monaſticam lacernam ſumpſit. Denique Manuel Comnenus, poſtquam Imperium XXXVIII annos adminiſtravit, lacernam ciliciam ſumpſit, et in ea exſpiravit: et poſt eum Joannes Cantacuzenus, Joannis Palaeologi in Imperio conſors, dignitatem poſtremo depoſuit, et vitae quod ſupererat privatus exegit. Sed plerique ex iis inviti, et accepta fide nihil incommodi aut injuriae paſſuros, ſe Imperio abdicarunt. Verum inter omneis maxime memorabile Lotharii Ludovici Pii filii factum fuit, qui, cum Ludovicum filium Imperii conſortem aſciviſſet, XV anno poſt in [d] Prumienſe coenobium a ſe conſtructum et ampliſſimis poſſeſſionibus dotatum anno Chriſti ↄcccLv ſponte conceſſit. His et aliis exemplis confirmatus Caeſar, cum ſe Imperio ac regnis omnibus abdicare decreviſſet, diploma Eid. Octobr. confici jubet, manu ſua ſubſcriptum et ſigillo firmatum, quo Philippo filio, jam Neapolis et Siciliae regi a ſe declarato, omnibus regnis, ditionibus ac poſſeſſionibus cedit: conventuque Bruxellas indicto ad VIII Kal. Novembris, ubi dies advenit, mane Philippum ſodalitii velleris aurei equitum ritu ſolemni principem creat, ac poſt meridiem, in ampliſſima palatii aula frequenti

INTERPR. [a] *Bruxeller.* [b] *Augsburg.* [c] *Salona.* [d] *Pruim.*

NOT. [1] Lege *Prota* Πρῶτα Stephano. Prota eſt inſula Boſphori Thracii, quam P. Gillius ſcribit hodie a Graecis Proti nominari: Proten vocat Cedrenus et Diaconus: Hiſtoria miſcellanea Primam nominat. Diſtat 40 ſtadiis ab inſula Chalcitide: eſt urbi vicina, non in alto ſita. *Pat. L.*

frequenti ſenatu magnaque nobilium et omnium Ordinum corona medius inter ipſum Philippum et Mariam ſororem Hungariae reginam cum conſediſſet, diploma Latine conſcriptum per [a] Bruxellam conſiliarium publice recitari jubet. Eo ſe decreviſſe ſignificabat quam primum in Hiſpaniam navigare, ibique quod vitae ſupererat tranquille et pacate tranſigere, Belgicarum regionum jure, dominio ac poſſeſſione in chariſſimum filium jam aetate ad res gerendas idonea principem tranſlatis; cui idcirco jubeat omneis ditioni Belgicae ſubditos, ut legitimo principi ac domino, parere, et fidem ſacramento obſtringere, remiſſo, quo ſibi obligati ſint, obſequii jurejurando; ea lege, ut is alienum aes omne a ſe aut ſuo nomine per alios in iis rebus, quae ad Belgium ſpectant, contractum diſſolvat, fidemque ſuam liberet. Recitato diplomate, ipſe orationem ex ſcripto, ut memoriam ſublevaret, lingua Gallica habuit; qua totius vitae ſuperioris repetita ſerie, ad reipublicae Chriſtianae compendium jam a prima aetate collimaſſe, eoque actiones omneis ſuas ac conſilia direxiſſe, neque otio aut privatis voluptatibus vel minimum temporis ſpatium dediſſe, demonſtrat: praecipitante demum ſenectute pacatis provinciis ſecedere ſtatuiſſe, et, quod annorum reſtat, Deo erſibi vivere: petere igitur ac mandare, ut filio, quem vicem ſuam functurum relinquat, honorem, obſervantiam, fidem, quam ſibi hactenus exhibuerint, uti debeant, praeſtent. Tum Philippus filius aſſurgens, capite detecto, circumſtanteis ſalutat, progreſſuſque ſeni parenti tactam dextram venerabundus et in genua procumbens deoſculatur. Viciſſim pater eum peramanter complexus manu capiti impoſita Belgii principem pronunciat; ipſique conceptis verbis et communi ſaluris omnium Chriſtianorum edito ſigno nominibuſque ſanctae Trinitatis expreſſis, tanquam fauſto recte gerendi principatus auſpicio, bene precatus eſt: praecepitque ante omnia, cultum et timorem Numinis ut nunquam abjiceret, praecipuam religionis conſervandae rationem haberet, legum ac juris auctoritatem tueretur: has eſſe bene ac feliciter regnandi arteis. Heic cum Philippus, D. O. M. ope fretum et amantiſſimi patris monitis egregie inſtructum, quae mandata erant, diligenter curaturum ſe demiſſa admodum oratione confirmaret, viſus eſt illachrimaſſe Caeſar, ſuoque exemplo a circumſtantibus proceribus lachrimas expreſſiſſe, cum diceret, miſereri ſe filii chariſſimi vicem, cujus humeris tam grave pondus incumberet. Tum Philippus, ſe quidem Gallice intelligere, ſed non ita loqui explicate poſſe teſtatus, per Antonium Perrenotum [b] Atrebatum epiſcopum longa oratione, quid ſuae mentis ſit, aperit; et, Gallis, qui aequas pacis conditiones nuper [c] Gravelingae oblatas repudiaverint, invidioſo atque injurioſo ſermone perſtrictis, adſtanteis ad bellum conjunctis animis et collatis viribus faciendum hortatur: obiterque, ut a pravarum de religione opinionum ubique ſerpentium monſtris caveant, monet, et magiſtratibus in omni re obedienteis ſe praebeant, concordiaque ac fideli obſequio et conſpirantibus animis in commune conſulant: ſic enim fore, ut, rebus domi pacatis, foris hoſtibus terrori ſint. Perorante Atrebatenſi, Jacobus [d] Maſius regis conſiliarius, Belgarum nomine aſſurgens, gratias Philippo agit; fidemque, vitam, opes, uti patri fecerint, ita filio obligat. Cumque Philippus conſediſſet, Maria regina, Belgii moderatrix, ea provincia, quam per [a] XXXIII annos Caeſaris fratris mandatu ſumma fide et diligentia rexerat, ſe pariter abdicat: in cujus locum ſtatim a Philippo Philibertus Emmanuël [e] Sabaudiae dux ſubſtituitur. Renunciationis peracta ceremonia, Caeſar Willelmi [f] Naſſovii Arauſionenſis principis ac Burae comitis, hos ille titulos ſibi ſumebat, humeris innixus ex aula ſe ſubducit: ac, menſe poſt interjecto, in eodem loco coram vicariis ac regnorum et provinciarum ſuarum rectoribus, quos ob

id

INTERPR. [a] *Philibert de Bruxelles.* [b] *Arras.* [c] *Gravelines.* [d] *Maes.* [e] *de Savoie.* [f] *de Naſſau, prince d'Orange & comte de Buren.*

NOT. [a] Dele XXXIII: lege XXV. Marie reine de Hongrie prit le gouvernement des Pays-bas l'an 1531, & s'en demit l'an 1555, de ſorte qu'elle a gouverné XXV ans. *Put.*

CIƆIƆLV.
HENRICUS II.

id evocaverat, Hiſpania, Sardinia, [a] Gymneſiis inſulis, Americae ac novi orbis dominatu filio cedit; ſervata tantum, ubi ad locum deſtinatum perveniſſet, c aureorum CIƆ penſione, qua ſe ac familiam alere poſſet. Jam ante ſaepius Caeſar cum Ferdinando fratre egerat, uti diximus, ſi qua ratione ei et Maximiliano filio perſuadere poſſet, ut Imperium, accepta idonea compenſatione, Philippo reſtitueret. Cum id impetrare non poſſet, illud poſtremo petierat, ut ſaltem eum Imperii per Italiam et Belgium cum plena poteſtate vicarium conſtitueret. Sed neque illi aſſenſere, quod dicerent, tantum de Caeſarea dignitate ac majeſtate, quam integram et illibatam tueri recepiſſent, deceſſurum, quantum ex ea alteri conceſſiſſent. Itaque Caeſar, qui nihil ab iis obtineri poſſe cerneret, legatos ad fratrem hoc tempore [b] Oeniponte agentem miſerat, per quos eum de inſtituto ſuo certiorem factum ad capeſſendam Imperii adminiſtrationem cohortabatur; rogabatque, ut Philippum filium Germanis principibus ac civitatum Ordinibus conciliaret et commendaret. Conſtitutus profectioni dies ad Eid. Novembr. verum ea, ſive ob hyemis aſperitatem, ſive quod prudens pater, nondum compoſitis inter nos et novum regem rebus, tam cito filium adhuc publicae adminiſtrationis rudem nollet deſerere, in annum ſequentem dilata eſt. [α] Philippus paternis regnis inauguratus, ut ſuorum benevolentiam ſibi conciliaret, [β] Belgii primarias urbeis perluſtrare inſtitit; atque Antuerpiam magna pompa anni ſequentis initio XV Kalend. Febr. ingreſſus eſt.

VAR. LECT. [α] Ita Philippus *P. D. o. f. d.* [β] per Belgii primarias urbes peregrinationem ſuſcipit; atque *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Majorca & Minorca.* [b] *Inſpruck.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

POLI cardinalis ab Henrico VIII *proſcripti reſtitutio.* [1] *Philippus rex Angliæ coronotur.* II. *Prorex in Scotia auctoritatem ab ſe abdicat, et in reginam viduam transfert.* III. *Proteſtantes in Anglia variis poenis mulctati: mortuorum effoſſa corpora.* IV. *Induciae inter Caeſarem ac regem utrinque jurejurando ſancitae.* V. *Octavius Farneſius, deſertis noſtris partibus, Caeſari reconciliatur.* VI. *Carafae inducias turbant; et Carolus Carafa cardinalis in Galliam legatus mittitur.* VII. *Columnii a pontifice proſcripti: et Caeſari de rebus Siciliae lis mota a pontifice.* VIII. *Aſcanio Corneo ſtructae a Carafis inſidiae.* IX. *Albani in Latio ſucceſſus. Anagnia expugnata.* X. *Joannes Luna a Caeſare ad nos deficit.* XI. *Orani in Africa a Turcis irrita obſidio, defendente gnaviter locum Alcaudeto comite.* XII. *M. Ant. Columnae ſub portas urbis infeſtae excurſiones. Tibur capitur. Valerium deditur.* XIII. *Bl. Monlucius Velitras miſſus, ut urbem muniret ac tueretur.* XIV. *Neptunum, rebellantibus oppidanis, in Albani poteſtatem venit. Palumbara per oppidanorum diſſidium vi capta ac direpta.* XV. *Baltazar Rangonius in inſidias a Popolio ſtructas praecipitat; et clade ſua trepidationem in urbe excitat.* XVI. *Oſtia obſeſſa, et tandem dedita.* XVII. *Induciae inter pontificem et Albanum, fama jam crebreſcente de auxiliari Gallorum exercitu; per quas Albanus Neapolim excurrit, et cum belli ducibus de tuendi limitis ratione conſultat: cui conſultationi Ferdinandus Gonzaga, poſt judicium in Belgio a Caeſare contra criminatores acceptum in Italiam reverſus, interfuit, et ſententiam dixit.* XVIII. *Oſtia interim a pontificiis recepta P. Strozzii ductu; in eaque M. Antonius Monlucius Blaſii filius occiſus. Valerii item vicus a noſtris impetu captus.* XIX. *Apud nos ſeveritas contra ſectarias continuat, pleriſque ſupplicio affectis.* XX. *Grave de Juliano Taboëtio judicium in Pariſienſi ſenatu latum: quo, retractato Divionenſi ſenatus-conſulto, Raimundus Peliſſo aliique, repetundarum poſtulati et damnati, ſunt honorifice abſoluti.* XXI. [2] *In Vindelicia et Pannonia ſuperiore religionis pax urgetur;* [3] *quibus et Baioari accedunt.* XXII. *Oſiandriſtarum in Boruſſia turbae.* [4] *Ja. Funccius ab errore reſipiſcit. Spirae et in Badenſi ditione Auguſtana confeſſio recipitur, accenſis ob foedus cum pontifice contra nos Proteſtantium ſuſpicionibus.* XXIII. *Friderico ſeptemvira Palatino, qui Dorotheam Chriſtierni Dani captivi filiam in uxorem duxerat, ſine liberis decedente, Otho Henricus Ruperti fratris filius ſuccedit. Cauſa Alberti in comitiis Ratiſponenſibus agitata.* XXIV. *Zigethi in Pannonia irrita obſidio et Turcarum clades. Halis purpurati eunuchi virtus militaris.* XXV. *Strigonium a noſtris receptum.* XXVI. [5] *Cometa Non. Mart. apparente, Caeſar, eum ad ſe pertinere exiſtimans, literas ad Spirenſem cameram dat de Imperii abdicatione, et Ferdinandum fratrem commendat,*

NOT. [1] Dele *Philippus rex Angliae coronatur:* lege *Fruſtra Philippi regis in comitiis Angliae tentata coronatio* Put.

[2] Lege *in Pannonia ſuperiore et Vindelicia* Put.

[3] Dele *quibus et Baioari accedunt.* Put.

[4] *Funccius* recte. *Put.* Prior Ed. Gen. habebat Faccius.

[5] Lege *Cometa prid. Non. Mart.* Put

commendat, et Sudiburgi arce in Zelandia ſolvens in Hiſpaniam deſcendit. XXVII. *Joannis Sleidani, Jo. Forſteri, Seb. Corradi, Joannis Gelidae et aliorum literatorum mortes.*

Ex Auctoribus,

Ludovico Beccatello, Nic. Sandero, Jo. Leſlaeo Roſſenſi epiſc. Georgio Buchanono, Fr. Rabutino, Alexandro Andrea, Jo. Bapt. Hadriano, Uberto Folieta, Bl. Monlucio, Juliano Goſſellino, Joanne Sleidano, Joach. Camerario, Thoma Cormerio, Actis curiae Pariſ. Jo. Sambuco, Aug. Giſlenio Busbequio, Aſc. Centorio Hortenſio.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

CIƆIƆLVI.
HENRICUS II.

IN Anglia ſub Januarii principium hoc anno ſtatim ſoluta ſunt comitia; quibus et Poli cardinalis reſtitutio, uti jam diximus, literis mandata eſt, et tenovara priſcorum regum de puniendis pravae opinionis ſectariis edicta. Exſpectabatur et, ut de diademate Philippo imponendo a Maria ageretur: verum, pertentatis procerum animis, cum eos minime aſſenſuros videret, ab hoc conſilio deſtitit. Mox, ſub Februarii initium, Londini ob religionis cauſam capitis damnati Jo. [a] Hooperus epiſcopus [α] Glocestrenſis, Laurentius [b] Sanderus, Rolandus [β] [c] Tailetus, Jo. [d] Bradfordus juriſconſultus, et Jo. [e] Rogerſius: et hic quidem Londini, ubi diu docuerar, flammis uſtulatus eſt: Bradfordus vero poſt ſententiam captivus in carcere aſſervatus eſt aliquanto tempore, donec tandem menſe Maio inſequenti crematus eſt: ceteri, ſtatim domum quiſque ſuam deportati, [γ] [f] Glocestriam, [g] Lancaſtriam, [h] Coventriam, [i] Hadelam, eadem poena afficiuntur. Nec multo poſt [k] [1] Davidenſis epiſcopus damnatur, et domum, ut de eo ſupplicium ſumeretur, amandatur. Ubi vero Romae ſub exitum ſuperioris anni prid. Nat. Chriſti de Angliae regno ad eccleſiae unitatem Poli opera converſo allatum eſt, ingenti laetitia ſtatim omnia per urbem perſonavere. Nam et ſupplicationes factae et diſploſa tormenta igneſque paſſim excitati. Tunc et diploma evulgatur, quo pontifex, repetito filii perditi exemplo, non ſolum ſe privatim de Anglia ad ſedis Romanae obedientiam reducta animo gaudium capere teſtabatur, ſed more indulgentis illius parentis etiam alios ad epulum et communem laetitiam invitare velle: proinde uſu recepto apertis eccleſiae theſauris plenam delictorum omnium remiſſionem certis conditionibus concedere iis omnibus, qui corde pio contriti, quae illo mandato continentur, religioſe ac ſincere exſecuti eſſent. Praeterea pontifex, cui de cetero ſatisfactum erat, ſedulo urgebat, ut bona eccleſiae adempta reſtituerentur: idque ſummopere legatis ad ſe miſſis, qui ſub hoc tempus domum reverſi ſunt, inſinuaverat: quod in proximos conventus rejectum eſt. Interea, ut pontifici aliquo modo ſatisfieret, [l] Ridleius, et Hugo Latimerus, admodum ſenex, qui [m] Oxonium abducti fuerant, flammis traduntur. Productus et cum iis Cantuarienſis archiepiſcopus: ſed, poſtquam veniam ac Dei miſericordiam palam imploravit, in carcerem reductus eſt. Peracti demum regni conventus Octobri et Novembri menſibus: quibus cum rurſus de diademate Philippo imponendo mentio injecta eſſet, et id fruſtra fuit. De bonis eccleſiae reſtituendis ibi quoque a regina actum: ſed, cum

pleraque

VAR. LECT. [α] Clocestrenſis *P.D.o f.* [β] Tallerus *P.* [γ] Clocestriam, Lenclaſtriam *P.D o.*

INTERPR. [a] *Hooper, evêque de Glocester.* [b] *Sanders* [c] *Taylor.* [d] *Bradford.* [e] *Rogers.* [f] *Glocester.* [g] *Lancaſter* [h] *Coventry.* [i] *Hadley.* [k] *l'evêque de St. David's.* [l] *Ridley & Hugues Latimer.* [m] *Oxford.*

NOT. [1] *Davidenſis.* Dicitur et Menevenſis epiſcopus. *Put*

pleraque eorum a proceribus ac primaria nobilitate jam a multis annis occupata eſſent, CIↃIↃLVI.
nihil impetrari potuit: tantum decretum, ut primi fructus et decimae eccleſiaſticis in HENRICUS II.
poſterum perſolverentur. Sub comitiorum finem Stephanus Gardinerus [a] Wintonienſis epiſcopus, a Maria regni cancellarius creatus, hydropiſi exſtinguitur: in cujus locum [1] Thomas [b] Heathus tunc Eboraeenſis archiepiſcopus ſuffectus eſt; is nimirum, qui, cum [c] Cantuarienſi aliqnando in Germania commoratus, poſtea Joanni [d] Dudleio Northumbrio, cum ad ſupplicium duceretur, praeſto fuerat. Antequam Britannia egrediamur, ratio exigit, ut Scotica percurramus.

II. REGINA vidua, ubi domum e Gallia rediit, id unum agebat, nt ex proregis conſenſu imperii ſummam ad ſe transferret: tandem poſt longas tergiverſationes id partim aſtu, partim vi a ſtolido homine extorſit. Nam [e] Sterlini tranſactum eſt, et prolata conditionum approbatio, quibus regina et curatores ſubſcripſerant: iiſque conditionibus haec adjecta, ut [f] Britannoduni cuſtodia penes proregem eſſet. Indictis inde [g] Edinburgum conventibus [a] IV Eid. Apeil. turſus pacta pnblice lecta ſunt: quibus lectis, prorex aſſurgens ſe magiſtratu abdicavit, traditis imperii inſignibus Henrico [h] Clutinio Oiſellio reginae procuratori, qui ea, reginae abſentis nomine recepta, mox et ejuſdem mandatu in reginae parentis manus conſignavit: quae illa ſtatim magno adſtantium plauſu ſuſcepit: et publica pompa per urbem in palatium ſuburbanum deducta eſt, aſſumpto regentis nomine. Prorex autem, qui magno procerum comitatu comitium ingreſſus fuerat, enſe, ſceptro et corona de more prolatis, tunc in ordinem redactus ſe turbae immiſcuit: novumqne prorſus et inauditum in hanc diem ſpectaculum illud fuiſſe Scoti ſcribunt, foemina ex concilii ſententia ad regni gubernacula admota. Id Gallorum gratiae ac potentiae tributum eſt: qnibus tamen ut arcem Edinburgenſem traderent, Scoti nunquam adduci potuerunt; veriti ſcilicet, ne, ſi regina ſine liberis decederet, eam ſibi Galli retinerent. Igitur ea Joanni [i] Areskino velut ſequeſtro datur, quam ille nemini niſi ex Ordinum decreto redderet. Latrociniis infeſtabatur vicina regio, duce praecipuo Jo. [k] Muderaco Reginaldinae gentis principe, homine facinoroſo. Ad eum comprehendendum a regente mittitur Georgius [l] Gordonius Huntilaeae comes, homo vafer, qui, cum ex publica calamitate vnluptatem, ex damno lucrum captaret, parum ſincera fide hanc expeditionem adminiſtravit. Itaque, ubi rediit, uſque ad cauſae dicendae diem in cuſtodia retentus eſt. Onerabat eum et [m] Willelmi Catanae familiae principis, qui ex [n] Jacobi Moraviae comitis ſorore natus erat, mors; quem ille in Moravit odium, et quod ſe in clientelam ejus dedere recuſaret, per uxorem de medio tollendum curaverat. Variae dictae de ejus poena ſententiae; cum alii capite mulctandum cenſerent, alii ad aliquot annos in Galliam relegandum. Obtinuit tandem Gilberti [o] Caſſiliſſae comitis inimicorum Gordonii principis ſententia; qui, cum provideret non diu coalituram inter nos ac Scotos concordiam, minime tutum exiſtimabat, hominem turbis aſſuetum bello facem ac ducem praeberi, multo minus ſupplicio afficiendum: nullum enim malum domeſticum tam grave eſſe, aut vindictam ejus tanti putandam, ut externos fundendo Scotorum procerum ſanguini aſſuefacere deberent. Itaque cenſuit, ut cum Gordonio pecunia decideretur: tam diuque in carcere fuit, donec juribus ac vectigalibus in regno ampliſſimis, quae ſibi uſurpaverat, cederet, et praefecturis aliquot juridicis abſtineret: quorum omnium fructus regio patrimonio addicti ſunt. His conditionibus dimiſſus, rurſus ſe in regentis familiaritatem inſinuavit, et ad intima conſilia admiſſus eſt.

INTERPR. [a] *Winchester.* [b] *Nicolas Heath, archevêque d'York.* [c] *Cranmer, archevêque de Cantorbery* [d] *Dudley, duc de Northumberland.* [e] *Sterling.* [f] *Dunbritton.* [g] *Edimbourg.* [h] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [i] *le lord Erskine.* [k] *Moydard, chef de la tribu de Clan-Reynald.* [l] *Gordon, comte de Huntley.* [m] *Guillaume Mackintoſh, chef du Clan-Chattan.* [n] *Jaques Stuart, comte de Murray, fils naturel du Roy Jacques* IV. [o] *Caſſils*

NOT. [1] Dele *Thomas*: lege *Nicolaus* Put. [a] Ex actis publicis conſtat, reginam viduam Scotiae regentem publico praeconio pronunciatam fuiſſe prid. Eid. April. CIↃIↃLIV. C.

CIϽIϽLVI. HENRICUS II.

eſt. Ab eo tempore pacatiores res in regno fuere, uſque ad menſem Quintilem anni CIϽ IϽ LVI, quo regens [α] [a] Ennerneſſam profecta et conventibus more ſolito habitis ſumma ſeveritate de pleriſque publicae tranquillitatis perturbatoribus ſupplicia ſumpſit: miſſoque contra Muderacum [b] Joanne Atholiae comite, conſtantiae ac fortitudinis eximiae viro, eum cum omni familia deditum recepit, et ad regentem deduxit: verum ille poſtea, ſeu deceptis ſeu corruptis cuſtodibus elapſus, rurſus ad animum rediit, et omnia ferro ac ſanguine miſcuit. Domum reverſa regens, ut procerum gratiam ſibi conciliaret, quoſdam ex [c] Santandreani cardinalis interfectoribus a prorege in exilium pulſos reſtituit. Quo facto quidquid benevolentiae contraxerat, id odioſa pecuniae conficiendae ad alendum, uti jactabatur, externum militem excogitatione amiſit. Hujus commenti ratio haec fuit: ut cenſu facto tabulae conficerentur, in quibus omnium bona perſcriberentur, ac ſinguli pro rata quotannis in belli ſumptus portiunculam in theſaurum publicum ad hunc uſum deſtinatum reponerent. Etſi rei invidia in noſtros rejiciebatur, [d] Oiſellium puta, [e] Rubeum et paucos alios, penes quos regentis ingenium erat, tamen, qui rem verius indagabant, Davidem [f] Panitarium Roſſenſem epiſcopum ejus auctorem fuiſſe exiſtimabant, hominem ſummo ingenio ac doctrina praeditum, Hamiltoniis obnoxium et ab eorum genere et conſiliis minime alienum. Nec id inconſulto Gordonio factum putabatur; qui cum videret regentem in id unum intentam, ut Scotos tributis aſſuefaceret, veritus, ne aucta ejus in majus potentia nobilitatis vireis et auctoritatem infringeret, omniumque rerum arbitrium mulier peregrina et innato genti vitio ſupra modum ambitioſa ad ſe revocaret, conſilium hoc dediſſe creditur, non abhorrens ab ipſius ingenio, ſed plane hoſtile: gnarus nimirum, neque Scotos tributa ſoluturos, neque tam facile in poſterum ei, quam adhuc fecerant, parituros. Id conſilium quo minus exitum haberet, per nobilitatem factum eſt; quae, miſſis ad regentem Jacobo [g] Sandelandio et Joanne [h] Wemio, in tributo ſolvendo ignominiam, et in cenſu conficiendo paupertatis publicae ac privatae confeſſionem, deprecata eſt: nam, quod ad mercenarium militem attinet, rem eſſe periculi plenam, imperii ſummam ſive re ſive ſpe quidvis auſuris committere, quorum inexplebilem avaritiam incendat ad nova molienda occaſio, et fortuna ſecum fidem circumagat: et, ut nihil inde periculi ſit, illique patriae charitatis magis quam ſuae conditionis meminerint, cuiquamne credibile fore, mercenarios fortius pro alienis quam dominos pro ſe ſuiſque proeliaturos, majoreſve ſtimulos addere poſſe vulgi ignobilis animis exiguam ſtipem, mox in pace caſuram, quam nobilitati fortunas liberos araſque ac focos? His et aliis rationibus perſuaſa regina vidua, cum [β] multum vereretur, ſi perſeveraret, cenſum remiſit, ſubinde dictitans, non ſe quidem ſed Scotorum non obſcuriſſimos hujus conſilii fuiſſe auctores: quibus verbis Huntilaeum innui plerique aiebant.

III. [γ] IN Anglia ſub id Thomas Cranmerus [i] Cantuarienſis archiepiſcopus; jampridem damnatus et poſt [k] Ridleium et Latimerum ſupplicio affectos in carcerem reductus, XII Kalend. April. [l] Oxonii carcere educitur, obſoleta ad ludibrium veſte indutus, quod fieri, ſacerdotali charactere adempto, uſus eſt. Dies aliquot ante mortem, cum vitae ſpes ei facta fuiſſet, ſuaſu quorundam multa doctrinae, quam profitebatur, capita revocaverat, et confeſſioni ab illis propoſitae, qua eccleſiae Romanae auctoritas et doctrina confirmabatur, ſubſcripſerat. Ubi nihilominus ſibi neceſſario moriendum vidit, poenitentia ductus, luculenta ad populum habita oratione, multa de morum ac vitae emendatione, quo ſibi audientiam conciliaret, praefatus, poſtremo,

quantopere

VAR. LECT. [α] Ennenerſam *P. D. o. f.* [β] tumultum *P. D. o.* [γ] Nunc quid eodem anno in Anglia geſtum ſit videamus. Thomas— *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Invernefs.* [b] *Jean Stuart, comte d'Athol.* [c] *le cardinal Beton, archevêque de St. André.* [d] *d'Oiſel.* [e] *le ſieur de Ruby.* [f] *Panter, evêque de Roſs.* [g] *Sandilands de Calder, chevalier de Malte, & prieur de l'Ordre en Eſcoſſe.* [h] *Weems.* [i] *Cranmer, archevêque de Canterbery.* [k] *Ridley & Latimer.* [l] *Oxford.*

quantopere Deum veritatis abnegatione offenderit, demonſtrat, et praecipua doctrinae capita repetens, quid ſentiret breviter explicat, atque pontificis potentia antichriſti regnum contineri et ſtabiliri dicit. Cum in haec verba deſineret, vix exauditus, ſtatim contumelioſe exagitatur, et illinc ad ſupplicii locum rapitur: quo ubi pervenit, porrecta dextra, Haec, inquit, nefarie peccavit, quippe quae [α] impiae a veritatis adverſariis propoſitae doctrinae ſubſcripſit: merito igitur prima omnium poenas luat. Ita ad palum alligatus, ubi primum ignis inflammari coepit, dextram longiſſime protenſam in eum conjecit, ut prima cruciatum ſentiret. Nec multo poſt ingentis tumultus in eo regno ſuſpicio fuit: multique propter id ex primaria nobilitate comprehenſi et in carcerem truſi ſunt: quidam capite luerunt: nonnulli in Galliam fugerunt; et in his Northumbrii frater, Andreas [a] Dudleius. Capti etiam ex Elizabethae Mariae reginae ſororis familiaribus [b] Udallus et [β] Throgmortonus; qui proditi a conſciis e plebe hominibus, quaſi bellum inteſtinum machinati eſſent, capitis ſupplicio affecti ſunt. Mox et Petrus [γ] [c] Carewus, qui propter ſeditionem ante annum in Galliam trajecerat, et poſtea regi Philippo reconciliatus fuerat, et cum eo Joannes [d] Checus Edvardi regis quondam praeceptor e Germania in Belgium, ut uxorem educeret, reverſus, cum [e] Bruxellis ambo [f] Antuerpiam redirent, regis juſſu capiuntur, et capti Londinum [δ] perducuntur: ſed Carewus inde elapſus diu poſt ſuperſuit; et in [g] Hibernia, ubi ampliſſima bona habebat, deceſſit. Denique, poſt Thomae Cranmeri mortem uſque ad Mariae obitum, ob religionem qui ſupplicio affecti ſunt aut damnati in carcere perierunt per varias regni civitates, oppida, caſtella, numerati ſunt a curioſis uſque ad CCLXXVI: quanquam invitus faceret [h] Polus cardinalis, cui religionis negotium commiſſum erat, ut in eos, quorum ſalutem tanto ſtudio quaereret, durius animadvertere cogeretur; quippe qui cogitabat, quod etiam ſaepius dicere auditus eſt, ſe ac ceteros epiſcopos non ſolum judices adverſus prave de religione ſentienteis, ſed patres judices eſſe conſtitutos. Is triennio fere, poſtquam in Angliam venerat, ad emendationem academiae [i] Cantabrigienſis animum adjecit; parum ſcilicet profectum exiſtimans, ſi, conſtituta religione, ſcholae atque adeo inſtitutionis puerilis diſciplina, in qua primum lac pietatis bibitur, negligeretur. Delecti ad id Cuthbertus [k] Scotus Ceſtrenſis epiſcopus, et Nicol. [l] Ormanetus Veronenſis, Julio III percharus, qui ex Italia cum Polo venerat, Thomas [ε] [m] Watſonus electus Lincolnienſis, Jo. [n] Chriſtophorſonus Cicestrenſis pariter electus, et Henricus [o] Colus collegii Etonenſis praepoſitus. Ii, datis ad Andream [p] Pernum, qui eo anno academiae curam vicecancellarii gerebat, ut ad III Eid. Januar. in B. Mariae aede omnes academiae ordines adeſſent, literis, ſe viae dant. Ubi venere, magna gratulatione accepti. Prima die B. Mariae et Michaëlis fana, in quibus Martini Buceri et Pauli Fagii corpora ante quadriennium humata fuerant, claudi jubent. Poſtero die ad [q] Trinitatis ſcholam habetur conventus: ibique longa oratione Joannes [ϛ] [r] Stokeſius reginae ac Poli cardinalis pietatem laudat; academiaeque nomine petit, ut, praeteritorum facta gratia, in poſterum religioni et diſciplinae ſcholaſticae proſpiciatur, ut, qui aut male conſulti aberrarunt aut aeſtu et violentia abrepti a recta inſtitutione deflexerunt, ſenſim in viam reducantur. Tum Ceſtrenſis, cum laetitiam ſe magnam ex tam prolixa bonae voluntatis ſignificatione capere teſtatus eſſet, Polique erga academiam

VAR. LECT. [α] impie *P. D. o. f.*
[β] Brogmortonus *P.* Frogemartus *D. o.*
[γ] Carrus *P. D. o. f. d.*
[δ] perducuntur; ubi, itidem ſimul ad palum alligati, Eid. Junii ob religionem cremantur. Denique *P. D. o.* perducuntur. Denique *D. f. d.*
[ε] Valſonus *P. D. o.*
[ϛ] Stockſius *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Dudley, frere du duc de Northumberland.* [b] *Udal & Throgmorton.* [c] *Carew.* [d] *Cheke.* [e] *Bruxelles.* [f] *Anvers.* [g] *Irlande.* [h] *Pole.* [i] *de Cambridge.* [k] *Scot, evêque de Chester.* [l] *Ormaneto da Verona.* [m] *Watson, elû evêque de Lincoln.* [n] *Chriſtopherſon, nommé à l'evêché de Chichester.* [o] *Cole, prevoſt d'Eton.* [p] *Pern.* [q] *college de la Trinité.* [r] *Stokes.*

CIƆIƆLVI.
HENRICUS II.

academiam pupillam ſuam ſtudium et egregiam voluntatem laudaſſet, ita, quod cupiant, rite confici poſſe dicit, ſi qui erraſſent errorem ejerarent et in viam redirent: permagnum ſiquidem ad ſanitatem progreſſum videri feciſſe, qui ſe deliquiſſe agnoſcerent et faterentur: ſe quidem magis ad clementiam quam ad ſeveritatem inclinare; ceterum eam morbi gravitatem eſſe, ut acrioribus remediis indigeat: ſi tamen qui errarunt moniti ſalutaribus conſiliis acquieſcerent, non commiſſuros ſe, ut ullum humanitatis et benevolentiae officium, tam in iis quae ad cauſam publicam quam privatos cujuſque uſus pertinent, aut ipſi aut academiae ordines in ſe poſſint deſiderate. Inde profecti ad ſcholam regiam ſolemne ſacrum magna frequentia celebrant; poſteaque in B. Mariae templo, licet interdicto, concio habetur: moxque de exhumatione Buceri et Fagii cadaverum agitur: ac, quoniam uterque, dum viveret, non ſolum perniciosam et erroneam doctrinam ſparſiſſent, ſed familiam inter ſectarios ambo duxiſſent, nec ſolum ipſi ab eccleſia catholica aberraſſent, ſed et aliis exemplum ab ea deficiendi dediſſent, decretum, ut demortuorum cadavera quam primum exhumarentur: eſſe enim contra ſacra decreta ac diſciplinam, ut eorum, qui tales ſint, corpora eccleſiaſticae ſepulturae tradantur; et pertinere ad manifeſtam Divini Numinis contumeliam ſacrarumque legum violationem; idque cum nonnullo animarum periculo et fidelium offenſione conjunctum eſſe, ut ii, qui legibus moribuſque ab aliis eſſent ſejuncti, communem cum ceteris ſepulturae religionem participarent: expiandum igitur locum, nihilque relinquendum, quo etiam clementis ipſis injuria fieret; et concedendum hoc, quidquid eſſet, infirmorum conſcientiis. Porrecto legatis libello, rem juris forma tractari placuit. Citati mortui primo atque altero edicto, productique contra illos ſemel atque iterum teſtes. Cum nemo compareret, qui eorum defenſionem ſuſcipere auderet, tandem tanquam contumaces damnati ſunt; dieque dicta coram academiae ordinibus, poſtquam Ceſtrenſis oratione habita judicii ſeveritatem excuſavit, neque juſtum eſſe dixit permittere ut infirmorum animi ob inexpiatum nefas diutius torqueantur, ſententia pronunciatur, et mortuorum cadavera effodi, ac magiſtratui regio, quandoquidem ſanguinis poenam infligere ſacerdotibus non licet, tradi jubentur. Aliquot dierum ſpatium interceſſit, dum, Londinum miſſa ſententia, a magiſtratu regio mandatum veniret, quo poena infligebatur. Interea [a] Pernus in Bucerum, quem familiariter cognoverat, maxime virulentam orationem habuit: illiuſque exemplo plerique ex juventute per laſciviam in demortui contumeliam multa carminibus luſerunt. Tandem VIII Eid. Febr. cadavera effodiuntur, et parata ad id in foro area palus magni ponderis in terram defigitur; cui corpora quaſi vivorum alligantur, comportata magna ligni ſtrue, qua exurerentur. Tum tabulata eriguntur, incluſis cadaveribus, et utraque ex parte ſudes defixae, circumdata longa catena ferrea: injectique libri Proteſtantium undique conquiſiti magno numero, qui flamma diffundente ſe una concremati ſunt. In eam rem [α] [b] Watſonus concionem habuit: moxque reſtitutus ſacrorum uſus in iis templis quae interdicta diximus. Demum et quidam ex academiae miniſtris mulctati, partim adempto ſuffragii jure, partim aliis in ipſorum locum ſuffectis. Poſtremo publicata inquiſitorum de academiae inſtitutione decreta. Nec multo poſt [c] Oxonii a [d] Broko [β] Gloceſtrenſi epiſcopo eadem ratione cum Catharina P. Martyris Vermilii uxore actum eſt; quae ante quadriennium itidem defuncta in aede Chriſti juxta B. [e] Fridiſuidae, quae illis locis in ſumma veneratione erat, condita fuerat. Nam convicta, quod mariti doctrinam amplexa eſſet, damnatur: ejuſque cadaver effoſſum bajuli humeris impoſitum apud Marſhallum illius templi decanum in ſterquilinium dejicitur. Verum poſt Mariae mortem, Matthaeo [γ] [f] Parkero Cantuarienſi archiepiſcopo, Edmondo

VAR. LECT. [α] Valſonus *P.D.o.* [β] Cloceſtrenſi *P.D.o.* [γ] Packero *P.D.o.f.d.* et Ed. Gen.
INTERPR. [a] *Pern.* [b] *Watſon.* [c] *Oxford.* [d] *Broke, evêque de Glocester.* [e] *Ste Fridiſuide.* [f] *Parker, archevêque de Cantorbery.*

Edmondo [a] Grindallo Londini et Ricardo Glocestriae epiſcopis ſuggerentibus, Elizabethae juſſu ſemeſa oſſa, e [b] Marſhalli ſtabulo eruta, et cum Fridiſuidae oſſibus permiſta, rurſus terrae mandata ſunt III Eid. Januar. anni CIϽ IϽ LXI, cum XI Kalend. Sextileis ante [c] Cantabrigienſis academiae ordinum decreto gradus et honoris tituli Bucero et Fagio adempti in integrum reſtituti fuiſſent; omnibus, quae contra eos eorumque doctrinam ac memoriam acta erant, reſciſſis. Quoque res ſolemni magis ritu conſecretur, III Kalend. Sextil. publicus conventus indicitur ad B. Virginis, ubi [d] Achworthus academiae nomine orationem in demortuorum laudem habuit, ſuperiorum temporum crudelitate, quae non ſolum in vivos ſed etiam in mortuos ſaeviiſſet, multis verbis exagitata. In eandem ſententiam et a Jacobo [e] Pilkintono multa verba facta ſunt; et in memoriam revocatum Stephani VI et Sergii III Romanorum pontificum exemplum, qui ob privatas injurias in Formoſum mortuum exquiſita immanitate olim graſſati memorantur. Nunc ex Britannia in continentem redeundum eſt.

IV. CAESAR ubi ſe Imperio ac regnis abdicavit in Hiſpaniam navigaturus, cum valetudine impeditus et jam inclinata tempeſtate profectionem in annum ſequentem distuliſſet, ne ſibi interim tempus periret, rebus filii conſtituendis ac firmandis totum illud impendit. Cum igitur merito vereretur, ne primis regni auſpiciis ab omnibus rebus imparatus filius praecipiti aetatis fervore belli aleam infeliciter tentaret, reſpirandi ſpatium aliquod ei neceſſarium judicavit, quo in Imperio confirmatior et rebus ad bellum neceſſariis inſtructior, ſi opus eſſet, antiquas denuo cum rege controverſias armis perſequeretur: ob idque interventu Poli cardinalis, qui Mariae Anglicae nomine quaſi ſequeſter de pace egerat, urgebat, ut, ſi pax fieri non poſſet, induciae in aliquot annos pangerentur. Igitur miſſi utrinque delegati: regis nomine Gaſpar [f] Colinius maris praefectus et Sebaſtianus [g] Albaſpineus libellorum ſupplicum magiſter; Caeſaris et Philippi nomine Carolus [h] Lalanius comes, Simo [i] Renardus, Carolus [k] Tiſnaeus, Philippus [l] Bruxellenſis, et Jo. Baptiſta [m] Schiecius juriſconſultus Cremonenſis: qui ſub anni initium juxta [n] Cameracum in coenobio, cui [o] Vallucellis nomen, congreſſi poſt longas altercationes tandem in haec pacta convenere: ut terra marique tam in Belgio quam per Italiam et alia loca utriuſque regis ditioni ſubjecta induciae in V annos eſſent, quibus ab armis utrinque abſtineretur: poſſeſſionem interea quiſque eorum, quae belli tempore occupaverat, retineret. His comprehenſus ab utraque parte pontifex: excluſi a Caeſare Neapolitani ac Siculi exſules. Comprehenſus et fuerat a rege Albertus marchio Brandeburgicus: ſed poſtea convenit, ut ejus mentio induceretur, quod citra Imperii praejudicium, quod ab utraque parte comprehenſum fuerat, induciarum beneficio uti non poſſet, niſi prius revocata proſcriptione ipſe Imperio reconciliatus eſſet. Conventum item, ut [p] Eporediae et Auguſtanae vallis a noſtris hoc ultimo bello occupatae loco rex Sabaudiae duci certam ſummam ſingulis annis numerari juberet, quae [q] Lugduni duabus penſionibus perſolveretur. Id Non. Febr. actum. Quatriduo poſt de captivis inter parteis tranſactum fuit: conventumque, ut utrinque dimitterentur: milites quidem trimeſtri ſtipendio exſoluto; nobiles vero unius anni ſuorum bonorum reditum dependerent, quod praeſtito ſacramento citra fraudem fieret. Excepti ex noſtris [r] Bullionius et Fr. [s] Momorantius; quorum hic [t] Tarvennae, ille [u] Hedini captus fuerat: ex hoſtibus Philippus [x] Croius Arſcotii dux, proelio in Ambianis commiſſo, cum ſe vili ruſtici veſte diſſimulaſſet, captus, qui in [y] Vicenarum caſtro aſſervabatur. Poſtea tamen placuit, ut utrinque etiam illi dimitterentur accepto pretio, de quo intra treis menſeis

convenirctur;

INTERPR. [a] *Grindal, evêque de Londres.* [b] *Marſhall.* [c] *de Cambridge.* [d] *Ackworth.* [e] *Pilkington.* [f] *de Coligny* [g] *de l'Aubeſpine.* [h] *de Lalain* [i] *Renard.* [k] *Tiſnac.* [l] *de Bruxelles.* [m] *Schiecio de Cremone.* [n] *Cambray.* [o] *Vaucelles.* [p] *Yvrea & Val di Aoſta.* [q] *Lyon.* [r] *Robert de la Marck, duc de Bouillon.* [s] *de Montmorency, fils aîné du conneſtable.* [t] *Terouenne.* [u] *Hedin.* [x] *de Croy, duc d'Arſcot.* [y] *Vincennes.*

CIƆIƆLVI.
HENRICUS II.

conveniretur: ſed, re in longum extracta, Araſcotius medio tempore evaſit, vulgari Caeſaris dicterio ob id notatus, quod, cum ranquam mendicus in Belgio captus fuiſſet, e Gallia tanquam ſur aufugiſſet. Id cum non uiſi conſciis et fugae adjutoribus factum appareret, quaeſtio de Franciſca[a] Amboſia Caroli Croii[b] Senigani comitis agnati ſui vidua ac proinde ſuſpecta admodum ſevere habita eſt a Joanne[c] Munerio praetoris Pariſienſis legato, quem nuper ut vitio creatum ſenatus rejecerat, et poſt crebras juſſiones A. [d] Momorantii commendatione vix tandem ad hoc munus admiſerat. Quaeſtionem urgebat Momorantius, quod cum, eo elapſo, filii qui cum Araſcotio permutari debebat redhibendi ſpem amiſiſſet, jacturam in illius fuga factam ex Senigani agnati bonis ſarcire cuperet. Nihil non actum, ut rei per ſe verae vel per falſos teſteis probatio erueretur: et Amboſia ipſa in carcerem conjecta et ignominioſe in jure vexata eſt. Quae omnia tandem in exitium Munerio calumnioſae accuſationis auctori ac judici verterunt; et occultarum antea, tunc vero ex ea occaſione in apertum prorumpentium ſimultatum inter potentiſſimas regni ſamilias, Momorantios et Guiſianos ſcilicet, initia fuere, uti poſtea plenius dicemus. Pactis induciis, haud multo poſt Bruxellas Colinius ad Caeſarem, [e] Bloëſas ad regem [f] Lalanius profecti ſunt, ut eas uterque jurejurando firmaret. Hae citius a rege etiam [g] Meti publicatae ſunt: a Caeſare in Belgio aliquanto tempore poſt; quod Philippus in pauciores annos inducias contrahi vellet: in Italia vero ſerius, ſive Caeſarianorum negligentia, ſive aſtu, qui tamen in eorum damnum recidit. Nam, cum illi interea in [h] Subalpina regione [i] Gattinaram occupaſſent, praeſidiumque impoſuiſſent, ulterius progredientibus ſupervenit ſtatim Ludovicus [k] Biragus cum provinciali milite et II Helvetiorum vexillis, et ignavia praeſecti deditum oppidum non admotis tormentis recepit, ac LX militum praeſidio firmavit. Inde, cum conjiceret Caeſarianos mox eodem reverſuros, finxit ſe [l] Jacobi-fanum contendere, et haud ita longe locis idoneis ſuos occulte diſpoſuit: nec ſpe ſua falſus eſt. Nam, eo digreſſo, hoſtes ſubito advolant cum VIII Italorum ſignis, I Germanorum, C levis armaturae equitibus ac III machinis. Cumque noſtri oppidum deſeruiſſent, illi arcem oppugnant. Nocte appetente Biragus cum ſuis ſupervenit: et, dum in parte, quaſi ad illam in oppidum impetum ſacturus, hoſtem diſtinet, alia parte Helvetios mittit, qui, antequam hoſtis adverteret, introducti ſunt. Hoſtes intercluſi inter arcem et oppidum facile caeſi ſunt. Capta ſigna et tormenta, majorque pars in noſtrorum manus devenere, ſerius adventante Manfredo [m] Torniello, qui auxilio miſſus fuerat. Interceptum et a noſtris in ea regione [n] Vinalium, quod Italorum majoris nominis praeſidio tenebatur: nam inibi erant CIƆ IƆ pedites ſub X centurionibus; quorum IV occiſi, VI capti ſunt, milites armis exuti, fruſtra annitente Piſcariae marchione ut obſeſſis ſuppetias ferret. In Etruriae vero ora maritima praeſidiarii [o] Groſſeto et Monte-Peſcalio egreſſi [p] Juncaricum, [q] Columnam, [r] Rabum et alia caſtella in poteſtatem redegerunt; quae mox magna ex parte a Luca Antonio [s] Cupano recepta ſunt. [t] Corſinianum etiam a noſtris occupatum, quamvis moenibus nudatum; quod item a [u] Sanſloriano ſuperveniente receptum, et aliquot milites, qui in templi turrem conſugerant, laqueo ſuſpenſi ſunt. [x] Kyriaci-ſanum praeſidiarii deſeruere. [y] Camprianum penes noſtros remanſit. Coſmus autem, qui inducias jam pactas ſciret, quod et [α] [z] a Joanne Parthenaeo Subiza, qui ad [aa] Montem-Ilcini nomine regis cum ſummo imperio praeerat, paſſim jactabatur, diligenter [bb] Turritam, [cc] Aſinam-longam, [dd] Montem-Fellonicum et vicina loca muniverat. Accidit et ſub id tempus, ut longe periculoſiſſimo

VAR. LECT. [α] Joanne *deeſt* P. D o. f.

INTERPR. [a] *d'Amboiſe.* [b] *de Senighea.* [c] *Munier, lieutenant civil.* [d] *le conneſtable de Montmorency.* [e] *Blois.* [f] *le comte de Lalain.* [g] *Mets.* [h] *Piedmont.* [i] *Gattinara.* [k] *de Birague.* [l] *Santjà.* [m] *Torniello.* [n] *Vignale* [o] *Graſſeto & Monte-peſcali.* [p] *Giuncarico.* [q] *Colonna* [r] *Ravi.* [s] *Cuppano.* [t] *Pienza.* [u] *il conte di Santafiore.* [x] *San Chirico.* [y] *Campriano.* [z] *Jean de Parthenay-l'Archevêque, ſieur de Soubiſe.* [aa] *Montalcino.* [bb] *Turrita.* [cc] *Aſina-lunga.* [dd] *Monte-fellonico.*

periculoſiſſimo naufragio Auriana claſſis conflictaretur. Nam, cum Joannes Andreas Auria, in ſpem adductus de [a] Bonifacio aſtu capiendo, cum XII tritemibus in Corſicam deſcendiſſet, prope [b] Ilvam tempeſtate ſubita abreptus, unius e triremibus jacturam fecit, in qua amplius CC homines periêre: et, cum inde cum reliquis in ſinum Corſicae quendam navigaſſet, [c] Portum-veterem, uti ſperabat, ſubiturus, foeda tempeſtate rurſus jactatus concurrentibus inter ſe triremibus et ad ſcopulos illiſis maximum heic hominum et rerum damnum accepit: vixque ipſe cum praetoria periculum evaſit, amiſſo ingenti captivorum, machinarum, inſtrumentorum bellicorum et militum numero: qui effugere, inter fluctus in terram enatavere. Promulgatis tandem utrinque induciis et decretis paſſim ſupplicationibus, Turnonius cardinalis, qui Romae erat, cum oratore regio pontificem regis nomine adit, et, quid actum ſit, oſtendit; nihilominus regem in foedere ſecreto perſeverare teſtatus. Id etſi pontifex et qui ejus parteis ſequebantur palam improbare non audebant, moleſte tamen ferebant, regem, minime monito pontifice, in inducias conſenſiſſe; quod, cum toti in belli cogitationem propenderent, eo minus illum conſiliis ſuis propitium fore arbitrabantur. Itaque limitem ſuum diligenter munire inſtituunt. Ac [d] Tiferno quidem Flaminium [e] Stabiam Urſinum Strozzii cognatum imponunt: atque ipſum Strozzium [f] Antipoli, ubi ſe poſt [g] Marcianam cladem receperat, a Momorantio magiſtro equitum et aliis propterea apud regem traductus, permiſſu regis evocant, ut ejus opera in bello, quod animo agitabant, uterentur. Diverſa parte Coſmus, limiti ſuo proſpicere tempeſtivum ratus, [h] Burgo ad S. Sepulchrum, quod Tiferno oppoſitum eſt, Petrum [i] Montium cum peditum vexillo praefecit; cui et Pandolfum [k] Ricaſolium eum altero attribuit. Praeterea [l] Caſtrocarum, quod in [m] Umbriae confinibus eſt, et [n] Cortonam ac Politianum contra [o] Montis-Ilcini praeſidiarios munivit; quod, etſi in ſpeciem omnia a pontifice pacata eſſent, tamen, cum nuper in archiepiſcopatu Piſano, quem Joanni ſecundo ex filiis deſtinatum jam ante petebat Coſmus, repulſam tuliſſet, id tanquam certiſſimum alienati a ſe pontificis animi ſignum interpretabatur.

V. Sub id tempus, Coſmi interventu et Hieronymi Corregienſis opera, Octavius Farneſius Parmae dux cum Caeſare ſocero reconciliatus eſt, accepta [p] Placentiae, Novarae ac [q] Novarienſis territorii et caſtellorum in Parmenſi agro a Caeſarianis occupatorum poſſeſſione. Hae vero leges genero a Caeſare dictae: Ut Placentiae arcibus praeſidium Hiſpanorum accipere, et illud ſtipendio ſuo alere teneretur: manerent Imperio et Romanae ſedi ſalvae rationes, quas in Parmenſi ditione habent: Novarae arx in Caeſaris poteſtate eſſet: bona, quae Octavius et Margarita naturalis filia in regno Neapolitano et in Etruria, quae item Alexander cardinalis frater in Sicilia habet, eis reſtituantur; de fructibus tamen a Camera Caeſarea perceptis litem inſtituere non poſſint: conjuratorum, qui jam deceſſerint, filii in bonorum ſuorum poſſeſſione non inquietentur, ſed iis libere utantur, fruantur; in conjuratorum, qui ſuperſint, cauſa nihil intra VI menſeis innovetur; interimque liceat illis, quibus velint perſonis, bona ſua vendere et oppignerare: Octavius in fidem [r] Sanſecundi comitem et Joannem Franciſcum [s] Sanſeverinum accipiat, quos Caeſaris nomine commendatos habeat; qui ſi deinceps fidem datam violent, in eos animadvertendi ipſi jus ſit: [t] Therella, [u] Rupes-alba et Turricellae moenibus nudentur: [x] Fanum Antonini municipium, uti a Caeſare munitum eſt, in Octavii manus conſignetur: eo tempore, quo Placentiae poſſeſſio tradetur, Alexander major natu Octavii et Margaritae filius tanquam obſes Mediolani maneat, et inde ad regem Philippum tranſeat, atque in ejus aula

INTERPR. [a] *Bonifacio* [b] *Elba.* [c] *Porto-vecchio* [d] *Citta di Caſtello.* [e] *da Stabbia.* [f] *Antibes.* [g] *deffatte de Marciano.* [h] *Borgo a San Sepolchro.* [i] *del Monte.* [k] *da Ricaſoli.* [l] *Caſtrocaro.* [m] *la Romagna* [n] *Cortona & Monte-pulciano.* [o] *Montalcino.* [p] *Piacenza.* [q] *il Novareſe.* [r] *San Secondo* [s] *San Severino.* [t] *Torrile.* [u] *Rocca-bianca & Torricella.* [x] *San Donino.*

CIƆIƆLVI.
Henricus II.

CIƆIƆLVI. HENRICUS II.

aula commoretur. Id momentum maximum Caeſaris ac Coſmi rebus in Italia attulit, firmato imperii Mediolanenſis ſtatu, et intercluſo noſtris illac tranſitu, ne in Etruriam aut ad regnum tam commode itinere terreſtri in poſterum commeare poſſent. Idem et Corregii ac Nugarolae comites ea mutatione confirmatiores reddidit; qui eo ſe animoſius ab eo tempore Ferrariae duci, qui ipſis imminebat, oppoſuerunt.

VI. SECUNDUM haec Carafa cardinalis nihil non agebat, ut nos ad bellum contra Hiſpanos gerendum impelleret, miſſo jam ante pactas inducias in Galliam, uti diximus, Hannibale [a] Oricellario, et crebris pontificis nomine ſcriptis ad regem literis, ad Annam Momorantium, atque adeo, ne quid intentatum relinqueret, ad [b] Valentinam illam ſtrigem, quae ſibi veneficiis regis animum, alioqui gloriae cupidi et proſperis ſucceſſibus elati, fecerat obnoxium; dein et [c] Somae regulo, ut promiſſa auxilia acceleraret. Poſt pactas inducias per eundem Somae regulum, qui jam in aula erat, graviter apud regem conqueſtus eſt, contra foedus initum, inſciis ſociis, proditam pontificis cauſam et deſertos Carafas; regemque obteſtatus eſt, ne conditionibus ſubſcriberet. Mox et alteris III Non. Mart. ad eum datis cum de eadem re expoſtulaſſet, poſtremo petit, ut, ſi rex ſervare inducias conſtituiſſet, ſaltem in pontificis manus oppida, quae in Etruria tenebat, conſignaret: cujus rei ſpem Lotharingus cardinalis fecerat: ſic enim fore, ut Caeſariani ac Coſmus ipſe Gallorum metu ſoluti nihil contra pontificem moveant, ſed etiam [d] Senas et quae in Senenſium ditione hoc bello occupavere, quo pontificem placatum habeant, reſtituant: nam in confeſſo eſſe, nec dubitare Hiſpanos, quin in generoſi ac conſtantis pontificis poteſtate ſitum ſit, regnorum in Italia poſſeſſiones ad quem velit arbitrio ſuo transferre, et, in quamcunque partem propendeat, maximum momentum habere. Ipſe, ut hoc negotium conficeret, jam tum in Galliam proficiſci honorificae legationis praetextu decreverat: ſed a [e] Turnonio retentus fuit, quod diceret, res pontificis atque adeo regis Romae praeſentia ipſius egere; hoc ille praetexebat; nam re vera vir prudens, qui foedus illud et negotium omne ut regno detrimentoſum ſemper ab initio deteſtatus fuerat, pro innato in patriam amore verebatur, ne inquieti animi homo res induciis compoſitas interturbaret, [* et favore in aula ſperato adjutus nos] funeſto bello implicaret. Ubi vero neque hoc impetrari potuit, ut rex, quae in Senenſi ditione tenebat, pontifici traderet, tum demum nihil Turnonii monita moratus Carafa ad legationem obeundam ſe comparat; quod a patruo facile obtinuit, alioqui ſolius Inquiſitionis negotio, quam religionis aut ſaltem pontificiae potentiae arcanum exiſtimabat, intento, et ſumptuoſo ac plus quam regio faſtu dignitatem oſtentare gaudenti, atque adeo raro principum oratores admittenti: nam hoc quoque ad tuendam majeſtatem pertinere ducebat, perſuaſus a ſuis, qui, ut moroſo faſtidioſi ac jam α prope deliri ſenis ingenio facilius ad libidinem abuterentur, ei omnium colloquio hac arte interdixerant. Nec defuit fortuna Carafae conſiliis: nam ſub id tempus res incidit, quae animum ultionis avidum et injuriae impatientem maxime exulceravit. Caeſareus orator Sarriae marchio ad venationem animi gratia proficiſci plerumque aſſuetus, a [f] Monrorio, penes quem armorum imperium erat, impetraverat, ut quavis hora etiam intempeſtiva cum ſuis armatis urbe, quae tunc clauſa a praeſidiariis tenebatur, ſibi egredi liceret. Itaque ſummo mane profectus, cum ad urbis portam veniſſet, eamque praefectus rei ignarus, qui nuper permutatis excubiis aderat, aperire recuſaret, Sarrianus, id ad ſuam et perſonae, quam ſuſtinebat, dignitatem pertinere exiſtimans, vim facit, et, repulſa ſtatione, portam effringit. Graviſſime id Carafa

ac

P. [* *et ope Lotharingorum res novas jam tum molientium nos*]

VAR. LECT. α prope *deeſt* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Rucellai.* [b] *la ducheſſe de Valentinois.* [c] *le duc de Soma.* [d] *Sienne.* [e] *le cardinal de Tournon.* [f] *Jean Carafa, comte de Montorio.*

ac patruus tulere; deque injuria, qua violatam majeſtatem querebantur, apud regem per Somae regulum expoſtulavere. Cum factum excuſaturus Sarrianus ad colloquium admitti a pontifice peteret, ille recuſavit; cumque nihilominus in palatium veniſſet, non admiſſus eſt: ſed a Carafa monitus, cum diceret patruum de eo in arcem conjiciendo aut etiam ſeverius puniendo cogitaſſe, tandem receſſit. Occaſionem hanc tam bonam nactus Carafa in Galliam ad regem proficiſcendi, a pontifice vix tandem impetravit, ut ſibi temperaret; et, quo res tutius confici poſſet, diſſimulata injuria, ejus ultionem in commodius tempus differret. Itaque pontifex Sarrianum tandem ad colloquium admiſit; et quam conciliationi principum ſtuderet palam declaravit: eo ſe conſilio legationem ad Caeſarem ac regem adornare; et Carafam quidem ad regem, ad Caeſarem vero et Angliae regem Scipionem [a] Rebibam, epiſcopum Motulenſem, nuper in cardinalium collegium a ſe cooptatum, in [b] Belgium mittere decreviſſe.

VII. Hoc colore Carafa quaſi de pace acturus magno et ſuperbo admodum comitatu in Galliam contendit. Antequam in viam ſe daret, pontifex publice in conſiſtorio in Columnios, ut impios, multa debaccharus, quorum majores pontificiis partibus adeo infeſti fuerint, tum in Aſcanium eo tempore [c] Neapoli captivum, qui Clementem VII olim in arce oppugnaverit, et cum Hiſpanis urbem diripuerit, poſtremo in M. Antonium ejus filium acerrime invehitur, qui paternis veſtigiis inſiſtens ſcelerate graſſandi principium ab ipſo parente fecerit, cumque tam impie ſpoliaverit, quam nunc ſacrilega et deteſtanda in pontificis ac ſanctae ſedis perniciem conſilia agitet; ac proinde ipſum beneficiis pontificum gratia conceſſis indignum pronunciat; et bona utriuſque parentis ac filii proſcribit, evulgato diplomate admodum acerbo, quo eos diris devotos ſacrae cenſurae ſubjiciebat. Nec multo poſt Joannem, grandiorem natu ex fratris filiis, [d] Paliani ducem ſolemni ritu creat, facto ea de re itidem diplomate, cui cardinaleis ſubſcribere voluit: et, amoto a gubernatione [e] Urbini duce, cum eccleſiae gubernatorem, tradito inſigni magiſtratus baculo, declarat: filioque ejus adhuc puero [f] Cavium, quod eſt oppidum [g] Columniae ditionis, marchionis titulo, attribuit. Inde cardinalis cum novo duce et Petro Strozzio Palianum adit; abductiſque ſecum muniendorum locorum peritis architectis, propugnacula locis opportunis deſignat, et commeatu, vino, farina, ſalitis carnibus ad oppugnationem ſuſtinendam Palianum firmat. Quo facto, ſe ad iter accingit cum numeroſa nobilitate; [h] Centumcellaſque profectus per mare [i] Maſſiliam contendit, deducente eum Paulo Jordano [k] Urſinae familiae principe cum VIII triremibus, partim regiis partim ſuis. Interea Coſmus, qui induciis non ſatis fideret, et de regis ac pontificis amicitia deſperaret, omnia ad bellum neceſſaria in Etruria parabat; et conſilio, quantum poterat, atque opibus ſuis res [l] Albani ſublevabat. In primis loca hoſti oppoſita muniebat; et in his [m] Lucinianum, quod, nuper noſtris ereptum, longe maximum damnum a coeleſti fulgure acceperat, turre arcis, in qua pulvis tormentarius aſſervabatur, incendium concipiente, et XL amplius hominibus ex familia ac militibus Donati Ambroſii [n] Arretini abſumptis: quod eo diligentius a Coſmo procurabatur, quod Galli, qui [o] Foianum tenebant, haud longe inde aberant. Cortona item et Caſtrocarum, a quo haud procul diſſita ſunt [p] Livii et Cornelii fora, ac [q] Ceſena, pontificiae ditionis oppida, et milite et tormentis egregie firmabantur, ad terrorem pontifici incutiendum, quem ita a belli conſiliis ad aequiores conditiones adduci poſſe ſperabat: aſtu vero id interim agebat, ut cardinalis [r] Burgenſis, qui rei Senenſi Philippi nomine praeerat, cum militem alendi ſive a ſtipendio ſive a commeatu facultatem non haberet, quo civitatem nihilominus in Philippi fide retineret, praeſidiariis inde exactis,

INTERPR. [a] *Rebiba, evêque de Motola.* [b] *Pays-bas.* [c] *Naples.* [d] *Paliano.* [e] *Urbino.* [f] *Cavi.* [g] *Colonna.* [h] *Civita-vecchia.* [i] *Marſeille.* [k] *Orſini.* [l] *le duc d'Albe.* [m] *Lucignano* [n] *d'Arezza.* [o] *Poiano.* [p] *Forli & Imola.* [q] *Ceſena.* [r] *de Burgos.*

CIϽIϽLVI.
HENRICUS II.

exactis, ipſam fidei ſuae committere cogeretur. Verum contrario aſtu id aliquanto tempore Burgenſis eluſit; qui facile [a] Senenſibus Coſmi dominationem peroſis perſuaſit, quando tam numeroſo militi, quanto ad tantae amplitudinis urbem tuendam opus erat, alendo par non eſſet, ut arx, cui ſervandae exigua manus ſufficeret, denuo exſtrueretur. Itaque rurſus muro cincta arx, et cuſtodia introducta, proviſumque, quando ex ora maritima nihil advehebatur, ut ex Sicilia et Apulia annona in urbem comportaretur: quod tamen non ita commode fieri poterat, quin extremis miſeriis interea civitas conflictaretur. Quam occaſionem minime negligendam duxit Coſmus; qui apud Philippum per Alfonſum [b] Tornabonum Burgi in Etruria epiſcopum urgebat, ut promiſſa de [c] Plombinenſi ditione tandem implerentur: quod itidem ab Hiſpanis rem in longum extrahentibus eludebatur. Cum tamen in dies annonae anguſtia premerentur Senenſes, invidiamque rei Burgenſis ob eas, quas dixi, cauſas in Coſmum rejiceret, eoque nomine illum apud Philippum traduceret, Coſmus, ut ſe purgaret, cogebatur omnia conſilia cum eo communicare. Acciditque ſub id tempus, ut ſecreto inita ſit conjuratio de [d] Monte-Ilcini intercipiendo; inſuper et facta ſpes de tradendo Groſſeto praecipuo in maritima ora oppido: quod conſilium Burgenſi a Coſmo patefactum; cum ille, qui ſiniſtra omnia in Coſmo interpretaretur, id ab eo fieri exiſtimaret, non rerum Philippi commodo, ſed ſua cauſa, quo paulatim tota ditione Senenſi potitus Philippum ad tradendam Senarum poſſeſſionem adigeret, arcanum illud ſeu ſocordia neglectum ſeu levitate temere communicatum prodidit; conſciique a noſtris capti et, re detecta, digno ſupplicio affecti ſunt, magno rerum Coſmi et exiſtimationis diſpendio. Nec multo poſt Caldora quidam nomine, homo Neapolitanus, qui longo tempore in Gallia fuerat, cum a Coſmi oratore Roma Florentiam miſſus eſſet, et a Monlucio per induciarum tempus commeatus diploma accepiſſet, cum Senas pertranſiret, a Burgenſi, qui illum a Carafis miſſum ſuſpicabatur, comprehenſus et tormentis ſubjectus eſt in Monlucii et Coſmi caput. Quo facto parum abfuit, quin noſtri, qui jus gentium violatum cauſabantur, ad arma devenirent, et Coſmus, qui fidem ſuam in dubium vocari indignabatur, aliena a ſe ac tempore conſilia ex hac occaſione arriperet. Romae interea res calebant. Reverſo nuper, re infecta, Fabricio [e] Sanguineo, quem pontifex ad Philippum legaverat, et detectis nuper conjurationibus in urbe, ſeu veris ſeu falſis, ille irritatior, Silveſtro Aldobrandino, cui plurimum tribuebat, et Fiſci procuratori negotium dederat, ut de Neapolis ac Siciliae regnis, ita vulgo vocant, ſanctae ſedis beneficiariis, et quorum directum dominium ad eccleſiam pertinet, lis Caeſari ac Philippo filio moveretur, quos tanquam rebellium fautores atque adeo rebelleis in commiſſi crimen incidiſſe arguebat. Jamque cardinalis Carafa in Galliam profectus [f] Fontem-bellaqueum venerat, aula factionibus diviſa: nam [g] Momorantius jam ſenex innata prudentia, cum de belli exitu ſiniſtre ominaretur, ad pacem inclinabat; eoque conſilio, dum Lotharingus cardinalis Romam profectus ſuperiore anno abeſſet, res ad concordiam per inducias adduxerat, adjutus in eo negotio maxime a Gaſpare Colinio maris praefecto, ſororis filio. Guiſiani contra, juvenili aetate ferventes, dum imperii ultra modum cupidi per novos motus armorum potentiam ad ſe contrahere conantur, conſilia pacis reſpuebant, et tam pulchram occaſionem regi avide arripiendam ſuadebant. Anceps erat regis animus, alioqui ob feliceis ſucceſſus ad belli conſilia propendentis: ſed Momorantius gratia auctoritate et prudentia praeponderabat. Haerentem tandem Henricum impulit regina uxor; quae P. Strozzio cognatione proximo bellum Italicum, in quo cum aliquo imperio eſſet, affectanti favebat: ſed praecipue Diana illa Valentina longe maximum momentum attuliſſe creditur; quae, quod jam affinitatem cum Guiſianis contraxiſſet, et alioqui ſerviliter a cardinali Lotharingo colebatur, eorum

libidini

INTERPR. [a] *ceux de Siene.* [b] *Tornabuoni, ev. de Borgo.* [c] *de Piombino.* [d] *Montalcino* [e] *di Sangune.* [f] *Fontainebleau.* [g] *le conneſtable de Montmorency.*

CIↃIↃLVI.

HENRICUS II.

libidini ancillabatur. Hac fiducia ſretus Carafa regem aggreditur; et, gladio ſacrato pontificis nomine ei, ut eccleſiae Romanae defenſori, magna pompa ac ceremonia porrecto, ad privatum colloquium admiſſus, quo in ſtatu res Romana ac familiae ſuae fortuna ſit, demonſtrat. Ex quo, inquit, poſt patruum in ſummum pontificem electum gubernaculis admotus ſum, Chriſtianiſſime rex, nihil antiquius habui, quam ut, qui ribi fidam operam antea bello Parmenſi et Ettuſco navaveram, demum tibi pontificem conciliarem, et efficerem, ut te is, ſpreto Caeſare et Angliae rege, ſanctae ſedis et familiae noſtrae vindicem adſciſceret. Teſteis appello [a] Lanſacum tuum Romae tunc oratorem, et nuper Joannem [b] Avanſonium, qui me currentem incitabant. Et, quamvis ampliſſima cuncta majeſtatis tuae nomine et ſedi et privatim mihi pollicerentur, nulla praemiorum ſpe impulſus aut ulla conditione accepta, quae quidem privatum meum commodum ſpectaret, ſed ſola in nomen Francicum propenſione inductus pontifici auctor fui, ut ſanctae ſedis dignitatem et ſe ſuaeque familiae opes ac fortunas fidei tuae committeret. Nam et hoc honorificum pontifici ac ſacrae Romanae eccleſiae, tibi vero glorioſum, nobis denique tutiſſimum perfugium viſum eſt. Itaque foedus inter vos initum eſt, in quo ut nihil aliud ſpectavi, quam ut pontifici ac ſanctae ſedis dignitati et familiae noſtrae ſecuritati proſpiceretur, atque una Francieae domus magnitudo ex ea occaſione amplificaretur, ita nihil in eo appoſitum quod ad privatam utilitatem meam pertineat. Verum, ut hominum conſilia plerumque in contrarium vertunt, accidit, ut, cum interim inducias pepigeris, foedus, ſi non violatum, certe omnino irritum redditum ſit, ex eventuque tam pernicioſum nobis, quam fructuoſum et utile illud fore mihi perſuaſeram. Nam, cum eo ſummopere irritatos Hiſpanorum animos conſtet, procul dubio eſt, homines ultionis avidos, ut vicem reddant, nullam occaſionem praetermiſſuros; quae nunc illis ultro per inducias conceditur. Cum enim nunc in [c] Belgii limite, [d] Inſubribus, [e] Subalpina regione atque [f] Etruria a belli metu vacui ſint, quin vireis omneis, copias ac robur in nos convertant, inter prudenteis minime ambigitur; eoque conſilio [g] Albanum ſummum belli in Italia ducem [h] Neapolim veniſſe, atque ibi quam maximum potuit exercitum, quo nos imparatos opprimeret, coëgiſſe, magno noſtro cum dolore ſcimus. Ad quod bellum non tantum inimicitiae, quas jam antea capitaleis, nunc vero poſt percuſſum tecum foedus ex nova offenſione exacerbatas cum noſtra gente exercent, eos invitant; ſed belli gerendi facilitas, quae maximum momentum, ut ſcis, inter ambitioſos principes, etiamſi nulla offenſio aut juſta cauſa ſubſit, habet. Nam infirma fere cuncta pontificiae ditionis oppida ſunt; ſatiſque habuere priſci pontifices ſi reverentiam et obſequium ſibi debitum conſervarent: his enim praeſidiis ſe abunde tutos et ſecuros eſſe exiſtimavere. Praeterea, nulla in limite munita loca: et ab [i] Aſculo et Terracina a rege Angliae cingimur, et ab altera parte ad [k] Ariminum et Montem-altum Etruria; et rurſus ad Ariminum et [l] Bononiam Florentina ditio, hoc eſt, infeſtiſſimus boſtis Coſmus opponitur. Aerario denique ſuperioribus bellis et ultimi pontificis incuria exhauſto, nulla in milite, licet optimo abundet [m] Umbria, nulla in locorum firmitate ſpes eſt, quae ad tanti hoſtis, omneis contra pontificem opes colligentis, impetus ſuſtinendos par ſit. Quo ergo nobis foedus nuper ictum? quo tibi? niſi ut nos infeſtiſſimis Hiſpanis, ſi non ad praedam, ſaltem ad ludibrium exponeremur, et magno tuo damno, certe dedecore, nam hoc pontifici, cujus parteis heic ſuſtineo, apud te liceat, ſanctae ſedis auctoritas et illuſtris familiae, quae ſe tibi ultro in clientelam dedit, ſalus hoſti proderetur? Atqui de prolixa tua erga pontificem et univerſam illius domum benevolentia et invicta ad pericula animi magnirudine nihil

INTERPR. [a] *Louis de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [b] *d'Avanſon.* [c] *Pays-bas.* [d] *le Milanois.* [e] *Piedmont.* [f] *la Toſcane.* [g] *le duc d'Albe.* [h] *Naples.* [i] *Aſcoli & Terracina.* [k] *Rimini & Montalto.* [l] *Bologna.* [m] *la Romagna.*

CIƆIƆLVI.
Henricus II.

nihil tale cogitari, nedum ſuſpicari fas eſt: nec te niſi de rebus noſtris atque adeo tuis male inſtructum in inducias tam alieno tempore conſenſiſſe mihi perſuadere unquam pntui. Quo majorem in ſpem adducor, fore, ut, cum res, uti ſe habent, pro prudentia tua diligenter et mature conſideraveris, conſilium et tibi honorificum et nnbis ſalutare, utriſque denique neceſſarium, tandem ſumas. Sed multos, ut audio, qui apud te plurimum poſſunt, fidei datae ac jurisjurandi pactis interpoſiti religio movet; qua ut nihil principi antiquius eſſe debere minime inficias ierim, ita eos, qui pietatem ſuae opinioni praetexunt, videre etiam atque etiam oportet, ne, dum rigidi religionis aſſertores haberi volunt, religionem ipſam in diſcrimen adducant: quod procul dubio accidet, ſi pontificem tam neceſſario tempore deſeras, ad cujus defenſionem et majorum exemplum et fides nuper data et tua denique te pietas obligat; quae omnia prius violes, et divina atque humana jura confundas, neceſſe eſt, ſi induciarum pactis ſtare velis. Quid enim, quaeſo, magis ab omni jure et ratione alienum, quam ſi, quod hoſtis impius in inferenda injuria ſibi licere exiſtimat, id tibi in propulſanda non liceat? aut quid magis aequitati conſentaneum, quam ut, ſi Hiſpanis bello pontificem oppugnare, induciis manentibus, licet, tibi eum tueri et ab omni damno protegere, ſalvo jure induciarum, liberum ſit? Adde, quod, quae tua pietas eſt, tabulis etiam pontificem cnmprehendi voluiſti; cujus proinde periculum negligere non pntes. Abſit enim, ut quidquam de tua clementia et magnanimitate non omni laude dignum exiſtimemus, aut nobis perſuadere poſſimus, ut, quod ſolius gloriae ergo et animi gratia, qui beneficiis de hominum genere bene mereri gaudes, ſaepius feciſti, id in cauſa pontificis, quae cum tua exiſtimatione atque adeo periculo conjuncta eſt, non facias. Tu Parmam nuper, tu [a] Mirandulam, tu denique [b] Senenſium civitatem ac libertatem contra communem Italiae hoſtem texiſti. Franciſcus vero auguſtiſſimae memoriae parens tuus in cauſa longe diſſimili, quae nec invidia apud Catholicos principes caruit, Germaniae principibus ac civitatibus praeſto fuit, cum jure vereretur prudentiſſimus rex, ne debellata Germania victricia arma in Galliam verterentur: et, quod ille vel ſerius inchoata re vel morte praepeditus exſequi non potuit, id tu dignus tanto patre filius icto nuper cum Mauritio ſeptemviro foedere feliciſſime perfeciſti. Quod ſi in Proteſtantium cauſa, quae tanta invidia et odio flagrabat, aequi ac periti rerum aeſtimatores prudenter te feciſſe judicarunt, quod periculo tuo eorum defenſione ſuſcepta in tempore praevertiſti, quid in pontificis cauſa te facere debere exiſtimas, quae et religionis cauſam annexam habet, nec minore cum tuo periculo et exiſtimatinne conjuncta eſt? Nam minime dubitare debes, ſi pontificem deſeras, cujus cauſa ſemper et ubique praecipua apud te eſſe debet, quin ceteri Italiae principes, qui in tuae clientelae umbra hactenus acquieverunt, exemplo eo territi protinus a tuis partibus defecturi ſint; ut nemo quiſquam deinceps reperiatur, qui in tuis opibus aut denique in tua miſericordia praeſidium collocare audeat: quod quantopere ad exiſtimationem tuam et Gallici nominis dignitatem pertineat, et ipſe ſcis, et omnes tui intelligunt. Erit igitur prudentiae tuae, clementiſſime ac ſapientiſſime rex, videre, ne gloriam a majoribus quaſi per manus traditam praepoſtera religione aut, ut verius dicam, intempeſtiva patientia amittas; neque committere, ut, tutiſſimum ſemper pontificibus et afflictis principibus apud Galliae reges perfugium quod fuit, illud nunc ab hoſtibus tuis illi a te deſerti miſeris precibus emendicare et eorum miſericordiam implorare cogantur. His et aliis rationibus cum ſenſim flecti regis animum, jam a [* [c] Valentina et] Guiſianis praeoccupatum, videret Caraſa, ut principi laudis avido et numeroſae prolis parenti ſtimulum adderet, mentionem de regno Neapolitano ad majorem illecebram renovavit; quo in bello cum pontifex

P. D. o. f. [* *ſtrige illa et*]

INTERPR. [a] *Mirandola.* [b] *Siena.* [c] *la duchesse de Valentinois.*

pontifex milite optimo, commeatu copioſo, commodiſſimo in provinciam aditu, ac denique portuum ad exponendum externum militem commoditate adjuturus eſſet; non quod de ea expeditione tot difficultatibus impedita bene ſperaret, uti [* Guiſianis] perſuaſerat, ſed quod, commiſſis rurſus inter ſe Gallis et Hiſpanis, cum belli funeſti eventum fore confideret, ut utrique tandem bello feſſi civitatibus et oppidis, quae in Etruria tenebant, cederent, et ea in pontificis ac ſuorum manus devenire paterentur. Nam de [a] Senarum civitate Caeſarem non ita obſtinate pugnaturum apparebat, modo reliqua Etruria Galli abſcederent; et Galli, qui non niſi damnoſis ſumptibus bellum in Etruria ali poſſe animadverterent, eam pacificationis rationem libenter amplexuri videbantur, qua, Senenſibus reſtituta in ſpeciem libertate, ab ingratis armis, quae pro ipſorum republica cepiſſent, honeſtius diſcederent. Addit Alexander Andreas, harum rerum diligens ſcriptor et inſpector, factam praeterea a Carafa ſpem de [b] Bononia, Ancona, Paliano, [c] Centumcellis, atque ipſa Romae [d] arce, quae S. Angeli vulgo appellatur, pignoris loco regi tradendis. Tandem bellum pro pontificis defenſione decretum, poſtquam Carafa regem jurisjurandi induciarum pactis interpoſiti religione, poteſtate ſibi a pontifice tradita, ſolvit, libertatemque ei fecit, in Caeſarem et ejus filium etiam ſine praecedenti belli denunciatione impetum facere. Delecti ad id gerendum in Italia regis nomine P. Strozzius, et Blaſius Monlucius, Senenſium rogatu, [e] Subizae, qui ad [f] Ilcini-montem erat, ſucceſſor deſignatus, tantiſper dum exercitus in Italiam, duce Guiſio, pontificis et Carafarum auxilio mitteretur. Inde Carafa Lutetiam regni metropolim, tanquam pontificis legatus, ſolita pompa ingreditur; ubi cum ſignum crucis, ut fit, ederet, verborum, quae proferri mos eſt, loco, ferunt eum, ut erat ſecuro de Numine animo et ſummus religionis deriſor, occurſante paſſim populo et in genua ad ipſius conſpectum procumbente, ſaepius ſecreta murmuratione haec verba ingeminaſſe, Quandoquidem populus iſte vult decipi, decipiatur. Dein [g] Convenarum etiam epiſcopatu, quo ſe in ejus gratiam Joannes [h] Bertrandus Franciae procancellarius ultro abdicaverat, a rege donatus eſt. Cumque menſe Junio proximo regina uno partu duas filias enixa eſſet, pro una Carafa rogatus fidejuſſit, eique Victoriae ſuperbum nomen indidit, ſive ob proſperos et indeſinenteis fere praeteritorum annorum ſucceſſus, ſive ob ſpem temere ab omni ipſius familia de futuris triumphis conceptam, quae mox cum infantis vita ipſiuſque ſororis, quae Joanna dicta eſt, brevi evanuit. Dum haec fiunt, [i] Motulenſis legatus ad Caeſarem miſſus, cum ad [k] Moſae-trajectum veniſſet, antequam eum conveniſſet, a Carafa in Galliam revocatur; quod Caeſarianos, jam antea nihil de pontificis conſiliis pacificum expectanteis, atque ex eo praecipue tempore, quo Palianum muniri coeperat, in opinione praecepta confirmavit; nimirum res ad bellum in Latio ſpectare. Itaque [l] Albano ſtatim a Philippo rege mandatum, ut, non expectato dum auxiliares copiae noſtrae advenirent, ipſe exercitum educeret, et hoſtili manu munitiones Paliani coeptas interpellaret. Sic enim judicabat, ſi mature exercitus egrederetur, et caſtra ad urbis uſque portas promoverentur, fore, ut pontificem viribus imparem ſuſcepti temere a ſuis belli poeniteret, et, antequam auxilia noſtra conveniſſent, ſoluto foedere, aequis et honeſtis conditionibus tranſigeretur. Eo conſilio Albanus, quo imparatiores pontificios opprimeret, Pyrrhum [m] Loffredum ex clara [n] Trevici marchionum familia ad pontificem legaverat, ſi qua ratione res componi poſſet, ut hac ſpecie eum ludificaret: ſed contraria ludificatione uſus pontifex, cum putaret, non prius ad arma deſcenſurum Albanum, quam, re infecta, Loffredus rediiſſet,

P. [* *Guiſianis ambitione caecis*]

INTERPR. [a] *Siena.* [b] *Bologna, Ancona, Paliano.* [c] *Civita-vecchia.* [d] *caſtel S. Angelo.* [e] *le ſeur de Soubize.* [f] *Montalcino.* [g] *Comminges* [h] *Bertrand, garde des ſceaux.* [i] *l'evêque de Motola.* [k] *Maeſtricht.* [l] *le duc d'Albe.* [m] *Loffredo.* [n] *Trevico.*

CIↃIↃLVI. HENRICUS II.

rediiſſet, ipſe, qui cardinalis Carafae e Gallia reditum, quem crebris literis interea urgebat, in dies praeſtolabatur, legatum ad proximum ſemper coofiſtorium remittebat. Igitur Albanus, non expectato Loffredi reditu, caſtra promovet. Qua re praeter modum irritatus pontifex, qui verba ab Albano, quem fallere in animo habebat, ſibi dari querebatur, legatum, nulla juris gentium habita ratiooe, in carcerem conjici juſſit; ex quo non prius dimiſſus eſt, quam pax inter Philippum et pontificem anno ſeqnenti convenit.

VIII. IN Albani exercitu erant VIII CIↃ Italorum, ex regni delectibus, duce Veſpaſiano Gonzaga, IV CIↃ Hiſpanorum, quibus praeerat Sanctius Mardones ſub Garſia [a] Toletano, VI equitum vexilla, duce M. Antonio [b] Columna, et CIↃ CC levis armaturae equites, duce Joſepho [c] Cantelmo Popolii comite, qui nuper, relicto pontifice, ad Albanum tranſierat; XII denique machinae bellicae, quibus praefectus fuerat Bernardus Aldana, is, qui, ignominioſam mortem paulo ante Viennae Auſtriae elapſus, hoooriſicum hoc munus ſub Albano plus aequo genti ſuae favente meruerat. Praefectus annonae conſtitutus eſt [α] Lupus [d] Mardones, caſtrorum Aſcanius [e] Corneus. Is initio ob nimiam libertatem pontifici in ſuſpicionem venerat: ſed, cum in bello, qood Antonius Carafa cum [f] Baloei comite geſſit, fidam admodum operam navaſſet, tantam ſuae probitatis ac virtutis opinionem apud Carafas excitavit, ut ei [g] Velitras praecipuom ditionis pontificiae propugnaculum cuſtodiendum crederent: ſed rurſus obtrectatorum malevolentia effectum eſt, ot ſuſpectus eſſe inciperet; et Hiſpani, qui tanti momenti ducem Carafis eripere ſatagebant, quo eum magis ſuſpectum redderent, literas artificioſe confictas, quibus eum ad defectionem ſolicitabant, in Caraſarum maous tradi curavere. His acceſſere et aliae literae, notis ſcriptae, Roma a Garcilaſſo [h] Vega, quibus Cornei mentio fiebat, miſſae, et a Carafis interceptae; ob quas Vega pontificis juſſu in carcerem conjectus fuit. Captus et cum eo Joannes Ant. [β] [i] Taxis, paraveredariorum Philippi praefectus; qui ſevere admodum interrogatus cum multa confiteretur, quae conceptam prius de Coroeo ſuſpiciooem augerent, moroſus ſenex, qui omnia ad religionis cauſam referret, clam per Inquiſitores in Corneum decerni jubet: moxque mittitur ad eum comprehendendum Papirius [k] Capiſuccus; et Fulvius cardinalis [l] Peruſinus ipſius frater in arcem truditur; utrique ademptis omnibus bonis, quae illi ampliſſimae io poſſeſſiooibus ac praeſenti pecunia Romae et Peruſiae habebant; ob eandem cauſam pleriſque ex ipſorum amicis et cognatione proximis in arctiſſimam cuſtodiam Peruſiae conjectis. Nec multo poſt Camillus Columna, et ipſius frater ſacris addictus, nec non Julianus Caeſarinus pariter in arcem truſi. Unde indignatione merito contracta, Albanus [m] Julium Tolſam Sanvalentinum comitem ad pontificem legat, conqueſtum, quod non ſolum exſules Neapolitanos ac Florentinos receptaret, ſed etiam jure gentium violato Philippi miniſtros, dum per diſpoſitos equos per Italiam diſcurrunt, cepiſſet, et regis literas reſignaſſet, ac Romae nuper Vegam regis oratorem, cujus perſona apud eum ſacroſancta eſſe debuerit, in carcerem injurioſe conjeciſſet: earum injuriarum, quae diſſimulari non poſſint, niſi ſatisfieret, ultorem fore Philippum. Ad quae pootifex, cum ad cardinalium collegium relaturum ſe promiſiſſet, poſtremo hoc reſponſum dedit: pleraque, de quibus ab Albano querela inſtituta eſſet, inficiatione ſola dilui: ceterum ſe liberum principem eſſe, qoi actionum ſuarum ratiooem nemini reddere teneatur: immo ſibi jus in omnes terrae principes, utpote ſe inferiores ac ſibi ſubjectos, eſſe; qui proinde rationem ſibi reddere teneantur: ad Vegam quod attinet, fines mandati egreſſum illum et muneris ſui oblitum eſſe; quippe ſeditionum, machinationum,

VAR. LECT. [α] Lopezius P. D. o. f. d. [β] Taxius P. D. o. f.

INTERPR. [a] *de Tolede* [b] *Colonna.* [c] *Cantelmo, conte di Popoli.* [d] *di Mardones.* [e] *della Cornia.* [f] *Bagno.* [g] *Veletri.* [h] *de la Vega.* [i] *de Taſſis, maitre des poſtes.* [k] *Capizucchi.* [l] *da Perugia.* [m] *Giulio della Tolfa, conte di San Valentino.*

machinationum, conſiliorum clam in ſanctam ſedem et ſe initorum participem: ob id jus illud inviolabile, quod ad defenſionem obtendat, culpa ſua amiſiſſe: ut meruerit, ſic habitum eſſe, et nunc etiam haberi; proindeque male et inique ſactum Philippum, ſi ſe injuſtae cauſae ultorem praebeat: verum ſe minis minime terreri, quo minus ad ultimum uſque vitae ſpiritum, quod juſtum et dignitati ſuae ac ſanctae ſedi conveniens ſit, conſtanter tueatur. Ita remiſſus Sanvalentinus: et cum eo miſſus Dominicus [a] Niger nobilis Romanus, qui haec mandata a pontifice ad [b] Albanum deferret. Firmata interea novis praeſidiis urbs; ejuſque cuſtodiae impoſitus Camillus [c] Urſinus Nomentanus. Senatus Venetus in eo negotio ſe medium gerebat, cum inde a Philippi miniſtris ſolicitaretur, ut ſe creſcenti in dies Gallorum per Italiam potentiae opponeret, inde a pontifice invitaretur, ut foederi ſe adjungeret, miſſo etiam Antonio Carafa, et promiſſis ingentibus praemiis ex Hiſpanorum exuviis, ſi communi ipſorum opera externo jugo Italia liberari poſſet. Cum urgeret Carafa; hoc reſponſum a ſenatu, qui neutri parti favens ab utriuſque armis liberatam Italiam mallet, poſt crebras ſuper ea re habitas conſultationes tulit; debere pontificem, ſicuti communem parentem decet, pacis conſilia ſectari; neque committere, ut Italia rurſus accenſis in ea bellorum incendiis novo milite impleatur, et externis armis ad praedam pateat: periculo unumquemque proprio admoneri: hinc Turcum imminere, qui per Chriſtianorum diſcordias nova quotidie incrementa ſumat; hinc manifeſtam Dei iram ob oculos obverſari, ſaevientibus ubique per Italiam antea incognitis morbis, qui tot mortalium corpora ſingulis diebus depaſcantur: quod non ſine cauſa dicebatur; nam eo anno purpuratae febres paſſim in Italia ac Florentiae praecipue et locis vicinis primum graſſatae ſunt. Sed nihil movebatur pontifex; qui id unum agebat, ut Corneum, a quo ſibi metuebat, in poteſtatem redigeret. Miſſus ob id Papirius Capiſuccus cum literis fiduciariis ac teſſeris ad ſingulos ordinum ductores, ut eum in ſuas manus traderent. Verum ille, ab amicis monitus et innata ſagacitate periculum ſubodoratus, averſa porta clam cum paucis auſugit; et vix, dejecto ex equo equite qui ad eum comprehendendum miſſus fuerat, [d] Neptunum incolumis pervenit: ſparſoque ibi rumore, ſe ob ſeditionem a militibus excitatam [e] Velitris aufugiſſe, id tantiſper praeſidiariis perſuaſit, donec conſcenſa liburnica ſe periculo eripuit, et [f] Cajetam atque inde [g] Neapolim ad Albanum ſe contulit; a quo honorifice ſuſceptus et praecipua hac militiae dignitate ornatus eſt.

IX. EXPECTABANTUR et CIƆIƆ veterani Hiſpani ex [h] Inſubribus, et evocata IV CIƆ Germanorum: ſed, cum adventus eorum ſerior eſſet, Albanus cum eo, quem dixi, exercitu progreſſus pridie Non. Septembreis Germani-fanum venit, quo juſſi omnes convenire, et poſtridie [i] Fregellas ad [k] Lirim pontificiae ditionis municipium. Ibi cum reſciviſſet, Julium Urſinum [l] Fruſinonam IV vexilla intromiſiſſe, provideretque, ſi tempus muniendi loci illi concederetur, fore ut inde commode in regnum impetum facerent, praevertendum ratus, ad inſulam copias convenire jubet, haud procul a [m] Ciprano. Praemiſſus Garſias [n] Toletanus cum Hiſpano peditatu et aliquot equitum alis; cujus adventu opinione citius cognito, praeſidiarii noctu diſcedunt et locum deſerunt. Albanus ibi et [o] [1] Poſii per triduum commoratus vicina aliquot caſtella in fidem accepit, [p] Falvaterram, [q] Caſtrum, ac poſtremo [r] Ripium; cujus oppidani Columniis addicti, ubi ſenſere Albanum appropinquare, ſumptis armis ipſi pontificios praeſidiarios ceciderunt, et [s] Trentacoſtam eorum ducem ceperunt. Inibi copioſo reperto commeatu et refecto milite, Albanus ulterius procedit; ac

INTERPR. [a] *del Nero.* [b] *le duc d'Albe.* [c] *Orſino da Lamentano.* [d] *Nettuno.* [e] *Veletri.* [f] *Gaeta.* [g] *Naples.* [h] *le Milanois.* [i] *Ponte-Corvo.* [k] *il Garigliano* [l] *Fruſolone.* [m] *Ceperano.* [n] *de Tolede.* [o] *Poſi.* [p] *Falvaterra.* [q] *Caſtro.* [r] *Ripi.* [s] *Trentacoſte.*

NOT. [1] Poſii. *Put.*

CIƆIƆLVI.
HENRICUS II.

ac [a] Verulum Garſiam praemittit, ubi [b] Baricellus Fabrianenſis et Laurentius [c] Peruſinus cum II Italorum vexillis erant; admotiſque tormentis, nam praeſidiarii deditionem facere recuſabant, capta urbs et ſpoliati milites. [d] Baucum miſſus Veſpaſianus Gonzaga Joannem [e] Vaſconem Florentinum et Thomam [f] Camertem cum cohortibus ſuis oppreſſit. Mox promoto [g] Anagniam verſus exercitu, [h] Privernum, Terracina, [i] Acutium, [k] Fumonium, [l] Ferentinum et Aletrium ultro deditione facta in Albani poteſtatem venere. Majus in Anagnia capienda negotium fuit; in quam Carafa cardinalis, qui ſub id tempus e Gallia redierat, Camilli [m] Urſini, qui rem bellicam per ejus abſentiam adminiſtraverat, pertaeſus, Torquatum [n] Contium cum ıɔ ccc peditibus Italis immiſerat. Admota ad eam partem, quae occaſum ſpectat, IV majora tormenta et II colubrinae, ubi Garſias cum Hiſpano peditatu hoſpitium habebat: ex adverſa, quae ad Franciſci-fanum oppoſita erat, Gonzaga cum III tormentis verberationem inſtituere juſſus; qua per triduum continuata, et parte muri dejecta, quidam milites immiſſi in ruinam inſilire, ſed irrito conatu; non tamen ſine vehementi praeſidiariorum terrore, qui nocte inſequenti, quae in XVII Kalend. Octobreis incidebat, clam elapſi cum duce ſuo per vallem, quae Acutium ducit, ſumma celeritate, paucis amiſſis, nam per hoſtilis equitatus metata tranſeundum erat, pars [o] Palianum, alii [p] Tibur et inde Romam contenderunt. Mane cum hoſtes vacua defenſoribus moenia conſpicerent, injuſſi irrumpunt, et oppidum diripiunt. Ingruentibus demum, ut fit, per autumnum pluviis admodum moleſtis, cum luto corruptis itineribus tormenta commode duci non poſſent, ne nihil interea ageretur, per Thomam Manricem Dominicanum, natalium ſplendore et vitae ſanctitate conſpicuum, Roma a delectis VI cardinalibus miſſum, et mox per Franc. Paccum, ab Albano cum Manrice Romam remiſſum, de concordiae ineundae ratione agi coepit; tandemque convenit, ut Albanus cum cardinali Carafa ad coenobium, cui [q] Cryptae-ferratae nomen, inter [r] Marinum et [s] Tuſculum colloqueretur. Secundum haec Didaco Veleſio negotium datur, ut [t] Fruſinonam muniret: et [u] Sarni comes cum ıɔ Italis et c equitibus Anagniae imponitur. Ipſe Albanus [x] Labicum cum exercitu, Paliano ad laevam relicto, proficiſcitur, quod Joannes Bapt. Contius ex conſilio Aurelii [y] Fulgoſii, qui eo Roma venerat, ut locum luſtraret, et cum commode defendi non poſſe judicabat, ac [α] [z] Segninum pariter in Albani manus honeſtis conditionibus tradidit.

X. SUB id tempus Joannes [aa] Luna, arcis Mediolanenſis praefectus, qui in [bb] Belgium ſuperiore anno ad Caeſarem, urgentibus Ferd. Gonzagae amicis, cum Franciſco [cc] Ibarra profectus fuerat, ut de criminibus Gonzagae objectis rationem redderet, (nam is praecipue illum adminiſtratae male provinciae inſimulaverat) indignam gratiam meritis ſuis reddi indignatus, et nuper egregiae navatae bello Senenſi operae memoriam calumnioſis inimicorum delationibus tam facile oblitterari, ad regem, relicto Caeſare, tranſiit, datis ad filium, quem in arce Mediolanenſi reliquerat, literis, quibus eum de conſilio certiorem faciebat, et, ut arcem in proregis manus traderet, mandabat. Id aliquandiu ſuſpenſos in [dd] Inſubribus Hiſpanorum animos tenuit, quod eam defectionem majoris molis initium eſſe vererentur, donec cardinalis [ee] Tridentinus, qui provinciae cum ſummo imperio praeerat, arcem a Lunae filio, quamvis teſſeram non haberet, recepit, et ei Alfonſum [ff] Peſcionem impoſuit, accepto a praeſidiariis juramento. Haud multo poſt Franciſcus [gg] Taberna, ſenatus Mediolanenſis cancellarius, accuſationis Gonzagae et ipſe particeps, qui Bruxellas ire noluerat, et valetudinem cauſatus ſe excuſaverat, Mediolani in carcerem conjicitur.

His

VAR. LECT. [α] Seguinum P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Veruli.* [b] *Baricello da Fabriano.* [c] *da Peruſia.* [d] *Bauco.* [e] *Guaſconi.* [f] *da Camerino.* [g] *Anagni.* [h] *Piperno* [i] *Acuta.* [k] *Fumone.* [l] *Ferentino e Alatri.* [m] *Orſino.* [n] *Conti.* [o] *Paliano* [p] *Tivoli.* [q] *Grotta-ferrata.* [r] *Marino.* [s] *Freſcati.* [t] *Fruſolone.* [u] *Sarno.* [x] *Valmontone caſtello.* [y] *Fregoſe.* [z] *Segna.* [aa] *di Luna.* [bb] *Pays-bas.* [cc] *d'Ibarra* [dd] *le Milanois* [ee] *Criſtofle de Madruce, cardinal de Trente.* [ff] *Peſſone.* [gg] *Taverna.*

Digitized by Google

His actis, quamvis omnia pacata in ſpeciem eſſent, tamen, commotis adhuc animis, Tridentinus et Piſcatius marchio, quo adjutore et conſiliario praecipue ille utebatur, minus aequo animo ferebant, milite provinciam nudari. Itaque [a] Albano, cujus alioqui gloriae non ita favebant, aegre auxilia ſummittebant. CIƆIƆLVI. HENRICUS II.

XI. ACCIDIT et tunc novus in Africa motus, qui auxilia Albano promiſſa retardavit. Nam Turci eodem tempore [b] Oranum inde terreſtribus copiis, [c] Caeſarea [α] Julia evocatis, inde claſſe expedita oppugnabant; et Luſitana princeps Hiſpaniarum regens Auriae mandaverat, ut triremeis huc illuc ſparſas colligeret, atque obſeſſis ſuppetias ferret. Verum obſeſſorum virtute effectum eſt, ut ſine ullis auxiliis res conficeretur: ſiquidem [d] Alcaudetus comes, qui loco praeerat, eruptione facta multos ex hoſtibus cecidit, atque ipſos ab obſidione diſcedere coëgit.

XII. PARTE alia, M. Antonius [e] Columna, media nocte cum IƆ CCC cataphractis equitibus caſtris egreſſus, ad portas uſque urbis excurrit, et, fruſtra inſidias molitus, ſi forte incogitanteis pontificios intercipere poſſet, multis gregibus et armentis abactis, retro ceſſit. Id magnum terrorem urbi injecit: nec tamen ad condictam diem comparuere cardinales, nec eorum nomine quiſquam; cum Albanus magno comitatu eo veniſſet. Quod ille ita interpretabatur, quaſi Caraſarum conſilium fuiſſet, ipſum, ſi eo cum paucis veniſſet, intercipere: quod cum facere ſe non poſſe viderent, noluiſſe eo venire. Sed vero ſimilius ſit, id eo conſilio a Caraſa factum, ut colloquii negotio in longum extracto tempus ſuis daretur [f] Velitras et Palianum muniendi, et IIIƆ Gallorum Vaſconum, quos ipſe ſecum ex Gallia et in itinere ex Corſica advexerat, ducibus [g] Charrio et M. Antonio Monlucio Blaſii filio, quibus Bonifacius [h] Mola cum ſummo imperio praeerat, commode per vicina praeſidia diſtribuendi, atque in omnem eventum, quid hoſtis facturus eſſet, circumſpiciendi. Nam in eorum caſtris militum numerus in dies minuebatur: et allatum erat, Germanos e [i] Gallia Ciſalpina evocatos non venturos. Cum fruſtra fuiſſet colloquium, Albanus copias [k] Tibur ducit: de quo antea et de Velitris delibetatum fuerat, utrum prius tentandum eſſet. Tandem Velitris omiſſis, quae optimo milite ac concordi populo firmatae et alioqui ſitu egregie munitae erant, Tibur iter inſtituit, quo ſe Franciſcus [l] Urſinus cum CCCC Italis incluſerat: ſed, cum locum contra tam potentem exercitum defendi non poſſe appareret, Caraſa eo Bl. Monlucium mittit, cum II alis levis armaturae, quae pontificis cuſtodiae inſerviebant, et II alis cataphractorum equitum, qui ſub Paliano, ducibus Ambroſio et Bartholomaeo Epirotis, merebant; CCCC etiam ſclopettariis, ducibus M. Antonio Monlucio et Charrio. Is noctu ſumma celeritate profectus, cum Tibur veniſſet, Urſinum nihil de hoſtium adventu cogitantem periculi admonet, et, brevi ad cibum capiendum conceſſo ſpatio, ſtatim vaſa conclamari jubet. Vix oppido cum ſuis exierat Urſinus, medio inter ſe atque hoſtem fluvio, quem vado tranſiri non poſſe affirmaverat Caraſa, cum Hiſpani ſupervenere; quos aliquanto tempore remoratus eſt Monlucius, qui ultimum agmen claudebat, dum pons interea amni mediam urbem interſecanti impoſitus abrumperetur: in quo certatum aliquandiu. Tandem egreſſi noſtri omnes non citra ingens periculum, ſine damno tamen, incolumes ſe Romam recepere, Aſcanio [m] Corneo, qui eos inſequebatur, ſubito ab Albano revocato. Dedito Tibure, Albanus recta vicum [n] Valerium ditionis Urſinae oppidum tendit, quo Urſinus Tibure diſcedens cum ſuis profectus fuerat. Locus eſt in [o] Anienis ripa exigua arce firmus; quem dum Urſinus munire deproperat, pluviis ingruentibus impeditus, ſuperveniente hoſtili exercitu deſerere coactus fuit, in Aſcanii Cornei manus deditione facta; quod viam ad commeatum [p] Taliacotio importandum

VAR. LECT. [α] Julia *deeſt* P D o.

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Oran.* [c] *Alger.* [d] *Alcaudete* [e] *Colonna* [f] *Veletri e Paliano.* [g] *le capitaine Charry.* [h] *de la Mole.* [i] *Lombardie* [k] *Tivoli.* [l] *Orſino* [m] *della Corna* [n] *Vicovaro.* [o] *Teverone,* hodie *Aniene.* [p] *Tagliacozzo.*

importandum, et liberum ex [a] Aprutina regione tranſitum hoſti aperuit. Arx a L circiter praeſidiariis adhuc tenebatur; quorum dux a Corneo ad colloquium evocatus, cum imprudenter egreſſus eſſet, ab eo retentus eſt, nec prius dimiſſus, quam, dedita arce, Hiſpani in eam accepti ſunt.

XIII. INTEREA Romae omnia valde confuſa erant, tam propinquo hoſte, neque pontificiis exire auſis: nam Camillus Urſinus, penes quem armorum ſumma in urbe erat, deſtructis pleriſque domibus ac templis, ad [b] Flaminiam portam intra pomoerium munitiones excitabat, ac domi militem continebat: quod populo non ſolum moleſtiam, ſed magnam animi conſternationem afferebat, quaſi de reliquo actum eſſet et ſola ſpes in urbis moenibus ſuperaret, contra ſentiente B. Monlucio, qui ad famam, qua plerumque bella conſtant, et ut terror ex populi otio et deliciis aſſueti animis eximeretur, neceſſarium eſſe dicebat, ut extra urbem caſtra munirentur. Cum itaque pontificis permiſſu, in Joannis Avanſonii regii oratoris aedibus conventu facto, ad populum militarem orationem habuiſſet Monlucius, et eum recenti Senenſium exemplo ad virtutem hortatus eſſet, Velitras, quibus metuebatur, ut auxiliareis introduceret, mittitur: quod ille familiari ſibi celeritate perfecit: immiſſiſque in oppidum II cataphractorum equitum alis, nec mora ibi ulla facta, ne in reditu interciperetur, ad ſuos incolumis pervenit, XL circiter milliaria emenſus nuſquam intermiſſo itinere. Monlucii ſagacitatem approbavit exitus. Nam, ubi de ejus profectione cognitum eſt, IↃ circiter equites ab [c] Albano emittuntur, qui duarum horarum ſpatio ſetius Marinum convenere, et, praetervecto jam cum ſuis Monlucio, fruſtra fuere.

XIV. [d] NEPTUNUM, Antii ruinis ſuperſtructum municipium, quod Columniorum eſt, juxta mare foſſa ac propugnaculis, quae ipſo mari alluuntur, firmum, prominet. Hujus municipes charitate erga dominum incitati ſub id tempus rebellaverant, male mulctatis praeſidiariis et eorum duce a Carafis impoſito. Quo cognito, Albanus eo ſtatim auxiliareis miſerat, duce Moreto Calabro, qui locum adverſus pontificios ſupervenienteis magna virtute defendit. Eodem Albanus navigia aliquot ſubvehi curaverat, quibus pontem ſterneret, et Tiberim juxta Oſtiam copias traduceret. Id ubi [e] Polinius, qui [f] Centumcellis erat, reſcivit, ad Strozzium ſcribit; et, ſi quidem pedites idoneo numero ſummittantur, fore dicit, ut eos triremibus ſuis acceptos ad Neptunum exponat, quorum ope parata illa navigia incenſurus ſit. Eo profecti M. Antonius Monlucius et [g] Charrius cum CCCC delectis ſcloppetariis. Sed conſilium fruſtra fuit, quod hoſtes navigia vallo tecta in litus ſubduxiſſent, ita ut iis artificioſi noſtrorum ignes nocere non poſſent, Moreto egregiam in eo operam navante. Albanus vero, qui de eo conſilio cognoverat, ſtatim eo Aſcanium [h] Corneum cum CIↃCC equitibus et XII peditum ſignis miſerat, qui navigiis incendium defenderet, et noſtrorum conatus impediret. Cum per [i] Marinum iter haberet, quo M. [k] Antonius Columna, utpote in ſuo, diverterat, forte accidit, ut Monlucius parens, qui de Columna intercipiendo ſpem conceperat, cum rapta manu ex Paliani et Aurelii Fulgoſii equitum alis, adducto praeterea ſecum Bonifacio [l] Mola, Strozzii permiſſu illuc profectus in inſidiis juxta municipium lateret, praemiſſis aliquot, qui hoſtem ad certamen elicerent: ſic enim fore judicabat, ut Columna decoris bellici deſiderio, quod in juvenili aetate efferveſcit, provectus ſubito egrederetur, et in inſidias praecipitaret; tantaque fiducia id ſibi perſuaſerat, ut jam captivum tenere ſibi videretur, et, redemptionis pretii, quod ad XXC aureorum CIↃ aeſtimabat, ratione diligenter putata, quid in ſocios erogaturus, quid ſibi ſumpturus eſſet, ampliſſimas poſſeſſiones, quas ex ea pecunia juxta Lutetiam empturus eſſet, jam animo imaginaretur.

Sed,

INTERPR. [a] *Abbruzzo.* [b] *porta del popolo* [c] *le duc d'Albe* [d] *Nettuno.* [e] *le baron de la Garde.* [f] *Civita-vecchia.* [g] *le capitaine Charry.* [h] *della Cornia.* [i] *Marino* [k] *Marc. Antonio Colonna, fils aîné d'Aſcanio Colonna, duc de Paliano, & grand conneſtable de Naples.* [l] *de la Mole.*

Sed, cum ſuperventu Cornei conatus fuiſſet impeditus, et in ejus caput periculum converſum quod alteri parabat, ſpes de repentinis illis divitiis evanuit, eventuque at non riſu caruit; quod malo ex ipſius Monlucii commentariis, quam ex ridicula praeter rem narratione heic diſcas. Fama tamen de ea tanquam ingenti victoria ab Hiſpanis ſparſa, quaſi CC equites caeſi fuiſſent, ſic enim ſcribit Alexander Andreas, etiam ad regis aures pervenit; qui hoc nuncio primum turbatus eſt: mox, ubi rem, uti habebat, intellexit, triſtitia in riſum vertit. Jam ponrificiae omnes copiae convenerant: et Alexander Columna ad VI CIↃ peditum ex [a] Latii delectibus coëgerat, et circiter IↃ C levis armaturae equites: Aurelius [b] Fulgoſius CIↃ IↃ ex Umbria optimos milites adduxerat: Joannes Antonius [c] Titaldus eodem tempore [d] Peruſiae et Aſculi delectus habuerat: eandemque ob cauſam Ant. Carafa [e] Bononiam profectus [α] fuerat: erant et in caſtris II CIↃ circiter Vaſconum: ita ut totus exercitus X CIↃ peditum et CIↃ CC levis armaturae equitibus conſtaret: cum quibus ſi initio obviam Albano prodiiſſent, neque ſe urbis moenibus incluſiſſent, procul dubio non ſolum hoſtium impetus prohibuiſſent; ſed, iis repulſis, populos in regno rerum novarum cupidos ad ſeditionem excitaſſent. Qui error ſummus ponrificiorum fuir Camillo [f] Urſino attributus, qui jam ſenex, ac proinde in rebus gerendis cautior, tutiora fere quam generoſiora conſilia ſectabatur. Inter omnia loca, quae tenebant Carafae, Palianum firmis admodum praeſidiis muniverant, cui Julius Urſinus, et [g] Velitras quibus Hadrianus [h] Baleonus, praeerat, in locum ducis Somae nuper ſuffectus: et inde vicinis adeo praeſidiis crebro certabatur, dum pontificii annonae tranſitum impedire conantur, quae copioſior ex [i] Inſula municipio, ex eo quod in aquis [k] Fibreni juxta [l] Lirim poſitum ſit cognominato, in hoſtium caſtra comportabatur. Nam Veſpaſianus Gonzaga ab Albano propterea [m] Labico cum IↃ CCC peditibus et CCC equitibus impoſitus fuerat, ut commeatum importantibus praeſto eſſet, et pontificiorum excurſiones prohiberet. Cumque Julius Urſinus, incenſo [n] Serra vico, III milliarium ſpatio a Paliano diſſito, qui hoſtibus ibi ſaepius inſidias ſtruentibus Paliano ſummopere incommodabat, cum V ſignis peditum et IV machinis exiiſſet, ut [o] Pilium ditionis Columniae caſtellum occuparet, ſuperveniente [p] Sarni comite, qui [q] Anagniam praeſidio tenebat, non ſolum interpellatus ſed poſt acre certamen retro cedere coactus eſt. Interea Antonius Catafa Bononia profectus cum exigua manu Aſculum venit, [r] Truenti amni impoſitum, qui Picenum et ditionem pontificiam a Samnio et regno ab ea parte dividit; ubi ex [s] Montorienſi agro collectis militibus, juxta mare ſuperum in regnum deſcendit, et [t] Curteguerram capit; impoſitaque in eam cohorte [u] Corropolim aggreditur, ſed irrito ſucceſſu. Nam oppidani, ſeu virtute propria, ſeu minis Trevici marchionis, qui [x] Aprutino limiti ab Albano praefectus fuerat, et periculo ſuo territi, ne mox capti reciperentur, et ſeveram caſtigationem experirentur, in fide permanſere: dum interim Carolus Loffredus marchionis filius, cum ala equitum in pontificiam ditionem evagatus, magnis praedis abactis, ad [y] montem S. Pauli uſque juxta Aquavivam excurreret. Marchioni Albanus, cum [z] Tibure eſſet, CIↃ IↃ ſummiſerat, cum is jam ex regni delectibus circiter II CIↃ, et CIↃ Neapoli nuper miſſos in caſtris haberet: ad haec [aa] Aquila Samnii caſtello II mediocria tormenta per loca aſpera et inaequalia cura ac diligentia Bartholomaei [bb] Ruecae Hiſpani machinarum praefecti [cc] Popolium et Piſcariam deduxerat, cum Carafa ſigna collaturus, niſi ſe ille propere Aſculum recepiſſet. Rei pecuniariae anguſtia laborabant pontificii, aerario

VAR. LECT. [α] fuerat; ſed ob rei nummariae penuriam fruſtra: erant P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Campagna di Roma.* [b] *Fregoſo.* [c] *Tiraldo.* [d] *Perugia & Aſcoli.* [e] *Bologna.* [f] *Orſino da Lamentano.* [g] *Veletri.* [h] *Baglioni.* [i] *Iſola.* [k] *Fibreno* [l] *il Garigliano.* [m] *Valmontone.* [n] *Serrone* [o] *Piglio* [p] *Sarno.* [q] *Anagni.* [r] *il Tronto, che divide il regno da quella parte dal Abbruzzo del dominio della chieſa.* [s] *contado di Montorio.* [t] *Contraguerra.* [u] *Corropoli.* [x] *Abbruzzo.* [y] *Monte S. Polo.* [z] *Tivoli.* [aa] *Aquila nel Abbruzzo.* [bb] *Ruecas* [cc] *Popoli & Peſcara*

CIƆIƆLVI.
HENRICUS II.

aerario ſuperiorum annorum bellis exhauſto: quod ut ſarcirent, centeſima inſtituta eſt, et nova ſubinde impoſita tributa, quae quantumvis gravia praeſentis belli neceſſitas excuſabat. Recedente Carafa, hanc occaſionem nactus [a] Trevicus [b] Ancaranum copias ducit, locum commeatu et ſitu commodum; ſtatimque, oppidanis deditionem facere recuſantibus, tormenta admoveri jubet: cumque, facta verberatione, milites jam in eo eſſent ut impetum in ruinam facerent, Trevicus ſuos revocat, et, deductis tormentis, retro Civitellam contendit, quod [c] Aſculo pontificios auxilio venire intellexiſſet: ſed, dum in via eſſet, cognito auxiliareis illos, qui CC tantum pedites delecti erant, obviis forte ſuis [d] Malinianum compulſos eſſe, illuc iter convertit; nullaque interjecta mora admotis tormentis et poſt VI nec amplius ictuum diſploſionem edita ingenti ruina, utpote muris infirmis et vetuſtate paene collabentibus, qui in municipio erant, arbitrio ſe Trevici permittunt. Direpto loco et ſpoliatis praeſidiariis, Trevicus Civitellam, quo primum iter inſtituerat, ſe contulit. M. Antonius Columna cum equitatu et III Italorum peditum ſignis Paleſtrinae, Popolii comes cum levi armatura ad S. Angeli caſtellum, ſubſederat. Albanus cum Hiſpano peditatu adhuc Tibure haerebat, ut militem labore et autumni intemperie fractum reficeret. Tandem collectis viribus de bello perſequendo deliberare coepit; et dubitabatur, utrum [e] Reate verſus tenderet, et ad [f] Eretum Tiberim tranſmitteret, atque ab ea parte limitem regni firmaret, ut jam ab altera, munitis [g] Fruſinona et Anagnia, fecerat; an vero Oſtiam tentaret, ibique tranſmiſſo amne Tiberii caſtrum, quod hodie [h] Cornetum vocant, occuparet, ſicque commeatum, qui inde Romam copioſus comportatur, intercluderet. Dum deliberatur, ſenatus Venetus Phoebum [i] Capellam reipublicae ab epiſtolis de pace legatum ad [k] Albanum mittit, publicoque nomine rogat, ut pontificiam ditionem, quam ex foedere et laudabili inſtituto majores ſui exteris armis peti nunquam paſſi eſſent, bello infeſtare deſineret. Ad ea ab Albano reſponſum; belli initium a pontifice factum, injurioſe Columniis ab eo habitis; quibus utpote clientibus ſuis Caeſar et Angliae rex in tam juſta cauſa et tali tempore deeſſe non poſſint. Sub id metatores [l] Palumbaram mittit, qui cohorti hoſpitium deſignarent. Inter oppidanos praecipui duo fratres erant; quorum major natu, dum deliberatur an praeſidium accipi debeat, auctoritate ſua pervicit, ne acciperetur, fruſtra reclamante altero fratre, qui, niſi admitteretur miles, vitae et omnium fortunarum periculum imminere providebat. Id cum ad injuriam ſuam pertinere exiſtimaret Albanus, ſtatim eo Veſp. Gonzagam cum delectis mittit, atque in iis Octavii [m] Albenantii cohortem; qui municipium vi cepit, omni ſaevitiae ac licentiae genere in eo uſus. Heic vero ille, qui militem admittendum cenſuerat, et fratris pervicaciam flectere non potuerat, poſt obſtinatum certamen cum augurium ſuum nimis verum fuiſſe videret, prudentiae in dando optime conſilio laudem non minus inſigni facinore cumulavit; et, Minime Deus ſinat, inquit, ut patriae, quam ſalutari conſilio meo ab interitu vindicare fruſtra conatus ſum, excidio ſuperſim, aut vitam, quam pro patriae defenſione impendere non quivi, hoſtis ludibrio ſervem. Quibus dictis, ſcloppeto ad pectus appoſito ac diſploſo, ſeipſum interfecit. Jamque Albanus, poſitis [n] Tuſculi caſtris, per [o] Cryptam-ferratam ac Marinum exercitui hoſpitia diſtribuerat: quo ex vicinis locis ac [p] Tibure praecipue quotidie commeatus importabatur, nullo plerumque comitante milite: unde conjectans pontificios procul dubio tam pulchram occaſionem non omiſſuros eſſe, [q] Popolio negotium dat, ut cum levi armatura loco commodo inſidias ſtrueret, et impetum facturos pontificios interciperet.

XV. Nec ſagacitati Albani eventus defuit: nam, cum Baltaſar [r] Rangonius cum CL equitibus urbe ſub veſperam exiiſſet, mane in inſidias a Popolio diſpoſitas incidit,

et

INTERPR. [a] *il marcheſe del Trivico.* [b] *Anzarano.* [c] *Aſcoli* [d] *Maliguano.* [e] *Rieti* [f] *Monte-ritondo.* [g] *Fruſolone & Anagni.* [h] *Corneto.* [i] *Capello.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *Palombara.* [m] *d'Abenante.* [n] *Freſcati.* [o] *Grotta-ferrata e Marino.* [p] *Tivoli.* [q] *il conte di Popoli.* [r] *il conte Rangone.*

et poſt aliquod certamen, ignorantia locorum cum in declive et undique foſſa circumciſum dumetum praecipitaſſet, caeſus et ipſe cum ſuis fere omnibus captus eſt, fruſtra annitente cardinali Carafa, qui cum ſuis auxilio ſupervenerat, ut Popolio eam victoriam eriperet. Nam ille, licet viribus inferior, cedendo et violentam impreſſionem eludendo ſenſim ſe in tutum cum praeda recepit, magna laetitia et gratulatione a ſuis acceptus. Carafa, re infecta, domum reverſus eſt. Eandem fortunam eſt expertus paulo poſt Bartholomaeus[a] Montius, dum negligentius agmen ducit a ccc circiter equitibus circumdatus et captus, paſſim ejus milite diffugiente, et impedimentis amiſſis. Eo caſu ultra modum conſternatis pontificiorum animis, atque ipſo[α] pontificis in primis, omnes ſic judicabant, fore, ut [b] Albanus victoria uſus recta Romam cum toto exercitu tenderet, qua potiturus haud dubie credebatur: ſed ille, adverſam anni tempeſtatem cauſatus, rem ſummis difficultatibus impeditam aggredi verebatur, cum provideret, ſi eventus conſilium comprobaret, res citra ſanguinem confici non poſſe, ac fore, ſi urbe potiretur, ut, amiſſis in certamine multis ex ſuis, ceteris praeda onuſtis, ac proinde in poſterum certamen detrectaturis, exercitus totus diſſiparetur.

CIↃIↃLVI.

HENRICUS II.

XVI. ITAQUE de Oſtia capienda conſilium repetit, et, excitato ad Tiberis fauccis munimento, eodem loco quo quondam C. Marius calamitoſiſſimis reipublicae temporibus caſtra metatus fuerat, urbem omni commeatu prohibere, jam obſtructa [c] Tiburtina via: et ita pontificem, antequam auxiliares copiae e Gallia advenirent, ad pacem aequis conditionibus faciendam ſtatuit adigere. Eo conſilio, impoſitis Tiburi, Tuſculo et Pontificiae-arci, ac per vicina loca idoneis praeſidiis, Oſtiam tendit: ac, ne ipſe, qui commeatus inopia pontificem vexare cogitabat, annonae penuria premeretur, ſuos omneis tantum tertiam lixarum et impedimentorum partem retinere jubet, et expeditos ad iter ſe accingere. Igitur Kal. Novembr. cum [d] Albam verſus Albanus incederet, quaſi ante oculos victricis urbis exercitus traductus eſt; et egreſſi aliquot equites levibus proeliis cum Hiſpanis certavere. Inde [β][e][1] Feroniam ad [f] Soractum montem tertiis caſtris ventum, praemiſſo Aſcanio Corneo, qui [g] Porcilianum et Ardeam in poteſtatem redigeret. Ardea ſtatim deditionem fecit. Ad Porcilianum amiſſis uno et altero ex ordinum ductoribus, cum oppidani initio deditionem facere recuſarent, tandem Aſcanio imperata ſe facturos oſtendunt. Aperta annonae via, quae [h] Neptuno et Marino ad alendum militem comportabatur, mox a Carafa dux Somae co miſſus, ut locum hoſti adeo commodum eriperet, fruſtra fuit, et cum ſuorum jactura inde diſceſſit. Tandem Tiberis ponte ſtratus, navigiis in eam rem [i] Cajeta comportatis, quae, annulis et catenis ferreis juncta et ſecundo flumine diſpoſita, deſuper tabulis inſtratis, pediti, equiti ac tormentis tranſmittendis uſum praebuere. Rebus ita ordinatis, Albanus tertiis caſtris Oſtiam venit: cumque praeſidiarii ad defenſionem ſe compararent, [k] Albenantius legionis dux cum Mario filio inibi fauciatus eſt; continuoque a Veſp. Gonzaga datum negotium Franciſco [l] Tolſae, Octavio Albenantio, Joanni Franciſco Carafae, ut portam urbis incenderent: ſed, cum propugnaculo munitam eam offendiſſent, res majoribus tormentis egere viſa eſt; iiſque admotis valvae refractae: quo facto, praeſidiarii urbe deſerta in arcem ſe receperunt. Urbe potitus Gonzaga et diſpoſitis per eam ſtationibus, in inſulam, in qua machinae bellicae erant, concedit. Albanus paulo infra cum Hiſpano peditatu et univerſo equitatu caſtra ponit, ac pontem ſterni jubet, tranſmiſſis in ulteriorem ripam majoribus tormentis; et rurſus uno inferius milliari, IↃ C a Tiberis faucibus circiter paſſibus,

VAR. LECT. [α] pontifice *P. D.* o f. d. [β] Feronine lucum tertiis *P. D.* o.

INTERPR. [a] *del Monte.* [b] *le duc d'Albe.* [c] *Strada di Tivoli.* [d] *Albano.* [e] *Luco di Feronia* [f] *Monte di S. Silveſtro.* [g] *Porcigliano & Ardea.* [h] *Nettuno & Marino.* [i] *Gaeta.* [k] *d'Abenante.* [l] *della Tolfa.*

NOT. [1] Alexander Andreas, unde deſumptus locus, ſic ſcribit, *s'ando ad alloggiare in un boſco verſo Patrica.* Put.

paſſibus, propugnaculum tumultuaria opera erigit. Inde totus impetus in arcem verſus, verberatione directa ad eam partem quae Tiberim reſpicit, firmo muro ac duabus turribus tectam; quarum altera, quae ad Septentrionem ſpectat, rotunda eſt, fluvio impendens; quadrata altera, ultraque foſſam haud admodum profundam habet. Ex inſula, quae in fluvio eſt, VI majoribus tormentis pulſati muri ex adverſo arcis, quam Horatius [a] Sbirrus cum CXIV delectis praeſidiariis tenebat; qui, ducta intus foſſa et erectis ad latera tumultuariis ex terra aggeſta propugnaculis, locum ſumma alacritate defendendum ſuſceperat. Huic ut animos adderet P. Strozzius, cum IIICIↃ peditum et CCC levis armaturae equitibus urbe exierat, ut, ſi hoſtes ab oppugnatione repellerentur, ad omnem occaſionem erumpentibus ſuis praeſto eſſet. Is in amnis Tiberim influentis margine ducta foſſa caſtra munit, haud longe inde coepto propugnaculo, ut Hiſpanorum excurſiones impediret. Per VII dies verberatione continuata, cum, fruſtra hortante [b] Corneo, praeſidiarii deditionem facere recuſarent, Veſpaſianus Gonzaga ab Albano impetrat, ut cum ſuis in ruinam quamvis aſcenſu difficilem primus impetum faceret: tum XV Kalend. Decembr. jactis inter duces ſortibus, primae partes Joanni Franciſco Tolſae ſunt delatae: hunc Dominicus [c] Maximus proxime ſequebatur, ac deinceps V alii. Albanus interea, tranſmiſſo ponte, equitatus partem in inſulâ reliquerat; altera M. Ant. [d] Columnae et [e] Popolio tradita, quibus negotium datum, ut Romam uſque excurrerent, quo pontificios auxiliareis tantiſper diſtinerent, dum in arcem impetus fieret. Dato ſigno, cum jam cum ſuis propinquaret Tolſa, in foſſam exſcenſurus in crure grave vulnus accipit: cumque Dominicum Maximum fere ſolum ac paucos alios ſubſequi videret, et nihilominus Veſp. Gonzagam retro cum omnibus ſuis in armis eſſe animadverteret, ulterius progreditur ad turrem uſque obviam; cumque jam Gonzaga prope eſſet, et omneis ad pugnam fortiter capeſſendam hortaretur, accepto in ſuperiore labro vulnere, inde aſportatus eſt: quo facto, retuſa prima illa alacritate, ſegnior miles ad impetum faciendum fuit, quamvis Tolſa, qui etiam ſaucius turri ſucceſſerat, nullum non ſtrenui militis officium eo die praeſtitiſſet. Tandem, reſidente militum ardore, Albanus, qui haud longe ſpectator aberat, Alvaro Acoſtae duci impigro imperat, ut cum delectis ex Hiſpano peditatu CCC ipſe ad Italos proficiſceretur, et certamen reſtitueret. Id ille ſumma celeritate exſecutus, ubi ad eos venit, praemiſſis II tormentis campeſtribus, quibus propugnatores repelleret, ſtatim in foſſam ſe demittit, et eadem alacritate in ruinam inſilit; cumque per foramen ipſe cum aliquot amicis ingreſſus eſſet, ibi interceptus a defenſoribus male cum ſuis mulctatur, acceptoque ingenti vulnere haud multo poſt deceſſit. Ad haec aliud acceſſit incommodum, ut, diſploſis tormentis, Hiſpani, qui jam inſilierant, cum incertum eſſet, qua in parte eſſent, a ſuis contrucidarentur. Ita cum foris et intus Hiſpani infeſtarentur, jam ſole ad occaſum vergente, Albanus receptui cani jubet. Deſiderati eo die praeter Acoſtam XC circiter Hiſpani: ſauciati ex Italis Gonzaga, Tolſa, Leo [f] Maſſacanus, dum V cohortes ad impetum faciendum deſtinatas, quae tardius incedebant, urget, et Marcellus [g] Mormilius, qui ante alios in murum evaſerat, et ſumma virtute praeſidiariorum vim ſuſtinuerat. Capti Octavius Mormilius, Julius [h] Longus, et L circiter milites. Sed repulſi Hiſpani tantum nihilominus ſui terrorem obſeſſis reliquere, ut poſtridie, petito cum Corneo colloquio, vitam pacti deditionem fecerint, decimo, poſtquam arx obſideri coeperat, die.

XVII. Mox induciae [i] Sanfloriani cardinalis interventu inter Albanum et pontificem factae ſunt, quae in III Kal. Decembr. exibant: ſed, cum biduo poſt Albanus et Caraſa cardinalis in inſula, quae media inter duos exercitus erat, conveniſſent, poſt amicum in ſpeciem colloquium in XL dies rurſus prorogatae ſunt; intra quod tempus conditiones

INTERPR [a] *da lo Shirro.* [b] *della Cornia.* [c] *di Maſſimo.* [d] *Colonna.* [e] *il conte di Popoli.* [f] *Mazzacane.* [g] *Mormile.* [h] *Longo.* [i] *di Santafiore.*

conditiones a pontifice et Caraſis propoſitae ad regem Angliae perferrentur, et, accedente ipſius conſenſu, pax inter eum et pontificem firmaretur. Ejus ſupra modum deſiderio flagrabat Albanus, quod e re principis ſui eſſe cerneret, pace cum pontifice facta, res ea parte tranquillas relinquere, ut, ſi induciae inter utrumque principem factae rumperentur, quod propediem factum iri apparebat, a tergo ſecurus totas vireis in Inſubres et Subalpinam regionem immitteret, et oppida his in provinciis a noſtris nuper capta recuperaret: quod ſi intra id tempus cum pontifice tranſigi non poſſet, tantiſper temporis lucrifaceret, quo militem continuo militiae labore feſſum et rerum omnium inopia laborantem reficere, munimenta coepta exaedificare, ac res in regno conſtituere poſſet. Nec ingratae Caraſis induciae fuere, ab omni re imparatis, et in dies Guiſii auxiliareis copias praeſtolantibus. Albanus vero, tempus illud ſibi perire minime paſſus, extemplo munitionem coeptam feſtinatis operibus urget, et alteram ad [a] Neptunum inſtituit, quod is locus ad commeatum convehendum valde opportunus videretur. Tum Oſtiae arci impoſitis Iↄ ccc peditibus Hiſpanis cum VIII machinis, ducibus Juliano [b] Vaſco Avila et Franciſco Hurtadu Mendoza, prid. Kalend Decembr. caſtris motis, Anagniam verſus proficiſcitur. Tum, relicto in iis locis [c] Popolio cum levi armatura, qui per abſentiam ejus ſummae rerum praeeſſet, dimiſſo Italo peditatu et diſtributis in hyberna Hiſpanis, ipſe Neapolim magnis itineribus contendit; dato negotio [α] Lupu [d] Mardoni, ut [e] Cajeta et Neapuli commeatum abundantem Neptunum et in munimentum coeptum et Oſtiae arcem inferendum curaret; quod ille ſumma diligentia praeſtitit: neque tamen naviculariorum fraudem evitare potuit, qui, ut furtum celarent, arenam farinae admiſcebant; ita pondere, ad quod farinam admetiebantur, aequato: quod ubi animadverſum, paucorum poena fraudi obviam itum eſt. Poſtquam Neapolim venit Albanus, et de pontificiorum in annum ſequentem belli apparatibus cognovit, convocato regni procerum concilio, eos in tanto periculo ad vireis jungendas et pecuniam conferendam hortatur. In eo decretum, ut XXX cIↄ peditum Italorum conſcriberentur: quorum pars per praeſidia maritima ad propulſandos claſſis Turcicae impetus diſtribueretur; pars in limite, qui pontificiam ditionem attingit, collocaretur; pars in exercitu eſſet, quem ille rurſus in [f] Latium mitteret. In Germania VI cIↄ peditum item conſcripta; quae per Croatiam et Iſtriam ac [g] Julii-forum deducta ad [h] Tergeſtum navibus imponerentur, et, tranſmiſſo [i] Hadriatico ſinu, juxta [k] Aternum, quae hodie Piſcaria eſt, in regno exponerentur. Jam ad exercitum venerant II cIↄ Germani, duce Gaſpare [l] Felſio, veterani milites, quos Albanus ſtatim Cajetae navibus impoſitos ad Popolium, quem in Latio reliquerat, miſit. Evocati et ex [m] Gallia Ciſpadana IV cIↄ Germani, quibus Albericus Lodronius homo bellis ſuperioribus exercitatus praeerat. Expectabantur et ex Hiſpania III cIↄ peditum, qui jam [n] Barcinonam venerant. Equitatus etiam novis delectibus auctus uſque ad cIↄ Iↄ equirum numerum. Tum deliberatum de ratione tuendi limitis: et initio quidem placebat, ut ſuperior limes deductis inde praeſidiis omnino deſereretur, et annona, quae exportari non poſſet, in agro incenderetur, reliqua in munitiora loca reconderetur: omnes vires circa Neapolim contraherentur; qua parte ſi Galli impetum facerent, reſiſtendo pares eſſent; ſin per [o] Samnium et nudatas praeſidiis regiones iter haberent, commeatus penuria deficerent. In hanc ſententiam Albanus propendebat: Ferdinandus vero Gonzaga, quem poſt judicium a Caeſare in Belgio acceptum non ita bene affecto animo in Italiam privatum veniſſe diximus, poſt ampliſſimas a ſenatu Veneto propoſitas

VAR. LECT. [α] Lopezio *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Nettuno.* [b] *Vaſquez d'Avila.* [c] *il conte di Popoli.* [d] *de Mardonez.* [e] *Gaeta & Naples.* [f] *Campagna di Roma.* [g] *Friuli.* [h] *Trieſte.* [i] *Golfo di Venetia.* [k] *Peſcara.* [l] *il baron di Felta.* [m] *Lombardie.* [n] *Barcelone.* [o] *Abbruzzo.*

propoſitas condiriones, ſi reipublicae ſtipendiis militare vellet, quas ille valetudinem cauſatns honeſte recuſavit, cum in regnum, ubi locupletes admodum poſſeſſiones ex uxoris Iſabellae [a] Capuanae dote habebat, veniſſet, quid ſuper ea re ſibi videretur ab Albano per litetas rogatus, ipſe Neapolim ire voluit; ut, coram auditis aliorum belli ductorum ſententiis, ſuam expromeret. Heic in concilio, Qui Neapolim ſolam, inquit, deſerto limite, defendendam cenſent, eos anguſtiis temporis et copiarum exiguo numero potius quam periculi magnitudine conſilium ſuum metiri exiſtimo; quippe cum ſummopere verendum ſit, ſi limes praeſidiis nudetur, ne Galli, occupatis regni vectigalibus, ſine quibus belli ſumptus diu ſuſtinere non poſſumus, et provincialium favore adjuti, qui felices ſucceſſus fere conſequi ſolet, ad haec receuti uſque milite firmiores, brevi citra ſanguinem tota regione potiantur. Itaque longe tutius videtur, ut Galli primo ſtatim ingreſſu prohibeantur, et, antequam vireis colligant, frangantur, ac debilitentur: ſic enim fiet, ut retuſo primo illo impetu mox eorum vires ac conſilia diſſipentur. Nam id fere uſu venire cernimus, et in Gallis veriſſimum eſſe confirmat antiquitas, quae illorum impetus initio plus quam vireleis, ad extremum minus quam foemineos eſſe prodidit. Proximum eſt, ut annona in munita loca recondatur; quod ſi omnino perfici nequeat, truſatilia ſaltem piſtrina, quae in regno paſſim obvia ſunt, tollantur, ne venienti hoſti uſui eſſe poſſint. Nam, ſi e longinquo annona comportetur, in mulros dies ſupereſſe non poterit; unde neceſſario ſequetur, ut aut Galli ſtatim in limine regni conſiſtant, aut, ſi in provinciam cum numeroſo exercitu ingrediantur, tanto citius penuriam ſentiant et conficiantur; quod et bene affectis popularium animis alacritatem addet, et contra inimicis audaciam ac nocendi voluntatem adimet: plures item arces et munita loca a tergo relinquantur, quae, in tempore neceſſariis omnibus rebus abunde inſtructa, progredientem hoſtem diſtineant, ut in ſingulis hoſpitiis neceſſarium habeat pugnare, et quotidie nullo noſtro damno periclitari. Eſt enim vix dictu credibile quantas commoditates domi ſedentibus afferat, bellum protelare; quam contra damnoſum ſit, venienti e longinquo hoſti procul ab auxiliis in hoſtico cum omnium rerum penuria, locorum difficultatibus, aëris ac coeli inſueti intemperie in horas conflictari; unde plerumque evenire videas, ut qui amici erant et ſocii foederati, ſi bellum in ipſorum agro diutius trahatur, conſilia murent, et alienaris animis in contrarias parteis tranſeant. Quod et brevi de pontificiae ditionis populis, de Carafis ac pontifice ipſo futurum auguror; quos Gallorum inſolentiae pertaeſos mox ſatietas ac denique poenitentia capiet. Haec eſt optima ac tutiſſima belli gerendi et ſalutis publicae expediendae ratio, qua peritus rei militaris dux gloriam ac victoriam reportare, ſin fortuna conſiliis non reſpondeat, honeſte ac ſine dedecore cadere queat. Igitur mea ſententia eſt, ut limes defendatur, et valida praeſidia [b] [1] Civitellae, Aterno ad Truentum, tum [c] Theatinae civitari, [d] Ariano, [e] Artemiſio Apuliam verſus, ac denique Capuae et Nolae juxta Neapolim imponantur. In quam ſententiam ſtatim Albanus et poſt eum omnes iere. Nolae muniendae ac cuſtodiendae cura Veſpaſiano Gonzagae, Capuae [f] Sanfloriano commiſſa eſt. Garſias Toletanus [g] Venuſium, Artemiſium, quod nunc [h] Agathaefanum appellant, et Arianum ſervare juſſus. [i] Trevico negotium datum, ut cum copiis, quas habebat, in Apulia ſe contineret, atque ibi aditus inſideret, ad defendendum telonium, quod longe ampliſſimum regni vectigal petituros primum noſtros apparebat. Nam, ea parte Odetum [k] Fuxium Lautrecum ante XXX annos in regnum impreſſionem feciſſe, recens adhuc hominum memoria erat. Exeuntibus induciis, Sermoneta,

INTERPR. [a] *da Capoua.* [b] *Civitella ſur le Tronto.* [c] *Chieti.* [d] *Arriano.* [e] *Artemiſio o Santa Agatha.* [f] *il conte di Santafiore.* [g] *Venoſa.* [h] *Santa Agatha* [i] *le marquis de Trevico.* [k] *de Foix, ſieur de Lautrec.*

NOT. [1] Lege *Civitellae ad Truentum, Aterno,* n'eſt point ſitué ſur le Tronto, mais ſur un fleuve de *tum Theatinae, &c.* Car Aterno, vulgo Peſcara, ſon nom meſme. *Put.*

Sermoneta, [a] Privernum, [b] Sonninum, [c] Sinueſſa rebellavere: cumque [d] Algidi, ſive Arcis Pontificiae municipes, quibus praeerat [e] Samſo Taliacotius, vim a pontificiis metuerent, a Pompeio [f] Columna, qui per [g] Popolii abſentiam ſummae rerum praeerat, auxilia petiere. Is igitur cum L delectis Italis ex Torralvae cohorte, ac totidem Hiſpanis ex [h] Ferrandi Gomezii itidem cohorte, cum Pompeio Tuttavilla juvene ſtrenuo ac cc aliis Hiſpanis, [i] Tibure profectus, noctu cum forte obvium habuiſſet Alex. Columnam et [k] Cincium Capiſuccum, qui Roma [l] Zagarolum cum ſuis tendebant, interceptos in ſugam vertit: xxx circiter occiſi, cc Tibur deducti ſunt, atque, armis ademptis, poſtea dimiſſi. Quo facto, cc auxiliares illi, qui in arcem pontificiam a Pompeio Columna introducti fuerant, cum improviſi [m] Velitras uſque excurriſſent, magnas praedas abegerunt. Velitrenſes ſpem de Arce Pontificia occupanda, cujuſdam ex primariis civibus ope, conceperant; reſque agebatur Galli huc illuc commeantis interventu. Cum ad condictam diem exiiſſent, et idoneo loco, ut ipſis videbatur, inſidias abdidiſſent, ex quibus ſigno dato impetum facerent, re cognita, Alexander [n] Androcius, qui loco praeerat, comprehenſis ſummo ſilentio conſciis moxque ſtrangulatis, illico delectos emittit, qui anguſtias, per quas Velitrenſibus redeuntibus tranſeundum erat, ſervarent. Nec Androcii aſtus fruſtra fuit: nam, cum Velitrenſes nuſquam ſignum dari ex oppido viderent, reque infecta diſcederent, dum redeunt, ab inſidiatoribus intercepti ac caeſi ſunt: LXX fere ex iis capti.

XVIII. SECUNDUM haec Strozzius ac [o] Paliani dux cum VI CIↃ peditum, IↃCCC equitibus ac VI machinis urbe exeunt; et cum a munitione in Tiberi ab Hiſpanis inſtituta et ab Oſtia multum damni Romanos accipere viderent, audirique paſſim non occulta civium murmura, quae alienatos animos proderent, eo ante omnia convertendas vireis duxerunt, priuſquam munitio illa perficeretur, et ruinae in arce Oſtiae et oppido nuper factae ſarciri poſſent. Cum igitur Oſtiam oppugnare decreviſſent, nec adhuc certo de loci ſitu, foſſae altitudine, atque an aquam teneret, cognoſcere potuiſſent, M. Antonius Monlucius, qui cum [p] Benaci regulo et Chatrio peditatui praeerat, ſtudio gloriae provectus, cum in ſtatione eſſet, id faciendum ſuſcepit. Verum, loco diligenter conſiderato, dum redit, ſcloppeti ictu in pectus accepto vulneratus eſt, vixque in Strozzii hoſpitium illatus et lecto impoſitus ſatis temporis habuit, antequam expiraret, quo plene ac vere Strozzium de re omni certiorem redderet. Hic exitus fuit Monlucii, ſtrenui ac ſupra aetatem ſagacis adoleſcentis, in maximum ducem procul dubio evaſuri, ſi diutius ſuperfuiſſet: cujus praematuram mortem cum Blaſius parens tantopere in commentariis ſuis deploret, ei quoque honeſto hoc elogio parentare volui. Deinceps in capienda Oſtia exiguum negotium fuit: nam ſtatim ad primum Strozzii adventum praeſidiarii Hiſpani arcem deſerunt, et in munitionem confugiunt, quae ſtatim admotis tormentis dedita eſt a Joanne [q] Vaſco Avila, Fr. Hurtado Mendoza, et [α] [r] Oartizio Vera magnae auctoritatis apud [s] Albanum duce, quod [t] Orbitelli tormentorum praefectus et aliis locis ſtrenuam operam navaſſet. Dimiſſi incolumes praeſidiarii, et [u] Neptunum, uti convenerat, deducti ſunt. Tam facilis deditio Avilae poſtea culpae tributa eſt: ac rumor fuit, cum a noſtris corruptum; ſed, ſive ignavia ſive perfidia in cauſa fuerit, ob id biennio poſt ille [x] Bruxellis capite plexus eſt: pleriſque factum excuſantibus, quod, nondum refectis ruinis, et undante paſſim ob pluvioſam coeli conſtitutionem regione, metus erat, ne obſtructo Tiberis oſtio, aquis fluvii regurgitantibus obſeſſi haurirentur. Capta Oſtia, miſſo Cincio Capiſucco Paleſtrina et S. Angeli caſtrum, nec multo poſt [y] Tuſculum

a

VAR. LECT. [α] Ortizio P.

INTERPR. [a] *Piperno.* [b] *Sonnino.* [c] *Seſſa.* [d] *Rocca di Papa.* [e] *Sanſone da Tagliacozza.* [f] *Colonna.* [g] *il conte di Popoli?* [h] *Ferrante Gomez.* [i] *Tivoli.* [k] *Cencio Capizucchi.* [l] *Zagarolo.* [m] *Veletri.* [n] *Androcio.* [o] *Giovanni Caraſa, duca di Paliano.* [p] *le baron de Bmac, & le capitaine Charry.* [q] *Vaſquez d'Avila.* [r] *Ortiz de Vera.* [s] *le duc d'Albe.* [t] *Orbitello.* [u] *Nettuno.* [x] *Bruxelles.* [y] *Freſcati.*

a Franciſco Villa et Hieronymo Frangipane recepta; [a] Crypta-ferrata item et [b] Marinum et Gandulfi-caſtrum; quorum locorum cuſtodia Joanni Thomae Epiphanio [c] Narnienſi credita fuerat, qui ſpectatus alias bello dux, cum ſummam virtutem ac diligentiam in Gandulfi-caſtro ſervando, quo ſe cum ſuis receperat, oſtendiſſet, ac poſtremo a milite deditionem facere coactus eſſet, ob id tamen a [d] Popolio non ſine nota reprehenſus Venetias seceſſit; ubi, ſpretis ampliſſimis conditionibus, ſe privatum continuit, ne fides ſua ob ea quae acciderant in ſuſpicionem olim vocari poſſet. Mox et [e] Pauli-fanum, quod cum dimidia Hiſpanorum cohorte tenebatur, pariter receptum eſt, municipibus in ſemiſomneis praeſidiarios tanta immanitate ſaevientibus, ut vix cladis nuncius ſuperfuerit. Receptis undique oppidis, Popolius, qui nuper cum II peditum Hiſpanorum ſignis et equitatu e Samnio Tibur redierat, cum locum vaſtum citra periculum teneri non poſſe animadverteret, tam vicinis noſtris, veritus, ne, ſi diutius ibi commoraretur, anguſtiis occupatis intercluderetur, inde diſcedit, et Valerii vicum petit; quo jam Gaſpar [f] Felſius cum Germanis ſuis venerat. Ibi treis dies commoratus, quos muniendo loco impendit, et, relictis II Hiſpanorum ſignis ſub Gomeſio [g] Turrio et Petro Caſtellano, ipſe cum Germanis [α] [h] Aticolium et Otriculum ſe contulit, ut inde rerum eventum opperiretur. Ibi dum eſſet, intellecto noſtros jam [i] Valerii-vicum obſediſſe, reique certiore facto per literas [j] Albano, cum reſponſum hoc ab eo tuliſſet, ne Germanos incaſſum fatigaret, ſed [k] Anagniae et Fruſinonae majoris momenti oppidis cuſtodiendis ſervaret, ſe continuit, dum interea Valerii-vicus, V dierum continua verberatione aperto muro, a noſtris impetu captus eſt, diffugientibus praeſidiariis, qui in arcem recepti mox deditionem fecere. Occiſi inibi CC circiter Hiſpani; vix Vaſconum et Helvetiorum furori temperante Paliano, qui ipſe ordines circumiens efferatum militem ad humanitatem hortabatur. Eo ſucceſſu territus Popolius, [l] Tibure digreſſus, [m] Ferentinum tendit; nec dubitabatur, quin ſi Strozzius ad [n] Fucinum lacum caſtra promoviſſet, non ſolum commeatus ingentem copiam nactus eſſet, ſed et res hoſtium in extremum diſcrimen adduxiſſet: verum, contentus [o] Anticulum Corradi diripuiſſe, et [p] Sabiacum uſque excurſiones feciſſe, nullo praeterea operae pretio facto, Romam redierat. Eodem tempore [q] Cavium et Gennazanum a Franciſco [r] Columna recepta; cui mox et [s] Mons-fortinus, deſerente locum Franciſco [ſ] Brancatio, Popolii juſſu patuit, a noſtris poſtea exuſtus. Tunc et Ludovicus [t] Sabellus Collalti regulus et Jo. Antonius [u] Manerius, ambo II cohortium duces, deſerto Albano, in pontificis caſtra tranſiere; fruſtra diſſuadente [v] Gabriele, qui eos, ut regi Angliae, ſub quo merebant, fidem ſervarent, hortabatur. [x] Cellae quoque a Sabello tentatae, ſed irrito ſucceſſu, egregiam operam in earum defenſione navante Moleſio, qui Sabellianos ſaepius cum damno repulit. Interea Albanus M. Antonio Columnae imperat, ut cum IV CIↃ Italorum et VI machinis in [y] Latium deſcendat; et Popolio, ut equitatum ad Germani-fanum reducat, et Germanos atque Hiſpanos pedites [z] Verulo, [aa] Bauco, Aletrio, ac Ferentino deducat, et [bb] Venaſtum petere jubeat, ubi ipſe exercitum cogere decreverat. Jam enim de Guiſii adventu audierat.

XIX. VERUM, anteqnam ulterius progrediamur, res exigit, ut, quae apud nos, in Germania, et aliis locis hoc anno acta ſunt, prius explicentur. Ut in Anglia ſic et in Gallia ſevere in Proteſtanteis animadverſum eſt. Nam Joannes [cc] Rabecus, Ceriſiaco in

VAR. LECT. [α] Arzicolium *P. D. o f.*

INTERPR. [a] *Grotta-ferrata.* [b] *Marino, e Caſtel Gandolfo.* [c] *da Narni.* [d] *il conte di Popoli.* [e] *San Polo.* [f] *Feltz.* [g] *de la Torre, e Don Pedro di Caſtiglia.* [h] *Arzoli* [illegible] *Auricola.* [i] *Vico-varo.* [j] *le duc d'Albe* [k] *Anagni e Fruſolone.* [l] *Tivoli.* [m] *Ferentino.* [n] *lago di Celano.* Andrea mer *alla Strada di Tagliacozzo.* [o] *Antitolo di Corrado.* [p] *Subiaco.* [q] *Cavi e Ginnazzano.* [r] *Colonna.* [s] *Monte-fortino* [ſ] *Brancazzo.* [t] *Savello, ſeigneur de Collalto.* [u] *Maneri.* [v] *Gabriel Moles.* [x] *le Celle.* [y] *Campagna di Roma* [z] *Veruli.* [aa] *Bauco & Alatro.* [bb] *Venafro.* [cc] *Rabec, natif de Ceriſi Monpinſon en baſſe Normandie*

in inferiore Neuſtria natus, profeſſione Franciſcanus, [1] Joannes [a] Rufus in Andibus, qui eam doctrinam Genevae et [b] Lauſanae imbiberat, ſacris olim initiatus, ambo [c] Andegavi VIII Kalend. Maii ſummo ſupplicio affecti ſunt. Joannes item Bertrandus, [d] Montorio in agro Vindocino natus, [e] Bloëſis, Bartholomaeus Hector, [f] Auguſtoriti Pictonum natus, [g] Auguſtae Taurinorum, Hieronymus Caſanbonus [h] Benearnenſis [i] Burdigalae flammis uſtulati ſunt: quo eodem loco Arnoldus [k] Monerius, Aemilianiſano natus, XXV annorum juvenis, et Joannes [l] Caſa Liburnenſis XXVII, ejuſdem criminis poſtulati ſunt. Verum inter judices variatum ſententiis, cum alii eos capitis poena plectendos eſſe dicerent, alii cum iis mitius agi debere cenſerent, et in coenobium aliquod ad bimeſtre paulove longius tempus relegandos, ſi forte eo ſpatio melius conſulti aut a theologis moniti et lectis veterum patrum libris inſtructiores reſipiſcere vellent: neque enim ſacris aut profanis libris traditum eſſe, eos, qui uſpiam a religionis ſcitis aberratint, protinus ſummo ſupplicio afficiendos eſſe; quod proximis demum XL annis uſurpari coepiſſet: haberi hoc tempore oecumenicum concilium, cujus decreta propediem in vulgus exitura ſint; iis promulgatis, in poſterum de controverſis religionis capitibus citra manifeſtum ſcelus amplius dubitari non poſſe. Cum igitur in ea claſſe, quae judiciis criminalibus praeeſt, inter judices non conveniret, paribus ab utraque parte ſententiis, non in mitiorem, uti moris eſt apud nos in cauſis capitalibus, abſolutionis favore, verum, ut in civilibus, res a principe claſſe dirempta eſt, et conſentientibus omnium calculis rei, nulla aetatis habita ratione, ad mortem damnati ſunt; et, ut clauſis portis cuſtodiae per urbem diſponerentur, dum ſupplicium ſumeretur, a ſenatu decretum. Poſtquam flammae arſerunt, tantus terror adſtanteis invaſit, ut, quaſi hoſte perſequente, omnes diffugerent, et accenſi ac ceteri miniſtri, qui aderant, in proximas aedeis dilaberentur, et, ut abſconderentur et vitae parceretur, obvios rogarent. Itidem a ſenatu Camberitano in [m] Allobrogibus in Joannem [n] Trigalctum, Antonium [o] Laboriam, Joannem [p] Vernullum animadverſum eſt, Geneva miſſos, ut clanculum religionem regiis legibus damnatam edocerent: et, quamvis [q] Bernates, qui eos in literarum ſtudiis Lauſanae aluerant, pro foedere per oratores poenam apud regem deprecarentur, nihil impetrare potuerunt, quod rex eam licentiam ad regni perniciem pertinere exiſtimaret.

XX. [r] SENATUS Camberitani mentio me admonet, ut de memorabili judicio, quod in Raimundum Peliſſonem curiae illius praeſidem, Joannem [s] Boëſſonum ſacris initiatum, Ludovicum [t] Rozetum et [u] Craſinium, conſiliarios, Juliano [x] Taboëtio cognitore regio inſtigante, a [y] ſenatu Divionenſi latum eſt, et poſtea hoc anno a Pariſienſi ſenatu retractatum, paucis agam; quoniam ea res magna contentione inter aulae proceres agitata fuit. Taboëtius, cum a [z] Peliſſone verbis acrioribus ſenatus juſſu caſtigatus fuiſſet, homo impotens animi ultra modum diſcruciabatur, et tempus commodum opperiebatur, quo injuriam ſibi, uti rebatur, ea correctione illatam ulciſceretur. Nondum aperta per fraudes ac licentiam ad expilandum regis aerarium via, proceres, qui ad rem faciendam attentiores erant, [α] ad ſumptus neceſſarios in aula ſuſtinendos, ex delationibus et ejuſmodi odioſis criminibus lucrum captabant; emiſſarioſque per provincias habebant, quorum ope ad avaritiam explendam utebantur. Igitur Taboëtius, ante quadriennium cum Guiſio, ad quem damnatorum bona ex regis dono recaſura erant, pactus, cum inſtituta accuſatione Peliſſonis et aliorum nomina

VAR. LECT. [α] ad ſumptus neceſſarios in aula ſuſtinendos *deſunt* P.

INTERPR. [a] *de Rouſſeau Angevin.* [b] *Lauſanne.* [c] *Angers.* [d] *Montoire en Vendoſmois.* [e] *Blois.* [f] *Poictiers.* [g] *Turin.* [h] *Bearnois.* [i] *Bourdeaux.* [k] *Monier de St. Emilien en Bourdelois.* [l] *de Cazes de Libourne prés Bourdeaux.* [m] *Savoye.* [n] *Trigalet.* [o] *Laborie.* [p] *Vernou.* [q] *ceux du canton de Berne.* [r] *le parlement de Chambery.* [s] *Boiſſonné.* [t] *du Rozet.* [u] *Craſins.* [x] *Taboüé, procureur du roy.* [y] *le parlement de Dijon.* [z] *Peliſſon.*

NOT. [1] Dele *Joannes*: lege *Petrus*. Put.

CIↃIↃLVI. HENRICUS II. nomina de repetundis detuliſſet, quaeſtio [a] ſenatui Divionenſi, in quo Guiſius, utpote provinciae praeſes, praecipuam auctoritatem habebat, demandatur. Eam magna ſeveritate ſenatus exercuit; et [b] Craſinium magiſtratu annum abſtinere jubet, [c] Peliſſonem infamia notatum traductumque in foro deportandum cenſet, et [d] Boëſſono ac Rozeto magiſtratum omnino abrogat, irrogata ſingulis grandi pecuniaria mulcta. Haec acta VI Non. Maii, V Kalend. Quintil. et pridie Non. Sextil. Verum ii poſtea, Momorantii equitum magiſtri Guiſianorum aemuli commendatione, a rege impetravere, ut rem judicatam ſenatus Pariſienſis recognoſceret: qui, decretis illis anno ſuperiore XVII Kalend. Jun. inductis, cum litem [e] Taboëtio calumniae nomine aeſtimari, et quaeſtionem de tota re diligentius ac plenius haberi decreviſſet, curia Divionenſis, quae hoc ad injuriam ſuam pertinere arbitrabatur, Guiſii favore hac in re fulta, per legatos e ſuo ordine ad regem miſſos contra morem factum eſſe demonſtrat, ut ſupremarum curiarum judicia recognoſcantur. Igitur rex plus aequo facilis, qui ſaepe ab aulae ſuae proceribus, quos diligebat, huc illuc impellebatur, ut Guiſio ſatisfaceret, Chriſtophorum [f] Thuanum praeſidem et Claudium [g] Anjoranum ac Jacobum [h] Violam conſiliarios, qui judicio interfuerant, in aulam evocat; Thuanoque audito, per procancellarium, ſenatum quidem Divionenſem ex animi ſententia, ceterum Pariſienſem recte ac juridice decreviſſe, pronunciat: proinde ejus decretum confirmat; et pari numero ex utraque curia judices ac VI praeterea libellorum ſupplicum magiſtros delegat, qui de Taboëtii accuſationibus cognoſcerent. Iique hoc demum anno IV Eid. Octobr. Peliſſonem, Boëſſonum et Craſinium abſolvunt, et ingenti pecunia ſingulorum nomine litem Taboëtio aeſtimant: ipſum praeterea veſte exutum, nudo capite ac pedibus, et fune ad collum alligato, raedam manu praeferentem, ante ora vulgi per urbis plateas, tum etiam [i] Camberiti traduci jubent. Hoc judicium ut magnam invidiam Guiſianis [*] conflavit, ita occultas ſimultates cum Momorantio jam a multo tempore contractas, quae in regni exitium poſtremo evaſere, vehementer exacerbavit.

XXI. IN Germania hoc anno fere res pacatae fuere, niſi quod in Pannonia ſuperiore, quae nunc Auſtria dicitur, et [k] Vindelicia, ob religionem, ſerpente jam ſociorum Auguſtanae confeſſionis exemplo, popularium animi aliquantum commoti ſunt. Ac ſub exitum quidem anni praecedentis Ferdinandus rex Germaniae primores de auxiliis in Turcum, qui Tranſylvaniam fertiliſſimam et equitatu abundantem regionem repoſcebat, decernendis per legatos ſolicitaverat; eaque de cauſa conventus in Auſtria habuerat, in quibus inferiores Auſtriaci liberam ſibi religionem concedi poſtulabant: ſed rex eos ad Ratiſponae comitia rejecit; ſimulque conſtituit, ut, quando praeſens a Turco imminebat periculum, ſibi ad Eid. Januar. Viennae praeſto eſſent. Quo tempore cum conveniſſent, rege auxilia contra Turcum urgente, illi pridie Kalend. Febr. ante omnia de religione agendum eſſe reſpondent: jam ſe ante XIV annos eadem de re ſaepius apud ipſum egiſſe; nec precibus eorum ſatisfactum eſſe; ſed contra duriſſima propoſita edicta, quibus ipſorum conſcientiis vis afferatur: fruſtra de bello externo cogitari, niſi pax domi conſtituatur; hoc eſt, reſtituta puriore doctrina mentibus quies paretur; qua deficiente et Dei iram provocari, et diſſidentibus animis de collatione in communem hoſtem facienda haud facile conveniri poſſe. Orant igitur, quod aliis ſuis provinciis largitus ſit, id ipſum ne Auſtriacis deneget, et eccleſiae miniſtris ac ludimagiſtris, qui puriorem doctrinam [α] prae ſe ferant, nulla ob eam cauſam fiat moleſtia. Ad haec Ferdinandus, ſibi non integrum eſſe dicit,

catholicae

P. [* *ex calumnioſis accuſationibus emolumentum captantibus*,]

VAR. LECT. [α] profiteantur P D. o. f. d.

INTERPR. [a] *le parlement de Dijon.* [b] *Craſius.* [c] *Peliſſon.* [d] *Boëſſonné.* [e] *Taboüé.* [f] *de Thou* [g] *Anjorans.* [h] *Viole.* [i] *Chambery.* [k] *Baviere.*

catholicae religionis a majoribus traditae praeceptis ab incunte aetate imbuto et innutrito, quidquam in ea mutare, aut ei ulla ratione praejudicare: ſed, cum non ignoret, quantis calamitatibus cauſam haec ſciſſura dederit, cum Caeſare fratre conjunctis ſtudiis in id incubuiſſe, ut ſarciendi illius diſſidii ratio iniretur: ea propter Tridentinum concilium Germanorum principum rogatu indictum eſſe; in quo ſi res hactenus componi non potuere, id vero non ipſorum culpae ſed temporibus, quae inciderunt, tribuendum eſſe: quo tamen omnibus manifeſtum fiat, quantopere ſuis gratificari cupiat, decretum, quod de coena Dominica ſub utraque ſpecie ſumenda fecerit, in eorum gratiam remittere; modo in ceteris, repudiata omni ſecta, nihil murent. Inſuper pollicetur, nullam miniſtris ac ludimagiſtris moleſtiam factum iri, modo ſe intra moderationis cancellos contineant, et formulam hanc ſervent, decretumque comitiorum ſuper ea re expectent. Cum illi in petitione perſtarent, et rex contra Auguſtanum decretum objiceret, ac proinde iis, quae concederentur, ut contenti eſſent contenderet, legati ſe poſtremo deſiſtere non poſſe dicunt: nullum enim habere mandatum, ut quidquam promittant, niſi prius de religione ipſis ac miniſtris et ludimagiſtris idonee caveatur. Ita re infecta diſceſſum. Rex, peractis in Auſtria conventibus, in Bohemiam tendit; et, finitimis provinciis [a] Pragam evocatis, adverſus Turcum pecuniam poſcit, et impetrat; datiſque ad eos, qui jam [b] Ratiſponae erant, literis moram excuſat; et, quando ipſi Viennam ad expedienda contra Turcum auxilia confeſtim revertendum ſit, Imperii conventus ad Kal. Junias edicit. Auſtriacorum exemplo et Baioari cum Alberto principe ſuo regis genero egerunt; ab eoque, qui pecuniam ab ipſis exigere in animo haberet, ad tempus impetrant, ut coenam integram perciperent, et vetitis diebus, ſi neceſſitas urgeat, carnibus veſcerentur. Idem Albertus, ante profeſſus majorum religionem nolle ſe propterea deſerere, curaturum promittit, et, ut [c] Salisburgenſis antiſtes ac reliqui epiſcopi hanc gratiam approbent et auctoritate ſua firment, effecturum.

XXII. Cum vero in [d] Boruſſia propter Andreae Oſiandri de juſtitia in nobis inſita errorem ab omnibus damnatum prius res turbaſſent, Albertus Boruſſiae dux, ab Alberto [e] Megalopolenſi genero literis elegantioribus tincto principe perſuaſus, edito ſcripto amplecti ſe Auguſtanam confeſſionem declaravit; mandavitque eccleſiae miniſtris, ut ſecundum eam docerent, impunitate promiſſa ſi pareant. Idem Megalopolenſis adhibitis viris doctis effecit, ut Joannes [f] Funccius, is qui editis chronologicis tabulis ad exactiſſimum calculum putatis magnam a ſtudioſis gratiam inivit, et inter Oſiandricos familiam ducebat, errorem agnitum palam deteſtaretur, ac, deinceps velle ſe juxta confeſſionem Auguſtanam docere, confirmaret. Eodem anno et [g] Spirae Nemetum ſenatus unum et alterum paſtores, qui ſecundum eam doctrinam docerent, in civitatem aſſumpſit: et Carolus Badenſis marchio eandem doctrinam ſuſcepit, mutuatus a vicinis miniſtros, qui eccleſias in ſua ditione inſtituerent. Inter hos aeſtus, Proteſtantes, qui ante a foedere nobiſcum icto caute magis quam honeſte diſceſſerant, regis offenſionem veriti, poſtquam de induciis cognoverunt, ſic eas accipiebant, quaſi in caput ac perniciem ſuam principes inter ſe conjuraſſent; et cardinalis Auguſtani infeſtiſſimi ſibi, uti rebantur, [m] in Italiam profectionem ſic interpretabantur, quaſi Romam iviſſet, ut rem cum pontifice, qui cum Caeſare inimicitias fingebat, occulte communicaret: et eo conſilio per occaſionem thermarum Septemviros [h] Moguntinum, Colonienſem et Trevirenſem (is autem erat Joannes [i] Laienus, qui in Joannis [k] Iſemburgici locum menſe Februario mortui ſuffectus fuerat) nuper collocutos eſſe: nam, decreto [l] Auguſtanis comitiis ſuperiore anno facto, quo Proteſtantibus

VAR. LECT. [m] hoſtis in *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Prague.* [b] *Ratisbone.* [c] *l'archevêque de Saltzburg.* [d] *la Pruſſe.* [e] *le duc de Mecklenburg.* [f] *Funck.* [g] *Spire.* [h] *les electeurs de Mayence, Cologne, & Treves.* [i] *de Leien.* [k] *d'Iſemburg.* [l] *diete d'Augsburg.*

tibus cautum fuit, ultra modum irritatos, hoc unum moliri, ut illud antiquetur, et juriſdictio ſacra per Germaniam reſtituatur: eaque de re pontificem cum [a] Auguſtano ſaepius egiſſe, et Caeſarem a fide interpoſita abſolviſſe; in hoc vero bellum magna auxilia et ingentem pecuniam pollicitum eſſe; regem inſuper Angliae, qui bello dux deſtinatus ſit, VIII CIↃ peditum conſcripturum ex Germano, praecipue milite, quo res occultior ſit, et, cum omnes principes ex Ratiſponenſium comitiorum occaſione domo aberunt, impreſſionem cum totis viribus nec opinato facturum. Has ſuſpiciones ut dilueret Auguſtanus, qui totum annum Romae commoratus fuerat, et, nuper domum reverſus, in eo jam erat, ut rurſus illuc proficiſceretur, libello lingua populari ſcripto ſub Maii exitum ſe purgat, et meram eſſe calumniam dicit, a publicae quietis perturbatoribus excogitatam, haud multum illi abſimilem, quae ab Othone [b] Paccio Georgii Saxonis cancellario anno hujus ſaeculi XXVIII de conjuratione contra Heſſum et Saxonem ſeptemvirum conficta fuit; quae proinde, ut tunc illa in auctorem, qui poſtea ob id [c] Antuerpiae capite luit, ſic in ipſos machinatores tandem receſura ſit: nam nullatenus de decreto illo a pontifice, nec de bello Proteſtantibus inferendo, toto illo tempore, quo Romae fuerit, actum eſſe: longe alia principum conſilia atque aliam pontificis mentem eſſe, qui emendationis eccleſiae nunc ſerio negotium tractet; et, cum delectos ad id ex omni natione viros adhibeat, ſe quoque licet tantae provinciae imparem in eorum numero eſſe voluiſſe; ob idque diuturniorem, quam ſperaverat, Romae moram feciſſe: de cetero, ſe, licet religionis, quam a majoribus acceperit, in primis ſtudioſum, a belli tamen cogitatione ſummopere abhorrere: neque vero ullum benevolentiae officium Imperii principes ac ne ipſum quidem Albertum marchionem antea a ſe requiſiviſſe, nec Palatinum ſeptemvirum, Chriſtophorum Wirtembergicum, quem ſemper virum bonum, prudentem et pacis amantem expertus ſit et palam laudaverit, aut Heſſum denique, quibuſcum architecti illi calumniarum ſe conentur committere, eſſe deſideraturos.

XXIII. JAM ante IV Kal. Mart. Fridericus Palatinus ſeptemvir, qui Dorotheam Chriſtierni Dani captivi filiam uxorem duxerat, aetate gravis, [α] [d] Altzemii ſine liberis deceſſerat: cui Otho [β] Henricus Ruperti fratris filius ſucceſſit; is, qui olim, cum Auguſtanam confeſſionem audacter amplexus eſſet, de capite ac fortunis periclitatus eſt. Nec multo poſt ineunte Martio principum et ordinum legati Ratiſponae conveniunt, ac de Alberti marchionis cauſa agunt, rejectis in Aprilem proximum ceteris Imperii negotiis. Huic propinquorum interventu, cum anno ſuperiore adverſarii auxilia contra illum implorarent, decreto cautum fuerat, ut libere poſſet in Germaniam redire, ac de ejus cauſa cognoſceretur. Tandem ad Eid. Quintileis comitia inchoantur; quibus cum Ferdinandus propter motus in Tranſylvania excitatos, de quibus mox dicemus, intereſſe non poſſet, per Albertum Baioariae ducem initium fecit; qui, excuſata ſoceri abſentia, et propoſitis quae de belli Turcici apparatibus quotidie afferantur, petit, ut quam primum de ferendis auxiliis deliberetur, quo commune periculum non ſolum Auſtriae et Pannoniae reliquiis ſed etiam toti Germaniae imminens arceatur; item de conferenda pecunia, quae certis locis aſſervetur, et in hoc bellum a publicis quaeſtoribus, cum opus erit, depromatur: et, quia ultimo conventu decretum ſit, ut in his comitiis religionis componendae rationes ineantur, regem enixe hortari, ut in id unanimiter incumbant, et qua via id fieri poſſit inveſtigent: item de moneta, ut conſultent, de qua crebrae popularium voces audiantur, quaſi ea variis modis et artibus adulteretur magno ſuo detrimento, conquerentium.

XXIV. [γ] IN [e] Dacia hoc anno tumultuatum eſt; idque in cauſa fuit, cur Ferdinandus

VAR. LECT. [α] Azemi P. D. o.
[β] Henricus deeſt P. D. o.
[γ] De rebus Pannonicis injecta mentio poſtulat, ut, quae iis in regionibus geſta ſunt, exponamus. In Dacia P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Truchſes, cardinal d'Augsburg.* [b] *Becken.* [c] *Anvers.* [d] *Altzheim.* [e] *Tranſylvanie.*

nandus ad comitia Ratiſponae indicta venire non potuerit. Auctore ſiquidem Petro [a] Petrovicio, Turcis de ſubſidio ab ipſo ſolicitatis, Tranſylvania tota ob eas, quas diximus, cauſas, quod pacta videlicet a Ferdinando non ſervarentur, et inducto externo milite atque adeo Hiſpanis provincia vaſtaretur, ad Joannem defecit. Nec multo poſt Franciſcus Bevecus et Georgius ejus filius, excitata per [b] Pannoniam defectione, quaſdam arces et oppida, Mocſorum, qui hodie Valachi dicuntur, opibus freti, invaſerunt. Hanc nacti occaſionem Turci, quibus ſolemne eſt ex diſcordiis alienis proprium lucrum facere, in Pannoniam impetum fecere, a qua bello Perſico et domeſtico occupati triennium amplius abſtinuerant. Nam, poſt irritam et omnium maxime memorabilem [c] Agriae [a] obſidionem, Ferdinandus Hungariae rex Antonium Verancium epiſcopum Agrienſem et Franciſcum [d] Zaium Caſſoviae praefectum de pace internuncios [e] Byzantium miſerat; qui biennium in ea aula fruſtra contriverunt, dum interea res in Perſia conficeretur: tandem, poſt frequenteis de noſtrorum excurſionibus querelas, [f] Tuigon purpuratus, quaſi Ciconiam dicas, qui Budae praeerat, injuriam armis ulciſci decrevit. Nec erant injuſtae omnino Turcorum querelae; quippe Heidones, genus hominum latrociniis deditum, qui nullo ſtipendio merent, crebras excurſiones juxta [g] Zigethum ac Babozam et vicina [h] Quinqueecleſiis loca faciebant, ac plerumque hoſtium naviculas depraedabantur: quod Ferdinandus minime prohibere poterat, ut qui eos a ſe alienare nollet, et alioqui nullo ſtipendio aut ſacramento addictos haberet. Igitur Tuigon, contracto CCIↃↃ exercitu, [i] Capoſvivarum ſociorum defectione proditum capit, et mox Babozam ipſam, quae, quod ſponte deditionem feciſſet, nihil gravius experta eſt. Ulterius progreſſus, terrore de ſe paſſim injecto, Zigethum, quod a Ladiſlao [k] [a] Kerezenio tenebatur, eadem fiducia aggreditur, et ad colubrinae jactum caſtra ponit: ſed, accepto per medium tentorium ingentis globi ictu, retro ceſſit, et, quaſi jam obſidionem ſolveret, auctis ex eo praeſidiariorum animis, bis cum iis infeliciter pugnavit, amiſſis CCC circiter ex ſuis. Cum injuria irritatus tormenta admovere vellet, obſeſſorum conſtantia territus et de exitu, monentibus ſuis, veritus, jam hyeme apperente, a Zigetho omnino diſcedit. Haec ſuperiore anno acta. Ineunte vere, Solymanus Halim purpuratum Epirotam ex Perſia evocatum in Pannoniam mittit, cum mandaris, ne Budam provinciae caput, niſi prius Zigetho capto, ingredi auderet. Ille [l] Sirmium ubi venit, ad Ferdinandum mittit, qui Zigethi obſidionem nunciaret. Ad haec rex, minime eum jure facturum, reſpondet; quippe cum ſuos legatos adhuc Byzantii habeat, nec ullius injuriae a ſe profectae ſibi conſcius ſit: proinde vim deprecatur; quae tamen ſi inferatur, ad defenſionem ſe quamvis invitum paratum ſignificat. Igitur purpuratus, evocatis Detviſio, Amethe, Nazufo, Quinqueecleſiarum, Babozae ac [m] Copanii praefectis, juxta Zigethum ad milliaris intervallum caſtra metatur. Oppido praeerat Marcus [n] Hotvarhus Kerezenio ſuffectus, qui praeſidiarios jurejurando adegerat, extrema quaeque vel mortem etiam pro patriae libertate paſſuros. Ii II CIↃ pedites, ducibus Benedicto [o] [a] Topardo et Jacobo [p] Radovaida, equites CLXXX, duce Sebaſtiano [q] Vilakio, erant. Zigethum poſitu quam arte firmius ab Antemo quodam, ſicut Hungariae annales teſtantur, genere ac opibus illuſtri regulo, conditum in planitie paludoſa, unde loco nomen, jacet; et a ſeptentrione locum adjunctum habet, ex quo in foſſam triplicem aqua commode corrivatur. Arci oppidum ad occaſum ſubeſt, hominum frequentia celebre, propter ſoli naturam cuniculis impervium: propugnaculis duobus

VAR. LECT. [a] obſidionem, de qua ſuperioribus libris diximus *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Petrovict.* [b] *la Hongrie.* [c] *Erla.* [d] *Zay, gouverneur de Caſchau.* [e] *Conſtantinople.* [f] *baſſa Tuigon* [g] *Zighet & Baborza* [h] *les Cinq-Egliſes* vulgo *Petſchen.* [i] *Capoſwvar.* [k] *Kereczeni.* [l] *Sirmiſch* [m] *Kopkau.* [n] *Horſwath.* [o] *Topordi.* [p] *Radvanvayda.* [q] *Vilaky.*

NOT. [a] Kereczenio. *Put.* [a] Toporzdo *Put.*

duobus arx vallata eſt et aggeribus ex virgultis et terra exſtructis, uti in ſubitariis operibus fit. Exercitu accedente, interdictum vicinis colonis, ne quid commeatus in oppidum importarent. Primo eruptionibus crebris Turci repulſi, multis ex ſuis amiſſis. Tandem IV Eid. Jun. Halis ipſe cum toto exercitu venit; oppidoque luſtrato, miſſis literis praeſidiarios deditionem facere jubet; qui, conceptis iis neque lectis, ſtatim eruptione facta et manibus conſertis a meridie in noctem praelium extraxere. Tertio poſt die ab ea parte, quae auſtrum ſpectat, admota contra arcem IX tormenta muralia; ac nocte ſequenti permunita caſtra. Tum propugnaculum objectum verberari coeptum eſt, multis interea ex hoſtibus interfectis a [a] Rodovano, qui cum L ſcloppetariis oppido exierat. Inde Halis immiſſa per globos ignem artificialem continenteis in oppidum flammis aedeis pleraſque incendit, et murorum ex luto acerato contextorum partem exuſſit: tum arcis portam et exteriorem murum, qui ortum reſpicit, quatit. Demum, expugnato et ſolo aequato propugnaculo, in quo deſiderati Michaël et Gregorius [b] Bikſithii, XI Kalend. Quintileis noctu, lunae beneficio uſus, ab occaſu juxta molas frumentarias pluteos ex cratibus vimineis et terra limoſa ad uſum tormentorum exſtruit, quae mane fruſtra remoliri noſtri conati ſunt. Tum, completis ingenti lignorum ſtrue foſſis, poſt longam verberationem, qua immanis ruina in oppido edita eſt, totis viribus impetum facit; quaterque eodem die repulſus eſt, non ſine obſeſſorum jactura; qui tamen igne injecto materiam in foſſam ab hoſtibus comportatam, quam vix decem plauſtrorum millia exportare potuiſſent, ſuccenderunt. Ad quintum impetum, oppido deſerto, obſeſſi in arcem ſe recipiunt. Hoſtes loco potiri vexilla contra arcem ſtatuunt, et foſſam undique circundant. Verum praeſidiarii cum oppidanis permiſti, qui ſe tanto numero cum exiguo loco diu haerere non poſſe cernerent, ſupplicationibus rite factis, cum ſe et ſua Deo commendaſſent, occulta parte in hoſteis incogitanteis ſumma virtute et felicitate erumpunt, expulſiſque et ad LXXX ex iis occiſis, rurſus recuperato oppido potiuntur. In eo certamine Nazufus Copanii praefectus, immanis proceritatis nec minus ferini animi homo, dum vaſto corpore noſtris terribilis caedibus avidius, arridente fortuna, indulget, ab [c] Heidone quodam, accepto per medium abdomen incurvi gladii ictu, cum gladius violentius educeretur, extractis quaſi unco inteſtinis, exanimatus eſt. Cecidit et ſcloppeti ictu Amethes. Aga vivus in noſtrorum manus venit. Praecipuis ex interfectis ad XXIX adempta capita, et ad terrorem arci illata, ac pro muri pinnis erecta. Nec incruenta ea victoria fuit, Joanne [d] Hagmaſio, Georgio [e] Paladio, Joanne [f] Hoſthotio, Georgio [g] Zecheto et [h] Macedonio, ſtrenuis viris, deſideratis; ordinum praeterea non paucis ductoribus: ſauciatus etiam Rodovanus, ſed ex vulnere mox convaluit. Sequenti die Halis, nihil accepta clade motus, ingentibus IV machinis munitiones ad occaſum quatit, ac ſub noctem prope [i] Haneiam molem dictam extra oppidum aggerem ducit, et mox admotis minoribus tormentis turrim objectam et portam lapideam cum intergerino pariete proſternere ac ſolo aequare nititur; et oppidum undique circumvallat, relictis tantum duobus locis apertis, quibus impetum facere et ſe recipere poſſet, altero ad occaſum molas frumentarias verſus ſub aggere, quo aqua ex palude circumfuſa velut alveo in oppidi et arcis foſſas derivanda continebatur; ad molem Haneiam altero; intra quae loca materiam continuato labore ad foſſam complendam congerebat. In eo opere V dies inſumpti, dum foſſa in ſicco deſtitueretur: quo facto, e regione arcis excitato vallo, verberationem denuo redintegrat; certatumque aliquandiu: inibi ex noſtris deſiderati Georgius [k] Kiſdeſius, Demetrius [l] Theſſenius, et P. [m] Petrudius. Tum hoſtes viginti plauſtrorum millibus convectam materiam in foſſam arci ſubjectam exonerant ea parte quae orientem reſpicit; quae flammam a noſtris injectam concepit, et omnino abſumpta eſt. Ibi,

dum

INTERPR. [a] *Radovany.* [b] *Bikſith.* [c] *Heiducque.* [d] *Hagmaſi.* [e] *Paladii.* [f] *Hoſthotii.* [g] *Zekel.* [h] *Macedonay.* [i] *Henyeli.* [k] *Kiſdeſi.* [l] *Theſſenis.* [m] *Petrudii.*

dum hoſtis ad reſtinguendum accurrit, acerrime pugnatum: deſiderati ex hoſtibus circiter IↃ CC, ex noſtris quoque plerique, et in iis Nicolaus [a] Czernelus eques, [b] Balogus decurio, et Franciſcus [c] Keſa ſauciatus, qui ex vulnere paulo poſt deceſſit. Idem et adverſa parte, quae ad occaſum vergit, noctu tentatum; convectaque materia ſtatim igne pariter concepto conflagravit; atque ex hoſtibus CCCC interfecti; ex noſtris periere Lazarus [d] Nagus, Martinus Rodovanus et Valentinus [e] Thotus. Cum vis non ſuccederet, Halis aſtu obſeſſos aggreditur, et promiſſis benevolentiae plenis ad deditionem hortatur. Iis conditiones detrectantibus, vim parat, foſſiſque denuo terra comportata impletis, et ab utraque parte in adverſo margine deſtitutis corbibus terra plenis, et ordine triplicato pluteis excitatis, ac ſuper ſaccos terra itidem oppletos impoſitis, praetoriani ſclopetarii quaſi ex editiore loco in oppidum jaculantur, et pluteis ac cratibus tecti impune noſtros infeſtant: inibique Gaſpar [f] Bathaſegius graviter vulneratus eſt. Tandem IV Eid. Quintileis excitati tumuli contra arcem; unde omni tormentorum genere in defenſores totos V dies tam furialiter facta diſploſio, ut obſeſſi prope de ſalute deſperarent, miſſoque nuncio a Ferdinando et Thoma [g] Nadaſdio palatii comite auxilia implorarent. Verum, cum contraria verberatione tumulum ad portam erectum dejeciſſent, reſumunt animos, et eruptione facta ingentem illam lignorum ſtruem, qua foſſa opplera erat, flammis repentinis cremant. Ab eo tempore tormentorum et ſcloppetorum utrinque diſploſis ictibus res geritur, uſque ad XII Kalend. Sextil. quo Halis, qui obſeſſorum pertinaciam nulla vi expugnari poſſe cerneret, ex occaſione Babozenſis obſidionis tormenta Quinqueccleſias verſus noctu moveri jubet, dum ſarciendis interea ruinis defenſores incumbunt, quaſi ſoluta obſidione. [α] Nadaſdius ut hoſtem a Zigetho averteret, ad Babozam caſtra poſuerat, quod eſt caſtellum [h] Rhymmiae amni impoſitum; ubi acriter certatum fuit, ingentique clade Turci caeſi: deſiderati ex noſtris Franciſcus [i] Steinenbrunnius caſtrorum praefectus, et Chriſtophorus [k] Pollevillerius Nicolai famoſi illius ducis frater, qui et ipſe expeditioni interfuit, eoque egregias copias in [l] Sequanis et per [m] Alſatiam ſcriptas adduxit. Poſt conflictum cum noſtri recedentes [n] Caniſam verſus iter haberent, ad [o] Dravum rurſus CC ex ſuis amiſerunt, in iiſque Nadaſdii ipſius fratrem. [β] Inde captata occaſione, Halis converſo itinere ad Zigethi obſidionem redit, et prope [p] Hazerduam ſylvam caſtra ponit; ubi levibus aliquot proeliis hoſtium vires a praeſidiariis labefactae: in quibus praecipue Marci [q] Horvathi virtus ſpectata eſt, qui ſingulari certamine cum Turco jactabundo congreſſus caput a cervice adverſario reciſum victor ad ſuos reportavit. Nec ceſſabat hoſtis, ſed inſidiis interea graſſabatur, irrito ſemper ſucceſſu. Inde caſtra ad arcem transfert; ſed effuſis repente defenſoribus repellitur; nihilominus quaſi obſidionem continuaturus aggeres ad eam partem erigit, et verberationem rurſus repetit, et nunc minis, [γ] oſtentatis a cadaveribus reſectis noſtrorum capitibus, nunc propoſita Solymani clementia praeſidiariorum animos ſolicitat. Obſeſſi pro reſponſo impetum faciunt, et hoſteis cum damno ſemper rejiciunt. Altero die rurſus undique facta impreſſione VIII horis continuis pugnatum; noſtrique acerrime reſiſtentes oppido quamvis ſemidiruto deturbari et in arcem compelli nequaquam potuere. Itaque, ſpe omni potiundi oppidi abjecta, purpuratus IV Kalend. Sextil. ab obſidione fugienti ſimilis diſcedit, praemiſſis Quinqueccleſias tormentis ac cetero bellico apparatu. IICIↃ hoſtium illa expeditione periiſſe memorantur; ex noſtris CXVI, exacte inita ratione; collecta plus quam CCIↃↃ globorum, et in belli uſum ſepoſita. Halis, ne nihil egiſſe videretur, obſidione ſoluta, antequam

ſe

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur 7 circiter lineae, uſque ad* Inde captata, *deſunt* P. [β] Verum Halis, accepta ad Babozam ingenti clade, ſubito redit, et prope Hazerduam P. [γ] oſtentatis a cadaveribus reſectis noſtrorum capitibus *deſunt* P.

INTERPR. [a] *Czarnel.* [b] *Balogh.* [c] *Keſas.* [d] *Nagh.* [e] *Thot.* [f] *Bathaſeghy.* [g] *Nadaſdy.* [h] *Rigne*, al. *Rinnia.* [i] *Steinenbrun.* [k] *le baron de Pollweiler*, al. *de Polleville.* [l] *Franche-Comté.* [m] *Alſace.* [n] *Caniſe.* [o] *la Drave.* [p] *Hazerdun.* [q] *Hortwath.*

CIↃIↃLVI. HENRICUS II.

ſe reciperet, [a] Babozam, [b] Martini-fanum, [c] Gereſgalum, [d] Sallium, [e] Laurentii-fanum et Calamanciam partim flammis abſumpſit partim ſolo aequavit. Tantos conatus fregit adventus Ferdinandi [α] archiducis a parente Caeſare cum [β] Sfortia Pallavicino ac delecto equitatu laborantibus ſuis auxilio miſſi. Is cum exiguo armatorum numero contra ingenteis Turcorum copias aciem inſtruxit, loco commodo, interjacente inter utrumque exercitum paludoſo ſolo, qua tranſiri ſine diſcrimine non poterat. Audaciam noſtrorum indignatus Halis, qui aut turpis receſſus aut periculoſi receptus neceſſitatem a fortuna ſibi impoſitam videret, rei ſummam in proelii aleam dare decreverat: jamque equo flexo in eo erat ut ſe in locum illum impeditum demitteret, cum praetor quidam equo deſilit, et, fraeno equi purpurati manu injecta, eum inſolenti conſtantia tam opportune revocat, ut praetoris conſilio ſervatum exercitum cuncti exercitus Turcici duces faterentur. Fama ejus rei [f] Byzantium perlata, purpurati, qui etſi in occulto fidem et prudentiam praetoris laudabant, cum tamen impunitatis tam audacis facti memoriam ſupereſſe nollent, et exemplum licentiae, ut ut ſucceſſerat, ſine animadverſione debita ad poſteros tranſmitti alienum a diſciplina exiſtimarent, hominem loco motum domum revocant, et inter abactos verſari cogunt, donec, purgato quoad viſum eſt flagitio, haud paulo meliore praefectura rurſus donatus eſt: ut appareret, diſciplinae magis conſervandae cauſa quam delicti ratione eas poenas dediſſe. Erat Halis eunuchus; ſed corporis defectum animo penſabat; de cetero ſtatura brevi, ſufflato corpore, colore buxeo, ſubtriſti vultu, torvis oculis, et inter latos et eminenteis humeros depreſſo capite, ac prominentibus ex ore duobus veluti aprugnis dentibus deformis.

XXV. Dum ad [g] Zigethum adhuc haereret, noſtri ex improviſo ſcalis admotis [h] Strigonium, urbem ejuſdem cum vicina arce nominis, cepere, praeda, pueris ac mulieribus inde abactis. Ejus rei cum trepidus nuncius ad eum veniſſet, ipſa vultus conſternatione magnum aliquod malum profeſſus, purpuratus non ſine circumſtantium riſu conſternationi nuncii illudens, et, Strigonii, quod nullo negotio recuperari poſſet, amiſſionem elevans, his verbis eum excepiſſe dicitur; Quam tu mihi cladem ingentem, fatue, quod tantum incommodum narras? ea demum mihi clades deploranda contigit, cum hinc (genitalium ſedem oſtentans) ea membra adempta ſunt, quibus vir eram. Poſtea is, amiſſa in reditu inſidiis atque incurſu Hungarorum bona exercitus parte, fractus ac inglorius Budam ſe contulit; ubi dux, qui tantam de ſe initio expectationem excitaverat, dolore atque ignominia expeditionis inauſpicatae inviſam vitam cum morte commutavit.

XXVI. Jam antea pridie Non. Mart. ingens et lucidum ſidus, ſinuoſo flexu flammiferum crinem trahens, in octavo Librae gradu per XII dies continuos [γ] arſerat: quo viſo, Caeſar mortem ſibi portendi ratus omnia ad profectionem neceſſaria comparari juſſerat: nec multo poſt ad Joannem [i] Hoiam Oſnaburgenſem epiſcopum, qui Camerae Spirenſi praeerat, et aſſeſſores dat literas admodum benevolas; quibus eos voluntatis ſuae certiores facit: ac ſub Sextilis exitum [k] Sudeburgi arcem a ſe in Mattiacis aedificatam contendit, inde propediem vela in Hiſpaniam daturus: ſed prius ad Imperii Ordines VII Eid. Septembr. dat literas; quibus ſignificabat, Imperii negotia Ferdinando a ſe commiſſa, et ad obedientiam ipſi in poſterum praeſtandam eos hortabatur. Sed, cum minime ignoraret, ſecundum Deum penes ſeptemviros, a quibus in Caeſarem electus eſſet, eligendi, ceſſionis et abdicationis accipiendae omne jus reſidere, idque citra eorum conſenſum et auctoritatem fieri non poſſe ſciret, honotificam

VAR. LECT. [α] archiducis *deeſt* P. D. o. f. [β] Sfortia Pallavicino ac *deſunt* P. [γ] arſit P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Babozza.* [b] *St. Martin.* [c] *Gereſgal.* [d] *Selie.* [e] *S. Lorinz, ou S. Lor, & Kalmancue.* [f] *Conſtantinople.* [g] *Zighet.* [h] *Gran.* [i] *Hoje, ou Hoei, evêque d'Oſnabrug.* [k] *Zuitbourg en Zelande.*

honorificam legationem ad ipſos adornaverat; cui praeeſſe juſſi Willelmus [a] Naſſo- CIƆIƆLVI.
vius Arauſionis princeps, Georgius Sigiſmundus [α] [b] Seldius Auguſtalis vice-cancella- Henricus II.
rius et Wolfangus [c] Halerus ab epiſtolis. Verum ii non niſi biennio poſt profecti mandata peregerunt, ſive quod poſt Caroli e Belgio diſceſſum inter regem ac Philippum ruptis induciis omnium animi de belli exitu ſuſpenſi eſſent, ſive quod interim III ex ſeptemviris mortuis novi ſucceſſerant, ac proinde tempus a comitiorum celebratione alienum videbatur. Siquidem Fridericus Palatinus nuper deceſſerat, uti diximus, eique Otho [β] Henricus ſucceſſerat, Auſtriacis ob praeteritorum memoriam haud ſatis aequus: Joanni vero [d] Trevirenſi archiepiſcopo, ex Iſemburgenſium comitum familia orto, paulo poſt decedenti, ſuffectus fuit Joannes [e] Laienus: Adolfo item [f] Colonienſi mortuo Antonius frater in ejus locum electus eſt: qui omnes nova aucti dignitate rebus domi componendis diſtinebantur. Igitur, non expectata legatorum profectione, Carolus, dimiſſo Philippo filio et Sabaudiae duce, qui eo uſque venerant, XV Kalend. Octobr. ſole in Libra, luna in Piſcibus verſante, hora VII, [γ] paulo poſt ſolis occaſum, id enim curioſe obſervatum eſt, [g] Sudeburgo ſolvit, cum Helionora Franciae et Maria Hungariae reginis ſororibus. In claſſe erant [h] Cantabricae naves XVI, Belgicae XX, omnes militares, cum praetoria, qua ipſe vehebatur, et complures holcades et Batavicae minores; quibus in Britannico freto primum VII armatae, ad [i] Portſmoutham VII, et rurſus ad [k] Vectim inſulam aliae VII, Britannicae omnes, ſe adjunxerunt. Inde Euro propitio provectus ſine ulla nauſea in Hiſpaniam trajiciens [l] Lareduni in [δ] Cantabria portum appulit. Quo loco magna procerum opperientium, nobilitatis ac civitatum legatorum, felicem reditum gratulantium, turba exceptus eſt. Ubi terram tetigit, id Caeſariani ſcriptores prodidere, proſtratus oſculum fixit; et, Salve, inquit, mihi optatiſſima mater: nudus ex utero matris exivi, nudus ad te tanquam alteram matrem redeo; et, quod unum poſſum, pro tam multis in me meritis corpuſculum hoc et oſſa mea do dedicoque. Continuoque de abdicatione jam facta ritu ſolemni denuo celebranda cogitare coepit. [ε] Id autem hoc ordine peragitur. In civitatibus, quae jus publici concilii habent, feciales duo, gentilitiis regni inſignibus ac veſtibus induti, in ſuggeſtu ad id parato ſtantes inter ſe adverſi, de more, alter dat, alter accipit ſceptrum, enſem et galeam; conceptiſque verbis prior ſic infit: Quod felix fortunatumque ſit univerſae Hiſpaniae ac ceteris provinciis, Carolus V imperator, Hiſpaniarum rex, legitimo jure factus, ſponte libentique animo ſe omni poteſtate abdicat; regemque eſſe jubet ac heredem ſuum inſtituit Philippum filium, ita ut in illum omnia jura regnandi, poſſidendi atque in alios transferendi tranſlata ſint, ritu legeque antiqua et eo jure tranſlata, quo jure optimo omnia publica et privata transferri ſolent. Quibus dictis, et traditis quae [ζ] geſtabat inſignibus, ille diſcedit: ſtatimque alter, accepto ſceptro, enſe et galea, populum ſolus alloquitur; ſpondetque regis nomine omnia facturum eum, quae ad regni et populorum incolumitatem pertinent. Id ſummis acclamationibus paſſim per civitates celebratum et peractum eſt. Inde ad [m] Pinciam in valle Olivetana regiam, ubi Carolus nepos educabatur, lectica devectus eſt: ubi biduum cum puero commoratus, poſtquam praeceptis ad gloriam et virtutem idoneis eum informaſſe ſatis viſus eſt, in aliam vallem in [n] Luſitaniae finibus ſumma coeli temperie et collium amoenitate delectabilem fontibuſque ac rivulis irriguam deſcendit; in qua Q. Sertorium fortiſſimum ducem ob proſcriptionem Syllanam patria exulantem reſediſſe fama eſt, atque ibi ſuorum fraude interfectum

VAR. LECT. [α] Seldus *P. D. o. f.* [β] Henricus *deeſt* *P. D. o.* [γ] ante ſolis *P.* [δ] Callaicis *P. D. o.* [ε] id ea ceremonia peragitur. *P. D. o. f. d.* [ζ] geſtat *P.*

INTERPR. [a] *de Naſſau, prince d'Orange.* [b] *Selden.* [c] *Haler.* [d] *de Treves.* [e] *de Leien.* [f] *l'electeur de Cologne.* [g] *Zuidbourg.* [h] *de Biſcaye.* [i] *Portſmouth.* [k] *Wight.* [l] *Laredo.* [m] *Valladolid.* [n] *Portugal.*

CIↃIↃLVI.
HENRICUS II.

ſectum eſſe. In ea nunc coenobium eſt Hieronymiani ſodalitii, Caſtellae VIII a Placentia civitate lapide juxta [a] Scaradillam municipium, montibus altiſſimis cinctum. Eo ſe Carolus contulit, nullo ſatellitio ſtipatus, praeterquam XII miniſtris; uno equo, quo propter imbecillitatem vehebatur, contentus. Ibi cum eſſet, de induciis ruptis accepit: quod aegre admodum tulit, ſpe tamen hac ſe ſolatus, quod deliri pontificis temeritatem et Caraſarum perfidiam noſtris rebus hactenus proſperis brevi detrimentoſam fore auguraretur.

XXVII. SUB exitum Octobris, cum hiſtoriam huc uſque exacta fide et diligentia pertexuiſſet, ſcribendi et vitae finem fecit Joannes [α] Sleidanus, lue populari correptus, anno aetatis LI, [b] Sleida in Ubiis oppido haud longe a [c] Marcoduro natus et ab eo cognominatus; vir eruditione et rerum agendarum peritia hoc ſaeculo clarus, qui adoleſcentiam apud nos fere egerat, et in [d] Bellaiorum familia diu verſatus res magnas ſub Joanne Bellaio cardinali geſſerat ac didicerat. Deinde, incaleſcente per Galliam in Lutheraniſmi ſuſpectos animadverſione, in Germaniam ſeceſſit, et [β] [e] Argentinenſi reipublicae ſuam operam addixit; in eaque urbe tot rerum, quas geſſerat, aut a fide dignis acceperat, notitia fretus commentarios ſcribere [γ] aggreſſus eſt. Nec multo poſt Joannes [f] Forſterus Auguſtanus, vir linguae Hebraicae ſcientia clarus, quam et ſcriptis luculentis illuſtravit, cum longo tempore [g] Witembergae docuiſſet, pridie Eid. Decembreis e vivis exceſſit, annos natus LXI. [δ] Ante eum XV Kalend. Septembr. Sebaſtianus [h] Corradus, [1] [i] Arcelli, quod antea [2] Bocardorum, nunc Julii [l] Tieni Scandiani marchionis caſtellum eſt, VII a [k] Regio Lepidi milliaribus, natus, obiit, in Dominicanorum aede Regii ſepultus; qui, tunc [l] Bononiae primarius linguae Latinae ac Graecae profeſſor, olim Baptiſtae Egnatio operam navaverat, ejuſque praeceptis inſtructus maxime Ciceronem illuſtravit, et quaeſtura illa ſua, ob rationem ejus ſumma fide relatam, aliaque in eundem edita, apud doctos, praeſertim P. [m] Victorium, M. Ant. [n] Flaminium, Romulum [o] Amaſaeum, Paulum Manutium, praecipuum merito nomen adeptus eſt. Nec praetermittendus videtur Joannes Gelida, [p] Valentiae, quae Ludovico [q] Vivi viro doctiſſimo, anno hujus ſaeculi XLI Lovanii, ubi profitebatur, defuncto, patria fuit, natus; qui, cum ſub barbaris doctoribus apud ſuos philoſophiae operam dediſſet, Lutetiam jam famoſum toto orbe literarum emporium venit; ubi, ſophiſtices illius et inutilium quaeſtionum, quae ex ea naſcuntur, pertaeſus, longe diverſam ſtudiorum rationem, quo erat ingenio acri et acuto, ſibi mox ineundam ſenſit, et, Jacobi [r] Fabri Stapulenſis literis renaſcentibus facem praeferentis doctrina ac praeceptis melius inſtructus, etiam utriuſque linguae puriorem cognitionem jam grandior natu [ε] percepit; et animum ad Ariſtotelem ſuum illuſtrandum adjecit, quem et magna auditorum frequentia in [s] Cardinalitia ſchola interpretatus eſt. Inde [t] Burdigalam evocatus ludo Aquitanico praefuit, [3] Andrea [t] Goveano gymnaſiarcha interea ad Joannem [u] Luſitanorum regem in patriam profecto, ut [v] Conimbricae ludum aperiret; quo et ſecum cum Gelidam ipſum una cum Patritio et Georgio Buchananis Scotis, Nic. [x] Gruchio, Gul. Guerenta Rotomagenſibus, Elia [y] Vineto Santone, Arnoldo [z] Fabritio Vaſatenſi, aliis, ducere vellet, nunquam potuit perſuadere homini Gallicanis moribus aſſueto, ut ad ſuos Hiſpanos redire vellet.

Itaque

VAR. LECT. [α] Sleidanus, a cognomine vico in Belgio ita vocatus; vir eruditione *P.*
[β] Argentinenſi reipublicae ſuam operam addixit; in eaque urbe *deſunt P.*
[γ] aggreſſus eſt; cumque Argentinenſi reipublicae inſerviret, et ejus nomine legationem honorificam apud Tridentinos patres egiſſet, tandem hoc anno lue populari correptus deceſſit, aetatis LI. Nec multo poſt *P.*
[δ] *Seb. Corradi elogium legitur ſub finem lib.* 13. *in Edd. P. D. o. et ſub finem lib.* 19. *in D. f.*
[ε] praecepit *P. D. o.* f. d.

INTERPR. [a] *Xarandilla.* [b] *Sleiden au pays de Cologne.* [c] *Duren.* [d] *du Bellay.* [e] *Strasbourg.* [f] *Forſter d'Augsburg.* [g] *Wittenberg.* [h] *Corrado.* [i] *Caſtello d'Arcetto de' SSri Boiardi.* [l] *Tieni, marcheſe di Scandiano* [k] *Reggio.* [l] *Bologna.* [m] *Vettorio* [n] *Flaminio.* [o] *Amaſeo.* [p] *Valentia en Eſpagne* [q] *Vives.* [r] *le Fevre d'Eſtaples.* [s] *le college du cardinal le Moine.* [t] *Bourdeaux.* [t] *Govea.* [u] *Portugal.* [v] *Coimbra.* [x] *Grouchy & Guerente de Rouen.* [y] *Vinet Saintongeois.* [z] *Fabri de Bazas.*

NOT. [1] Arcetti *Put.* [2] Boiardorum *Put.* [3] Dele *Andrea*: lege *Antonio* Put.

CIƆIƆLVI.
HENRICUS II.

Itaque Burdigalae remanſit, reditum Goveani opperiens; quo ante conſtitutum biennium in Luſitania mortuo, Gelida in precaria ludi praefectura, quam per Goveani abſentiam veluti apud ſe depoſitam ſumma cura adminiſtraverat, a ſenatu populoque Burdigalenſi confirmatus eſt; eamque pari laude totum ſeptennium tenuit; ac tandem hoc anno XI Kalend. Mart. ſexagenario major in ſumma rei familiaris anguſtia deceſſit, ſuperſtite uxore et filiola: et, cum multa domi affecta, quae publico daturus eſſet, habere crederetur, nullis ingenii ſui monumentis relictis, tantum paucas ejus epiſtolas cum aliis aliquot Arnoldi Fabricii Jacobus [a] Buſinus longo poſt tempore [b] Rupellae publicandas curavit, hoc veluti ultimo pietatis officio bene merito de ſe praeceptori gratiam potius rependens, quam quod eas expectationi de tanto viro conceptae reſpondere [α] exiſtimaret.

VAR. LECT. [α] exiſtimaret. Gelida mortuo, ſcholae Aquitanicae cura Eliae Vinetae, et jam tum et poſtea non ſolum de ſua ſchola, ſed de univerſa re literaria optime merito, demandata eſt: quam ille longo poſt tempore ſumma cum laude rexit. P. *Ita* D. o. f. *niſi quod ſub finem habent*, tempore ad ſummam ſenectutem, ceterum integris animi et corporis ad extremum uſque ſpiritum viribus, ſumma cum laude rexit.

INTERPR. [a] *Buſin.* [b] *la Rochelle.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER DECIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

RUPTAE a noſtris induciae, Caraſis inſtigantibus; et, ne ſine aliquo operae pretio id fieret, tentatum irrito conatu Duacum a Gaſpare Colinio, et Lentium in Atrebatibus direptum, publicato ſcripto contra Caeſarianos, quo juſtae belli cauſae defendebantur. II. *Fr. Lotharingus Guiſius cum exercitu in Italiam miſſus. Valentium captum.* III. *Canſultatum, in Inſubres omni praeſidio nudatos et Cremonam, an recta in Neapolitanum reguum ducendum eſſet. Briſſaco et Biragis contra tendentibus, Guiſius, relictis a tergo Inſubribus et Tanaro tranſmiſſo, recta ad Ferrarienſem vitricum tendit; et poſtea Bouoniae cum cardinali Caraſa de Neapolitani regni invadendi ratione agit.* IV. *Per Firmum et Aſculum traducto exercitu, Camplium vi capitur.* V. *Civitellae obſeſſae poſt multas et irritas oppugnationes damuoſa ſolutio.* VI. *In Etruria Mons-Ilcini a Caeſarianis inſidioſe tentatus.* VII. *Corſinianum a Bl. Monlucio interceptum.* VIII. *Corregienſes a Ferrarienſi infeſtati, Alfonſo filio coutra Gonzagas, qui Caeſari militabant, miſſo.* IX. *Briſſacus in Ciſpadana Gallia Claraſcum capit, et Cunium tentat. Piſcarii cum Briſſaco periculoſus juxta Foſſanum congreſſus.* X. *Coſmus magno et valido aſtu Philippum ad tradendam ſibi Senenſem ditionem adigit.* XI. *Interea res a M. Ant. Columna in Latio gerebatur. Pratica capta, Friderici Contii caſtellum. Mons-fortinus a Julio Urſino captus et crudeliter ferro et igni vaſtatus. Irrita Pilii obſidio. Labicum Columnae arbitrio deditur, et a Monfortinenſibus ultionis avidis incendio vaſtatur. Palaeſtrina deditur et Germanis in praedam cedit.* XII. *Inter Labicum et Palianum commiſſa pugna Urſinus a Columna vincitur, qui ſucceſſum urgens Segniam obſidet, per Felſium Maximi arcem intercipit, Ancoranum vi capit et Felinianum in agro Aſculano.* XIII. *Ad Aſculum ſub id acriter certatum fuit, ſed majore noſtrorum damno. Guiſius, non repraeſentatis quae promiſſa fuerant auxiliis, indignabundus regno excedit, et a pontifice evocatus Romam venit.* XIV. *Segnia a Columna capta et incenſa.* XV. *Albanus in Latium deſcendit, et urbem tentat.* XVI. *Guiſius a rege poſt cladem ad Quintinifanum acceptam in Galliam revocatur.* XVII. *Pontifex cum Albano convenit, Coſmi et Sanfloriani ac Vitellötii cardinalium interventu:* XVIII. *Eademque nocte tranſactum, qua Tiberis prodigioſa inundatione intumuit. Idem et Florentia ab Arno paſſa, et apud nos in Septimania Nemauſus; et longe in Oriente in Sanciaua Sinarum regione, tam copioſis eo anno imbribus, ut lacum a forma rotundum dictum effecerint, et ſeptem urbes abſorpſerint.*

Ex Auctoribus,

Franc. Rabutino, ſcriptis publicatis, Jo. Baptiſta Hadriano, Bl. Monlucio, Alexandro Andrea, Claudii Caſtrei commentariis MS.

LIBER

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

NUNC ingredimur annum LVII ſupra quingenteſimum et milleſimum, juxta Caroli ſapientiſſimi principis augurium, Galliae funeſtiſſimum; quo res noſtrae per inducias in tuto collocatae, improba Caraſarum ſuggeſtione et ambitioſa quorundam levitate in manifeſtum exitium praecipitatae ſunt, et regnum hoc, hactenus florentiſſimum, ab eo tempore bellis civilibus diu jactatum, tandem per illos ipſos belli auctores Hiſpanorum praedae et ludibrio patuit. Rex a Caraſis ſolicitatus, poſtquam oratores ad Caeſarem, qui adhuc in Belgio erat, et Philippum, injuriam a pontifice deprecaturos, miſit, Franciſcum [a] Lotharingum Guiſium familiae ſuae apud nos principem cum exercitu in Italiam exeunte anno ablegaverat, ut ſecundum nuper initum foedus pontifici adverſus Albanum, qui jam in [b] Latio bellum gerebat, praeſto eſſet: cumque animo provideret Guiſii in Italiam profectione inducias ruptum iri, ne ſine aliquo operae pretio bellum rurſus recrudeſceret, negotium dederat G. [c] Colinio maris praefecto et Picardiae praeſidi, ut in hoſtico ex improviſo aliquid conaretur. Menſarius quidam Lucenſis vitae perditae homo, cum nepotatu ſubſtantiam et pudorem omnem decoxiſſet, ex deſperatione ad vitam ſolitariam, ut plerumque fit, confugerat, conſcientiae latebras quaerens; et in colle, qui [d] Duaco imminet, religioſo cilicio tectus domicilium fixerat. Inde cum in oppidum ad emendicandam ſtipem quotidie deſcenderet, natura fortunam ac vitae votum ſuperante, curioſe ſitum, pomoerium ac foſſam urbis contemplatus fuerat, et loca infirmiora notaverat, eaque de re cum Colinio egerat; qui, quanquam invitus faceret, ut inducias, quas ſolemni jurejurando ipſe firmaverat, violaret, tamen, cum res eo deductas videret, ut, bello inter Hiſpanos et pontificem exardeſcente, reges neceſſario ad arma deſcenſuri eſſent, antevertendum duxit, et inſigni aliquo facinore hoſtem praeveniendum. Itaque, noctu cum prope oppidum VIII Eid. Januar. marcentibus vino oppidanis, inſidias ſtruxiſſet, a vetula tamen inſomni proditus eſt; quae vix tandem improbo clamore excitatis vigiliis conatum noſtrorum irritum reddidit. Inde Colinius [e] Lentium, medium inter Inſulam et Rigiacum Atrebatum municipium, quod Nimetacum olim fuiſſe autumant, vi capit, diripit, et licentioſe habitum poſtremo incendit; ingentique praeda abacta, cum pluſculos dies in limite excurriſſet, ad ſuos revertitur. Hoc ruptarum induciarum initium fuit. Cujus rei culpam cum Caeſariani in noſtros rejicerent, Duacum inſidiis tentatum et Lentium crudeliter direptum dictitantes, noſtri contra bellum a Philippo contra pontificem, qui foedere comprehenſus ſit, ſuſceptum armis cauſam dediſſe replicabant, aliaſque inſuper rationes addebant, publicato ea de re libello a Carolo [f] Marillaco archiepiſcopo Viennenſi conſcripto: quo inter cetera et illud habetur; [g] Marciano Sedanio equitum tribuno ante aliquot annos captivo, prius quam dimitteretur, venenum propinatum eſſe, ex quo mox domum reverſus deceſſerit: tentatam inſidiis [h] Metim ope Franciſcanorum, qui a Carolo [i] Brimaeo Megae comite Lucemburgenſis principatus praeſide et a Sabaudiae regulo ſubornati fuerant: de [k] Burdigala item intercipienda a [l] Barlemontio aerarii praefecto occulta conſilia inita fuiſſe: nuper vero prope [α] [m] Faram Veromanduorum ad [β] Eſiam quendam Jacobum

VAR. LECT. [α] Forum *P. D. o.* [β] Iſaram *P.*

INTERPR. [a] *de Lorraine, duc de Guiſe.* [b] *Campagna di Roma.* [c] *de Coligny.* [d] *Douay.* [e] *Lens, entre Lille & Arras.* [f] *de Marillac, archevêque de Vienne en Dauphiné.* [g] *de la Marck, mareſchal de Sedan.* [h] *Mets.* [i] *de Brimeu, comte de Meghen, gouverneur de Luxembourg.* [k] *Bourdeaux.* [l] *de Berlaimont.* [m] *la Fere en Vermandois ſur Oyſe.*

CIↃIↃLVII.
HENRICUS II.

Jacobum [a] Flectiam nomine muniendorum locorum peritum captum eſſe, qui tormentis adhibitis confeſſus ſit, a [b] Sabaudo pecunia accepta in id miſſum ſe, ut munita Gallici limitis loca inſpiceret; atque in primis [c] Monſtrolium, [d] Durlanium, [e] Quintini et Spiritus ſana ac [f] Mezeriam, et poſitum eorum exacte deſcriberet: nefanda item fraude corruptum quendam [g] Subalpinum Gallum, qui puteos et aquas omneis [h] Mariaburgi veneno inficeret: denique nuper [i] Menilii praeſidiarios, quaſi in ſuo vivere non poſſent, ad [l] Abbatis uſque villam et Spiritus-fanum, [k] Cimacenſeis et Avenenſeis [l] Capellam verſus et [m] Rozaeum et Albentonum in agro Tiracenſi excurriſſe, ſi ſe occaſio dediſſet, procul dubio hoſtili animo in oppida illa invaſuros. His utrinque rationibus ſe quiſque excuſabat.

II. JAMQUE Guiſii exercitus Alpeis aſperrima hyeme ſuperaverat, et per [n] Auguſtam Taurinorum, [o] Clavaſium et Jacobi-fanum cum majore copiarum parte [p] Tricerrum inter Vercellas ac Trinum venit, et [q] ad Caſalium Monſerratenſe [r] Padum tranſmittit: pars altera navigiis, quae reperiri potuere, impoſita ſecundo flumine ad [s] Sturae-pontem delata eſt, oppidum ante annum poſt [f] Volpianum a noſtris captum, magna cura Albani munitum et valido praeſidio, cui Emmanuel Luna praeerat, firmatum. Ibi egredientibus praeſidiariis aliquandiu certatum, meliore ſemper noſtrorum conditione, qui numero vincebant. In exercitu Guiſii erant omnino XII CIↃ peditum; videlicet VII CIↃ Gallorum, Helvetiorum ac Rhaetorum V CIↃ: CCCC cataphracti, IↃ CCC circiter levis armaturae equites; quibus praeerat Cl. [t] Lotharingus Aumalius Guiſii frater ac legatus. Praecipui duces erant Jacobus [u] Sabaudus Nemoroſii dux peditatus Gallici, Renatus Lotharingus [v] Ellebovius Guiſii item frater [x] Helvetiorum ac Rhaetorum praefectus, Franciſcus [y] Clivenſis, F. [z] Vindocinus Carnutum vicedominus, [α] Claudius [aa] Caſtreus, tunc valde juvenis, et qui poſtea bellicae virtutis magnum inſtar fuit, [β] nec non Gaſpar [bb] Nancaeus Claudii frater patruelis; alii item ex primaria nobilitate. Philibertus [cc] Marſilius Sipetra, Gaſpar [dd] Saulius Tavanius et Bonifacius [ee] Mola praefecti caſtrorum erant. Inde a Fulvii foro, quod et [ff] Valentium olim dictum et adhuc hodie nomen retinet, petitus commeatus: quo a municipibus negato, et addito ſuperbo reſponſo a praeſidiariis, ſcloppetorum inſuper ictibus aliquot diſploſis, et quibuſdam ex noſtris vulneratis, irritatus Guiſius injuriam ulciſci ſtatuit; ſtatimque excitato tumultuario opere tumulo, unde in oppidum deſpici poterat, tormenta admovet, et, per V dies continuata verberatione, murum aperit. Erant in oppido Alexander [gg] Carpiniae comes et Horatius [hh] Spolverinus Veronenſis cum III Italorum et II Rhaetorum ſignis; qui juſſi deditionem facere poſtquam recuſarunt, a Vaſconibus fit impetus, relictis in caſtris cum equitatu Helvetiis, qui tormenta ſervarent. Primo impetu captum oppidum a noſtris, ſubinde pontificis nomen inclamantibus; et poſt exiguum certamen, qui in eo erant omnes in poteſtatem devenere. Id actum XIII Kal. Feb. Arx ſuperabat, quae ab Hiſpanis tenebatur; qui et mox deditionem fecere: milites omnes armis exuti et dimiſſi, aequatis ſolo oppidi muris, et arce ſervata pontificis interventu, cujus nomine res adminiſtrabatur. Nondum de tentato [ii] Duaeo et dicepto [ll] Lentio fama percrebuerat: itaque cardinalis Tridentinus ad Guiſium mittit, qui Valentium per inducias captum repeterent. Ad haec Guiſius, ruptas a Caeſarianis inducias dicere, diſploſis contra ſuos

ſcloppetis

VAR. LECT. [α] Claudius. *Ab hoc verbo ad* frater patruelis *incluſivè, 2 fere lineae, deſunt* P.D.o.f. [β] nec non Gaſpar Nancaeus Claudii frater patruelis *deſunt* D d.

INTERPR. [a] *de Flectias* [b] *le duc de Savoie.* [c] *Monſtreuil.* [d] *Dourlens.* [e] *St. Quentin & St. Eſprit de Rue.* [f] *Mezieres.* [g] *un ſoldat Provençal.* [h] *Marienbourg.* [i] *Meſnil.* [l] *Abbeville.* [k] *ceux de Chimay & d'Aveſnes.* [l] *la Capelle.* [m] *Rozoy & Aubenton en Tierache* [n] *Turin.* [o] *Chivas & Santjá.* [p] *Tricerro entre Vercelli & Trino.* [q] *Caſal de S. Vas.* [r] *le Po.* [s] *Pondeſtura.* [f] *Vulpiano* [t] *de Lorraine, duc d'Aumale.* [u] *de Savoie, duc de Nemours.* [v] *le marquis d'Elbeuf.* [x] *des Suiſſes & Griſons.* [y] *de Cleves, fils du duc de Nevers.* [z] *de Vendôme, vidame de Chartres.* [aa] *de la Chaſtre.* [bb] *de la Chaſtre, comte de Nançay.* [cc] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [dd] *de Saulx, ſieur de Tavanes.* [ee] *de la Mole.* [ff] *Valenza.* [gg] *Carpegna.* [hh] *Spolverino, Veroneſe.* [ii] *Dinay.* [ll] *Lens.*

ſcloppetis ac pleriſque ſauciatis: praeterea pontificias has non regis copias eſſe; et licuiſſe pontifici, qui iniquo bello in [a] Latio ab Hiſpanis opprimatur, cum iis hoſtiliter agere: proinde cum pontifice ipſum agere debere. Amiſſi oppidi cum in Alexandrum Carpiniae comitem, quamvis in eo ſauciatum et captum, culpa conferretur, et alios duces, de quibus a Piſcario marchione quaeſtio habita et extremum ſupplicium ſumptum eſt: ille contra culpam in Rhaetos rejiciebat, quorum plerique ad Gallos transfugerant, et Italos quoſdam, qui metu correpti ſine certamine ultro ſe e muris praecipites dederant.

III. POSTQUAM Guiſius per aliquot dies [b] Valentiae commoratus eſt, caſtra promovet, et [c] Placentiam verſus contendit, relicto in [d] Subalpina regione Briſſaco cum exiguis copiis, et Ludovico Birago, qui Jacobi-fanum valido praeſidio tenebat. Is urgebat, ut, quando ſemel induciae ruptae erant, recta Cremonam iretur, quam raris Hiſpanorum ſignis firmatam ſpes erat facile occupari poſſe; eaque capta, [e] Abduae fauces inſideri debere a IV CIƆ Rhaetorum, qui vicini ſint: ita tranſitum Germanis auxiliaribus, qui a Philippo conducebantur, intercludi: quo facto, ac mox reducto in [f] Inſubreis exercitu, florentiſſimam illam regionem omnem praeſidiis fere nudatam, ac [g] Mediolanum ipſum, ubi tunc Tridentinus ſummis difficultatibus conflictabatur, nullo negotio in poteſtatem redigi poſſe: eam tutiſſimam belli gerendi rationem eſſe, ut, finitima ea provincia cum Subalpina, quam jam noſtri tenebant, unita, ulterius procedatur; quae non niſi periculoſiſſimo errore ultra tendentibus a tergo relinqui poſſit. Ac memini quidem, ipſum Tridentinum [α] cardinalem, cum ille Paulum [h] Foxium Carmanium virum clariſſimum, nobilitate, eruditione ac rara morum probitate aevo hoc noſtro cum paucis comparandum, Romam tunc Henrici III nomine proficiſcentem, in cujus comitatu eramus, [i] Suriani loco amoeniſſimo extra urbem excepiſſet, qua erat humanitate et animi candore, palam ac me praeſente dicere, ſe ſummas omnipotenti Deo gratias habere, quod tot ac tantis juxta honorificis et arduis bello ac pace tota vita commiſſis negotiis ſe feliciter explicuiſſet; ſed ob id maxime, quod, cum ipſe, Valentio capto ac terrore Gallorum per omnem regionem ſparſo, a milite, pecunia et omni re neceſſaria imparatus eſſet, Guiſius contra ſe arma minime vertiſſet: neque enim dubium eſſe, quin ſeu vi ſeu rerum inclinatione totam momento provinciam Gallici juris facturus fuiſſet. Verum cardinalis Lotharingi fratris ſuggeſtiones, qui ob ſpes temere conceptas ſibi monſtra finxerat, et Carafae cardinalis, qui ultione et ambitione caecus, omni alia poſthabita ratione, arma quam primum in regnum transferre feſtinabat, in cauſa fuere, quo minus Guiſius ſanioribus conſiliis acquieverit. Itaque, [k] Tanaro tranſmiſſo, [l] Dertonam verſus facto itinere, in Placentinum et Parmenſem agrum deſcendit, ſine injuria traducto exercitu, quod, quamvis Octavius jam Caeſari ac Philippo reconciliatus eſſet, nullum tamen hoſtilis animi ſignum hactenus edidiſſet, et ultro oppidani paſſim in ejus ditione commeatum abunde noſtris praebuiſſent. Ita per viam Æmiliam incedens ad Ferrarienſem ducem contendit, qui eum cum copiis ad [m] Niciae pontem, quem hodie Lenzam vocant, in agro Regienſi opperiebatur, ſub Februarii principium. In Ferrarienſis exercitu erant omnino VI CIƆ peditum, IↃ CCC equites optime armati et in aciem inſtructi: ipſe paludamento ac galero ingentis pretii gemmis, quae plus decies centenis millibus aureorum aeſtimabantur, diſtincto, ad oſtentationem ornatus, ante alios cum primaria nobilitate, relucentibus undique ad ſolis radios circumfuſorum equitum armis, ſtabat. Ut Guiſius in conſpectum venit, ſtatim in pedes deſcendit, et ſcipionem ſupremi imperii inſigne ei ultro regis nomine defert. Ille in equo ſedens venientem Guiſium excepit, credo, ut ſocer generum, non ut primarium a rege miſſum ducem. Inde

VAR. LECT. [α] cardinalem, aliquot annis poſt, cum P.

INTERPR. [a] *Campagna di Roma.* [b] *Valenza.* [c] *Piacenza.* [d] *Piedmont.* [e] *l'Adda r.* [f] *Lombardie.* [g] *Milan.* [h] *de Foix, ſieur de Carmain.* [i] *Suriano.* [k] *Tanaro r.* [l] *Tortona.* [m] *ponte di Lenza.*

CIϽIϽLVII. Inde [a] Regium Lepidi ambo ſimul profecti ſunt; ubi rurſus de belli gerendi ratione
HENRICUS II. actum, praeſentibus Caraſa cardinali, a pontifice ad Ferrariae ducem legato, et Joanne [b] Capra Lodevenſi epiſcopo, apud ſenatum Venetum regis oratore. Ferrarienſi placebat, ut non longe a domo bellum gereretur, atque ut Cremonam exercitus duceretur, quae ex foedere in ejus manus conſignari debebat; quod idem [c] Briſſaeus et [d] Bitagus faciendum cenſuerant. Alii dicebant, Parmam petendam eſſe: quod et Ferrarienſi placebat; ſed repugnabat Guiſius, quod Octavius regium adhuc torquem retineret, neque amicitiam regi renunciaſſet. Aderat [e] Furcovallius, is, qui auxiliares Germanos in Etruriam ante pugnam Marcianam adduxerat; ille Senas petendas cenſebat, quae debili admodum praeſidio tenebantur, et, diſſidentibus [f] Burgenſi ac Coſmo, capi facile poſſent; quibus captis et libertate reipublicae reſtituta, non ſolum res noſtras in Italia confirmari, ſed magnum momentum afferri ad bellum deinceps in regno gerendum. Verum Guiſius, ſeu fratris praeſtigiis, ſeu vanis Caraſarum promiſſis faſcinato animo, neminem audiebat; ſed in ſententia cum Caraſa perſtabat, et, omni mora omiſſa, ad regnum recta properandum eſſe contendebat. Cum igitur Ferrarienſis de ambitioſis juxta et temerariis eorum conſiliis male auguraretur, ipſe, quamvis ex foedere ſupremus belli dux, veritus, ne, ſecum longius abducto milite, interea inde ab Octavio Farneſio et Mediolanenſibus praeſidiariis, inde a Coſmo domi opprimeretur, fruſtra de foedere cum ipſo conteſtante Caraſa cardinali, in ſuo manere ſtatuit, tormentis, pulvere et reliquo belli apparatu ultro, uti tenebatur, praebitis. Guiſius, relicto ſocero, cum Caraſa Bononiam proficiſcitur; ubi, magna in ſpeciem vulgi laetitia exceptus, cum videret nihil eorum quae promiſſa fuerant praeſtari, et peditatum nondum conveniſſe, graviter cum Caraſa conqueſtus eſt; qui factum excuſans temporis anguſtias cauſabatur; et tamen a Joanne Antonio Tiraldo XII cIϽ peditum in [g] Piceno conſcribi affirmabat. Ferrarienſis, relicto in exercitu Alfonſo filio, Venetias perrexit; ubi a ſenatu ultro obviam cum Bucentauro prodeunte VIII Eid. Mart. honorifice exceptus et in aedeis ſuas deductus eſt. Ter in colloquium ſecretum admiſſus, cum principe et delectis ſenatoribus egit; et, quibus rationibus inductus foederi ſubſcripſiſſet, apud eos pluribus explicavit; nimirum ob fidem, qua pontifici, qui nunc bello petatur, praeſto eſſe teneatur, et injurias a Philippo rege acceptas, ob arctam denique cum rege Galliae adfinitatem. Cum ſuper ea re conſilium ipſorum expoſceret, nullum reſponſum aliud tulit, quam ſatis ipſum, innata prudentia et longo rerum uſu inſtructum, videre, quid e re ſua ſit, nec conſultoribus egere: ſe in amicitia, quam cum ipſo et parente ejus hactenus coluerint, conſtanter permanſuros. Inde Ferrariam redit; et, ne nihil ageret, cum copiis, quas habebat, filio negotium dat, ut Martini-fanum, quod, Sigiſmundo Gonzaga Mediolanum profecto, a quibuſdam Hiſpanis tenebatur, in poteſtatem redigeret. Martini-fano ac praeterea [h] Nugarolla ac [i] Rollo captis ac praeſidio firmatis, Alfonſus [k] Corregium tendit; et, vaſtato circum agro, quod ejus loci reguli aliquot nuper Hiſpanorum cohortes, cum neutrius partis eſſe potuiſſent, accepiſſent, Guaſtallam Ferdinandi Gonzagae oppidum aggreditur: verum a patre revocatus vim abſtinuit. Conſultantibus [l] Bononiae Guiſio et Caraſa, qua parte in regnum impetus fieret, quatuor viae proponebantur: prima, per Germani-fanum, olim temporibus Conſalvi magni a Gallis infeliciter tentata, nunc vero periculoſa ob [m] Fruſinonam et Auagniam, praeter quas tranſeundum erat, egregie ab Albano munitas; altera per [n] Taliacotium [o] Columniae ditionis frequens caſtellum, (quod in dextra [p] Fucini lacus ripa ex [q] Samnio venientibus occurrit) [r] Valerii vicum, ſive, ut alii, Varronis, M. Antonii Coccii Sabellici

eunis

INTERPR. [a] *Reggio.* [b] *de Gabre, evêque de Lodeve.* [c] *le mareſchal de Briſſac.* [d] *de Bitague.* [e] *de Pavie, ſieur de Fourquevaux.* [f] *le cardinal de Burgos.* [g] *Marca d'Ancona.* [h] *Nugolara o Nuvolara.* [i] *Rollo.* [k] *Correggio.* [l] *Bologna.* [m] *Fruſolone & Anagni.* [n] *Tagliacozzo.* [o] *Colonna* [p] *lago di Celano.* [q] *Abbruzzo.* [r] *Vico-varo.*

cunis nobile item caſtellum, et [a] Sublacenſe coenobium, difficilis admodum propter montium et convallium aſperitatem; ut et tertia, quae per [b] civitatem Ducalem [c] Reate ducit: itaque tutior ſecundum eam viſa eſt, quae [d] ſuperi maris litus legentibus per [e] Firmum, [f] Aſculum, [g] Civitellam ac Juliam-novam [h] Truentum tendit, quod et planior eſſet, et milites a [i] Tiraldo conſcripti jam per ea loca conveniſſent: his accedebat, quod illac euntibus expeditior via in Apuliam pateret, regionem fertilem et omni rerum copia abundantem. Eam viam cum tentari placuiſſet, Guiſius Bononia cum Caraſa digreſſus [j] Forum Cornelii et Ravennam tendit; et inde, per Picenum itinere facto, [k] Faventiam, [l] Livii-forum, [m] Caeſenam ac poſtremo Ariminum pervenit, ubi Paulus Jordanus Urſinae familiae princeps ac Coſmi gener pontificis juſſu ſe cum ipſo conjunxit. Praemiſſo inde [n] Eſiim exercitu, ipſe [o] Piſaurum, ut cum [p] Urbinatium duce ageret, profectus eſt: unde mox per diſpoſitos equos Romam ad ſalutandum pontificem cum Caraſa contendit. Interea ad Guiſii adventus famam Albanus, miſſo Aſcanio [q] Corneo, qui loca, quae circa Neapolim muniri juſſerat, inſpiceret, Hiſpanos et Germanos, quos in [r] Latio reliquerat, revocat, et per [s] Samnii praeſidia diſtribuit. Ipſe III Eid. April. magnis itineribus cum parvo comitatu [t] Sulmonem tendit, et inde [t] Theate et Adriam profectus, confirmatis popularium animis, et [u] Sanfloriano Civitellam, qui eam defendendam ſuſceperat, ire juſſo, Sulmonem redit, ut copias tam pedeſtreis quam equeſtreis huc illuc diſperſas colligeret. Erat Civitellae Carolus [v] Loffredus, magni animi juvenis, ab Alfonſo [x] Trevici marchione patre in ea relictus cum CIϽ CC Italis et II popularium ſignis; ſed, nutantibus ad obſidionis famam oppidanorum animis, commodum ſupervenit Sanflorianus cum Franciſco [y] Portio et XXX levis armaturae equitibus, qui continuato diem ac noctem itinere vix noſtrorum manus effugit: jam enim noſtri Firmum et Aſculum praetervecti ſe cum copiis pontificiis conjunxerant.

IV. Ubi omnes convenere, Tiraldus, penes quem ſumma armorum erat, [α] XV Kalend. Maias cum CIϽ IϽ ex ſuis et IϽ circiter ex noſtris [z] Camplium petit, tripartitum oppidum III a Civitella miliaribus. Juſſi a Guiſio oppidani dedere ſe, qui non ſolum eorum, ſed totius regni in libertatem aſſerendi ergo miſſus eſſet, cum recuſarent et hoſtilem animum oſtenderent, ſtatim admotis ſcalis, noſtri impetum faciunt ab ea parte quae arcem novam reſpicit: unde cum damno repulſi, eo irritatiores certamen reſtituunt, et, concurrentibus undique ſociis, tandem foro potiuntur, et omnia ferro, ſanguine ac libidine, nullo aetatis ac ſexus diſcrimine, miſcent: ne virginibus quidem Deo ſacris parcitum. Pauci, qui in Nocellam confugerant, ſic tertiam oppidi partem vulgo appellant, cum primum impetum evaſiſſent, humanius habiti ſunt. Ingens praeda, ut quam CC aureorum CIϽ exceſſiſſe ſcribit Alexander Andreas, a noſtris facta, everſis aedibus et ſuffoſſis muris, in quibus magnae divitiae, jam a longo tempore congeſtae et ab inquilinis ignoratae, ſunt repertae: magnus praeterea et copioſus ad reficiendum militem commeatus.

V. Capto Camplio noſtri ad portas uſque Civitellae excurrerunt, ſub id fere tempus quo Sanflorianus ab [aa] Albano miſſus in eam ingreſſus eſt. Deditum mox [bb] Teramum; noſtrique continuis populationibus [cc] Sicilianam vallem, [dd] Columellam, [ee] Curteguerram, [ff] Corropolim et Juliam-novam infeſtabant. Ad Civitellam crebris velitationibus certabatur, erumpentibus, ductore Carolo Loffredo, praeſidiariis. Tandem

VAR. LECT. [α] XVII P. D. o.

INTERPR. [a] *Abbadia di Subbiaco.* [b] *Civita Ducale* [c] *Rieti.* [d] *mare Ionio.* [e] *Fermo.* [f] *Aſcoli.* [g] *Civitella e Giulia nuova.* [h] *il Tronto fl.* [i] *Tiraldo.* [j] *Imola & Ravenna.* [k] *Faenza.* [l] *Forli.* [m] *Ceſena.* [n] *Geſi.* [o] *Peſaro* [p] *Urbino.* [q] *della Cornia.* [r] *Campagna di Roma.* [s] *Abbruzzo.* [t] *Sulmone.* [t] *Chieti & Atri.* [u] *il conte di Santafiore.* [v] *Loffredo.* [x] *Trivico.* [y] *da Porto.* [z] *Campli.* [aa] *le due d'Albe.* [bb] *Teramo.* [cc] *valle Siciliana.* [dd] *Colonnella.* [ee] *Contraguerra.* [ff] *Corropoli.*

CIↃIↃLVII. HENRICUS II.

Tandem VIII Kalend. Maias, adveniente Guiſio, qui diu in agro Firmano ſubſtiterat pontificias copias opperiens, et [a] Montis-belli marchione, urbs obſidione cincta eſt; quod ad exiſtimationem pertinere exiſtimarent, potius in hoſtico exercitum tenere magno ſociorum levamento, quam cum famae jactura in ſuo inutiliter ſedere. Octo dies luſtrando loco et convehendis machinis ac ceteris rebus ad verberationem faciendam neceſſariis inſumpti ſunt: quibus exactis, admota tormenta ad eam partem quae inter orientem et meridiem prominet. Civitella in [b] Caracenis arduo colli impoſita eſt, ab ea parte praerupto qua Septentrionem ſpectat, et per unam portam Hadriaticum mare deſpicit. In imo colle olim habebat arcem quinque propugnaculis munitam, ab oppidanis ſub Caroli VIII in Italiam adventum deſtructam, ne praeſidiariorum inſolentiae ad praedam exponerentur. Ad occaſum, ubi declivior eſt, [c] Viperatam fluvium ſubjectum habet, haud longe ex Apennino juxta [d] Gercetum ſcatentem, qui flexuoſis anfractibus vallem interſecat, unde illi nomen, et ad [e1] Aegidii-fanum in mare exoneratur. Paulo inferius [f] Salinus eſt, qui, relicto ad laevam [g] Turtureto, prope Juliam-novam decurrit. Admotae ad eam partem machinae, quae orientem et meridiem ſpectat; et, verberatione continuata cum ingens ruina edita fuiſſet, in eam enitendi ſumma difficultas occurrebat, quia et aſcenſus arduus eſſet, et ob immodicos imbreis admodum lubricus; quod ut difficultatem noſtris afferebat, ita obſeſſis magnae commoditati fuit, qui penuria aquae laborabant, et praeter unicum fontem, quem [h] Trevici marchio pomoerio producto intra oppidum claudi curaverat, ac paucas ciſternas, nihil fere aquae habebant. Cunctante Guiſio in impetu faciendo, interea ab obſeſſis non ceſſabatur, qui farciendae ruinae dies noctesque animoſe incumbebant; foeminae in primis, quae nihil periculo territae animis viros aequabant, et, quamvis pleraeque ex iis interficerentur, eo tamen ceterae alacriores advolabant, et ſumptis etiam virorum armis, quo major praeſidiariorum numerus appareret, ultro in noſtrorum conſpectum prodibant. Erant in oppido quaedam minora tormenta, quae Trevicus illuc Aquila comportari ante obſidionem curaverat. Ea Sanflorianus modo in hanc modo in illam partem transferebat tanta celeritate, quod levia eſſent, ut totum oppidum tormentis intus cinctum eſſe videretur. Horum contraria verberatione noſtri admodum infeſtabantur, confractis plerumque machinarum rotis, et fabris tormentariis ipſis interfectis. Cui incommodo ut occurreret Guiſius, mutata verberatione, et tormentis ad eam partem quae monteis reſpicit, et in qua arx erat, reductis, duos pluteos ex trabibus compactos et tranſverſis aſſeribus ſtratos fabricari jubet, qui rotis ſubjectis impellebantur, catos vulgus indigetat, ad inſtar eorum, quae operiendis tormentis, ne pluviis corrumpantur, fieri ſolent. Ita II CIↃ ſcloppetarii, quaſi teſtudine facta tecti, ſub primam vigiliam muro ſuccedunt. Verum ab illa parte hoſtes foſſam intus duxerant loco arduo et prominentibus utrinque propugnaculis munito. Diſploſis contra arcem tormentis, cum Sanflorianus accurriſſet, media fere nocte Guiſius ad eam partem, qua foſſa ducta erat, impetum facit, ſtrenue locum defendentibus Angelo [i] Morro, Virgilio [k] Floro, et Tullio Civitellenſi juventutis duce. Eorum conſilium erat citra pomoerium ſe continere, et Gallos irrumpenteis intra foſſam ac ruinam admittere, atque ibi loco iniquo undique circumventos excipere. Non tulit Sanflorianus, veritus, ne, ſi ſemel noſtri pedem in urbe ponerent, propugnatores territi fatiſcerent, Gallique ex eo alacriores redditi animos ſumerent, et, quod vi ſua conſequi non poſſent, aliena culpa adipiſcerentur: itaque miſſo [l] Riccio Curdinio imperat, ut contra ad prohibendos ruinae ingreſſu noſtros

INTERPR. [a] *Monte-bello.* [b] *c'eſt une partie de l'Abbruzze.* [c] *la Librata r.* [d] *Cerqueto.* [e] *S. Eggidio* [f] *Salinello.* [g] *Tortoretto.* [h] *Trevico.* [i] *Morro.* [k] *Florio, & Tullio da Civitella.* [l] *Riccio di Cardino.*

NOT. [1] *Aegidii-fanum*] Je voudrois lire *Turturetum*, ſelon Aleſſ. Andrea, p. 86, parce que Eggidio eſt aſſez loin de la mer. Il eſt vrai que Torre eſt plus près de la mer que Tortoretto. Dele *Aegidii-fanum*: lege *haud longe a Turtureto*. Put.

noſtros ſe compararent. Is cum LX circiter ſcloppetariis, dum reliqui deliberant, ad ruinam, quo jam unus e noſtris evaſerat, deſcendit, eoque ſariſſa in pectus adacta turbato, ſuis exemplo fuit, ut ſe viros oſtenderent. Ibi acriter utrinque pugnatum; ſed iniquiore noſtrorum conditione, qui hoſtem ex editiore loco pugnantem et artificioſos igneis atque immanis ponderis ſaxa emitteotem oon ſuſtiouere, jam oppreſſis etiam iis qui ſub pluteis enitebantur. Itaque, ingenti accepto damno, Guiſius receptui cani jubet, et ſuos tevocar. CC amplius ex Gallis deſiderati: totidem vuloerati; in iiſqne [a] Cupinius, qui fracto crure iotet ruinas paene ſepultus ex clamore ab obſeſſis agnitus et intra urbem acceptus eſt. Hoc caſu, ſive ſtupefactus, ſive ex iodignatione contra Carafas coocepta, quod promiſſa minime repraeſentarentur, irritatus Guiſius graviter cum [b] Mootis-belli marchiooe de pontifice expoſtulavit; et ex querelis in jurgia ambo prolapſi poſt acerbas utrinque exprobrationea parum amiei diſceſſere. Et Antoolua quidem Carafa Romam per diſpoſitos equos, relicto in caſtris Guiſio, petrexit, ut, re cum cardinali agnato communicata, quid ſpei ac praeſidii in noſtris eſſet jam certiores rebus ſuis in tempnre cooſulerent. Sub id rempus Antonius [c] Auria, vir ſcieotiae militaris ac maritimae apprime gnarus, Sulmonem venit: et inde cum Albano [d] Theate profectus eſt, ut copias iis loeis convenire juſſas luſtraret. III CIƆ Hiſpanorum veteranorum inibi eranr, quorum praefectus Sanctius [e] Mardones; CIƆ IƆ CCC Germani, ductore Gaſpare [f] Felſio; IV CIƆ item Germanorum, qui nuper e [g] Gallia Tranſpadana venerant, quibus praeerat Albericus Lodronius; VIII CIƆ circiter magnam partem Calabrorum ac Sieulorum, ducibus Hannibale [h] Janoario, [i] Nicolerae ac Seminarae comitibus, Salvatore [k] Spinello, et Cicco Loffredo; III item CIƆ aliorum Italorum, qoos ſub XXX Neapolitanis equitibus, tanquam ſub ceoturionibus, Albanus ordinaverat, praeterea VI CIƆ peditum, quos per Samnium diſtribuerat, et Theati, [l] Adriae ac Civitellae impoſuerat. In levi armatura, cul praeerat Joſephus Cantelmus Popolii comes, eranr CIƆ IƆ equlres, et IƆ CC cataphracti ſub Joanne Portocarrera caſtrorum praefecto. His ſuboixus copiis Albanus, qoi initio ad [m] Piſcariae ripam, abruptis pontibus, caſtra munire deereverat, poſtquam vidir Guiſium in Civitellae obſidione haerere, ultro obviam noſtris ire ſtatuit; quippe peditatu ſuperior, nec equitatu infirmior: relictiſque a tergo Theate et Adria, quas urbeis non magno egere praeſidio videret, [n] Bucianici marchionem et [o] Mataloois comitem, qnod fortaſſe iis parum fideret, cum ſuis inde educit, eorumque loco Theati Joannem Baptiſtam [p] Tolfam Franciſci, qui in Oſtiae oppugoatione graviter ſauciatus fuerat, patrem, jam Lautreci temporibus fidei ac virtutis ſpectatae ducem, Adriae Tiberium [q] Brancatium praefecit. Igitur VI Eid. Maias Piſcaria, quo magnom tormeotorum ac reliqui apparatus bellici nomerum convehi per mare ex Apulia curaverat, ſecundis caſtris prope Adriam conſedit; et poſtridie ad [r] Fumani fluvii ripam caſtra munivit, ita inſtructo exercitu, ut Hiſpani io fronte ſtarenr et Felſiani Germani, in medio Italicus peditatus incederet, [s] Lodronius cum ſuis ultimum agmen clauderet. Levis armatura partim io fronte partim ad latera utrinque obeqnitabat: cataphracti equites io extrema acie erant. Quorum ſic inſtructorum animos ut periclitaretur Albaous, ſubito ad arma, quaſi hoſtis adeſſet, conclamari jobet; probataque ſuorum alacritate, eo ipſe alacrius ad ſolvendam Civitellae obſidiooem ſe accingit. Diverſa parte Guiſius, ut hoſtis adventum anteverteret, coeptam obſidionem urgebat; et, turre antiqui ac ſolidi operis, quae ex arce diruta ſupererat, vix tandem dejecta, ac LX ampliu paſſuum ruina muri facta, ad illam partem propugnaculis prominentibus omnino nudatam, quamvis ſumme arduam, impetum facere ſtatuit: et, quia ſibi perſuaſerat hoſteis

INTERPR. [a] *Capigni.* [b] *Monte-bello.* [c] *Doria.* [d] *Chieti.* [e] *di Mardones.* [f] *di Feltz.* [g] *Lombardia.* [h] *di Gennaro.* [i] *Nicolera & Seminara.* [k] *Spinello.* [l] *Atri.* [m] *Peſcara.* [n] *Bucchianico.* [o] *Matalone.* [p] *della Tolfa.* [q] *Brancaccio.* [r] *Umano r.* [s] *Lodrone.*

hoſteis ab ea parte intra pomoerium foſſa ducta receptum paraſſe, ıↄ ſcloppetarios ſaccis grandioribus lana oppletis tectos praemittit, qui collis caeumen occuparent, ibique ſe opere tumultuario communirent, eo conſilio, ut continua ſcloppetorum dies noctesque diſploſione praeſidiarios fatigaret, ac tandem ad deditionem compelleret. Sed irritus fuit conatus, ſaxorum grandine ac machinarum diro pondere, ad haec crebra tormentorum jaculatione, quibus et ipſe Guiſius, cum ex equo deſcenderet, vitae diſcrimen adierat, noſtris prohibitis, quo minus in collis faſtigium evaderent. His aliud incommodum acceſſit; quod facta ſub id tempus noctu a Sanfloriano eruptione ex noſtris plerique interfecti ac vulnerati ſunt: capti inſuper ab hoſtibus ſacci ad tegendos noſtros parati, marrae, ligones, mallei ac cetera inſtrumenta ad impetum faciendum neceſſaria. Fama interim de [a] Albani adventu ſparſa, quae vero majorem ejus exercitum fingebat, Guiſius CCC levis armaturae et C cataphractos equites mittit, qui de hoſte certius ac plenius cognoſcerent. Cataphracti equites noſtri hoſpitium [b] Turtureti habebant; levis armatura Juliae-novae, haud longe a litore [a] maris X milliarium ſpatio in ripa Fumani loco edito ſitae, lignorum et commeatus copia regione abundanti. Albanus ex eo conjectans, oppidum illud a Guiſio delectum, quo, ſi a Civitella diſcederet, cum toto exercitu ſe reciperet, praevertendum duxit, et [c] Popolium ac Garſiam [d] Toletanum cum ııı CIↃ Hiſpanorum peditum, CC cataphractis et IↃC levis armaturae equitibus mittit, qui noſtros interciperent. Ii ſummo ſilentio eadem nocte, qua de noſtrorum adventu cognitum eſt, profecti, tranſmiſſo Fumano ad ripam [e] Tordini amnis, qui haud longe a Julia-nova in mare exoneratur, veniunt: et, partitis ibi copiis, Popolius ex compacto cum levi armatura longo circuitu ad laevam inſtituto itinere ad locum inſidiis aptum contendit; Toletanus a dextra Turturetum verſus pergit, vim ad illam partem in oppidum facturus eodem tempore, quo Popolium ad locum deſtinatum jam perveniſſe veriſimile erat, eo conſilio, ut, ſi noſtri ad primum hoſtium impetum excitati ſe poſtico ad ſuos recipere conarentur, in inſidias a Popolio ſtructas praecipitarent. Sed conſilium hoſtium fruſtra fuit, accelerato nimis Toletani adventu: quo a ſpeculatoribus cognito, noſtri ſtatim arma expediunt, et XXXX ex iis, dum ceteri armantur, oppido egreſſi totidem Popolianos, qui nondum ad locum inſidiis deſtinatum pervenerant, obvios forte habuere, cum quibus anguſto loco conſertis manibus, ſuperiores primo evaſere, capto Petro [f] Henrice equitatus Hiſpanici praefecto, Georgio [g] Lanoio unius alae equitum duce, Joanne Baptiſta [h] Capuano et Andrea [i] Roberto: quo facto, ceteri jam terga vertebant, eo minus fugae ignominiam veriti, quod opacitate noctis defenderentur: ſed, ſuperveniente Popolio, reſtituitur certamen; verum ita, ut interea noſtri, qui in oppido remanſerant, ſatis temporis habuerint, quo, ſumptis armis, citra periculum ad ſuos ſe reciperent. Gallis abeuntibus, Hiſpani albeſcente jam die Juliam novam deſertam hoſtiliter ingreſſi diripuere: eoque Albanus, qui putaret Guiſium, ut ſuis auxiliaretur, mox advolaturum, cum toto exercitu in aciem ordinato venit, ibique aliquot dies conſumpſit. Hoc ſucceſſu, quem noſtri apud Civitellenſeis magnopere ac ſupra veritatem extollebant, cum nihilominus obſeſſi minime terrerentur, ſed in incepto perſeverarent, Guiſius ex P. Strozzii, qui nuper cum Paliani duce in caſtra venerat, conſilio, jam dimidiato fere exercitu, cum Albano viribus impar eſſet, obſidionem ſolvendam cenſuit; biduoque ante machinis praemiſſis et majore impedimentorum parte, Eid. Maii vaſa conclamari jubet: ipſe, ut ſuis tutum receptum daret, in poſtrema acie cum delecto equitum agmine remanſit, inſidiis loco idoneo diſpoſitis, ut, ſi forte obſeſſi eruptionem facerent, ab iis exciperentur. Nec falſum fuit Guiſii augurium: nam illi cum damno egreſſi, primo Sanfloriani injuſſu, dein et Sanflorianus

ipſe

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Tortoretto.* [c] *il conte di Popoli.* [d] *de Tolede.* [e] *Tordino r.* [f] *Henriquez.* [g] *de Lannoy.* [h] *di Capoa.* [i] *Roberto.*

NOT. [a] Lege *maris, et X milliarium ſpatio a ripa.* Put.

ipſe in eandem decipulam incidit, amiſſis XXV ex ſuis, majorem ea eruptione quam toto obſidionis tempore jacturam paſſus. Ita a Civitella diſceſſum XXII, poſtquam obſideri coeperat, die, diſploſis contra urbem toto illo tempore[a] IↃCCC tormentorum ictibus: tot enim a curioſis numerati ſunt.

VI. DUM res lente et infeliciter a noſtris et a pontificiis in regno Neapolitano geruntur, in Etruria et [a] Gallia Ciſpadana minime ceſſabatur. Nam Coſmus, qui provideret, bello quamvis pontificis cauſa ſuſcepto, non diu duraturas eſſe inducias, in Germaniam jam initio miſerat Bernardum [b] Craſſinium cum pecunia, ut III CIↃ peditum, Joanne Baptiſta [c] Arcuenſi ductore, conduceret; cui et jam negotium a Philippo datum fuerat IV CIↃ conſcribendi, ut eos in Inſubriam adduceret. II CIↃ item peregrinorum militum Coſmus coëgerat, quos per praeſidia [d] Prati, [e] Piſtorii, [f] Mugelli et Aretii diſpoſuerat, diſcurrentibus per limitem indeſinenter Chapino [g] Vitellio et Gabriele [h] Serbellono, ut, ſi quid noſtri molirentur, ad omneis caſus praeſto eſſent. Jamque Germani [i] Caſalium majus venerant, vix paucorum dierum viatico a cardinali Tridentino impetrato; inde, ſtipendio accepto, per [j] Tarrenſem vallem [k] Pontremolium et Petram-ſanctam venturi. [l] Burgenſis vero cardinalis Senenſium praeſes per Alvarum [m] Sandaeum, penes quem rei bellicae ſumma erat, IↃC pedites Cremona ac [n] Portu-Herculis et vicinis locis evocaverat. Cum vero B. Monlucius, qui poſt triſteis filii exſequias et captam a Strozzio Oſtiam Roma [o] Ilcini-montem venerat, ut [p] Subizae e provincia decedenti ſuccederet, ſecretum a cardinali Burgenſi de oppido intercipiendo conſilium initum eſſe cognoviſſet, nec rationem ejus intelligeret, omnem operam dabat ut illud detegeret. In ea cogitatione haerenti ſupervenit Senenſis quidam, qui eum clam admonet, hoſteis loco indicato impetum facere decreviſſe: proinde ab eo ſibi caveret. Loco per Hieronymum [q] Spanocium explorato et aedibus vicinis diligenter veſtigatis, in caſula, quae a nemine jam longo tempore incolebatur, repertae magno numero ſcalae optime fabricatae. Ac ſub id tempus Phoebus [r] Turcus, homo duplex, ad Monlucium venit; et de tempore, quo hoſtes venturi ſunt, eum moniturum pollicetur. Cum igitur Monlucius [β] [s] Groſſeto, [t] Cluſio ac Monticello praeſidiariis evocatis diem dixiſſet, ut hoſtem impetum facientem a tergo invaderent, dum ipſe eruptione ex urbe facta eum a fronte adoriretur, Phoebi indicis vanitas detecta eſt; qui comprehenſus poſtea, muro pertupto, ex arce aufugit, et Senas ad Burgenſem profectus detectum conſilium eſſe renunciavit. Ita rebus bene, ut quidem ipſi putabant, proviſis, hoſtes de nobis ſecuri erant, cum [t] Moretus Calaber, qui [u] Montem-Peſcalium in ora maritima tenebat, [v] Cluſinium intercipit, et ſummiſſis Groſſeto auxiliaribus, Aſdrubale Medice ductore, utcunque firmat. Eo mox Sandaeus cum XXX peditum ſignis, IↃ equitibus ac III machinis aeneis tendit: quo et ſtatim rapta manu profectus eſt Monlucius, ſi qua ratione poſſet, ſuppetias obſeſſis laturus: qui poſtquam Montem-Peſcalium venit, VI a Cluſinio milliaribus, propius oppidum accedens, [x] Sangenium [y] [1] Avanſonium cohortis legatum cum XXX ſcloppetariis et totidem cataphractis pulvere tormentario onuſtis mittit, qui, dum ipſe diverſa parte hoſtem levi certamine diſtinet, duce Charrio, intra oppidum fere omnes, exceptis V cataphractis, accepti ſunt. Inde Monlucius ſumma diligentia Ilcini-montem redit; poſtridie, dum Sandaeus adhuc Cluſinii haereret, educto

VAR. LECT. [a] IICIↃIↃCCC *MS Reg.* [β] Groſſeto, ubi adhuc Claromontius erat, mox inde Senenſium rogatu in caſtra a Guiſio revocatus, in ejus locum ſuffecto Bonifacio Mola, Cluſio ac *P D. o. f.*

INTERPR. [a] *Lombardie* [b] *Grazzini* [c] *d'Arco.* [d] *Prato.* [e] *Piſtoia.* [f] *Mugello & Arezzo.* [g] *Vitelli.* [h] *Serbellone* [i] *Caſale maggiore.* [j] *Val di Taro.* [k] *Pontremoli & Pietra Santa.* [l] *le cardinal de Burgos.* [m] *di Sandé.* [n] *Porto-Ercole.* [o] *Montalcino* [p] *de Soubize.* [q] *Spanocchi.* [r] *Turco.* [s] *Graſſeto.* [t] *Chiuſi & Monticellio,* ou *Montichiello.* [t] *Moretta Calavreſe.* [u] *Monte-peſcali in Maremma* [v] *Chiuſdino* Adrian. Montluc met *Chiuſi.* [x] *Saint Genez.* [y] *d'Avanſon.*

NOT. [1] Lege *Avanſonae* *Put.*

educto majore tormento et colubrina, turrem in propinquo LX praeſidiariis firmatam aggreditur. Hi poſt verberationem, pacti vitam, ſub veſperam deditionem fecere. Altero dein die vicina aliquot caſtella, quae noſtris incommodabant, in poteſtatem redacta. His actis, belli duces in ea ſententia erant, ut [a] Bonconventum adorirentur, quod exiſtimarent, Cluſinio capto, [b] Sandaeum Montem-Peſcalium iturum. Verum, cum eo profectus fuiſſet Monlucius, ut locum contemplaretur, miſſo interim Mario [c] Sanfloriano, qui nuper cum fratre [d] Langobardiae priore regi reconciliatus fuerat, et [e] Serrano Monlucii legato, qui [f] Senas uſque excurrerant, forte accidit, ut obviam haberent peditum cohortem; qua caeſa tantus terror [g] Burgenſi, qui de civium fide dubitabat, injectus, ut ſtatim ad Sandaeum ſcriberet, ut quam primum in urbem, omni re poſtpoſita, reverteretur. Quod in cauſa fuit, ut Moreti legatus et Sangenius, quamvis nulla ſpes defendendi Cluſinii eſſet, honeſtiſſimis conditionibus a Sandaeo dimiſſi ſint. Is ergo, uti juſſus erat, tanta diligentia digreſſus eſt, ut vix reducendorum domum tormentorum ſpatium Monlucio conceſſerit; qui in commentariis ſuis gloriatur, quod periculo in tempore praeverterit, nec ducibus, qui Bonconventum petendum eſſe cenſebant, obtemperaverit.

VII. JAM ante Sandaeus [h] Corſinianum receperat, vix extremam perniciem evadentibus noſtris, quibus Fauſtus [i] Peruſinus praeerat, dum M. Sanflorianus, ut praeſidiariis diſcedendi tempus daret, [α] ſerius cum hoſte confligit. Nam capti inibi XXX circiter levis armaturae equites ex ipſius Monlucii et Nic. [l] Urſini Petiliani alis; atque in his [k] Gurgius, homo ſtrenuus et poſtea expeditione in Indicis ſuſcepta magnam laudem adeptus: reliqui [l] Monticellum, a Bartholomaeo [m] Piſaurienſi protecti, ſe contulerunt. Cum Sandaeus obſcura nocte praelatis facibus [β] [n] Baldoci arcem verſus tenderet, Monlucius rem conjectans conſilium ejus praevenit, et prior in oppidum cum Sanfloriano Priore venit, [o] [1] Tricaſtino cum ſua cohorte ſine impedimentis ſubſequi juſſo. Ita ſpe falſus Sandaeus ab incepto deſtitit. Capti interim a noſtris [p] Mantillus et [q] Carillius [r] Herculis-portus et Bonconventi praefecti, et cum iis XX alii milites; de quibus cum captivis noſtris, qui Corſiniano detinebantur, permutandis cum fruſtra ſaepius actum fuiſſet, Monlucius indignatione [γ] concepta de Corſiniano recipiendo conſilium capit; in cujus muro ex Fauſtino Peruſino, qui antea oppidum tenuerat, locum eſſe didicerat, per quem cloaca influebat, aſcenſu ſcalis admotis facilem; quo ſuperato, retro alium murum ſuperare, in quem itidem appoſitis ſcalis progrediens miles facile eniti poſſet. Eo igitur noctu ſuos ducit cum Avanſonii, Tricaſtini et [s] Luſſani, qui paulo poſt ex morbo deceſſit, cohortibus, certus, ſi aſtu non ſuccederet, vi rem conficere. [t] Cluſio CCC ſummiſſi a Somae duce, qui nuper ex Guiſianis caſtris redierat, Carafarum ſuperbiam et perfidiam peroſus: Bartholomaeus Piſaurienſis Monticello C adduxerat. Miſſi [t] Blaco et [u] Claramontius, [δ] qui nuper Groſſeto Senenſium rogatu a Guiſio in caſtra revocatus fuerat, cum parte alae Petiliani, qui viam inter oppidum et [v] Politianum inſiderent, et auxiliareis a Coſmo venienteis interciperent. Praeſidiarii, qui rem reſciverant, ſummo ſilentio intus ſe continebant, in noſtros, cum opus eſſet, involaturi. Dum cunctarentur noſtri, [x] Trapa, [y] Caſtro-ſacratus, [z] Auſillius, [aa] Coſſenius, [bb] Bidonettus, [cc] [2] Mola cum paucis ingreſſi,

VAR. LECT. [α] nimis ſerio *P. D. o. f. d.*
[β] Baldoci rupem *P. D. o. f. d.*
[γ] inde concepta *P. D. o. f.*
[δ] qui nuper Groſſeto Senenſium rogatu a Guiſio in caſtra revocatus fuerat *deſunt* *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Buonconvento.* [b] *di Sandé* [c] *di Santafiore.* [d] *Lombardie.* [e] *le capitaine Serres?* [f] *Siena* [g] *le cardinal de Burgos.* [h] *Pienza.* [i] *da Perugia.* [l] *Orſino, conte di Pitigliano.* [k] *de Gourgues.* [l] *Montichiello.* [m] *da Peſaro* [n] *Rocca di Baldocco* [o] *Entrecaſteaux.* [p] *Mantillo.* [q] *Carillo.* [r] *Porto-Ercole.* [s] *de Luſſan.* [t] *Chiuſi.* [t] *Blaçons.* [u] *le baron de Clermont.* [v] *Monte-pulciano.* [x] *le capitaine Trapes.* [y] *Caſtel Sagrat.* [z] *les Auſſilons.* [aa] *Coſſeil.* [bb] *Bidonnet.* [cc] *la Motte.*

NOT. [1] Monluc le nomme *André Chaſteaux,* neveu du cardinal de Tournon, fils d'une de ſes ſoeurs. Mais il faut eſcrire *Intercaſtino; Entrecaſteaux;* de la maiſon de Caſtelane en Provence, qui eſtoit allié du cardinal de Tournon, & avoit eſpouſé l'heritiere du comte de Grignan. Dele *Tricaſtino:* lege *Intercaſtino.* *Put.*
[2] Dele *Mola:* lege *Mota.* *Put.*

ingreſſi, ſcalis ruptis, repulſi, inter geminum murum, nullo operae pretio facto, te-manſere. Albeſcente jam die, Monlucius, qui aegre ferret expeditionem pro captivorum libertate ſuſceptam aliorum amittendorum occaſionem dediſſe, vim parat, et ad propugnaculum cum ſuis accedit; portaeque ſuccedens murum infirmum, plinthii unius tantum craſſitudine, propriis manibus revellit, ſcaliſque comportari juſſis, ad impetum faciendum ſe inſtruit; territiſque praeſidiariis, quod captivi intus arma corripuiſſent, et paſſim diffugientibus, oppido potitur. Capri in eo Petrus Jacobus[a] Stafa equitum ductor, ejuſque vicarius ac ſignifer, cum aliquot praeſidiariis. Id actum III Kalend. Quintil. Supra modum extollit factum illud Monlucius, et magnam ſui famam per Italiam excitaſſe dicit: Hadrianius contra elevat, et locum infirmum ſitu ac milite fuiſſe dicit; quippe eo tempore captum, quo, deductis inde praeſidiariis, jam Hiſpani omnia negligenter agebant, Senenſium imperium in Coſmum a Philippo tranſlatum moerentes: qua de re mox dicemus.

VIII. Diversa parte, Ferrarienſis cum iis quas habebat copiis, et noſtrorum favore ſubnixus, metum vicinis intentaverat; et Corregienſibus regulis praecipue, quibus ut Caeſarianis partibus addictis ille imminebat: tandemque eos adegit, ut, foedere icto, obſidibus datis ipſi caverent. Verum, cum Hieronymus unus ex fratribus foederi non ſubſcripſiſſet, nec fratres ſine conſenſu ſuo paciſci potuiſſe contenderet, [b] Corregio ipſo ope [c] Piſcarii occupato, et obſidibus, qui, fide data, domum redierant, ex compacto retentis, ut perfidia eorum excuſaretur, rurſus ad arma ventum eſt. Loco praeerat Ludovicus [d] Borgus Mediolanenſis cum IƆCCC circiter peditibus. Igitur Alfonſus filius, cum manu armata in eorum fineis ingreſſus, longe lateque vaſtat omnia, et cum II CIƆ Helvetiorum Ancona nuper et CIƆ Vaſconibus e [e] Latio a Guiſio ſummiſſis, aſſumpto ſecum Corn. Bentivolio, et eductis [f] Brixello praeſidiariis ac machinis, [g] Nugarollam primum Franciſci Gonzagae municipium, ipſo tradente, in fidem accipit: mox [h] Luzzarum Gonzagarum item caſtellum capit: ac [i] Guaſtallam poſtremo aggreditur, a qua antea a patre monitus abſtinuerat. Sed, medio tempore cum Tridentinus et Piſcarius eam praeſidio firmaſſent, et, conſentiente ipſo Ferdinando Gonzaga, locum per ſe firmum munire inciperent, Alfonſus eo pergit; occupatiſque et obſtructis [k] Padi aditibus, oppidum arcta obſidione cingit, intromiſſo tamen interim a comite [l] Brocardo auxilio, cum pulvere, cujus penuria obſeſſi laborabant. Tum arctius cinctis admota tormenta, ſed imperitia ducum ſine profectu: mutata tandem ſaepius verberatione cum obſeſſi ad extremas anguſtias redacti in eo eſſent ut ſe dederent, Alfonſus, adventum proximum Piſcarii, de quo fama ſparſa erat, veritus, tormenta reducit, et ab obſidione non citra exiſtimationis jacturam diſcedit, culpa temporis inutiliter conſumpti in Bentivolium rejecta.

IX. Nec ceſſabat interea Briſſacus, qui poſt [m] Valentium a Guiſio captum educto exercitu de [n] Valſenera oppugnanda ineunte Aprili conſilium ceperat, munitione in agro [o] Aſtenſi inter [p] Villam novam et Carmaniolam olim a Ferdinando Gonzaga coepta, et poſtea ab Alvaro Sandaeo magna vi operum et valido admodum praeſidio firmata. Erant in ea XV Italorum, III Germanorum et II Hiſpanorum vexilla. Sed, cum accidiſſet, omnibus ad obſidionem paratis, ut Briſſacus arthritico familiari ſibi morbo acerrime corriperetur, ille, qui nollet tam pulchram occaſionem elabi, negotium dat Paulo Thermo, ut cum iis quas habebat copiis, eae erant VIII CIƆ peditum et DC equites, magnus praeterea foſſorum numerus, qui tormenta XVI neceſſariis rebus inſtructa comitabantur, expeditionem ſuſciperet. Is ergo, cum vallum ad foſſam uſque promoviſſet, poſt violentam verberationem impetum facit; et, quamvis repulſus, ita tamen militem in tuto collocat, ut ex ſuperiore parte infeſtari non poſſet.

Tum

INTERPR. [a] *della Stafa.* [b] *Correggio.* [c] *il marcheſe di Peſcara.* [d] *del Borgo.* [e] *Campagna di Roma.* [f] *Briſello.* [g] *Nugolara.* [h] *Luzzara.* [i] *Guaſtalla.* [k] *le Po.* [l] *il conte Broccardo.* [m] *Valenza.* [n] *Valſenieres.* [o] *d'Aſti.* [p] *Villeneuſve & Carmagnoles.*

CIƆIƆLVII. HENRICUS II.

Tum cuneum agit; tantumque terrorem diligentia ſua obſeſſis injecit, ut, quamvis [a] Piſcarius, qui in exſtruendo ad [b] Lomellinam vallem defendendam muhimento tunc occupabatur, ad fortiter reſiſtendum eos hortaretur, brevi ad eos venturus, Germanis tamen jam antea ob non ſoluta ſtipendia male animatis, tunc vero aperte tumultuantibus, Hiſpani coacti ſint minus honeſtas conditiones accipere: nam armis exuti dimiſſi omnes, relictis ſignis, tormentis ac reliquo omni bellico apparatu. Locus mox, quod rebus noſtris ſummopere incommodaret, et commercium inter praeſidia, quae [c] Sandamiani et Ciſternae erant, impediret, [d] Briſſaci juſſu dirutus. Eodemque ſucceſſu ſub Maii initium Briſſacus [e] Claraſcum, in confinio fere Sturae et [α] [f] Tanari arduo loco, ſed alioqui commodo, ſitum oppidum, quod a CCCC praeſidiariis tenebatur, numero loco defendendo impare, aggreditur. Id pulſatum, et poſt tertium impetum, cum oppidani Hiſpanorum jugum pertaeſi arma ſumere nollent, vi poſtremo captum: quod ſtatim ſumma diligentia muniendum curavit Briſſacus; non eadem fortuna uſus in [g] Cunii oppugnatione, cui [h] Menico ſtrenuus dux cum valido praeſidio praeerat. Situ illud et milite adventitio imprimis firmum, ad haec oppidanorum concordia, ab una parte [i] Savilianum et Argentarium montem reſpicit, ab altera [k] Salaſſos habet. Admotis tormentis et dies noctesque continuata verberatione, impetu etiam pluries a noſtris non ſine jactura facto, cum parum proficeretur, defendentibus ſe gnaviter praeſidiariis atque oppidanis, mutata obſidionis ratio, et cunei acti, et foſſores magno numero adhibiti, quorum opera muri magnam partem dejecti ſunt et everſa propugnacula. Sed, cum nihilominus animoſe reſiſterent praeſidiarii, et certatim eorum exemplo oppidani, foeminarum, quae ad ruinas ſarciendas et neceſſaria munia obeunda intrepidae cum filiis ſumma alacritate concurrebant, praeſentia confirmati, Briſſacus aliam rurſus rationem init, et, undique cincto oppido, obſeſſos victus penuria ad deditionem compellere ſtatuit. Verum, ſuperveniente Piſcario cum VCIƆ peditum et recentis equitatus magno numero, qui [l] Aſta profectus per impeditum iter, relicta ad laevam [m] Carmaniola, incedebat, et intromiſſo commeatu, Briſſacus, qui minui in dies exercitum videret, tandem obſidionem ſolvit, et domum revertitur. Dum redit, cognito novas hoſtium copias cum pleraque nobilitate Piſcarium ſubſequi et juxta conſediſſe, continuo illuc tendit, et, ſtructis in ſylva per quam illis tranſeundum erat inſidiis, incautos intercipit et armis exuit, aut capit, elapſo Franciſco Gonzaga [n] Nugarollae comite, qui Juliani [β] [o] Carvajalis Hiſpani ope ſervatus eſt. Magna praeda inibi a noſtris facta. Piſcarius, ſartis Cunii ruinis et impoſito validiore praeſidio, [p] Foſſanum venit; ubi cum Briſſaco viribus ſuperiore congreſſus acri ac periculoſo admodum praelio certavit, ac tandem per avia, ut noſtrorum inſidias falleret, Aſtam cum ſuis incolumis ſe recepit. Dein et Foſſanum, quod a Joanne Franciſco [q] Coſta Trinitatis comite ac firmo Hiſpanorum praeſidio tenebatur, a Briſſaco tentatum: ſed irrito conatu, contra loci ſitum et munitiones nuper exſtructas ac militum robur inferioribus noſtris.

X. Tunc temporis magna acceſſio ad Coſmi Florentinorum ducis fortunam facta eſt, tranſlata in eum a Philippo, Hiſpanorum ingratiis, et, quod magis mirum eſt, invito ipſo qui dabat, Senenſis ditionis, uti a Caeſare parente in Philippum filium collata fuerat, poſſeſſione. Quo in negotio incertum prudentiam magis et ingenium Coſmi admirari liceat, an felicitatem, qua novi imperii in Etruria nuper coepti res proſperae quidem, ſed vario ſortis aeſtu huc uſque jactatae, hoc demum incremento ſimul auctae et confirmatae ſunt, longe ſummoto, quod in viſceribus erat, bello, et momento

VAR. LECT. [α] Genae P. D. o. Zanari D. f. [β] Carnavajalis P. D. o. f.

INTERPR. [a] *il marcheſe di Peſcara.* [b] *la Lomellina.* [c] *San Damiano & la Ciſterne.* [d] *le mareſchal de Briſſac.* [e] *Chieraſco.* [f] *il Tanaro r.* [g] *Coni* [h] *Menicone.* [i] *Savillan & Monte Argentaro.* [k] *ceux de Saluces.* [l] *Aſti.* [m] *Carmagnoles.* [n] *Nugolara.* [o] *de Carvajal.* [p] *Foſſano.* [q] *la Coſte, comte de la Trinitad.*

CIϽIϽLVII.
HENRICUS II.

momento quaſi ſopito. Nam induciae inter nos ac Coſmum adhuc manebant; et Monlucius, ne violarentur, diligenter cavebat. Tantum inter Hiſpanos, qui [a] Senas et loca maritima tenebant, et noſtros bellum gerebatur: quod tunc Senarum traditione compoſitum et procul a Florentinae ditionis finibus in oram maritimam relegatum eſt; ubi Hiſpani, propter loca quae in ea retinuerant, et noſtri continuis excurſionibus confligebant. Ea res quomodo confecta ſit, quoniam ſumme memorabilis eſt, operae pretium eſt, ut pluribus explicetur. Jam ante ſaepius Coſmus cum Caeſarianis egerat, ut pecunia in Caeſaris rem commodata ſibi reſtitueretur, aut loco ejus Plombinenſis ditionis poſſeſſio traderetur: id ſemel factum, moxque retractatum, ablato etiam contumelioſe [b] Plombino, moleſte quidem tulerat, tamen pro tempore diſſimulaverat. Verum ab eo tempore ſemper per ſuos apud Caeſarem et poſtea Philippum egerat, ut ſibi ſatisfieret; ingentibuſque deinde ſumptibus in bellum Senenſe factis, ſpem non ſolum de Plombinenſi territorio ſed Senenſium univerſa ditione ab iis obtinenda conceperat. Quam tamen cogitationem ille, ne fidem ſuam et officia ſuſpecta Hiſpanis redderet, prudenter celabat, petitionibus ſuis crebro renovatis, et de Plombino tantum facta mentione; tempus ſcilicet idoneum opperiens, quo declarandae occultae voluntatis, et conſequendi ejus quod adeo cupiebat, occaſio ſe offerret. Undique circumſpicienti et futuri eventus omen captanti, commodum accidit, ut, cum [c] Bonianus Bonfiliacius ejus Romae orator in ſermonem cum pontifice de pacificanda Italia incidiſſet, pontifex non aliam ſe rationem videre diceret, quam ſi ex communi conſenſu Senenſis ditionis poſſeſſio ſibi traderetur: nam Gallos ſumptuum pertaeſos facile aſſenſuros; nec Hiſpanum pertinaciter pugnaturum, dum Galli Etruria excedant: jamque ſibi a Philippi miniſtris ſpem ejus factam, modo id cum bona Coſmi gratia fiat, et ei de belli ſumptibus atque omni aere alieno, quod ab Hiſpanis debetur, ſatisfiat. Haec cum Bonfiliacius, quamvis Coſmi conſilia optime noſſet, attente excepiſſet, nihil replicavit, ſed ſtatim ad Coſmum diligenter perſcribit; qui, ea re, ut par erat, commotus, tamen, ut erat ſummus diſſimulandi artifex, Bonfiliacio mandat, ne quod commoti animi ſignum edat, ſed eundem ſermonem cum pontifice perſequatur, et ſecretum ejus, quoad fieri poſſet, per colloquium expiſcetur. Sub id tempus Franciſcus Paceccus, qui ad Philippum in Angliam de pacis conditionibus miſſus fuerat, ad Albanum rediit; et inter alia mandata, quae a rege habebat, hoc etiam erat, ut, ſi alia concordiae ratio iniri non poſſet, quando ab armis cum pontifice diſcedere omnino cuperet, ipſi ac Carafis optimis conditionibus de ditione Senenſi gratia fieret: ſed operam daret, ut Coſmi conſenſus accederet. Sic enim judicabat, ſi Senarum dominatum retinere non poſſet, expedire rebus ſuis, ut potius beneficium in novos clientes, quam in Florentinorum ducem jam ſatis potentem et ſibi obſtrictum, conferretur; quo, diſtributis in plureis ſingulis Italiae portionibus, ſummum in univerſo imperium ſibi ſervaret. Id cum per Albanum affinem ſuum Coſmus reſciviſſet, cum eo agit, ut negotium minime praecipiret: ſed, propoſitis rei difficultatibus, tantum ſibi temporis concedi petit, quo res eas apud Philippum per oratores ſuos explicaret, ut eum a conſilio rebus Italiae pernicioſo, ſuis vero damnoſiſſimo, demovere poſſet: quod facile ab homine dignitati ſuae favente impetravit. Itaque ſtatim ad Alfonſum [d] Tornabonum, qui in Anglia erat, de tota re perſcribit; et brevi ad Philippum ſe Ludovicum [e] Toleranum ſororium ſuum miſſurum ſignificat: interim mandat, ut Philippum, quo ſibi de grandi pecunia illa caveat, crebro ſolicitet: quod eo ſtudioſius faciebat, quod tempore illo maxime Philippum opera ſua et amicitia indigere cerneret, hinc Briſſaco in Subalpina regione progreſſus in dies faciente, hinc Guiſio in regnum motibus obnoxium magna vi irrumpente; ob

INTERPR. [a] *Siena.* [b] *Piombino:* [c] *Bongianni Gianfigliacci.* [d] *Tornabuoni.* [e] *de Tolede.*

CIƆIƆLVII.
HENRICUS II.

ob idque rebus Hiſpanorum io Italia outantibus, quibus ſeu fuleiendis ſive deſtrueodis momentum magnum Coſmus, in utram partem propendetet, afferebat. Quam occaſionem avide arripuit: miſſoque Lud. Toletano ad Philippum mandara dat, ut, artificioſe deplorato Italiae ſtatu, poſtquam explieaverit quam in arcto res in ª Inſubribus et Erruria ſint, ignoſci Coſmo et ſibi petat, ſi ejus nomine apud regiam majeſtatem expoſtulet, et indignam meritis ſuis gratiam referri queratur: nihil illum, quod in ſe fuerir, praetermiſiſſe, in quo non ſedulo et officioſe elaboraverit, ut Philippi ac pareotis ejus majeſtas ineoncuſſa per oniverſam Italiam ac praecipue in Etruria maneret et ab omnibus fideli obſequio coleretur: inde grandi aere alieoo eum paeoe merſum, et ſuos, a quibus mutuo ſumpſerit, una merſos quotidie fidem ipſius appellare, quos eitra eertiſſimam fortunarum ſuarum perniciem, aut, ſi periculum abeſſet, eerte ſine ſummo flagitio deſerere oon poſſit: itaque Philippum mirari oon debere, ſi importunus flagitaror ſaepius ejus aures pulſet, et ſibi ſatisfieri poſcat: eo enim res ſuas redactas eſſe, ut ooo jam verbis, quod hactenus factum ſit, ſed re ſibi ſatisfieri neeeſſe ſit, niſi ſe et Pbilippi res una perditum ire velit; nam diſſimulatiooi amplius locum non eſſe: andire tamen Coſmum, nulla habita ſui ratiooe oeqne meritorum ac debitorum, quae ad res ejus in Etruria ſublevandas contraxerit, de tradenda Carafis Senenſi ditione in regio eooſiſtorio actum eſſe, eaque de re mandatum Albano datum: quod etſi vix credat Philippum ſerio feciſſe, vereri tamen, ne, quod demulcendorum fortaſſe Carafarum gratia nune io ſpeciem fit, tandem oeeeſſitatis vim annexam habear: itaque, quam demiſſe poteſt, rogare, ut Philippus videat, quam male in poſterum rebus ſuis ſit eonſulturus, ſi bomines narura feroceis ac ſuperbos, et ob injuriam, uti jactatur, infeſtos, atque hoc amplius, exſules et ultionis avidos, ad hoc faſtigium evehar, ur principes eos in florentiſſima Etruriae particula eooſtiruat: oeque enim dubium eſſe, quio Carafae oon tam recentis beneficil, quod ab inviro per vim extorſiſſe ſibi perſuadebunt, ſi hoc rempore concedatur, quam antiquae injuriae memores, quidquid ad ſuam fortunam ex hoc incremento acceſſerit, id totum in injuriae ulrionem ſint impenſuri: Coſmum eerte, qui Caeſarianas parteis ſemper ſeeutus ſit, ob idque regem Galliae inimicum habeat, in partem quoque illatae, ot ipſi putant, injuriae veniſſe; ut metuere jure debeat, ne, quod fortaſſe Philippus potentiae fidueia negligat, illi hae aeeeſſiooe audaciores de ſe, ut minus potenti, poenas ſumere veliot, et vim, quam cootra Philippum aut noo audeant aut oon poſſint, in ſe vertant: quem vero ſeire, an oon et illi aliquando apud ipſum per ealumnias tantum ſint valituri, ut Coſmom ab ejus gratia alienent? quod cum jam multi, cum propter fortunarum conjunctionem minor ſuſpiciooi locus eſſe poreſt, non dubitent facere, quid illum ſperare in poſterum debere, eum, pulſis Etruria Gallis, priſcae neceſſitudinis ac conjunctionis illius cauſa ceſſabit? itaque, etſi Pbilippus ut major taotum periculum contemnat, ſuum oegligere Coſmum iofirmiorem non poſſe; eui etiam exſoluta omni pecunia, quae ipſi debeatur, haud abunde caveri nunc queat, ſi cogatur vieinos eos habere, quos, ut Philippi rebus inſerviret, tanquam hoſteis hactenus perſeeutus ſit: proinde non poſſe eum tuto, quae in ditiooe Senenſi teoeat, reſtituere, ur Carafis tradantur; quae eadem tameo reſtituere nunc et ſemper paratus ſit, exſoluta pecunia quae debetur, modo ea in Philippi poteſtate maneant, et ita eum vicinum habeat, quem ur patronum ſemper coluerit: id eupere Coſmum ſummopere: quod ſi Philippus ſumptuum pertaeſus Senenſem rem a ſe abdicare decreverit, ooo poſſe ſine contumelia et maxima ſua injuria in alium, quam io ſe, beoeficium hoc conferri: oam, ſi alirer fiat, inde ſequi, ut aut fidem ſuam ſuſpectam maximus rex habeat, aut tam parvi opes et obſequium Coſmi ſaciat, ut ejus offenſione incertam hominum infirmorum gratiam potiorem ducar: id ejus animum haud mediocriter angere: propterea petete, ut, quando res ſuae non amplius ferant, ut diutius

INTERPR. ª *la Lombardie & la Toſcane.*

in

in incerto dubii eventus ſalo fluctuet, quid ſuae voluntatis ſit, aperte ac plane Philippus declaret, an Coſmo in poſterum amico uti velit, et qua ratione, ſi eum amicum cupit, ipſi cavere velit: nam ex ejus reſponſo conſilium, quod rebus ſuis utile ſit, capturum. Eodem tempore, quo Lud. Toletanus ad Philippum feſtinabat, per Bonfiliacium Coſmus pontificem ſolicitabat, ut ad concordiam animum inflecteret: ſe non recuſare conditiones, quaecunque proponantur; modo a rege Galliae ſibi idonee caveatur, ac ſecuritati imperii ſui proſpiciatur: id autem qui fieri a rege poſſit, quem ſibi infeſtum merito credat, pontificem melius intelligere; neque ſuum eſſe rem pluribus explicare. Tum pontifex, Quid ſibi haec verba velint, inquit, ſatis capio: cumque mihi abunde de Chriſtianiſſimi regis erga Coſmum benevolentia ac voluntate conſtet, pro eo ſpondere non dubitabo, et ampliſſimas conditiones honorifico adfinitatis vinculo firmatas offerre. Ad haec Bonfiliacius, a Coſmo ita inſtructus, id vero herum ſuum unice exoptare, ſed rem eſſe hujuſmodi, ut de ea, antequam ſibi certo conſtet, decernere minime poſſit; circumfuſos quippe Philippi undique emiſſarios, ac vix fieri poſſe ut non aliquid ſubodorentur: proinde opus ſilentio eſſe atque celeritate, ut tantae molis negotium non per intervalla ſed confeſtim atque uno veluti ictu conficiatur: id ut interventu pontificis fiat Coſmum cupere, ut, cui jam plurimum debet, ei quoque hoc beneficium debeat. Id ubi per pontificem intellexere, qui regis negotia Romae procurabant, ſtatim in Galliam ſcribunt, et quid cum Coſmo actum ſit oſtendunt; eum a Caeſarianis jampridem deluſum, nunc a Philippo et ejus miniſtris indigne haberi; nam vix commeatum Germanis conductitiis in [a] Inſubribus a [b] Tridentino nuper impetraſſe: quotidie vero cardinalem [c] Burgenſem Senarum praeſidem verbis ac re contumelioſum erga ſe experiri: itaque regis amicitiam expetere, ſed honorificis conditionibus: pontificem ei ſpem feciſſe de una ex regis filiabus Franciſco ejus grandiori aevo filio in matrimonium tradenda; quod ſi regi placeat, minime dubium eſſe, quin extemplo Philippum deſerat, et ad regis parteis tranſeat: cupere pontificem, cujus interventu res geri debeat, (ſic enim Coſmum, quo res ſecretior ſit, voluiſſe) ut rex virum idoneum mittat cum plenis mandatis, qui eorum, quae pontifex jam promiſerit et porro ſit promiſſurus, ſponſor ſit. Non diu in aula deliberatum fuit: ſtatimque delectus a rege Carolus [d] Marillacus archiepiſcopus Viennenſis, jam legatione [e] Byzantina et magnis negotiis geſtis clarus, qui favore cardinalis Lotharingi ſublevabatur, quique non perinde poſtea patrono ſuo ſuffragatus eſt. Is Romam profectus literas a rege ad pontificem perfert; quibus gratias agebat, et plenam ei poteſtatem faciebat conficiendi negotii, cujus cauſa archiepiſcopum Viennenſem legaverat: cui mandatum, ut, quidquid ei a pontifice [a] perſcriberetur, regis nomine faceret. Nec mora, laſcivientibus vana laetitia noſtris, fama per urbem ſpargitur, Coſmum interventu pontificis cum rege Chriſtianiſſimo conveniſſe. Id accelerando negotio credebant prodeſſe noſtri: nam, re detecta, Coſmum non amplius tergiverſari poſſe, quin ſe ſtatim, Philippo deſerto, ne utrinque patrocinio deſtitueretur, regi addiceret. Nec id aegre audiebat Coſmus, quanquam celari rem in ſpeciem cupere ſe fingebat, quod ad negotium ſuum in aula Philippi conficiendum majores ex eo additum iri ſtimulos ſperaret: neque aliter accidit: nam Philippus, auditis L. Toletani mandatis, quae ille poſt prolixam excuſationem apud eum expoſuit, inſolita eorum libertate initio perculſus eſt; moxque, ubi ſub idem tempus de rumore Romae ſparſo allatum eſt, ſingula apud ſe animo reputans, in eam cogitationem venit, id ſerio agi, ut Coſmus ab amicitia ipſius abduceretur: quod ſi fieret hoc rerum ſtatu, maximum in diſcrimen res ſuas in Italia adduci. In ea opinione illum confirmabat perſonae conditio ac dignitas, cujus interventu

VAR. LECT. [a] praeſcriberetur *P. D. o.*

INTERPR. [a] *le Milanois.* [b] *Chriſtophle de Madruce, cardinal de Trente.* [c] *le cardinal de Burgos.* [d] *de Marillac, archevêque de Vienne en Dauphiné.* [e] *de Conſtantinople.*

CIↃIↃLVII. HENRICUS II.

ventu res geri dicebatur: tum ex ambignis ejus ac Toletani praecipue ſermonibus conjecturam faciebar, Coſmum honeſtam occaſionem quaerere ab amicitia ſua diſcedendi: nam quorſum illa verba pertinere, Res ſuas non amplius ferre, ut diutius [a] animi dubius pendeat; petere, ut maniſeſto re non verbis declarem, an amico eo uti velim, et, ſi amico eo uti velim, quibus conditionibus ipſi cavere paratus ſim? denique ultima illa, Se ex reſponſo meo conſilium rebus ſuis utile ſumpturum, quid niſi animum in diverſa raptatum et jam ad defectionem ſpectantem arguunt? his rationibus non tam inductus Philippus quam coactus, cum tam alieno tempore Coſmum a ſe alienare nollet, tandem, contradicentibus fere omnibus ſuis, de tradenda ipſi Senenſi ditione conſilium cepit. Conditiones initio duriores a Joanne Figueroa propoſitae: quibus a Coſmo ut parum honeſtis elato animo, ut videbatur, repudiatis, eo major ſuſpicio Philippo injecta, Coſmum a ſe velle deſciſcere. Itaque, cum id ante providiſſet, Figueroae mandaverat, ut, cum Florentiam veniſſet, propoſitis conditionibus, ſi eas Coſmus non admitteret, non ſtatim diſcederet, ſed ibi ſubſiſteret; ut cum interim obſervaret, donec alia mandata a ſe acciperet. Tandem in eas leges conventum, ut Coſmus ac liberi ejus Philippi beneficio Senenſem ditionem acciperent, uti eam ipſe a Caeſare parente acceperat, exceptis [a] Herculis-portu, [b] Telamone, [c] Monte-argentario, Orbitello et [d] Plombini arce, quam ſibi Philippus ſervabat: et ita aes omne alienum, tam Caeſari olim a Coſmo commodatum quam in belli ſumptus factum, quod ipſi a Philippo filio debebatur, diſſolutum intelligatur: icto item foedere, quo uterque viciſſim, hinc ad [e] principatus Mediolanenſis ac regni Neapolitani, inde ad [f] Etruriae defenſionem, Coſmus quidem CCCC equites et IV CIↃ peditum, Philippus vero CCCC cataphractos, IↃC levis armaturae equites Italos, X CIↃ peditum, atque in praeſentiarum, ad recuperanda quae a Gallis tenebantur loca, IV CIↃ peditum et CCCC equites cum VI menſium ſtipendio, ſubminiſtrare teneatur. Additum ab Hiſpanis impudenter, quo miſeris Senenſibus illuderetur, ut reipublicae libera adminiſtratio ac magiſtratibus ejus relinqueretur; quaſi vel Philippus de Senarum libertate cogitaret, aut eam conditionem locum habituram ſperaret. Ita deluſo rege ac pontifice, Coſmus ex credulitate noſtra, Hiſpanorum odio, et utriuſque gentis aemulatione, poſt longam patientiam captata occaſione, Senenſe imperium ſingularis prudentiae ſuae praemium tulit. Id cardinalis [g] Burgenſis admodum aegre tulit, quo inconſulto negotium confectum erat: tamen Philippo imperanti, ut ſine mora Senis excederet, contradicere non auſus, cum aliam negotium conturbandi rationem non videret, Hiſpanos ſuſcitat, qui ob non ſoluta ſtipendia tumultuantes ſe, niſi accepta pecunia, non exceſſuros minabantur. Tandem poſt longas ac difficiles altercationes, Philippus, ut rei ingratiis factae gratiam a Coſmo iniret, repetitis ſaepius mandatis Burgenſi ut pareret, ac Figueroae ut rem exſequeretur, imperat: et, XIV Kalend. Sextil. diſcedentibus praeſidiariis Hiſpanis, a Joanne Figueroa urbs traditur Ludovico [h] Toletano, qui eam Coſmi nomine, praeſtito ſecundum pacta ſolenni fidei ſacramento, accepit: ſtatimque introductus Chapinus Vitellius cum IV Germanorum ſignis, et arx Friderici [i] [1] Montalti fidei eſt commiſſa. Miſſus mox Ferdin. [k] Saſtrius cum Hiſpanorum cohorte, quae Coſmo militabat, ut [l] Boneonventi ad [m] Ilcinimontem oppoſiti poſſeſſionem Coſmi item nomine acciperet. Tum induciae, quas Monlucius cum Coſmo ſervabat, ad ea loca, in quorum poſſeſſionem Coſmus ingreſſus eſt, prorogatae ſunt; ut tantum nobis bellum cum locis maritimis, quae Hiſpani adhuc tenebant, ſupereſſet. Miſſus viciſſim Carolus [n] Dezza cum aliquot Hiſpanis,

VAR. LECT. [a] in incerto dubii eventus ſalo fluctuet; petere, *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Porto-Ercole.* [b] *Telamone.* [c] *Monte Argentaro.* [d] *Piombino.* [e] *duché de Milan.* [f] *la Toſcane* [g] *le cardinal de Burgos.* [h] *de Tolede.* [i] *de Montauto.* [k] *Saſtre.* [l] *Buonconvento.* [m] *Montalcino.* [n] *Dezza.*

NOT. [1] Montacuti *C.*

CIƆIƆLVII.
HENRICUS II.

Hiſpanis, qui arcem [a] Plombinenſem a Coſmo inſtauratam reciperet: qua excepta, et urbe ex ſuo nomine in [b] Ilva a Coſmo aedificata ac portu ejus, quae ex pactis in poteſtate ipſius remanebat, tota ditio Plombinenſis Jacobo [c] Apiano ejus domino a Bernardo [d] Bolea [e] Albani juſſu teſtituta eſt. [f] Senis potitus Coſmus, ut impudentis Hiſpanorum conſilii, qui, tradita in unius poteſtatem republica, eam tamen ſalvam cupere videri volebant, in ſpeciem rationem haberet, ſic in illa initio magiſtratus ordinari curavit, quaſi adhuc in libera civitate degerent, ſervata magiſtratuum ſupremorum electione, et ablatis rurſus armis, quotum exacta admodum ſacta perquiſitio eſt. Permiſti dein Senenſes cum Florentinis, et eadem privilegia conceſſa antiquis Senenſium familiis, ſi quae, adempta Senis libertate, remanſerant, quae Florentinis, ut ſic paularim in unum coaleſcerent, et ejuſdem heri jugum ferre in poſterum aſſueſcerent. His actis, Philippus, cum ſibi a Coſmo ſecurus videretur, totus in bellum contra nos revolutus, id agebat, ut pontificem placatum haberet, et de Ferrarienſi, qui ſumptis tam iniquo tempore contra ſe armis foederatos etiam ſuos bello pertinaciter perſecutus eſſet, ultionem caperet. Coſmi interventu res ſaepius apud pontificem tentata: ſed, obſtante Carafa cardinali, qui a pacis conſiliis ſemper alienum animum gerebat, reſtabat, ut arma in Ferrarienſem verterentur; quorum dux ſummus conſtitutus Octavius Farneſius, cui parcendum initio cenſuerat Guiſius; ad quod bellum Coſmus recenti beneficio obligatus auxiliarcis copias collaturus erat.

XI. SUB id tempus Joannes [g] Walterus, VI CIƆ peditum dux, quos Albanum in Germania conſcribi juſſiſſe diximus, Neapolim appulit, cum per [h] Tridentinas Alpeis in Italiam deſcendiſſet, et [i] Genuae triremeis conſcendiſſet. Fruſtra illos [j] Mediolani retinere conati Tridentinus cardinalis, [k] Piſcariae marchio ac Caſtaldus, qui [l] Corregio a Ferrarienſi undique cincto metuebant. Nam Ludovicus [m] Barientus et Joannes Paulus [n] Bevetus, quos Albanus ad eos deducendos miſerat, nunquam exorari potuere, quin continuato ſemper itinere quamprimum in regnum contenderent. Ex XV ſignis, in quae Germani diſtributi erant, VIII in caſtris manere voluit Albanus; VII reliqua M. Antonio [o] Columnae attribuit, qui cum IV CIƆ Italorum et VI tormentis ad bellum in [p] Latio gerendum miſſus fuerat. Primo adventu ab eo in poteſtatem redacta [q] Pratica, Friderici [r] Contii caſtellum, inter [s] Fruſinonam et Supinum ſitum, poſt leve certamen, in quo Hiſpani aliquot deſiderati ſunt, deditionem facientibus Georgio [t] Interamnate et Octaviano [u] Aſculano, qui cum II Italorum ſignis locum tenebant. Inde Columna, impoſito Praticae C peditum praeſidio, [u] Anagniam revertitur; cui et Fruſinonae muniendis tempus impendit, quando, revocato ab Albano exercitu, ipſe impar pontificiis remanſerat. Itaque, diſtributo per oppida vicina, Anagniam, Fruſinonam, [a*][v] Fumonium, [x] Acutium, [y] Montem-fortinum, Praticam, [z] Terracinam, [aa] Julianum et Somninum, peditatu, IV tantum ſigna penes ſe ad ſubitos caſus retinuit, quae [bb] Veruli et Aletrii collocavit. Cum interea ad ſummam omnium rerum inopiam redacti eſſent [cc] arcis Pontificiae praeſidiarii, et longius abeſſent, quam ut eos auxilio aut commeatu juvare poſſet Columna, quippe cum inter Anagniam et [dd] Labicum locus ſitus ſit, quae oppida Joannes Bapt. Contius nuper a Philippo deficiens ſecum traxerat, ad haec Cavlum et Genazanum a pontificiis tenerentur, et a [ee] Velitrenſibus praeſidiariis ipſi quotidie infeſtarentur, poſtremo deditionem fecere. Eam occaſionem atripiens Julius Urſinus, qui videret hoſteis intra praeſidia ſe continere, cum exercitu egreditur; in quo erant III CIƆ Italorum peditum,

II

VAR. LECT. [a*] Fumonem P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *da Piombino.* [b] *Elba.* [c] *Appiano.* [d] *di Bolea.* [e] *le duc d'Albe.* [f] *Siena.* [g] *Walter.* [h] *per Trento.* [i] *Genoua.* [j] *Milan.* [k] *Peſcara.* [l] *Coreggio.* [m] *de Barrientos.* [n] *Bevet.* [o] *Colonna.* [p] *Campagna di Roma.* [q] *Pratica.* [r] *Conti.* [s] *Fruſolone & Supino.* [t] *da Terni.* [u] *d'Aſcoli.* [u] *Anagni.* [v] *Fumone* [x] *Aguto.* [y] *Monte-fortino.* [z] *Terracina.* [aa] *Gingliano & Sonnino.* [bb] *Veruli & Alatri.* [cc] *Rocca di Papa.* [dd] *Valmontone.* [ee] *de Veletri.*

CIↃIↃLVII.
HENRICUS II.

II Germanorum veteranorum ſigna nuper [a] Ileini-monre evocata, et eqnitatus pontificius cum [α] VI tormentis; ac recta Montem-ſortinum copias ducit, unde Franciſcus [b] Brancatius a Popolio nuper eductus fuerat, et in ejus locum Joannes Antonius Placentinus a [c] Columna ſubſtitutus, cum Joanne [d] Celcollela, homine oppidanis gratioſo. Primo ab oppidanis animoſe reſiſtentibus rejecti pontificii, deſideratis ex iis [e] Cicco Contio Joannis Baptiſtae filio et Georgio Interamnate: ſed diſcordia inter praeſidiarios, ut fit, et oppidanos orta, hi ſumma imprudentia arbitrio ſe pontificiorum permiſere, qui cladis a Velitrenſibus eorum fraude nuper acceptae memores ferro et igni, nullo aetatis ac ſexus diſcrimine, in deditos ſaevierunt, templo etiam ſuccenſo, in quo foeminae ac pueri ſe receperant. Ii, paulo ante miſſis ad Velitrenſeis legatis cum ſe paratos pontifici obſequium, quod deberent, praeſtare dicerent, [f] Vicini Urſini cohortem illuc ipſorum rogatu profectam ſtructis inſidiis perfidioſe ceciderant; quo factum eſt, ut ſeverius in ipſos a victoribus animadverſum ſit. Melior conditio praeſidiariorum fuit, qui cum armis, explicatis ſignis ac tympana pulſantes dimiſſi ſunt. Inde Julius Urſinus ſucceſſus fiducia [g] Pilium, quod antea infeliciter tentaverat, turſus aggreditur; id ad famam pertinere exiſtimans, et quod, eo capto, Aletrium, Verulum et [h] Baucum, praeſidiis nudata oppida, ſe in poteſtatem redacturum nullo negotio putaret. Quod ubi M. A. Columna cognovit, cum optime videret, quanto in periculo, Pilio occupato, [i] Anagnia, [β] [k] Ferentinum ac Fruſinona verſarentur, id omni ratione impediendum ratus, impoſito Anagniae Georgio [l] Dria, ipſe Acutium proficiſcitur, loco munito ſitum caſtellum inter Pilium et Anagniam. Pilium per anguſtam vallem porrigitur, ab ea parte, qua Acutium ſpectat, aſpero juxta et difficili acceſſu monte tectum; ab adverſa arduo admodum colli ſubjectum, cui clivus humilis ſubeſt; ex quo pontificiis, cum commodiorem locum non haberent, verberationem facere neceſſe erat. Eodem die, quo Urſinus caſtra ad Pilium metatus eſt, M. Ant. Columna collem illum aſcenſu difficilem occupat, et pleroſque ex Urſinianis de hoſte ſecuros intercipit. Quod cum Urſinus a circumjacentium pagorum vicinis accolis fiducia locorum fretis factum putaret, nihil caſu commotus poſtridie Joannem Carolum [m] Cuccarum, qui oppido cum ſua cohorte et CCC circiter ex Columniorum municipalibus praeerat, deditionem facere jubet: quo recuſante, tormenta VII admota, cum quibus continuata magno impetu verberatio, donec Columna ex colle arduo cum omnibus copiis, quae vero majores e longinquo apparebant, ſe oſtendit, et, obſeſſis praeſentia ſua animos faciens, pontificiis terrorem injecit. Tum redintegrata verberatio, et magna muri ſtrages edita. Sed, cum per Pompeium Columnam et Marium [n] Albenatium, quos M. Antonius ad obſeſſos miſerat, cognoviſſet locum defendi poſſe, ſi auxilia introducerentur, CC delectos, [o] Taſſo Genuenſi duce, mittit. Ita confirmatis obſeſſorum animis, cum nulla ſpes oppidi capiendi ſupereſſet, Urſinus poſtridie tormenta loco moveri imperat; et, eorum reducendorum Germanis cura commiſſa, ipſe ab obſidione diſcedit, fruſtra tormenta intercipere tentantibus Columniis, quos Germani ſumma virtute exceptos repulere. [γ] [1] Ad Paliam depoſitis tormentis, Urſinus, nullaque alia re geſta, in urbem revertitur. Columna vero, Walteri cohortibus ab Albano ſummiſſis auctior, ac II praeterea Italorum ſignis et CL equitibus machiniſque VII inſtructus, Anagnia, quo ſe receperat, viciſſim exit; et primo impetu turrem, quae [p] Paliano ſubjacet, et [q] Gavinianum deditione capit. Cui ut ſe opponeret Matthaeus [r] Stendardus cum peditatu et

parte

VAR. LECT. [α] VII *P. D. o. f.* [γ] Et inde Paliani *P. D. o.* Et inde Paliam *D. f.*
[β] Florentinum *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Montalcino.* [b] *Brancaccio.* [c] *Colonna.* [d] *Ceccolella o Ceccollela.* [e] *Cecco Conti.* [f] *Vicino Orſino.* [g] *Piglio.* [h] *Bauco.* [i] *Anagni.* [k] *Ferentino.* [l] *Dria.* [m] *Cuccaro.* [n] *d'Abenante.* [o] *le capitaine Taſſo.* [p] *Paliano.* [q] *Gavignano.* [r] *Stendardo.*

NOT. [1] Ad Palianum *Put.*

parte equitatus obviam progreditur; cumque Palaeſtrinae eſſet, praemiſſo Leonardo [a] Roboreo cum C equitibus et CL peditibus, acre certamen cum Pompeio Columna illuc a M. Antonio miſſo committitur: ſed ſauciato graviter Roboreo a Joanne Bapt. [b] [1] Regienſi, dum cum Vincentio [c] Ligornio colluctatur, et capto [d] Cicco Urbinate Roborei legato a Gabriele [e] Moleſio, ac praeterea XII equitibus et pleriſque peditibus, pontificii ducibus fere deſtituti a proelio diſceſſere. Deſideratus ex hoſtibus Antonius [f] Capuanus, et aliquot vulnerati. Stendardus [g] Labicum ſe recepit, ubi relictis III cohortibus, Franciſco [h] Columna, Papirio [i] Capiſucco et Angelo [k] Spoletino ducibus, Palaeſtrinam cum peditatu proficiſcitur. Eo mox M. Antonius Columna cum exercitu venit; ac poſtridie ab ea parte, quae Anagniam ſpectat, tormenta admoveri jubet. Verberatione coepta, praeſidiarii de ſalute deſperantes deditionem fecere. Sub veſperam Monfortinenſes, qui in caſtris hoſtium erant, ultionis avidi, dum diripitur a milite oppidum, ignem in domos conjiciunt, et, quantumvis Columna omnem operam daret, ut incendium reſtingueretur, totum oppidum arſit. Inde Palaeſtrinam promota caſtra, quo IↃ milites Labico dimiſſos et armis exutos introduxerat Stendardus, Romam abiens cum reliquo peditatu et equitatu, et arcem arcique conjunctum municipium cuſtodiendum commiſerat. Sed ad primum hoſtium adventum dedita arx: municipium militi ac praecipue Germanis praedae admodum cupidis diripiendum relinquitur.

XII. HIS actis, quod jam meſſis tempus inſtaret, juſſu Albani Palianum proficiſcitur Columna, ut agrum circum vaſtaret, et meſſem corrumperet. Cumque per exploratores cognoviſſet, pontificios Roma copioſum commeatum Palianum inferre decreviſſe, ad idque IIICIↃ Helvetios auxiliareis deſtinatos nuper ex pago [l] Undervallenſi a Terracinae epiſcopo pontificis mandatu conductos, [m] Velſio duce juvene ſtrenuo ac locuplete, ſed rei bellicae parum gnaro, et cum iis CC equites, ipſe Albanum de re omni certiorem facit; qui VII Hiſpanorum ſigna, et totidem [n] Felſianorum Germanorum cum aliquot cataphractis equitibus ſtatim ad eum mittit: equites per Soram iter habuere, ob idque in tempore non advenere: peditatus Hiſpanus et Germanus [o] Fucini lacus ripam legentes, ubi [p] Capiſtrellum venere, ad dextram deflectunt, et per [q] S. Antonii montem aſperrimum ac [r] Filetium verſus Anagniam in planitiem deſcendunt, ibique ſe M. Antonio conjungunt; qui his copiis firmior minime cunctandum ratus progreditur, et hoſpitio commodo viam, qua auxiliares venturi erant, medius inſidet. Quo animadverſo, Julius Urſinus et [s] Montis-belli marchio pontificiorum duces, inter Labicum, [t] Palianum et Segniam conſiſtunt; et, quo expeditiores eſſent, commeatus partem Romam remittunt: machinas quoque bellicas Segniam reduci imperant, magno errore, uti ex eventu apparuit. Nam, ſi pugnandum eſſe providebant, in quem magis neceſſarium uſum tormenta reſervabant? Poſtridie Columna caſtra promovet; Felſioque negotium dat, ut cum ſuis ac machinis locum commodum, quam proxime poſſit, contra Urſinianos deligat. Is, per foſſam aqua plenam magna vi operarum traductis machinis, tumulum occupat, ab ea parte, qua pontificii veniebant, vallo naturali munitum. Nec longe inde alterum collem fere adhaerentem inſcendit [u] Salinas cum CCCC Hiſpanis ſcloppetariis, qui, pontificios ex adverſo per collis oppoſiti dorſum porrectos cum ad proelium attraxiſſent, in media valle aliquandiu conflixere: primumque vallis ab Urſino occupata, CIↃ circiter Italorum ope, primo ſcloppetorum impetu ac violentia nullo alio profectu exhauſta: dein a Felſianis Urſiniani repulſi ſunt. Quo ſucceſſu Felſius in majoris

INTERPR. [a] *della Rovere.* [b] *di Regina.* [c] *di Ligoro.* [d] *Cecco d'Urbino.* [e] *Moles.* [f] *da Capoa.* [g] *Valmontone.* [h] *Colonna.* [i] *Capizucchi.* [k] *da Spoleto.* [l] *Canton d'Underwald.* [m] *Wertz.* [n] *de Feltz.* [o] *lago di Celano.* [p] *Capiſtrella.* [q] *la Serra di San Antonio.* [r] *Filettino.* [s] *Montebello.* [t] *Paliano & Segni.* [u] *Salinas.*

NOT. [1] Reginenſi *Put.*

majoris victoriae ſpem erectus, Columnam, qui cum equitatu ultimum agmen ducebat, ſolicitat, ut gradum acceleret: res enim in eo eſſe, ut, ſi occaſio, quae ſe in manus daret, non praetermittatur, procul dubio eo die debelletur. Columna, etſi rem periculo non carere animadverteret, quod illic deſcendere ac rurſus in colliculum eniti neceſſe erat, media valle ac foſſa interjecta, cujus tranſitus, ut nuper P. Strozzio ad [a] Marcianum fuerat detrimentoſus, ſic ne ſibi tunc damnoſus eſſet merito verebatur, virtute tamen ſuorum confiſus, hortante Felſio, ad certamen ſe comparat, in IV agmina diſtributis copiis: quorum II peditum in prima acie collocata; dextrum quidem Hiſpanorum Italis, laevum Felſianorum Helvetiis oppoſitum erat: [b] Walterani in tertio agmine erant, quorum curae tormenta commiſſa. Pontificii ex adverſo, occupato collis dorſo, ſylva a tergo relicta, in II agmina copias diſtribuunt; quorum in uno Itali, in altero Helvetii erant, Hiſpanis et Germanis oppoſiti: equitatus pone ſtabat, peditatui ad omneis caſus praeſto futurus. Ita inſtructis ordinibus, magna vi utrinque concurritur. Primo congreſſu Italorum impetum vix Hiſpani ſuſtinuere: ſed, ſuperveniente Columna, et diſploſis in equitatum pontificium tormentis, cum ſolvi ordines et ſenſim cedere inciperent, Hiſpani reſumptis animis certamen reſtituunt, et Italos jam deficiente pulvere relangueſcenteis loco pellunt; moxque incumbentibus Germanis, atque eodem tempore per latera in equitatum jam diſſipatum ac palantem effuſo hoſtili equitatu, Itali cedunt, ac poſtremo in fugam verſi proximam ſylvam petunt. Helvetii ſuperabant; qui per collem, quem occupabant, extenſi, qua parte velites in medio collocati laxioribus ordinibus latus pandebant, a Felſio impetu facto perculſi, cum aliquanto tempore reſtitiſſent, tandem victi in vicinam pariter ſylvam confugiunt. [c] Montis-belli quoque Marchio, ubi cum equitatu tam anguſto loco ſe commode pugnare non poſſe vidit, poſt grave a tormentorum diſploſione acceptum damnum [d] Segniam verſus, quo tormenta jam praemiſerat, iter intendit: verum, dum recedit, cum pedite jam fuſo et fugiente ſe implicuit, et rurſus ordines confudit. Helvetii loricati omnium poſtremi hoſtem diſtinuere: ſed poſt longum certamen et hi in fugam verſi ſunt. Capti ex iis CCCC, ac VII ſigna; plerique occiſi. Julius Urſinus cum fruſtra ordines obeundo proelium reſtituere ſaepius tentaſſet, accepto in femore gravi vulnere, in hoſtium manus venit: ex quibus nemo fere occiſus. Dominicus [e] Maximus equitum ductor graviter ſauciatus, ac pauci alii. Eo proelio Gaſparis Felſii, qui Columnae certandi auctor fuerat, ac Georgii Madrucii ejus legati, [f] Salinae item, [g] [1] Noſquerae et Martini [h] Godoii Hiſpanorum ducum virtus praecipua fuit. Cum ſucceſſum urgendum cenſeret Columna, continuo Felſium cum ſuis et *III* tormentis mittit, qui [i] Maximi arcem expugnaret, quam Joannes Urſinus arcis dominus, loci in montis dorſo undique inacceſſo poſiti, aſperitati confiſus tenebat: ipſe Segniam proficiſcitur, quo ſe reliquiae fuſi exercitus collegerant: Montis-belli etiam marchio cum equitatu ac machinis eodem ſe receperat. Segnia capta et vaſtato circum agro, in ſpem haud dubiam [k] Paliani, quod a Flaminio [l] Stabia tenebatur, potiundi venerat. Felſius vero veteranus dux, qui tyrocinium ſub [m] Meleniani marchione non minus aſtuto quam ſtrenuo homine fecerat, cum Joannem Urſinum ad deditionem flectere non poſſet, nec vi id ſe adſecuturum ſperaret, quod tormenta ad arcem pulſandam ſubvehi non poſſent, aſtu rem aggreditur: et, cincto undique oppido, ne quid obſeſſi de ſuis rebus poſſent cognoſcere, ac relictis in imo tormentis, ipſorum rotas, deſuper impoſitis ligneis trabibus tormentorum ſpecie, per ſylvam adverſam deduci jubet, magno boum ac bubalorum agmine per ſubjectam vallem reſonante, paſſimque flagellorum ac jumentorum quaſi aegre onus trahentium ac per ardua enitentium ſtrepitu, ita ut obſeſſi

tormenta

INTERPR. [a] *Marciano.* [b] *les Suiſſes de Walter.* [c] *Montebello.* [d] *Segni.* [e] *di Maſſimo* [f] *Salinas.* [g] *Moſquera* [h] *de Godoy.* [i] *Rocca di Maſſimo.* [k] *Paliano* [l] *da Stabbia.* [m] *de Marignan.*

NOT. [1] Moſquerae *Put.*

tormenta ipſa vere in altum ſubvehi crederent. Quod cum ipſis praeter opinionem accidiſſet, ex ſumma fiducia in extremam deſperationem delapſi, protinus colloquium poſcunt: et Joannes Urſinus, accepta fide, cum VII ex primariis ducibus ad Felſium de conditionibus acturus venit: ſed, cum homo ſimplex ſibi non etiam ſuis caviſſet, reque infecta, in oppidum remitti petiiſſet, facta ipſi ſoli redeundi poteſtate, ceteri, quibus imprudens ille minime caverat, apud hoſtem remanere juſſi. Ita deſtitutus a ſuis cum rurſus a Felſio per internuncios petiiſſet, ut ſibi ad Columnam ire liceret, id ea lege ab illo impetravit, ut ſecum prius colloqueretur: qui, ubi venit, non prius eſt dimiſſus, quam fidem ſcripto obſtrinxit, propoſitis a Columna conditionibus de oppidi deditione tranſacturum. Ita Urſinus, attributa cohorte, quae ipſum longiore via deduceret, ad Columnam ire permiſſus eſt: ceterum alia compendioſiore Felſius ad Columnam ſcribit, et quid cum Urſino egerit demonſtrat; monetque, quando ille fidem jam imprudenter obligaverit, ne ullis conditionibus eum ad deditionem admittat. Ita ter deluſo a Felſio Urſino, α arx [a] Maximi hoſtis arbitrio permittitur, quae a Felſianis crudeliter direpta eſt. Columna [b] Segniam verſus, uti inſtituerat, caſtra promovet. Guiſius vero cum in planitie [c] Nerito et Corropoli ſubjecta conſediſſet, [d] Albanus, qui [e] Jullae erat, jam ob immodicos aeſtus β infeſto aëre, ad haec ingenti muſcarum ac culicum nube enata, adeo infeſtabatur, ut caſtra inde movere neceſſe habuerit. Itaque, [f] Turtureto occupato, loco aquis, ligno, pabulo et aëris temperie commodo, in [g] Viperatae ripa caſtra contra Guiſium ponit: quod ubi vidit Guiſius, tranſmiſſo [h] Truento, ad [i] Brandonis-montem et Benedicti-fanum in agro Aſculano et Firmano exercitum ducit: quibus locis Albano congrediendi ultro copiam fecit: verum ille, qui noſtros equitatu potentiores eſſe ſciret, et rerum ſummam unius proelii aleae committere nollet, certamen ſemper detrectavit, tutius ratus ſine periculo vincere. Tandem, recedente Guiſio, ſupervenientibus ex Hiſpania III CIƆ peditum, duce Ferdinando Toletano, et CIƆ ex Sicilia, duce [k] Sanctio Londono, delectus regni dimittit; atque eos inprimis qui nuper ex [l] Hydruntina provincia advenerant, ductore [m] Turris-majoris marchione. Tum, laudatis Civitellenſibus atque ob fidem et egregiam in oppidi defenſione navatam operam privilegiis et immunitatibus remuneratis, cum [n] Trevici marchione [o] Ancaranum copias ducit: cumque ab oppidanis deditionem facere juſſis ſuperbum et contumelioſum tuliſſet reſponſum, ſtatim tormenta admoveri jubet. Mox, poenitentibus illis et vim fruſtra deprecantibus, captum, direptum et incenſum oppidum eſt, occiſis fere qui intus erant; ex quibus XIII laqueo vitam finiere, et in iis Thomas [p] Jacupus, quod Aſcanio [q] Corneo perfidiam ob deſertum pontificem olim exprobraſſet, qui Corneus jam ab eo tempore furcam Jacupo pollicitus, capto Ancarano, fidem illi ſervavit. Inde Trevicus [r] Maltinianum proficiſcitur, recepta in itinere [s] Morri arce, III ab Aſculo milliaribus, quae cuneis actis ejus juſſu diruta eſt. Ibi aſſumptis X Italorum ſignis, et CC equitibus ac machinis, [t] Felinianum obſidet in Aſculano agro, arduo loco ſed inter duos monteis admodum anguſto ſpatio ſitum, quod a L praeſidiariis tenebatur: nam municipes nulli in eo remanſerant. Ruina facta, irrumpentem hoſtem pontificii, quamvis initio animoſe admodum pugnaſſent, non ſuſtinuere; et fere omnes ad internecionem deleti ſunt, Trevico ſevere adeo in eos vindicante, quod locum debilem tenere et reſiſtere auſi eſſent.

XIII. INTEREA Guiſius, ob infelicem ſucceſſum Carafis ſuccenſens, quod promiſſa auxilia non praeſtarentur, et cardinalis fratris levitatem palam incuſans, qui

Carafis

VAR. LECT. α oppidum hoſtis——quod mor——direptum *P. D o.f.* β infecto *P.D.o.f d.*

INTERPR. [a] *Rocca di Maſſimo.* [b] *Segna.* [c] *Nereta & Corropoli.* [d] *le duc d'Albe.* [e] *Giulia.* [f] *Tortoreto.* [g] *la Librata r.* [h] *il Tronto.* [i] *Monte Brandone & San Benedetto nel terreno di Aſcoli & Fermo.* [k] *don Sancho di Landono.* [l] *Terra d'Otranto.* [m] *Torre maggiore.* [n] *Trivico.* [o] *Angarano.* [p] *di Jacuſſo.* [q] *della Corna.* [r] *Maltignano.* [s] *Rocca di Morro.* [t] *Filignano.*

CIƆIƆLVII.
HENRICUS II.

Caraſis temere fidem habuiſſet, de reditu in Galliam ſerio cogitabat ac ſaepius loquebatur: quod veriti illi nihil non faciebant, ut eum a propoſito rebus ſuis adeo damnoſo abducerent, oovis auxiliis, commeatu, inſtrumentis bellicis, pecunia denique promiſſa: in cujus rei fidem etiam ſe filios obſides dare paratos oſtendebant. Et [a] Cavii quidem marchio Paliani ducis filius Strozzio in cuſtodiam datus eſt, qui, eo ſecum abducto, ad regem perrexit. Is haud dubie Carafarum ambitioni ſerviebat, recenti beneficio obſtrictus; quippe cum ejus frater Laurentius ipſorum commendatione nuper in collegium cardinalium cooptatus eſſet. Dum io eo ſunt, literae a rege venere, quibus Guiſius jubebatur maoere et pontifici ad omnia, quae imperaret, morem gerere. Itaque Maceratam cum exercitu contendit. Reconciliatis utcunque animis, cum Guiſius ſpem de aliquo operae pretio faciendo concepiſſet, idque ad regis gloriam famamque et ſuam quoque exiſtimationem pertinere judicaret, Helvetios et Vaſcones ad Ferrarienſem vitricum ſummiſſos revocat: qua ope deſtitutus ille ſe in ſuo deinceps continuit, diſtributis [b] Mutinae, [c] Regii Lepidi et in [d] Carpenſi agro copiis, quae aeſtu illa aeſtate nimio ultra modum fatigatae fuerunt. Inde occaſione ſumpta, [e] Piſcarius, qui [f] Foſſani quaſi a noſtris obſeſſus longam moram fecerat, nec ſe Nic. Madrucio cum auxiliaribus Germanis Mediolano venienti conjungere potuerat, longiore et aſpera via per [g] Nicaeam et [h] Provinciae monteis cum peditatu profectus, relicto Foſſani equitatu, cui Caeſar [i] Magius praeeſſet, juxta Guaſtallam [j] Padum tranſiit, aſſumptis ſecum IↃCCC equitibus Germanis, quos Tridentlnus nuper conduxerat; et [k] Brixelleoſem agrum ac Carpenſem ingreſſus ferro et igne obvia quaeque vaſtat, injuriaſque a Corregienſibus acceptas ulciſcitur: eadem licentia per Regienſem et Mutinenſem agrum graſſatus, praedis paſſim abactis, latrocinio propius quam bello rem gerebat. Juſſus et [l] Sandaeus cum copiis, quas io Etruria habebat, cum eo ſe conjungere. Diverſa parte, ut juſtae Philippi irae ſatisfaceret Coſmus, [m] Piſciae coacto milite, [n] Piſis etlam ſummiſſis machinis, Barga caſtra moverat, quaſi in [o] Carfinianam vallem deſcenſurus, quae ad limitem Ferrarienſis pertingit, et [p] Caſtrum-novum Ferrarienſis ditionis obſeſſurus. Sed mox ab Albano revocatus eſt; et, miſſo ad eum [q] Sanctio Leva in [r] Latium deſcendere juſſus, lente admodum ſe movebat; cum hoc ageret, ut Philippi miniſtrorum dictis audiens eſſe videretur, et neminem tamen eorum, quos Philippus bello perſequeretur, facto offenderet, atque interea privatis commodis ſerviret. Macerata Guiſius [s] Sipetram cum IV expeditorum equitum alis, VII Vaſconum vexillis et tormentis in Civitellenſi obſidione corruptis [t] Aſculum mittit, quo Albanum [t] Maltiniano occupato iturum conjectabat. Aſculnm tenebat Joannes Antonius [u] Tiraldus XII Italorum ſignis, quae ille inibi conſcripſerat, et cum quibus [v] Camplium ceperat. Ibi levibus aliquot proeliis initio certatum: deio, cum praeſidiarii, inſidiis per vineas circa oppidum idoneis locis collocatis et quaſi vallo defenſis, egreſſi eſſent, Albanus, qui luſtrare locum decreviſſet, cum IIICIↃ Hiſpanorum et parte equitatus adverſum collem occupat; et ſcloppetarios aliquot ac levis armaturae equites emittit, qui cum noſtris congreſſi vario ac diuturno certamine in [x] Viridis amnis ripa, quem Marinum vulgo vocant, acriter depugnarunt. Tandem pontificii ſe ad Caſtellanae impoſitum pontem in via Civitelleoſi recepere, qui amnis ab ea parte urbem cingit, et in [y] Truentum, quod aliam partem praeterfluit, mergitur, ſic ut oppidum a duobus illis fluviis fere circundatum peninſulae formam praebeat. Dum inſequitur hoſtis, tormentis ex arce, quae ponti imminet, diſploſis multum damni accepit. Magnum ac memorabile cum primis fuit hoc certamen vel Albani teſtimonio, ut Hiſpani ſcribunt, ac juſtae pugoae inſtar: in

INTERPR. [a] *Cavi.* [b] *Madena.* [c] *Reggio.* [d] *da Carpi* [e] *il marcheſe di Peſcara.* [f] *Foſſano.* [g] *Nizza.* [h] *Provence.* [i] *Ceſare Maggi.* [j] *le Po.* [k] *Terra di Briſello.* [l] *di Sandé.* [m] *Peſcia.* [n] *Piſa.* [o] *val di Carfagnana* [p] *Caſtel-nuovo.* [q] *Sancho di Leyva.* [r] *Campagna di Roma.* [s] *de Cipierre.* [t] *Aſcoli.* [t] *Maltignano.* [u] *Tiraldo.* [v] *Campli.* [x] *Verde r.* [y] *il Tronto r.*

in quo cc utrinque et amplius cecidere; ſed major pars, ut illi aiunt, ex noſtris. Captus Rochus [a] Caſtanaeus Rupipozaeus, incertum nobilitate an virtute clarior, qui nullum non ſtrenui ducis eo die ſpecimen dedit. Territi caſu hoc Aſculani, cum ab obſidione ſibi metuerent, quamvis diſſuadentibus noſtris, mature foeminas, pueros et ſupellectilem omnem pretioſam per portam Romanam emiſere. Verum [b] Albanus, qui videret majoris molis opus eſſe, quam quod paucis diebus confici poſſet, et Guiſium haud ita longe abeſſe, quin intra breve tempus obſeſſis ſuppetias ferret, Maltinianum ad hoſpitium ſuum revertitur; ſatis magnum operae pretium ſe feciſſe exiſtimans, ſi Gallos regno excedere, et, translato in [c] Latium bello, citra ſanguinem ac periculum pontificem in pacem conſentire, coëgiſſet. Conſimiliter Guiſius, quanquam admodum aegre ferret, quod, minime repreſentatis, quae promiſſa erant, auxiliis, ipſe nihil bello memorabile geſſiſſet, tamen non inutilem omnino moram ſuam in regni confinibus ducebat, quod interim Albanus cum viribus ſuis in regii limitis defenſione diſtineretur. At pontifex, ubi de Helvetiorum clade cognovit, cum videret [d] Segniam arctius in dies cingi, et jam Palianum commeatus penuria laborare, infeſſis undique itineribus, Guiſium Romam evocat; qui per [e] Umbriam incedens [f] Tibur venit, et per loca vicina exercitum diſtribuit. Albanus vero veritus, ne Guiſii ſuperventu Columnae conatus impediretur, relicto in [g] Samnitibus [h] Trevico, et attributis ei idoneis copiis, Popolium tendit; ubi a loci [i] domino honorifice exceptus, ſub Sextilis initium, diviſo in plureis parteis exercitu, ut commodius incederet, ſecundum [k] Fucinum lacum facto itinere, in [l] Urbeventanam vallem deſcendit; et, [m] Sorae collectis viribus, XIX Kalend. Septembr. [n] Baucum venit, praemiſſis [o] Sanflorano et [p] Corneo, qui Columnae Segniam obſidenti praeſto eſſent.

XIV. VERUM Columna cupidus gloriae, quae cum pluribus communicata minor fit, eos antevertit: atque, ubi de Albani apparatibus cognovit, eo ſibi diligentius agendum duxit; et, cum triduo ante verberationem incepiſſet, et penuria pulveris biduum poſtea ceſſaſſet, comportato ex [q] Anagnia pulvere, verberationem reſtituit. Obſeſſos poſt ruinam altiſſimam foſſam duxiſſe, in eaque materiam et artificioſos igneis praeparaſſe, erectis ad latera munitionibus cum VI machinis utrinque diſpoſitis, ad haec loricatos c collocatos, qui poſt fulmineam tempeſtatem in aggreſſores fauciatos ac ſemiambuſtos vim facerent, reſciverat Columna; ob idque in ſumma anxietate verſabatur: et Germanis quidem, ut primum impetum facerent, conceſſerat; verum hanc ſibi gloriam praeripi cum aegre ferrent Hiſpani, morae impatientes, non expectato ducis juſſu, inclinante jam die in ruinam enituntur; qua ſuperata, errore quamvis ſero animadverſo, ex periculo conſilium cepere. Igitur ingentem, ut fit, clamorem tollunt, quaſi mox in foſſam ſubjectam deſcenſuri: quo audito, obſeſſi ſtatim tormenta diſplodunt et artificioſos paratus incendunt; qui, concepto igne antequam hoſtis inſiliret, nullo profectu evanuere. Nec mora, Hiſpani deſiliunt, et impetum faciunt, inſequentibus Germanis: et ita urbs opulenta minimo momento capta, direpta ac crudeliter incenſa eſt: nulli fere ſive oppidano ſive militi parcitum: ſed major rabies libidinis fuit in foeminas promiſcue graſſantis, quae ex vicinis municipiis et oppidis, Anagnia, [r] Verulo, [s] Ferentino, [t] Aletrio, quaſi in locum ſecurum, magno numero confluxerant, et, capta urbe, in virginum ſacrarum coenobium confugerant; quae pariter injurioſe ſtupratae ſunt. Vix ex incendio exigua admodum annona, et XIV tormenta ſervata, quae Anagniam miſſa ſunt. Tam horrendo ac miſerabili ſpectaculo ipſum Columnam, qui militis furorem coërcere fruſtra tentaverat, commotum ferunt; ſed multo magis pontificem, quem Alexander Andreas, ubi

INTERPR. [a] *Chaſteigner, ſieur de la Rochepozay.* [b] *le duc d'Albe.* [c] *Campagna di Roma.* [d] *Segna.* [e] *ducato di Spoleto.* [f] *Tivoli.* [g] *Abbruzzo.* [h] *le marquis de Trevico.* [i] *il conte di Popoli.* [k] *lago di Celano.* [l] *val di Orvieto.* [m] *Sora.* [n] *Bauco.* [o] *il conte di Santafiore.* [p] *della Cornia.* [q] *Anagni.* [r] *Veruli.* [s] *Ferentino.* [t] *Alatri.*

CIↃIↃLVII. HENRICUS II.

ubi de Segniae excidio cognovit, in conſeſſu cardinalium caſum deploraſſe ſcribit; et, cum [a] Palianum mox petituros Hiſpanos putaret, et Vaticanum ipſum, atque eadem crudelitate erga ſe uſuros, haec verba uſurpaſſe, cupere ſe eſſe cum Chriſto, coque animo martyrii coronam intrepide expectare: quaſi heic Dei cauſa ageretur, et non ob bellum non minus temete quam ambitioſe a ſuis ſuſceptum hoc illi periculum crearetur. Capta Segnia, Columna ad Palianum caſtra ponit; et ad [b] Sacci pontem inter Segniam et [c] Labicum copiis hoſpitia diſtribuit: ejuſque rei certiorem Albanum facit; qui ſtatim ſuis mandat, ut ſe cum eo conjungerent.

XV. Sub id tempus Alexander [d] Placidus a Sanfloriano cardinali miſſus in caſtra venit, ut de pace ageret. Ei clam negotium datum, ut de [e] Sanquintina clade nuper a rege in Veromanduis accepta, de qua poſtea dicemus, nuncium ad Albanum deferret, ut eo melioribus conditionibus cum pontifice tranſigeret. De iis dum diſceptatur, Albanus ſecreto [f] Moſqueram et Palatium ordinum ductores ad urbem uſque praemiſerat, qui, qua parte magis commodus in eam ingreſſus eſſet, diligenter inſpicerent. Ii renunciant, promotis ad portam majorem tormentis, et clavis ac ſeris revulſis, tutum ad urbem aditum patere. Itaque Albanus, qui ad aequas conditiones pontificem adigere vellet, de pacificatione in ipſa urbe facienda conſilium capit; et, eodem quo Placidus re infecta a ſe diſceſſit momento, ipſe cum toto exercitu viam ſummo mane ingreditur, ac circiter meridiem Columnam municipium venit, ibique, minime diſtributo hoſpitio, militem corpora curare jubet. Ita quod ſupererat diei exacto, ordinum duces vocat, et ſe ad urbem amicam ab amicis vocatum ire oſtendit; ac proinde petit, ut ipſi fidem obſtringant, milites ſuos, cum ad locum venerint, ab injuria et maleficio temperaturos, et expectaturos dum, diſtributis hoſpitiis, ductorum juſſu in eam ingrediantur. Fide accepta, relictis impedimentis, et juſſo unoquoque interulam albam armis ſuperinduere, Albanus ſecunda vigilia caſtra movet, eo ordine, ut ipſe primam aciem duceret cum levi armatura, peditatus Germanus et Hiſpanus ſubſequeretur, cataphracti equites ultimum agmen clauderent. Nocte paululum pluvioſa atque ob id obſcura effectum, ut nullo pontificiorum ſenſu incedentes ſub diei crepuſculum muris urbis propinquarent: et, quia dubitabat Albanus, ne Guiſius aut ipſe Romam petiturus [g] Monte-rotundo profectus eſſet, aut partem copiarum, quae [h] Tibure erant, Romam miſiſſet, eadem nocte turmam delectorum equitum ac CIↃ ſcloppetarios emiſerat, qui, locis, per quae auxiliares iter facturi eſſent, inſeſſis, eos tranſitu prohiberent. Placidus, qui jam Romam redierat, cum Carafae cardinali renunciaſſet, dum ſe in viam daret, hoſtilem exercitum incedentem vidiſſe, ſed quo tenderet incertum eſſe, Carafa veritus, ne Albanus Tibur peteret, ut Gallicum equitatum, in quo praecipuum robur erat, ſecurum ibi opprimeret, ſtatim mittit, qui noſtros periculi admonerent, et ut ſe cum toto exercitu huc illuc diſperſo colligerent. Ipſe, qui populi Romani animis diffideret, et pleroſque, praecipue ex nobilitate, Columniorum partibus occulto favere ſciret, minime adduci poterat, ut populum arma ſumere pateretur; veritus ne, ut ſunt leves vulgi animi, ea pontificis ac ſuorum auſpiciis ſumpta in ipſum ac Carafas verteret. Itaque, recte conjectans qua parte plus periculi eſſet, cum ſuis taedas praeferentibus urbis pomoerium circuibat; et commodum accidit, ut tribus ante auroram horis Aſcanius [i] Corneus ab Albano praemiſſus in IV equites ad praedam egreſſos et nihil de hoſtium conſilio cogitanteis incurreret; unde ſuſpicatus eos exploratum miſſos, et jam Romam de Albani adventu nuncium perlatum eſſe, tantiſper, dum Albanus adventaret et ſcalae comportarentur, ſe continuit. Cognitum et ea nocte, Strozzium, qui Tibure erat, ſub veſperam ſe loco moviſſe, abductis ſecum CCCC equitibus et X Vaſconum ſignis. De illis autem, quos Albanum ad intercipiendos noſtros miſiſſe diximus, nihil afferebatur, quod, falſis

viarum

INTERPR. [a] *Paliano.* [b] *Ponte di Sacco.* [c] *Valmontone.* [d] *Placidi.* [e] *de St. Quintin en Vermandois.* [f] *Moſchera & Palazio.* [g] *Monte ritondo.* [h] *Tivoli.* [i] *della Cornia.*

viarum ducibus, ab itinere tota nocte deerraſſent. His anxietatibus conflictanti [a] Albano et Felſium ſecum tormenta trahentem expectanti dies ſupervenit: cumque ſummum in urbe ſilentium videret, neminemque pro muris ſtare, ratus omneis intus ad defenſionem paratos et in aciem inſtructos eſſe, et ſua conſilia detecta, vir prudens rem dubii certaminis aleae committere noluit; quod vereretur, ne, ſi eventus non reſponderet, de exiſtimatione periclitaretur, et res ſuas jam ſecutas in diſcrimen adduceret. Igitur, juſſis ſuis paulum ſecedere et patenti campo aliquantum quieſcere, retro pedem ad [b] Columnam, unde venerat, retulit. Hunc exitum habuit Albani de occupanda Roma conatus, qui incidit in VII Kalend. Septembr. Id plerique tamen ſecus interpretati ſunt; cum alii dicerent, Albanum impetum ſuſtinuiſſe, quod ſatis haberet terrorem pontifici injeciſſe, quo eum ad aequiores conditiones flecteret; nec voluiſſe vim facere, qnod Germanos alterius urbis direptionis memores ad praedam accenſos videret, nec in dneum poteſtate futurum, reſeratis urbis portis, quin direptionibus, praedis ac violentiae una etiam porta aperiretur. Alii ex compacto Albanum veniſſe putabant, haud inſcio pontifice, qui occaſionem honeſtam ab amicitia Gallorum diſcedendi quaereret, quorum pariter ac belli pertaeſus jam ante alieno ſe a nobis animo eſſe demonſtraverat. Nam ab initio, ubi de recenti foedere a Carafa cardinali cum rege inito cognovit, dixiſſe fertur; duras amicorum leges ſibi videri, et aequioribus multo cum inimico rege condirionibus paciſci potuiſſe. Sed verius eſt, Albano id conſilii fuiſſe ut urbe potiretur; in qua paucos armatos eſſe intellexerat, et populum Carafis infeſtum, qui, adveniente exercitu, ſic enim ſibi perſuaſerat Columna, et Albano receperat, ſtatim ſeditionem excitaret, et hoſteis intra moenia odio pontificis ac ſuorum admitteret.

XVI. SUB id tempus [α] Guiſius a rege revocatus eſt, et pontifici libertas conceſſa; remiſſis etiam obſidibus, nt conſilium rebus ſuis utile caperet. Igitur, Guiſio in Galliam redeundi copiam petenti cum negaret pontifex, et is principis ſui res urgere diceret, poſt multas et acerbas altercationes tandem pontificem beneficii a rege et Guiſio ipſo accepti immemorem reſpondiſſe ferunt, Guiſium regis quidem rebus parum, parum item utilitati eccleſiae, minimum vero exiſtimationi ſuae atque honori ea expeditione conſuluiſſe.

XVII. REVERSO ad Columnam municipium Albano, exercitus per vicina loca [c] Aletrii, [d] Veruli, [e] Bauci diſtribuitur. Ipſe [f] Genaſanum conceſſit; et [g] Palianum, quod bello cauſam dederat, tanquam belli caput expugnare ſtatuit. Dum neceſſaria ad obſidionem parantur, ipſe et cardinalis Carafa [h] Palaeſtrinae, et Cavii quod eſt inter Palaeſtrinam et Genaſanum medium caſtellum, ſaepius convenere; tandemque, omnem operam adhibente Coſmo, per [i] Averardum Medicem, [k] Sanfloriani item et Vitellotii cardinalium interventu, his conditionibus tranſactum eſt: ut Albanus regis Catholici nomine obſequium praeſtet, pontifex viciſſim regem in gratiam recipiat, et Gallorum amicitiae renunciet: rex C CI arces et oppida hoc bello capta reſtituat, ſolo aequatis munirionibus; bona item uſurpara et fiſco addicta reddantur: utrinque offenſionum, injuriarum et damnorum hoc bello datorum gratia omnibus fiat; nec fraudi cuiquam ſit, alterutri militaſſe: Palianum, ita uti nunc eſt, in manus Bernardini [l] Carbonis Carafarum cognati tanquam ſequeſtris deponatur; qui obſtricta utrique fide pacta inter parteis conventa ſervaturum ſe confirmet, et cum Ɔ CCC militum praeſidio illud teneat, donec ex partium conſenſu aliter ſtatuatur. Haec ita palam acta Cavii XVIII Kalend. Octobris: clam vero eodem die ac loco conventum, ut Joannes Carafa Paliani loco compenſationem idoneam, ſenatus Veneti arbitrio,

VAR. LECT. [α] Guiſius poſt Sanquintinianam cladem, de qua mox dicetur, a rege P.

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Colonna.* [c] *Alatri.* [d] *Verub.* [e] *Bauco.* [f] *Genazzano.* [g] *Paliano.* [h] *Paleſtrina & Cavv.* [i] *Averardo de Medici.* [k] *di Santafiore & Vitellozzo.* [l] *Carbone.*

arbitrio, qui ſe medium in eo negotio interpoſuerat, accipiat: ea fuit [a] Roſſani opulenta in Calabria civitas, quae ei cum ptincipatus titulo conceſſa eſt: qua compenſatione accepta, ſequeſtre amoto, Palianum diruatur, et Carafa jus omne in eo regi cedat, quod ille in quem velit transferte poſſit, modo non ſit juratus pontificis hoſtis, ant diris devotus; quod additum, nt M. Antonius Columna excluderetur, cujus ut et [b] Balnei comitis omiſſa prorſus mentio eſt. Quod moroſo et inexorabili ſeni eo facilius ab Albano indnltum eſt, quod brevi moriturum illum apparebat, et, eo mortuo, Philippus de Paliano ſtatuere arbitrio ſuo poſſet.

XVIII. Eadem nocte, qua tranſactum eſt, Tiberis prodigioſa inundatione excrevit, ita ut, pleriſque pontibus dejectis, domibus, templis, et [c] Mauſolei Hadriani propugnaculis aquarum violentia quaſſatis, urbs ipſa natare videretur, equorum, boum, aſellorum et hujuſmodi jumentorum ingenti numero ſubmerſo, vixque plebe, quae in humilioribus locis habitat, a periculo tumultuariis lembis ſervata. Magna praeterea mercium ac pretioſae ſupellectilis, frumenti, vini, olei copia corrupta; ut damnum decies centena millia aureorum exceſſiſſe credatur. Nec minor Florentiae, [d] Arno ob continuam duorum dierum pluviam ripis exeunte, vaſtitas fuit: cui a diluvio, quod ante annos CCXXIV urbem paene merſit, parem homines non meminerant. Quod idem [e] Mugelli et Caſentini evenit; unde, molatrinis paſſim aquarum violentia raptatis ac confractis, utrobique ſumma penuria et caritas annonae aliquot diebus fuit, ut quae Romam [f] Tibure, nam pace jam facta libera erat civitas, et [g] Piſis Florentiam comportaretur. Apud nos quoque in [h] Septimania V Eid. Septembr. [i] Nemauſi ingentia tonitrua et coruſcationes exarſere; quas ſubſecuti imbres inſoliti, antiqui operis monumenta, ſtatuas ac moleis, quae inibi ad ſtuporem viſuntur, paene merſerunt, et urbem foedis ruinis deformarunt. Eadem rerum facies pleriſque locis per Europam eodem anno, et quaſi occulta quadam coeleſtis ordinis conſenſione etiam in remotiſſimis orientis partibus fuit. Nam apud [k] Sinas in [l] Sanciana regione ob continuos ac rapidos imbreis tanta tamque violenta aquarum diluvies ex proximis montibus in ſubjectam planitiem defluxit, ut lacum ingentem, a forma Rotundum dictum, effecerit; quo VII urbes abſorptae ſunt, et pleraque oppida ac pagi: jumentorum praeterea ac pecudum et mortalium ingens numerus periit, puero unico tantum in trunco arboris rato fortunae beneficio ex clade ſervato. Poſtquam tranſactum eſt, Albanus conditiones ad Philippum in Angliam perferendas [m] Aquilae epiſcopo dat: ipſe Romam, praemiſſo ante Friderico filio, ad obſequium, uti convenerat, praeſtandnm proficiſcitur; ſub veſperamque urbem ingreſſus mane honorifica ſummiſſione defungitur, et, triduum inter feſta ac plauſus propter pacem tota urbe perſtrepenteis commoratus, Neapolim redit; ubi rebus ordinatis, et relictis III Germanorum ſignis ſub Ferdinando Lodronio Alberici fratre, quem, Joanne Waltero nuper ex morbo defuncto, ſuffecerat, reliquos ad bellum cum Ferrarienſi, qui Corregienſeis oppugnabat, gerendum deſtinatos [n] Cajetae navibus imponit: quos et ipſe, ſed ſetius ob coortam tempeſtatem, [o] Genuae aſſequitur; unde [p] Mediolanum, jam hyeme appetente, contendit. Guiſius vero, [q] Centumcellis impoſito in naveis milite, per diſpoſitos equos in Galliam perrexit.

INTERPR. [a] *Roſſano.* [b] *Bagno.* [c] *Caſtel S. Angelo.* [d] *Arno r.* [e] *Mugello & Caſentino.* [f] *Tivoli.* [g] *Piſa.* [h] *Languedoc.* [i] *Niſmes.* [k] *la Chine.* [l] *de Xanſi.* [m] *Aquila.* [n] *Gaeta.* [o] *Genes.* [p] *Milan.* [q] *Civita-vecchia.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER DECIMUS NONUS.

EPITOME.

TRIDENTINUS cardinalis a Mediolanenſis principatus gubernatione removetur, eique ſufficitur Joannes Figueroa, Piſcario praeterito. II. *Bellum contra Ferrarienſem a Philippo verſum, cui gerendo Octavius Farneſius praeficitur.* III. *Senenſes, qui ſupererant ad Montem-Ilcini et reliqua loca, omni re exhauſti, omne imperium in Gallos transferunt.* IV. *Albertus Brandeburgicus, terror modo Germaniae, in ſumma egeſtate deſpicabilis moritur.* V. *Ratiſponenſium comitiorum decreta. De Cattorum ditione Francofurti tandem tranſigitur. In Wormatienſi conventu actum, ut pax religioni data intelligeretur, eorum tantum ratione, qui Auguſtanam confeſſionem ſequebantur, non etiam aliorum.* VI. *Belli Bremenſis a Chriſtophoro Brunſvico archiepiſcopo excitati origo.* VII. *Maria Angliae regina, Philippo marito inſtante, bellum regi denunciat: eodemque tempore Scotiae regens reginae Angliae.* VIII. *Legati de nuptiis Mariae Scotae cum Delfino celebrandis in Galliam appellunt.* IX. *Bellum in limite noſtro. Ad Quintini-fanum ex improviſo poſita caſtra, quod Gaſpar Colinius provinciae praeſes tuendum ſuſceperat.* X. *A. Momorantius, auxilio modico introducto, duce Andeloto Colinii fratre, dum ſe recipit, ingenti clade adficitur, et ipſe cum pleriſque e proceribus capitur.* XI. *Ipſum Quintini-fanum paulo poſt violenta oppugnatione poſt obſtinatum certamen captum. Mox Caſtellum et Hana deditur. Caunium fruſtra inſidioſe tentatum.* XII. *Ferd. Gonzagae mors, ingenium, mores.* XIII. *Nic. Polvillerii expeditio Sabaudi auſpiciis in Sebuſianos.* XIV. *Guiſius ad fanum Germani ad regem venit.* XV. *Lutetiae ad Bertemenſeis aedeis ob ſecretum Proteſtantium conventum plebs tumultuatur: quidam ſupplicio affecti.* XVI. *Edictum de clandeſtinis nuptiis.* XVII. *Lex admodum ſevera de infantulorum ex ſtupro natorum paricidio: item de epiſcopis et curionibus: item de curiis praeſidialibus et earum juriſdictione.* XVIII. *Mortes clarorum virorum, Jo. Baptiſtae Ramuſii, Nic. Tartaleae Brixiani, Petri Nannii, Salmonii Macrini.* XIX. *Puncticularis morbus novus, qui praecipue in Hiſpania ſaeviit, a petecciis dictus; qui contagione per Italiam graſſatus eſt.*

EX AUCTORIBUS,

Jo. Bapt. Hadriano, Fr. Rabutino, Gaſp. Colinii commentariis MS. Florimundi Roberteti Fraxinei commentariis MS. Joach. Camerario, Juliano Goſſelino, Actis curiae Pariſ. Aloiſio Thoreo.

LIBER

LIBER DECIMUS NONUS.

CIↃIↃLVII. [a]
HENRICUS II.

HIS ſucceſſibus non ſolum infracta Galliae fortuna, ſed Philippi paene collapſae res in Italia inſtauratae ſunt: nam eae antea in [a] Inſubribus malo admodum loco erant; [b] Piſcariuſque, [c] Valfenera et Claraſco amiſſis, diu ſe [d] Foſſani continuerat, non egredi auſus, conſumptoque commeatu et imploratis fruſtra Coſmi auxiliis, ad haec inimica paſſim regione, inde diſceſſerat, fugienti potius quam abeunti ſimilis, equitatu in eo relicto, quem Briſſacus quaſi obſeſſum tenebat. His acceſſerat aliud incommodum; quod, qui ſummae rerum praeerant, fere inter ſe ſtudiis ac voluntatibus diſſiderent; et, ut nuper Joannes [e] Luna et Franciſcus [f] Taberna Ferd. Gonzagam apud Caeſarem, ita nunc Caſtaldus et [g] Hier. Corregienſis Tridentinum cardinalem apud Philippum delatis querelis traduxerant, quaſi avare provinciam adminiſtraret: cum tamen ſecuritatis fortaſſe nimiae et immodici luxus ac profuſioris ſumptus inſimulari magis poſſet, quam avaritiae, liberaliori vitae homo aſſuetus, et omnium maxime a divitiarum cupiditate, niſi quantum ad largiorem uſum requirebatur, alienus. Id vero a Caſtaldo ea ſpe factum putant, quod ſperaret, amoto a gubernaculis Tridentino, Piſcarium, cui ob memoriam Piſcarii illius tot palmarum ducis, ſub quo primum meruerat, in occulto favebat, in ejus locum ſubſtitutum iri. Igitur primum interdicta Tridentino rei nummariae cura; et ita imminuta ejus auctoritate, cum rerum nervus penes alios eſſet, ipſe, impetrata a Philippo licentia, [h] Mediolano diſceſſit; contra ſpem Caſtaldi Joanne Figueroa arcis praefecto Inſubriae cum ſummo imperio praepoſito.

II. REBUS inter Albanum et pontificem compoſitis, Caraſa cardinalis ad Philippum, [i] Auguſtinus Trivultius in Galliam miſſus eſt, jam permutatis vicibus, in ſpeciem, ut ratio, qua maximi reges pontificis interventu pacificari poſſent, iniretur. Id vero agebat Caraſa, ut, inſcio pontifice, deſerta Gallorum amicitia, quam fortuna deſerere videbatur, ipſe privatis rebus conſuleret: itaque nihil de pace utrinque actum eſt. Tum omni alia cura liber in Italia Philippus bellum contra [k] Ferrarienſem urgebat; cui deſtinatus dux Octavius Farneſius: ad quod et Alvarus [l] Sandaeus cum CIↃ circiter partim Germanis partim Hiſpanis et CC gravis ac levis armaturae Neapolitanis equitibus ex [m] Etruria profectus, ut ſe cum Octavio conjungeret. Ubi ex III CIↃ peditum et CCC equitibus, quos ad eam expeditionem ſumminiſtrare ex foedere tenebatur Coſmus, CIↃ IↃ C tantum pedites ſub VIII ſignis, quibus praeerant Sigiſmundus [n] Roſſius Sanſecundi comes et Franciſcus [o] Montacutus, comparere vidit, graviter cum Figueroa et Octavio de Coſmo conqueritur, et ad Philippum ſe perſcripturum minatur. Nec fruſtra querebatur Sandaeus, prodente ſe in dies Coſmi erga Ferrarienſem favore. Is ſiquidem a noſtris deſertus, miſſo Hercule [p] Taſſonii comite et mox Hippolyto Pagano, cum Coſmo diligenter egerat, ut ratio iniretur, qua Philippo reconciliari poſſet, ſpe in eum caſum adfinitatis facta. Eo fiebat, ut Coſmus, qui, recenti beneficio obligatus, juſta ira irritatis Hiſpanis morem gerere cogebatur, nec aperte contradicere audebat, tamen quantum poterat in eo negotio lente ageret, et ita viribus eorum debilitatis conatus quoque irritos redderet. Tandem, ne deeſſe officio

VAR. LECT. [a] Clade in Veromanduis nuper accepta, non ſolum infracta *P. D.* o f.

INTERPR. [a] *le Milanois.* [b] *il marcheſe di Peſcara.* [c] *Valfenieres, & Quieras*, Ital. *Chierasco.* [d] *Foſſano.* [e] *di Luna.* [f] *Taverna.* [g] *Girolamo de' Signori da Coreggio* [h] *Milan.* [i] *il cardinale Trivultio.* [k] *duca di Ferrara.* [l] *di Sandé.* [m] *la Toſcane.* [n] *de' Roſſi, de' Conti di San Secondo.* [o] *da Montaata.* [p] *Taſſoni.*

officio omnino videretur, VII levis armarurae alas in caſtra mittit, Aurelio [a] Fulgoſio CIƆIƆLVII.
duce, qui nuper, Gallorum partibus relictis, fidem et operam ſuam Coſmo addixerat. Henricus II.
Nec occulta erant diſſidia Figueroae Mediolani proregis et [b] Sandaei, cujus gloriae ille invidebat, proptereaque aegre auxilia in illud bellum ſubminiſtrabat. Has ſimultates caute ac ſumma prudentia Coſmus, qui ſe arbitrum ſemper praebebat, inter eos alebat; et ita belli parum ſibi grati progreſſus retardabat. Ferrarienſis, ut imminentem tempeſtatem declinaret, contractis copiis et per praeſidia diſtributis, circumſpiciebat rerum eventum, dum Coſmi cunctatione Hiſpanorum ira deſerveſceret. Interea Octavius cum univerſo exercitu Kalend. Octobrib. primis caſtris ad [c] Niciae pontem venit, et cum IV machinis [d] Monteciurn Regienſis agri caſtellum, quod a ducentis tenebatur, oppugnat; qui ſtatim deditionem fecere, et, armis relictis, dimiſſi ſunt. Munitus locus, ut pediti et annonae, quae eo Parma non citra periculum ante comportabatur, receptaculum eſſet. [e] Pauli-fanum mox deditum, et IV vicina exigui nominis caſtella. Inde miſſus Paulus Vitellius, qui peditatui praeerat, cum V Etruſcorum vexillis ac machinis, qui Canoſſam loco arduo impoſitum caſtellum in poteſtatem redigeret. Admotis tormentis et aperto muro, fit impetus; quem praeſidiarii ſuſtinuere, ac poſtremo deditionem fecere. Captum deinde in Lunigiana valle [f] Varanum caſtellum haud procul a [g] Fiviſſano. Dum, Montecio muniendo intentis ducibus, exercitus moratur, ſolicitante Hier. [h] Corregienſi, promiſſa auxilia Mediolano venere, ductore Caeſare [i] Magio; et, tranſmiſſo [k] Pado ac firmato in itinere commeatu Corregio, ſe Octavio conjunxere. Ea erant II CIƆ, partim Germani, partim Hiſpani pedites; nam Germani equites mox dimiſſi ſunt; IV equitum cataphractorum vexilla, et totidem levis armaturae alae. His copiis ſubnixus Octavius ex Sandaei conſilio [l] Scandianum adoritur, XIV a Montecio milliaribus, a Regio VII diſſitum; idque III tormentis admotis capit; et, montana Regienſis territorii regione omni potitus, Scandianum munire inſtituit, et importato Parma commeatu firmare. Ferrarienſis III munimenta circum aedificaverat, Stellatae, [m] Saxoli, et Vinantii. Octavius Montecio Scandianum cum IV CIƆ peditum et IƆ C equitibus quotidie commeabat, [n] Mozadella in itinere et [o] Clariculo firmatis. Inde occaſione arrepta, Alfonſus [p] Regio cum Corn. Bentivolio egreditur, ut, ſi poſſet, imparatos hoſteis, qui annonam convehebant, interciperet, et, ſi cum univerſis non poſſet, cum parte confligeret. Igitur ad [q] Ripam-altam caſtra ponit [r] Cruſtulo amni impoſitam; ubi poſtquam primam aciem, quam Aurelius Fulgoſius ducebat, et Sandaeus cum Hiſpanis ſubſequebatur, tranſiiſſe videt, in ultimum agmen incurrens cum minoribus machinis impetum facit: ſed, ſuperveniente ſecunda acie, in qua erant V Germanorum vexilla et cataphracti equites, et mox tertia, in qua erat Italus peditatus, ductore Paulo Vitellio, tum vero certamen acre committitur, quod inclinante jam die non niſi poſt alteram noctis horam dirimi potuit, pejore Ferrarienſium conditione: vulneratis tamen graviter ex hoſtibus Sigiſmundo [s] Roſſio, Franciſco Montacuto, Petro Martellio et duobus Hiſpanis ordinum ductoribus. Ad Ripam-altam Alfonſus ſe recepit, quaſi eo loco hoſpitium habiturus: quod admodum hoſtibus durum erat, qui profunda jam nocte, quo ſe reciperent, diſſipatis ordinibus, non habebant. Sed veritus Alfonſus, ne ſuperveniente die ab univerſo exercitu circumfunderetur, multa nocte hoſpitium relinquit, et Regium cum ſuis contendit. Itaque mox Ripam-altam hoſtes occupant. Actum fuerat et de oppugnando [t] Brixello: idque Ferrarienſis per amicos, quos in caſtris hoſtium habebat, reſciverat: ſed ſub id tempus commodum accidit, ut B. Monlucius, cui Guiſius ab ipſo rogatus licentiam, relicta Etruria, in

Galliam

INTERPR. [a] *Fregoſe.* [b] *di Sandé.* [c] *Ponte di Lenza.* [d] *Montecchio, caſtello del Reggiano.* [e] *San Polo.* [f] *Varano.* [g] *Pruizzano.* [h] *da Coreggio.* [i] *Maggi.* [k] *le Po.* [l] *Scandiano.* [m] *Saſſuolo & Vignale.* [n] *Mozzadella.* [o] *Chiarucolo.* [p] *Reggio.* [q] *Rivalta.* [r] *Croſtolo.* [s] *de' Roſſi.* [t] *Briſello.*

CIↃIↃLVII. Galliam redeundi a rege impetraverat, tunc Ferrariae eſſet; qui locum defendendum
HENRICUS II. ſuſcepit; et diligentia ac praeſentia ſua effecit, ſicut ipſe ſcribit, ut hoſtis conſilium mutaret. Sed obiter notandum heic memoriae ejus peccatum, qui Ferdinandum Gonzagam tunc exercitui praefuiſſe ſcribit, et de eo conſilio Ferrarienſem per Herculem cardinalem Mantuanum ipſius fratrem cognoviſſe; cum conſtet, quadriennio ante Gonzagam ab omni publica in Italia adminiſtratione remotum, tunc vero, cum haec agerentur, et multo ante, a Philippo evocatum, in Belgium profectum, et praecipuum de [a] Auguſta Veromanduorum obſidenda ei auctorem fuiſſe. Poſt certamen ad Ripam-altam commiſſum, cum jam hyems appeteret, et militum numerus praecipue Italorum in dies minueretur, ad haec, confuſa omnia in caſtris eſſent, et inde Figueroa odio Sandaei, inde in Ferrarienſis gratiam Coſmus, qui tamen ſub id tempus Ferdinandum [b] Saſtrium cum una Hiſpanorum et Caeſarem [c] Cavaniliam cum altera Italorum cohorte miſerat, aegre auxilia ſubminiſtrarent, Octavius per vicina praeſidia militem diſtribuit; Sandaeo apud Philippum culpam rei ſegniter geſtae in Coſmum rejiciente, qui haud dubie Ferrarienſi faveret, et privato commodo ſerviens res citra ſanguinem ad concordiam, ſpreta regis majeſtate, adducere tentaret. Ea de re Coſmus cum Albano egerat, cum Neapoli [d] Liburnum ad ipſum veniſſet; et non aliam firmandarum Philippi in Italia rerum rationem eſſe oſtenderat, quam ſi depoſito quantumvis juſto in Ferrarienſem concepto odio motus ob id excitati amice componerentur: nam cunctos in Italia bello attritos hunc victoriarum Philippi fructum ſibi propoſuiſſe, ut tam diu optato otio in poſterum fruantur: quod ſi ex bello bellum ſeratur, periculum eſſe, ne, amiſſa benevolentia, ſpes, affectus et conſilia ex deſperatione ſumant. His rationibus perſuaſerat Albano Coſmus, apud Philippum pervinceret, ut pax Italiae concederetur, ad quam maximum momentum afferret Ferrarienſis pacificatio: eo enim conciliato, nullum ſupereſſe in Italia principem, nullam rempublicam, quae regis Gallorum rebus faveret.

III. EODEM tempore Senenſes nihil non pro libertate auſi et paſſi, cum ſuſtinendis belli ſumptibus ex publico aerario impares eſſent, jam reipublicae pertaeſi, auctore Ambroſio [e] Nutio, ultro in [f] B. Monlucium et Boniſacium Molam omnem poteſtatem et auctoritatem tranſtulerunt; et [g] Ilcini-montem, [h] Groſſetum et Cluſium cum omni eorum territorio juris Gallici fecerunt; eaque de re confectas tabulas per Julium [i] Vierum ad regem perferendas curaverunt, rati, regem non jam de alieno ſed de ſuo certantem majore cura ac ſtudio res adminiſtraturum.

IV. [a] HOC anno ineunte in Germania Albertus Brandeburgicus Caſimiri filius, cum nuper principum quorundam interventu ab Imperii Ordinibus impetraviſſet, ut ad cauſam dicendam in patriam venire poſſet, apud Carolum marchionem Badenſem affinem ſuum in [k] Hercyniae porta ex taedio fortunarum ſuarum et intemperanter acta vita contracto morbo VI Eid. Januar. deceſſit: egregio rerum humanarum inconſtantiae et ultionis divinae exemplo, cum is, qui tot hominum armatorum millibus circumfuſus nominis ſui formidine omnia olim compleverat, et Germaniam omnem fere praedae expoſuerat, mox alternante vices fortuna, a cunctis deſertus in extrema miſeria hoſtibus ipſis deſpicabilis vitam finierit.

V. DEIN III Eid. Mart. qui dies in aequinoctium vernum incurrit, comitia anno ſuperiori [l] Ratiſponae inchoata finem habuerunt: in quibus decretum de colloquio ad religionis controverſias amice dirimendas ad XIX Kalend. Septembr. [m] Wormatiae Vangionum inſtituendo, item de auxiliis VIII menſium duplicatis adverſus Turcam

Ferdinando

VAR. LECT. [a] Haec eo anno in Italia geſta ſunt, quo ineunte in Germania Albertus Brandeburgicus Caſimiri filius, ille publicus patriae terror, cum nuper *P. D. o.*

INTERPR. [a] *S. Quintin.* [b] *Saſtre.* [c] *Cavaniglia.* [d] *Livorno.* [e] *Nuti.* [f] *Blaiſe de Montluc & Boniface de la Mole.* [g] *Montalcino.* [h] *Groſſeto & Chiuſi.* [i] *Vieri.* [k] *Schwartz-wald.* [l] *Ratisbone.* [m] *Worms.*

Ferdinando ſuppeditandis, de pace in religione ac cauſis profanis ſevere tuenda, de Camera denique inſtauranda, promulgatum eſt. Haud multo poſt Joannes Palarious [a] Simereoſis Camerae praeſes, Friderici illius parens, qui Orhooi Heorico bienoio poſt in ſeptemviratu ſucceſſit, princeps non mediocribus literis tioctus, cum ſumma juſtitiae ac prudentiae laude hoc munere defuoctus eſſet, meoſe Aprili ſatis conceſſit. Deio [b] Francofurti ad Moenum per delegatos principes ac judices, Othonem Henricum, et Auguſtum, ſeptemviros, Willelmum [c] Clivenſem et alios, controverſia de [d] Cattorum Melibocorum ditione, quae jam amplius L aonis agitata fuerat inter [e] Naſſovios et Heſſiae priocipes, amice compoſita eſt; Philippo Heſſo comitatum Cattorum retineote, et Willelmo [f] Araoſionenſi priocipi IƆC aureorum CIƆ exſolvente, et comitatum [g] Dieſenſem pro CL CIƆ reddente. Cum tempus colloquii inſtaret, ſuperioris Germaniae theologi, qui Auguſtanam confeſſionem ſeqoebanrur, inter ſe collatione habita de privatis controverſiis coovcoiunt; dieque Saxonicis dicta ad Kalend. Sextileis, ut ante congreſſum cum pontificiis eum ipſis colloquerentur, ſerius venere ioeunte Septembri. Heic Julius [h] Flugius epiſcopus [α] Naumburgenſis, qui colloquio praeerat, ante omnia petit, ot Aoguſtaoae coofeſſionis ſocii ſe a Zuioglianis, Oſiandriſtis, Synergiſtis, Adiaphoriſtis diſſentire et eorum ſectam deteſtari aperte declararent: nam Auguſtanae tantum coofeſſionis ſociis pacem ab Imperio coocefſam, et eum iis ſolis colloquium inſtitutum eſſe; et ſeire Caeſarem pleroſque ex iis id in mandatis habere: itaque, ut fructus aliquis ex hoc colloquio elici poſſit, ſemel eorum errorem communi conſenſu damoandum eſſe; quo facto, longe minorem difficultatem in ceteris fore. Aſſentiebantur juniorum Saxoniae principum legati ac miniſtri; et in iis Eraſmus Sarcerius, Erardus [i] Snefius, Victorious Strigellius, Jo. [β] Srocſſelius, et Joach. Molinus; prolatiſque mandatis, ab illorum erroribus coofeſſiooem ſuam ſejungere profeſſi ſunt. Sed Philippus Melaochthon praecedere debete cognitionem ac explicationem, et Zuinglianos, Synergiſtas et Adiaphoriſtas ante cauſam cognitam, ut et Joannes [k] Brentius Oſiandrum, minime damnari oportere contendebaot. Cum pontificii ulterius progredi oollent, antequam res ad Caeſarem referretur, Ferdinandus procedere collocutores jubet; et ſatis eſſe pronunciat, ſi ordine ſingulis controverſiarum capitibus explicaris annoteotur, quae communi omnium coofenſu improbanda videantur. Verum, cum Naomburgenſis progredi recuſaret, niſi prius certo de eorum fide, eum quibus acturus eſſet, conſtaret, re ioſecta diſceſſum eſt, cum tantum de judicii regula in eccleſia conſtituenda, et originis peccato, ſcripta quaedam theologi inirio inter ſe contuliſſent. Colloquii ſoluri culpa a ooſtris in Proteſtantium ſciſſuram rejecta, quae magnam illis invidiam cooflavit.

VI. Dum haec intet theologos aguotur, Germania paſſim pacata, bellum fere in Saxonia exarſit ex hac occaſiooe. Chriſtophorus ex illuſtri Bruoſvicorum ducum familia archiepiſcopus Bremenſis, qui jam ab anno hujus ſaeculi XI hac dignitate auctus fuerat, a Joanne [l] Rodio adjutoris titolo aſcitus, eum is a Magno Saxoniae duce et comite Oldenburgenſi bello peteretur, et proptet generis humilitatem a ſuis faſtiditus cootra tam potenteis principes viribus propriis ſe tueri noo poſſet, vita ſolute acta et ſoperiorum annorum bellis cootra Albertum marchionem geſtis grande aes alienum cootraxerat: cumque a creditoribus urgeretur, oec viam ex iis difficultatibus explicaodi ſe videret, ditionis ſoae ordioibus perſuaſit, ut ſedecima bonorum a colonis peoderetur. Id durum et odioſum ſumme viſum eſt; cum plerique uollent, quantum quiſque in bonis haberet, rationem iniri. Cum igitur a delegatis ad id miuiſtris ecnſus ageretur, et ab [m] Urſatici agri praecipue coloois in orienrali Friſia, quibuſ-

eum

VAR. LECT. [α] Neoburgenſis P. D. o. f. d. [β] Straſſelius P. D o.

INTERPR. [a] *de Simmern.* [b] *Francfort ſur Mein.* [c] *le duc de Cleves.* [d] *Catzenelnbogen.* [e] *les comtes de Naſſau & les landgraves de Heſſe.* [f] *le prince d'Orange.* [g] *de Diez.* [h] *Pflug, evêque de Naumburg.* [i] *Schnepff.* [k] *Brentzen.* [l] *Roden.* [m] *Urſatz.*

CIↃIↃLVII.

HENRICUS II.

cum Bremenſis, quod minus dicto audientes eſſcot, antiqnas ſimultates exercebat, ſeverc ratio exigeretut, illi priſtinae libertatis mcmores collationcm recuſant. Inde occaſione ſumpta, Btcmenſis, pet Henticum [a] [1] Saltzium ſolicitato Chriſtopboro [b] Wrisbergio, homine audaci, ct tradita ei pecunia, conſcribendi militis negotium dat. Rem inirio nomine ſuo geri nolebat archiepiſcopus; et interpcllati milites ae ccnturiones dc cauſa armorum reſpondebant, archiepiſcopum ob navatam ei proxime operam in aere ſuo eſſe, cui proindc, niſi ſatisfaclat, bcllum ſint illaturi. Ii, primo per Luncnburgenſem agrum vagati, in Bremenſem deſcendunt, ac rurſus poſt multa inſolcnter acta poſtrcmo in Friſiam veniunt, et Urſaticum pagum adotiuntur. Ex eo popnlo, qui arma ſcrre poterant, L primo conflictu occubuere, CCC in Wrisbergii manus venerc, reliqui in fugam verſi ad Bremenſis ptoviociac ordines, qui jam, ut fineis ſuos tucrentur, in armis erant, ſc recipiunt, et eorum opem implorant. Id ſub illud tempus accidit, quo Henricus et Ericus Btunſvici ennſcriptis copiis ad Philippum proficiſcebantut. Qui poſtquam de Wrisbergii in agrum Urſaticum irruptione cognnverunr, [c] Werdam verſus VI Non. Maii iter flectunt, ot illac traducto exercitu Wrisbergium adorirentur. Eorum adventu tcrritus Bremenſis vim deprecatur. Illi nihilominus pergunt; et, Werdae refecto milite, ſumma celeritare tertia noctis vigilia prnfecti Rodeburgum deditione capiunt. Tunc vero diſſipatut tumultuarius archiepiſcopi exercitus, et, dilabente buc illuc militc, Wrisbergius fax ct belli incentnr a Joanne [d] Bernero viro nobili captus Brunſvico traditur et carccri mancipatnr: [2] Saltzius itidem captus in vincula Luneburgi conjicitur. Brunſvicus, his actis, Werdam V Eid. ejuſdem menſis revertitur; convocatiſquc provinciae ordinibus, eos moner, ut archiepiſcnpum, rebus ſuis adminiſtrandis minimc idoncum, et in iis hactenus male verſatum, removerent, et coenobii alicujus ſeptis includerent, ubi, ſacris rantum functionibus occupatus, vitae quod reliquum eſſet innncenter traduceret; ipſi proceres, dum Chiiſtophorus viveret, rcmpublicam adminiſtrarent, et temerariac hujus ac damnoſae expeditionis ab ipſo ſuſceptae impenſas interim ſarcirent: neque enim vero ſimile fieri, antiſtitem ſine ipſorum permiſſu et auxilio, ſi non conſilio, arma ſumpturum fuiſſe ad vexandos ſubditos et eorum agros vaſtandos; quos a vi et injuria potius tucri debuerint. Ad quae illi reſpondent; ſe Bremenſcm ad cauſam dicendam citaturos, et ſeverc monituros, ut a male ſanis conſiliis in poſterum abſtineat; cetetum hoc rerum ſtatu a ſaccrdotin et vectigaliom poſſeſſione non poſſe eum abdicare: quod ad belli impenſas pertinct, ubi dc cauſa in priocipum et ordinum Saxnniae conſeſſu cognitum fuerit, facturos eſſe quod juſtum ct aequum videbitur. Ita reſtituta provinciae pace, deductus exercirus; quem Ericus ad Philippum tunc [e] Auguſtam Veromanduorum obſidenrem perduxit. Poſtea, ad IV Kalend. Quintilcis cnnventu ordinum Halberſtadii indicto, in freqoenti procerum concilio accuſatur Chriſtophorus, quaſi publicam pacem turbaſſet, et ſuorum vexatione non contentus vicinorum etiam finibus multum damni dediſſet. Verum ille, in Urſaticos arma ſumpta cauſatus, gcotem indomitam, quibuſcum ante XXXII annos cum tranſegiſſet, ab illo tempore eos anniverſariam tributi ex foedere impnſiti penſionem mala fide nec niſi aegrc praeſtitiſſe, rebellionis cauſam undiquc circumſpicientes, ob id exiſtimaſſe ſibi licere dicit eorum cnntumaciam armis reprimere; dolere ſummopere, ſi quid iode damni finitimis datum ſit: nam non eam ſibi mentem fuiſſe. Cum haec dixiſſet, adflicti praeſulis miſeria ſubiit audientium animos; qui, excuſatione accepta, ipſius cauſam deinceps ſibi commendatam habuere. Is poſtea, dum deliberat de tradendis dioeceſibus alicui principi, qui creditores ſuos placaret, ſervata idonea penſione, cum ob eam cauſam ad Joachimum Brandcburgicum ſeptemvirum

Berlinum

INTERPR. [a] *Saltz.* [b] *Wrisberg.* [c] *Vehrden*, ou *Ferden.* [d] *Berner.* [e] *St. Quintin.*

NOT. [1] Sultzium *Put.* [2] Sultzius *Put.*

[a] Berlinum profectus eſſet, dum redit, [b] Tangermundae ad Albim ſubito [α] ſanguinis ictu ſtrangulatis faucibus exſtinctus eſt XI Kalend. Feb. anni ſequentis, aetatis ſuae LXXIII; cui frater Georgius jam ſenex ſuffectus eſt. [β] Apud nos, poſt tentatum irrito conatu [c] Duacum ac direptum [d] Lentium ruptis induciis, cum utrinque res ad arma aperte ſpectarent, difficultates longe maximae occurrebant; quippe, flore praecipuo nobilitatis ac militiae cum Guiſio in Italiam profecto, vires noſtrae admodum debilitatae erant: et Momorantius equitum magiſter, a belli conſilio ſemper alienus, cum ex eo perniciem rei Gallicae imminere provideret, quibus poterat copiis limiti contra hoſtium impetus tuendo animum intendebat. Itaque ſub Januarii exitum gravis armaturae equitatus omnis, quod praecipuum regni robur eſt, in Campaniam convenire juſſus, qua parte hoſtem irrupturum apparebat: et [e] Nivernius, ac [f] Bordillonius ejus legatus nihil non agebant, ut coepta in illo limite munimenta conſummarentur, ac [g] Rupes-regia, cui [h] Cambrius praeerat, in primis opere ac milite firmaretur, quod ea ad [i] Mariaburgum ac Mauberti-fontem tuendum et commeatu ac rebus neceſſariis firmandum magni momenti eſſet. Nam loco ſterili ſita, et ab una parte vaſtis paludibus et argilloſo ſolo, ab altera dumetis et rupibus horridis fere cincta, inacceſſum locum et ad obſidendum difficilem praebet. Munitio vero ipſa IV ſpatioſis propugnaculis egregie diſtincta eſt, et arce veteri, quae quintum efficit: quibus ſingulis, uti mos eſt, ſingula attributa nomina; nempe a Rege, Delfino, Momorantio, Nivernio, et Bordillonio: ad haec, foſſa profunda ac vallo, et in iis omnia humilioribus propugnaculis optime firmata, pomoerio inſuper ex terra erecta conſtructo ac proinde adverſus imbreis firmiſſimo munita: quo fiebat, ut propter loci commoditatem ac ſecuritatem frequens populus ad habitandum eo conflueret. Interea magno ſecreto omnia ab hoſte curabantur; et ita, hyeme ac vere fere exactis, antequam univerſae copiae utrinque convenirent, prid. Non. April. [k] Carlomontii, [l] Philippopolis, [m] Givaci atque Aveuarum praeſidiarii eodem tempore egreſſi de Rupe-regia vetere occupanda conſilium ineunt; qua capta, novas munitiones demoliri in animo habebant; quod illis perfacile erat, aggere nondum in trium pedum altitudinem excitato. Noſtri ad hoſtium conſpectum, pabulatorum praecurſores rati, ſtatim egrediuntur, ulteriuſque progreſſi, inſidiis detectis, ſubſiſtunt, et, antequam ab hoſte circumvenirentur, retro pedem referunt, et ad ſuos incolumes ſe recipiunt.

VII. DUM in eo rex ac Philippus eſſent, Maria Angliae regina a marito perſuaſa per [n] Gul. Noreum ſecialem, qui ignoto habitu in Galliam venerat, cum rex [o] Durocortori Remorum eſſet, ei VII Eid. Junias reginae nomine bellum denunciat. Increpitus initio ſecialis a Momorantio, quod ſine diplomate et herae ſuae inſignibus regnum intraſſet, quaſi poenam capitis ob id commeritus, poſtea ab eo ad regem introducitur; ubi cum, quae in mandatis habebat, de geniculis expoſuiſſet, rex coram regni proceribus, ac pontificis, Luſitaniae regis, Venetorum reipublicae ac Ferrarienſis ducis oratoribus, accipere ſe quidem denunciationem, dixit; ceterum omneis ſcire velle, ſe, quantum in ipſo fuerit, pacis inter Gallos et Anglos initae conditionibus plene ſatisfeciſſe, et ſincera fide amicitiam cum regina coluiſſe, uti ſemper cum omnibus fecerit, et porro facturus ſit: ac proinde ſperare ultorem violati foederis Deum; ac fore, ut hoc bellum, uti olim fere ſemper, nuperque, ſic nunc Anglis detrimentoſum ſit futurum. Ceterum, ne ultra ſecialis loqueretur, prohibuit, hoc addito, a foemina eum venire, quae ſi vir eſſet, regem longe alio ſermone uſurum fuiſſe:

VAR. LECT. [α] *ſanguinis* *deeſt* *P.D.o.* [β] Nunc propius ad noſtra veniamus. Poſt tentatum *P.D.o.*

INTERPR. [a] *Berlin.* [b] *Tangermunde au confluent du Tanger & de l'Elbe.* [c] *Douay.* [d] *Lens.* [e] *le duc de Nevers.* [f] *Imbert de la Platiere, ſieur de Bourdillon.* [g] *Rocroy.* [h] *de Chambry.* [i] *Marienbourg & Maubert-fontaine.* [k] *Charlemont.* [l] *Philippeville.* [m] *Givets & Aveſnes.* [n] *Guillaume Harvey, dit Norroy roy d'armes.* [o] *Rheims.*

CIↃIↃLVII. HENRICUS II.

ſuiſſe: itaque quam primum regno excederet. Noreus a regis conſpectu diſcedens in Anglici oratoris aedeis deducitur; donatuſque a rege catena CC aureorum cum oratore in Angliam rediit. Hac denunciatione accepta, rex ſtatim in Scotiam ad regentem mittit, et ex foedere a Scotis petit, ut Anglis bellum indicant, quando Maria non ſolum Philippum maritum auxiliis juvet, ſed ultro prior ſibi bellum indixerit. Lectae literae convocatis ad [a] Neobotellum coenobium proceribus, cum jam legati in Angliam miſſi, neque certo bello neque pace confirmata, rediiſſent. Heic regens cum varias Anglorum incurſiones, praedas abactas, res repetitas nec redditas commemoraſſet, poſtulat a Scotis, ut Anglis bellum indicant, et hanc genti ſuae ignominiam demant, eademque opera Gallorum Regi opem ferant. Cum proceribus perſuadere regens non poſſet, ut ipſi nondum laceſſiti priores bellum inciperent, hanc rationem ex [b] Oeſellii conſilio commenta eſt, qua eos vel invitos ad arma capienda induceret. Ad aeſtuarium [c] Aii amnis [d] munitionem excitari jubet adverſus ſubitas Anglorum incurſiones, in qua machinas bellicas et cetera ad bellum neceſſaria tuto deponere et commode, cum opus eſſet, expromere poſſet, ne convehendi e longinquis regni partibus labor multum temporis inutiliter conſumeret, et, praeter vecturae difficultates, rebus etiam gerendis eſſet impedimento. Sic autem judicabat; Anglos opus procul dubio impedituros, neque paſſuros, ut munitio tam propinqua [α] [e] Bervico creſceret: hinc armorum ſumendorum occaſionem praebitum iri, quorum culpa in hoſteis rejiceretur: quod et accidit. Nam Scoti Anglorum injuriis, dum opus impediunt, laceſſiti, facile regenti de indicendo bello aſſentiuntur; propoſitoque edicto ac die dicta, frequentes [f] Edimburgum coëunt. Quo facto, ipſe, non expectato concilii de belli gerendi ratione decreto, Oeſellius, qui vereretur, ne mora interpoſita Scotos aſſenſionis poeniteret, vexilla Gallorum quaedam et tormenta, quae ſecum adduxerat, trans [g] Tuedam amnem miſit ad [h] Wercam arcem oppugnandam. Id moleſte tulere proceres, hominis peregrini, ut aiebant, arbitrio ſe circumagi, qui uni ſibi plus arrogaret, quam ullus unquam regum attentaſſet: neque enim conſueviſſe reges bellum gerere, niſi rebus, antequam geri coepiſſent, in concilio explicatis, et multum diuque expenſis. Itaque decreto facto Oeſellium jubent tormenta reducere: niſi pareat, poenam, quae a proditoribus exigi ſolet, indicunt: quod viciſſim et regens et Oeſellius aegerrime tulere; quod illa ſuam, hic regis, cujus erat legatus, majeſtatem minui exiſtimarent.

VIII. NEC aliud praeſentius remedium inveniri potuit, quam ſi regina, quae jam nubilis erat, Delfino quam primum nuberet: ita enim ſenatus Scotici auctoritatem, cum in viri poteſtate uxor eſſet, imminutum iri: idque ad regem perſcribunt. Is continuo ad ſenatum dat literas, ad quas audiendas conventus in menſem Decembrem Edimburgum indicitur. Iis literis, poſt longam antiquorum foederum commemorationem et mutuas officiorum vices, petebat rex a ſenatu Scotorum, qui ex III Ordinum delectis conſtat, ut, quoniam Delfinus circa finem Decembris aetatem nuptiis maturam ingreſſurus eſſet, legatos homines idoneos cum liberis mandatis in Galliam mitterent, qui nuptias inchoatas abſolvant, et gentes hactenus foederatas hoc veluti inſolubili nodo connectant. Cum ad conventum obedienter omnes conveniſſent, ſine tumultu electi VIII matrimonio conficiendo: eccleſiaſtici III; Jacobus [i] Betonus Glaſcuenſis archiepiſcopus, Robertus [β] [k] Reidus Orcadum epiſcopus, et Jacobus Stuartus reginae nothus frater Andreae-fani prior: ex proceribus item III; Gilbertus [l] Kennedus Caſſiliſſae, et Georgius [γ] [m] Leſlius Rothuſiae comites, Jacobus

VAR. LECT. [α] Waruico *D. d. Edd. Steph. et Gen.* [β] Reedus *in Edd. omnibus.* [γ] Leſſius Rotuſiae *Edd. omn.*

INTERPR. [a] *Newbotle.* [b] *d'Oiſel.* [c] *Aye r.* [d] *le fort d'Aymouth.* [e] *Berwi k.* [f] *Edimbourg.* [g] *Tweed.* [h] *Wark.* [i] *Beton, archevêque de Glaſgow.* [k] *Reid, evêque d'Orkney.* [l] *Kennedy, comte de Caſſils.* [m] *Leſly, comte de Rothes.*

Jacobus [a] Flaminius [α] Comernaldiae regulus: infimi Ordinis II; Georgius [b] Setonus, quod Edimburgi, et Joannes [c] Areſkinus, quod Montis-roſarum praefectus eſſet, equeſtri loco ambo. Hi tempeſtate jactati et huc illuc disjecti, amiſſis II navibus, haud procul a [d] Bononia tandem in Galliam appulere ineunte anno proximo. Bello inter Anglos et Scotos accenſo, per eam hyemem variae et vario eventu factae excurſiones; ſed una praecipue ad [β] Cheviotae montis radices memorabilis inter Norfolciae ducem et Andream [e] Carum: ibi acriter et diu pugnatum nutante victoria, quae tandem ad Anglos inclinavit, multis utrinque fortibus viris ſauciatis, et Caro ipſo capto.

IX. INTEREA ſecure apud nos agebantur omnia, et ad defenſionem potius quam ad aggreſſionem comparabantur; demumque apparuit temere ſuſceptum bellum in dedecus et perniciem deſiturum. Cum vero [f] Sabaudus cum [g] Araſcotio, [h] Manſfeldio, [i] Egmondano, [j] Mega, [k] Barlamontio ad [l] Givacum ineunte Junio veniſſet, ut ibi exercitum cogeret, conjectabant noſtri, hoſtem per [m] Campaniam impetum facturum; ac [n] Mezeriae praecipue et Rupi-regiae metuebant, quod iis captis aditus ad ſuppetias [o] Mariaburgo, cui [p] Loſſius praeerat, ferendas intercluderetur, quo hoſtium conſilia tendere vero propius erat. Itaque in eam curam diligenter incumbebat [q] Nivernius provinciae praeſes, ut duo loca illa egregie rebus omnibus ad obſidionem ſuſtinendam neceſſariis muniret: ac Rupi-regiae quidem impoſitus cum ſummo imperio [r] Fontanus [s] Monpenſerii legatus cum ala equitum ipſius Monpenſerii; huicque attributus Aegidius [f] Boverius cum levi armatura et XI peditum ſignis. Cum non ſatis loco rex fideret, a [t] Santerano monitus, qui ad luſtrandas limitis munitiones a Momorantio miſſus fuerat, Nivernius contra ad regem ſcribit, et de eo ſecurum eſſet jubet: eam quippe loci firmitudinem eſſe, ut, ſi hoſtis eum aggrediatur, ultro ſe cum ſuis in illum includere minime dubitet; atque ita apud ſe decreviſſe. Delectus locus ad [u] Attiniacum pagum, quo copiae noſtrae convenirent; quo jam Rhingravius cum ſuis et ſcloppetariis equitibus, vix per Lotharingiam ſecuro reperto tranſitu, venerat. Hoſtes cum ad Mariaburgum crebris velitationibus cum noſtris pugnaſſent, allatis ſecum magno numero ſcalis et aliis ad ſubitum impetum faciendum commodis inſtrumentis, recta Rupem-regiam tendunt, quam VI horarum ſpatio capi poſſe ſibi perſuaſerant. Ubi in conſpectum venere, id VIII Kalend. Sextil. accidit, noſtri de adventu eorum certiores facti, nihil cunctati, erumpunt, et, acri pugna conſerta, ac crebra tormentorum diſploſione facta, poſt longum et obſtinatum certamen, quo virtutis ſuae magnum periculum fecere Boverius levis armaturae dux, et [v] Augerius, [x] Jacobus ac Boſius ordinum ductores, hoſtes, multis ex ſuis amiſſis, ab incepto deſtitere, et ad [y] vadum, cui Huſſio nomen, inter [z] Nemauſum vicum et [aa] [1] Altam-ripam caſtra metati ſunt. Inde [bb] Sammariano et [cc] Lalano ordinum ductoribus ad explorandum miſſis, comperiebat Nivernius, XL circiter peditum ſigna in hoſtium caſtris eſſe; tormenta haud amplius XV, ſed nova ſubinde Mechlinia ſummitti et in dies alia expectari; conſilium vero hoſtium eſſe Rupem regiam impraeſentiarum aggredi, Mariaburgo in aliud tempus omiſſo. Sed fefellere indicia, exercitu mox iter flectente [dd] Cimacum verſus, et per [ee] Glaionium, [ff] Trelonium, [gg] Monſtrolium ad [hh] Capellam et [ii] Vervinium frontem vertente, quod ab iis direptum

et

VAR. LECT. [α] Comerlandiae *Edd. omn.* [β] Tevintae *Edd omn.*

INTERPR. [a] *le lord Fleming, baron de Cumbernald.* [b] *le lord Seaton, prevoſt d'Edimbourg.* [c] *le chevalier Erskine, ſieur de Dun, prevoſt de Montroſs.* [d] *Boulogne ſur mer.* [e] *Ker.* [f] *le duc de Savoie.* [g] *le duc d'Arſcot.* [h] *le comte de Mansfeld.* [i] *le comte d'Egmond* [j] *le comte de Meghem.* [k] *de Berlamont.* [l] *Givets.* [m] *Champagne.* [n] *Mezieres & Rocroy.* [o] *Marienbourg.* [p] *le ſieur de Loſſes.* [q] *le duc de Nevers.* [r] *le ſieur de Fontaines.* [s] *le duc de Montpenſier.* [t] *de Beviers* [t] *de St. Heran.* [u] *le bourg d'Attiny* [v] *Oger.* [x] *les capitaines Jacques & le Bois.* [y] *gué de Houſſu.* [z] *Niſmes.* [aa] *Haulterocbe.* [bb] *Ste Marie.* [cc] *la Lane.* [dd] *Chimay.* [ee] *Glaion.* [ff] *Trelon.* [gg] *Monſtreuil aux Dames.* [hh] *la Capelle.* [ii] *Vervins.*

NOT. [1] Altam-rupem. *Ind. Th.*

et incenſum eſt. Poſtremo Guiſam, in quam ſe [a] Vaſſaeus incluſerat, venere, quam petituri credebantur. Tum certo noſtris compertum, in hoſtium caſtris XXXV CIϽ peditum, XII CIϽ equitum eſſe, majorem partem Germanorum: expectabantur et VIII CIϽ Anglorum, qui, ad [b] Caletum oppidum exſcenſione facta, ad [c] Quintini-fanum, uti poſtea apparuit, cum iis conjungi debebant. Nivernius circiter XVIII CIϽ peditum habebat, V CIϽ equitum, maximam item partem Germanorum, cum quibus noſtri per [d] Tiracenſem agrum hoſteis inſecuti tandem [e] Petropontii convenerunt: ac Nivernius quidem cum Condaeo principe, [f] Rhingravio, Joachimo [g] Chabanio Curtonio, et [h] Rupimanio, venit ad vicum cui a [i] Domina-laetitiae nomen, popularium opinione maxime religioſum, haud longe a [k] Marceſianis aedibus, olim a [l] Longovallio illo, qui cum Martino [m] Roſſemo expeditionem Belgicam ſuſceperat, regia magnificentia exſtructis, et nunc a cardinali Lotharingo [*] poſſeſſis. Dicta dies ad V Kalend. Sextil. qua [n] Momorantius magiſter equitum, [o] G. Colinius maris praefectus, et [p] Santandreanus equitum tribunus, qui in aula erant, venirent, et quid agendum eſſet in commune conſultarent. Variae erant hominum ſententiae: cum alii, qui caecis animis coepto temere bello in [** auctorum] gratiam favebant, periculi metum compoſitis verbis elevarent, neque hoſtem quidquam hac aeſtate moliturum dicerent, qui tam ſero ob locorum et alias difficultates ad ſigna conveniſſet: in id coactas tantum copias, ut potentiam oſtentet, et noſtrorum conſilia, ne quid interim moliantur, remoretur: eum, ſpe progreſſus in Campaniae limite, quo impetum facturus erat, dejectum, nunc tantum honeſtam receptui occaſionem quaerere. Alii contra, et ita ſentiebat Momorantius, conſilio, nec temere factum dicebant, quod hoſtis relicto Campaniae limite ſtatim in proximos Picardiae fineis deſcendiſſet: ex eo ſiquidem apparere, de oppugnando inibi magno conatu oppido aliquo conſilium initum eſſe; quod, imparatis noſtris, protinus exſecuturi ſint: quo enim tantas copias, niſi ut aliquid magnum audeant? praeſertim cum ſciant vireis noſtras admodum debileis eſſe: nec vero quenquam ſibi perſuadere debere, eas difficultatibus hactenus retardatas eſſe; ſed certo potius credere, eo ſerius conveniſſe, ut nos incogitanteis opprimerent. Nec fallebatur judicii Momorantius. Nam, cum ſub id tempus Colinius Picardiae praeſes a [q] Senarpontio et Joanne [r] Tuttavilla Villabonio certior factus avunculum monuiſſet, hoſteis in provinciae illius limitem impetum facturos eſſe, ſtatim affertur, Sabaudum, relicta poſt triduum Guiſa, quam obſeſſurus credebatur, ac praemiſſa levi armatura, Quintini-fanum, quae olim Auguſta Veromanduorum fuit, circumſediſſe. Id Ferdinandi Gonzagae conſilio factum ſcribit in ejus vita Julianus Goſſelinus, quem Philippus nuper Italia evocaverat, ut exercitatiſſimi ducis conſilio in ſummis rebus uteretur. Sic autem ille cenſebat, Guiſam primo petendam, quod noſtros, cum eam ſerio peti crederent, Quintini-fano, quod proximum eſt, protinus praeſidia, quibus Guiſam firmarent, deducturos putaret; ſtatimque Quintini-fanum praeſidio nudatum undique exercitu circundandum eſſe: quod, ſive propter firmitatis opinionem neglectum, ſive ob praeſidia inde deducta debile, exiguo periculo magna cum victoris laude capi poſſet; et, ſi auxilio venirent noſtri, cum iis e longinquo venientibus certa victoriae ſpe confligi. Oppido praeerat Petrus [s] Bruellius Armoricanus, et cum eo erat Carolus [t] Telinius Sala Delfini legatus cum ala equitum

P. [*] *qui ei calumnioſam litem regni hujus initio moverat, uti diximus,*
P. [** *Guiſianorum*]

INTERPR. [a] *le ſieur de Vaſſé.* [b] *Calais.* [c] *St. Quintin.* [d] *Tierache.* [e] *Pierrepont.* [f] *le Rhingrave.* [g] *de Chabanes, baron de Curton.* [h] *Tiercelin, ſieur de la Roche-du-Maine.* [i] *Noſtre Dame de Lieſſe.* [k] *Marchez.* [l] *Nicolas de Boſſut, ſieur de Longueval.* [m] *Roſſem.* [n] *le conneſtable de Montmorency.* [o] *l'amiral de Coligny.* [p] *le mareſchal de St. André.* [q] *de Senarpont.* [r] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon.* [s] *le capitaine du Breuil Breton.* [t] *de Teligny la Sale, lieutenant de monſieur le Dauphin*

equitum ipſius Delfini et exiguo deſenſorum numero, adverſus tantas copias impare. Itaque [a] Colinius, re cum [b] avunculo communicata, IV Non. Sextil. [c] Petro-pontio profectus, cum ſua, et [d] Araniae comitis, [e] Jarnacii Chabotii et [f] Faietae equitum alis, III praeterea levis armaturae, praemiſſo [g] Tenello locorum gnaro cum ſua levis armaturae ala, qui ad dextram incederet, [α] [h] Faram Veromanduorum ad Eſiam venit; hoc circuitu uſus, quod cetera itinera ab hoſtibus inſiderentur: inde [i] Hanam tendit, aſſumptis ſecum ſingulis [k] Rambulieti et [l] Santandreani peditum cohortibus; nam [m] [a] Cormontii et [n] Lalanii cohortes in tempore advenire non potuerunt. Ubi Hanam venit, a Bruelio per [o] Valpergam literas accipit, quibus de miſerabili urbis obſeſſae ſtatu certior fiebat: nam paſſim trepidari, ac, ni ſuppetiae quam primum ferantur, oppidanos de deditione cogitaturos. Tum monetur a Valperga, ſi continuato itinere eo tendat, cum ſuis introduci poſſe; ſi moram interponat, quod hodie factu facile ſit, cras fieri amplius non poſſe. Itaque Colinius, eo duce, relictis fere impedimentis ac lixis, expedito comitatu Quintini-fanum proficiſcitur, fruſtra dehortante Jarnacio et [p] Cenamio Luſarcio Colinii ipſius legato, qui praeſidem provinciae manifeſto periculo exponi exiſtimationis publicae intereſſe dicebant. [q] Inſulanum ſuburbium, quod trans [r] Somonam porrigitur, a praeſidiariis deſertum fuerat, quod ab exiguo hominum numero ſervari non poſſet. Id quam primum recuperandum cenſuit Colinius. Itaque eruptione facta, ac domibus incenſis jam ab hoſte occupatis, ex quibus utpote editioribus in oppoſitam urbis partem depreſſiorem deſpectus erat, receptum ſuburbium et milite firmatum. Luſtrato dein loco et confirmatis oppidanorum animis, tum delectu eorum habito qui arma ferre poſſent, et inſtrumentorum terrae fodiendae idoneorum facta perquiſitione, ac novorum fabricandorum inita ratione, annonae poſtremo facta deſcriptio eſt: et rei tormentariae cura delegata [β] [s] Lingatotio homini impigro, qui, quid pulveris, quid pilarum, quid ceterorum ad eam rem neceſſariorum in urbe eſſet, exactum calculum inivit. Molatrinarum etiam cura habita. Tum diſtributi duces per ſingulas urbis regiones, rogatis inſuper ordinum ductoribus, ut, ſi quid haberent, quo eum commonefacerent, id audacter aperirent: neque enim dubitare, quin permulti inter eos ſint, qui obſidionibus olim incluſi multa obſervaverint, quae vel peritiſſimos alioqui fugiant: id vero ſe grato ac libenti animo accepturum. Inſtaurando dein propugnaculo, quod ad Inſulanum ſuburbium prominet, cura impenſa, ac ceteris munitionibus; quibus maturandis dies noctibus continuabantur, inciſis arboribus, quae proſpectum noſtris auferebant, et tutum acceſſum hoſti venienti praebebant. Poſt receptum felici illa eruptione ſuburbium, quamvis periculoſum judicaret Colinius illud cum tam exiguo militum numero ſervare, ne, ſi forte hoſtis impetum ad eam partem faceret, depulſis noſtris, dum ſe intra urbem reciperent, incumbens, una cum ſuburbio urbe quoque potiretur, tamen ita cenſebat, neque id obſtinate retinendum, neque ſtatim deſerendum eſſe, quod tamdiu remoram hoſti injici exiſtimaret, quamdiu illud noſtri citra ſummae rerum periculum ſervare poſſent. Secundum haec Colinius alteram eruptionem decernit, ut de hoſtium hoſpitiis ac ſtationibus certius cognoſceret, et, qua parte auxilia tuto introduci poſſent, melius intelligeret. Datum negotium Telinio, ut certo numero equites ex Delfini ala emitteret; interdictumque ipſi enixis precibus a Colinio, qui tum forte ex gravi capitis dolore decumbebat, ne exiret. Juſſi illi ultra [t] Rincuriam pagum excurrere: ſed, cum praecurſores in hoſtem incidiſſent, et retro pedem referrent,

VAR. LECT. [α] Forum *P. D. o. f.* [β] Lingatolio *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *l'amiral de Coligny.* [b] *le conneſtable de Montmorency.* [c] *Pierrepont.* [d] *le comte d'Arran.* [e] *de Chabot, ſieur de Jarnac.* [f] *la Fayette.* [g] *le capitaine Tenelle.* [h] *la Fere ſur Oyſe.* [i] *Han.* [k] *le ſieur de Rambouillet.* [l] *le mareſchal de St. André.* [m] *Caumont.* [n] *la Lane.* [o] *Valſpergue.* [p] *de Cenamy, ſieur de Luzarches.* [q] *le fauxbourg d'Iſle.* [r] *la Somme.* [s] *Languetot.* [t] *le village de Raincour.*

NOT. [a] Caumontii *Put.*

CIↃIↃLVII. HENRICUS II.

referrent, [a] Telinius, qui ſuos repelli aegre ferret, [b] Cuzio, cui rei ſummam commiſerat, in veſtigio manere juſſo, et extra ſancti Joannis portam cum LX equitibus relicto, ipſe contra mandatum progreditur, et eandem infelicem fortunam, quam ſui jam tulerant, experitur, multis acceptis vulneribus et ſpoliatus, nemine opem ferente, ſive quod periculum non adverterent, ſive quod ita imperatum eſſet. Re per [c] Jarnacium ac [d] Luſarcium ad Colinium nunciata, ipſe ex dolore aliquantum recreatus ſtatim egreditur; et, cum non ita longe jacere ſemianimem Telinium intellexiſſet, et cum aut vivum aut mortuum hoſti eripere atque in poteſtate habere vellet, vim facit. Repulſo hoſte, in urbem Telinius, ut erat ſaucius, infertur; ubi cum veniam a Colinio pluries imploraſſet, quod mandatis ejus non paruiſſet, Non jam a me, inquit Colinius, verum a Deo tibi venia petenda eſt, cujus gratia, quando morti proximus es, praecipue indiges. Horam tamen et amplius ſupervixit; magnumque ejus morte damnum acceptum, ala illa equitum, cui praeerat, tanto ductore deſtituta et ad munia militaria in poſterum ſegniore. Nam in eo erat animi et ingenii robur ingens, et ſumma diligentia ac fides cum longo rei militaris uſu conjuncta. Triduum inde exactum ab hoſtibus ſine ullo operae pretio, niſi quod ducta foſſa ad eas domos, quas nuper eruptione noſtrorum pulſi deſeruerant, propius ſe admoverunt, ſuburbium amiſſum denuo invaſuri. Tum rurſus annonae facta deſcriptio; et omnes ad opus faciendum praeconis voce citati, ſub gravi interminatione: qui opus detrectabant, urbe exacti, atque una nocte IↃCCC circiter omnis ſexus inutilis ea porta emiſſi, quae Hanam ducit, magno urbis levamento. Poſtea impetus in ſuburbium ab hoſte factus: quod cum praeſenſiſſet Colinius, in tempore omnia, quae uſui hoſti eſſe poterant, in urbem reduci curaverat, perforatis et ſuſpenſis ubique aedibus, ut, ubi noſtri abſceſſiſſent, per diſpoſitos igneis facilius incendium conciperent; quod et feliciter ceſſit, deductis ſuis ſine damno, et mox conflagrante fere toto ſuburbio, praeter Inſulae coenobium, quod a flammis intactum remanſit. Tum porta ea munita, per quam noſtri ſe in urbem receperant. Cumque in duabus turribus, quae portam cingunt, pulveris tormentarii magnam vim aſſervari compertum eſſet, placuit inde eum transferri, ne verberatione hac parte facta ignem conciperet, et ſecum murorum partem traheret. Verum periculi evitandi cauſa ſuſceptum negotium paene exitioſum periculum ſubſecutum eſt. Nam pulvis ille, ſive ex ſuburbii incendio ſcintillantibus et volitantibus huc illuc flammis, ſive diſploſo forte tormento, dum Colinius oppidum pro more luſtrat, ignem concepit, et magnam ruinam edidit, abſumptis XL circiter hominibus, et in iis V ex Colinii nobilibus domeſticis: cui ruinae defendendae Colinius ipſe cum VII ex ſuis tantum per horam ac ſemiſſem ſe obtulit, ſi quid hoſtes aggreſſi eſſent. Verum illi, incendio ſuburbii aſpectum auferente, et tumultu fragorem, quo minus exaudiretur, impediente, minime ſe commoverunt: et noſtri ſumma interim diligentia et alacritate ruinam ſarciverunt, ut firmior murus ea parte eſſet, quam antea, gnavam juxta ac fidelem operam navante Joanne [e] Varletio Gibercuriano aedilium praefecto.

X. SECUNDUM haec Momorantius, qui de re omni certior per Colinium fiebat, de ſuppetiis ferendis ſolicitus [α] [f] Faram cum exercitu venit; et inde Santandreanum equitum tribunum cum CCC cataphractis equitibus, et Condaeum cum parte levis armaturae, cui ille cum ſummo imperio praeerat, Andelotum item Colinii fratrem cum VIII peditum ſignis Hanam praemittit, qui hoſtem diſtinerent, et, quo minus vireis latius explicaret, cohiberent, atque ut in propinquo ad omnem introducendorum auxiliorum occaſionem paratiores eſſent. [g] Valperga a Colinio miſſus fuerat, qui per locum, quem ipſe Colinius ex altiore urbis turre notatum ei indicaverat,

VAR. LECT. [α] Forum *ubique* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *de Teligny.* [b] *le ſieur de Cuzieux* [c] *de Jarnac.* [d] *de Luzarches.* [e] *le ſieur de Varlet Gibercourt, maieur de la ville.* [f] *la Fere ſur Oyſe.* [g] *Valſpergue.*

verat, auxiliareis deduceret. Igitur cum eo profectus [a] Andelotus, adductis ſecum II CIƆ peditum, ad eam partem tendit, in qua rariores erant ſtationes, utpote Anglorum hoſpitio, qui propediem expectabantur, deſtinata: ſed, ſive re detecta per captivos Anglos equites, qui in caſtris noſtris militaverant, et indicio hoc vitam ab hoſte redemerant, ſive errore Valpergae factum ſit, Andelotus cum ſuis in ſtationem hoſtilem praecipitavit; quamvis per clivum medius inter duas ſtationes, ut poſtea compertum eſt, tuto incedere potuiſſet, ſi dux viae non ſefelliſſet. Ita interceptus, et, obſtructis ab illa parte aditibus, caeſus, pleriſque ex ſuis amiſſis, cum paucis ſe periculo ſubduxit. Is caſus magnum pavorem oppidanis injecit, qui, cum ſpe auxiliorum ſe deſtitutos viderent, animos deſpondebant, et ad opera facienda ſegniores erant. Formidinem auxit adventus Anglorum, ducibus [α] [b] Penbrochiae comite, [c] Clintono et Greio regulis; qui, fruſtra tentata in itinere [d] Ardea, in quam ſe [e] Sanſaeus incluſerat, ubi advenere, totum illum tractum occupabant, per quem auxiliareis Hana venienteis intromitti poſſe ſpes erat. Eos ut conſolaretur, crebro ad aedeis publicas itabat Colinius, bono animo eſſe jubens, ſpe etiam de auxiliis brevi a Momorantio ſummittendis facta: quoque majores animos oppidanis faceret, intellecto complureis ex limite illo agreſteis homines ſtrenuos et ferendis armis aſſuetos in urbem ſe recepiſſe, negotium dat [f] Collineurio et Avernelo ex praecipua limitis nobilitate, ut ſinguli cohortem conſcriberent; perſolutoque ſtipendio, eos ſub ſignis per urbem juſſit incedere. Obſervatis interim ex ſublimiori turre excubiarum locis, locum ſibi notare viſus eſt Colinius, per quem auxiliares introduci poſſent; eoque conſilio ad Momorantium quoſdam ex ala ſua ferentarios miſerat: ſed, mutatis poſtea ab hoſte ſtationibus, quod crebro fiebat, id fruſtra fuit. Tum promotus ab hoſtibus agger, et cunei acti, quos noſtri contrariis intus Anglorum opera hujus rei apprime peritorum actis hactenus eluſere: ſed hoſtium opera interturbare minime facultas Colinio erat; quippe qui paucos ſcloppetarios haberet, et minora tormenta fere nulla aut male inſtructa, ut difficile eſſet eruptione hoſtem ſummovere et opera ejus interpellare, aut vim vi contraria repellere; cum contra e tumulo in Inſulano ſuburbio excitato diſploſis tormentis noſtrorum operae impedirentur, occiſis foſſoribus, ut vix cibariis praebitis et numerata viritim pecunia homines ad opus faciendum invitari poſſent. Tandem via inventa, qua, ut Colinio videbatur, introduci miles in urbem poterat, per ſubjectam paludem, in qua anguſti quidam calles erant; quibus munitis, et, quoniam inibi aqua reſtagnabat, repurgatis, ſuperabat rivulus, qui mediam paludem rigat, lintribus tranſmittendus. In eam rem ut navigia compararet, monuerat Colinium Momorantius: ipſe, ut locum praeſens inſpiceret, VI Eid. hujus menſis Fara proficiſcitur cum CIƆ IƆ circiter equitibus et IV CIƆ peditum, quos [g] Enardus caſtrorum praefectus ducebat. Ubi [h] Eſſinium majus venit, id vico nomen, relictis ibi copiis in aciem inſtructis, aſſumptis ſecum [i] Condaeo, [k] Nivernio, [l] Honorato Sabaudo Villario, et Ludovico [m] Buellio Sancerrae comite, Momorantio item filio et Andeloto, quam proxime potuit, ad paludis marginem deſcendit, atque inde [n] Fumetium, cui id negotii datum fuerat, cum duobus aliis mittit, qui calleis illos, ſtationes hoſtium, locorum diſtantias ac poſitus exacte notarent. Illi, re diligenter ac mature perſpecta, redeunt, et de omnibus concordi fere ſententia ad concilium referunt. Itaque Momorantius jam de intromittendis auxiliis confirmatior Faram ſub veſperam revertitur, et poſtridie per pontem ad id paratum, jam ad occaſum vergente ſole, pedeſtreis copias, in quibus XV ſigna Gallorum, XXII Germanorum erant, traducit, VI

item

VAR. LECT. [α] Penbrucii——Clinthono et Graio *in Edd. omnibus.*

INTERPR. [a] *de Chaſtillon, ſieur d'Andelot.* [b] *Pembroke.* [c] *le lord Clinton & le lord Grey de Wilton.* [d] *Ardres.* [e] *de Sanſac.* [f] *Collincourt & Avernal.* [g] *le capitaine Enard.* [h] *le Grand Eſſigny.* [i] *le prince de Condé.* [k] *le duc de Nevers.* [l] *Honorat de Savoie, marquis de Villars.* [m] *de Bueil, comte de Sancerre.* [n] *le ſieur de Fumet.*

item tormenta muralia, IV colubrinas, et IV minores machinas. Ipſe ſummo mane, qui dies B. Laurentio ſacer eſt, enm equitatu ſe iis conjunxit; et ita inſtructo in aciem exercitu incedens ſub horam citciter nonam in Inſulani ſuburbii conſpectum venit, ubi XIV Hiſpanorum vexilla, qui ſuburbium initio occupaverant, hoſpitium habebant. Ab eadem parte Sabaudus trans fluvium ac paludem cum ſuis late porrecto hoſpitio ſtabat, poſitis ad molatrinam, quae noſtris opponebatur, II Hiſpanorum ſignis: hi, primo reſiſtere auſi, mox a noſtris loco depulſi ſunt; ſtatimque directis ac diſploſis tormentis magnus tumultus in Sabaudi caſtris exoritur, ut vix ipſe, tentorio dejecto, ſumendae loricae ſpatium habuerit, quo ſe in Egmondani hoſpitium reciperet. Locus erat tribus a ſuburbio milliaribus, convallibus et anguſtiis impeditus, ad impetum in noſtros redeunteis faciendum valde opportunus, quem propterea occupandum cenſuerat Momorantius. A pedite eum inſideri non placuit, quod inde depulſis tutus ad ſuos receptus tanto intervallo non eſſet. Itaque eo miſſum ex Rhingravii, qui aderat, equitatu ſcloppetariorum equitum vexillum. Interim omnem operam dabat Momorantius, ut per paludem auxiliares immitterentur; verum exiguo adeo lintrium numero et conferta militum irruentium turba effectum eſt, ut diligentia parum proficeret. His acceſſit et ingens incommodum, quod impoſitus lintribus miles, quo minus in ulteriorem ripam appelleret, pondere et alto limo prohiberetur; quo fiebat, ut ſaltu inde in profundas voragines praecipitaret, quibus pars hauſti, pars non bene notatis callibus huc illuc vagi ad ludibrium hoſtis diſpergerentur: ſicque pauci admodum, et in iis Andelotus Colinii frater, intra urbem incolumes accepti ſunt. Dum haec agerentur, non ceſſabat hoſtis. Nam Sabaudus, ubi ſe cum Egmondano conjunxit, de noſtris in reditu intercipiendis conſultat. Jam de illo loco noſtris ſuſpecto hoſtibus in mentem venerat, quo poſt miſſum Rhingravii vexillum Nivernius ipſe cum ſuo et [a] Curtonii, [b] Albinii ac [c] Vaſſaci equitum alis Momorantii juſſu profectus fuerat. Itaque mox eodem magnam equitatus partem, quem peditatus ſubſequebatur, hoſtes praemiſerant; qui, occupatis anguſtiis ac majorem jam partem pertranſitis, Nivernio venienti occurrerunt. Conſilium Nivernio erat cum hoſte confligere, antequam omneis copias traduxiſſet; audax in ſpeciem, ſed, ut eventus docuit, ſalutare; quippe ita unius aut paucorum periculo pernicie ab univerſo exercitu depulſa: verum a ſuis tunc et a Momorantio antea monitus, ne quid temere tentaret, quo rem in neceſſarium certamen adduceret, ſervatis ordinibus primo ad Condaeum, qui ad molatrinam, quam dixi, cum levi armatura ſtabat, deinde cum eo ad laevam iter flectens ad Momorantium jam recedentem ſe recepit. Inſequebantur hoſtes, jam traductis omnibus copiis, cum VIII equitum agminibus; qui exiguum adeo noſtrorum numerum conſpicati, relicto ad anguſtias ſervandas cum ſuo equitum agmine [α] [d] Schawenburgo comite, jam propiores incurrunt: et [e] Egmondanus quidem prior cum II CIↃ equitum in latus impreſſionem facit: ab adverſa parte Ericus et Erneſtus Brunſvici, ſinguli cum CIↃ ſcloppetariis equitibus, quos ſubſequebatur Philippus [f] Momorantius Hornanus cum CIↃ cataphractis equitibus: medius inter eos P. Erneſtus Mansfeldius cum [g] Villanae, [h] Hocſtratii, Lalanii comitibus noſtrorum frontem aggrediuntur tanto impetu, ut, turbatis primum ordinibus, ceteri aucto tumultu in ſeſe revoluti confuſis atque apertis itidem ordinibus inutiles ad pugnam redditi ſint. Principium fugae a lixis, negotiatoribus et cetera imbelli turba, quae caſtra ſequitur, factum; quod ſecum extemplo etiam militareis viros traxit. Tum Nivernius, qui forte ad laevam curva ac depreſſa convalle incedebat, cum ad primos hoſtium impetus frontem obvertere vellet, redeuntium ex editiore loco in ſe noſtrorum

VAR. LECT. [α] Scheualburgo P. D. o.

INTERPR. [a] *de Chabanes, baron de Curton.* [b] *d'Aubigné* [c] *le ſieur de Vaſſé.* [d] *de Schaumburg.* [e] *le comte d'Egmond.* [f] *de Montmorency, comte de Horne.* [g] *Willers.* [h] *les comtes de Hooſtrate & de Lalain.*

rum nube et hoſtium vi obrutus, ſervare ordines non potuit: ſed, dejectis pluribus ex ſuis et apertis ordinibus, vix poſt varios incurſus ſe in tutum cum paucis ſubduxit. Profligato equitatu, peditatus ſe denſatis ordinibus continebat: ſed diſploſis eminus tormentis fracti ac diſſipati inter [a] Eſſinium pagum et [b] Rizerollam caſtellum, in loco cui [c] Albae-foſſae nomen, ac tandem poſt longam cruentamque ſtragem, nam IV fere horas pugnatum, omnino deleti ſunt. II CIↃ IↃ illo proelio amiſſi ex noſtris: ex hoſtibus non amplius L deſiderati: qui ſuperfuerunt ex peditatu agminatim in hoſtium poteſtatem devenere. Capta et omnia tormenta, II tantum exceptis, quae Bordillonii diligentia [d] Faram perducta ſunt. Periere magni nominis viri, [e] Joannes Borbonius Condaei frater, qui, reſtituto ſaepius certamine et magno virtutis in excelſa illa fortuna edito ſpecimine, tandem ſcloppeti ictu confoſſus atque equo dejectus et in hoſtium caſtra delatus paulo poſt expiravit; Franciſcus [f] Turrius [α] Turenae vicecomes, N. [g] Tiercellinus Caroli Rupimanii filius, Cl. [h] Rupichuartius Chandenarius Monpenſerii, [i] Guronius [j] Rupiſurionii, [k] Gulenins Rupimanii, [l] Sangelaſius P. Strozzii, et [m] Rupiſortius Pluviotus Bordillonii vexilliferi deſiderati: Momorantius ipſe magiſter equitum [β] captus, in ilibus accepto vulnere; [γ] erroris in ſummo duce inſimulatus, quod in hoſtis conſpectu cum toto exercitu ſe tuto [δ] recipere poſſe ſperaſſet. Monpenſerius etiam, poſt obſtinatum certamen et receptum propria manu ſignum, tandem in manus hoſtium venit. Capti et Santandreanus equitum tribunus, Helionorus [n] Aurelianus Longavillae dux, Ludovicus Gonzaga Mantuae ducis frater, [o] Vaſſaeus, [p] Curtonius, [q] Rupimanius, Rhingravius Germanorum dux, omnes torquati equites, Fr. [r] Rupifulcaudius comes, [s] Albinius, Gabriel [t] Monbrunius Momorantii filius, Joannes [t] Guntaldus Bironus in carcere male habitus ejuſque taedio mortuus, [u] Rupiſortius, [v] Capella Bironus, [x] Santeranus Momorantii, [y] Lavernada Angiani, [z] Novius Bordillonii, [aa] Marcacus Rupimanii ſigniferi, [bb] Buſſaeus et Monſtrolius Rupiſurionii legati: praeterea R. [cc] Bellaius Toarcaeus, [dd] Moius, [ee] [a] Molinvallius, [ff] Fumetius, [gg] Rezaeus, [hh] Monſalelius, alii: graviter vulneratus Villarius Momorantii ſororius. Nivernius cum Condaeo, Sancerrano, Bordillonio, aliaque nobilitate, Franciſcus item Momorantius cum ſuis, ſed diverſo itinere, [ε] Faram ad Eſiam venere. Clades ea ingens et fatalis Galliae fuit; quae non ſolum tot annorum proſperos ſucceſſus ac fere totius Henrici vitae fortunam evertit, ſed eo pernicioſior fuit, quod feliciſſimum antea principem ad pacem iniquam compulit, quae bellorum civilium initium in Gallia fuit. Enimvero, ſi [ii] Marcianam ſtragem, in qua eodem fere errore peccatum fuit, et amiſſas [jj] Senas excipias, hactenus omnia regi proſpere ceſſerant; quouſque quorundam ambitione contra fidem datam excitato hoc bello, priſtinae gloriae, et omnium quae tum ipſe tum parens ejus armis quaeſierant, ſimul jacturam fecit. Sane Momorantius, qui de belli eventu ſemper ab initio male auguratus fuerat, cum ſenili prudentia, amore erga patriam, gratia apud regem, ſummam potentiam ſemper antea in regno obtinuiſſet, poſtquam eum fortuna deſeruit, hominum quoque favorem amiſit; quod non ſolum familiae illuſtri nocuit, ſed toti rei Gallicae.

CIↃIↃLVII.
HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] Turaniae *P. D.o. f.*
[β] captus *deeſt* *P.*
[γ] erroris magni *P.*
[δ] ad ſuos recipere *P.*
[ε] Forum Veromanduorum *P. D.o.*

INTERPR. [a] *Eſſigny.* [b] *Rizerolles.* [c] *Blanc-foſſé.* [d] *la Fere ſur Oyſe.* [e] *Jean de Bourbon, comte d'Engairn.* [f] *de la Tour, vic. de Turenne.* [g] *de Tiercelin, fils du ſieur de la Roche-du-Maine.* [h] *de la Rochechouart, ſieur de Chandenier.* [i] *de Guron.* [j] *le prince de la Roche-ſur-Yon.* [k] *de Goulaines.* [l] *de St. Gelais.* [m] *Claude de Rochefort, ſieur de Pleuvaut.* [n] *d'Orleans, duc de Longueville.* [o] *le ſieur de Vaſſé.* [p] *le baron de Curton.* [q] *le ſieur de la Roche-du-Maine.* [r] *de la Rochefoucaud.* [s] *le ſieur d'Aubigny.* [t] *de Montmorency, baron de Montberon, quatriéme fils du conneſtable.* [t] *de Gontaud de Biron.* [u] *le ſieur de Rochefort en Brie.* [v] *de la Chapelle-Biron.* [x] *de St Heran.* [y] *la Vernade.* [z] *de Neufvy.* [aa] *de Marçay.* [bb] *du Baſſay & de Monſtreuil.* [cc] *du Bellay, baron de Thouarçay.* [dd] *de Mouy.* [ee] *de Molinont.* [ff] *de Fumet.* [gg] *de Rezé.* [hh] *de Monſalel.* La Popeliniere l'appelle *Monſalez.* [ii] *de Marciano.* [jj] *Siene.*

NOT. [a] Molinontius *Ind. Th.*

CIƆIƆLVII.
HENRICUS II.

Gallicae. Nam aemuli, qui ex publica clade privatum compendium faciebant, rerum gubernaculis ea occaſione admoti, in vacuum venere, et populi favorem, qui Momorantium reliquerat, invaſere; quem ſemel arreptum homines ſtrenui juxta et callidi miris artibus poſtea ſemper retinuerunt. [*] Initio rumor exortus ad [a] Nivernium uſque perlatus fuerat, Momorantium e clade elapſum, et collectis aliquot copiis reſtituto certamine adhuc pugnare: verum is mox evanuit. Nivernius, ubi Fatam venit, ſtatim regem, qui [b] Compendii erat, per [c] Scarſium de eventu certiorem facit, et diſtributis quas penes ſe habebat per vicina praeſidia copiis limitem firmat; ac [d] Sancerranus quidem ſponte ſe [e] Guiſa incluſit, adductis ſecum ſua ac Rupiſurionii equitum alis, cum duabus [f] Eſtraei et [g] Pizaci peditum cohortibus. Bordillonius ad Fatam remanſit cum Lotharingiae ducis et Villarii equitum alis, [h] Enardi praeterea caſtrorum praefecti cohortibus, ac v aliis. [i] [1] Solignacus [j] Caſtellum, cui praeerat, cum ſua et [k] Cleracii peditum cohorte proficiſcitur. [l] Humerius [m] Peronae cum ſua, P. Strozzii et Martini [n] Bellaii Langaei equitum alis et VI peditum cohortibus impoſitus: quibus additae Grammontani IV cohortes. α [o] Calniae Comes [p] Corbeiae cum ſua, [q] Villabonii, [r] Vaſſaei equitum alis, [s] Bellaforerii ac [t] [2] Blavecuriae peditum cohortibus item impoſitus; cui mox adjunctus [t] Crepacordius: [u] Hanae [v] Sepoſius cum III peditum cohortibus, et Santandreani equitum tribuni ala: [x] Deſiderii-monti Jacobus [y] Claromontius Buſſius Amboſius cum Rupimanii equitum ala, et II peditum cohortibus: [z] Codiciaco [aa] Buchavanius cum III peditum cohortibus: [bb] Caunio denique [cc] Montinius cum Monpenſerii equitum ala et II cohortibus praeponitur. Ut apud nos omnia pavoris et triſtitiae, ſic apud hoſteis laetitiae ac fiduciae plena erant; quippe qui omnem nobilitatis florem exſtinctum nec ullum fere e tanta clade ſupereſſe crederent: et, cum Nivernius tubicinem ad Sabaudum miſiſſet, ut de mortuis ac captivis cognoſceret, vix fidem initio habuere, et fictas eas literas dicebant: nam Nivernium ipſum occiſum putabant: quem propterea inter jacentium cadavera Mansfeldius ſumma diligentia primo veſtigandum curaverat: quo minime reperto, cuncti denunciatione a praecone facta captivos adducere et coram Sabaudo ſiſtere juſſi ſunt. Tum Mansfeldius, quo acceptam, uti jactabat, captivitate ſua jacturam ſarciret, turpiſſimum mercimonium exercuit, captivis paſſim a milite, qui eos minime cognoſcebat, vili pretio emptis, et eorundem poſtea cognitorum redemptione grandi pecunia aeſtimata: quod ſevere et crudelius ab eo factum, quam ex jure gentium liceat, plerique damnavere. Certe conſtat, eum diritate carceris et inhumanitate complureis ad pretium ſupra vireis ac conditionem exſolvendum adegiſſe, et Bironum, qui ſatisfacere non poſſet, aut obſirmato animo nollet, in carcere periiſſe. Fiduciam vero tantam ex hac victoria hoſtes ceperant, ut, nulla mora interpoſita, in regnum penetrandum eſſe cenſerent: quod ſi fieret, non dubitabant, quin ſucceſſum urgendo Lutetia ipſa brevi potirentur: idque multis rationibus Philippo perſuadere conabatur F. Gonzaga. Verum Philippus, qui vereretur, ſi, [dd] Auguſta Veromanduorum poſt terga relicta, ulterius progrederetur, ne rex vireis colligeret, et, nobilitate rurſus, quae nimium quam multa in hoc regno eſt, ad ſigna confluente, victoriae partae fructum ſibi eriperet, ab obſidione diſcedi noluit; et tutius quam generoſius

P. [* ; *donec, eo ad apertam populi perniciem abutentes, omina factionibus miſcuerunt, et exitium paene extremum regno attulerunt.*]

VAR. LECT. α Calnii *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *Compiegne.* [c] *d'Eſcars.* [d] *de Bueil, comte de Sancerre.* [e] *Guiſe.* [f] *d'Eſtrées.* [g] *le capitaine Piſieux.* [h] *le capitaine Enard.* [i] *le baron de Salignac.* [j] *le Caſtelet.* [k] *le baron de Clerac.* [l] *Jacques, ſieur d'Humieres.* [m] *Peronne.* [n] *du Bellay, ſieur de Langey.* [o] *Chaulnes.* [p] *Corbie.* [q] *de Villebon.* [r] *de Vaſſé.* [s] *de Bellefouriere.* [t] *Blamecourt.* [t] *de Crevecœur.* [u] *Han.* [v] *de Sepoix.* [x] *Montdidier.* [y] *de Clermont, ſieur de Buſſy d'Amboiſe.* [z] *Coucy.* [aa] *de Bouchavanes.* [bb] *Chauny.* [cc] *le ſieur de Montigny.* [dd] *St. Quentin.*

NOT. [1] Salignacus *Put.* [2] Blamecuriae *Ind. Thuani.*

ſius conſilium ſecutus eſt. Rex, ubi de caſu cognovit, [a] Scarſium ad [b] Nivernium cum literis remiſit, id admodum ſibi dolere teſtatus; ceterum ſpem in Deo certam habere, qui ſe minime deſerturus ſit: itaque ſummopere prudentiam ac ſedulitatem ipſius laudare, qui in tempore tam opportune limitis ſecuritati proſpexerit: ſe Jacobum [c] Mongomerium Lorgeum mittere, ut [d] Novioduni ex nobilibus domeſticis et corporis ſtipatoribus delectos cogat: ſibi videri e re eſſe, ut Hanae [e] Potus praeficiatur, Codiciaco [f] Noallius; ipſe vero [g] Laodunum Clavatum cum Condaeo, [h] Momorantio ac [i] Villario proficiſcatur, ut ibi exercitus reliquias colligat; quo et ad ipſum confluxurae ſint, uti juſſerit, ex omni regni parte copiae. Rex [k] Compendio digreſſus Lutetiam venit, dolore ac pavore conſternatam, dilabentibus paſſim in propinquas urbes civibus, quaſi jam hoſtis ad portas eſſet. Confirmatis civium animis praeſentia et alloquio ſuo, rex bono eos animo eſſe jubet: neque enim ſe ipſis defuturum, modo ne ſe ipſi deſerant: ſic hactenus cum eis parentis affectu vixiſſe, ut potius patrimonium regium omne oppignerare atque grande aes alienum ad regni onera ſuſtinenda contrahere maluerit, quam aut populum novis vectigalibus onerare, aut tributa in ejus perniciem excogitare: nunc neceſſitate urgente petere, ut ſui ac temporis rationem habeant, neque commune periculum negligant. Recreati aliquantum ex gravi metu cives ultro CCC Francicorum CIƆ in belli uſum offerunt, et fidem pollicentur. Hinc conducta Helvetiorum VI CIƆ, duce Luca [l] Rieio Baſileenſi, et VIII CIƆ ex [α] [m] Glaronenſi et Urienſi pagis. Recrodus quoque, ut novum militem conſcriberet, miſſus in Germaniam, paene hoſtium delectibus exhauſtam, ac praecipue Nic. [n] Polvillerii Sebuſiani reguli, qui nuper XX peditum vexilla et aliquot equitum turmas Philippi nomine conſcripſerat. Delectus et paſſim toto regno habiti, et nobilitati omni, atque iis qui arma ferre conſueviſſent, mandatum, ut Laodunum ad Nivernium convenirent, pro regni dignitate et ſalute pugnaturi, gravi denunciata poena iis qui imperium detrectarent, capitis quidem omnibus, nobilitati vero inſignium etiam ac natalium privationis. Nivernius, poſtquam Laodunum venit, exercitus reliquias luſtrat. Ex omni equitatu Gallico, qui IƆ CCCC cataphractis et CIƆ levis armaturae ac ſcloppetariis equitibus conſtabat, vix CIƆ CCC reperti: ex peditum Gallorum XV ſignis tantum IV reliqua erant, exarmato fere milite, et propter vulnera ac miſeriam inutili reddito: ex Germanico equitatu, cui, capto Rhingravio, praeerat [o] Barbatius comes, CCC tantum ſuperabant: ex peditatu, cui [p] Sternus praepoſitus erat, qui XII CIƆ conſtabat, vix IV CIƆ reliqua fuere; quos aegre ſub ſignis retinuit Nivernius, quod majorem partem capti fuiſſent, nec aliter dimiſſi, quam fide data, regi intra ſemeſtre non militaturos: unde colligi potuit, quanta ea clades fuerit. Diſtributis per pagos ac vicina oppida hoſpitiis, Nivernius, liberalitate erga duces et humanitate erga milites ſaucios et aegrotos ſumma uſus, eorum animos ac benevolentiam mirum in modum ſibi devinxit, et ad ingratum militiae laborem ferendum confirmavit. IV ſigna [q] Meti acceerſita; et [r] Jurius Campanam legionem, cui praeerat, adducere juſſus. Continuis excurſionibus, quod unum poterat, hoſtem laceſſebat Condaeus: contraria hoſtium incurſione et ipſe aliquando infeſtabatur; ac tum maxime, cum, deficiente [β] ad hoſtem Anglorum levis armaturae ala, Graio duce deſerto, in noſtra uſque caſtra impetum fecerunt, ut aditus et vada ac locorum ſitus explorarent. Itidem Guiſa [s] Sancerranus, [t] Fara [u] Bordillonius continuas excurſiones faciebant. Biduum celata Sanquintinianis ea clades: qua intellecta, omnium animi

admodum

VAR. LECT. [α] Clarenſi *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *d'Eſcars.* [b] *le duc de Nevers.* [c] *de Montgomery, ſieur de Lorges.* [d] *Noyon* [e] *le ſieur de Pot.* [f] *de Noailles.* [g] *Laon.* [h] *François de Montmorency, fils aîné du conneſtable.* [i] *Honorat de Savoie, marquis de Villars.* [k] *Compiegne.* [l] *le colonel Riet de Baſle.* [m] *les cantons de Glaris & d'Uri.* [n] *le baron de Polweiller de Breſſe.* Il eſtoit Allemand de Maſmunſter en Alſace. Vid. Matthieu Tom. I. p. 179. Nos Hiſtoriens le nomment *Polville.* [o] *le comte de Barbize.* [p] *Sterner.* [q] *Mets.* [r] *de Jours,* [s] *le comte de Sancerre.* [t] *la Fere ſur Oyſe.* [u] *le ſieur de Bourdillon.*

NOT. [β] ab hoſte *Put.*

CIↃIↃLVII.
HENRICUS II.

admodum turbati ſunt: quos tamen Colinius utcunque conſolatus omnem operam dabat, ut, quamvis de oppido conſervando apud ſe deſperaret, tantiſper hoſtem in ejus obſidione diſtineret, dum rex, collectis ſuorum animis ac viribus, novas copias ad victoris impetum refraenandum comparare poſſet. Cum Andeloto in urbem accepti fuerant circiter ꟾↃ delecti milites, et ſpontanei aliquot e nobilitate, ſed exiguo numero; et in iis [a] Noſtradamus vicecomes, [b] Curcus, [c] Mataſius, [d] Sanremigius cuneorum agendorum peritiſſimus; praeterea tormentarii aliquot, et tormentariorum praefecti, quorum penuria obſeſſi laborabant. Tum, nova regionum oppidi facta diſtributione, Sanremigius de cuneis ac foſſoribus diligenter cum [e] Lanſortio Anglo egit. Non tantum continua hoſtium in frontem diſploſione ſed tranſverſa verberatione admodum infeſtabantur noſtri; ac tum maxime, cum ſub Philippi in caſtra adventum redintegrata verberatio eſt, ita ut defenſores in pomoerio undique intecti conſiſtere non poſſent. Cui incommodo ut mederetur Andelotus, hoc commento uſus eſt: navigia tranſmittendis fluminibus in uſum belli fabricata in pomoerio deſtitui juſſit, et alterum alteri operum vi imponi ac terra oppleri: atque ita unius diei ſpatio, quod vix foſſores toto menſe feciſſent, ingentem tumulum exſtruxit ſuſtinendis tormentorum ictibus parem et tranſverſae hoſtium verberationi oppoſitum; poſt quem propugnatores latebant utcunque ab utroque latere tecti. Nec ceſſabat hoſtis, qui foſſas ulterius ſemper ducebat, et nova tormenta, quae ſecum Philippus [f] Cameraco advexerat, ad verberationem inſtruebat. Itaque rurſus de auxiliaribus immittendis conſultatum eſt: et ex Nivernii, Condaei ac ceterorum procerum ſententia CCC ſcloppetarii [g] Crepiaco in agro Valeſio miſſi, deducentibus eos [h] Sanſimonio Nivernii ſignifero et [i] Caſtelluſio Bordillonii legato cum ſingulis equitum alis ad anguſtum paludis callem a piſcatoribus indicatum, in quo ea aquae profunditas erat, ut umbilico tenus miles extaret. Ubi ad locum nocte concubia ventum eſt, equites, qui auxiliareis deduxerant, tantundem ibi commorati, dum illi paludem enatare poſſent, antequam de tranſitu eorum certi eſſent, obſcuro noctis tecti ſe recepere. Sed, cum ad primum ſtrepitum in caſtris hoſtium ad arma conclamatum eſſet, auxiliares, ſeu metu ſive errore viarum decepti, maximam partem aut inibi periere, aut ſparſi huc illuc abiere: tantum CXX ex iis incolumes, ſed exarmati et novi homines, in urbem pervenere, pro temporis neceſſitate haud magno uſui futuri: quod culpa equitum, qui eos deduxerant, accidit, ut poſtea ſcripſit Colinius. Nam, ſi illi hinc inde hoſtem initio territum tumultuario certamine diſtinuiſſent, quod citra periculum facere poterant, medios auxiliareis texiſſent, quouſque trans paludem evaſiſſent.

XI. DEINCEPS, ſpe omni auxiliorum deſtitutus Colinius, tempus omne contrariis cuneis ad hoſtium cuneos agendis impendebat, egregiam operam navante Sanremigio: nam Lanſortius ſatiſcebat, ſive ſucceſſus deſperatione ſive proprio periculo territus. Hoc eo faciebat Colinius, ut eadem opera conatus hoſtium irritos redderet, et in foſſam, quam jam tenebant hoſtes, penetraret. XII Kalend. Septembr. coepta verberatio, cum IV Non. Sextil. ad obſidionem veniſſent, F. Gonzaga, qui obſidendi oppidi Philippo auctor fuerat, opus urgente, et in aggere et foſſa aſſiduo. Inſtituta tum ab eo verberatio decuſſata, quae maxime noſtris incommodabat, cum antea poſt tumulum illum ex navigiis ab Andeloto excitatum ictus huc illuc incerto et irrito ſucceſſu emitterentur. Verberatione per VI dies continuata, et interim foramine intra foſſam ducto, cum hoſtes jam a tormentis et ſcloppetis tuti eſſent, ne ſaxis infeſtarentur, pluteos ſuper imponunt, quibus defenſi nihil omnino incommodi a noſtris patiebantur. A Joannis porta ad turrem flumentanam facta ruina, majore ſucceſſu quam pro utriuſvis opinione, quaſſatis turribus quae interjacent, et dejecta muri pinna, quam innumeris ictibus ſuſtinendis parem obſeſſi exiſtimabant. Poſt IV a coepta verberatione

INTERPR. [a] *le vicomte du Mont Noſtre-Dame.* [b] *la Curée.* [c] *de Matat.* [d] *de St. Remi.* [e] *Langford.* [f] *Cambray.* [g] *Creſpy en Valois.* [h] *de St. Simon.* [i] *de Chaſtellux.*

berbatione diem tormenta decem in ſummum coenobii Inſulani culmen ſubvecta ſunt, ad eam partem directa in qua pulverem tormentarium arſiſſe ſupra narravimus. Perforata et occupata omnino ab hoſte foſſa, Sanremigius, qui in cuneis, quos maturabar, magnam fiduciam habebat, de opere inſtituto deſperare coepit, et Colinium monuit, malo animo milites eſſe: ex cujus conſilio, cum loca a tormentis quaſſata viſeret, ſtationes adeundo et ſingulos appellando, ultro etiam ductorum ſententias de belli ratione rogando, quantum in ſe erat, eorum animos confirmabat: et, cum crebras murmurationes auribus acciperet, eas diſſimulando, palam prae ſe ferebat decreviſſe omni ratione oppidum adverſus hoſtium impetus tueri: proinde liberum cuivis facere, ſi de deditione ſermonem injicere intelligeretur, ut ignominia affectum ſe, in foſſam cum probris ceu aliquod purgamentum urbis projectum, hoſti dedat: viciſſim petere ſe, ſi quem forte tam abjecto animo comperiat, ut ea de re loqui audeat, idem ut ſibi in eum jus ſit, quod in ſe primo ſtatuerit. Ita utcunque depulſus pavor, et repreſſa militum murmura, qui inde alacrius operi incumbebant. Poſt ſextam a verberatione diem quaſi impetum facturi hoſtes in aciem prodeunt; et noſtri ad defenſionem Colinii juſſu ſe comparabant, cum igne in cuneos immiſſo muri ingenti fragore quaſſati ſunt, ſed longe minore profectu quam hoſtes ſibi perſuaſerant. Quo facto, illi contenti ruinas conſpexiſſe, quas Colinius defendendas ſuſceperat, et in foſſam, quam Andelotus tuebatur, deſcendiſſe, retro ad hoſpitium quiſque ſuum abiere. Sequentem noctem farciendis ruinis impendit Colinius; et, reſtincto incendio, quod interim per domos ſtramine conſtratas pone Dominicanorum coenobium vento vim glomerante graſſabatur, deſtructis vicinis aedificiis, cum eadem murmura exaudiret, et Sanremigius eum iterum monuiſſet, male affectos militum animos ſibi videri, quippe qui inter opus faciendum ab hoſtilibus tormentis admodum infeſtarentur, ingratamque operam ſumi dicerent in muniendo ac defendendo tam infirmo loco, ille ſtationes circumeundo milites praeſenti ſpe implet, et rurſus ad opera facienda animat. Poſtridie redintegratur vehementior verberatio, quam antea: quod ubi vidit Colinius, ſevocato Andeloto fratre ac Sanremigio, cui plurimum tribuebat, quaeſivit, an quidquam remedii adverſus cuneos eſſet: cui Sanremigius, Nihil video, inquit, quod tantos conatus impedire poſſit, hoſte jam foſſa potito; qua occupata, minime dubium eſt, quin, dejectis jam undique turribus ac propugnaculis, quae in latus feriebant, ſenſim ac citra periculum in ſummam muri pinnam enitatur: qua ſemel occupata, pomoerium anguſtius eſt, quam ut in eo ex adverſo conſiſtere valeamus: intra pomoerium autem foſſam ducere inutile fuerit, tam alto pomoerio, quod imminebit, ab hoſtibus infeſſo. Sed paratos duos cuneos habeo, quos cludi jubebo, ut cum opus fuerit in eos ignis injiciatur: quanquam de altero, qui praecipuus eſt, ſubvereor, ne, ubi ignem conceperit, ſecum turris quoque ruinam trahat, quae non tam hoſti nocitura, quam facilem aſcenſum quaſi ſcalis admotis irrumpentibus praebitura ſit. Eo tamen pro rei et temporis ratione utar. Ad haec Colinius: Unum habeo, quod vobiſcum in arcano communicem: verum peto a vobis, ut hoc ſecretum inter nos pereat. Quod nihil remedii adverſus hoſtium cuneos eſſe dicis, Sanremigi, minime me terret; quippe qui paratus ſim vitam ac ſanguinem pro patria ac principe profundere, et ſciam dies atque adeo ſingulas horas, quibus cum periculo noſtro hoſtem hic diſtinebimus, magnum ad res regis ſtabiliendas momentum habere. Sed memoria et exemplum captae nuper [a] Tarvennae me male habet, in qua parum prudenter feciſſe Momorantium poſtea relatum eſt, qui, cum videret hoſtem jam foſſa potitum et ad ſuffodiendum murum accinctum, honeſtam deditionis rationem non iniverit, quam aequis conditionibus ab hoſte impetrare potuiſſet, ſi biduo citius eum coegiſſet. Nec ignoro quam in multorum reprehenſiones in his caſibus incurrant,

CIƆIƆLVII.
HENRICUS II.

INTERPR. [a] *Terouane.*

CIↃIↃLVII. HENRICUS II.

incurrant, qui minime calumnia digna fecerint. Itaque valde vereor, ne me parum conſiderate feciſſe plerique dicant, ſi praecipuum regni robur ac florem equitatus manifeſto periculo expoſuerim, qui hoc praecipue tempore ad alia regni loca tuenda magno uſui eſſe poſſit. Verum mihi in mentem venit, hoſteis poſt violentam adeo pulſationem acrem impetum facturos; quos ſi fortiter ſuſtinebimus ac repellemus, non jam impetu ſed lenta vi rem gerent. Nos interim tantundem temporis lucrati, hoc facto periculo, regem de re omni certiorem efficiemus, et cum ejus venia ac gratia cum hoſte tranſigemus. Ceterum hoc vos ſcire velim, mihi certum eſſe, potius in veſtigio mori, quam ut quidquam me indignum mihi ore excidat. Quanquam multos intelligo circa me eſſe, qui parum bono animo ſint; eos tamen arte fallendos cenſeo, exemploque ac verbis animandos, ut, licet puſillanimi ſint, forteis ac ſtrenuos eſſe ſibi perſuadeant. Reliquum eſt, ut, cum verberarionem hodie increbreſcere audiemus, nos ad excipiendos hoſteis ac ſumma virtute repellendos hac vice comparemus: quod ſi faciemus, uti ſpero ac confido, deinceps, quid acturi ſimus, a Deo optimae mentis datore conſilium petemus. His dictis, in ſuam quiſque regionem digreditur. XI locis ruina edita fuerat: quibus defendendis IↃCCC omnino homines armati, nam totidem ſolum in urbe erant, deſtinati: populus per alia loca diſtributus erat, ut, ſi hoſtes ſcalis admotis vim facerent, praeſto eſſet, nec ulla murorum pars propugnatoribus vacua relinqueretur. I ruina attribura erat [α] Petro [a] Bruelio Armoricano oppidi praefecto; II [b] Humio [c] Araniae comitis legato, cui praecipuam bene navatae in ea obſidione operae laudem tribuit in commentariis Colinius; III [d] Cuzieo; IV [e] Gardae cum Santandreani cohortis parte et ala equitum Delfini; V Colinio ipſi cum [f] Gordii cohorte, cui ante finiram verberationem ea die ex ſuis, qui L initio erant, vix XVII ſuperabant; VI [β] Jacobo [g] Angeneo Rambulieto; VII Jarnacio, cui attributus [h] Arbovillius Buno; VIII [i] Foreco, Augerio et [z] Salono ordinum ductoribus, et [k] Valpergae cum aliquot equitibus; IX Andeloto, cui [l] Sanromani cohors adjuncta; X [m] Linerio; XI [n] Salverio cum ala equitum [o] Faietae, eique attributi [p] Saccavilla, [q] Haquavilla et Barrenſis ordinum ductores. Poſt alteram pomeridianam ſtatim impetus ab hoſte factus ſine ſtrepitu ullo aut tympanorum pulſu. Prima acies attributa fuerat Alfonſo [r] Cazerae veteranorum Hiſpanorum praefecto et Lazaro [s] Schuendio, quorum copiae tam Hiſpanorum quam Germanorum, ut in primo impetu, magna ex parte caeſae ſunt: II [t] Navarreto cum Hiſpanis, et Carolo [u] Brimaeo Megae comiti cum Belgis ſuis: III Juliano Romero; cui attributa III Hiſpanorum ſigna et II CIↃ Anglorum; cui et crus e ruina lapſo fractum eſt: IV denique Carondeleto cum III [x] Sequanorum vexillis, qui alteram manum in certamine amiſit. [γ] Cum primo hoſtis ad ruinam, in qua Colinius ſtabat, recta tendere videretur, noſtris ad defenſionem paratis, ſtatim ad turrem deflexit admodum arduam, quae ad regionem Gardae attributam pertinebat; in quam cum evaſiſſet, vacuum defenſoribus locum reperit: moxque eo cum [y] Sarragoſio profectus Colinius, ut locum tueretur, a ſuis deſertus eſt, IV ſolummodo penes ſe remanentibus, et nobili puero: jamque paſſim hoſte per urbem diſcurrente ac Germanis omni ſaevitia et inſolentia graſſantibus, undique circumventus hoc tamen agebat, ut in Hiſpani potius manus incideret. Tandem captus, et per cuneum ab hoſtibus factum, in quo paululum quievit, deductus obvium

Cazeram

VAR. LECT. [α] Petro *deeſt* P. D. o. f. [β] Jacobo Angeneo *deſunt* P. D. o. f.

[γ] Cum videret Colinius hoſtem recte ad ſe contendere, ſeque ad vim ſuſtinendam compararet, ſtatim ille deflexit ad turrem P. D. o.

INTERPR. [a] *de Breuil Breton.* [b] *Hume.* [c] *d'Arran.* [d] *de Cuizieux.* [e] *la Garde.* [f] *le capitaine Gourdes.* [g] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [h] *le capitaine Buur d'Arbovılle.* [i] *les capitaines Forcer, Ogier, & Soleil.* [k] *de Valſperghe.* [l] *de St. Romain.* [m] *le capitaine Lignieres.* [n] *le ſieur de Salvert.* [o] *de la Fayette.* [p] *de Sagarville.* [q] *de Hacqueville & la Barre* [r] Nos Hiſtoriens le nomment *de Caziere.* [s] *Schuendi.* [t] *de Navarrete.* [u] *de Brimeu, comte de Meghen.* [x] *ceux de la Franche-Comté.* [y] *le ſieur de Sarragouſſe.*

NOT. [z] Solelio *Ind. Thuani.*

Cazetam habuit, et mox Sabaudum ipſum, cujus juſſu in tentorium ductus eſt. Ita captum et direptum oppidum, per ſe quidem infirmum, ſed non citra defenſorum culpam, atque equitum alae Delfini praecipue, cujus ſiguiſer turpiter ſugere conſpectus fuit: ex eoque manifeſto apparuit, quantum interſit ſtrenuis viris ſtrenuum ducem imperare. Nam, Telinio mortuo, omnia ſegniter ab iis acta, et tunc maxime cum tempus eorum virtutem poſcebat. In regione Andeloto attributa adhuc etiam poſt captum partibus aliis oppidum obſtinate admodum pugnatum fuit: ſed tandem, undique circumfuſo hoſte, ille caeſus et captus eſt. Periere ex noſtris Faietae filius, [a] Sallaverius Faietanae alae ſignifer, [b] Augerius, [c] Vieus, [d] Barrenſis, [e] Stagnius et Gordius cohortium duces. Capti praeter Colinium et Andelotum, qui poſtea e manibus hoſtium evaſit, [f] Jarnacius, [g] Sanremigius, [h] Humius, [i] Garda, [j] Cuzieus, [k] Molinius, [l] Bruelius, [α] [m] Rambulietus, [n] Sanromanus. Id actum VI Kalend. Septembr. Interea [o] Nivernius [p] Laodnni erat cum exercitu, muniendis locis vicinis ac milite, qui in dies confluebat, firmandis intentus; et crebris excurſionibus hoſtem vexabat, conatus ejus interturbando, et commeatum ac pabulatores intercipiendo. Conſilium regis erat, ante [q] Sanquintinum captum caſtra ad [r] Hanam munire; in eamque rem omnia abunde comparaverat: ſed, re opinione citius ab hoſte confecta, omiſſo illo conſilio, de diſtribuendis per limitem praeſidiariis agi [1] coepit. [s] Bordillonio, qui ad [t] Faram erat, et [t] Sancerrano, qui [u] Guiſam et Capellam tenebat, [v] Humerio item Peronae praefecto, ſummiſſa auxilia ex veteranis [x] Metis praeſidiariis. Dum haec agerentur, Philippi juſſu munito utcunque Quintini-fano, caſtra ad [y] Caſtellum ponuntur; advectiſque tormentis, negotium datum [z] Barbanſono Arembergii comiti, obſidioni praeeſſe juſſo, ut cum CIↃ CC equitibus ad [aa] Martini-fanum porrectam paludem occuparet. Huic attributae III Germanorum legiones, quae XXIV ſignis conſtabant. Ad eam loci partem, quae [bb] Cameracum et Quintini-fanum reſpicit, directa XXI tormenta, quae, deſtructis duobus oppoſitis propugnaculis ac muro interjecto, magnam ſtragem ediderunt. Loco [cc] [2] Solignacus praeerat; homo magni nominis, et qui majora opinione ſpondebat: quo fiebat, ut Nivernius regem de Caſtello ſecurum juberet eſſe, crebriſque literis ei confirmaret, Solignacum non prius, quam extrema cuncta paſſum, de deditione acturum, et XX ad minus dies hoſtem in obſidione remoraturum. Itaque, cum renunciatum eſt, locum Barbauſono deditum eſſe, quod VII Eid. Septembreis contigit, vix primo habita fides. Captus ob id Solignacus et Lutetiae in carcerem conjectus fuit; qui factum excuſabat, quod locus non ita firmus eſſet, munitionibus inſtitutis nondum in juſtam altitudinem extructis; deinde, quod minorem juſto defenſorum numerum haberet; quippe locum II CIↃ capacem eſſe, et eum cum totidem praeſidiariis [dd] Eſtraeum aliquando tenuiſſe: militem vero, quem habebat, tam exiguo numero, ſtatim animum deſpondiſſe, et ſe ad deditionem etiam invitum compuliſſe. Dum Caſtellum expugnatur, aliquoties certatum a noſtris: et XL circiter ex pabulatoribus ab ala equitum Villarii occiſi, captis compluribus ingentis pretii equis: dein ab ala Condaei et [β] [ee] Atchiſonis Scoti XX pedites caeſi: majorque [γ] fuiſſet caedes, niſi equitatus ſuperveniſſet. Inde ad [ff] Somonae-fontem Barbanſonus ſe cum Philippo, qui eo jam cum reliquo exercitu venerat, conjunxit. Poſt victoriam ſtatim in Hiſpaniam ad Carolum parentem jam in ſolitudine ſua degentem miſerat Philippus, qui et eum hoc nuncio bearet, et quid conſilii

VAR. LECT. [α] Jac. Angeneus Rambulietus P. D. o. f. [β] Achiſonis P. D. o. f. d. [γ] caedes inſecuta eſſet P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Sallevert.* [b] *Ogier.* [c] *Vicques.* [d] *la Barre.* [e] *l'Eſtang & Gourdet* [f] *de Jarnaci* [g] *de St. Remy.* [h] *Hume.* [i] *la Garde.* [j] *de Curieux.* [k] *de Mouline.* [l] *de Breuil.* [m] *de Rambouillet.* [n] *de St Romain.* [o] *le duc de Nevers.* [p] *Laon.* [q] *St. Quintin.* [r] *Han.* [s] *de Bourdillon.* [t] *la Fere* [t] *le comte de Sancerre.* [u] *Guiſe & la Capelle.* [v] *d'Humieres, gouverneur de Peronne.* [x] *Mets.* [y] *le Caſtelet.* [z] *Jean de Ligne, ſieur de Barbançon, comte d'Aremberg* [aa] *Abbaye de St. Martin.* [bb] *Cambray.* [cc] *le baron de Salignac.* [dd] *Eſtrée.* [ee] *Archiſon Eſcoſſois.* [ff] *Fons-Somme.*

NOT. [1] *potius* coeptum eſt. [2] Salignacus *Put.*

conſilii ſibi porro ſumendum eſſet ab ipſo exquireret. Ad eum Caeſar; Quanquam heic ſeceſſus, inquit, rerum omnium ſecurum me facit, laeto ac libenti animo nuncium accipio, et filio dilectiſſimo tam fauſta principatus auſpicia gratulor. Gratias inſuper omnipotenti Deo quam maxime demiſſa mente poſſum ago, qui perfidiam impunitam non diu ſivit, et foedifragos jam in Italia, nunc vero etiam in Belgii limite ultus eſt. Id etſi animo provideram et ea ſpe me conſolabar, tamen animi diſcruciabar, quod ſub id temporis, quo, pactis orbi Chriſtiano induciis, me ad quietem compoſueram, omnia tumultu et bello inopinato perſtreperent. Quod de conſilio rogat filius, id minime a me nunc neque in poſterum expectet. Habet penes ſe viros graveis, fide perſpecta et ſub imperio meo rerum tractatione exercitatos, a quibus ipſe, ſi adhuc clavum tenerem, conſilium peterem. Illos adhibeat conſultores; et, eorum mature ponderatis rationibus, quod optimum factu ſit, implorata ante omnia Dei ope ac gratia, decernat. Interea tumultuatum in caſtris; et Germani poſt victoriam partam non perſolutis ſtipendiis, uti mos eſt, murmurabant: Hiſpani vero innata conſuetudine inſoleſcebant: Angli autem, indigne, uti jactabant, ab Hiſpanis habiti, injuriam, quam apud ipſos nuper acceperant, ultis, abeundi licentiam petebant; quod et ipſis majoris [1] metus evitandi cauſa permiſſum eſt. Eo factum plerique putant, ut poſt proſperos adeo ſucceſſus majoris molis negotium Philippus minime tentaverit, et diſſolvi ſenſim exercitum paſſus ſit, diſſuadente Gonzaga, qui tunc maxime vireis unitas retineri debere cenſebat, ſive ut victoria uteretur, ſive ut noſtrorum conatus impediret; quos poſt tantam cladem copias, quantas maximas poſſent, collecturos et ultimum impetum facturos procul dubio erat. Diſcedentibus Anglis, cum vereretur rex, ne quid in itinere aggrederentur, [a] Senarpontio imperat, qui [b] Bononiae et Monſtrolio praeerat, ne ſe loco moveret, quouſque Angli tranſmiſiſſent: et [c] Abbatis-villam, quo juſſus antea fuerat ſe includere, miſſus [d] Sanſacus cum ſua et [e] Angiani nuper interfecti ala, qui urbem tuerentur. Dum reſponſum ex Hiſpania expectatur, [f] Hanam peti placuit, locum ſitu, utpote in planitie, ex qua nullus in eam deſpectus eſt, firmum, qui inde [g] Somona fluvio hinc palude per IↃ amplius paſſus porrecta ac fere inacceſſa cingitur. Oppidulum per ſe admodum muris debile eſt; ſed arx in eo eſt a Ludovico [h] Lucemburgo equitum magiſtro olim aedificata, IV propugnaculis rotundis diſtincta, et turre inſuper quadrata, ſine ullo pomoerio et aggere: quae tamen pro tempore munitiſſima exiſtimabatur; et cujus ille fiducia ſe medium inter Ludovicum XI et Carolum Burgundiae ducem tunc diſſidenteis gerebat, imprudenti plane conſilio principalium armorum arbitrium captans, quibus ii tantum ſe interponere debent, qui non parentem coërcere poſſunt: quod et eventus docuit. [i] Sepoſius, qui loco praeerat, conſilium dederat, ut oppidulum, quod defendi non poterat, ne hoſti uſui eſſet, incenderetur; arx, ut tantum morae hoſtibus afferretur, praeſidio teneretur; quod et factum eſt: miſſuſque [k] Piſſeleus Helius ex primaria nobilitate bello exercitatus dux, qui arcem defenderet. Eodem tempore Franc. Momorantius cum ſua et parentis equitum alis [l] Samarobrigam Ambianorum proficiſcitur; quo jam A. [m] Dallius civitatis vicedominus, [n] [2] Anguiſſanius et Morvillerius cum ſuis equitum alis convenerant. Miſſus et Condaeus cum levi armatura in Sueſſiones, qui fluviorum vada ſervaret, et excurſionibus hoſtem fatigaret; a quo [o] Clerius [p] Novioduno cum ſua equitum turma et Scotis aliquot impoſitus. [q] Marivallius Inſulanus [r] Bellovacum petere juſſus, [s] Deſiderii-montis ei etiam cura attributa. [t] Silvanectum poſtremo miſſus [u] Raſſius. Tandem admotis ad Hanae arcem

tormentis

INTERPR. [a] *de Senarpont.* [b] *Boulogne & Mouſtreuil.* [c] *Abbeville.* [d] *de Sanſac.* [e] *Jean de Bourbon, comte d'Enguien.* [f] *Han.* [g] *la Somme.* [h] *de Luxembourg, comte de S. Pol, conneſtable de France.* [i] *de Sepoix.* [k] *de Piſſeleu, ſieur de Heilly.* [l] *Amiens.* [m] *de Dailly, vidame d'Amiens.* [n] *d'Augueſſant & de Morvilliers.* [o] *le baron de Cleres.* [p] *Noyon.* [q] *de l'Iſle, ſieur de Marivaux.* [r] *Beauvais.* [s] *Montdidier.* [t] *Senlis.* [u] *le ſieur de Raſſes.*

NOT. [1] *forſan* motus. [2] Auguiſſanius *Put.*

tormentis et magno impetu pulſaro muro, cum foſſa intus duci non poſſet, poſt ingentem ruinam editam deditio a noſtris facta eſt prid. Eid. Septembreis. Capta Hana, incertum erat apud nos, quo hoſtis tenderet, an in [a] Bononienſem agrum deſcenſurus, an ex adverſo [b] Compendium petiturus eſſet, et flexo itinere per [c] Campaniam domum rediturus, parcendo ſuis et noſtrum agrum ſemper vaſtando. Augebat eam opinionem, quod [d] Polvillerius, in Germaniam ante miſſus, in limite eſſe nunciaretur cum XX peditum vexillis et CIↃ CC equitibus Germanis ad res Angliae, uti jactabatur, deſtinatis: in quam ut tranſmitterent, hac iter neceſſario habiturus erat; cui et vero ſimile fiebat, Philippum obviam iturum. Itaque, Picardiae limite, cui F. Momorantius praeerat, bene, ut videbatur, firmato, [e] Eſtraeus [f] Auguſtae Sueſſionum imponitur; cui, praeter eas, quae jam praemiſſae fuerant, II peditum cohortes nuper conſcriptae attribuuntur, et LXXX equites ſcloppetarii, duce [g] Faverolio. Fluvium praeterlabentem ſervabat Condaeus porrecta ab utroque margine levi armatura, cui rex [h] Garmazelium et Gondrinium denuo ſummiſerat. Campaniae etiam ſecuritati proſpectum remiſſo [i] Jamerio et [j] Schenectio cum ſuis equitum alis: mandatum item [k] Jurio, ut Campanam legionem cogeret. Philippus interea [l] Quintini-fano et Hanae feſtinatis operibus muniendae tempus impendebat; et, quo vireis laxius porrigeret, et abundantiore commeatu uteretur, [m] Noviodunum aſtu occupat, miſſis aliquot equitum alis, quae ſine inſignibus urbem antea incenſam et infirmam ingreſſi [n] Clerium et Scotos, qui cum eo erant, facile dejecerunt. Occupatum et [o] Caunium eodem tempore, non eo conſilio ut muniretur, verum ob commoditatem loci, ut firmo praeſidio impoſito vindemia e locis finitimis colligi poſſet, et commeatus liberius in caſtra comportari. Ita September et Octobris pars exacta mutuis utrinque excurſionibus. Demum aucta tumultuantium Germanorum ſeditione, plerique ex iis, Philippo deſerto, quaſi finitis ſtipendiis, ad nos tranſierunt: atque ita ſuppleta Germanorum noſtrorum, qui ſuperioribus caſibus admodum imminuti erant, vexilla. Diverſa parte, rex copias undique cogebat, miſſo [p] Varaſtio, qui Helvetios nuper conſcriptos in Burgundiae et Campaniae limite exciperet, Joanne item Mendoza [q] Lugdunum praemiſſo, ut IV CIↃ Helvetiorum, qui ex [r] Subalpina regione veniebant, adduceret. Miſſus et [s] Marolius, ut Germanorum delectus, ductoribus [t] Recrodo et Riſebergo, nuper habitos, qui jam [v] Iſſutilium venerant, recenſeret. Expectabatur et propediem [u] Guiſius, ex Italia ſtatim poſt Sanquintinianam cladem a rege evocatus, qui jam in itinere cum [w] Aumalio fratre erat. Arceſſitus tunc et [x] Laoduno a rege Compendium Nivernius, ut muniendo oppido attenderet; qui ubi venit, locum ſpatioſum caſtris prope urbem deſtinat, eumque vallo et foſſa munit. Dum in eo eſt, ne tempus illi omnino periret, obſervato Caunii praeſidiarios numero ad CIↃ IↃ equites continuo excurrere, Bordillonio diem et locum condicit, quo cum ſuis conveniret: ipſe in Sueſſiones proficiſcitur, ſpecie ut Helvetiorum XVIII ſigna, quae nuper venerant, exciperet: ita convenientibus [y] Fara, [z] Codiciaco ac Sueſſionibus undique copiis, et Condaeo cum levi armatura, locis idoneis circa Caunium inſidias ſtatuunt, praemiſſo Fr. [aa] Hangeſto Janlio, qui hoſtem ad certamen eliceret, et ſenſim cedendo ad loca inſidiis inſeſſa adduceret: ſed, cum major pars praeſidiariorum equitum in caſtra hoſtium revocata eſſet, qui remanſerant non ita longe egredi auſi, irritum noſtrorum conſilium reddidere. Intercepti tamen aliquot equites [bb] Dalmatae et eorum dux: circumventi et a Condaeo aliquot pedites Hiſpani, qui vallo tecti longius

processerant,

INTERPR. [a] *le Boulonnois.* [b] *Compiegne.* [c] *la Champagne.* [d] *le baron de Polweiller.* [e] *d'Eſtrées.* [f] *Soiſſons.* [g] *de Faverolles.* [h] *de Charmazel & de Gondrin.* [i] *le ſieur de Jametz.* [j] *d'Eſchenetz.* [k] *de Jours.* [l] *St. Quintin & Han.* [m] *Noyon.* [n] *le baron de Clere.* [o] *Chauny.* [p] *le ſieur de Varaſſieux.* [q] *Lyon.* [r] *Piedmont.* [s] *le ſieur de Marolles.* [t] *Reckrod & Reiffenberg* [v] *Iſſurtille.* Is eſt ſur la riviere de *Tille* prés Dijon. [u] *le duc de Guiſe.* [w] *le duc d'Aumale.* [x] *Laon.* [y] *la Fere.* [z] *Coucy & Soiſſons* [aa] *d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [bb] *Albanois.*

proceſſerant, tandemque io tugurium quoddam cooclufi, juſſo in pedes deſcendere [a] Allignio cum ſua ſcloppetariorum equitum cohorte, deditionem ſecere. Eorum dux in Coodaci conſpectu a [b] Lauoaco ordinum ductore interfectus eſt; qui mox comprehcoſus Coodaci juſſu, qui de eo poenas ſumere volebat, impotenti irae veoiam dari petiit, factumque excuſavit, quod Hiſpanus ille in captivos Gallos ac ſuos nuper eadem ſaevitia uſus eſſet. Ad conflictus famam eum ex hoſtium caſtris IV CIↃ equitum accurriſſent, ut ooſtros inſequereotur, fruſtra fuere, jam digreſſis omnibus et ad ſua reverſis.

XII. EXACTO fere Octobri, Philippus, dum [c] Quintioi-fanum, [d] Caſtellum et Hana ſumma diligentia muniuotur, [e] Cameracum et inde cum aulico comitatu Bruxellas proficiſcitur; et eum eo Ferdinandus Gonzaga, qui, ex ſuperiorum temporum continuis ac nuper exhauſtis in Sanquintiniana obſidiooe laboribus contracto morbo correptus, paulo poſt, XVII Kalend. Decembr. aetatis ſuae anno LI e vita exceſſit; vir magni ſed cooaumacis animi, magois expeditionibus, vario item fortunae aeſtu tota vita exercitatus; ſed avaritiae ac rapacitatis poſtremo inſimulatus, et, eum bello paene invictus eſſet, pecuoiae cupidine expelli a commiſſa ſibi provincia creditus; quod de L. Lucullo aliquando dictum eſt; ob idque a Mediolanenſis imperii adminiſtratione a Caeſare remotus, qui Philippo filio hoc iuter cetera praecepit, ut eo conſultore in magois negotiis uteretur; ſibi enim ipſius prudentiam et io conſiliis dandis ſagacitatem abunde perſpectam eſſe: ceterum oe ei provinciam ullam adminiſtrandam aut munus aliquod publicum committeret. Is inviſus Hiſpanis ob ſevere nimis ſumptas de ſeditioſis io Sicilia poenas; ſed Belgis acceprior, et quibus hooorificis admodum exſequiis ejus funus decoratum fuit, cui primores aulae magna pompa interfuerunt, eum cum Philippus ipſe aegrorum ſaepius inviſiſſet, qui et Caeſarem grandiorem natu ejus filium [f] Molſetae principem ob merita paterna [g] Inſubrici equitatus praefectura dooavit. Rex, recedente Philippo, et ipſe Germani-fanum venerat, coofluentibus interea undique ad eum copiis, tam ex regoo quam ex auxiliaribus Germanis et Helvetiis, quorum major pars jam adveoerat.

XIII. INTEREA Nicolaus [h] Polvillerius, tranſmiſſis [i] Vogeſi montibus, in [k] Ferretenſem agrum deſcendit; et, accepto a [l] Sequaois contra foedus commeatu, per eorum fiocis in [α] [m] Sebuſiaoos venit, inſtigante Sabaudo. Huic ſpem feeerat domeſtici motus, ſi copiae externae in provinciam immitterentur, [n] Grangerius Mionius ex Sebuſiana oobilitate, qui ad eum transfugerat, majeſtatis poſtulatus, et ob adulteratae mooetae crimen inter reos delatus. Hac fiducia Polvillerius cum X CIↃ peditum et CIↃ CC equitibus Germanis, a rege Bohemiae, uti jactabatur, ſummiſſis, [o] Trifortium petit; ibique dierum paucorum ſtativa habuit, dum exercitus reliquiae per circumpoſitos vicos ſparſae colligerentur. Demum [a] Eid. Octobr. ſub ſignis iter ingreſſus haud procul a [p] Sebuſianorum foro, hodie Burgum vocant, olim Tanum, ut quidam putant, dictum, regionis caput, caſtra metatur. Oppidum, loco paluſtri ſed foecundo poſitum, ad ortum Jurae mooteis et molli clivo deſcendenteis amoeniſſimos colleis viribus conſitos habet: ſepteotriooem verſus Sequanos, [q] Lugdunum ad meridiem reſpicit: ab occaſu lata ſe planiries pandit, et ad [r] Ararim uſque porrigitur. Huic praeerat [s] Digonius, [t] Guichaci provinciae praefecti tunc propter adverſam valetudioem abſeotis legatus; qui ad famam adventus hoſtium locum milite firmat, et evocato [u] Scheoaco cum legione Campana omnia ad ſuſtineodam obſidionem

oeceſſaria

VAR. LECT. [α] Seguſianos *ubique* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *d'Alligny.* [b] *de Launay.* [c] *St. Quintin.* [d] *le Caſtelet & Han.* [e] *Cambray.* [f] *Molfetta.* [g] *le generalat de la cavallerie en l'état de Milan.* [h] *le baron de Polweiller.* [i] *montagnes de Voſge.* [k] *le comté de Ferrette.* [l] *ceux de la Franche-Comté.* [m] *Breſſe.* [n] *Granger de Mions.* [o] *Trefort.* [p] *Bourg en Breſſe.* [q] *Lyon.* [r] *la Saone.* [s] *le baron de Digoine.* [t] *Gabriel, ſieur de la Guiche.* [u] *d'Eſchenetz.*

NOT. [a] *Eid. Oct.*] Il faut que cette datte ſoit fauſſe. Voyez plus bas III *Eid. Oct.* & *prid. Eid. Oct.* Put.

neceſſaria parat, vaſtato circum agro, ne hoſti uſui eſſe poſſet. Commodum et accidit, ut Guiſius, ſuperatis Alpibus, ex Italia ſub id tempus reverteretur cum II CIϽ veteranorum, ductore F. [a] Vindocino Carnutum vicedomino, qui intra urbem accepti ſunt. Helvetii vero et Germani, quos Guiſius penes ſe habebat, per agrum [b] Matiſconenſem ac Lugdunenſem hoſpitia habebant, ad omneis caſus praeſto futuri. Magnus terror tota regione ſparſus, civibus paſſim oppido, cum ſupellectile quam aſportare poterant, in oppida [c] transararica, agreſtium item turba et imbelli foeminarum ſenum ac puerorum ſexu in ſaltus et abdita montium, diffugientibus. Polvillerius, qui ad [d] Sarderiam et Chalas veneiat, inde delectos equites mittit, qui urbis ſitum contemplarentur. Iis improviſa tormentorum diſploſione male mulctatis, poſtridie, qui fuit III Eid. Octobr. hoſtilis exercitus ad [e] Roſeas uſque molas progreditur, rivoque tranſmiſſo atque circum ductis ad [f] Joannis-fanum copiis e regione Matiſconenſis portae, delecto caſtris loco, conſtitit. Ita cum ſe jam ter loco moviſſet, eruptione noſtri ſummo ſilentio facta in hoſtium caſtra ingrediuntur; et caeſis vigiliis caedem ac trepidationem in medias uſque ſtationes intulere, tumultuantibus Germanis ac ſe proditos inclamantibus. Quibus incommodis accedebat et adverſa tempeſtas, crebris imbribus militem in vallo et operibus coeptis interturbantibus. Tandem pridie Eid. Octobr. dum oppidani ad incendenda hoſtium opera exirent, [g] Schenaeus improviſus erumpit, hoſtemque intra vallum uſque perſequitur, majore fuga quam caede. Cum interea [h] Mionii de provincialium a rege defectione promiſſa fruſtra eſſent, nec res armis procederet, ſcriptis agi coeptum; evulgataque edicta Sabaudi et ipſius Polvillerii nomine, quibus Franciſci et Henrici injuriae commemorabantur, et acerba oratione ad invidiam ceterorum principum concitandam ac ſolicitandos popularium animos exagitabantur. Tandem V dies eodem commoratus, intellecto per exploratores, Aumalium, [i] Guichaeum, jam ex morbo recreatum, et [j] Villafranconium [k] Matiſcone conveniſſe, jamque copias ad [l] Montem-Revellum collectas incedere, [m] Lugduni vero et Matiſcone militem conſcribi, et [n] Araris ripas undique infeſſas, Polvillerius, conclamatis noctu vaſis, [o] Montem-Jullum et Caeſaream verſus caſtra promovet, per [p] Sequanos rurſus facto itinere, tanta celeritate, ut, antequam de ejus abitu noſtri cognoviſſent, jam V leucas emenſus eſſet, dilabentibus paſſim Germanis, qui promiſſa minime repraeſentari conquerebantur. Eos Schenaeus, quanquam fruſtra, inſecutus eſt, donec Sequanos praetergreſſi ſunt. Poſtea, IV Eid. Decembreis, eodem anno a ſenatu [q] Camberitano Grangerius Mionius, de quo diximus, ac praeterea Carolus [r] Lucingus Alimaeus, Claudius [s] Puteanus, [f] Buſcardus, [t] Liatodus, [u] Briodus, [v] Ruſſetus et Verdetus perduellionis poſtulati, quod Polvillerianae expeditionis conſcii atque adeo incentores fuiſſent, et abſentes damnati ſunt; decretumque, ut quandocunque comprehendi poſſent in carnificis manus traderentur, et, crate per [x] Burgi plateas tracti atque omni ludibrio expoſiti, poſtremo in quatuor parteis ſecarentur, capitibus a trunco diviſis et locis decreto deſignatis ad terrorem affigendis: infamia praeterea iis ob proditionis crimen irrogata ac poſteris eorum, qui pariter inteſtabiles eodem decreto declarati ſunt et indigni qui honoribus ullis aut publico munere olim et in perpetuum fungerentur. Hic exitus fuit formidoloſae adeo Polvillerii expeditionis.

XIV. POSTQUAM Guiſius [y] Germani-fanum ad regem venit, humaniter ab eo exceptus, etiam ſumma rerum praefectura, quam Nivernius poſt captum Momorantium tenuerat, cohoneſtatus eſt. Is, uti rogatus fuerat, Monlucio commeatum ex Italia in Galliam redeundi a rege petiit et impetravit, ejus opera uſurus, quippe cum Andelotum

INTERPR. [a] *de Vendôme, vidame de Chartres.* [b] *le Maſconnois & le Lionnois.* [c] *les villes de delà la Saone.* [d] *la Sardiere & Chalex.* [e] *moulins de Rozieres.* [f] *la Chappelle S. Jean.* [g] *d'Eſchenetz.* [h] *de Mions.* [i] *Gabriel, ſieur de la Guiche.* [j] *Villefrancon.* [k] *Maſcon.* [l] *Montrevel.* [m] *Lyon.* [n] *la Saone.* [o] *Mont-July & Ceſiria.* [p] *la Franche-Comté.* [q] *de Chambery.* [r] *de Luzinguet, ſieur des Alimes.* [s] *du Puy.* [f] *Buchard.* [t] *Liatod.* [u] *Briod.* [v] *Rouſſet & Verdet.* [x] *Bourg.* [y] *St Germain en Laye.*

CIϽIϽLVII. HENRICUS II.

Andelotum Gallici peditatus praefectum propter ſimultates atque aemulationes ſuſpectum haberet. Cauſa et religionis obtendebatur, quae iiſdem fere diebus ex hac occaſione maximo odio flagravit.

XV. CRESCENTE in dies Proteſtantium numero, permulti Lutetiae pridie Non. Septembr. in [a] Bertomeenſibus aedibus via Jacobaea ſub veſperam ad ſacra peragenda et coenam dominicam ritu ſuo celebrandam convenere. Id quibuſdam ex vicinia ſuboluit. Igitur ſaxorum copiam in proximas domos comportare, arma expedire, quibus ex ſuperiore loco et cominus exeunteis opprimerent. Dimiſſo profunda jam nocte coetu, qui primi egreſſi ſunt, lapidibus petuntur: tumultuque excitato, multitudo e vili plebe ingens quaſi dato ſigno accurrit, et aedium foreis effringere conatur. Qui intus remanſerunt, conſilium ex neceſſitate capiunt, ſtrictiſque gladiis eruptionem faciunt; illique fere omnes, uno excepto, qui in turba occiſus eſt, quamvis acceptis aliquot vulneribus, evaſere. Foeminae atque imbellis ſexus numero fere CXX Joanni [b] Martinio rerum capitalium quaeſitori ſe tradidere. Is, albeſcente jam die, eos in vincula ducit; ac vix contineri plebs potuit, quin captos inter ſpiculatorum ac lictorum manus diſcerperet. Tum varii, ut in re nova et odioſa, de nocturno illo conventu ſparſi rumores: eam hominum colluviem noctu in conclave coiviſſe comeſſandi ac ſcortandi cauſa, et poſt epulas cunctos in promiſcuam libidinem effuſos: non matrem filii, patrem filiae, ſororem fratris complexum exhorruiſſe: deprehenſas menſas conviviique apparatum, ſtragula item ac tapetes recentis laſciviae notis commaculatos addebatur, ut odium vulgi magis accenderetur, etiam infantium cruore ab iis litatum. Haec incertis auctoribus ad regem referuntur, nullo interim auſo refellere, ne ipſe in criminis ſuſpicionem veniret. Verum, qui ei religioni addicti erant, libellum mox conſcribunt apologiae titulo; quo crimina illa per ſummam calumniam ſibi affingi oſtendunt; idemque veteribus Chriſtianis improperatum adductis patrum teſtimoniis demonſtrant: utque is libellus in regis manus perveniret, in interius regis conclave eum projiciunt. Apologiae huic poſtea reſponſum ab Antonio [c] Demochare theologo, [α] fidei inquiſitore, et Roberto [d] Cenali Avrincarum epiſcopo. Quaeſtioni de vinctis habendae praeficitur Joannes [e] Munerius Pariſienſis praefecti legatus. Re ad ſenatum relata, Nic. [f] Clinius Santo, qui in Pariſienſi ſchola jam multos annos puerorum inſtitutioni operam dederat, annum agens LX, [g] Taurinus item Gravella in ſenatu patronus, Philippina [h] Lunia in Petrocoriis nata, olim [i] Graveroni, [β] viro nuper mortuo, nupta, illi vivi, haec, laqueo prius fracta gula, igni traduntur [1] XIX Kalend. Octobr. Quatriduo poſt Nic. [k] Cenius, profeſſione medicus, patria [l] Neuſtrius, et Petrus [m] Gambardus Picto cremantur. Franciſcus item [n] Rebeſus, [o] Stafortio in Condomenſi agro natus, et Fridericus Danvilla [p] Oleronenſis e Beocarni pago, obſtructo ore pilis ferreis, laqueo prius necati, flammis uſtulantur. Cum jam ad XII legibus interrogati eſſent, dieſque judicii inſtaret, matrona quaedam nobilis e reorum turba libellum ſenatui offert; quo rejici a judicio quaeſtionis habendae delegatos judices alioſque e ſenatoribus nonnullos poſtulabat: multaque proponebat, quare preces ejus minime negligendae viderentur. Dum de libello ſenatus deliberat, venere ab Helvetiis et Proteſtantibus in Germania principibus legati, qui poenam miſerorum hominum eandem ſecum religionem profitentium deprecarentur. Eo factum, cum res Philippi in dies augerentur, noſtrae inclinarent, rexque auxiliaribus Helvetiorum et principum illorum copiis res ſuas firmare neceſſarium duceret, ut

remiſſius

VAR. LECT. [α] fidei uti vocant P. [β] viro nobili P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Bertomier, vis-à-vis du college du Pleſſis, ruë S. Jacques.* [b] *Martines, procureur du roy au chaſtelet.* [c] *de Moucky,* ou *Demochares.* [d] *Cenalis, evique d'Avranches.* [e] *Munier, lieutenant civil.* [f] *Clinet Saintongeois.* [g] *Taurin Gravelle.* [h] *Luns en Perigort.* [i] *Graveron de Guienne prés Ste. Foy.* [k] *le Cene.* [l] *Normand.* [m] *Gambard Poictevin.* [n] *de Rebezieres.* [o] *Stafort en Condomois.* [p] *d'Oleron en Bearn.*

NOT. [1] Dele XIX: lege V *Kalend.* Put.

remiſſius cum eis ſenatum agere pateretur. Itaque quidam e reis comperendinantur: aliorum cauſa ad judices eccleſiaſticos transfertur, qui, ſententia revocata, vitae diſcrimen effugere. [a] Rantinia et Campana foeminae illuſtres, maritis ab ea religione alieniſſimis, et [b] Oartiſia, Catharinae reginae traduntur. CIƆIƆLVII. HENRICUS II.

XVI. Hoc eodem anno edictum juxta pium et honeſtati publicae conſentaneum a rege promulgatum fuit, quo clandeſtinorum conjugiorum contrahendorum licentiae obviam itum, et congruenti ratione juri Romano publicae honeſtati conſultum eſt: decretum nempe, nuptias contrahi non poſſe, niſi conſentiant omnes, et qui coëunt, quotumque in poteſtate ſunt, hoc eſt parentum, voluntas accedat; legi poena addita, ut liceat parentibus exheredare filios, qui invitis ipſis nuptias contraxerint: mandaturque judicibus, ut in eos, qui hujuſmodi nuptias procuraverint, iiſve conſenſerint, legibus animadvertant; hac exceptione addita, niſi filii-familias annum aetatis XXX exceſſerint, filiae vero XXV; praeterea, ſi matres vitricum liberis non induxerint; a quibus tamen conſilium petere jubentur; verum ita, ut id neceſſario ſequi non compellantur. [α] Antea paſſim, et in Italia praecipue, filio-familias licebat etiam citra patris conſenſum nuptias contrahere; et ita clandeſtina matrimonia valebant, magna non ſolum honeſtatis ac tranquillitatis publicae ſed juris gentium atque adeo divini jactura. Et, cum licentia illa tunc ubique, etiam in Gallia, graviſſime peccaretur, eaque fieret ut conjugia inter inaequalis conditionis perſonas magno nobilium familiarum diſpendio ac dedecore contraherentur, A. Momorantius equitum magiſter auctor regi fuiſſe creditur, ut eam legem conderet; privata ratione ad id inductus, quod vereretur, ne Franciſcus major natu filius, quem nobilis puellae [c] Piennae ex illuſtri Halviniorum familia amore ultra modum accenſum ſciebat, ſe inſcio aut minime conſentiente, illam uxorem duceret. Et antea quidem ablegato Romam filio cum pontifice ſedulo ac ſtudioſe egerat, ut pactionem de nuptiis cum Pienna ab eo initam reſcinderet. Verum ille, longis protelationibus Momorantii petitionem ludificatus, rem quaſi ambigui juris ſaepius identidem ad conſiſtorium revocando effecerat, ut is, cujus praecipua apud regem auctoritas erat, ab amicis perſuaſus, quod regia auctoritate fieri poſſe cognoverat, id a pontifice diutius ſibi expectandum non eſſe exiſtimaret. Eo igitur inſtigante, lex condita et in ſenatu Kal. Mart. promulgata fuit: cui et Momorantii cauſa additum eſt, ut, quando legi Dei conſentanea eſſet, in praeteritum quoque valeret, modo copula non interveniſſet; cum alioqui ceterae conſtitutiones, quae a principibus fiunt, tantum dent formam futuris negotiis. Quapropter edictum illud, quamvis ſanctiſſimum, a pleriſque ambitioſum vocatum fuit. Ea lege promulgata, cum Franciſcus quidem fidem de Pienna in uxorem accipienda interpoſuiſſe faſſus eſſet, ſed ea conditione, ſi conſenſus patris accederet, reſciſſis illegitimis pactis, Dianae, regi ex nobilis matronae contubernio natae, quae jam cum Horatio Farneſio [d] Caſtri duce in [e] Hedini expugnatione interfecto conjuncta fuerat, elocatur.

XVII. Altera lex in ſpeciem ſevera, ſed qua impiis et abominandis paricidiis, quae antea impunita, nunc etiam poſt legem conditam nimis frequentia ſunt, poena conſtituta eſt, poſtulante ſenatu promulgatur V Non. Martias. Foeminae, quae viros non habebant, ubi ex furtivo complexu conceperant, malo pudore territae, utero celato, ad extremum partus fere enecabant, geminato ſcelere famae conſulere ſe exiſtimantes; et enecatos aut in ſterquilinium ſeu profluentem abjiciebant, aut loco profano defoſſos perdebant; atque ita neceſſaria ſacri lavacri religione ac ſepulturae honore privabant. Quod ſi quando res in judicium deduceretur, pudorem, quo minus culpam

VAR. LECT. [α] antea in Italia filio-familias licebat citra P. [β] etiam *deeſt* P.

INTERPR. [a] *de Rantigny & de Champagne.* [b] *d'Ouartis.* [c] *Jeanne de Halluin,* dite *mademoiſelle de Piennes la jeune.* [d] *Caſtro.* [e] *Heſdin.*

culpam confeſſae eſſent, cauſatae, mortuos ſe enixas dicebant; et ita, deficientibus aliunde probationibus, debitam inhumano ſceleri poenam effugiebant. Nam judicum in hujuſmodi cauſis incertae plerumque erant et vagabantur ſententiae; cum ad mortem alii tanti criminis reas damnarent; alii, quod ſaepius accidebat, pronioribus ad miſericordiam animis, quaeſtionum violentiae ſubjiciendas cenſerent, ut vivoſne an mortuos foetus enixae eſſent ex ipſarum confeſſione conſtaret: quam ſi obſtinato animo ferrent, liberae dimittebantur. Igitur ea lege ſancitum, ut, quae graviditatem partumve celaſſet, neque alterutrius teſtationem aut de edito foetu ſeu vivo ſeu mortuo proferret, ſi eum lavacro juſtiſve exſequiarum privatum probationibus conſtaret, de illa tanquam paricidii rea ultimum ſupplicium ſumeretur. In nullum crimen ab eo tempore ſeverius vindicatum fuit: ac, ne qua ignorantiae excuſatio praetexeretur, ſententiis judicum ſemper additum eſt, ut lex in inferioribus tribunalibus palam et per plateas urbium publica praeconis voce promulgaretur, et per oppida ac pagos a curionibus coram populo diebus feſtis recitaretur. Nihilominus nullum frequentius crimen etiam hodie eſt; nec ulla fere ſeptimana abit, quin in claſſe, quae de judiciis capitalibus cognoſcit, una pluresve tam horrendi flagitii reae producantur: adeo malus pudor in verecundo et impotenti ſexu ſupplicii terrorem, et, quod omni corporis poena gravius eſt, conſcientiae morſus vincit. Sancitum et hoc anno a rege diplomate Kalend. Maii ad [a] Villeriam in Retia ſylva emiſſo, quod XVI Kalend. Junias in ſenatu recitatum eſt, ut epiſcopi et curiones aſſidui ad ſua ſacerdotia eſſent, et ipſi de rebus ſacris ad populum concionarentur, vel vicarios praeberent, qui eorum vicem fungerentur; ni faciant, ſacerdotiorum fructibus mulctentur: quod idem jam ante Ludovicus XI ſanxerat anno CIƆ CCCCLXXVI, VI Eid. Januar. datis ea de re in [b] Pleſſiaco ſeceſſu prope Caeſarodunum Turonum literis. Coactores etiam novi ſingulis dioeceſibus creati, qui id tributi, quod L CIƆ peditum ſtipendio exſolvendo penditur, tum decumas e ſacerdotiorum fructibus in aerarium conferri ſolitas, itemque extraordinarii vectigalis quodcunque genus exigerent, lege apud rationum regiarum praepoſitos, et [c] curiam illam quae de tributis et indictionibus jus dicit, perlata prid. Non. Jul. Item IV Non. menſis inſequentis lex in ſenatu recitata eſt, et in ejus commentarios relata, qua rex in cunctis praeſidialibus curiis, quas ante ſexennium in ſingulis praefecturis inſtituerat, praeſidem creat, et curiis iis judicia ſine appellatione de praediis aliiſque rebus immobilibus, quarum reditus annuus haud amplius L francicis aeſtimaretur, de mobilibus uſque ad CIƆ francicos attribuit; jam tum ſpecie aequitatis patefacta ad publicorum munerum nundinationes peſſimo exemplo via, et communicata honeſtiorum titulorum inferioribus magiſtratibus dignitate.

XVIII. [α] ABSTULIT hic annus aurei illius ſaeculi, quo P. [d] Bembus, A. [e] Naugerius, B. [f] Egnarius, H. [g] Fracaſtorius aliique ejuſdem melioris notae viri in Italia floruerunt, literatorum fere ultimum, Joannem Baptiſtam [h] Ramuſium, Pauli juriſconſulti filium, ut linguae Graecae Latinaeque ac ſcientiarum omnium peritiſſimum, ſic negotiis gerendis exercitatiſſimum; in quibus explicandis rara ſolertia meruit, ut ſenatus Venetus ejus opera totos XLIII annos in graviſſimis reipublicae negotiis uſus ſit, tam in ſcribae munere quam in oratorum ad principes diverſis temporibus miſſorum comitatu. Hujus diligentiae debemus collecta ac digeſta variarum navigationum volumina, quas et praefationibus doctiſſimis interdum illuſtravit; et in primis

philoſophica

VAR. LECT. [α] *deeſt Jo. Bapt. Ramuſii elogium, cujus loco ponuntur ſequentia.* Abſtulit hic annus duos inſignes linguae Graecae et Latinae profeſſores, qui diu magna auditorum frequentia Bononiae docuerunt, Romulum Amaſaeum Foroliviensem, et Sebaſtianum Corradum Regio Lepidi haud hinc longe natum. Amaſaeus multa e Graeco magna fidei et elegantiae laude vertit; et ſenex, relicto Pompilio filio paternarum virtutum aemulo, ibidem deceſſit P. D. O. F. *ubi ſequitur Corradi elogium, plenius in libro decimo ſeptimo hujus noſtrae Editionis datum.*

INTERPR. [a] *Villiers Coſte-de-rets.* [b] *le Pleſſis prés Tours.* [c] *Cour des Aides.* [d] *Bembo.* [e] *Navagero* [f] *Egnazo.* [g] *Fracaſtorio.* [h] *Ramuſio.*

philoſophica de Nili incremento ad Fracaſtorium ob ſtudiorum ſimilitudinem conjunctiſſimum amicum diſceptatione, a veteribus pleriſque agitata, a paucis hodie intellecta. Scripſit praeterea, ſed imperfectum reliquit, de fluxu et refluxu maris tractatum; materiam multis tentatam, ſed in qua nemo adhuc fecit ſatis. Provecta demum aetate miſſionem a bene merita de ſe republica impetravit, et [a] Patavii, ubi ſenectutis nidum poſuerat, annos natus LXXII ultimum diem clauſit. Corpus inde Venetias tranſlatum, et ad Sanctae Mariae Hortenſis ſepultum fuit. Hoc exeunte anno Venetiis jam ſenex obiit Nicolaus Tartalea [b] Brixianus, inſigni de numeris et menſuris in VI parteis diſtributo opere et aliis ad Euclidem ſcriptis editis clarus; qui multa in eo genere a Luca [c] Brugenſi monacho ſolertiſſime inventa illuſtravit, multa correxit, et Hieronymi Cardani aemulatione varias quaeſtiones ingenioſe pertractavit; ita tamen, ut practici numerorum calculi, qui in uſu inter negotiatores verſatur, majorem ſemper rationem habuerit. Antea Petrus Nannius, [d] Alkmariae in Batavis natus, [e] Lovanii, ubi diu in [f] Buſlidiana ſchola Graecam Latinamque linguam magna eruditionis non vulgaris laude profeſſus fuerat, multis ingenii ſui editis monimentis, quibus rem literariam multum promovit, ultimum diem clauſit XII Kalend. Sextil. cum vitae annos cum ſaeculo numeraret, in primaria urbis aede cum bonorifico Sigiſmundi Friderici Fuggeri elogio ſepultus. Huic in munere ſuffectus eſt Cornelius Valerius, [g] Verteris itidem in Batavia natus, qui magna ingenii et elegantis in omni ſcientiarum genere doctrinae laude floruit uſque ad annum hujus ſaeculi LXXVIII, quo vitam cum morte commutavit. [α] Poſt Nannium Vitus Amerbachius, [h] Wendingae in Baioaria natus, in Academia [i] Ingolſtadienſi philoſophiae profeſſor, ſeptuagenarius Eid. Septembr. ad Deum migravit. [k] Salmonium Macrinum, [l] Julioduno natum, qui hoc anno domi ſuae ſenio plane confectus fatis conceſſit, ne nunc ſilentio praeteream, poëticae ſtudium, cui primos adoleſcentiae annos conſecravi, apud nos ante ipſum fere neglectum, facit. Is, cum ſub Jacobo [m] Fabro Stapulenſi prima diſcendi fundamenta jeciſſet, protinus ab Academia Pariſienſi ad erudiendos Claudium et Honoratum [n] Renati Sabaudi Tendae comitis filios evocatus eſt, unde illi patuit ad aulam aditus, atque adeo ad [o] Bellaiorum, qui tunc meritis ſuis praecipuum apud Franciſcum gratiae locum obtinebant, amicitiam, et Joannis Bellaii cardinalis in primis; cujus ad eum multa carmina inter lyrica, quibus potiſſimum Macrinus excelluit, hodie leguntur. Ex lyricis autem illis praecipue laudantur, quae coelibis vitae pertaeſus cum de uxore ducenda cogitaret in [p] Gelonidis ſuae caſtiſſimos amores luſit; ex cujus poſtea matrimonio pulcherrimam ſobolem ſuſtulit, primitiaſque ejus Charilaum nihilo parente in poëtica inferiorem, ſed longe linguae Graecae cognitione ſuperiorem; qui, Catharinae Henrici tunc Navarrae regis ſororis praeceptor a matre datus, in tumultu Pariſienſi poſtea cum permultis aliis indigna morte periit. [β] Circa haec tempora et fatis conceſſit Angelus [q] Caninius Anglarenſis; vir linguarum non ſolum Graecae et Hebraicae ſed Syriacae et aliarum Orientalium rara et exquiſita cognitione inſignis; iis perdocendis diu in Italia, Venetiis, Patavii, Bononiae, Romae atque in Hiſpania vagus: demum Andreae Duditii Pannonii, cujus illuſtre nomen in literis et ob legationes ab eo obitas poſtea fuit, adoleſcentiae admotus, Lutetiae Pariſiorum docuit; ac poſtremo in familiam Gul. [r] Pratenſis epiſcopi Claramontani migravit, et in Arvernis finem ſtudiis et vitae fecit [γ].

XIX. Non [δ] ſolum cladibus et mortibus, ſed et novo morbo, quo innumeri, praecipue in

VAR. LECT. [α] *De Viti Amerbachii morte* 1554 *P.D* o.f.d. *narratio deeſt* *P.D* o.f.d.
[β] *Hoc Angeli Caninii elogium legitur ſub anno*
[γ] *Cetera, uſque ad hujus libri finem, deſunt* *P.D.o.*
[δ] ſolum mortibus clarorum virorum, ſed et *D.f.*

INTERPR. [a] *Padoua.* [b] *da Breſcia.* [c] *de Bruges.* [d] *Alkmar.* [e] *Louvain.* [f] a Buſlidio fundatore; ſive trium linguarum, vulgo *Drietongen.* [g] *Oudewater.* [h] *Wendingen en Baviere.* [i] *Ingolſtadt.* [k] *Salmon Macrin,* vulgo *Mitron.* [l] *Loudun.* [m] *le Fevre d'Eſtaples.* [n] *René de Savoie, comte de Tende.* [o] *du Bellay.* [p] *Gelonis.* [q] *Caninio d'Anghiari.* [r] *du Prat, evêque de Clermont en Auvergne.*

CIↃIↃLVII. in Hiſpania, abſumpti ſunt, funeſtus hic annus fuit. Puncticulari ſebri nomen fecere a
HENRICUS II. maculis, quae tamen longe a papulis effloreſcentibus in purpuratis febribus differunt. Ea, priſcis incognita, ex genere putridarum, maligna, popularis, et cum peſte cognationem quandam habens; neque tamen omnino peſtifera contagione ſerpens, ſed ea tantum, quae pet contactum aut fomitem fit, non etiam per aſpirationem, aut e longinquo; in nulla certa parte aut humore ſemina habens, ſed pro variis hominum temperamentis, nnne in bile, nunc in pituita, nunc in melancholico humore haerebat, ut Alniſio [a] Thoren medico [b] Placentino viſum eſt; nam alii aliter ſenſere. Cum hoc anno ſaeviens magnam ſtragem Hiſpaniae dediſſet, mox refrigerare ac mitigari coepit uſque ad annum CIↃ IↃ LXX; poſt quem rurſus, confecto bello Granatenſi, priſtinum virus teſumpſit, er ad hominum perniciem repullulavit, ut Europaeis, ſicuti Cypriis et Aſianis, ab eo tempore facta ſit familiaris. Eandem febrem, quam Florentiae [c] Peteccias dicunt, peſti violentae, quae ſuperinre annn in Tyrrheno mari et adjacentibus civitatibus graſſata eſt, ſucceſſiſſe in Italia ſcribit Joannes Bapt. [d] Hadrianius, lividis maculis ea correptorum infecta corpora memorans, nihilque a peſte ipſa differre, niſi quod contagione nnn ita noxia eſſet.

INTERPR. [a] *de Toro.* [b] *da Piacenza.* [c] *Petecchie.* [d] *Adriani.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER VIGESIMUS.

EPITOME.

SCHIRIFIORUM reliqua uſque ad Abdalam, qui imperium in ſua familia firmavit. Buaçonis cum claſſe Luſitana in Mauritaniam expeditio. A Salaraiſio Chriſtiana claſſis diſturbata; qui mox converſis viribus Buaçoni contra Mahametem Schiriſium praeſto fuit. Adverſa Schiriſii pugna; et Buaço Feſſae utriuſque potens. Penonium Velezii Turci fraude invadunt: ac diverſa parte Tafiletum Hametes Schiriſii frater occupat; ubi obſeſſus ſe filioſque fratri ſupplices dedit, quos ille defectionem veritus mox jugulari imperat. Inde felici cum Buaçone proelio congreſſus, poſtremo plenam victoriam reportavit, debellatis et exſtinctis adverſariis, et Feſſam nullo negotio recuperat: paulo poſt Septembri menſe proditione a Turcis, quos penes ſe habebat, cum Suſam tenderet, inſidioſe occiſus, cum XXXVII *annos jam regnaſſet. Hazen percuſſor haud diu ſuperfuit, caeſis quas ducebat copiis, amiſſaque praeda, et ipſe interfectus. Abdala praecipuum miniſtrum et ſummum imperatorem habebat Halim Bucarum, qui morte Mahametis veritus ne res turbarent, Hametis jam nonagenarii nepotes poſt filios occiſos de medio tollendos curavit, et in iis Mariemmae ſororis filios; quo facto non tam ab hero Abdala gratiam meruit, quam cum Mariemma ſe exitiabili odio implicuit, quae, diſſimulata injuria, fratri reconciliatur, et tempus opportunum nacta Halim inſigni fraude Abdalae ita ſuſpectum reddidit, ut eum de medio tolli juberet. Schiriſiani imperii amplitudo, opes ac robur.* II. *Caletenſis expeditio a Guiſio ſuſcepta. Urbs, poſtquam* CCX *annis ab Anglis inſeſſa fuerat,* VI *Eid. Januar. dedita. Iccius portus et Geſſoriacus pagus in Caletenſi agro.* III. *Guina expugnatur.* IV. *Conventus Ordinum regni Lutetiae; in quibus Carolus cardinalis Lotharingus pro ſacro ordine, Nivernius pro nobilitate, Andreas Gillarius Mortarius plebis nomine verba fecit. Tricies centena aureorum* CIↃ *ultro regi oblata.* V. *Rex Caletum proficiſcitur, et loco Paulum Thermum imponit. Herbemontium in Arduenna ſylva caſtellum a Nivernio capitur.* VI. *In Italia, fama de recepto Caleto ſparſa, Gallicis partibus addicti in ſpem rerum novarum eriguntur. Contra Orbitellum irritus conatus. Ferrarienſis late excurrit. Franciſcus frater a Philippo ad nos deficit. Tandem Ferrarienſis interventu Coſmi cum Philippo pacificatur.* VII. *Adverſus claſſem Turcicam Tyrrhenum litus munitur. Genuenſes miſſis ad Portam oratoribus injuriam deprecantur.* [a]*Briſſacus, qui ad calumnias purgandas in aulam venerat, in provinciam remittitur. Sueſſanus dux, Figueroae loco, Inſubribus; et Peraſanus Ribera Neapolitano regno praeficitur.* VIII. *Delphini et Mariae Scotae nuptiae magna pompa Lutetiae celebrantur.* IX. *Card. Lotharingi cum Ant. Perrenoto Atrebatenſi occulta Peronae conſilia.* X. *Andelotus tanquam de malo ſectario ſuſpectus defertur, et ore ſuo proditus in carcerem conjicitur, ſuffecto in peditatus praefectura Blaſio Monlucio.* XI. *Franciſcae Amboſianae ob Araſchotii fugam cauſa agitata; et Joannes* [a] *Munerius praetor Pariſienſis, quod litem ſuam feciſſet, damnatus.*

NOT. [a] Munerius propractor *Put.*

damnatus. XII. *Theodonis-villa a Guiſio in Lucemburgico agro obſeſſa et capta, deſiderato in ea obſidione Petro Strozzio.* XIII. *Arlonium intercipitur. Lucemburgum ipſum tentatum.* XIV. *Guiſius dum Viretoni ſedet, et Thermus, qui in Morinis rem gerebat, et Guiſio ad ſe venienti ſe conjungere debebat, Dunkerka interea et Bergis S. Vinoci captis ac direptis, utrique interjecta mora occaſionem rei gerendae amittunt, et Thermus in reditu inſigni ad Gravelingam clade adficitur.* XV. *Tumultus Pariſienſis, plebe ob pſalmorum vernaculorum cantiones commota.* XVI. *Claſſis Anglica in ora Armoricana.* XVII. *Jo. Gulielmi Saxonis auxiliares copiae in Gallia.* XVIII. *Fanum Audomari fruſtra a Franc. Vindocino tentatum.* XIX. *Franciſcus Noallius regis orator dignitatis ſuae praerogativam ſenatus Veneti judicio retinet, quantumvis renitente Hiſpano.* XX. *Ad Sercampum in limite locus delectus, in quo delegati ab utraque parte de pace agerent.* XXI. *Mariae in Anglia et mox Poli cardinalis ſecuta mors. Pauli* IV *ſeveritas in Cardinaleis.* XXII. *Eliſabetha Mariae ſorori ſuccedit. Ejus procis a nobis impedimenta allata.*

Ex Auctoribus,

Lud. Marmolio Carvajali, Ant. Errera, Fr. Rabutino, Gul. Paradino, Guiſii commentariis, Flor. Roberteti Fraxinei item commentariis, Jo. Bapt. Hadrianio, Luca Contili, Lud. Becatello, Actis curiae Pariſienſis, Bl. Monlucio, Lud. Guicciardino, [α] *Gul. Camdeni Eliſabethae annalibus, Jo. Serrano, Jo. Placio vectig. Curiae P. P. Onufrio Panvinio, Regis literis, P. Juſtiniano.*

LIBER VIGESIMUS.

CIↃIↃLVII.
HENRICUS II.

HEIC longa ac moleſta narratione fatigatis liceat paululum levandi animi gratia ad externa deflectere, et a triſti rerum noſtrarum cogitatione ad laetiora, et quae minus, ut e longinquo, laedant, mentem abducere: et, quoniam de Mauritaniae utriuſque regnis ac [β] Schiriſiorum, qui in iis regionibus rerum poſtea potiti ſunt, initiis jam libro VII multa diximus, conſequens videtur, ut, quando imperii melioris Africae partis in ea gente fundati tempus in hunc annum incidit, coeptam narrationem ab eo anno, in quo deſivimus, nunc continuata ſerie repetamus. [a] Buaço [b] Auguſtam Vindelicorum ad Caeſarem profectus, ut oſtendimus, et cum Philippo in Hiſpaniam reverſus, nec multo poſt [c] Bucari adventu et Feſſanorum quorundam literis monitus, ut copias, quantas poſſet, propius Velezium admoveret, ubi nihil ſpei in Hiſpanorum praeſidio videt, ad Luſitanorum opes animum vertit: acceptaque a Joanne pecunia, Luſitania ſolvit anno hujus ſaeculi LIII, et, ad [d] portum Alhuzemenſem appulſa claſſe, expoſitiſque in terram ſuis, cum vicinorum locorum barbaris, ac [e] Botoiae in primis vallis et [f] Gomerae montium, ad manus venit. Dum confligitur, fórte accidit, ut [g] Salaraiſius Solymani Turcorum imperatoris nomine [h] Caeſareae [γ] Juliae praepoſitus, alioqui Schiriſiorum potentiae infeſtus, ex freto Gaditano rediens illac cum XVIII navigiis egregie inſtructis pertranſiret. Is, animadverſo Chriſtianorum naveis in eo portu ſtationem habere, cum iis ſub veſperam coepto proelio et nocte inſequenti continuato, tandem mane victor tota claſſe potitus eſt, Buaçone elapſo; qui cum de Salaraiſio conquereretur,

VAR. LECT. [α] Rob. Cottoni commentariis non editis. *Ed. R. Steph.* [β] Cheriſiorum P. D. o. f. d. *ubique.* [γ] Juliae *deeſt* P. D. o.

INTERPR. [a] *Bubaçon.* [b] *Augsburg.* [c] *Muley Bucar.* [d] *le port Albuzemas.* [e] *Botoia.* [f] *la Gomera.* [g] *Salh-Rais.* [h] *Alger.*

conquereretur, quod ſe contra Schiriſium bellum gerentem interpellaſſet, ille viciſſim CIƆIƆLVII.
Buaçoni verbis acerbiſſimis improperavit, quod ope Chriſtianorum Schiriſium HENRICUS II.
quamvis communem hoſtem oppugnaret, cum Turcorum vireis ad manum haberet, quibus, ſalvo decore ac conſcientia, honeſtius ac tutius ad eam expeditionem uti potuiſſet. Tandem Caeſaream, accepta a Salaraiſio fide, profectus Buaço non ſolum Chriſtianos omneis pretio perſoluto redemit, ſed et cum eo convenit, ut accepto XL dierum ſtipendio, videlicet CIƆ aureorum in ſingulos dies, pro cujus ſolutione fidejuſſores dedit, ipſe cum Turcis auxiliaribus expeditionem ad [a] Feſſam recuperandam ſuſciperet; quae ſi caperetur, theſauri ejus omnes Turcis cederent. His ita conventis, Salaraiſius cum IV CIƆ [α] peditum et XII tormentis inſtructis [b] Tremecenem venit; cui ſe in itinere conjunxit [c] Amar Dubudenſis provinciae dynaſta, qui Melillam ſe contulerat, ut ſua a Schiriſio occupata Turcorum ope recuperaret. Tunc Mahametes Schiriſius longe aberat, cum barbaris [d] Derenderenſibus bellum gerens; qui, intellecto Salaraiſii Feſſam petentis adventu, eo magnis itineribus contendit; collectaſque undique copias [e] Teſſaram praemittit, in confinibus Feſſani ac Tremeceni regnorum ſitam, ac juxta oppidi muros, quos tranſituros Turcos ſciebat, caſtra metatur. Ibi L amplius dies commoratus, deficiente commeatu, quod a [f] Nacero et Mahamete Buaçonis filiis, qui ſe ad [g] [1] Malagorae vicinos monteis muniverant, huc illuc diſcurrentibus pabulatores ac reliqui mercatores interciperentur, impoſito Teſſarae CC militum praeſidio, cui [h] Mulucum praefecit, inde in interiora ſe recipere coactus eſt. Schiriſii diſceſſum paene antevertit Salaraiſius; ad cujus adventum Teſſarenſes incolumitatem Muluco ac praeſidiariis pacti deditionem fecere. Loco CC Turcorum praeſidio firmato, Salaraiſius, qui peditatu polleret, per loca montoſa et aſpera Feſſam verſus iter habuit, ne ab numeroſo Schiriſii equitatu, qui per plana incedebat, infeſtaretur; atque inter eundum Abdalam, qui ultimum agmen ducebat, in anguſtiis opprimit, omnibuſque impedimentis ac bellico apparatu exuit, ut neceſſe fuerit Schiriſio patri continuato noctem proximam cum die ſequenti itinere Feſſam retro cedere, et civitati ſe includere. Inde Salaraiſius ad ripas Cebu fluminis caſtra ponit. Quod ubi vidit Schiriſius, Feſſanorum fidei diffidens, ad Turcum mittit, et ſe proelio cum ipſo dimicare paratum oſtendit, neceſſitate potius quam conſilio ad id inductus: quippe id Feſſanis juris eſt, ut, ſi hoſtis cum juſto exercitu tertio ab urbe lapide caſtra promoveat, nec Feſſae rex viribus par ſit ut cum eo certare poſſit, liceat oppidanis citra perduellionis crimen de deditione paciſci: quod ab ipſis Feſſae regibus conceſſum Feſſanis, qui opulentam civitatem, dum vana fidei oſtentatione tueri fruſtra conantur, praedae ac direptioni exponi minime aequum exiſtimaverunt. Itaque, capto ex neceſſitate conſilio, Schiriſius in hoſtem fatigatum et huc illuc diſperſum impetum facere conſtituit; delectiſque ex omni numero VIII CIƆ [i] Suſianorum equitum, urbe exit: cumque in ſuſpicionem veniſſet, clandeſtina conſilia in ſuam perniciem ab Hali Turco, ſtipatorum corporis, qui omnes Turci erant, praefecto, iniri, eum protinus ſecuri percuſſit. Educto in aciem univerſo exercitu, in quo ad LXXX CIƆ equitum erant, in via Dubudenſi caſtra metatur, eo conſilio, ut Salaraiſio tranſitum intercluderet, aut in vadi tranſitu occupatum funderet: quod eo ſibi facilius perſuaſerat, quod eadem belli ratione ante aliquot annos regem Feſſae ad [k] Buacubam a ſe levi negotio debellatum meminiſſet. Praemiſſi [β] VIII CIƆ equites Suſiani, ad ripam uſque fluminis, cujus tantum ſpatio acies utrinque diſterminabantur. Quo animadverſo, Salaraiſius, qui omnino vadum tranſire in animum induxerat, mox XII tormenta contra Schiriſii turmas dirigi, et eodem tempore ſingulos equites, ſcloppetario in

tergum

VAR. LECT. [α] peditum *deeſt.* *D. f. d. et* *Ed. Gen.* [β] ergo VIII CIƆ illi equites Suſiani, quos dixi, P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Fez.* [b] *Tremeçen.* [c] *Muley Amar, ſeigneur de Dubudu.* [d] *Derenderen.* [e] *Texar.* [f] *Muley Nacer.* [g] *Matagara.* [h] *Meluco.* [i] *ceux de Sus.* [k] *Buacuba.*

NOT. [1] Matagarae *Put.*

CIƆIƆLVII.
HENRICUS II.

tergum aſſumpto, vadum intrare jubet. Dato ſigno, Turci tanta alaeritate irruunt, ut, dum Schiriſiani tormentorum diſploſione infeſtati oppoſito tumulo paulum ſe ſubducunt, incolumes fere cuncti in ulteriorem ripam evaſerint; ubi ſtatim munitis caſtris, tota nocte in armis fuere. Poſtridie Schiriſius cunctas copias in aciem educit, atque in III agmina partitur: et Abdalam cum eorum uno [a] Dardubagum viculum, qui viae regiae imminebat, inſidere jubet: ipſe in altera viae parte loco plano cum uno item agmine conſedit: tertium in media via collocatum, ducta foſſa, quae tranſverſa ad utrumque pertingebat; in eaque XII machinae bellicae diſpoſitae ſunt. [b] Salaraiſius contra ſuos in II agmina dividit, quae circiter XII CIƆ hominum faciebant, majorem partem ſagittariorum; quorum alterum, quod in prima acie ſtabat, Buaçoni et [c] Dubudenſi dynaſtae attribuit, dato negotio, ut [d] Zepherum verſus tenderent, eo conſilio, ut, cum ſciret Schiriſianos locum illum obſtinate defenſuros, eoque quamprimum omni alia re omiſſa ituros, ipſe interea Dardubagum praeſidio nudatum occuparet, et ita ſibi viam ad interiora regni aperiret, qua, quod aſpera et confragoſa eſſet, ab equitatu, quo Schiriſius abundabat, damni nihil accipere poſſet. Nec conſilio eventus defuit. Nam, dum Suſiani ad Zepherum defendendum contendunt, Salaraiſius cum ſcloppetariis ſuis Dardubagum occupat, accepto aliquanto damno in reditu a Suſianis iter flectentibus, et tormentis III amiſſis. Tum, ſigno pugnae dato, cum in eo eſſent ut utrinque concurrerent, Schiriſius, animadverſo Turcos ſtipatores minime ictus intendere, defectionem veritus, ipſos ſubſiſtere, et ejeratos, ſic eos qui a Chriſtianis ſacris ad deteſtandam ſectam deficiunt vulgo appellant, praeire jubet. Sed ſera erroris emendatio fuit: quippe Turci ſtipatores, impulſore [e] Caragardio Malacenſi ipſorum praefecto, praetorianum Schiriſii vexillum rapiunt; eoque dejecto atque ita ſigno ſuis dato, in ejeratos impetum faciunt; occiſiſque ex iis pleriſque, ceteros in fugam vertunt. Eodem tempore Salaraiſius tormenta diſplodi imperat; et, undique concurrentibus ex locis editis in Schiriſianos jam diſpalatos Turcis, ipſe Mahametes, antequam omnino circumveniretur; aſſumptis ſecum [f] Marochenſibus et Suſianis, Feſſam novam verſus iter ingreditur. Nam Feſſani jam aufugerant, et ad Feſſam veterem ſe receperant; quos inſecuti Turci, ſervatis ſemper ordinibus eoque tardiore gradu, portae adverſae ſucceſſere: quibus plerique ex Buaçonis amicis, Schiriſio relicto, ſe adjunxerunt. Schiriſius, ubi Feſſam novam venit, ſtatim Abdalae, ut cum equitatu Feſſam veterem occuparet, imperat: nec ſegniter ille parentis juſſa exſecutus eſt; diſploſiſque praeter opinionem in Turcos tormentis cuncta quaſi ad obſidionem ſuſtinendam parata oſtentavit. Qua re indignatus Salaraiſius graviter Buaçoni ſuccenſuit, quaſi ille urbis potiundae fiduciam temere concepiſſet. Itaque Buaço, ne vanitatis argueretur, IƆ praetorianos a Salaraiſio petit; et cum his impetu facto ac refractis portis civitatem irrumpit, Abdala, qui oppidanorum fidei diffideret, per poſticum elapſo, et inde Feſſam novam ad patrem transfugiente. Nec ſibi in tanto periculo defuit Mahametes: ſed mox, [g] Bucaro Halis filio ad portas cuſtodiendas conſtituto, palatium intrat, et gynaeceo omni edicit, ut equis inſcenſis unaquaeque cum expedita ſupellectile ſaluti conſuleret: ipſe veredo pernici vectus, ſumpto clypeo et ſtricto enſe, per poſticum urbe exit, expoſitis ad praedam theſauris, qui magnam partem ab ipſis Feſſanis eo die direpti ſunt. Bucarus vero urbis praeſidio a Schiriſio relictus, ubi herum in tuto eſſe intellexit, de deditione cum Salaraiſio agere coepit; et ſecuritatem ſibi ac Feſſanis pactus urbem Turcis aperit. Turcus, utraque Feſſa potitus, a [h] Ladaële, [i] Zarahonio et [k] Mahamete Barraſio, praecipuis regni praefectis, Buaçoni admodum infeſtis, qui eum in occulto Chriſtianis favere cauſabantur, perſuaſus, Buaçone in carcerem conjecto, ex illorum conſilio [l] Merinium Oataci filium regem renunciari jubet. Mox, ſparſa de caede Buaçonis fama, ad ſeditionem verſi

Feſſae

INTERPR. [a] *Dardubag.* [b] *Salb-Rais.* [c] *Dubudu.* [d] *Zefero.* [e] *Caraguardi de Malaga.* [f] *ceux de Maroc.* [g] *Bubcar ben Ali.* [h] *Laadel.* [i] *Catea Zaraboni.* [k] *Muley Mahomet Barrax.* [l] *Merini Oataci.*

Feſſae veteris oppidani. Cum tumultuandi finem nullum facerent, productus Buaço, ut eum in vivis adhuc eſſe appareret: ſed, cum ne ſic quidem quieſcerent, ſolo aſpectu quaſi larvae aut ſpectri alicujus minime contenti, tandem libertati omnino reſtitutus eſt Buaço, et, rejecto Merinio, a Salaraiſio, quamvis invito, Feſſae rex conſtitutus. Salaraiſius inde Bucarum Halis filium Marochum ad Mahametem Schiriſium ablegat, ſpecie permurandorum gynaeccorum, Buaçonis quidem quod Suſis reliquerat, et Mahametis, quod, capta Feſſa, in Turcorum poteſtatem venerat; re vera, ut Schiriſium ad recuperandam Feſſam incitaret, et, ſi quidem eam expeditionem ſuſciperet, de ſe ſecurum eſſe juberet, quaſi minime auxilium Buaçoni in poſterum ſubminiſtraturo. Ita Salaraiſius, impoſita Feſſanis poena unciae argenti in ſingulas domos, quod contra Turcos arma ſumpſiſſent, exuviis et ingenti praeda onuſtus tanquam triumphans [a] Caeſaream cum ſuis revertitur Kal. April. cum XL dies in ea expeditione conſumpſiſſet. Nec multo poſt [b] Penonii Velezii praefectus arcem in Mahametis Buaçonis filii poteſtatem tradit; quam mox ab eo Salaraiſius repoſcit: verum ille, contrariam filii voluntatem cauſatus, cum initio tergiverſaretur, Turcus ira accenſus [c] Jahaiae, qui piraticam cum XV biremibus in eo tractu faciebat, negotium dat, ut quavis ratione locum occuparet. Is igitur interceptum ſorte Mahametem, dum extra Penonium deambularet, tam male et indigne habuit, ut eripiendi ſe ex immanis hominis manibus nullam expeditiorem viam putaret, quam ſi Penonium redimendo ſe ei traderet. Ita Turci Penonio potiti ſunt, et eo uſque tenuerunt, donec paucis poſt annis altera expeditione Philippi auſpiciis ſub Chriſtianorum poteſtatem venit, ut deinceps dicemus. Parte alia Schiriſius filio, qui [d] Mechinem tenebat, imperat, ut, oppido relicto, recta Marochum ad ſe contenderet: quo mox illo diſcedente, profectus Buaço Mechinem occupat: eamque occaſionem Hametes Schiriſii frater ulciſcendarum veterum injuriarum opportunam ratus, cum iis, quas potuit, copiis Tafiletum petit; eoque loco, ab oppidanis libenter exceptus, citra ſanguinem potitur. Schiriſius vero, acceptis per Bucarum Halis filium ſecretis Salaraiſii mandatis, de Feſſanorum ſtatu certior, copiarum ſuarum partem Abdalae attribuit, ut eas contra Buaçonem duceret: ipſe Tafiletum cum altera parte proficiſcitur. Abdala, aſſumptis ſecum [e] Arrhamenenſibus inter Arabas opibus, potenti gente et bellica laude clara, Feſſam recta tendit: ibique obvios habuit Nacerum et Mahametem, quorum ille nothus, hic legitimus habebatur, a Buaçone parente cum exercitu miſſos. Sed, orta inter eos aemulatione, Mahametes, pravis conſiliariis uſus, dum victoriae, quam male ſana fiducia jam devoraverat, decus ad ſe unum contrahere ſperat, copias a fratre dividit, et, temere in Luſitanos in inſidiis collocatos praecipitans, funditur ac fugatur. Quo animadverſo, Nacerus, proditionem ſuſpicatus, ſtatim conclamatis vaſis Feſſam ſe recipit. Plus damni hominum opinione quam re vera acceptum eſt ea clade; quam mox Buaço diligentia ſua ſarcivit. Nam, protinus eductis copiis, nihil territus et conſerto cum Abdala proelio eum vicit, et fugientem Marochum uſque inſecurus eſt, occiſis fere cunctis auxiliaribus ex Suſiana regione adductis, quibus Schiriſius Tremecenen provinciam habitandam conceſſerat. Id anno LV hujus ſaeculi actum. Interea [a] Mahametes Hametem fratrem Tafileto incluſum obſidebat; ubi cum de Abdalae filii ſtrage intellexiſſet, nihil caſu turbatus aſtuto et tempori accommodato conſilio rem diſſimulat; et, contrario omnino rumore ſparſo, quaſi Buaço debellatus et omni ope deſtitutus Penonium confugiſſet, Abdala vero victor jam Feſſam teneret, eo deſperationis Hametem adegit, ut filiis ſuis auctor fuerit, quando ſpes omneis in Buaçonis jam debellati opibus hactenus collocaſſent, ut ſupplices pattuum adirent, et ad pedes victoris provoluti atque incolumitatem pacti miſericordiam ejus implorarent.

VAR. LECT. [a] Mahametes Cheriſius *P. D. o f. d.*

INTERPR. [a] *Alger.* [b] *Penon de Velez.* [c] *Jahaia.* [d] *Mequinez.* [e] *les Arabes de Arrahamena.*

rarent. Ita Hametes cum filiis, oppido tradito, in Schiriſii poteſtatem venit, in ſolitarium locum religione ſacrum mox relegatus. Tum, impoſito Tafileto praeſidio, Mahametes, et abductis ſecum Nacero et Zidano fratris filiis, [a] Garcilium caſtra promovet, ea parte in Feſſanum regnum ingreſſus; veritusque, ne, ſobrinis ſuperſtitibus, aliqui motus ex ea occaſione orirentur, eos quamprimum jugulari imperat. Progreſſusque ſanguinaria admodum pugna cum Buaçone conflixit, quae diuturno bello tandem finem impoſuit. In ea Mahametes Buaçonis filius, qui primam aciem ducebat, tantum virtute ſua effecit, ut cum IV CIƆ Arabum, ſumma vi in Schiriſianos impetu facto, occiſis pleriſque ex Marochenſibus, obvios quoſque ſuderit. Sed, reſtituto a Schiriſio certamine, cum Feſſani non eandem virtutem praeſtarent, ipſe ſenſim cedere, dein labare acies, creſcentibus interea [α] hoſtis animis: poſtremo Buaço fortiter ut in extremis cum Nacero filio pugnans, accepto in femore lanceae ictu, exanimis concidit: quo conſpecto, confeſtim omnes qui ab eo ſtabant in fugam verſi: Nacerus ad proximos monteis cum paucis ſe recepit. Mahametes, Feſſam cum L equitibus ingreſſus, ubi civium animos tepere vidit, urbe exit, et cum fratre, cui ſe conjunxerat, [b] Mechinem et Salam venit; ubi conſcenſo mercatoris Chriſtiani navigio, cum oram Hiſpaniae legerent, ab [c] Armoricae noſtrae piratis capti ſunt. Bucarus, qui cum Buaçone proelio interfuerat, [d] Tremecenen et inde [e] Caeſaream contendit; ibique paulo poſt peſtilentia exſtinctus eſt. Ita Feſſa nullo negotio recuperata, Schiriſius, relicto in ea Abdala, [f] Marochum proficiſcitur, de [g] Derendetenſibus barbaris, qui toties rebellaverant, ultionem ſumpturus. Sed cum res ex voto non ſuccederet, potentioribus illis populis, quam ut exiguo tempore debellari poſſent, Hametem fratrem, cum filiis ac nepotibus, qui ſupererant, ſub cuſtodia ad ſe venire jubet; et, quaſi pacatis rebus ad ſolitas libidines revolutus, uxorem novam more ſibi ſolemni ducere conſtituit, quippe hornotinis fere uſus conjugum amoribus. Eo conſilio cum CIƆCC Turcis ſtipatoribus, equitatu numeroſo, aſſumptis duabus filiabus, in viam ſe dat, [h] Suſam verſus tendens: quod illi iter fatale fuit. Nam cum, Salaraiſio paulo ante mortuo, Hazen, Hariadeni [i] Ahenobarbi filius, Caeſareae, quam cum regio imperio ipſius pater tenuerat, impoſitus eſſet, iſque ſuſpectam maxime potentiam Schiriſii haberet, cum cognomine ſibi homine latrociniis et homicidiis infami ultro operam ſuam deferente agit, ut Mahametem quavis ratione de medio tolleret. Ea mente Hazen, quaſi a Caeſarienſi rege ob acceptam injuriam profugeret, cum XX conjuratis per Tremecenen itinere facto, nulla mora interjecta, [k] Feſſam venit; ubi ab Abdala Turcorum genti infeſto, cauſa adventus ejus, uti illam praetexebat, cognita, ulterius ad patrem contendere jubetur, apud quem procul dubio in ſummo honore futurus eſſet. Accidit vero, ut ſub tempus Suſianae Mahametis profectionis Marochum veniret, ubi a Schiriſio honorifice exceptus ſtipatoribus ſuis praeficitur. Eam occaſionem nactus homo facinoroſus cum Turcis clam agit, jam Mahameti infeſtis ob non ſoluta per integrum annum ſtipendia, et injurioſe a Bugumeda Schiriſii quaeſtore habitis; cumque iis de Schiriſio capiendo aut, ſi aliter fieri non poſſet, de medio tollendo, ſpe theſaurorum ejus diripiendorum facta, conſilium init. Quo facto, tutum ad Tremecenen receptum flexo per [l] Numidiam itinere eſſe demonſtrat. Proſperum initium res ſortita eſt; non etiam finem, ob ſucceſſum inſolentia inflatis animis et proinde ad providenda pericula ſegnioribus. Cum ergo Schiriſius ad locum in monte Atlante [m] [s] Agnelium dictum veniſſet in Bibonae anguſtiis, per quas Marocho Tarudantum tendentibus neceſſario tranſeundum eſt, Turci delecti quaſi ad eum ſalutandum, praeeunte Hazene, eum cum ante praetorium offendiſſent, Bugumeda illo, de quo

VAR. LECT. [α] hoſti *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Garciluy.* [b] *Mequinez & Salé.* [c] *Bretagne.* [d] *Tremeſen.* [e] *Alger.* [f] *Maroc.* [g] *ceux de Derenderen.* [h] *Sus.* [i] *Barberoſſa.* [k] *Fez.* [l] *Biledulgerid.* [m] *Alguel.*

NOT. [s] Aguelium *Put.*

quo diximus, et altero Luſitano ejerato tantum ſtipatum, Hazen ſtringit gladium, et CIƆIƆLVII.
vertenti terga Schiriſio, et ſolo, dum praecipitantius aufugit, titubante gradu forte HENRICUS II.
afflicto, poplites ſuccidit: mox alii conjurati ſuperveniunt, et jacentem ictibus tranſfigunt, Bugumeda interea fuga elapſo, et Luſitano ſolo pro hero fortiter pugnante; qui inibi tandem a ſociis occiſus eſt. Hic exitus fuit Mahametis Schiriſii, qui, ingenio et animi in periculis praeſentia, an perfidia et crudelitate inſignior fuerit, ambiguum reliquit; ſummo tamen ſuorum, exactam ejus in adminiſtrando principatu ſolertiam ſuſpicientium, deſiderio exſtincti, cum ad longaevam aetatem perveniſſet, et XXXVII annos regnaſſet. Id in menſem Septembrem incidit hujus anni. Mox direpti theſauri, et captae Schiriſii filiae in Hazenis poteſtatem devenere; qui, excuſata illius quaſi tyranni ac proinde jure patrata caede, et impunitate iis qui ſe ſequi vellent promiſſa, cum Turcis, quos penes ſe habebat, Mauris et quibuſdam ejeratis continuato per Suſianam itinere Tarudantum, quod [a] Odmanus Schiriſii defuncti filius, quem alii Abelem Mumenem vocant, tenebat, tendit: idque mox ab Odmano deſertum, cum arce ac theſauris, qui inibi aſſervabantur, occupat. In urbe erat Judaeus quidam nomine [b] Gazius Muca, qui, relictis patriis ſacris, ſe peſtiferae ſectae addixerat, vinctus ob criminis ſuſpicionem, de cetero homo vafri ingenii et manu ac conſilio promptus; quem Hazen ſtatim ſolvi imperat, et ſummum judicem in oppido conſtituit. Is conſilium dederat Hazeni oppidi a ſe occupari feſtinatis operibus muniendi, quo ſe contineret, dum auxiliares copiae [c] Caeſarea ac Tremecena adventarent. Dum Hazen deliberat, XX circiter dies elapſi ſunt, ſive reficiendo militi, ſive dum in conſilio capiendo haeret: tandem, cum perniciosum ſibi a Judaeo conſilium datum putaret, per vaſtas ſolitudines, ut hoſtem falleret, ad iter ſe accingit. Verum Judaeus, qui, Turco abeunte, nihil praeſidii amplius in ejus opibus videret, ut gratiam illorum, ſub quorum imperio remanſurus erat, aucuparetur, Abelem Mumenem alterum ex Schiriſii occiſi filiis de Hazenis diſceſſu certiorem facit; et, ut ad ultionem paternae caedis animum adjiceret, rei facilitate demonſtrata, hortatur. Ille perſuaſus, relicto Marochi Hali Bucaro, cum VIII CIƆ equitum contra Turcos vadit: ejuſque rei nuncium ad Abdalam fratrem mittit, qui tunc Feſſae erat, et exercitum cogebat. Ipſe Judaeus interea, dum fratres copias conjungerent, cum tumultuaria manu fugienteis eſt inſecutus, et undique circumventos ad unum fere omneis cecidit, receptis theſauris et Schiriſii defuncti filiabus; conſimiliter et Tarudanto in fidem accepto, in quo Hazen paucorum dierum regnum exercuerat. Secundum haec, fama de Mahametis morte divulgata, Halis Bucarus, qui praecipuam inter primatios regni praefectos auctoritatem obtinebat, veritus, ne ex Hametis, quamvis nonagenarii, ac ejus filiorum ac nepotum, qui ſupererant, occaſione regni ſucceſſio turbaretur, ipſos, non expectato Abdalae imperio, jugulari imperat; atque in iis Zidani filios, quos ille ex [d] Mariemma Abdalae ſorore ſuſtulerat: quod ut regno fortaſſe ſalutare, ita certiſſimam perniciem Bucaro attulit. Nam Mariemma poſt viri ac liberorum necem, injuria diſſimulata, cum ſe ad fratrem Abdalam contuliſſet, et apud eum ſumma gratia polleret, ad omnem ultionis de Hali ſumendae occaſionem intenta, hoc tandem aſtu uſa eſt. Injecto de regni ſucceſſione ſermone, ſcrupulum fratri movit, ſi tunc temporis decederet, an filius, qui unicus atque admodum puer erat, in regnum ſuccederet: nam optimatum atque adeo ipſius Bucari aliam mentem eſſe, qui fratri ipſius jam viro potius quam puero regnum deferri debere exiſtimabant. Cujus rei ut experimentum faceret, ſuaſit, ut ipſe morbum fingeret, tum ad eum quaſi mortuum Bucarus introduceretur, et ipſa cum Bucaro de regni ſucceſſore colloqueretur: ſic enim, quid Bucaro conſilii eſſet, ex illius ore regem intellecturum. Proceſſit aſtus. Nam, cum Abdala, vero morbo nec ſimulato laborans, ſe aliquot dies ab omni conſpectu ſubſtraxiſſet, Halis
Mariemmam

INTERPR. [a] *Muley Odman.* [b] *Gazi Muça.* [c] *Alger.* [d] *Mariem.*

Mariemmam adit, et de regis valetudine percunctatur: eo enim ſtatu res regni eſſe, ut diutius de ea incertus eſſe non poſſit. Tum illa Halim in conclave abducit, ubi Abdala linteo tectus, quaſi jam exſpiraſſet, jacebat. Ibi voce lamentabili cum regem mortuum renunciaſſet, et cadaver quaſi digito oſtenderet, Bucarum rogat, ut prudentia ſua efficeret, ne regnum a legitimis haeredibus ad alios transferretur, et Mahameti Abdalae filio jus ſervaretur. Halis ad haec, Haud ea rerum facies eſt hodie in his regnis, Mariemma, ut per puerum adminiſtrari poſſint. Ut me Abdalae fide obſtrictum ſentio, ita pietas erga patriam de ejus quiete ac ſecuritate ante omnia cogitare jubet. Eſt regi frater matura aetate, regendo imperio par; huic regnum deferri et regis filii in praeſentiarum et noſtra ac publicae tranquillitatis intereſt. His dictis, cum ſe ex palatio proriperet, Abdala, cervice erecta et amoto linteo, ac ſcipione aſſnmpto, nam adhuc ex morbo debilis erat, abeuntem revocat; et, Haeccine, inquit, gratia pro benefactis proque tot in te cumularis honoribus refertur, ut filio perfidioſe ſpoliato regni ſpem in fratrem transferres? Atqui vivo adhuc ego, tanto tempore ſuperfuturus, dum praemium ac poenam cuique pro meritis rependere et filio regnum firmare valeam. Quibus auditis, Halis, ſeu metu ſeu pudore confuſus, recta domum abit; ſumptoque muliebri amictu, nulla mora interpoſita, urbe exit, et ad oleaſtri pedem, velata facie, ne dignoſceretur, conſedit, dato ſuis interea negotio, ut quam primum eodem pernicem equum ſibi ſiſterent. Dum expectat, equites a venatu feſſi meretricem rati eo advolant; et, diſcuſſo velo, ubi Halim eſſe cognoverunt, de fraude ſuſpicati, eum, ut erat, diſſimulato habitu ad Abdalam ducunt, qui ipſum mox jugulari imperavit; et ita ſuam ac Mariemmae ſororis injuriam, quamvis de ea minime cogitaret, veterum Bucari meritorum immemor, praevalenre recentis facti apud eum memoria, ultus eſt. Nec multo poſt, ne quid reliquiarum ſupereſſet, quod ad otium et libidines properantem remorari aut interpellare poſſet, Mahametem [a] Abdeli Caderi filium propiorem ſobrinum Meſquinae dynaſtam, quem ipſe cum Lela Sophia ſororis fil[illegible] matrimonio junxerat, ob ſolam virtutis opinionem, et quod vulgo acceptus eſſet, interficiendum curavit. Ab eo tempore imperio a patre et avo parto pacare potitus eſt, late dominator et potens: ut cujus ditio utramque Mauritaniam, [b] Tingitanam ac [c] Caeſarienſem et majorem Nnmidiae partem, puta Getuliam, et in iis XIV provincias, complectatur; a [1] meridie [d] Liſſo et [e] Una fluviis, ab ortu [f] Savo, ab Septentrione et occaſu freto Gaditano et mari Atlantico terminata. Militia ejus LX CIↃ equitum comprehendit, quibus ſtipendia ſingulis qnatuor menſibus et pace et bello dependit; videlicet XV CIↃ ex [g] Suſiana ac Darenſi regionibus, ex Marochenſi regno XXV CIↃ, ex Feſſano XX CIↃ; ex qnibus V CIↃ illi, qui praetorianorum turmam conficiunt, vulgo deliguntur. Peditatus vero omnis in II CIↃ ejeratis ac CIↃ aliis Suſianis ſcloppetariis, quibus novae Feſſae cuſtodia committitur, conſiſtit; quibus et IↃ equites ex eodem ejeratorum genere adduntur; et, cum opus eſt, etiam accedunt Arabes et alii Libyes, quibus dictim ſtipendia perſolvuntur. His fere viribus potentiſſimi in Africa a Schirifiis hoc ſaeculo fundati imperii robur conſtat.

II. NUNC rurſus, tanquam ex diverticulo, nobis ſeries calamitatum publicarum redordienda eſt; quam etſi a laetioribus auſpicamur, mox tamen funeſto exitu atque adeo damnoſa pace, quam domeſtici motus regno exitiabiles deinde ſecuti ſunt, claudemus. Coacto tandem exercitu, et ei praepoſito cum ſummo imperio Guiſio, conſulratum fuit, qno ducendae viderentur copiae; an ad recuperanda, quae proxima aeſtate amiſſa fuerant, an ad novam aliquam expeditionem. Nam ad exiſtimationem

ac

INTERPR. [a] *Abdel Cader*. [b] *Tingitana* ab urbe *Tingi*, hodie *Tanger*. [c] *Caeſarienſis* a *Caeſarea*, hodie *Tiguident* dicta. [d] *Laſſus*, ou *Luxus*. C'eſt le fleuve de *Larache*. [e] *Una*. Marmol le nomme *Sus*. [f] *Savus*. Marmol *Saffaia*, ou *Ceffata*. [g] *Sus & Dara*.

NOT. [1] *a meridie Liſſo*] Ce fleuve ne peut eſtre meridional au royaume de Fez; & ſembleroit que ce deuſt eſtre pluſtoſt *Ziz* riviere, qui ſe jette vers le midi dans un lac de meſme nom entre celle de Dara & de Ghir. *Put. L.*

ac regni tutelam pertinebat, ut, quamvis aſpera ac profunda hyeme, tantae vires ſine CIↃIↃLVII.
aliquo operae pretio non dimitterentur. De recuperandis quae perdita fuerant HENRICUS II.
non placuit, quod ea loca et jam munita et milite ac re omni neceſſaria abunde firmata eſſent; nec eundem animum in iis regionibus, in quibus recentis cladis veſtigia in oculos incurrebant, militi fore appareret, quam ſi alio duceretur. Itaque [a] Caleti expugnandi conſilium repeti placuit, quod a [b] Senarpontio Bononienſis provinciae praefecto cum Momorantio communicatum, niſi Sanquintiniana ſtrages incidiſſet, eadem aeſtate executioni demandandum fuerat. Re [c] Compendii, quo rex venerat, in ſecretiore conſiſtorio agitata, P. Strozzius dux impiger luſtrandi loci negotium ſumit: eoque cum Mazino [d] Delbenio, exiguo comitatu, ac veſte obſoleta indutus proficiſcitur IV Non. Novembreis; ubi loci ſitum extrinſecus et adjacentium propugnaculorum formam ac firmitatem curioſis oculis contemplatus, ad regem rediit; et rem confectu facilem, ſi ſtudium ac diligentia adhiberetur, fore retulit. Quo ſecretior res eſſet, dividitur exercitus; et pars Nivernio attribuitur, videlicet Helvetiorum XX vexilla ac totidem Germanorum cum XV Gallicis, ∞ equitibus cataphractis, et aliquot machinis, ſparſo rumore, de [e] Lucemburgo et Arlonio tentandis conſilium initum eſſe: quo factum, ut hoſtes mox per ea loca haud ſatis milite firmara vireis diſtribuerint. Guiſius, quaſi impediturus ne [f] Quintini fanum, [g] Hanam et Caſtellum commeatus importaretur, ad limitem progreditur. Circumacto per [h] Nargonenſem agrum exercitu, [i] Nivernius [k] Stenacum venit; ubi aliquanto tempore commoratus ſtatim copias quam citiſſime poteſt ad Guiſium remittit, qui tunc [l] Samarobrigae Ambianorum erat, et de commeatu [m] Durlanium inferendo cogitare ſe hoſti perſuaſerat. Accepto Nivernii exercitu, Guiſius in Bononienſem agrum deſcendit, quaſi [n] Ardeae ac Boloniae tutelae proſpecturus. Poſtquam omnia parata vidit, de Caleti ſtatu optime inſtructus, eo improviſus advolat, et Kalend. Januariis ad [o] Novambrigae- CIↃIↃLVIII.
pontem, cIↃ ab oppido paſſibus diſtinctum, caſtra ponit, quo per aggerem utrinque paludibus cinctum aditur. In aggeris ingreſſu occurrebat munimentum ad vicum, cui Agathae-fano nomen eſt, ab Anglis erectum. Id miſſis III cIↃ ſcloppetariis delectis primo impetu captum eſt, cum praeſidiarii initio erupiſſent, et a noſtris repulſi poſtremo ſe recipere coacti eſſent. Succeſſus is Anglis terrorem, noſtris animos fecit, qui, quamvis jam ſol inclinaret, progreſſi, eodem die Novambrigae propinquant et foſſam circumducunt, prius loco a Guiſio et Paulo [p] Thermo luſtrato. Tormenta etiam admota, ut continuo die illuceſcente verberatio inciperet: et, quoniam omnem victoriae ſpem in celeritate ponebat Guiſius, eodem tempore exercitus partem ſecundum maris litus ad laevam praemittit, qui ſpeculam, [q] Riſbanam vulgo vocant, in portus faucibus ad cuſtodiendum ingreſſum poſitam aggrederentur, ut, ſimul occupatis undique munimentis, oppidum in medio expugnandum relinqueretur, neque a pedeſtribus copiis e [r] Belgio venientibus, neque a maritimis Auglia ſummiſſis ſuccurri poſſet. Caletum loco plano poſitum, et tribus amplius partibus amne, rivis ac palude fere inacceſſum, ab occidente portu amplo ac mari cingitur, forma quadrara, III prominentibus propugnaculis ad angulos diſtinctum, et quarto, quod meridiem reſpicit, ubi vetus arx ſurgit: ad haec, pomoerio ſpatioſo ex terra ſpiſſa congeſta, uti tunc opinio erat, quod poſtea magno noſtro damno falſum experti ſumus: nam arenoſum toto illo tractu ſolum eſt, quod ad violentos tormentorum ictus ſtatim inſtar pulveris diſſilit: foſſa item profunda et ampla, in quam amnis [s] Hamia labens, qui urbem alluit, continuo flexu decurrit, et rivi paludem circumjacentem irrigantes in eam pariter

INTERPR. [a] *Calais.* [b] *de Senarpont, gouverneur du Boulonnois.* [c] *Compiegne.* [d] *Delbene.* [e] *Luxembourg & Arlon.* [f] *St. Quintin* [g] *Han & le Caſtelet.* [h] *Argonne.* [i] *le duc de Nevers.* [k] *Stenay.* [l] *Amiens.* [m] *Dourlens.* [n] *Ardres & Boulogne.* [o] *pont de Neullay.* Les Anglois l'appellent *Newnambridge.* [p] *de Thermes.* [q] *le Riſban.* [r] *Pays-bas.* [s] *Hamet.*

CIↃIↃLVIII. Henricus II.

pariter exonerantur. Per paludem ad urbem aditus non eſt, niſi per aggerem, cui [a] Novambriga impoſita eſt: per mare navibus in portum ingreſſus non patet, niſi permittentibus [b] Risbani praeſidiariis. Quare dno illa oppidi quaſi cornua ei tenenda erant, qui loco potiri vellet. Igitur eadem nocte Guiſius cum [c] Aumalio fratre, P. [d] Strozzio equitum tribuno, P. [e] Thermo, Joanne [f] Eſtraeo tormentorum praefecto, [g] Sanſaco, [h] Audeloto, [i] Tavanio et [k] Senarpontio ad maris litus contendit; et, Riſbano propius luſtrato, ut vix XXV paſſuum ſpatium intercederet, ſine ullo hoſtium ſenſu, ſtatim juniorem [l] Alegrium et alterum ex domeſticis nobilibus per Carolum [m] Rupifulcaudium Randanum ad locum in pottu deſignatum deduci imperat, ubi vadum ſubeſſe intellexerat: tentatoque vado, demum inter duces convenit, ut poſtridie eodem tempore et Novambriga et Risbanum tormentis pulſarentur: quod et ſummo mane factum. Ac Novambrigenſes quidem primi deditionem fecere, ab urbis praefecto, ut poſtea reſcitum eſt, moniti; qui, quod exiguum defenſorum numerum intra urbem haberet, praeſidiarios ad certam perniciem exponi nollet: horam poſt, et qui Risbanum tenebant, ſe arbitrio Guiſii permiſere. Magna inibi repetta tormentorum et aliarum rerum copia. Ut vero auxiliaribus omnis aditus ad urbem intercluderetur, ex ducum conſilio inter oppidum et paludem poſt aggeres XX peditum Gallorum ſigna collocata ſunt, et Philippi Rhingravii legio cum IↃ CCC equitibus Germanis, ac CCC equitibus cataphractis, ductore [n] Rupiſurionio. Thermus mare verſus viam, quae [o] Guinam ducit, inſidebat cum reliquo equitatu et Helvetiis. Tum, nulla mora interjecta, pridie Non. hujus menſis VI majora tormenta ad portam flumentanam admota et III colubrinae dejiciendis oppoſitis munimentis; valloque ducto, tumuli excitati, quaſi omnis impetus ab ea parte fieri deberet. Pulſata et quaſſata ea porta et adjacentibus aliquot turribus, cum hoſtis nihil de arce, quae nullo intus pomoerio firmata erat, metueret, ad eam inopinato XV murales machinae admoventur; tantaque vi ac pertinacia pulſatio facta, ut fragor etiam [p] Antuerpiae, quae XXXIII Germanicis milliaribus inde abeſt, exaudiretur. Luculenta demum edita ruina, Andelotus, cum prope nox inſtaret, cum CIↃ CC ſcloppetariis et multa nobilitate tranſmittere in portum jubetur, et inter urbem ac litus ſe vallo munire. Tradita in eam rem militi inſtrumenta, jam ante Senarpontii, qui locum diligenter exploraverat, ſtudio praeparata, quibus vallum ſtruerent: quo ad foſſam urbis uſque perducto, inde aqua in mare derivaretur, ſicque foſſae aqua momento exhauriretur, in qua praecipuam Caleti firmitatem Angli collocabant. Convectae et in eum uſum magno numero crates pice illitae, ne aqua mergerentur, per quas milites voraginoſo ac paluſtri fundo ſiccis pedibus tuto incederent: tum, quo militem ab infeſtatione globulorum defenderet, Senarpontius tegumenti genus commentus fuerat, ex palis vimine contextis craſſitudine ſemipedis, quod extrorſum charta triplicata obducebatur, et a milite geſtabatur, ſudibus, quae inferiore parte ferreis uncis confixae erant, cum opus erat, in terram deſtitutis: eo tanquam umbone tecti milites per feneſtellas ejaculabantur. Tandem, aperto ſub veſperam muro, Guiſius, ut impediret ne hoſtis ruinam farcire poſſet, jam recedente aeſtu maris, ſub octavam horam [q] Grammontanum cum CCC ſcloppetariis tranſmittere jubet, qui continua diſploſione hoſtem, quo minus opus facere poſſet, interpellaret. Juſſus erat et Strozzius cum totidem ſcloppetariis ac praeterea C foſſoribus, duce [r] Sarlaboſio, alteram portus partem occupare: ſed crebra globulorum grandine depulſus, amiſſis XXV ex ſuis, ad Guiſium ſe recipere coactus eſt. Mane Guiſius, cum juxta [1] portam progreſſus eſſet, cum Aumalio et

Ellebovio

INTERPR. [a] *Nieullay.* [b] *du Risban.* [c] *le duc d'Aumale.* [d] *le mareſchal de Strozzy.* [e] *de Thermes.* [f] *d'Eſtrées.* [g] *de Sanſac.* [h] *d'Andelot.* [i] *de Saulx, ſieur de Tavanes.* [k] *de Senarpont.* [l] *d'Alegre.* [m] *de la Rochefoucaud, comte de Randan.* [n] *le prince de la Roche-ſur-Yon.* [o] *Guiſnes.* [p] *Anvers.* [q] *de Grammont.* [r] *Sarlabouz.*

NOT. [1] Portum *Put*

Ellebovio fratribus, Fr. Momorantio, Bullionio ac cetera nobilitate, ruina per [a] Brancacium explorata, poſtquam renunciatum eſt, eam idoneam eſſe per quam miles ingredi poſſet, ſigno dato Grammontanum cum ſcloppetariis ſuis, ſubſequente eum cum ccc loricatis P. Strozzio, quem rurſus totidem alii armati pone comitabantur, praeire jubet: ipſe ante reliquas turmas, umbilico tenus exſtante corpore, interjectum amnem ſuperat, et muro ſuccedit; in quem noſtri tanto impetu invaſerunt, ut, obviis trucidatis, mox arce potiti ſint, et defenſores qui ſupererant in urbem confugere coëgerint. Ibi poſtquam validum praeſidium impoſuit Guiſius, quod hoſti ſuſtinendo, ſi noctu impetum in arcem ex urbe faceret, par eſſet, aeſtu jam reciprocante, in ulteriorem partem redit. Poenitentia ſeu pudor deſertae tam ſubito arcis ſtatim hoſtibus ſubiit, qui, quantum momentum ad urbem capiendam afferret ſero animadvertentes, omni ope ad eam recuperandam ſe accingunt. Facto impetu, primi rejecti: dein redintegratis animis et directis in imo ponte IV tormentis noſtros rurſus aggrediuntur; cumque ex tumulo, qui in urbis platea erectus eſt, crebra in arcis portam diſploſione vim feciſſent, poſt acre certamen, in quo CC ex delectis amiſerunt, poſtremo repulſi ſunt. Ubi hunc ultimum conarum irritum vidit [α] [b] Wentworthius regulus, qui urbi praeerat, omni ſpe abjecta, de deditione agere coepit: et, poſt varias altercationes, in has tandem conditiones tranſactum eſt: ut oppidani omnes cum uxoribus ac liberis, vita ſalva ac ſine injuria dimitterentur; quibus liberum eſſet in Flandriam aut mari tranſmiſſo in Angliam ſe recipere, idonea ſecuritate praeſtita: miles in Angliam tranſmitteret: Wentworthius et cum eo L alii arbitrio Guiſii captivi eſſent: tormenta, globi, pulvis, arma, ſigna atque omnia inſtrumenta bellica in oppido integra citra fraudem relinquerentur: omnis ſupellex, aurum, argentum, merces, equi Guiſii voluntati permitterentur: ſalva et integra cuncta ſinerent; ab aedificiorum demolitione abſtinerent, nec clavum refigerent, aut lapidem loco moverent, ſolumve vel pavimentum ſuffoderent; quod additum fuit ad coërcendam Anglorum malignitatem, qui ſuperioribus annis, reſtituta ex conventione [c] Bononia, in detrimentum noſtrum urbem vaſtatam foedis ruinis deformaverant. His ita VI Eid. Januar. tranſactis, ſequenti die Angli ad unum omnes exceſſere, oppido intra ſeptimum diem capto, Philippo apud Anglos rege; quod poſt [d] Creſciacam pugnam ante CCX annos, attritis totius regni viribus, ſub [e] Philippo Valeſio noſtri annum integrum tenuerant; ac poſtremo [f] Joannes Viennenſis omni auxilii ſpe deſtitutus, cum undique terra et mari premeretur, Edvardo III dediderat. Heic Iccium portum fuiſſe pletique credunt, unde breviſſimum in [g] Britanniam trajectum eſſe ſcripſit C. Caeſar, quod ab hoc portu, hodie ob loci commoditatem mercatoribus frequente, [h] Doveram uſque non plus XXX CIↃ paſſuum numerentur. Caletum vero oppidum dictum eſt, nomine totius regionis ei, ut plerumque fit, attributo: nam populi in toto illo tractu a [i] Sequanae faucibus ad [k] Adae uſque aeſtuarium, quo Gravelinga alluitur, olim Caleti appellabantur; in quo [l] [1] Geſſoriacus pagus; quo nomine quidam perperam oppidum, quod ſupra [m] Rotomagum eſt in [n] Vexinenſi agro, deſignari exiſtimant. Vix deditione facta, naves magno numero in oceano apparuere, auxilio obſeſſis venientes; quae, conſpectis ex alto Gallorum ſignis cum ſe ſerius ſolviſſe animadverterent, retro domum abiere. De noſtrorum conſiliis praeſagierat ſeu cogitaverat Philippus; idque uxori reginae per literas denunciaverat, et ultro opem ac praeſidium obtulerat: verum res a ſuſpicioſis Anglis aliter ac debuit accepta eſt, Philippum Hiſpano aſtu, ut Caletum interciperet, id agere interpretantibus: tandemque ejus augurium eventus comprobavit.

VAR. LECT. [α] Dumfortius *in Edd. omnibus.*

INTERPR. [a] *de Brancas.* [b] *Thomas lord Wentworth.* [c] *Boulogne.* [d] *de Creſſy.* [e] *Philippe de Valois.* [f] *Jean de Vienne.* [g] *Angleterre.* [h] *Douvres.* [i] *la Seine.* [k] *Aa r.* [l] *Giſors.* [m] *Rouen.* [n] *le Vexin.*

NOT. [1] De pago Geſſoriaco vide Scaliger. in Auſon. l. 1. c. 23. *Put.*

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

comprobavit. Nec tamen ille officio defuit, miſſo laborantibus Guinenſibus Hiſpanorum praeſidio.

III. CAPTO Caleto, diſceptatum inter duces, utrum [a] Guinam, quae III milliaribus abeſt, an [b] Gravelingam peti expediret; quae duo oppida utrinque Caletum cingunt. Re agitata, placuit Guinam ducendum eſſe, quod eam juris Gallici effici, quam Gravelingam, utpote remotiorem, ad Caleti ſecuritatem magis conduceret. Locum tenebat cum valido praeſidio [α] [c] Greius regulus. Eid. ſequentibus eo Guiſius tendit; primoque impetu oppidum capit, praeſidiariis in arcem ſe recipientibus: ſed, dum noſtri de praeda quam de ſtationibus ordinandis magis ſolliciti ſunt, eruptione facta hoſtis mox eos expulit, incendioque per domos ſparſo, rurſus ſe arci incluſit. Triduo ſequenti ductus agger, vallumque ad foſſam uſque promotum, erectis in eo doliis vimineis, et collocatis XXXV muralibus machinis, quae decuſſata verberatione ictus in arcem ejaculabantur. Tandem propugnaculum, quod portam oppoſitam tegebat, magna ex parte quaſſatum et contuſum eſt, edita ruina, ad quam tamen aſcenſus difficilis erat. Igitur Guiſius, cum ad eam inſpiciendam diverſos ac multoties miſiſſet, tandem CXX delectos eo eniti jubet, cum foſſoribus, qui arduum aſcenſum operibus mollirent, aliud praeterea facere vetitos. Demum XIII Kal. Febr. Andeloto juſſo in armis eſſe, Germanorum legio ad id deſtinata magno impetu vim facit, et, ſuperata profundiſſima foſſa, quam injectis doliis ac cratibus tranſverſis ponte ſtraverat Guiſius, in collem oppoſitum enixus, ut rei eventum opperiretur, ſtatim illinc ad ſuos accurrit; et, poſtquam praeſentia ſua militi animos reſtituit, redintegrato certamine, poſtremo noſtris ſuſtinendis impares obſeſſi ruinam deſerunt, amiſſis ex ſuis circiter CCC, et in iis CC Hiſpanis, et, curte inferiore relicta, intra veterem arcem ad Greium ſe recipiunt. Diverſa parte, Rerodi legio minora duo munimenta invadit; et ita curte inferiore noſtri omnino potiti ſunt. Greius, qui majus munimentum adhuc tenebat, quod aliis a noſtro milite occupatis imminebat, ſucceſſu tamen ita perculſus fuit, ut, non expectato dum noſtri ultra vim facerent, duos ex nobilibus ſtatim ad Guiſium miſerit, qui de conditionibus cum eo agerent. Poſtridie conventum, ut milites cum armis exirent, relictis ſignis, tormentis, globis, pulvere et cetero belli apparatu; ipſe Greius cum ducibus ac nobilitate captivus maneret. IↃ CCC amplius Angli ſeu Belgae Hiſpanive inde egreſſi ſunt; quod magno probro Greio vertit, qui, alias bello ſpectatus dux, cum tot eximiae virtutis ductoribus ac militibus ad noſtrorum impetus ſuſtinendos loco tam firmo minime ſe comparaverit. Chriſtoph. [d] Mondragonius cum eo captus; qui prius Lutetiae arce, in qua detinebatur, evaſerat. Per inducias olim Guina anno CIↃ CCCLI [e] Bellocurci praefecti provinciae legati proditione ab Anglis occupata fuerat, qui ob id capitis ſupplicio affectus eſt. Reſtabat in eo tractu, quem [f] Oſienſem comitatum vulgo vocant, non admodum per ſe munitum, ſed ſitu fere inacceſſum, caſtellum, quippe paludibus undique cinctum, ad quod per anguſtum aggerem tantum aditus erat, pontibus ligneis plerumque interciſis: ſed praeſidiarii, qui in eo erant, intellecto Guinae ſucceſſu, non expectato noſtrorum adventu, relictis tormentis, protinus aufugerunt. Eo miſſus continuo [g] Sipetra, qui locum deſertum occuparet, cum ducis Lotharingi ala, cujus legatus erat.

IV. REX interea, ut rem pecuniariam expediret, ſine qua amiſſa recuperare et hoſtium impetus ſuſtinere non poterat, ordinum regni comitia Lutetiam indixerat. Hic VIII Eid. Januarii, in palatii, in quo jus dicitur, [h] aula, cui vulgo a B. Ludovico nomen eſt, loco magnifice praeparato in ſolio conſedit; et paulo infra Delfinus; et Carolus Lotharingiae dux ad dextram cum cardinalibus; ad laevam [i] Rupiſurionius, Nivernius,

VAR. LECT. [α] Graius *in Edd. omnibus*.

INTERPR. [a] *Guiſnes.* [b] *Gravelines.* [c] *le lord Grey de Wilton.* [d] *Mondraçon.* [e] *Beaucourroy.* [f] *le comté d'Oye.* [g] *de Cipierre.* [h] *la Chambre S. Louis.* [i] *le prince de la Roche-ſur-Yon.*

[a] Nivernius, [b] Sancerranus, [c] Urſeus, [d] Bordillonius, ac cetera nobilitas; infra reliqui Ordines. Tum gravi oratione rex principium actioni fecit: nihilque ſibi, ubi primum regni gubernaculis admotus eſt, antiquius fuiſſe dicit, quam ut regni dignitatem tueretur, ac ſingulos regni Ordines pro cujuſque dignitate, ſicut optimum principem deceat, amore paterno complecteretur: pertinere autem non ad regni dignitatem tantum, ſed ad ſingulorum ſalutem, ut hoſtium regni conatus reprimantur, antiquae regni poſſeſſiones ſerventur, amiſſa recuperentur, ac limites firmentur: eo conſilio primis ſtatim regni auſpiciis difficili ſed felici bello cum Anglis pro [e] Boniae ac vicinorum locorum recuperatione contendiſſe: in illud bellum, et alia, quae ex eo ſerie fatali ſeminata ſunt, immaneis ſumptus factos; quibus cum vectigalia annua non ſufficerent, patrimonium omne regium oppigneratum, et, quod ſibi magis doleat, nova tributa inventa eſſe; cujus rei ſenſus cum saepius animum ſibi perculerit, optaſſe, ut vel iniquis conditionibus cum hoſte convenire poſſet; ultroque pacem ab eo petiiſſe: nunc, cum id obtinere non potuerit, et audiat, eum ſucceſſu inflatum majori mole bellum parare, fiduciam, quam ſecundum Deum in ipſorum fide ac virtute habet, voluiſſe apud eos publice teſtari, et, quid ſibi conſilii ſit, omnibus manifeſtum facere; nimirum decreviſſe contra maximam vim maximas copias opponere: ipſos autem minime ignorare, praecipuum belli nervum in pecunia conſiſtere; ſine qua neque exercitus ali neque miles in diſciplina contineri queat; pulcherrimas denique rei bene gerendae occaſiones, quae ſe quotidie in manus dent, plerumque amitti aut corrumpi: igitur vehementer petere, ut ſibi, ut regno, ut publicae neceſſitati, cujus cauſa cum ipſis communis ſit, ſuccurrant: ſcire ſe, multa ſaeculi vitio ac temporum licentia in moribus ac civili adminiſtratione, quae plebem gravent, invaluiſſe; quae emendata cupiat; ac proinde fidem interponere, cum primum ipſorum ope et auxilio ſe praeſentibus difficultatibus explicaverit, et armis pacem firmam ſanxerit, curaturum, ut depravata corrigantur, et populus tributis levetur: propterea voluiſſe, ut Delfinus regni haeres his conventibus interſit, non tanquam teſtis ac fidei jam datae obſes, ſed quo fides quoque ejus ad ea, quae regia voce promiſerit, praeſtanda obligetur. His dictis, [f] Cardinalis aſſurgens verboſa et grandi oratione propenſum regis in omneis ſtudium et generoſum animum multis ac ſupra verum laudibus adulatorie more ſuo extulit, ſacri Ordinis nomine ingentis pecuniae collationem pollicitus. Poſt eum Nivernius, pro nobilitate verba faciens, cum itidem aſſurrexiſſet, paucis verbis eam paratam dicit, uti hactenus ſemper fecerit, pro rege, regni dignitate ac tutela, opes, vitam ac ſanguinem profundere. Tum Joannes [g] Santandreanus, Pariſienſis ac ceterarum regni curiarum, quarum delegati aderant, nomine, in genua procumbens, regi gratias agit, quod ex magiſtratibus, qui vice regia jus dicunt, quartum Ordinem conſtituerit, et ad ceteros treis regni Ordines adjunxerit: deinde, laudata regis egregia voluntate ac prudentia, vitam, opes et omnia prolixe defert. Poſtremo, plebis nomine Andreas [h] Guillarius Mortarius, in genua itidem procumbens, regis eximiam prudentiam ac bonitatem laudat, qui pacem armis conſtituere, et, quae temporum vitio depravata ſunt, in civili adminiſtratione emendare decreverit: populum viciſſim, qui ſe omnia principi ſuo debere ſciat, quamvis vectigalium gravitate et continuis bellorum calamitatibus attritum, non recuſare, ut in hoc rerum ſtatu fidem ſuam approbet, quin pecuniae quam maxima poterit collatione, pro dignitate ac ſalute ejus, belli ſuſcepti neceſſitatibus ſubveniat. Ubi Mortarius deſiit, Joannes [a] [i] Bertrandus procancellarius, tunc cardinalis [k] Senonenſis dictus, cum regem de more

VAR. LECT. [a] Bertrandus *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *le comte de Sancerre.* [c] *d'Urfé.* [d] *de Bourdillon.* [e] *Boulogne.* [f] *le cardinal de Lorraine.* [g] *le preſident St. André.* [h] *Guillart du Mortier.* [i] *Bertrand, garde des ſceaux.* [k] *le cardinal de Sens.*

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

more in ſolio ſedentem genibus flexis couſuluiſſet, in locum ſuum rediit, et hoc mandare regem dicit, ut populus, quo rerum emendandarum principium fiat, ſcripto querimonias ſuas comprehendat, et capira eorum, quae correctione egeant, annotet; eaque Mortario tradat, qui de iiſdem ad regem ſit relaturus, quo de ſingulis poſtea ex regis voluntate decernatut. His actis, conventus dimirtitur; et, ubi rex diſceſſit, C. Lothariogus ejus juſſu a plebe delegatos ſevocat, et oſtendit in belli ſumptus neceſſarios opus eſſe tricies ceotenis aureorum millibus: eccleſiaſticorum Ordinem gratuito praeter decimas decies centena autcorum millia regi obtuliſſe; reliquum eſſe, ut plebeius ordo vicies centena millia dependat:, quod ut commodius ac celerius confici poſſit, nam celeritate rem indigere, opus eſſe, ut nomina praecipuorum per urbeis et oppida civium uſque ad IICIↃ edantur, qui ſinguli CIↃ aureos mutuos dent. Delegari initio nomioa edere recuſabant: et invidioſum id, adde etiam, periculoſum eſſe dicebatt: quippe rem invidiae plenam eſſe, ſi quantum quiſque poſſidear profiteri et velut in ceuſum deſerre cogatur: inter negotiatores veto periculum ſubeſſe, ſi eorum ſacultates ab omnibus noſcautur, ut plerique miuus in aere quam in opinione habere comperiantur, et ira divitiarum famam, qua commercium conſtat, amittant. Tandem convenit, ut, diſtributa per provincias et provinciarum urbeis atque oppida omni ſumma, inter opulentiores poſtea divideretur: nam ita onus, quod paucis intolerabile eſſet, levius fore, cum a pluribus ſerretur.

V. COMITIIS peractis, rex ſolemni ſacro, quod IV Eid. Jauuar. In palatii delubro celebratum eſt, cum regiua, Delfino ac proceribus interſuit. Grariae item Deo de Caleto recepto actae. Quo cum iturus eſſet, antequam proficiſceretur, in palatium more ſolito veoit, et in lectiſternio ſedit. Ibi pleraque edicta ac conſtitotiones ad civilem admioiſtrationem pertinentes, quae jam obſoleverant, renovatae ac denuo promulgatae ſunt. Inde Caletum proficiſcitur; ubi locum contemplatus, poſtquam de muniendo eo ex belli ducum conſilio ſtatult, et cuſtodiae ejus Paulum [a] Thermum impoſuit, ad regni ioteriora reverſus eſt. Diverſa parte, [b] Nivernius, ubi in Campaniam rediit, juſſis praeſidiariorum ductoribus cohortes paratas habere, [c] Bullionii, [d] Jametii alarum praefectis, ac [e] Senarpontio, qui ſuae praeerat, ut ſuos ad ſigna cogerent, ipſe [f] Ivodium ſub Februarii principium venit; ubi, conſilio habito, cui Jametius ipſe jam ſenex et tot bellis ſpectatus vir interfuit, [g] Herbemontium, poſtulante [h] Alticurio, peti placuit, caſtellum in [i] Arduenna ſylva [α] [k] Beiliſteinii comitis ditiouis ſaxo praerupto impoſitum, niſi qua parte aditur: quo loco hoſtes ſere excurſiones ſacturi conveniebant, quod maxime Ivodio ac vicinae regioni incommodabat. Jam Leonius [l] Depotius, qui per [m] Bordillooii abſentiam proviuciae limiti praeerat, ſoſſores ac jumenra trahendis machinis, quo Nivernius juberet, idoneo numero praeparaverat. Itaque ſumma diligentia ac ſilentio ſub veſperam miſſi [n] Troſſoboſius Mezeriae et [o] Cambrius [p] Mauberti-ſontis praeſecti, qui cum ſuis locum obſidione cingerent. Diverſo itinere per [q] Sedanum cum levi armatura deducta tormenta: et rurſus Alticurius per aliam viam reliqua tormenta ac bellicum omnem apparatum, ductore Jacobo [r] Wolfio, convexit: quos ſubſecutus eſt Niveroius cum expeditis, quas penes ſe habebat, copiis. Aegre tormenra per [s] Semoſium arci ſubjectum amnem traducta, ob glaciem et ſolito majores niveis. Primo certatum acriter, eruptione a praeſidiariis ſacta; quorum impetu repreſſo, [t] Cormonrius inferiorem curtem, in quam ſe ruſtici cum gregibus et armentis receperanr, occupat: mox admota tormenta ad eam partem qua ad arcem aditur: deſtructoque propugnaculo, quod

VAR. LECT. [α] Biliſtini P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de Thermes.* [b] *le duc de Nevers.* [c] *Henry Robert de la Marck, duc de Bouillon.* [d] *Jean de la Marck, ſeigneur de Jamets, troiſiéme fils de Robert II duc de Bouillon.* [e] *de Senarpont.* [f] *Ivoy.* [g] *Herbemont.* [h] *Haultcourt.* [i] *les Ardennes.* [k] *Beiliſtein.* [l] *Deſpotz.* [m] *de Bourdillon.* [n] *Trouſſebois,* [o] *Chambry.* [p] *Maubert-fontaine.* [q] *Sedan.* [r] *Wolf.* [s] *Semois.* [t] *de Cormont.*

quod arcis frontem tegebat, ac ſacta ruina ingenti, cum jam noſtri ad aggreſſionem ſe compararent, loci praefectus conditiones proponit: quibus recuſatis, poſtremo VIII Eid. Febr. ſeque et locum Nivernii arbitrio permittit; qui, a Jametio exoratus, ipſum cum uxore et omni familia ac militibus ſine pretio incolumem dimiſit. Arci impoſitus a Nivernio [a] Cruceus Altacurii legatus. Inde miſſi, qui [b] Jamonium, [c] Chinium, [d] Roſſinolium, [e] Villemontium, munimenta ab hoſte in his locis exſtructa, ad deditionem compellerent: quorum pleraque ad famam Nivernii adventantis jam a praeſidiariis deſerta fuerant; reliqua ad primum noſtrorum conſpectum deditionem fecere.

CIƆIƆLVIII.
HENRICUS II.

VI. PER Italiam vero ſparſa de [f] Caleto recepto fama non ſolum cladis nuper ad fanum [g] Quintini acceptae oblivionem animis hominum induxerat; ſed et Gallis et Ferrarienſi ad majora audenda animos fecerat: ac noſtri quidem de [h] Orbitello intercipiendo conſilium inierant, quod ad illos relatum eſſet, ab ea parte, quae ſtagnum reſpicit, infrequentiores excubias fieri. Eo [i] Ilcini-monte profecti cum ad locum deſtinatum ſummo ſilentio veniſſent, ſcalae, quibus enitendum erat, juſto breviores repertae ſunt, culpa ejus, qui illarum fabricandarum curam ſuſceperat: et ita, re infecta, diſceſſum eſt, tormentorum diſploſione aliquot e noſtris amiſſis. Ferrarienſis vero, qui videret hoſteis magnis incommoditatibus conflictari, ob idque in hyberna conceſſiſſe, cum ſuis egreditur, et Parmenſem agrum in praedas effuſus vaſtat: nec non [k] Brixellenſes praeſidiarii ad [l] Vitalis uſque fanum excurſione facta VIII cataphractos capiunt et [m] Aſculani principis ſigniferum. Sub id Alfonſus cum Corn. Bentivolio, IV CIƆ peditum ac IV tormentis, [n] Regio Lepidi egreſſus, [o] Pauli-fanum recipit, paucis, qui in eo erant, exutis militibus: ſummoque ſilentio tranſmiſſo [p] Nicia fluvio, qui Regienſem agrum a Parmenſi dividit, [q] Garnigionem caſtellum obſidet, et admotis tormentis quatit; cujus mox praeſidiarii deditionem fecere. Tum [r] Roſſena verberatur Corregienſium caſtellum: qua capta et direptionibus ac poſtremo incendio deformata, Canoſſa petitur: quae tormentis pulſata, cum deditionem facere nollet, impetu capitur, trucidatis fere omnibus praeſidiariis. His injuriis ac pudore praecipue ſtimulatus Octavius auxilia undique ſolicitabat, miſſis qui [s] Mediolano et ex [t] Etruria ea adducerent; et a Joanne Figueroa II CIƆ Germanorum, CIƆ Hiſpanos et II equitum cataphractorum vexilla petebat, quos ille nuper, [u] Ponzono capto, exiguo in via, quae [x] Alexandria [y] Genuam ducit, caſtello, quaſi re magna geſta, ad reficiendum per hyberna diſtribuerat. Sed, deficiente ſtipendio, rari ad ſigna conveniebant; et Octavius, qui fruſtra laborare ſe cerneret, ſtatuerat, receptis, quae in ſuo ceperat Ferrarienſis, domi ſe continere: quod ut mature faceret, ab Alexandro cardinali fratre monebatur; qui, adveniente Turcica claſſe, ad defendendam Italiae oram omneis copias ac robur verſum iri providebat; et idcirco intempeſtivum ac poſtremo fratri damnoſum judicabat, ſe inutili bello cum vicino principe ſine profectu immiſcere. His accedebat, quod eodem tempore Franciſcus Ateſtinus Ferrarienſis frater, qui Caeſarianas parteis ſemper hactenus ſecutus fuerat, et bello Germanico egregiam operam navaverat, accepto torque regio, ad nos tranſierat, et ad res in Etruria regis auſpiciis adminiſtrandas cum ſummo imperio miſſus fuerat: quod rebus noſtris non ſolum ad famam conducebat, ſed etiam Ferrarienſis opes magnopere confirmabat. Inde occaſione arrepta, Coſmus, cui ſemper bellum contra Ferrarienſem ſuſceptum diſplicuiſſet, cum Hiſpanis apertius agit, et Philippum urget, ut cum Ferrarienſi amice tranſigeret. Nec Ferrarienſis jam ſenex et ſpe ſua falſus a

pacis

INTERPR. [a] *la Croix.* [b] *Jamoigne.* [c] *Chigny.* [d] *Roſſignol.* [e] *Villemont.* [f] *Calais.* [g] *St Quintin.* [h] *Orbetello.* [i] *Montalcino.* [k] *de Briſello.* [l] *San Vitale.* [m] *d'Aſcoli.* [n] *Reggio.* [o] *San Polo.* [p] *la Lenza r.* [q] *Guardigione.* [r] *Roſſeno, caſtello di quei da Coreggio.* [s] *Milan.* [t] *la Toſcane.* [u] *Ponzone.* [x] *Aleſſandria della paglia.* [y] *Genes.*

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

pacis conſiliis alienus erat: ſed non niſi honeſtis conditionibus a foedere nobiſcum inito diſcedere volebat. Tandem Coſmi interventu, cui facultas a Philippo data erat, conventum in has leges: ut ſupremi armorum Gallicorum in Italia ducis officio renunciaret: a foedere cum rege ac pontifice contra Philippum inito diſcederet, et medius maneret neutri parti addictus; nec regem tormentis ac cetero bellico apparatu juvaret: capta utrinque hoc bello reſtituerentur: ipſe amicitiam cum Octavio Farneſio coleret: [a] Martini-fanum, Sigiſmundo Gonzagae ereptum, ac cetera ejus bona a Ferrarienſi proſcripta redderentur: quod ultimum Ferrarienſi graviſſimum fuit, libertate ei praerepta in ſubditum ſibi hominem pro arbitrio animadvertendi. Miſſus mox Bartholomaeus Concinus, qui conditiones ad Philippum perferret, ut ratas eas haberet; et inſuper, ut adfinitas cum bona ipſius gratia inter Ferrarienſem ac Coſmum poſſet contrahi, demonſtrata ejus rei multis rationibus utilitate, rogaret. Aſſentiente Philippo, pax cum Ferrarienſi facta: et Alſonſus ſtatim Florentiam venit, ubi Lucretiam XIV annorum virginem, nam Maria grandior aevo ei ante deſtinata ſub id tempus deceſſerat, uxorem ducit.

VII. MAGNA pompa nuptiae celebratae: nec tamen inter feſta nuptialia ceſſabat Coſmus; ſed de claſſe Turcica ſolicitus, quam in [b] Ilvam, [c] Herculis-portum, [d] Plombinum, [e] Savonam, [f] Nicaeam impetum facturam rumor erat, omnem operam dabat, ut ora maritima muniretur. Portum-Herculis miſſus Chapinus [g] Vitellius, qui collem oppido imminentem, et cui a Philippo poſtea nomen inditum eſt, vallo cingeret, et munitiones in arce Plombinenſi ab Hiſpanis neglectas ope foſſorum inſtauraret. Miſſus et in Ilvam Gabriel [h] Serbellonus, qui [i] Portum-ferratum muniret, ad [j] munimentum Falconium additis novis propugnaculis. Haec ad oram maritimam contra Turcos tuendam a Coſmo procurabantur. In mediterranea ora hoc agebat, ut, Gallorum ob non ſoluta ſtipendia jam a longo tempore moleſta popularibus mora, hoc anno meſſem omnem interciperet, quo Senenſeis exſules paulatim noſtrorum taedio ad ſuas parteis pertraheret. Nam Groſſeti praeſidiariorum in dies ob aëris intemperiem minuebatur numerus, et munitionibus magna ex parte ob [k] Umbronis inundationem deſtructis periclitabatur oppidum. Jamque claſſis Turcica CXX triremium ad [l] Preveſam ex Calabria conſpecta, poſtquam [m] Brunduſium, quod feſtinatis operibus muniebatur, praetervecta eſt, eodem itinere, quo antea, freto [n] Mamertino ſuperato et capto ac direpto [o] Rheginenſi oppido, [p] Strongylen appulerat: unde ſtatim in ſinum [q] Surrentinum effuſa, juxta [r] Salernum exſcenſione facta, et ingenti multitudine uſque ad IV CIↃ capitum ad foedam ſervitutem abducta, atque in iis magno numero virginum ſacrarum et monachorum, quorum illis locis propter amoenitatem pleraque ſunt coenobia, occiſis infantibus ac ſenibus, in Neapolis conſpectum venit. Tum Terracina abſconſa, pontificiae ditionis oppido, in Ilvam deſcendit; et in [s] Longonis-portu noctem tantum commorata, ubi vidit oram undique milite cinctam, quippe Aurelius [t] Fulgoſius nuper e [u] Gallia Togata cum equitatu reverſus, ut ſe oſtenderet, juſſus fuerat, ad Corſicam iter flectit, ubi claſſem noſtram adhuc eſſe conjiciebat: quae cum paulo ante ſolviſſet, opinio omnium erat, conſilium initum eſſe de impetu ad Savonam faciendo, aut Nicaea oppugnanda, et Villae-francae portu occupando. Id cum vererentur Genuenſes, contradicente Gomeſio Figueroa, qui Philippi majeſtatem laedi conteſtabatur, et Andrea [u] Auria jam ob decrepitam aetatem civibus ſuis deſpicabili, ad purpuratum cum ingentis pretii donis mittunt, qui injuriam a ditione ſua deprecarentur. Nec heic ſtetit Genuenſium deliberatio. Nam praeterea [v] Byzantium ad portam Turcicam oratores mittere decreverunt,

INTERPR. [a] *San Martino.* [b] *Elba.* [c] *Porto-Ercole.* [d] *Piombino* [e] *Savona.* [f] *Nizza* [g] *Vitelli.* [h] *Serbellone.* [i] *Porto-ferraio.* [j] *baſtione detto il Falcone.* [k] *Ombrone r.* [l] *Previza.* [m] *Brindiſi.* [n] *Faro di Meſſina.* [o] *Rhegio, ou Rezzo.* [p] *Stromboli iſola.* [q] *Golfo di Surrento.* [r] *Salerno* [s] *Porto-longone.* [t] *Fregoſe.* [u] *Lombardie.* [u] *Doria.* [v] *Conſtantinople.*

decreverunt, qui libertatem et commercii immunitatem ſuis ab Solymano impetrarent, et, quando parce adeo Hiſpani et quaſi ad demenſum ipſis annonam quotannis ex Sicilia admetiebantur, etiam frumenti emendi et in reipublicae uſum tranſportandi facultatem foedere icto peterent. Turcica claſſis noſtram inſecuta eam opinionem confirmavit, quaſi ex compacto in Provincia congreſſurae eſſent, ut inde conjunctis viribus in Nicaeenſem agrum impetum facerent: et Briſſaeus ex aula expectabatur cum pecunia, qui terreſtribus copiis, [a] Varo tranſmiſſo, eorum conatus adjuvaret. Sed longe aliter res habebat. Nam is, jam ante ſive ſponte ſive a rege evocatus eum in aulam veniſſet, poſtquam occultas calumnias, quibus apud regem ob avare adminiſtratam provinciam traducebatur, abunde, ut ſibi videbatur, purgavit, rerum ſtatu explicato et belli gerendi hoc maxime tempore neceſſitate demonſtrata, in Italiam remiſſus fuerat: et, quia praecipue a re nummaria laborabat, negotium ei datum fuerat, ut Lugduni a menſariis quavis ratione pecuniam in hujus belli ſumptus undique corraderet. Itaque, longo inibi, dum redit, tempore inutiliter conſumpto, in [b] Subalpinam regionem poſtremo vacuus revertitur; ſatiſque habuit, cum aliud non poſſet, ſi agrum circa [c] Foſſanum et Cunium, quae loca jam quaſi diuturna obſidione urgebat, vaſtaret, et ita in extremas anguſtias ac poſtremo in poteſtatem ſuam redigeret. Diverſa parte, Joannes Figueroa eadem ratione bellum gerebat, vaſtata circa [d] Damiani-fanum, ut praeſidiariis incommodaret, regione, eo negligentior, quod in dies ſucceſſorem expectabat. Nam, poſtquam [e] Albanus ad Philippum profectus ſe ſupremo armorum in Italia imperio abdicavit, [f] Sueſſae dux magni Conſalvi nepos delectus eſt, qui Mediolanenſi principatui praeeſſet: [g] Peraſanus autem Ribera Alcalae dux Cataloniae protex regno Neapolitano praepoſitus eſt, per cujus abſentiam Petrus [h] Manrices res in eo adminiſtrabat. Claſſis Turcica, poſtquam ſe aliquandiu in [i] Provincia refecit, in [α] Gymneſiarum inſularum [j] minorem delata, oppidum, quod [k] Citadellam vocant, aggreditur; admotiſque tormentis et ſaepius vi facta, poſt magnam ſuorum jacturam, nam plus cccc in ea obſidione periiſſe memorantur, tandem loco potitur; nec alia re geſta, fruſtra eam retinere annitentibus noſtris, juxta Savonam, qua ſe Caeſar [l] Magius incluſerat, appulit, ac retro, relicta Italiae ora ſub Sextilis initium, orientem verſus vela dedit. Rex interea paſſim in Gallia delectus haberi juſſerat; ac per [m] Aquitaniam praecipue et in [n] Vaſconia, ubi optimus miles; in Germania etiam longe ſolito majores copias tam pedeſtreis quam equeſtreis conſcribebat, quod iis in limite Germaniae vicino egeret. Omnes convenire juſſi ſub finem Aprilis, quo tempore univerſi exercitus luſtratio fieret.

VIII. CELEBRATAE interim magna pompa Lutetiae VIII Kal. Maias nuptiae Franciſci Delfini et Mariae Stuartae Scotorum reginae, Jacobi V et Mariae Guiſianorum ſororis filiae: quibus interfuere C. [o] Borbonius, C. Lotharingus, Odetus [β] Colinius [p] Caſtellionaeus, Joannes [q] Bertrandius, cardinales, [r] Condaeus et Rupiſurionius Borbonii, Lotharingiae dux, [s] Nemoroſius, Guiſius, Nivernius, Aumalius: ex Scotis proceribus ii quos diximus, [ſ] Glaſcuenſis archiepiſcopus regni primas, [t] Orcadenſis epiſcopus, [γ] [u] Rothuſiae et Caſſiliſſae comites, [v] Flaminius, [x] Setonus, [y] Dunenſis. Convivio, quod regali paratu celebratum eſt, ut magni palatii magiſtri officio, quod Momorantius captivus obtinebat, fungeretur, a facili rege impetravit Guiſius, jam rum

VAR. LECT. [α] Gymneſiam inſulam majorem *P. D. o.* Gymneſiam inſulam minorem *D. ſ. d.* [β] Colignius Caſtilionaeus *P.* Colignius *D. o. ſ.* [γ] Rothuſii *in Edd. omnibus.*

INTERPR. [a] *le Var r.* [b] *Piedmont.* [c] *Foſſano & Coni.* [d] *San Damiano.* [e] *le duc d'Albe.* [f] *Seſſa.* [g] *Don Peraſan de Ribera.* [h] *Manriquez.* [i] *Provence.* [j] *Minorca.* [k] *Cittadella.* [l] *Maggi.* [m] *Guienne.* [n] *Gaſcogne.* [o] *le cardinal de Bourbon.* [p] *de Chaſtillon.* [q] *Bertrand, cardinal de Sens.* [r] *les princes de Condé & de la Roche-ſur-Yon.* [s] *les ducs de Nemours, Guiſe, Nevers & Aumale.* [ſ] *de Glaſcow* [t] *d'Orkney.* [u] *Rothes & Caſſils.* [v] *le lord Fleming.* [x] *le lord Seaton.* [y] *le chevalier Erskine, ſieur de Dun.*

CIƆIƆLVIII. HENRICUS II.

tum ſenſim ad eam dignitatem viam affectans, quam poſtea Momorantiis extorſit. Peractis nuptiis, legati Scotorum in concilium vocantur; et Bertrandius [a] procancellarius cum eis agit, ut coronam ceteraque regni inſignia repraeſentarent, ac reginae maritus Scotorum rex crearetur. Cum nihil ſibi de iis rebus mandatum legati reſpondiſſent, rurſus ille non aliud inpraeſentiarum ab iis ſe petere dixit, quam, quod in ipſorum poſitum erat arbitrio, ut, cum hac de re in publico concilio diſceptaretur, honorem, qui juſte peteretur, ſuffragiis ſuis comprobarent, idque ſe facturos ſyngrapha confirmarent. Ad ea rurſus reſponſum a legatis; id ſibi per legationis intra praeſcriptas metas contractae leges non licere: ſe quidem Gallis tot neceſſitudinibus conjunctis, quae ab amicis honeſte peti poſſent, libenter gratificaturos: orare viciſſim, ut illi in petendo intra eoſdem aequitatis fineis ſe continerent. Ita legati dimiſſi; qui, quantumvis ad ſuos redire feſtinarent, antequam Gallia pedem efferrent, quatuor e primoribus amiſere, Orcadenſem epiſcopum, Caſſiliſſae et [1] Anguſiae comites, et Flaminium familiae ſuae principem, omneis ſumma virtute et in patriam charitate inſigneis: mortui et plerique eorum comites; non ſine ſuſpicione veneni, [* a fratribus Regentis, uti inter Scotos jactabatur, propinati, quod [α] illi ab ipſorum] conſiliis alieni eſſent. Creditus eſt et [b] Jacobus reginae frater eadem potione petitus; qui, etſi ob firmiorem corporis conſtitutionem et juventae robur mortem evaſerat, aſſidua tamen ventriculi infirmitate, quoad vixit, ab eo tempore laboravit. Qui redierunt, in conventum Ordinum ingreſſi, facile obtinuerunt, ut acta ſua probarentur. Introductus deinde noſter legatus; ubi ſatis longa oratione explicavit, regum Franciae veterem ac fidam in omne Scotorum nomen benevolentiam, ab univerſis ac ſingulis vehementer contendit, ut coronam, quam conjugalem vocabat, marito reginae ſuae concederent, quo e nomine nullum emolumentum aut ulla potentia praeter nudam vocis illius uſurpationem eſſet acceſſura. Etſi multi adverſabantur, interventu tamen eorum qui rebus noſtris favebant, tenuit legatus, ut corona Delfino decerneretur: delectique, qui eam ad Delfinum ferrent, [c] Gileſpicus Cambellus [β] Argatheliae comes, et Jacobus reginae frater; qui tamen, dum lentius profectionem adornant, omnia circumſpicientes, ita diem de die protulere, ut interea Maria Angliae regina deceſſerit: cujus morte non ſolum in Anglia, ſed et apud nos quaedam mutatio ſecuta eſt, ut in ſequentibus videbimus. Decreta corona, Franciſcus reginae maritus de patris conſenſu poſtea Rex Delfinus appellatus eſt. Eam adfinitatem ut Scoti plerique damnoſam ſibi jactabant, ita rebus noſtris exitioſam multi ſumma prudentia praediti augurabantur, aucta ex eo Guiſianorum potentia; qui jam tum ex [d] Momorantii aemuli et Gaſparis Colinii maris praefecti captivitate [**] occaſionem captantes nihil non agebant, ut in aula [*** factionibus ſciſſa ſummam auctoritatem] ſibi compararent.

IX. Post Momotantium magiſtrum equitum et Colinium ſuperabat [e] Andelotus, peditatus Gallici praefectus; quae dignitas maximum in militia noſtra momentum habet. Igitur Guiſius, qui cuperet armorum potentiam omnem ac robur ad ſe unum contrahere, quo Andelotum dignitate exueret, cum apud regem quaſi male de religione

P. [* *a Guiſianis, uti jactabatur, propinati, quod illi a Regentis et ipſorum*]

P. [**] *atque adeo ex calamitate publica*

P. [*** *per factiones, gratiam et adulationes, jactis apud populum ſeditionum ſeminibus, auctoritatem*]

VAR. LECT. [α] illi et ipſorum *D. o. f.* [β] Argateliae *in Edd. omnibus.*

INTERPR. [a] *Garde des Sceaux.* [b] *Jacques, prieur de St. André, fils naturel de Jacques v roy d'Ecoſſe.* [c] *Gileſpick*, alias *Archibald Campbel, comte d'Argyle.* [d] *le conneſtable de Montmorency.* [e] *d'Andelot.*

NOT. [1] *Lege* Rothuſiae *C.*

gione ſentientem deſerri curat. Magna Andeloti erat apud regem gratia, et ob benevolentiam, qua rex ejus avunculum proſequebatur, et propter ipſius merita ac recenter egregie navatam in [a] Caleti expugnatione operam. Hanc regis benevolentiam ut convelleret [* cardinalis, temporis commoditate hinc oblata uti decrevit.] Nam ſub id tempus, cum Chriſtierna, ſaevi illius ac truculenti tyranni ac Eliſabethae Caeſaris ſororis filia, Caroli Lotharingiae ducis parens, quae Gallicum nomen peroſa Philippum comitata fuerat, regis permiſſu [b] Peronam veniſſet, ut cum filio colloqueretur, poſt injectam de pace mentionem, Ant. [c] Perrenotus Atrebatum epiſcopus, quem Philippus Chriſtiernae comitem adjunxerat, cum Lotharingo, qui impetrata a rege venia cum Lotharingiae duce illuc quoque venerat, occultos ſermones hujuſmodi habuiſſe memoratur; Supra modum Philippo dolere, eo rem per bella ambitioſa deveniſſe, ut odiis, quae cum damno etiam victoris exerceantur, in dies exacerbatis utriuſque partis vires paulatim atterantur, quas contra Turcum communem nominis noſtri hoſtem ſervare univerſae reipublicae Chriſtianae intersit: ſed fortaſſe Turcum ut longinquiorem, ac proinde minus formidoloſum, negligi: ſubeſſe longe periculoſiorem hoſtem, quem uterque in ſinu atque adeo in viſceribus foveat; peſtiferum nempe pravarum de religione opinionum, quod inter principum diſſidia per animos hominum ſerpat, virus, quo nunc [d] Belgium et jampridem major Galliae pars infeſtetur: ei malo, quam diu bellum inter ipſos ſit futurum, remedium afferri non poſſe: pace opus eſſe, eaque fida et quae nihil inſidiarum habeat: alioqui fore, ut, ſi ulterius odiis indulgeant, plus damni ſibi uterque intus accerſat, quam gloriae extra parare poſſit: id Henricum ſcire debere: nec mediocrem apud omnes bonos gratiam initurum, qui optimo regi id perſuaſerit: quo, pace conſtituta et arcta inter duos potentiſſimos principes firmata amicitia, in id conjunctis viribus ac ſtudiis incumbatur, [** ut etiam religionis cauſa conſtituatur;] quod, paſſim graſſante Sectariorum veneno, eſſe non poſſit. Hoc ſermone cum Lotharingum commotum ſenſiſſet Perrenotus, homo vafer, qui alioqui noſſet ambitioſum illius ingenium, ut ei magis ſalivam moveret, ſubdidit; non fugere Philippum, quantos ea res motus ac ſuſpiciones excitatura ſit, niſi ſumma fide ac prudentia inchoëtur: nam initia fere dare formam negotiis: itaque diu haeſiſſe, antequam cuiquam Gallorum ſuam ea de re mentem aperiret: ſed ambigenti tandem fortunam conſilium dediſſe, quae ipſum ac fratrem Guiſium Gallorum cladibus ſupereſſe voluerit, ut eſſent qui negotium hoc ſuſciperent, regi ſalutare, quippe quod ad Dei gloriam pertineat; regno utile, quod inter religionis diſſidia nunquam pacatum futurum ſit; ipſis glorioſum, ac denique populis acceptabile, quorum gratiam demereri illuſtriſſimae familiae ad inopinatos caſus ſummopere interſit. His dictis, cum aſtum procedere et tacito gaudio impotentis hominis pectus pertentari videret Perrenotus, rurſus addit; Quae conſilium fortuna Philippo dedit, illuſtriſſime cardinalis, eadem vobis pulcherrimam rei bene gerendae occaſionem offert, ſublato Momorantio magiſtro equitum, et Colinio maris praefecto, praecipuo ipſius adminiſtro. Nam minime occultae ſunt aemulationes ac ſimultates, quas illi cum illuſtriſſima familia veſtra exercent: et palam eſt, in florentiſſimo Galliae regno Colinios ſectariorum fautores eſſe, quos Momorantius, etſi ab ea cauſa fortaſſe alienus, tam paterno amore diligit, ut eorum fortunas, opes, dignitatem vel ſuo periculo tueri paratus ſit. Andelotus vero, qui nuper e manibus noſtris elapſus eſt, quam impie et indigne de religione ſentiat et loquatur inter milites, quorum pleroſque exemplo ſuo corrumpit, ad nos quotidianis rumoribus perfertur.

Quibus

P. [* *Guiſius, religionis praetextum mutuatus eſt, fratris cardinalis ea in re conſilio uſus*.]

P. [** *ut pax in domo Dei conſtituatur*;]

INTERPR. [a] *Calais.* [b] *Peronne.* [c] *Perrenot de Granvelle, evêque d'Arras.* [d] *Pays-bas.*

CIƆIƆLVIII. HENRICUS II. Quibus etſi laetari in ſpeciem deberemus, quippe inimicorum malis inimicos exſultare ſolemne eſt, tamen, quia in hac cauſa Galliae periculum ad Belgium pertinet, quod jam alioqui propter Germaniae viciniam hoc morbo laborare coepit, nos etiam malis veſtris ingemere par eſt, eiſque, quando hoc quoque nobis prodeſt, apto ac praeſenti remedio ſuccurrere. Non aliud autem inpraeſentiarum aptius remedium occurrit, quam ſi inter potentiſſimos principes et aeque religioni bene proſpectum cupientes concordia ſarciatur: de qua non deſperat Philippus, vobis praecipue conſultoribus et adjutoribus, quorum amicitiam depoſcit, ultro ſuam per me deſerens, fide in id data, quam ille conſtanter vobis ac familiae illuſtriſſimae porro ſervaturus eſt. Et quoniam negotium hoc ſilentio tegi debet, dabo operam, quando hae partes mihi ab optimo rege meo demandatae ſunt, ut, communicatis per perſonas interpoſitas conſiliis, citra ſuſpicionem et veſtrae exiſtimationis diſpendium res deinceps tranſigantur. Tam honorificas et fratrum ac totius familiae jam tum [* in Gallia praepotentis] rebus fructuoſas conditiones obviis ulnis accepit Lotharingus, gratiis etiam Perrenoto actis, quem medium et arbitrum negotio tam magni momenti tractando delegerat Philippus; operamque ſuam ac fidam fratrum in poſterum induſtriam pollicetur. Haec amicitiae et conſiliorum a Lotharingis cum Hiſpano initorum principia memorantur; quae pro ratione temporum ſaepius mutata, ſed ſemper [a] renovata ſunt [**]. Ita Perona utrinque diſceſſum eſt: tuncque tantum vulgo jactatum, de pace a Chriſtierna injectum ſermonem, ſed nihil actum eſſe. Cum rediret Cardinalis, rumorem ſpargi de induſtria curavit, ut conſiliorum ſuſpicionem omnem tolleret, hoſtes contra fidem datam ſe inſecutos, vixque eorum manus evaſiſſe: ſparſoque rumori fidem aſtruxit, quod [a] Quintini-fano et Hana milites egreſſi ſub idem tempus [b] Nigellam cepere, et, caeſis praeſidiariis, oppidum diripuere. Cardinalis, ubi in aulam venit, habitos cum Chriſtierna ac Perrenoto ſermones artificioſe ad regem deſert: metuere nimirum Philippum, ne inter arma Sectariorum contages utriuſque provincias incurabili ſerpigine depaſcatur. Nam, id jam videre omnes, ultroque ſibi exprobratum, dicit, pleroſque ex proceribus in Gallia illo veneno, quod ipſi inter alios ſpargant, infectos, ac nominatum a Perrenoto Andelotum, qui palam indigna de ſolemni ſacrificio blateret: ea re fieri, ut Philippus, quamvis arridentis fortunae blanditiis ad ſucceſſus urgendos et aetatis calore incitetur, tamen de religione ſolicitus pacis conſilia malit, quam aequis pro tempore conditionibus fieri cupiat. Is ſermo regis animum perculit, mentione inde pacis, qua res ſuas egere ſentiebat, injecta, inde metu Sectariorum jam paſſim graſſantium, quos odio capitali mitiſſimus alioqui princeps, ei a ſuis innutritus, proſequebatur, propoſito. Itaque, quod de Andeloto dictum fuerat, de quo jam [***] aliquid inaudiverat, minime negligendum ratus, cum per [c] Caſtellionaeum cardinalem fratrem ac Momorantium ſobrinum evocari jubet; praecipitque, ut illum ante ipſi moneant, ut ad interrogata modeſte reſpondeat: nam ſe ejus cauſae favere, ac cupere inprimis ut a crimine objecto innocens comperiatur.

X.

P. [* *ad res magnas aſpirantis*]
P. [**] *ſicuti plenius ex iis, quae poſtea a nobis tradentur, perſpici poterit.*
P. [***] *per Guiſianorum emiſſarios*

VAR. LECT [a] renovata ſunt; donec Guiſius, is qui Bloeſis interfectus eſt, clandeſtinum foedus, inſcio Henrico ac Philippo, cum Joanne Auſtriaco primum, dein poſt Auſtriaci mortem cum Philippo ipſo iniit; cujus fiducia arma, hactenus in ſectarios diſtricta, poſtremo in regem vertit: ac, mortuo eo, Lotharingi omnes, jam conjuratione detecta, regem regnumque ac legitimos regni heredes externis armis oppugnaverunt: ſicuti ex iis, quae poſtea a me, ſi Deus vitam dederit, et per negotia liceat; aut ab aliis, qui ſequentium annorum hiſtoriam ſcriptis mandabunt, perſpici poterit. Ita Perona *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *St. Quintin & Han.* [b] *Neſle.* [c] *de Chaſtillon.*

X. IGITUR Andelotus evocatur, et, prius, uti praeceptum erat, monitus, [a] Moncelli, quod eſt regiuae caſtellum in [b] Meldis, coram rege, dum menſae aſſideret, ſiſtitur. Ibi rex multa de ſua erga ipſum benevolentia, multa et de ipſius viciſſim meritis praeſatus, aegre intellexiſſe dicit, quod ex compluribus locis ad ſe deſeratur, eum male de religione ſentire; ac proinde, quid de ſacrificio, quod Calviniani tantopere exagitent et abhorreant, credat, jubere illum reſpondere. Tum Andelotus ſumma fiducia, ut erat vir elato animo, cum juxta Calvini doctrinam minime ſecundum regis votum reſponderet, et rex amice, ut ſe reſpiceret, ac periculo praeverteret, hortaretur, ille majore quam antea fiducia poſtremo reſpondit; Sibi perjucundum eſſe, quod rex, quem munificentiſſimum erga ſe ac omnem familiam ſuam expertus ſit, et cui ſe viciſſim in omnibus rebus hactenus obſequentiſſimum praebuerit, fidem ſuam et induſtriam adprobet: ceterum in cauſa religionis fucum Deo ſacere non poſſe: corpus, opes, dignitatem in regis poteſtate eſſe, de quibus ad arbitrium ſuum ſtatuere poſſit: animam ſoli Deo, qui dedit illam, ſubjacere; cui proinde in hac cauſa, ut potiori domino, parere neceſſe habeat. Hoc reſponſo ut audacter nimis reddito rex adeo excanduit, ut prae ira lance arrepta, quam in terram dejicere volebat, imprudenter Delfinum filium, qui [α] infra eum ſedebat, graviter percuſſerit; menſiſque mox remotis, Andelotum a Joanne [c] Baboo Bordeſerio ſecretioris cubiculi magiſtro duci jubet in Meldorum civitatem, ubi in epiſcopi aedibus aliquantiſper ſub cuſtodia fuit, donec regis juſſu [d] Melodunum tranſlatus ibique in arcem incluſus eſt. Amoto Andeloto, non diu quaerendum fuit, cui peditatus Gallici praefectura deſerretur: nam ſtatim B. Monlucius occurrit, qui, et propter merita, ac praecipue quod in Lotharingiae ducis aula puer educatus et ei familiae proinde addictus eſſet, ea provincia dignus habitus eſt: quam tamen initio recuſavit, ut ipſe in commentariis ſcripſit, quod rem non carituram invidia judicaret, et provideret vir ſagax, futurum, ut ob id in Momorantianorum, quos ſibi tum amicos aut ſaltem placatos habere tutum exiſtimabat, odium incurreret.

XI. HOC caſu inflatus cardinalis, ne ullam exagitandorum aemulorum vel minimam occaſionem elabi ſineret, ultro advocationem defert Franciſcae [e] Amboſiae [β] [f] Senigani comitis viduae, quae, tanquam fugae [g] Araſcotii conſcia, ignominioſe poſtulata [γ] fuerat. Eam quaeſtionem cum haberet Joannes [h] Munerius [1] praetor Pariſienſis, litem ſuam fecerat, ſicuti ex teſtium ab ipſo ſubornatorum confeſſionibus conſtabat: ſed Momorantii vel abſentis auctoritatem illa verita, in eo negotio tepidius agebat: tum vero inſtigante cardinali, cum Munerium repetundarum detuliſſet, tandem ille damnatus, et omnia citra mortem ei irrogata. Mortis gratiam miſero fecere judices, ſcribae, qui judicum ſententias excipiebat, quique ipſius Munerii aliquando amanuenſis fuerat, lachrimis exorati. Is enim cum more ſolito ſententias recitare juberetur, cum prae ſingultibus vocem mittere non poſſet, quidam e judicibus breviculum, in quo ille ſcribebat, rapuit; cumque lachrimis ubertim profuſis recentem ſcripturam inductam animadvertiſſet, collegis oſtendit: qui, cauſam a ſcriba percontati, ea cognita ad miſericordiam verſi, quamvis initio concordes de morte ſententiae eſſent, mortis poenam remiſere. Munerius, per urbem traductus et infamia notatus, poſtremo in inſulam [i] Retenſem deportatur, non ſine tacita Momorantii injuria ac contumelia, in cujus gratiam ille, alioqui exactus civilis diſciplinae cenſor ac judex, tam inconſiderate peccaſſe credebatur. His de rebus certior a

ſuis

VAR. LECT. [α] ex adverſo ſedebat P. [β] Senigami P. D. o. f. d. [γ] fuerat, ſicuti ſupra diximus P.

INTERPR. [a] *Monceaux.* [b] *Meaux.* [c] *de Babou, ſieur de la Bourdaiſiere, maiſtre de la garderobbe.* [d] *Melun.* [e] *d'Amboiſe.* [f] *Senigan.* [g] *Philippe de Croy, duc d'Arſcot.* [h] *Munier, lieutenant civil.* [i] *Iſle de Ré.*

NOT. [1] propraetor *Pet.*

CIƆIƆLVIII. HENRICUS II.

ſuis factus Momorantius, cum ſpem hoſti feciſſet ſe regem ad pacis conſilia inflexurum, fide data, [a] Bellovacum venit; ibique cum rege collocutus, cum in gratiam priſtinam rediiſſet, jam ſecurior ad hoſtem, uti promiſerat, revertitur. Ex ejus diſceſſu occaſionem captans Guiſius, ut regis animum periclitaretur, in familiare colloquium ab eo admiſſus, non dubitare ſe dicit, quin Momorantius ei dignitatem, fortunas ac liberos commendaverit; et mereri quidem ejus virtutem atque eximia erga Franciam merita, ut ejus poſtulatorum rex rationem habeat, ipſique omneis dignitates conſervet: ceterum, quandocunque contingat eum decedere, citra injuriam non alii, quam ſibi, magiſtri palatii dignitatem, quam jam in Delfini nuptiis uſurpaverit, poſſe concedi. Ad haec rex, nihil Momorantium de his rebus ſecum egiſſe, reſpondit; verum ea ipſius eſſe merita, ut nihil eorum, quae ille vel ſibi vel ſuis petat, honeſte recuſare poſſit. Hoc reſponſo deluſus Guiſius ſe continuit; et eo magis, quod [b] Valentinam, cujus filiam [c] Aumalius frater uxorem duxerat, eorum potentia offendi videret, et de inſolenti cardinalis fratris ſuperbia apud regem conqueſtam eſſe certo reſciviſſet; ob idque neptem ſuam, alterius filiae [d] Bullionii ducis quondam uxoris filiam, Henrico alteri ex Momorantii filiis conjugem deſtinaſſe.

XII. Interea, cum de Germanorum adventu rex cognoviſſet, de [α] [e] Theodonis-villa oppugnanda deliberatum eſt. Eo conſilio [f] Bordillonius jam ſub Maii initium [g] Metim miſſus fuerat; ſpecie, ut Germanorum aliquot principum legatos exciperet; re vera, ut locum denuo luſtraret, et res ad eam obſidionem neceſſarias pararet. Eo venerat dux Luneburgicus, [h] Grombachius, Wolfangus [i] Scheneveſius, [j] [1] Bandopratus, et Henricus [k] Stupius equitum duces, [l] Riſebergus item alterius ex Heſſi filiis legatus cum IV vexillis; qui omnes circiter V CIƆ equitum efficiebant: [β] [m] Rockhendorfii praeterea, Recrodi, [n] Luſſeburgi, Riſebergi filii, Riſebergi ipſius, et [2] Valdenburgi legiones; in quibus circiter XIV CIƆ peditum erant. Cum his copiis, quibus acceſſerat [o] Vetus-villa Metis praefectus cum ala equitum et veteranis praeſidiariis [p] Viroduni, [q] Tulli et Danvillarii, Bordillonius Theodonis-villam obſidione cingit. Oppidum illud, in Luccemburgenſi agro ſitum, quinquangulari ac fere marſupii forma, loco plano, in quem ex editiore clivo deſpectus non eſt, undique paludoſo et irriguo ac proinde ferme inacceſſo, ab occidente ſeptentrionem verſus Moſellam habet, quae et in foſſam urbis profundiſſimam influit, et ab ea parte munitiones duas longo ſpatio diſtanteis, neque ita prominenteis, ut in latus aggreſſores ferire valeant; de cetero amplis ac projectis turribus et pomoerio intus ſpatioſo firmatum. Locum tenebat [γ] [r] Quaderebbius Brabantinus cum CIƆ IƆ CCC peditibus ac CC equitibus. Eo [s] Nivernius domo XV Kalend. Jun. profectus iter habuit; et, cum [t] Pontem-muſſitanum veniſſet, [u] Stenaei collectis copiis, Metim cum Guiſio tendit. Loco luſtrato Kal. Junii, Guiſius digreſſus poſtridie ita copias diviſit, ut ipſe quaſi aciem regeret, delecto citra fluvium juxta [v] Florengium hoſpitio; Nivernius primum agmen ducens, tranſmiſſo amne, ad [w] Grangaeum caſtellum caſtra poneret; [x] Nemoroſius vero ulterius in via, quae Luccemburgum ducit, cum levi armatura conſideret infra [y] Eſtranum montem; et ſupra Nemoroſium [z] Jametius cum aliquot cataphractorum et Germanorum equitum alis juxta viam qua Metim itur. Initio noſtri propinquantes vallum citra fluvium e longinquo duxerant admodum latum

ac

VAR. LECT. [α] Thionvilla, quam alii Diyodurum fuiſſe dicunt, poſtea Theodonis-villam vocatam, oppugnanda *MS. Reg.* [β] Rochendolfii *P. D. o. f.* [γ] Caderobus *P. D. o. ubique.*

INTERPR. [a] *Beauvais.* [b] *la ducheſſe de Valentinois.* [c] *le duc d'Aumale.* [d] *Bouillon.* [e] *Thionville.* [f] *de Bourdillon* [g] *Mets.* [h] *Grombach.* [i] *Schenefes.* [j] *Baudopré.* [k] *Stup.* [l] *Reiffenberg.* [m] *Rockendoif.* [n] *Luffeburg.* Les Allemans le nomment *Oſburg.* [o] *François de Scepeaux, ſieur de Vieille-ville, gouverneur de Mets.* [p] *Verdun* [q] *Toul & Dawilliers.* [r] *le ſieur Quarebbe, gentilhomme de Louvain* [s] *le duc de Nevers.* [t] *Pont à Mouſſon.* [u] *Stenay.* [v] *Florenget.* [w] *la Grange aux poiſſons.* [x] *le duc de Nemours.* [y] *Mont d'Eſtrata* [z] *le ſieur de Jamets.*

NOT. [1] Baudopratus *Put.* [2] Pro *Valdenburgi* lege *Falkenburgi* Put.

ac profundum cum aggere alto ac porrecto, ut doliorum ac tormentorum capax eſſet, et hoſtilium machinarum contraria verberatione in noſtros fulminantium ictus arceret. Aggeri impoſitae III colubrinae et V murales machinae, quae in oppoſitum propugnaculum ictus ejaculabantur, ſi qua arte poſſent IV tormentorum turri intra urbem impoſitorum, quae magnam ſtragem in caſtris noſtris faciebant, rotas conſtringere. Ex alia parte, ducto ad aggerem jam erectum utrinque vallo, impoſita ac directa VI tormenta, quorum decuſſata verberatione munitiones, quae hinc inde propugnaculum tegebant, dejicerentur: quo facto, et alia foſſa ducta propius Moſellam, ubi [α] V diſpoſitae ſunt machinae, quae interjectum murum pulſarent, magno labore et induſtria ac denique periculo Eſtraci et procerum, qui operi manus admovebant. Tandem quinto die poſt coepta verberatio, diſpoſitis XXXV majoribus tormentis, non ſine magno obſeſſorum terrore, qui opinione citius cincti intus defenſorum penuria laborabant. Eam ob cauſam Philippus Momorantius [a] Hornanus noctu venerat, ut III veteranorum Hiſpanorum ſigna in oppidum introduceret: ſed a ſtatione repulſus, amiſſis aliquot e ſuis, retro cedere coactus eſt. Idem biduo poſt a Belgicis et Namurcenſibus IV vexillis tentatum, quibus adjuncti fuerant L equites: verum et ii, re infecta, abiere. Dejectis hinc inde obliqua pulſatione munitionibus, VI Eid. Junias recta verberatio inſtituitur; tribuſque diebus ea continuata, propugnaculum rotundum magnam partem apertum ac dirutum eſt, et in muro oppoſito XL amplius paſſuum ruina edita: verum a tergo adhuc ſolidum et altum pomoerium exſtabat; et, antequam ad ruinam iretur, Moſella ſuperanda erat, quae licet vado tranſiri poſſe eo loco affirmaretur, tamen, ea tranſmiſſa, rurſus ad aſcenſum aliae difficultates occurrebant. Id, quo minus ſtatim impetus fieret, impedimento fuit. Igitur Guiſius, qui militem certo periculo exponi nollet, locum explorari jubet; idque negotii dat B. Monlucio, qui cum [b] Sarlaboſſio, [c] Millaſio, [d] Sipetra, [e] Sanſtephano, ac Monlucio filio illuc profectus eſt. Loco conſpecto et fariſſa per milites fundo percontato, Monlucius ad Guiſium refert, aquam in ima turre ea altitudine eſſe, ut militis tranſituri pectus non excedat; ſed, antequam ad eam perveniatur, murum ligneum ex palis ab hoſtibus interiori turri circundatum eſſe, qui aquam retineat. Cum negaret Guiſius murum ſubeſſe, ſubiratus Monlucius ſuis fidem non haberi, denuo locum explorandum ſuſcipit; et nocte inſequenti, aſſumptis CCCC fariſſophoris cataphractis, quos C ab urbe paſſibus humi ſtratos conſiſtere jubet, cum totidem ſclopperariis, ad turrem vadit; atque, ubi ad murum ligneum venit, ſtationem XXV militum, quam hoſtes eo loci ſtatuerant, aggreſſus, partem trucidat; parte in fugam conjecta: dum fugientes inſequitur, in munitionem vicinam cum iis ingreditur: ſed poſtremo anguſtiis portae, qua urbs adibatur, exeluſus, ſubſtitit, capto interea mediocri tormento. Inde per ruinam proximam evadentibus noſtris, aliquandiu pugnatum: et, ſi ſecum ſcalas tuliſſent, jam tum impetus in urbem fieri potuiſſet. Quod unum fieri poterat, dolabris murus ligneus dejectus fuit: quo dejecto et dilapſa mox aqua, noſtri pede ſicco in caſtra rediere, non ſine damno, deſideratis in temerario illo conflictu Sanſtephano et Sipetrae ſignifero ac quibuſdam aliis. Eo caſu non tam turbatus eſt Guiſius, quanquam praeter voluntatem ſuam accidiſſet, quam verebatur, ne ad regem perferretur impetu facto noſtros repulſos eſſe. Mox ex concilii ſententia tranſmiſſo fluvio, coepta foſſa a B. Monlucio ad eam turrem quae Nivernii hoſpitium reſpiciebat, quae poſt triduum ad pedem uſque majoris turris, quae [f] Pulicum vulgo appellabatur, perducta eſt. Dum operas urget Monlucius, obſeſſi occaſionem nacti ea parte, quae Moſella alluitur, eruptionem faciunt cum CCC peditibus et LX equitibus, Joanne [g] Quadrebbio ductore; et in vallum ingreſſi obvios proturbant. Ad foſſae

latera

VAR. LECT. [α] X P.

INTERPR. [a] *le comte de Horne.* [b] *Sarlabouz.* [c] *Millas.* [d] *de Cipierre.* [e] *St Eſtephe.* [f] *Tour des Putes.* [g] *Quarebbe.*

latera hinc inde ſinus duxerat Monlucius, ex quibus ab utraque parte in rectum aggerem obliquus deſpectus erat. Igitur ſtationarii, qui in iis erant, cum ſtatim, [a] Lago ductore, ex improviſo in hoſtem jam victoria exſultantem obliqua impreſſione incurrerent, circumfuſi primo vim ſuſtinuere, dein, cum ſimularent ſe cum Luneburgico colloqui velle, nec moram noſtri ferrent, poſtremo intra urbem cum damno compulſi ſunt. Jamque Angli a Guiſio adducti cuneos ſub turri agebant: quo animadverſo, hoſtes introrſum humilia propugnacula feſtinatis operibus excitabant, ut inde per foramina, ubi murus apertus eſſet, infeſta diſploſione noſtros peterent. Ei incommodo ut praeverteret Guiſius, antequam murus aperiretur, tormentum advehendum curaverat, cujus diſploſi vi et murus aperiretur, et hoſtium apparatus dejiceretur: eodemque tempore foſſorum opera callem faſcibus ſterni juſſerat, quo ad ſummam turrem aſcenſus erat. Antequam impetus hac parte fieret, Guiſius IV colubrinas ad dejiciendas oppoſitas munitiones admovere decreverat; deque iis idoneo loco dirigendis poſtridie conſultaturus Strozzium invitum apud ſe retinuerat. Mane, dum ambo locum luſtrant, Strozzius ex propugnaculo ſatis longinquo ſcloppeti majoris ictu infra laevam mamillam petitus, dum Guiſius alteri ejus humero inniteretur, ac juxta ipſum Hadrianus [b] Balconus et Theophilus [c] Calcagninus comes amiciſſimi ſtarent, concidit, cum haec tantum noviſſima verba protuliſſet, regem in morte ſua optimum ac fideliſſimum miniſtrum amittere; vir ingentibus ſpiritibus, animi praeſentia, fortitudine, ſolertia et rei militaris peritia cum maximis hujus aevi ducibus comparandus, multis praeferendus. Ejus mors Guiſii juſſu celata, ne militis mox impetum facturi alacritas hoc caſu minueretur. Admoto ad foramen tormento, Guiſius tabulas pedis craſſitudine rotis impoſitas ante ſtatuerat, quae, ſtatim poſt diſploſionem fune adductae, tormenta ac tormentarios a ſcloppetorum grandine tutos praeſtarent: inſuper pluteis ad id paratis tecti milites circiter CCCC inter turrem et munitionem juxta turrem erectam diſpoſiti erant, qui deſuper jaculanteis contraria ejaculatione infeſtarent. Magna utrinque ſtrages edebatur; et hoſtis a noſtris infra poſitis et a colubrinis [α] IV, quibus praeerat [β] Fr. [d] Raſinus Poto [1] Santralius Aginnatum praefectus, multum damni accipiebat: viciſſim noſtri ſaxis, ſcloppetis, ignibus artifici●ſis & aliis ejuſmodi telis undique petebantur, ita ut erigendis doliis vimineis, quae ante tormenta ſtatui conſuevere, locus non eſſet. Dum in eo eſſet Monlucius, fruſtra a [e] Nivernio, qui aderat, et Bordillonio monitus, ut ſe manifeſto periculo ſubtraheret, ille, qui, ſi recederet, ſuos omneis procul dubio receſſuros videret, ut in extremis poſitus, extremum conſilium capit; et [f] Volmario ordinum ductori imperat, ut cum VI ſcloppetariis ac II bariſſophoris in humilia illa propugnacula ab hoſtibus, dum murus aperitur, retro exſtructa expedito ſaltu inſiliret, et inde hoſtem dejiceret: eodem tempore alteri ex ductoribus imperat, ut per callem illum, quem diximus, in ſummam turrim cum aliquot e ſuis eniteretur: verum ille cum altero, ubi vertice ſupra turrim exſtare coepit, ex munitione adverſa petitus inter Nivernii ac Bordillonii genua mortuus concidit. Nec propterea animum deſpondit Monlucius: ſed Volmarium, alterius ductoris aemulatione incitatum, quem jam turris faſtigium occupaſſe dicebat, urget; qui mox cum ſuis in locum juſſum inſilit, intectum adhuc, ſed tabulis deſuper poſitis ſtratum, quem ſtatim hoſtes deſeruere. Eum dein Monlucius Blaſii filius, [g] Coſſenius, [h] Mola, [i] Caſtro-ſacratus et [k] Oſellius, Vaſcones, ſecuti ſunt, Monlucio patre ipſos a patriae commendatione ad rem ſtrenue gerendam hortante. Hic acriter a noſtris pugnatum, dum hoſtis amiſſum locum recipere tentat: ſed, eorum duce occiſo et ſupervenientibus [l] Anglurio et Valin-villa cum XXX delectis,

VAR. LECT. [α] illis IV, uti dixi, diſpoſitis, quibus *P.D.o.f.* [β] Fr. Raſinus *deſunt P.D.o*
INTERPR. [a] *le capitaine Lago.* [b] *Boglione.* [c] *Calcagnini.* [d] *Raſin,* dit *Poton, ſeneſchal d'Agenois.* [e] *le duc de Nevers.* [f] Montluc le nomme *Volumat.* [g] *de Coſſeins:* Montluc le nomme *Coſſeil.* [h] *la Mole:* Montluc le nomme *la Motte.* [i] *Caſtel-ſagrat.* [k] *les Auſſillons.* [l] *d'Anglure & de Valleville.*
NOT. [1] Dele *Santralius* Put.

delectis, juſſo item Luneburgico quoſdam e ſuis ſummittere, qui ipſe cum ſuis mox advolavit, tandem noſtri loco potiti ſunt. Reſcitum eſt inter Hiſpanos ac Belgas contentionem exarſiſſe, quod utrique propugnacula humilia defendere vellent; cui contentioni ut finem imponeret [a] Quaderebbius, cum ſuae cohortis militibus tuendum commiſiſſe: quamobrem ab Hiſpanis apud Philippum accuſatus diu poſtea in cuſtodia fuit; quippe qui militum ignaviam et ducum culpam ſeveriſſime caſtigare ex gentis diſciplina conſueverint. Ea contentione effectum, ut ſegnius utrique rem geſſerint. Mox eo accurrit Guiſius, qui propugnacula ſtatim demoliri imperat, Germanis ipſis, qui foſſorum pigritiam non ferrent, operi manum ultro admoventibus: quibus demolitis, jam latius in turre verſari et vireis explicare coeperunt. Tum conſilium initum de cuneis ad munitionem a tergo poſitam agendis. Id nocte ſequenti ſumma diligentia actum, Nivernio ac Bordillonio opus urgentibus: ac poſtridie, cum nulla amplius ſpes eſſet, obſeſſi per tubicinem colloquium poſcunt. Fide data, Quaderebbius ipſe egreditur, dátis obſidibus [b] Altocurio Ivodii et [c] Cadio Mommedii praefectis, dum de conditionibus agitur. Ita ſcriptum reliquit Rabutinus: quod ſi verum eſt, contra receptum militiae peritis morem id factum, qui loci obſeſſi praefectum ad colloquium exire non patitur. Monlucius certe IV utrinque obſides datos memorat, neque Quaderebbium ad colloquium exiiſſe ſcribit. In has vero conditiones tranſactum: ut oppidum citra fraudem integrum, uti nunc ſit, Guiſio tradatur, relictis in eo tormentis, pulvere, globis ac reliquo omni apparatu, item armis ac vexillis: liceret equiti cum armis et equis, pediti cum enſe, pugione ac ſupellectile ſua ſine injuriae metu, eccleſiaſticis autem, nobilibus ac plebi cum auro, argento ac omni ſupellectile exire: a virginibus et omni foemineo ſexu injuria prohiberetur: carri, navigia ac neceſſaria cuncta ad aegrotos et ſanos in tutum deducendos commodarentur. Haec acta x Kal. Quintil. eodemque die circiter IↃCIↃ oppidanorum urbe emiſſa: ac poſtridie CIↃIↃ praeſidiarii, majorem partem in capite vulnerati; quod acciderat, noſtris ad turris pedem pluteis tectis et in altum in hoſteis deſpicienteis jaculantibus. Amiſſi in ea expeditione ex noſtris fere CCCC: plures ſauciati, qui [d] Metim deducti ſunt, ut in valetudinario a Gaſpare Colinio olim in ea civitate, majore humanitate an providentia incertum, inſtituto alerentur ac curarentur. [e] Nivernius ſtatim intra oppidum acceptus, ut videret, ne quid contra conditiones militum inſolentia peccaretur. Ejus cuſtodiae praeficitur Franciſcus [f] Vetus-villa cum VIII peditum ſignis. [g] Theodonis-villa capta, Guiſius ſtatim ad [h] Trevirenſem archiepiſcopum ſeptemvirum literas dat; et, quia oppidum haud longe ab ejus ditionis finibus abeſt, de regis egregia erga Imperium et Imperii principes voluntate certiorem eum facit; fidemque obligat, nullum ejus ditioni ac poſſeſſionibus a regiis praeſidiariis damnum datum iri.

XIII. Inde [i] Arlonium petitur caſtellum, quod [a] x a [k] Divoduro milliaribus abeſt, et CL Germanorum et CCCC Belgarum praeſidio tenebatur. Juſſi, qui intus erant, deditionem facere recuſarunt, quaſi de auxiliis certi. Cum ſub veſperam Monlucius locum cinxiſſet, nocte militem quendam [l] Belgam in foſſam demittit; qui per gradus in terra factos ad munitionem, quae ab hoſte feſtinatis operibus exſtruebatur, aſcendit. Poſtquam locum luſtravit, a nemine viſus aut exauditus, ad Monlucium redit; et nullas ea parte excubias fieri renunciat, ceterum eum locum adeo aſcenſu facilem, ut, qui eum improviſi occupent, facile municipio potiri poſſint. Itaque remiſſus miles cum IV ſcloppetariis et II ordinum ductoribus; atque in iis [m] Goaſio: is ubi munitioni

VAR. LECT. [a] VI P.D.O.

INTERPR. [a] *Quarebbe.* [b] *Haultcour, gouverneur d'Ivoy.* [c] *le capitaine Cadion, gouverneur de Montmedy.* [d] *Mets.* [e] *le duc de Nevers.* [f] *de Vieilleville.* [g] *Thiouville.* [h] *de Treves.* [i] *Arlon.* [k] *Mets.* [l] *Flamand.* [m] *Goat.*

tioni propinquavit nocte admodum obſcura, a ſpeculatore quis eſſet lingua Germanica interrogatus, cadem lingua ſe amicum eſſe reſpondit, et charitate patriae incitatum veniſſe, ut eos periculi admoneret; nam poſtridie Guiſium cum univerſo machinarum apparatu muros pulſaturum: cum vero Germanis parcere decreviſſe, ac jam de ea re illos per exploratorem certiores feciſſe, omnem belli molem ac militis furorem in ipſos recaſurum; quapropter ſibi mature conſulerent. Dum his ſermonibus ſtationarios deludit, interim ſubſequebantur longo ordine noſtri, et ipſe Monlucius in foſſam deſcenderat. Vinum poſcebat miles, quaſi aeſtu diei fatigatus, cum noſtri inſiliunt, et, dejectis loco praeſidiariis, in domos uſque fugienteis perſequuntur: ſtatimque miles ille ad locum, in quem ſe Germani incluſerant, accurrit, qui, ejus precibus ac promiſſis confirmati, portam noſtris aperiunt ac deditionem faciunt. Suſtinuere vim noſtri, eoque apparuit veteranum [α] militem militari diſciplinae inſueviſſe, quando, eo intus admiſſo, res citra ſanguinem geſta eſt. Sed caſu accidit, ut pulvis tormentarius ignem conceperit, quo cum III domus conflagraſſent, vento, qui tum vehemens erat, incendium glomerante, totum fere municipium, lino plenum, quod abundanter his locis ſuccreſcit, abſumptum eſt. Id accidit V Non. Quintil. Incendio tandem reſtincto, munitiones ac propugnacula deſtructa ſunt, & municipium undique apertum. Rurſus de Lucemburgo oppugnando actum, quo ſe P. [a] Erneſtus Manſfeldius provinciae praeſes cum [b] Hoiae comite ac firmo Hiſpanorum et Germanorum praeſidio incluſerat; eoque Nivernius cum III CIƆ Germanorum equitum atque aliquot Gallorum alis profectus levibus certaminibus tempus contrivit. Miſſus etiam [c] Altacurius cum V ſignis et CC equitibus ſcloppetariis, carabinos vulgo vocant, cum [d] Pria et ala [e] Villarii comitis, cujus ipſe legatus erat, ut [f] Roſſinolium, [g] Villemontium, [h] Chinium, munimenta nuper ab hoſte recepta prope Herbemontium, occuparet. Et Roſſinolium quidem ac Villemontium incenſa ac ſolo aequata ſunt: Chinium ſervatum, quod ad [i] Ivodii et Herbemontii ſecuritatem pertineret eum locum muniri. Subſecuta mox inter noſtros ac Germanos in otio ſemper tumultuanteis ſeditio; qua fere ad arma ventum eſſet, ni Nivernius ſe interpoſuiſſet.

XIV. His levibus expeditionibus ac moleſtis negotiis tempus inutiliter poſt captam [k] Theodonis-villam conſumptum eſt: quibus et acceſſit incendii infortunium, quod caſu neſcio quo tentoria, equos atque omnem Guiſii ſupellectilem, Bordillonii item impedimentorum partem abſumpſit; elapſis interim, dum exercitus ad Arlonium et [l] Viretonum ſederet, ad hunc diem XVII diebus, tempore idoneo, quo ſe Guiſius cum P. [m] Thermo conjungere potuiſſet, et cladem illam noviſſimam, qua res noſtrae antea afflictae omnino proſtratae ſunt, diligentia ſua antevertere. Nam in regis concilio decretum fuerat, ut eodem tempore Thermus, qui [n] Caleto ob id praefectus fuerat, in [o] Pleumoſios impreſſionem faceret, intentato provinciae terrore; eo etiam Guiſius ex compacto cum auxiliaribus Germanis, quos in [p] Mediomatricibus ac Leucis collecturus erat, veniret; nec non Aumalium fratrem, qui ad [β] [q] Faram Veromanduorum copias cogebat, praeſtolaretur. Hoc ſi factum fuiſſet, res Philippi undique circumventi adeo in arctum redigerentur, ut, quas leges poſtea dedit, eas a nobis accipere coactus fuiſſet. Verum, praevalente jam tum privatae gloriae adverſus ſalutem publicam ſtudio, conſilium tam ſalubre damnoſa et, ut plerique credunt, affectata mora cluſum fuit. [*] Thermus ineunte Junio Caleto profectus, cum V CIƆ partim Vaſconum, ſed majorem partem Germanorum, cum CIƆ IƆ equitibus, adductis ſecum

Jo.

P. [*] *Thermuſque fruſtra praeſtolabundus, et cum eo fortuna regni maligna tergiverſatione hoſti prodita eſt.*

VAR. LECT. [α] noſtrum militem *P.D o.f.* [β] Forum *P.D o.*

INTERPR. [a] *Pierre Erneſt, comte de Mansfeld, gouverneur de Luxemburg.* [b] *le comte de Hoei, ou Hoye.* [c] *de Haulecourt.* [d] *de Prie.* [e] *de Villars.* [f] *Roſſignol.* [g] *Villemont.* [h] *Chigny.* [i] *Ivoy & Herbemont.* [k] *Thionville.* [l] *Vireton.* [m] *de Thermes.* [n] *Calais.* [o] *Flandres.* [p] *pays Meſſin & de Toul.* [q] *la Fere ſur Oyſe.*

Jo. [a] Tuttavilla Villabonio, [b] Annebaldo, [c] Senarpontio et [d] Cauniac comite, tranſmiſſa foſſa nova, quam alio nomine Bolaiam indigitant, ruſticorum multitudinem, quae noſtros tranſitu prohibere conabatur, fudit; et, relicta a tergo [e] Gravelinga ac [α]Burburgo, VI Non. Quintileis [f] Dunkerkam maritimum oppidum ſuos ducit. Poſt quatriduum, dum colloquuntur oppidani, circumfuſis noſtris ac vim facientibus urbs occupatur et indignis modis diripitur: impoſitoque praeſidio, progreſſus, [g] Bergas [α] D. Vinnoci opulentum municipium nullo negotio capit ac diripit: cumque ipſe ex arthritide familiari morbo tunc forte decumberet, Villabonio praedis et incendiis aſſueto exercitum tradit; qui dum militi plus juſto indulget, immane quam crudeliter toto illo tractu graſſatum eſt, [h] Neoportum uſque excurſionibus factis. Philippus, ut tantam tempeſtatem, quantam animo providebat, ſi conſilium, de quo reſciverat, qua prudentia captum fuerat, eadem fide ſecuti fuiſſent noſtri, a ſe averteret, Sabaudum in [i] [1] Condruſios miſerat, ut, coactis juxta [k] Malabugium copiis, eas Guiſio venienti opponeret. Verum, ubi vidit poſt deditam [l] Theodonis-villam Guiſium [m] Arlonii ac Vitetoni tempus terere, occaſionem arripit, et Gallos inſolenter palanteis ac praeda onuſtos, antequam novis auxiliis firmarentur, adoriri ſtatuit. Id negotii dat [β] [n] Egmondano impigro duci, cujus diligentiae jam [o] Sanquintinianam victoriam debebat. Is ex Flandria, cui praeerat, mox Gravelingam venit, jam medius inter Dunkerkam et [p] Caletum, quo receptus noſtris erat; ibique ſe Pontio [q] Lalanio Binicurio caſtrorum praefecto conjungit: tum accitis [r] Bethunia, [ſ] Audomati-fano, [s] Aria, Burburgo praeſidiariis, collectoque ſupplemento, quod Sabaudus Malabugio ſummiſerat, ad XII CIↃ peditum, III CIↃ equitum cogit, praeter ingentem agreſtium multitudinem tam virorum quam foeminarum, qui recentibus injuriis irritati ad paratam ultionem in caſtra concurrebant. Quod ubi cognovit Thermus, qui in dies Guiſium opperiebatur, vireis diſperſas revocat, et, quamvis aeger, equo impoſitus advolat, caſtris juxta Gravelingam poſitis, de receptu ſecum ſed ſerius cogitans: nam Egmondanus jam cum ſuis in noſtrorum conſpectu intra teli jactum conſtiterat. Itaque, nocte coacto concilio, ex omnium ſententia Thermus poſtridie, recedente maris aeſtu, ſecundum mare Caletum verſus ſe recipere atque ita naturae beneficio elabi ſtatuit. Ad fauceis [t] Adae, cedente aeſtu, remiſſioris, mane nullo negotio tranſmittunt noſtri: quod ubi animadvertit Egmondanus, infra Gravelingam et ipſe cum ſuis, non exſpectatis tormentis, trajecit, et noſtris jam tranſmiſſis a fronte occurrit. Heic Thermus, qui nullum niſi in virtute perfugium videret, cum a ſeptentrione mare, a tergo Bolaia foſſa, a laeva atque a fronte hoſtis immineret, ſic aciem inſtruit, ut, cum a tergo et a dextra ſe tutum exiſtimaret, in laeva, quae ad auſtrum ſpectabat, carros et impedimenta collocaret, in fronte tormenta ſtatueret; ea erant omnino VI colubrinae, falcones III: relicto equitibus amplo ſpatio, quos utrinque Vaſcones tegebant: poſt hos Galli ac Germani ſtabant. Egmondanus contra minime cunctandum ratus, ne interea, dum tormenta advenirent, Galli elaberentur, equitatum omnem in V ordines partitur, praemiſſa levi armatura, quae tripartito agmine incedebat. Dextrum cornu regebat [u] Pontivallius comes, ſiniſtrum [v] Henricus [γ] Henrices Celtiber: in acie ſtabat Egmondanus: poſt hos Germani equites locati erant, duce Lazaro Schuendio: tum cataphractorum Belgarum alae per aliqua intervalla ſuccedentes, [w] Lalanio [δ] Rantiaceano et A. [z] Croio Rutii comite ductoribus: peditatum vero

in

VAR. LECT. [α] D. Vinnoci *deſunt* *P.D.o.* [γ] Enrices *P.D.* o f.d.
[β] Ecmondano *P.D.* o.f.d. *ubique.* [δ] Ranticeano *P.D.o.*

INTERPR. [a] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon.* [b] *d'Annebaud.* [c] *de Senarpont.* [d] *Chaulnes.* [e] *Gravelines & Bourbourg.* [f] *Dunquerque.* [g] *Winnox Berghe.* [h] *Nieuport.* [i] *vers le comté de Namur.* [k] *Maubeuge.* [l] *Thionville.* [m] *Arlon & Viretou.* [n] *le comte d'Egmond* [o] *de St Quintin.* [p] *Calais.* [q] *de Lalain, ſieur de Bignicourt.* [r] *Bethune.* [ſ] *St Omer.* [s] *Aire.* [t] *Aa r.* [u] *le comte de Pont de Vaux.* [v] *Henrique Henriquez, Arragonois.* [w] *de Lalain, ſieur de Renty.* [z] *de Croy, comte du Rœux.*

NOT. [1] Condruſios.] Hodie Leodicenſis ditionis tractus, in quo caput eſt Hoium, vulgo *Hoei*, ou *Huy*. Put.

CIↃIↃLVIII. HENRICUS II.

in III acies diviſerat pro nationum diverſitate; nam ex Germanis, Belgis, quorum major pars erat, et Hiſpanis veteranis conſtabat: iis imperabant [α] [a] Hildemarus Moochuſius eques Saxo, Binieutius et Carvajalus Hiſpanus. Inſtructo exercitu, Egmondanus, omnis morae impatiens, Vicimus, inquit; me ducem modo ſequatur, quiſquis gloriae ſtudet et amore patriae tangitur: et ſimul, admiſſo equo, impetum facit. Eum viriliter admodum Vaſcones initio ſuſtinuere, tormentorum ope adjuti, quibus primi hoſtium ordines graviter infeſtati ſunt, Egmondani ipſius ſuffoſſo equo. Sed, cum numero ſuperior eſſet hoſtis, ubi propior factus eſt, comminus rem gerit: eques equiti, pedes pediti opponitur; conſeruntur manus et pes pedi confertur, hinc ſpe quaſi certae victoriae Belgas incitante, hinc deſperatione noſtris animos faciente. Diu anceps fuit pugna, Vaſconibus ante oculos Germanorum auxiliarium, quos illa die quaſi ſpectatores ſediſſe et erectis ſariſſis manus dediſſe proditum eſt, extremum virtutis genti innatae periculum facientibus; ſed equitatu, anguſtiore ſpatio intercluſo, ſegnius ſe gerente. Tandem certamen diremit inopinatus caſus, appulſis forte ſub id momentum decem navibus Britannicis majoribus; quae, procul conſpecta pugna, cum praetervcherentur, in dextrum latus, qua parte noſtri ſe tutos arbitrabantur, tormenta diſplodunt: tandemque, fatiſcente pedite, ſolutis ordinibus ac diſperſo equite, nutare acies noſtra coepit; fuſoque primum equitatu, peditatus poſt longum et obſtinatum certamen omnino profligatus eſt. Occiſi in proelio ad CIↃ IↃ: plures, qui evaſere hoſtium manus, ab agreſtibus ac foeminis ipſis, obverſante ante oculos adhuc recenti direptionum atque incendiorum ſpectaculo, exquiſita immanitate interfecti: quidam et mari hauſti. Capti primarii duces fere omnes, [b] Thermus, [c] Villabonius, [d] Annebaldus, [e] Senarpootius, [f] Cauniae comes ac Morvillerius: CC vivi capti a Britannicis navibus; quos, cum in profundum mergere potuiſſent, ad ludibrium ſervatos in [g] Britanniam quaſi in triumphum ad reginam adducere maluerunt. Nec incruenta omnino victoria hoſti fuit: nam deſiderati ex iis plus IↃ; et in iis [h] Peleus nobilis Belga, homo ſtrenuus. Vitio datum Thermo, quod ad praedas indulgentior in tempore periculo minime praeverterit; ſed fatali lentitudine diutius, quam par fuiſſet, receptum diſtulerit, nec ſaltem nocte conflictum proxime antecedente caſtra moverit. Sed eum partim excuſat morbus, partim, quod ipſi hoſtes prodidere, qui juſſu regis in [i] Pleumoſiis diutius Thermum commoratum ſcribunt, dum Guiſium praeſto futurum, uti convenerat, ſibi perſuadet. Hunc exitum habuit ad [k] Gravelingam commiſſa pugna III Eid. Quintil. quae acceptam ſuperiore anno cladem, ex qua Gallia paulatim recreari coeperat, geminato infortunio cumulavit, et regem armorum pertaeſum, quae illi hactenus arriſerant, otii cupidine vel ad iniquas pacis conditiones flexit. Nuncio de ſtrage accepto, Guiſius, qui Viretoni ſedebat, cum jam hoſteis magno numero circa [l] Marolium ac Malabugium haud longe a Guiſa conveniſſe intellexiſſet, ubi conſilium de invadendo ab utraque parte Belgio evanuiſſe vidit, per [m] Sedanum, [n] Mezeriam, ac [o] Tiracenſem agrum facto itinere, V Kal. Sextil. [p] Petro-pontium venit, locum colligendis copiis et caſtris muniendis opportunum inter Picardiam et Campaniam, ut ad omneis caſus praeſto eſſet.

XV. EODEM tempore, dum triſtibus undique nunciis ab externo hoſte cuncta circumſonant, ne a domeſticis tumultibus interea ceſſaretur, Lutetiae ſub veſperam, cum multitudo hominum animi laxandi cauſſa, ut fit, in ſcholaſticum vulgo dictum campum extra Sangermanum ſuburbium conveniſſet, pauci ex iis, qui Proteſtantium religioni addicti erant, cum numero creſcente eorum audacia, inambulantes Davidis pſalmos

VAR. LECT. [a] Hilmarmonachuſius, Binicurius P.D.o.f.d.

INTERPR. [a] *Hildmar de Munckhauſen.* [b] *le mareſchal de Thermes.* [c] *de Villebon.* [d] *d'Annebaud.* [e] *de Senarpont.* [f] *de Chaulnes & de Morvilliers.* [g] *Angleterre.* [h] *le ſieur de Pelu.* [i] *Flandres.* [k] *Gravelines.* [l] *Marolles & Maubeuge.* [m] *Sedan.* [n] *Mezieres.* [o] *le Tierache.* [p] *Pierrepont.*

CIƆIƆLVIII.
HENRICUS II.

pſalmos Gallicis [α] verſibus canere coeperunt. Id induſtria factum, qui avitae religionis ſtudio tenebantur, credidere, ut rei novitate, quae in levibus animis plurimum poteſt, et cantus ſuavitate complureis ad ſe allicerent. Neque omnino ſua opinione falſi ſunt. Nam tum ſere turba, quae aderat, ludos omittere, ac ſe in canentium numerum aggregare, et pſalmos una canere. Sequentibus vero diebus major turba eodem convenit; et in his Antonius Navarrae rex et Joanna uxor, jam de religione ſuſpecta. Id ſacer ordo aegerrime tulit, quod eam inventam rationem dicerent, qua ſacra publica, vetuſtiſſimo inſtituto a Romana eccleſia matrice accepto lingua Latina peragi ſolita, nunc eo ſermone expreſſa quem quivis e vulgo caperet, contemnere plebs aſſueſceret. Itaque res tanquam ſeditionis plena ad regem defertur; cujus juſſu quaeſtio in ejus auctores decernitur, ac, ne hujuſmodi conventus in poſterum fiant et cantiones publice celebrentur, capite ſancitur.

XVI. DUM haec aguntur, de Anglica claſſe affertur, quae CXX circiter omnis generis navibus conſtabat, ductore [β] [a] Clintono regulo orae maritimae praefecto, in [b] Neuſtriae litore conſpecta: a qua cum primum [c] Franciſcopoli et Dieppae metueretur, [d] Bullionius provinciae praeſes ſtatim eo mittitur, qui orae maritimae ſecuritati proſpiceret. Ea poſtea flexo itinere cum [e] Armoricanum tractum pertentaſſet, ſicubi impetum facere poſſet, poſtremo ad [f] Conqueſtum portum Britanniae noſtrae famoſum, ubi [g] S. Matthaei coenobium eſt, in finibus terrae, ſic vulgo aiunt, ſitum, mane milites in terram exponit prid. Kal. Sextil. Ibi ruſticani circiter CL ope tormentorum impetum hoſtium aliquantiſper ſuſtinuere, donec, effuſis in inermeis ad VII CIƆ et contraria verberatione e navibus inſtituta, oppidani ſpe omni abjecta locum deſerunt; quem mox hoſtes occupatum diripuere, ne templis quidem exceptis, nullo non ſaevitiae ac libidinis genere in eo uſi: ſed ſuperveniente [h] Kerſimontio regionis regulo, qui accenſis per oram vicinam ignibus ſigno dato ad VI CIƆ hominum coëgerat, inde dejecti et, IƆC ex ſuis amiſſis, in naveis compulſi ſunt. Capti C et amplius; ac in iis Batavus quidam, ex quo compertum, XXX circiter naveis Belgicas, duce [γ] [i] Wackenhemo, Philippi regis juſſu ſe ad [k] Vectim cum Anglica claſſe conjunxiſſe; quibus praeceptum ſub poena capitis, ut [l] Breſtum portum in illo tractu firmum occuparent; eoque conſilio exſcenſionem feciſſe. Concurrentibus interim [m] Leonenſis ac Cornuvallenſis dioeceſis popularibus uſque ad XXX CIƆ hominum, hoſtes acceptis denuo XXX navibus armatis retro ad [n] Baſtum inſulam XII a continenti leucis receſſere: quos ruſtici e terra, quantum aſpectu potuere, conſecuti ſunt, ne qua inopinatos opprimerent; et J. [o] Broſſius Stampenſis provinciae praeſes, adunatis VII equitum et XV peditum millibus, ſtatim advolavit; qui, Breſto ac [p] Maclovii-fano praeſidiariis firmato, hoſtium irritos conatus reddidit.

XVII. POST Guiſii adventum mox et [q] Petropontium venit [r] Jo. Willelmus alter ex Jo. Friderici ſeptemviri liberis cum VII Germanorum equitum vexillis, quae II CIƆ equitum magnam partem Boruſſorum efficiebant, et cum eo [s] Jacobus [δ] Auguſtobergetus Alberti Brandeburgici, famoſi illius Germaniae vaſtatoris, quondam legatus, bello exercitatus dux, cum X peditum optime inſtructorum ſignis. Saxonem C ex primaria nobilitate amicis ſtipatum rex, cum [t] Marcheſii eſſet, VII Eid. Sextil. obviam ultro progreſſus honorificentiſſime excepit; et, poſt gratias de adductis auxiliis redditas, eandem gratiam ipſi et illuſtriſſimae ejus familiae, ſi caſus ferat, ſe repenſurum

VAR. LECT. [α] verſibus, a Cl. Maroto et Theod. Beza expreſſos, canere *MS. Reg.* [β] Clinthono *in Edd. omnibus.* [γ] Vacheno *P.D.o* [δ] Auguſtanus *P.D.o f.d.*

INTERPR. [a] *le lord Clinton, amiral.* [b] *Normandie.* [c] *Havre de Grace & Dieppe.* [d] *le duc de Bouillon.* [e] *coſtes de Bretagne.* [f] *le Conqueſt.* [g] *St Mahé à Fineterre.* [h] *de Kerſimon.* [i] *le ſieur de Waackenhem.* [k] *Iſle de Wight.* [l] *Breſt.* [m] *de S. Paul de Leon & de Cornouaille.* [n] *l'Iſle de Baſ.* [o] *de Broſſes, duc d'Eſtampes.* [p] *S. Malo.* [q] *Pierrepont.* [r] *Jean Guillaume de Saxe.* [s] *Jacob d'Augsburg.* La verſion Allemande met *Aurſburger.* [t] *Marchez.*

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

rum pollicetur. Poſtridie rex luſtravit exercitum; quo majorem hominum memoria nemo regum habuit, vel B. Monlucii judicio, qui eum in aciem ordinatum et per planitiem porrectum leucam integram cum ſemiſſe occupaſſe ſcribit, et circumeunti ordines a dextro cornu in ſiniſtrum non minus trium horarum ſpatio opus fuiſſe dicit. Hemicycli formam referebat acies; cujus ſiniſtrum cornu ad [a] Laodunum, per viam quae [b] Creſciacum ducit, extendebatur; et in eo erant [c] Favetolii et Tricaſtini equites ſcloppetarii omnino cc, tum levis armaturae alae, ſingulae c equitum, ductoribus [d] Picrio, Jo. [e] Nogareto Valeta, [f] Rotigotio, [g] Lagnio, [h] Buellio notho. Pone ſequebantur IV equitum vexilla, duce Luneburgico; et poſt eum levis armatura, cujus praecipui duces [α] [i] Antonius Lucemburgus [i] Ruſſii comes, [j] Lombaeus, [k] Truchepotius, [l] Thomas Epirota, [m] Clivius Eſſuenſis comes, quae cccc circiter efficiebat, cum ala cataphractorum [n] Nemoroſii, qui levi armaturae praeerat. In acie, quam ducebat Guiſius, erant [o] Rupiſurionii, [p] Curtonii, [q] Randani Rupifulcaudii, [r] Scarſii Valli-guidonii, [s] Hangeſti Janlii, [f] Rupimanii, et Momorantii cataphractorum alae, ſingulae L equitum; tum IV vexilla rurſus Germanorum equitum, ductore [t] Schenevetio; quibus ſuberant [u] Bellovaſii, [v] Tavanii, et [w] Bordillonii alae; item Lotharingiae ducis et Guiſii ipſius; ante quam [β] [x] Baudoptatus cum [γ] L equitibus Guiſii ſtipatoribus ſtabat, et juxta eum totidem equites ſcloppetarii, ductore [y] Ventoſio. Infra Guiſium erat Saxo cum VII vexillis, et prope eum [z] Rifebergi et [δ] [aa] Falkenburgii legiones, quas tegebant IV equitum Germanorum ſigna, ductore Henrico [bb] Stupio: tum [cc] Salernitani principis et Helionori [dd] Cabotii Carnii comitis alae, ac Momorantii magiſtri equitum; quam ſequebantur X Germanorum ſigna, ductore [ε] Rockhendorfio, et VI Helvetiorum, quibus praeerat Willelmus [ee] Frelicus. Heic collocata erant XV tormenta muralia, cum XII colubrinis atque omni inſtrumento bellico, quae inde tegebant XVI foſſorum ſigna: et ante ea ſtabant IV volonum vexilla. Dextrum latus tegebant VIII ſigna Gallorum, et poſt Gallos IX ſigna Germanorum, duce Recrodo; quibus ad dextrum latus IV vexilla ſtabant, duce Lantgravii filio. Tum porrigebantur Delfini, Aumalii ac Bullionii ducum alae, ſingulae c equitum: infra quos legiones [ff] Luſſeburgi et Jacobi [gg] Auguſtani collocatae erant, ſingulae X vexillorum, [hh] Marlam verſus, ubi dextrum cornu erat, et poſtrema acies, cui praeerat Nivernius: et poſt eum Aumalius, ipſius Nivernii et Santandreani alae ſtabant, ſingulae c equitum; [ii] Choëſellii et [kk] Schenetii L; et ſupra eos [ll] Grombachius cum IV equitum vexillis; ac rurſus ſupra Grombachium Monpenſerii et Ellebovii marchionis alae. Poſt feſtam tormentorum diſploſionem luſtrato exercitu, rex [mm] Marcheſium revertitur, et exercitus [ζ] [nn] Faram Veromanduorum verſus iter intendit. Parte alia, Philippus, qui tum [oo] Rigiaci Atrebatum erat, XII Kal. Septembr. in caſtra venit. Cum eo erat jam ſaepius memoratus [pp] Albanus nuper ex Italia reverſus, et cum Albano Neapolitani reguli Seminarae et [qq] Adriae duces, [rr] Sulmonenſis princeps, [ss] Policaſtrius, [tt] Balnci comes et Aſcanius [uu] Corneus. Erant et in Philippi comitatu Erneſtus et Ericus Brunſvici, Otho

VAR. LECT. [α] Antonius *deeſt* *P. D.* o. f. Lud. Lucemburgus *D.* d.
[β] Bandopradus *P.*
[γ] c *P. D* o. f. d.
[δ] Valdenburgi *P. D.* o. f. d.
[ε] Rochendulſio *P. D.* o. f.
[ζ] Forum *P. D.* o.

INTERPR. [a] *Laon.* [b] *Creſſy.* [c] *Faverolles & Trickaſteau.* [d] *le capitaine Pieries.* [e] *Nogaret de la Valette.* [f] *Rotigotty.* [g] *Lagny.* [h] *le baſtard de Bueil.* [i] *de Rouſſy.* [j] *Lombay.* [k] *Truchepot.* [l] *Thomas Albanois.* [m] *de Cleves, comte d'Eu.* [n] *le duc de Nemours.* [o] *le prince de la Roche-ſur-Yon.* [p] *le baron de Curton.* [q] *de la Rochefoucaud, comte de Randan.* [r] *d'Eſcars de la Vauguion.* [s] *d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [f] *Tiercelin, ſieur de la Roche-du-Maine.* [t] *Scheneve.* Rabutin le nomme *Scheneveux.* [u] *de Beauvais.* [v] *de Tavanes.* [w] *de Bourdillon.* [x] *Baudopré.* [y] *Venton.* [z] *Reiffenberg.* [aa] *Falckenburg.* [bb] *Stup.* Germ. *Stupen.* [cc] *de Salerne.* [dd] *de Chabot, comte de Charny.* [ee] *Frelich,* al. *Frolich.* [ff] *Luſſeburg.* Germ. *Oſburg.* [gg] *d'Augsburg.* [hh] *Marle.* [ii] *de Choiſeuil.* [kk] *d'Eſchenets.* [ll] *Grombach* [mm] *Marchez.* [nn] *la Fere.* [oo] *Arras.* [pp] *le duc d'Albe.* [qq] *Atri.* [rr] *principe di Sulmona.* [ss] *de Policaſtro.* [tt] *Bagni.* [uu] *della Cornia.*

NOT. [i] L'Hiſt. Geneal. de France, vol. 3. p. 730. dit que Louis de Luxembourg étoit Comte de Rouſſy, ſon frere ainé Antoine étant appellé Comte de Brienne.

CIƆIƆLVIII. HENRICUS II.

Otho [a] Schauenburgi comes, et Joachimi Brandeburgici ſeptemviri legatus: cujus adventu cum metus eſſet, ne quem locum hoſtes in limire invaderent, Corbiam Monlucii diligentia introducta auxiliarium VII ſigna, duce [b] Brolio Armoricano; [c] Peronam, cui [d] Humerius praeerat, introductae VIII levis armaturae alae cum IV peditum ſignis; et [e] Durlanium, in quo [f] Buchavauius et [g] Crepacordius erant, miſſus [h] Firmitanus cum CCC ſcloppetariis, [i] Drenello duce. Ita limite firmato, nihil ab hoſte tentatum. Philippus haud longe hinc in [α] [l] Altiliae ripa conſedit, caſtris utrobique tanta cura ac ſedulitate munitis, quaſi alter ab altero obſidionem expectaret, renovata ſemper pacis mentione, cui [k] Momorantius et [l] Santandreanus captivi operam navabant. Et Momorantius quidem jam ſenex et ab armis alienus, ideoque conſilia pacis, quae regi ac regno utilia exiſtimabat, amplecti creditus, de redemptionis ſuae pretio ac filii convenerat, fide data de CLXV CIↃ aureorum exſolvendis; quo in negotio Sabaudi favore apud Philippum non mediocriter ſublevatus fuerat: nam Sabaudus de ditionis ſuae recuperatione ſolicitus, quam niſi pacificatis regibus obtineri poſſe ſpes non erat, magnum ad concordiam faciendam momentum Momorantium allaturum ſibi perſuaſerat. Itaque jam liber Momorantius huc illuc commeabat. Chriſtierna vero ducis Lotharingiae parens mediam ſe in eo negotio gerebat; et cardinalis Lotharingus quaſi de pacis tractandae ratione acturus per eam ad Philippum, ut rumor erat, introductus, fidem Granvellano datam praeſens confirmaverat. Dum exercitus in eo ſunt, Nemoroſius, qui cum levi armatura Piquinii hoſpitium habebat, aſſumptis ſecum [m] Eſſuenſis comitis, [n] Turnonii Ruſſillonii, [o] Pelufii, [p] Halvinii Piennae, Jo. [q] Nogareti Valetae, Firmitani, [r] Tutii, [s] Lagnii, Jo. [ſ] Leomontii Pigallarii, [t] Bannae alis, prid. Non. Septembr. ſummo ſilentio in hoſtium caſtra noctu profectus, ſtationibus caeſis, ad tormenta uſque impetum fecit, et poſt dejecta inciſis funibus tentoria magnumque in prima acie excitatum tumultum incolumis ad ſuos rediit. Eodem tempore Buellius nothus, inſignia Burgundionum mentitus, cum ala ſua ſub veſperam, cum tanquam cibum ſumpturus Rigiacum Atrebatum veniſſet, audaci admodum facinore ſuburbiorum partem diripuit et incendit.

XVIII. Post captum [u] Thermum Fr. [v] Vindocinus Carnutum vicedominus [x] Caleto impoſitus fuerat. Is, cum de [y] Audomari-fano intercipiendo ſpem concepiſſet, ope quorundam Gallorum, qui captivi inibi detinebantur, ob id [z] Ardeam profectus muniendi loci ſpecie, diem [aa] Sipetrae Lotharingiae ducis alae legato, Lagnio et [bb] Thomae Epirotae levis armaturae ducibus, nec non ſcloppetariorum equitum cohortibus, [cc] Mallio item Monſtrolii praefecto, qui XII peditum ſigna adducturus erat, ad [dd] Deveram condixerat: quo et acies convenerat. Sipetra, qui prior Deveram venerat, caeſis [ee] Rantiacenis aliquot pabulatoribus, quos obvios habuerat, cum ſe Vindocino conjunxiſſet, ad oppidum cuncti accedunt: ſed res detecta fuerat, ignaris noſtris, qui incedebant, et conſciis, qui in oppido erant: itaque captivi hora praedicta arma corripiunt, ſtationes caedunt et arcem occupant. Verum oppidani, qui ſcirent arcem infirmam eſſe, protinus tormenta admovent, et, aperto muro, captivos trucidant. Ita Vindocinus, re infecta, Caletum revertitur. Sub id tempus [ff] Jurius cum legione Campana in caſtra venit, inde Caletum miſſus. Mox advenere X Helvetiorum ſigna; veteranorum totidem ex Italia, quibus praeerat Bonifacius [gg] Mola, ductoribus [hh] Moneſterio, [ii] Aurata, [kk] Burdeto, Bartholomaeo [ll] Piſaurienſi, Colincurio,

VAR. LECT. [α] Authiae P. D o

INTERPR. [a] *de Schaumburg.* [b] *le capitaine Breuil Breton.* [c] *Peronne.* [d] *le ſieur d'Humieres.* [e] *Dourlens.* [f] *de Bouchavanes.* [g] *de Crevecœur* [h] *le capitaine la Ferté.* [i] *le capitaine Drenille.* [l] *Authie r.* [k] *le conneſtable de Montmorency.* [l] *le mareſchal de St. André.* [m] *d'Eu* [n] *le ſieur de Tournon, comte de Rouſſillon.* [o] *le Pelou.* [p] *d'Hallwin, ſieur de Piennes.* [q] *Nogaret de la Valette.* [r] *Tuti.* [s] *Lagny.* [ſ] *Leomont de Puygaillard.* [t] *le baron de Bauna.* [u] *le mareſchal de Thermes.* [v] *de Vendôme, vidame de Chartres* [x] *Calais.* [y] *St. Omer.* [z] *Ardres* [aa] *de Cipierre.* [bb] *Thomas Albanois.* [cc] *de Mailly, gouverneur de Mouſtreuil.* [dd] *Deuvre.* [ee] *garniſon de Renty.* [ff] *de Jours.* [gg] *la Mole.* [hh] *de Moneſtier.* [ii] *Frederic d'Ornezan, baron d'Aurade.* [kk] *Bourdet.* [ll] *da Peſaro.*

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

[a] Colincurio, [b] Jalnaco, [c] Macaco, [d] Valſeneria, [e] Capella nuper prope [f] Ferratiam occiſo, et [g] Beguinio. Afferebatur et in hoſtium caſtra quotidie, novas e Germania auxiliareis copias confluere. In Etruria vero poſt Turcorum diſceſſum ſecurior Coſmus, cum quo induciae erant minus ſincere obſervatae, Hiſpanos ſolicitat, ut, infirmis adeo noſtrorum praeſidiis per oram maritimam, excurrerent; eaque de re ad Philippum ſcripſerat: quo jubente, negotium datum [h] Chapino Vitellio et Symeoni [i] Roſerminio, qui alioqui Coſmo militabat, ut cum Sanctio [k] Leva, et Lodono CIↃ IↃ Hiſpanorum, qui ex regno Neapolitano in Inſubreis tranſportabantur, praefecto, in itinere loca, quae a noſtris in ora maritima tenebantur, in poteſtatem redigerent. Itaque Leva ac Lodonus, [l] Groſſeti obſidione minime tentata, quod longius a mari abeſſet, [m] Telamonem petunt; in quo XXX circiter milites erant, qui, conſpecto hoſte, locum ſtatim deſerunt. Inde admota ad Caſtellionaeum Piſcariae, quod a XL praeſidiariis tenebatur, tormenta: quorum diſploſione aperto muro, deditio facta eſt. Cum Franciſcus Ateſtinus ad exiſtimationem ſuam merito pertinere exiſtimaret, in provinciae ingreſſu loca ſibi commiſſa ante oculos ſine certamine ſibi eripi, ut ea recuperaret, ſe inſtruit: ſed Coſmus aſtuto admodum conſilio Ateſtini conatus impedivit. Nam [n] Caſtellionaeum et Liliorum inſula, antiquum Picolomineorum patrimonium, a [o] Senenſi ditione ſeparatum, cum, Silvia Picolominea [p] Amalfitani ducis filia, cum [q] Capiſtrani duce matrimonio conjuncta, in alienam familiam tranſiiſſent, Coſmus utrumque venditione ſimulata a dominis emit; moxque Ateſtino arma expedienti denunciat, Caſtellionaeum non jam in Hiſpanorum poteſtate, ſed ſui juris eſſe, nec niſi violatis induciis bello repeti poſſe. Cui denunciationi eo libentius acquievit Ateſtinus, quod, a belli ſubſidiis imparatus, de ejus exitu vereretur, et honeſtam non ſumptorum armorum excuſationem quaereret. Hoc commento uſus Coſmus, ut Caſtellionaei poſſeſſionem ſervaret, etiam arte Senenſium animos tractabat, quo eos novae dominationi paulatim aſſueſaceret, commeatu liberalius, quam antea, cum ab Hiſpanis tenebantur, praeſtito; et praefecturas Senenſis ditionis Florentinis ablatas reipublicae reſtituit; [r] Aſinam etiam longam et Turritam, quae [s] Luciniano, juris Florentini praefectura, comprehenſae fuerant, juriſdictioni Senenſi reddidit. Sed praevalebat priſtinae libertatis amor, qui tantum apud eos poterat, ut, quamvis extremas incommoditates a noſtris experirentur, etiam graviora pati parati eſſent, modo libertatem recuperarent; ut niſi vi in obſequio contineri non poſſent.

XIX. [α] EODEM tempore a Philippo per oratores ſuos Venetiis tentatum, an eandem, quam parens ejus Carolus V Imperialis dignitatis ratione praerogativam apud ipſos et alios principes habuerat, ut reges alios omneis praecederet, ipſe etiam, Imperio non in ſe ſed in Ferdinandum patruum tranſlato, obtinere poſſet. Regis nomine tunc legati munere fungebatur Franciſcus [t] Noallius Aquenſis in Tarbellis epiſcopus, vir ingentis animi, et rerum agendarum peritia clarus; qui generoſe Hiſpanorum conatibus reſtitit. Contentione oborta et ad ſenatum perlata, patres offenſionem alterutrius veriti diu controverſiam dijudicare recuſarunt. Tandem Hiſpanis, qui viderent Noallium gratia et poſſeſſione potiorem in conventibus priſtinum dignitatis gradum conſtanter retinere, inſtantibus, cenſuit ſenatus, ſicuti Petrus Juſtinianus prodidit, quod omnium memoria ſemper obſervatum fuerat, ut Gallus orator Hiſpanum apud principem publice praecederet. Quo facto, Philippus oratorem ſuum ordinarium in Hiſpaniam revocavit; nec niſi diu poſt alium ad sereniſſimam

rempublicam

VAR. LECT. [α] *Tota haec de Gallici oratoris praerogativa, ſenatu Veneto, ut Hiſpanum publice praecederet, conſente, narratio per ſedecim circiter lineas deducta* deeſt P. D. o f. d.

INTERPR. [a] *Colincourt.* [b] *Jaulnay.* [c] *Mazay.* [d] *Valſeneres.* [e] *la Chapelle.* [f] *Ferrara.* [g] *Beguin.* [h] *Chiappin Vitelli.* [i] *Roſſermini.* [k] *di Leyva & Londono.* [l] *Groſſeto.* [m] *Telamone.* [n] *Caſtiglione della Peſcaia, & iſola del Giglio.* [o] *Siena.* [p] *d'Amalfi.* [q] *Capiſtrano.* [r] *Aſina-lunga & Turrita.* [s] *Lucignano.* [t] *de Noailles, evêque d'Acqs.*

rempublicam miſit. Quod idem et Joannes Baptiſta Hadrianius libro XVII hiſtoriarum ſui temporis cum elogio ſcripſit.

XX. Jamque negotium de pace ſervebat: et, cum prius ad [a] Inſulam in Flandria conventum eſſet, tandem commodior locus ad [b] Sercampum delectus, coenobium in [c] agro Cameracenſi; in quo ab utraque parte legati de pacis conditionibus acturi convenere medio fere Octobri. Ii fuere regis nomine cardinalis Lotharingus, Annas [d] Momorantius, Jacobus Albo [e] Santandreanus [α] Fronſaci marchio equitum tribunus, Jo. [f] Morvillerius epiſcopus Aurelianenſis, et Claudius [g] Albaſpinaeus a ſecretioribus epiſtolis. Nomine Philippi interfuere Ferdinandus Alvares Toletanus Albae dux, magnus palatii magiſter, Gulielmus Naſſovius [h] Arauſionis princeps, velleris aurei equites, [β][i] Rodericus Gomeſius Silva Melitae comes, Antonius [l] Perrenotus Atrebatum epiſcopus, et Ulricus [k] Viglius [γ] ab Ayta Zuichemus, juris ſcientia olim et poſtea non minus rerum agendarum prudentia clarus. Mariae parteis in hoc negotio tuebatur [δ] Thomas [l] Thurlebeius Elienſis epiſcopus, Thomas [ε][m] Howardus [ζ] Effinghamius, reginae cubiculariorum princeps, [η] et Nic. [n] Wottonus Eboraci decanus. Pro Sabaudiae duce aderant Thomas [o] Languſeus Stropianae comes, et [p] Aſtenſis curiae praeſes. Aderat et Chriſtierna et Carolus ejus filius, medii et amici. Primo congreſſu, cum infeſtorum utrinque exercituum tamque vicinorum facies parum convenire rei, quae agebatur, videretur, placuit, ut copiae utrinque dimitterentur. Itaque hoſtilis exercitus, ſecundo [θ][q] Altilia [r] Abbatis-villam verſus cum iter habuiſſet, inde reflexa fronte [s] Audomari-ſanum contendit, et in [t] Atrebatibus omnino diſſolvitur. Rex viciſſim, peditatu in limite per praeſidia diſtributo, equites domum remiſit, ut ſe ab exantlatis laboribus reficerent. Dimiſſi Germani; eorumque deducendorum cura [t] Nivernio attributa. Luneburgicus retentus; qui, quod in caſtris ad [u] Samarobrigam contra Guiſium primarium regis ducem ſtrinxiſſet enſem, tunc captus et Lutetiae in arcem [v] Baſtiliam conjectus fuit. Inter delegatos magnam controverſiam excitaverat de Caleto contentio; cum illud noſtri, ut antiquum regni patrimonium bello nuper recuperatum retinere vellent; Angli, niſi reſtitueretur, pactis ſubſcripturi non viderentur. Dum in eo eſſent, Philippus in Angliam Feriae comitem miſit, ut uxorem jam aegram viſeret; et, quando nulla ratione Galli adduci poſſent, ut [x] Caletum nuper Anglis ademptum reſtituerent, de tradenda Sabaudo Eliſabetha ſorore conditiones proponeret. Dum delegati altercantur, mors Mariae intervenit, quae, ut finem huic contentioni impoſuit, ita principium ac novam formam propoſitis conditionibus dedit. Nam, ſuperſtite Maria, Hiſpani conditiones de Caleti reſtitutione minime omittere poterant, de quo, regina mortua, non admodum pugnaturi videbantur: et, viva ea, rurſus Eliſabetha regis filia Carolo Philippi filio uxor deſtinabatur, quam, defuncta uxore, ſibi depoſcebat Philippus. Itaque, cum Philippus nollet videri ſtatim Anglicam cauſam deſeruiſſe, et, quorſum res Anglicae evaderent, antequam negotium conficeretur, videre vellet, inter delegatos placuit, ut pro tempore conventus diſſolveretur: ſtatutumque inter eos, ut rurſus Januario ſequenti eodem convenirent.

XXI.

VAR. LECT. [α] Fronſaci marchio *deſunt* P. D. o. f. d.
[β] Rigomeſius Silva P. D. o. f. d.
[γ] ab Ayta *deſunt* P. D. o.
[δ] Thomas Thurlebeius *deſunt* P. D. o. f. d.
[ε] Havardus P. D. o. f.
[ζ] Effinghamius *deeſt* P. D. o. f. d.
[η] et Nic. Wottonus Eboraci decanus *deſunt* P. D. o. f. d.
[θ] Authia P. D. o.

INTERPR. [a] *Liſle.* [b] *Sercamp.* [c] *le Cambreſis.* [d] *le conneſtable de Montmorency.* [e] *le mareſchal de St. André, marquis de Fronſac.* [f] *de Morvilliers, evêque d'Orleans.* [g] *de l'Aubeſpine.* [h] *d'Orange.* [i] *Ruy Gomez de Silva, comte de Melito.* [l] *Perrenot de Granvelle, evêque d'Arras.* [k] *Viglius de Ayta, ſieur de Swichem en Friſe.* [l] *Thurlby, evêque d'Ely.* [m] *Howard, baron d'Effingham.* [n] *Wotton, doyen d'York.* [o] *Languſci, comte di Stropiano.* [p] *d'Aſti.* [q] *Authie r.* [r] *Abbeville* [s] *St. Omer.* [t] *Artois.* [t] *le duc de Nevers.* [u] *Amiens.* [v] *la Baſtille, à Paris.* [x] *Calais.*

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

XXI. MARIA autem, cum bello nobis temere indicto Caletum ac cetera municipia et caſtella, quae citra mare Anglici juris erant, occupata, virum etiam ſuum in Belgio, cujus abſentiam impatienter ferebat, bello implicatum videret, magnum, ut par erat, animo dolorem ceperat: ad haec, accedente aqua intercute, ex qua initio cum tumentem alvum geſtaret, praegnantem ſe eſſe exiſtimabat, ob idque nulla remedia adhibebat, et alia victus ratione, quam oportuerat, utebatur. Quo factum, ut in febriculam inciderit, qua ſenſim creſcente tandem abſumpta eſt [1] XVII Kal. Decembr. quo eodem die, ſub tertiam noctis horam, cum illa mane obiiſſet, e vita demigravit Reginaldus [a] Polus cardinalis, ex quartana ſebre duplici attenuato corpore. Non amplius quam XVI horarum inter utriuſque mortem ſpatium fuit, ut, quorum vita affectu et fortunae ſimilitudine conjunctiſſima fuerat, etiam in morte conjungerentur. Varia fortuna Polus jam ab ineunte adoleſcentia conflictatus, cum Mariae fortuna patriae reſtitutus fuerat; morum gravitate ac ſanctimonia, prudentia et eruditione cum paucis comparandus, et non niſi ob ſummas ac raras virtutes ſupremo faſtigio dignas a pontificis dignitate aemulorum et innata aulae Romanae praepoſtera ambitione excluſus: quam eandem adverſam fortunam vir pius et innocens uſque ad exitum vitae expertus eſt. Nam Paulus IV, qui olim in pontificis creatione adeo Polo adverſatus fuerat, quamvis eum jam a Julio III legatum in Angliam miſſum Cantuarienſi archiepiſcopatu magna commendatione ornaſſet, cum bellum ruptis induciis inter regem ac Philippum ac poſtremo inter nos Angloſque recruduiſſet, ipſius pontificis ratione ſuſceptum, adeo contra Polum exarſit, quem a belli conſiliis alienum ſciebat, ut eum protinus, legatione abdicata, Romam acceſſierit, tanquam religionis cauſa ſuſpectum, ſuffecto in illius locum [a] Gulielmo [b] Pacto Franciſcani ordinis et loci ignobilis homine, quem ſuperiore anno in cardinalium collegium cooptaverat. Eodem tempore ob eandem cauſam Joannem [c] Moronum cardinalem, ſummae prudentiae ac gravitatis virum, Thomam [d] Sanſelicum Cavenſem epiſcopum in [e] molem Hadriani concluſos moleſto carcere afflixit; et ipſius Moroni cauſa Aegidium [f] Fuſcarum Mutinenſem epiſcopum diu in Inquiſitionis cuſtodia habuit. Philippus quidem ac regina inſtabant apud pontificem, ut ſententiam mutaret; alioqui revocato Polo fore, ut omnia in Anglia in pejus ruerent, et Catholicae religionis nervi inciderentur: ac regina in primis rogabat, ut, ſi Polus ei ob religionem ſuſpectus eſſet, certiorem ſe faceret: nam curaturam ut de more atque ex illius regni legibus ad ordinis ſacri tribunal in Anglia ſiſteretur. Tandem non propria voluntate, ſed clade ad [g] Segniam a ſuis et a noſtris ad [h] Quintini-ſanum accepta monitus, ab incitata illa Polo incommodandi voluntate et nocendi ſtudio aliquantiſper temperavit. Polus vero, quamvis a regina, quo minus Romam, ſicuti jubebatur, proficiſci poſſet, retineretur, tamen, ut ſe pontifici dicto audientem approbaret, crucem argenteam legationis inſigne ante ſe ab eo tempore geſtari prohibuit, et ab omni legationis munere omnino abſtinuit: miſſoque Romam [i] Ormancto, qui legationis a ſe geſtae rationem redderet, et depravatae fidei ſuſpiciones, ſi quae ſubortae eſſent, apud pontificem purgaret, ille et ſuſpicionem omnem a ſe removiſſe teſtatus eſt, et exemplo Chriſti ipſius Polum ſolatus eſt, cui multa praeter jus falſo objecta ſint, et Moronum ſtatim, a delegatis cardinalibus prius interrogatum, et ſevera admodum inquiſitione de eo habita, e cuſtodia dimiſit. Paulo ante, ingraveſcente morbo, Polus teſtamento IV Non. Octobr. condito Aloiſium [k] Priulum patritium Venetum heredem inſtituerat, ob integritatem et morum conſenſionem

INTERPR. [a] *le cardinal Pole.* [b] *Peyto.* [c] *le cardinal Morone.* [d] *San Felice, veſcovo della Cava.* [e] *Caſtel S. Angelo.* [f] *Foſcararo, veſcovo di Modena.* [g] *Segna.* [h] *St. Quintin.* [i] *Ormaneto.* [k] *Priuli.*

NOT. [1] Lege XV *Kal. Dec.* C.

[a] Dele *Gulielmo*: lege *Petro.* Hic, illuſtri et perantiqua familia in agro Warwicenſi oriundus, pronepos fuit Gulielmi Peyti militis; qui cum XXX equitibus cataphractis et CL ſagittariis Henrico VI Angliae regi in bellis Gallicis militavit, a magno illo duce Joanne Talboto Salopienſi comite Franciae mareſcallo legatus in ea dignitate A. D. 1448 conſtitutus. C.

Digitized by Google

ſenſionem io familiaritatem ante annos XXVI aſcitum; a quo tempore ille a Poli latere nunquam diſceſſit, oec inde ullis conditionibus avelli potuit; ne tum qnidem, cum a Julio III, ut in ſacrum collegium allegi vellet, urgeretur. Priulus vero poſt Poli exceſſum et hereditatem delatam recuſavit, et ramen reſtamentum praecipua diligeotia exſecutus eſt; ac totos XX menſeis, quibus Polo ſuperſtes fuir, in colligendis ejus rebus huc illuc diſperſis et ſumma fide diſtribuendis conſumpſit, egregio verae ac ſaoctiſſimae amicitiae exemplo, quae, cum haud ulla emolumenti aut privatae commoditatis ſpe, verum ſolius virtutis contemplatione coiiſſet, nulla etiam temporum aut locorum intercapedine dividi potuit, ſed ad ultimum uſque vitae utriuſque ſpiritum conſtanter perduravit.

XXII. MORTE Mariae maxima in Aoglia, nonoulla in rebus noſtris mutatio ſecuta eſt. Nam apud oos regina Scotorum ſe ſtatim pro herede geſſit, ac titulos et inſignia regum Angliae in ſupellectile et omni inſtrumento domeſtico apponenda curavit: et, cum per id tempus Gallia in [a] Mediolani, [b] Neapolis et Belgii imperio vindicando miſere vexaretur, ad cumulum tot calamitatum acceſſit Anglici regni ludibrium; [α] quod praeſtantiſſimus ſcriptor avunculorum conſilio factum dicit, qui hoc vanitatis genere nomini Gallico plurimum ſplendoris adjeciſſe videri volebant. Philippus, ut morte Mariae amiſſam oominis Anglici dignitatem quodammodo io familia retineret, auctor Ferdinando patruo fuerat, ut Eliſabetham Mariae ſororem, quae jam in reginam aſſumpta erat, Ferdinando alteri ex filiis nurum depoſceret: quod et ille ſedulo fecit, miſſo in Angliam [c] Lodronio comite. Sed Auſtriacorum voto reſiſtebat, uti jactabatur, Eliſabethae jusjurandum; quo ſe in regni inauguratione obligaverat, principi extetoo non nupturam. [β] Sane ipſum Philippum de nuptiis Eliſabethae ſerio cogitaſſe, ob eamque cauſam Feriae comitem ad eam legaſſe, apud nos creditum fuit; quod ex literis regis tunc ad Philibertum [d] Baboum epiſcopum Engoliſmenſem oratorem apud pontificem ſuum datis, quarum exemplum penes me habeo, conſtat; quibus ille, experimento edoctus, quantum haec Anglicani regni ad potentiam Hiſpanam acceſſio res ſuas labefactaſſet, veritusque ne per hanc oovam adfinitatem conjunctis Belgii et Angliae viribus Philippus antiqua de Gallia oppugnanda majoribus quam antea animis conſilia reſumeret, Baboo mandabat, per [e] Theatinos ſive Quietinos ſacerdotes, qui plurimum auctoritate apud pontificem valebant, efficeret, ne res exitum haberet, et ſeverae diſciplinae ad pertinaciam uſque obſervantiſſimo ſeni, quo minus Philippo de ſorore Mariae defunctae conjugis in uxorem ducenda gratiam faceret, ex religionis cauſa ſcrupulum injiceret; quippe, quantum ille catholicae majorum religioni addictus erat, tantum Eliſabetham ab ea abhorrere, et Proteſtantium doctrinae tribuere, cunctis perſuaſum eſſe. Monebat inſuper oratorem ſuum, caveret, ne Philippiei id per regem agi ſentirent, reſque per eos ad Eliſabetham emanaret: nam, cum adhuc incertum eſſet, quem exitum hoc negotium ſit habiturum, nolle committere, ut animum reginae, ob antiquas Francici Anglicique nominis aemulationes ac ſimultates ad offenſionem pronum, irritaſſe potius quam placatum habere voluiſſe videatur.

VAR. LECT. [α] quod, ut ait recte P.D.o. [β] *Quae ſequuntur ad libri uſque finem deſiderantur* P.D.o.

INTERPR. [a] *Milan.* [b] *Naples & Pays-bas.* [c] *Lodrone.* [d] *de Babou, évêque d'Angouleſme.* [e] *les Theatins.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

RES in Subalpina provincia a Sueſſano geſtae. Mons-calvus a noſtris amiſſus; ex eoque inter Piquinium et Adretium injurioſa contentio, in qua Adretius, injuriam ſibi a Guiſio factam cauſatus, ejus ſenſum preſſit, et, tempore ultionis captato, poſtea renudavit. II. *Ferdinandi in Caeſarem inauguratio et ad pontificem irrita legatio, apud quem per oratores ſuos proteſtatur.* III. *Aequius de lite Brandeburgica judicium.* IV. *Melchioris Zobeli Herbipolenſis epiſcopi deteſtanda caedes.* V. *Bellum Livonicum. Livoniae ſitus, populi, origines. Dunae, Volgae, Boryſthenis, Lovati, Tanais fontes. Chriſtianorum ſacrorum in iis regionibus initia.* VI. *Teutonici equites, in Livoniam aſciti ab Alberto epiſcopo, poſtea infida ſocietate cum praeſulibus bellum gerunt; unde inter equites et Rigenſeis bella; ex eaque occaſione poſt Gedanenſem pacificationem anni* CIↃCCCCXLVIII *Moſci in provinciam invadunt; quos Walterus Pletenbergus ſumma virtute repulit, et pace* L *annorum cum iis facta equites ac Rigenſeis compoſuit. Poſtea in Boruſſia Teutonicus Ordo a Sigiſmundo Poloniae rege abolitus eſt anno hujus ſaeculi* XXV, *et patris exemplo Sigiſmundus Auguſtus Livonicum aliquot poſt annis exſtinxit.* VII. *Lutheri doctrina quibus initiis in Livonia ſparſa, principio a Treptoa Pomeraniae urbe proxima facto, et inde Rigam ab Andrea Cnoſio per conciones pervenerit, ac poſtremo Torpatum.* VIII. *Moſcorum in Livonos odiorum cauſae: eorum origo, principum ſucceſſio, prima pietatis Chriſtianae cunabula, provinciarum amplitudo, imperii ratio et adſtricta ſeveritas.* IX. *Exeuntibus* L *annorum induciis, et negata prorogatione, Narva Germanica ſeu Livonica a Joanne Baſilii filio tunc rerum potiente capitur: dein et Nebeuſium, ac poſtremo Torpatum poſt longam obſidionem deditur. Daniae rex Chriſtianus, provinciae delato patrocinio, ſe excuſat.* X. *Caroli Caeſaris obitus, laus, ultimum elogium.* XI. *Literis clarorum virorum mortes; Joannis Bugenhagii Pamerani, Joannis Fernelii, Jani Cornarii, Jacobi Micylli, Joannis Penae, Jul. Caeſaris Scaligeri, Aloiſii Lipomani Bergomenſis epiſcopi, Andreae Tiraquelli, Joannis Vergarae.* XII. *In Scotia leves cum Anglis velitationes. Toto eo anno et ſequenti, jam praevalentibus Proteſtantibus, ubique ſeditiones exortae; Perthi magna intemperies in templa, ac praecipue Carthuſianorum coenobium ampliſſimum, quod a fundamentis demoliti ſunt. Inde res ad arma devenit.* XIII. *Perthum venit regens; quod illi, dimiſſis utrinque copiis, patuit: et, qua potuit ultione ſumpta et loco praeſidio firmato, inde quaſi victrix Sterlinum rediit.* XIV. *Perthi opportunus ſitus. Jacobus Stuartus et Argathelius Proteſtantibus addicti, qui cum regente remanſerant, ab ea omnino deficiunt. Ad Cuprum quaſi certaturae utrinque ſtant copiae.* XV. *Viae concordiae fruſtra initae; quod fidem datam alii violatam dicerent; regens non aliud haberet, nec e dignitate ſua aliud dare poſſe exiſtimaret. Igitur foederati ad Perthum caſtra ponunt, et locum deditione recipiunt; eodemque ſucceſſu Sterlinum ipſum et Limnuchum occupant, et cultum divinum in iis mutant. Regens Edimburgum concedit,*

concedit, factaeque certis conditionibus induciae; quae eo religioſius ſervatae ſunt, quod ſuperiorum violatione res prope ad internecinam perniciem recidiſſent. Sub id allatum de morte Henrici regis.

Ex Auctoribus,

Jo. Bapt. Hadrianio, Franc. Regii Chavignii commentariis non editis, Plutarcho, Cl. Ptolemaeo, Alexandro Gaguino, Adami Hamburgenſis eccleſiaſtica hiſtoria, Davide Chytraeo, Sigiſmundo Heberſtenio, Moſchicis annalibus, Reinholdo Heldenſtenio, Tilemanno Bredenbrachio, Joanne Leſlio, Georgio Buchanano.

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

CIƆIƆLVIII. HENRICUS II.

[a] FOSSANO et Cunio in Inſubribus arcta in ſpeciem, qua premebantur, obſidione liberatis, [b] Sueſſae dux, ut aliquod operae pretium faceret, cum XII CIƆ peditum, II CIƆ equitum progreditur, et [c] Centalium, cui [d] Petrolongus praeerat, haud longe a Foſſano, XV Kal. Septembr. aggreditur, et verberatione facta et aqua foſſa derivata capit, captumque demolitur. Dum Centalium obſideretur, IƆ equites ac totidem pedites, qui [e] Aſta in caſtra hoſtium veniebant, ab Arturo [f] Coſſaeo Gonnorio Briſſaei fratre prope [g] Cerizolium caeſi ſunt. Inde [h] Sueſſanus, in itinere capta [i] Summariva, [k] Rupimontio, [l] Rupiſparveria et Caralio, Aſtam venit; ubi numerato ſtipendio, recta [m] Montem-calvum in Monſerratenſis agri meditullio ſitum oppidum copias ducit, et obſidione cingit. In eo erant VIII Gallorum ſigna, II Italorum ac totidem Germanorum vexilla. Loco praeerat ſub A. [n] Dallio Piquinio [o] Inſulanus et Franciſcus [p] Bellomontius Adretius, de quo ſaepius poſthac nobis mentio erit. Alba auxiliares a noſtris ſummiſſi ab Hiſpanis caeduntur. Tandem admota XXV tormenta VI Non. Octobr. quorum diſploſione cum non videretur tanta ruina facta, ut impetus fieri deberet, in ſequentem diem res dilata eſt: quo rurſus uſque ad meridiem redintegrata pulſatione, dum Sueſſanus cibum capit, pauci ex Hiſpanis vallo egreſſi, poſtquam locum attente contemplati ſunt, in ruinam enituntur ea parte, quam Dallius defendendam ſuſceperat; nam alteram tuebatur Adretius: cumque propugnatores, qui rari erant, ad Hiſpanorum conſpectum ceſſiſſent, alii rurſus Hiſpani ſuccedunt, moxque facto agmine novi ſubſequuntur, qui, Piquinio cum CIƆ amplius ſine certamine in arcem ſe recipiente, oppidum vi capiunt, vix XXV ex ſuis deſideratis. Captus Inſulanus, et Adretius a tergo circumventus, unde ſibi minime metuebat; quippe qui Piquinium ſuam partem defenſurum ſperaret. Mox ad arcem itur; cujus muniendae curam inſuper habuerant noſtri, et paucorum dierum commeatum in ea reliquerant, quod oppidi firmitati fiderent. Itaque ſtatim conventum, ut praeſidiarii, ſi intra biduum Briſſacus auxilio non veniret, relictis tormentis, cum armis ac ſignis explicatis et ſonantibus tympanis incolumes dimitterentur. Poſtea Adretius, cum ſe redemiſſet, Piquinium poſt Henrici mortem coram Franciſco II citavit, ut ſibi depenſae redemptionis pretium reſtitueret, et ſupellectilis in Montis-calvi expugnatione amiſſae damnum ſarciret, quod ejus culpa factum diceret ut oppidum caperetur. Piquinius, qui actione illa notam pudori ſuo inuri videret, cum de injuria proteſtaretur, Adretius

INTERPR. [a] *Foſſano & Coni en Piedmont.* [b] *Seſſa.* [c] *Centale.* [d] *le capitaine Pierrelongue.* [e] *Aſt.* [f] *de Coſſé, ſieur de Gonnor, frere du mareſchal de Briſſac.* [g] *Cerizoles.* [h] *le duc de Seſſa.* [i] *Sommerive.* [k] *Rocquemont.* [l] *Rocque Sparviere & Carail.* [m] *Monte-calvo.* [n] *de Dailly, ſieur de Piquigny.* [o] *le capitaine Laſle.* [p] *de Beaumont, baron des Adrets.*

CIↃIↃLVIII. HENRICUS II.

Adretius geminata injuria a rege petiit, ut, ſi factum negaret et injutiam ſibi factam contenderet Piquinius, cum ſuae majeſtatis venia duello controverſiam dirimere liceret. Heic cum diverſa eſſent procerum ſtudia, Guiſiani, penes quos ſumma rerum erat, Piquinii parteis tuebantur; eorumque favore ſententia a rege ſecundnm Piquinium fertur, qua nulla ejus culpa Monrem-calvum amiſſum eſſe pronunciatur, ac proinde ab Adretii petitione abſolvitur, et utrique interdicitur, ne quid eo nomine ſibi improperent faciantve; ſi contra fecerint, in laeſae majeſtatis crimen incurſuri. Quod judicium adeo impatienter tulit Adretius, ut injuriam non jam a Piqninio, de quo [*] abunde ſibi ſatisfactum dicebat, verum a Guiſianis acceptam oblata occaſione ulturum ſe dejeraret. Idque in cauſa fuiſſe plerique putant, cur ille, alioqui minime Proteſtantium religioni addictus, eorum parteis poſtea ſecutus ſit, et, [a] Valentia capta, [b] Motagondrini Guiſii legati caedi interfuerit. [c] Monte-calvo culpa noſtrorum capto ac praeſidio idoneo firmato, Sueſſanus caſtra movet, et [d] Caſalium verſus ducit, praemiſſo [e] Piſcario cum equitatu, qui regionem vaſtaret, et, ne commeatus in urbem importaretut, prohiberet. Ibi eruptione a noſtris facta, [f] Bellagardio, [g] Cureo, [h] Cazeta ductoribus, turbata hoſtium caſtra et vexillum unum captum: ſupervenientibus dein imbribus, Sueſſanus, qui et ipſe a re pecuniaria, uti et noſtri, laborabat, ob idque graviſſima provinciae tributa imponere coactus fuerat, a Caſalio diſcedit; et, [i] Pomario caſtello in itinere capto, [k] Martini-fanum venit; quod mox muniri imperat, ut medio eo inter [l] Valentium et Caſalium impoſito firmo praeſidio noſtros vexaret. Briſſaco contra ad ſummam rerum inopiam incommodi illud accedebat, quod poſtulata, monita, querelae ipſius omnes apud regem et qui circum regem erant ludibrio habebantur: cum alii dicerent, eum a neceſſitate virtutem mutuari debere; plura eſſe munimenta in Italia, quam ut iis ſervandis aerarium regis aliunde ſumptibus exhauſtum ſatis eſſe poſſit. Cum vero praeficiendi locis duces idoneos facultas ei a rege fuiſſet conceſſa, et [m] Gordius forte, ut Momotantii magiſtri equitum alae legatus eſſet, [n] Montis-regalis praefectura ſe abdicaſſet, in ejus locum [o] Peluſius ſuffectus eſt, ablato injurioſe [p] Lavallo Gordii ſotorio, quem Briſſacus impoſuerat. Id male cum habebat, qui in magno honore a ſuis hactenus habitus ex eo paulatim cunctis deſpectui eſſe coepit; adeo ut Quinquepagiei Helvetii, qui nullam militarium hominum in illa provincia eſſe regi curam perſpicerent, ſuos revocarent: itaque ille fere ab omnibus deſertus eſt, et qui ſupererant [q] Auguſtam Taurinorum, relictis praeſidiis ſuis, quotidie commeabant, ſpretiſque ejus imperiis, ad ſtativa redire recuſabant. Miſſus ob id ab eo in aulam [r] Gonnorius frater, qui, quo in periculo res eſſent, regem praeſens edoceret, ut, ſi quid ſiniſtri, quod verebatur, inde accideret, ipſius culpae, qui in tempore monuiſſet, id minime tribueretur [m].

II. IN Germania cum ſeptemviri ex conſtituto cum Ferdinando Francoſurtum conveniſſent, eodem quoque legati, quos dixi, [s] Arauſionenſis, [t] Seldius et Hallerus VI Kal. Mart. qui dies B. Matthiae ſacer eſt, venere cum Caroli mandatis, ejus nomine imperatotiam dignitatem ejuratnri, et in Ferdinandum Romanorum regem jus ſuum tranſlaturi. Is dies, quod fatalis ac fauſtus Caeſari fuiſſet, delectus erat: ſiquidem eo Gandavi natus, poſtea ad [u] Ticinum victor, deinceps [x] Bononiae a Clemente imperatoriam coronam ſuſceperat, et [y] Aquiſgrani deinde fratrem in regem Romanotum inaugurari curaverat. Acceptis Caroli mandatis, poſt deliberationem, cum certis conditionibus ſeptemviri ejus voto annuiſſent, ſuperabat, ut veteri more ac cere-

P. [*], *exprobrata in os coram principe ignavia,*

VAR. LECT. [m] *De Caroli v morte, quae hujus libri finem verſus rejicitur, narratio hic legitur in* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Valence en Dauphiné.* [b] *le ſieur de la Motte Gondrin.* [c] *Monte-calvo.* [d] *Caſale.* [e] *il marcheſe di Peſcara.* [f] *de Bellegarde.* [g] *la Curée.* [h] *Cazate.* [i] *Pomero.* [k] *San Martino.* [l] *Valenza.* [m] *de Gordes.* [n] *Mondovi.* [o] *de Pelous* [p] *le ſieur de Laval, beaufrere de Gordes.* [q] *Turin.* [r] *de Coſſé Gonnor.* [s] *le prince d'Orange.* [t] *Selden & Haller.* [u] *Pavie.* [x] *Bologna.* [y] *Aix la Chappelle.*

ceremonia inauguratio peragerctur. Itaqne erigitur in ſoro tabernaculum ligneum, CIↃIↃLVIII.
ad quod per gradus aſcendebatur, ſtragulis ac tapetibus aureis et holoſericis inſtratum, HENRICUS II.
quo Ferdioandus die eoodicta imperialibus ornamentis amictus magno ſtipatu venit, ſolioque praeparato conſedit. Ibi ſeptemviri, poſtquam agminatim concitato curſu, magna equitum turba comitante et praelaris de more vexillis, ter circum imperatoriam ſellam equitatunt, magno elangore interea tubicinibus Ferdinandi et ſeptemvirorum coocinentibus, ex equis deſilinnt, ordineque ſedentem Caeſarem adeunt, et in genua provoluti jurejurando fidem addicunt. Hoc facto, oovus Caeſar ad Carolum fratrem ſeribit; gratiiſque actis, Philippum ſibi et Imperii ordinibus percharum fore ac eum commendatum aeque ut proprios filios habiturum pollicetur. Mox et ad camerae Spirenſis judices dat literas, et quid actum ſit denunciat, atque ut in judiciali muncre viee et auctoritate ſua ſuogantur, mandat, poteſtate ſacta, ut Caroli v ſigillo, quod habeant, utantur, dooec oovum tranſmittatur. Conventu dimiſſo, Caeſar ſecundo Danubio ſub menſe Novembri Viennam venit; ubi maxima ſuorum ordinum gratulatione exceptus eſt. Quo ſacto, ut antiquam erga ſedem Romanam officio conſueto obſervantiam teſtaretur, Martinum Guſmanum ſupremum camerarium ad pontifieem mittit, qui eum de Caroli fratris abdicatione et inauguratione in Auguſtum ſua, qui jam Romanorum rex creatus eſſet, plenius edoceret. Mandata ejus erant; ut Caeſarem, erga pontificem et ſanctam ſedem eo animo affectum, quo majores ſui, eccleſiae Romanae et omoium aliarum praecipui patroni, tutores ac defenſores etiam duriſſimis temporibus, extitiſſent, obedientiam ſolitam praeſtare paratum oſtenderet; adderetque, oon praetermiſſurum Caeſarem, ut primo quoque tempore veteri ac recepto more de coronatiooe ſua honorificam legationem ad pootificem ac ſanctam ſedem adornaret. Haec mandata, etſi hujuſmodi erant, ut plenam amicitiae et obſervantiae fidem facerent, ae proinde benigne a pontifice audiri, obvia humanitate admitti deberent, tamen, ob recentes cum Auſtriacis ſimultates oondum ultima pacificarione bene compoſitas, moroſus ſenex, qui legationis cauſas antea ſubodoratus eſſet, non audito Guſmano, purpuratis patribus haec diſeutienda propooit: An non Guſmanus, qui ſe a sereniſſimo domino ſuo Ferdinando ad ſe et ſanctam ſedem miſſum dicit, docere debear, quid Carolus v in Imperii abdieatione cum fratre egerit, quidve Ferdinandus viciſſim pepigerit, tum quibus condirionibus renunciationem a Carolo ſactam aeceptaverit: rurſus, poſtquam iis omnibus ſatisfecerit, an inauguratio Ferdinandi, ſine pontificis ac ſanctae ſedis conſenſu ſacta, rite ac legitime facta cenſeri debeat, vel alias ob cauſas non conſiſtat. Cardinales ad id delecti ad pontificis nutum pronunciare ſoliti, et alioqui amplificandae pontificiae potentiae ſupra modum ſtudioſi, poſt praeſationem, qua cauſae variis difficultatibus implicatae magnitudinem mulris verbis extollunt, reſpondent; neceſſe eſſe, ut publicis documentis demonſtretur, quomodo per ejeratiooem ſive ceſſionem Caroli imperatoria dignitas vacaverit; rurſus, quo jure Ferdinandus in eam ſucceſſerit; interea noo debere admitti ipſius oratorem, antequam conſtet, an Carolus, qui ceſſerit, legitime dignitate ſolutus ſit, ut is qui ſucceſſerit legitime ſucceſſiſſe dici poſſit. Ad haec adduot, acta Francoſurti nullius eſſe momenti, cum oon intervenerit in iis ſanctae ſedis auctoritas et Chriſti vicarii, cui claves coeleſtis ac terreni imperii creditae ſint, ſine quibus nec Carolus legitime Imperio ſolutus, nec Ferdinandus recte in Imperium ſucceſſiſſe dici queat: nam, quamvis Ferdinandus olim rex Romanorum [a] Colooiae creatus fuerit, remque Clemens VII ratam habuerit, tameo, ut ſuccedat, neceſſe eſſe, ut vacet Imperium, quod non niſi morte, ejeratione aut privatione fieri poſſit: quae duo poſtrema ad ſolum pontificem, nec alium, et ſanctam ſedem pertineant: eſſe et aliud in cauſa, cur omnia Francofurti acta reſcindi debeant; quod ab hominibus pravitate haeretica infectis geſta ſint, qui omnem gratiam et poteſtatem amiſerint, quam habe-

INTERPR. [a] *Cologne.*

bant,

CIƆIƆLVIII. bant, cum nondum a Romana eccleſia defeciſſent: ob id et ut ad purgandum ſe judicio ſiſtat, Ferdinando opus eſſe poenitentia; nec vero dubitare eum debere, quin
Henricus II. veniam a miti patre facile conſequatur: itaque mittendum ab illo procuratorem cum plenis mandatis, quibus declaret, ſe iis, quae Francofurti acta ſunt, ut nullius momenti, renunciare, remque omnem pontificis arbitrio permittere, qui inaugurationem quamvis non rite factam plena poteſtate confirmet: mandatum ſuſuper Caroli, quo Imperium ejuret, coram pontifice produci debere; quod licet ad ſeptemviros tantum dirigatur, tamen defectum hunc abunde ab eo, qui plenam poteſtatem in hujuſmodi rebus habeat, ſuppleri, et ad pontificem ipſum extendi poſſe. Secundum haec pontifex inſtanti Guſmano ut admitteretur, reſpondit; quoniam Carolus apud nullum niſi ſe Caeſaream dignitatem ejetare, nec Ferdinandus eam citra conſenſum ſuum accipere potuerit, ipſum intra treis menſeis iis, quae a cardinalibus propoſita ſint, ſatisfacere debere: interea ipſum Guſmanum minime admitti poſſe. Eodem tempore Philippus, ut Ferdinando patruo advocationem in eo negotio officioſam praeberet, Franciſco [a] Vargae apud ſenatum Venetum oratori ſuo mandaverat, ut Romam iret, et rem ſuo nomine enixis precibus commendaret. Cujus preces nihil moratus eſt pontifex: quin et Joannem Figueroam ad eum a Philippo miſſum, cum in eo eſſet ut urbem ingrederetur, injurioſe aditu prohibuit, quod diceret, eum, cum Mediolano praeeſſet, conjecto in carcerem tabellario pontificio in graviſſimas ſacrae cenſurae poenas incurriſſe: quanquam id Vargae potius aſtu factum ſcribunt, qui, rejecto Figueroa, in ipſius locum ſuffectum iri ſe ſperaret; idque cardinalium quorundam atque adeo Caraſarum interventu, ad quorum nutum Varga res heri ſui adminiſtraturum ſe receperat. Ubi vero de pontificis voluntate Ferdinandus ex literis Guſmani cognovit, continuo reſcribit; mandatque, ut, niſi poſt triduum a mandato accepto a pontifice admittatur, ipſe, rebus compoſitis, Roma diſcedat; denunciatione ante facta, ſe, quando a Caeſare ad pontificem ſit legatus, ut ei more majorum ſuorum filialem honorem exhibeat, nec tam longo tempore, non abſque Caeſareae majeſtatis imminutione, ad mandata exſequenda admitti potuerit, Roma diſcedere, ut Caeſarem de iis, quae in hoc negotio intervenerunt, certiorem faciat: qui mox, re cum ſeptemviris deliberata, id facturus ſit, quod imperiali dignitati convenire videbitur. Inſtante igitur Guſmano ut admitteretur, quod niſi fieret, mandatum habere a Caeſare, ut quam primum Roma diſcederet, tandem non publice ſed privatim, tanquam legatus Caeſareus, non enim aliter voluit, auditus eſt coram VII cardinalibus III Eid. Quintil. Ibi pontifex ob cauſae gravitatem prolixe ſe excuſat, quod non prius petitioni ejus ſatisfecerit: cum vero ſatis temporis ſibi non fuerit, ut capita a cardinalibus propoſita expendere potuerit, neque ipſi legato vacet ut diutius Romae commoretur, licere ipſi, cum volet abire: ſe vero quamprimum ad Caeſaream majeſtatem, ita Carolum etiam poſt ejeratum Imperium vocabat, legatum miſſurum. Quibus dictis, cum Guſmanus, quid de proteſtatione facienda in mandatis haberet, indicaſſet, pontifex reſpondit, id ſibi probari, et tum ſibi tum Caeſareae majeſtatis bono ceſſurum. Itaque, proteſtatione, ſicuti juſſus erat, facta, ac ſalute amicis dicta, Guſmanus ab urbe diſcedit. Mortuo dein Paulo IV, Pius IV imperatoriam dignitatem a Caeſare in Ferdinandum fratrem tranſlatam ratam habuit, et ejus tanquam legitimi imperatoris legatos honorifice Romae excepit.

III. Primis Imperii auſpiciis Ferdinandus memorabile ac plenum aequitatis judicium tulit. Nam, cum ex ſuperiorum bellorum occaſione, quibus Albertus immani licentia bacchatus Franconiam et finitimas provincias magnis cladibus afflixerat, controverſia eſſet inter Alberti jam mortui agnatos, quibus propter antiquum foedus Saxoniae et Heſſiae principes ſe adjunxerant, et Franconiae epiſcopos ac ſenatum

INTERPR. [a] *de Vargas.*

ſenatum Norimbergenſem; quod illi occupata agnati bona ſibi reſtitui, deſtructarum arcium damna ſarciri debere contenderent; hi, quando nihil a pacis conſtitutionibus et Imperii decretis alienum feciſſent, contra, ut ſumptus in exſequenda Imperii ſententia adverſus Albertum proſcriptum lata facti refunderentur, petebant. Heic Caeſar, qui controverſiam eam non privati juris eſſe ſed ad tranquillitatem publicam ſpectare videret, quamvis contra Albertum facta a foederatis recte facta eſſent, tamen cum morte ejus crimen exſtinctum et odium quadantenus expiatum videretur, ut concordiam inter primarios imperii proceres et epiſcopos ac civitates ſervaret, damnorum a Brandeburgica familia acceptorum rationem haberi voluit; et, cum jam anno ſuperiori menſe Martio foederati univerſam a ſe occupatam regionem Georgio Friderico Alberti agnato et heredi reſtituiſſent, inſuper Caeſar cenſuit, ut pro arcibus deſtructis CLXXV CIↃ aureorum Brandeburgico dependerent. Cui ſententiae poſtremo, ut damnoſam belli moleſtiam effugerent, privatis rationibus publicae quieti poſthabitis, illi aſſenſere.

CIↃIↃLVIII.

HENRICUS II.

IV. EODEM hoc anno XVII Kal. Maias Melchior [a] Zobelus, epiſcopus [α] Wirtzburgenſis, Franconiae [β] dux, in civitate ſua a XV ſicariis confoditur, inaudito jam a multis ſaeculis in Germania facinore. Nam poſt Philippum Caeſarem Sueviae et Etruriae ducem, qui anno ſalutis CIↃ CCVIII, X Kal. Quintil. in arce ſua [γ] Bambergenſi ab Othone Palatino [b] Witelſpachio neſanda proditione occiſus eſt, et Engilbertum Colonienſem archiepiſcopum a Friderico [c] Iſenburgico comite XXII annis poſt ex inſidiis interfectum, nihil tale in Imperio accidiſſe meminerant homines. Id vero ab illo tempore tantum viris principibus terrorem incuſſit, ut, qui benevolentia ac fide ſuorum ſe ſatis tutos exiſtimabant, jam de conducendo ſatellitio cogitarent. Res autem ita habet. Cum Zobelus ex arce ſua, quae trans [d] Moenum eſt, in urbem ad cauſas audiendas veniſſet, et inde rediens diverſorium publicum praetervcheretur, ab hominibus, qui, jam equis conſcenſis, vinum quaſi abituri de more gentis poſcebant, invaditur; unaque cum eo duo equites interficiuntur; aliquot praeterea vulnerantur. Quo facto cum tumultus excitatus eſſet, nec cauſa cognita, plebs tanquam ad incendium reſtinguendum accurreret, hoc enim ſicarii fugientes ſubinde inclamabant, per portam, quae a conſciis ſervabatur, elabuntur, et per abſtruſas convalleis anfractuoſis itineribus progreſſi Joannem Zobelum epiſcopi interfecti conſanguineum forte obvium aggrediuntur, et, quaſi bello captus eſſet, dextram fidei teſtem repoſcunt, ut ad diem et locum, quem vellent, ſe ſiſteret. Ignorabatur initio auctor: ſed, perquiſitione ob facti atrocitatem diligenter facta, Chriſtophorus [e] Kretzenus Willelmi [f] Grombachi emiſſarius caedis inſimulatus eſt; ob idque anno ſequenti [g] Auguſtae in comitiis publice proſcriptus, ac poſt diuturnam latitationem [h] Kugelsbachii exploratoris ſolertia in arce [i] Schaumburgica in Lotharingiae finibus comprehenditur, dignas ſcelere poenas ſubiturus: quas tamen ille deſperatione adactus, dum Herbipolim deducitur, in itinere, cuſtodibus dormientibus, ſibimet fracto gutture antevertit, cum conſciorum nomina prius edidiſſet. Id Grombachii equitis Franci juſſu factum tum conſtitit, Zobelo epiſcopo ſuccenſentis, quod legatum a Conrado [k] Bibraeo epiſcopo Herbipolenſi uxori ſuae factum ſolvere noluiſſet, et, dum cum Alberto marchione ferro et flammis paſſim graſſaretur, ipſum tanquam proſcriptum bonis exturbaſſet.

V. AD res Germanicas pertinet et Livonia, cui bello illato magnus Moſcorum princeps hoc anno grave damnum intulit: de quo antequam dico, quaedam de regionis

VAR. LECT. [α] Virsburgenſis P.D.o.f.d. [β] dux, Herbipoli, in P.D.o. [γ] Bebergenſi P.D.o.f.d.

INTERPR. [a] *Zobel, evêque de Wirtzburg.* [b] *Witelsbach.* [c] *d'Iſenburg.* [d] *le Mein.* [e] *Kretzen.* [f] *Grombach.* [g] *Augsburg.* [h] *Kugelsbach.* [i] *Schaumburg.* [k] *Bibrach, evêque de Wirtzburg.*

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

gionis poſitu ac ſtatu praefari conveniens exiſtimo. Praeter [a] Viſtulam, qui limes Germaniam ab ortu a [b] Sarmatia Europea diſterminat, ſeptentrionem verſus porrigitur longus terrarum tractus, qui [c] Boruſſiae nomine a Ptolemaeo indigitatur. In eo ſunt Boruſſi, hodie Pruſſi paulum deflexo nomine, et trans [d] Cronum, qui vulgo [e] Memelus et in aeſtuario [f] Ruſſus vocatur, Samogitia, quae, licet ut et Pruſſia Polonico regno nunc ſubjecta ſit, a Saxonibus vindicatur, et in Saxonico Imperii circulo ponitur. Inter Pruſſos, Samogitos, Lithuanos et Ruſſos ſeu Moſcos poſita eſt Livonia, quae ab occaſu ſinu [g] [1] Venedico, ab ortu Narva et vaſtitate ſylvarum ac lacuum, qui eam et Ruſſiam interjacent, clauditur, regio nemoroſa ac plana, fluviis irrigua et paſcuis dives. Habet ſub ſe [h] Curones, [i] Lettos et Eſthenos, praecipuas nationes, ut moribus ſic et lingua diverſas, quae tamen fere Saxonica eſt. Curlandiam in ea ad ſeptentrionem a Lettis dividit [α] [j] Duna fluvius, qui longo ac flexuoſo tractu ex Rutenico lacu ſupra Moſcam XXX circiter milliaribus manans per Lithuaniam in Livoniam decurrit, et II infra Rigam Lettorum metropolim milliaribus in mare occaſum verſus exoneratur. A quo eodem lacu haud ita longe, quamvis alii ex ſylva vaſta ac paluſtri, cui [k] Volkoskiae nomen, ſcribant, X haud amplius ab hinc milliaribus, Volga Europaſiaticus fluvius contrario ſed longiore multo ortum verſus flexu per Moſcoviam et [β] Tatariam labitur. [γ] Is, ubi navigiorum capax, atque adeo a Vologda, latitudine plus CIↃ paſſus patet, argillaceis ripis et quercubus ac betulis undique cinctus, tandemque converſo ad meridiem curſu, LXX amnibus ſecum aſſumptis, in mare Caſpium juxta Aſtracanam influit. Rurſus [l] Boryſthenes ab eodem lacu ſeu ſylva meridiem verſus tendit, et [δ] [m] Smolenſcum, tot proeliis inter Polonos ac Moſcos commiſſis nobile, et [n] Kioviam olim Ruſſiae Polonicae metropolim alluens, XL infra Circaſſos milliaribus Euxino mari excipitur. Denique haud procul hinc alius fluvius, [o] Lovatum vulgo vocant, [p] Vielicam et per [q] Ilmenum lacum [r] Novogardiam magnam praeterlabens mutato nomine in [s] ſinum Finnicum jam [t] Volchova dictus ſupra [ε] [t] Coporrantum effunditur. His [u] Tanaim quidam addunt, qui Europae veteribus limes eſt, atque infra Volgam haud ita longe exortus contractiore curſu in Euxinum mare ſe dimittit. Trans Dunam Letti ſunt, in queis Riga, ac praeterea [ζ] [v] Kochenduſa, [x] Wendena, [y] Wolmarium, et Livi proprie dicti, qui regioni nomen dederunt; et qui ab oſtio Dunae [z] Salinum et Parnoviam verſus litoralem tractum olim incolebant. Eſthenorum provinciae, quae ſupra Lettos poſita eſt, metropolis hodie [aa] Revalia eſt, in qua [bb] Hapſelum civitas, epiſcopi ſedes, olim [cc] Lealae inſtituta, et poſtea [dd] Oſiliam tranſlata, quae eſt inſula continenti oppoſita ambitu XIV milliarium, hodie Hapſelenſis epiſcopi patrimonium. Ortum verſus [ee] Derbata eſt, epiſcopalis ſedes, Moſcis finitima, quam Torpatum deinceps vocabimus. Univerſa regio in longitudinem XC, in latitudinem L milliaria Germanica patet. Cum indigenis et cum Livis, commercii cauſa, Germani vicini, atque, ut eorum annales teſtantur, Bremenſes, tempeſtate forte in ſinum Livonicum delati, amicitiam junxere, immunitatem ſuis ac mercatoribus, quos adducturi erant, icto foedere pacti; qui et in inſula in Dunae oſtio ſacellum exſtruxerunt, in quo ritu inter Chriſtianos recepto ſacra peragebant.

VAR. LECT. [α] Duina *P. D. o. f. d. ubique.* [β] Tattariam *P. D. o. f.* [γ] Is, ubi navigiorum capax, atque adeo a Vologda, latitudine plus CIↃ paſſus patet, argillaceis ripis et quercubus ac betulis undique cinctus *deſunt P. D. o. f. d.* [δ] Smolenchum *P. D. o. f. d.* [ε] Coporranum *P. D. o. f.* [ζ] Kolchenhuſa *P. D. o.* Kochenhuſa *D. f. d.*

INTERPR. [a] *Weixel* Germ. [b] *Pologne.* [c] *la Pruſſe.* [d] *le Cron.* [e] *Memel.* [f] *Reuſſen.* [g] *Pautzkerwick.* [h] *Courlande.* [i] *Letten & Eſten.* [j] *la Duine.* [k] *Vokoska,* vulgo *Vologhda.* [l] *le Nieper.* [m] *Smolensko.* [n] *Kiow.* [o] *Lowat.* [p] *Wielikie.* [q] *Ilmen,* al. *Ilmer.* [r] *Novogrod en Ruſſie.* [s] *Golfe de Finlande.* [t] *Wielk,* vulgo *Wolchow.* [t] *Copordia.* [u] *le Don r.* [v] *Kokenhauz,* al. *Koken-huſen.* [x] *Wenden.* [y] *Wolmer.* [z] *Salis & Pernau.* [aa] *Revel.* [bb] *Hapſel.* [cc] *Leal.* [dd] *Oſel.* [ee] *Derbet,* ou *Dorpt.*

NOT. [1] *Sinus Venedicus*] Quidam vocant *Frischaff*: ſed Ortelius refutat, et dicit nunc vocari *Pautzkerwich.* Vide Pontanum in Hiſtoria Danica. *Put.*

peragebant. Horum exemplo ac monitis plerique provinciae reguli verae religioni nomen dederunt; et a Bremenſibus petierunt, ut virum pietate conſpicuum ad ſe mitterent, qui ſacris in ea regione praeeſſet. Is fuit Menardus [a] Segebergenſis monachus, a Bremenſi archiepiſcopo in Livonenſem epiſcopum conſecratus, Friderici Ahenobarbi et Alexandri III pont. max. temporibus, per quem religio iis locis propagata fuit, conſtituta [b] Uxkelae ad [c] Duinae ripam ſede. Huic ſucceſſit Bertoldus, ex B. Pauli coenobio itidem Brema miſſus, cum eodem tempore Adalbertus archiepiſcopus Hamburgenſis pleroſque epiſcopos in [d] Cimbricam Cherſoneſum et [1] Scandinaviam peninſulam, a veteribus inſulam creditam, et Thules nomine appellatam, (nam cave putes Thulen veterum, [α] quod tamen putabat Scaliger, eſſe, quae hodie Iſlandia vocatur) miſiſſet, ad Chriſti nomen per eas regiones propagandum, ut ſcribit Adamus libro IV hiſtoriae eccleſiaſticae, ubi et Menardi mentionem facit: miſſus, inquam, Bertoldus, qui, cum vi non Dei verbo adverſus feros homines utendum cenſeret, a Paganis occiditur anno ſalutis CIↃCLXXXXVII, ut perſcriptum eſt in hiſtoria archiepiſcoporum [e] Bremenſium, ubi et Bertoldus Livonienſis epiſcopus appellatur. Huic ſubrogatus eſt Albertus, ex collegio Bremenſi evocatus; qui Rigam civitatem condidit ac moenibus cinxit, ut ibidem proditur, cum [f] Hartvicus Bremenſi ſedi praeeſſet.

CIↃIↃLVIII.

HENRICUS II.

VI. Is Albertus deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, ſed cautius, rem geſſit, Engilberto et Theodorico [g] Tiſenhuſenenſibus adjutoribus ſibi cognatis, quorum ex conſilio in ſocietatem Teutonicos equites aſcivit, qui a Templariis olim a Fulcone Hieroſolymorum rege inſtitutis orti ad fidei Chriſtianae amplificationem in ſeptentrionaleis regiones ablegati fuerant. Cum iis foedere contracto, Albertus tertiam provinciae armis captae partem equitibus addicit, prudenti pro tempore conſilio, ſed cujus poſtea ſucceſſores epiſcopos poenituit. Illius auſpiciis inſtituto equitum in Livonia collegio, primus Ordinis dux ac magiſter Vinno creatus eſt. Eo creato, conjunctis viribus magni progreſſus per eas regiones facti, capta a Volquinio equite [h] Torpae arce, antea Ruſſis ſubjecta, et [i] Cocenhuſia occupata, finibuſque ob perfidiam Ruſſis omnino exactis. Alberto epiſcopo Nicolaus, et Nicolao Albertus alter ſucceſſit, cum Volquinius Vinnoni per proditionem occiſo ſuffectus fuiſſet. Tum Rigenſis ſedes archiepiſcopali dignitate ornata eſt; et [k] Boruſſiae epiſcopi [l] Warmienſis, [m] Culmenſis, [n] Pomezanenſis et Sambienſis ſe Rigenſi praeſuli tanquam metropolitano ſubjecere, unito fratrum Livonenſium collegio cum equitum Teutonicorum Ordine. Ita Volquinio a Lithuanis caeſo Hermannus [o] Walkus Ordinis Teutonici eques, qui Boruſſiae jam ſeptennium praefuerat, ſufficitur. Is [p] Revaliam a Waldemaro II Daniae rege, ut et [q] Weſebergam et Narvam, miſſis in Livoniam borealem ante XX annos copiis conditas, Danis reſtituit. Ab eo tempore fida inter ſe ſocietate antiſtites et Ordinis principes amicitiam coluere, quamdiu externis bellis cum Lithuanis, Ruſſis, Samogitis, Semigallis res illis fuit. Foris pacatis rebus, ſtatim ex aemulatione bella civilia inter eos exarſerunt, cum equites tot victoriis elatos et armatam militiam, quam religioſo voto profitentur, togatorum ac pacificorum hominum imperii taederet; cumque, nuper capta a Melecho Sultano [r] Ptolemaide, ubi ſedem antea ſummus Ordinis Teutonici magiſter habebat, domicilium primo [s] Marpurgum, deinde [t] Mariaburgum tranſlatum eſſet, ibi tanquam in aula et ſub principatu degentes aegre ſacerdotum et inferiorum ſe, ſicuti exiſtimabant, jugum ferebant. Igitur Joannes Suerinenſis comes Romam et poſt eum Iſaurus in Daniam ab equitibus exacti

conceſſere:

VAR. LECT. [α] quod tamen putabat Scaliger *deſunt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Segelberg.* [b] *Uxkul.* [c] *la Duine.* [d] *Dannemarck.* [e] *de Breme.* [f] *Hartwig.* [g] *Tiſenhauſen.* [h] *Torpa* [i] *Kokenhauſen* [k] *la Pruſſe.* [l] *de Warmeland.* [m] *Culm.* [n] *Pomezan & Szamland.* [o] *Walk.* [p] *Revel.* [q] *Weiſſemberg & Nerva* [r] *Acre.* [s] *Marpurg.* [t] *Marienburg.*

NOT. [1] Comprehendit Norvegiam, Suediam, Gothiam. *Put.*

CIↃIↃLVIII. HENRICUS II.

conceſſere: Fridericus denique Bohemus totos xxxix annos Romae vixit. Quo abſente, Rigenſes ab equitibus Teutonicis oppugnati, aſcitis Lithuanis, vario eventu ſaepius conflixere: inter quae ruſticorum ſeditio exorta eſt, qua nobilitas fere omnis per [a] Harriam, [b] Viriam et Oſiliam cum liberis et conjugibus trucidata eſt. Tandem poſt longam diſceptationem cauſa coram Carolo IV et Clemente VI pontifice maximo agitata, cum ſecundum Rigenſem antiſtitem pronunciatum eſſet, Fromildus, qui tunc ſedem tenebat, et Boruſſiae princeps, cum ſub id tempus Narvam, Revaliam et Weſenbergam a Waldemaro IV Daniae rege XIX CIↃ argenti marcis redemiſſet, et Livoniae adjunxiſſet, [c] Gedani amice convenerunt Non. Maii anno ſaluris CIↃ CCCXLVIII, ut, remanente penes archiepiſcopum integra civitatis juriſdictione, viciſſim Ordinis princeps fide et obſequio hactenus archiepiſcopo ab Ordinis magiſtro praeſtari ſolitis in poſterum ſolveretur. Hic minime diſſidiorum finis inter eos fuit; ſed gradus per iſtam tranſactionem ad majora ab hominibus armatis contra inermeis audendi factus. Nam, cum Sifridus Blombergus, qui Fromildo ſucceſſerat, ex pontificis conſenſu habitum collegarum Praemonſtratenſium in Auguſtinianum mutaſſet, equites, occaſione ſumpta, rurſus arma adverſus antiſtitem capiunt, eumque pulſum exſulare cogunt. Tum Ordinis fratres in collegium cooptari, et Joannes [d] Walenrodus Ordinis Teutonici eques in archiepiſcopum ſeu vi ſive in Boruſſiae magiſtri gratiam a Bonifacio pontifice conſecratus eſt. Inde paulatim ditione ſua exutus antiſtes, et Hemmingus Scherfenburgus tandem accepta pecunia ab Ordinis magiſtro poſſeſſionibus trans [e] Dunam omnibus ac Semigallia ceſſit anno CIↃ CCCCXXIV. Dein Silveſter [f] Toronienſis, qui Hemmingo ſucceſſit, XXVI annis poſt legem ab equitibus accepit, et ſe ſuoſque ſucceſſores ac collegii fratres eodem, quo equites, deinceps habitu uſuros religioſe promiſit: mox et, reſciſſa Fromildi tranſactione, poſtquam juri univerſo ac privilegiis per ſententiam a Carolo IV et Clemente VI latam quaeſitis renunciavit, dimidiam urbis Rigae juriſdictionem Ordinis magiſtro conceſſit, ita ut non jam Livoniae princeps vocaretur, potentiore in dignitatis ſocietatem aſſumpto. Nec propterea Rigenſes priſtinos animos deponebant, qui equitum diuturnis injuriis efferati [g] Dunemundam arcem ab Eberardo [h] Monchemio Ordinis principe aedificatam poſt longam obſidionem poſtremo capiunt, et captam, ut animo ſatisfacerent, demoliuntur. Inter haec anno illius ſaeculi XCV Walterus [i] Pletembergus, vir excellenti virtute, poſt Vinnonem primum equitum Livoniae magiſtrum, et Hermannum, qui Ordinem Livonicum cum Boruſſiano conjunxit, alter Ordinis inſtaurator, ſupra omnem invidiam et aemulationem poſitus, diſſidia inter equites ac Rigenſeis compoſuit, arce, quae ab illis deſtructa et rurſus ab iiſdem aedificata fuerat, urbi adjuncta, et Moſcos duobus ingentibus proeliis ineunte hoc ſaeculo, primo in Livonia, altero ad [k] Pleſcoviam, ſuperavit, et a Moſco L annorum pacem, quam ſibi honorificam tam Livonis fructuoſam, extorſit. Quibus rebus confectis, Livonicum Ordinem Pruſſiae magiſtro ſive conjunctum ſive ſubjectum exſoluta pecuniae ſumma ab Alberto, de quo ſuperius locuti ſumus, liberavit; et, princeps Imperii effectus, Livoniae florentibus bello et pace rebus, uſque ad annum hujus ſaeculi XXXV praefuit. Sed XX poſt annis, cum inter Willelmum Brandeburgicum archiepiſcopum, Chriſtophorum [l] Megalopolenſem et [m] Henricum Galenum equitum principem antiqua denuo diſſidia recruduiſſent, Willelmus et Chriſtophorus a Willelmo Furſtembergio Ordinis magiſtro capti ſunt, ac biennio poſt a Sigiſmundo Poloniae rege cum potenti exercitu adventante liberati et in priſtinam dignitatem reſtituti, adacto in conditiones minus honeſtas Ordinis magiſtro. Toties renovata diſſidia, vicinis potentioribus moleſta, ex quorum occaſione Moſco ad invadendas illas regiones et Poloniam vaſtandam via aperiebatur, ut epiſcopis primo damnoſa, ſic et equitibus poſtremo exitioſa fuere. Nam, quemadmodum

INTERPR. [a] *Harnlandt.* [b] *Virlandt & Oſel.* [c] *Dantzick.* [d] *Walenrod.* [e] *la Duine.* [f] *de Toren.* [g] *Dunemund.* [h] *Moncheim.* [i] *Plettenberg.* [k] *Pleskow.* [l] *de Mecklenburg.* [m] *Henricus à Galen.*

admodum ſalutari, ut ſibi videbatur, conſilio Sigiſmundus, abolito Ordine Teutonico ante XXXIII annos, Boruſſiam perpetuis bellis cum Polonis hactenus conflictatam magno provinciarum illarum bono juris Polonici fecerat, beneficiatio ejus principe Alberto Brandeburgico ſororis filio creato, ſic et Sigiſmundus Auguſtus, paternum exemplum ſecutus, poſtremo Livonicum Ordinem exſtinxit, et Gotardum Ketlerum poſtremum Ordinis magiſtrum Curlandiae ducem creavit: atque, ut omnis aemulatio in poſterum tolleretur, Chriſtophoro Megalopolenſi archiepiſcopalem dignitatem pariter abrogavit, illius juriſdictione omni Poloniae regibus addicta. Sed haec poſtea contigerunt.

CIↃIↃLVIII.
HENRICUS II.

VII. HANC ſtatus Livonici converſionem, mutata ante aliquot annos religione et recepta Lutheri doctrina, ſecutam eſſe facilè crediderim. In Livoniam vero qui doctrina illa pervenerit, ſcire operae pretium eſt. [a] Treptoa urbs eſt in orientali Pomerania ad [b] Regum fluvium, a quo proxime in mare Balticum delabente undique ambitur, ob amoenitatem loci et foecunditatem ſoli ſcholae regionis deſtinata. Ad eam ex Livonia propinqua juventus diſcendi cauſa confluebat: cumque ibi Joannes [c] Bugenhagius, de quo [1] nuper diximus, doceret, allatus eſt liber M. Lutheri de captivitate Babylonica; in quo ſumma vehementia vir alioqui recenti injuria exacerbatus in pontificis faſtum et curiae Romanae abuſus ab ea in eccleſiam occidenralem, quae illi ſubjecta eſt, diſſeminatos invehitur: qui ab Othone Slutovio Treptoënſi patricio prolatus, et a Bugenhagio atque Andrea [d] Cnoſio [e] Cuſtrini ad [f] Oderae ac Wertae confluentem nato probatus, cum pleriſque e juventute, quae literis operam dabat, itidem placeret, ſenſim conventus fieri et more a Luthero inſtituto in iis preces concipi coeperunt: ex eoque, accedente ad religionis ardorem aetatis calore, incitatis juvenum animis, proterve multa in collegii illius oppidi ſodaleis ac monachos dicta ac facta ſunt, ſtatuis etiam e quadam aede noctu ablatis et in proximum puteum dejectis: quod cum ad injuriam ſuam pertinere exiſtimarent collegii ſodales, evocato epiſcopo [g] Caminenſi, cujus ſacrae juriſdictioni oppidum ſubeſt, (is erat Eraſmus [h] Mandwelius nuper electus) plebem incendunt, et doctores illos mortis intentaro terrore [* et addictam iis juventutem] Treptoa pellunt. Bugenhagius Witebergam conceſſit; ubi a Luthero humaniter exceptus diu poſtea et ad mortem uſque haeſit. Andreas Cnoſius cum Joachimo [i] Mollero ac Livonis ſuis Rigam ad Jacobum fratrem ſacri collegii ſodalem ſe contulit. Pro tempore utcunque malo venienti occurriſſe epiſcopus ratus, brevi ſe opinione ſua deluſum comperit. Nam, cum haec ſub finem vitae Bogiſlai Pomeraniae ducis contigiſſent, poſtea ſub [k] Barnimi et Philippi filiorum ejus principatu comitiis in eo oppido celebratis ex omnium ordinum conſenſu [** priſca religio] abolita eſt, Lutheri doctrina recepta, anno hujus ſaeculi XXXIV. Cnoſius vero, cum concionatorem Rigae ageret, et crebro apud populum de depravata eccleſiae diſciplina ac doctrina verba faceret, de cetero ad ritus ac ceremonias receptas conniveret, paulatim ac latenter pontificis odium audientium animis inſinuavit: ac tandem per collegas ipſius, ac Silveſtrum [l] Tegetmeierum in primis hominem vehementi ingenio, qui nuper Roſtochio venerat, res apertius agi coepit. Nam is palam pontificias conſtitutiones deteſtatus praeparatos jam a Cnoſio plebis animos ita accendit, accedentibus ad haec crebris ipſius Lutheri literis, ut protinus ad dejiciendas e templo ſtatuas diſcurſarent, et ſpecie pietatis gliſcente furore altaria paſſim demolirentur.

P. D. o. [* *ac ſectariam eorum juventutem*]
P. [** *pontificia religio*]

INTERPR. [a] *Treptaw.* [b] *Rega r.* [c] *Bugenhag.* [d] *Cnoff.* [e] *Cuſtrin.* [f] *Oder & Warte r.* [g] *de Camin.* [h] *Mandwel.* [i] *Meullern.* [k] *Barnims.* [l] *Tegetmeier.*

NOT. [1] Dele *nuper diximus*: lege *mox dicemus.* Put.

CIↃIↃLVIII. HENRICUS II.

lirentur. Tunc Gaſpat [a] Lindius ſacris Rigae praeerat. Idem [b] Torpati, inſtigante qnodam pellione Witebergenſi, ſactitatum in B. Virginis et D. Joannis baſilicis, conjecto etiam in flammas palam et in ſoro omni remplorum ornatu, ne praedae potius quam pravi cultus abolendi cauſa, [α] ut ipſi aiebant, motum excitaſſe viderentur. Eadem in B B. Dominici ac Franciſci templa et virginum quoddam monaſterium licentia uſi [β] Proteſtantes, connivente Torpatenſi ſenatu, monachis paſſim exactis; quorum plerique aegre per loca vicina dilapſi, nonnulli ram viri qnam ſoeminae ex ea occaſione vitam ſolutiorem amplexi, ejerato voto, nupſere. Ita ſenſim antiquus mos abolitus; et novis ordinatis miniſtris nova eccleſiae facies apparere coepit. Quibus injuriis irritati ſacerdotes, ac Rigenſis archiepiſcopus in primis, is erar Joannes [c] Blankenfeldius, qni Lindio ſucceſſerat, ad Caeſarem mittunt: et mandatum a Philippo Badenſi marchione, qui per Caeſaris abſentiam res in [1] Hiſpania moderabatur, accipiunt, quo jubebatur ſenatus, archiepiſcopum ac collegas loco ac dignitati, unde eos dejecerat, reſtituere; ni facerent, proſcriptionem minabatur. Eas minas parvi admodum fecere Rigenſes, qui ſcirent Caeſarem aliis bellis implicatum eſſe, vulgo dictitantes, priuſquam in Livoniam adveniſſet equitatum ejus laſſum ac fatigatum fore; ac, ſi magno cum exercitu veniret, eum ſame et inedia conſumptum iri; ſi cum exiguis viribus, facile vinci poſſe. Cum conatus ſucceſſiſſet, licentiae aeſtu provecti [γ] etiam in templa, quae negotiatores Ruſſi [d] Rigae, [e] Revaliae et Torpati ſibi conſtruxerant, et in quibus ritu apud Graecos recepto ſacra faciebant, amabili illa inſania in dies creſcente, invadunt, et direpta ea a ſundamenris demoliuntur. Ac Torpati quidem, ne quis dirutarum baſilicarum uſus eſſet, Dominicanorum aedem tanqnam publicum armamentarium tormenris aſſervandis deſtinant, er Franciſcanorum remplum calci coquendae deputant: Moſcorum vero delubrum in foricam converſum excipiendis ſordibus atque excrementis ad majus ludibrium Germanis mancipant. Quo ſacto ſupra modum exacerbatum Baſilii Moſcorum ducis animum ferunt, cum ad eum res perlara eſſet, ſancteque dejeraſſe, ſe, cum primum induciae a ſe pactae exſpiraſſent, omni alia re omiſſa, illato bello tantam injuriam ulturum eſſe. Sed, quo minns id facetet, morte matura praepeditus eſt. Nam, cum haec anno hujus ſaeculi XXIII accidiſſent, ille XII annis poſt faris conceſſit, eique Joannes filius, animo haud placatiore, ſucceſſit; [2] a quo quinquennaleis inducias primum impetratas diximus.

VIII. VERUM, antequam ulterius progrediamur, de Moſcorum imperio, quia primum de eo ſermo heic incidit, nobis quaedam dicenda ſunt. A Ruſſica Narva anno CIↃ CCCC a Moſcis condita ex adverſo Narvae Livonicae ſita, medio fluvio cognomine, unde utraque nomen ſortita eſt, in orientem ac ſeptentrionem tendenribus ad mare Caſpium et uſque ad Tararorum hordas Moſcorum Imperium late patet; cui ab arce et fluvio cognomine Moſca in Occam et Volgam influente nomen eſt, ubi ante CC circiter annos Joannes Danielis filius caſtrum aedificavit, ſicuti Sigiſmundus [δ] Herberſteinius ex eorum annalibus refert: non a Moſchis ultra mare Caſpium Colchis finitimis, quorum meminir Srrabo, et quos Plutarchus a Cn. Pompeio ſubjugatos ſcribit. In iiſque regionibus Ruſſi rerum potiti ſunt, a Roxolanis forte, deflexo paulum nomine, oriundi; atque eorum principes ad Varagos originem referunt, gentem tranſmarinam, ut ipſorum annales teſtantur; qui Imperii ſedem primo [f] Novogatdiae, dein [g] Kioviae ac poſtremo [h] Vlodomiriae habuerunt, antequam Moſcoviam transferretur. Ruricus ex ea gente, bello contra Bulgaros ſuſcepto cum feliciter

VAR. LECT. [α] ut ipſi aiebant *deſunt* *P. D. o. ſ. d.* [β] Sectaril *P. D. o.* [γ] Sectarii etiam *P. D. o.* [δ] Heberſtenius *P. D. o. ſ. d.*

INTERPR. [a] *Lindt.* [b] *Derpt.* [c] *Blankenfeld.* [d] *Riga.* [e] *Revel.* [f] *Novogrod.* [g] *Kiow.* [h] *Wolodmirie*, vulgo *Wlodzimierz.*

NOT. [1] Dele *Hiſpania*: lege *Germania* Put. [2] Dele *a quo quinquennaleis inducias primum impetratas diximus.* Ces *induciae* ſont marquées cy-après. *Put.*

feliciter rem confeciſſet, regionis dulcedine captus in ea manſit, liberis ejus, quos domi reliquerat, Novogardia interim exactis ab [α] Vlodimiro quodam verna ex ancilla nato, cui urbis cuſtodiam reliquerat. Ab eo genus ducunt, qui poſtea in eo Imperio in XII principatus, quot filios reliquit Vlodimirus, diſtributo fuerunt, [β] Jatopolcho Rurici filio et ipſius poſteris avitum Imperium fruſtra recuperare enixis. Deinceps fide Chriſtiana imbuti ſunt ex occaſione non minus honorificae quam fauſtae adfinitatis, cum Vlodimirus eorum princeps, qui Kioviae jam tum ſedem fixerat, Annam [1] Baſilii Porphyrogeniti filiam et Conſtantini imperatoris ſororem uxorem duxiſſet, circa annum Chriſti IↃ CCCCXC; unde et Graecae eccleſiae ritus etiam hodie ſervant. Hoc ita tradunt Ruſſorum et poſt eos Poloniae annales; de quo tamen Byzantina hiſtoria omnino tacet; ut mirum ſit, homines vanos ac leveis rem adeo memorabilem ſilentio praeteriiſſe, qui alioqui conſentanea cum iis, quae de Ruſſis diximus, memoriae prodidere. Nam Joannes Zonaras ſcribit, Nicephorum Phocam a Bulgariae principe petiiſſe, ut Hungaris ac Turcis per ejus fineis in [a] Thraciam irrumpentibus tranſitum impediret: cum vero ſe excuſaret Bulgarus, infirmitatem et foedus cauſatus, per Calocyrum Cherſoneſi Tauricae principis filium, Roſſorum dynaſtam ab eo ſolicitatum, ut bellum Bulgaro inferret: itaque Sphendoſtablum, ita Roſſum vocat, coacto ingenti exercitu in Bulgariam deſcendiſſe, et, longe lateque populato agro, innumerabileis praedas abegiſſe. Demum, Nicephoro ſublato, idem Zonaras ſcribit, ſub Joanne Zimiſca Roſſos, Bulgarorum gente ac provincia ſubacta, una cum ducibus Botiſe et Romano, patriae oblitos illic Imperii ſedem figere decreviſſe, Calocyri impulſu; qui, ſi ab eis Romanorum imperator ſalutaretur, ſe Bulgaria ipſis ceſſurum et perpetuum foedus percuſſurum receperat: verum Zimiſcam, cum honorificas ejus conditiones illi non ſolum ſuperbe recuſaſſent, ſed legatos etiam indigne habuiſſent, contra Roſſos bellum ſuſcepiſſe: Tauroſcythis vero adventu ipſius perterritis, Calocyrum ad Roſſos confugiſſe: demum conſerto ad [b] Driſterum in [c] Iſtri ripa poſitum proelio Roſſos caeſos, iiſque caeſis, Driſterum diuturna obſidione a Joanne cinctum fuiſſe: tandemque Roſſos, omnium rerum inopia laboranteis, ex Sphendoſtabli conſilio et auctoritate proelii aleam rurſus tentaſſe; qua poſt longum et anceps certamen poſtremo Roſſos profligatos eſſe: poſtea Joannem cum Sphendoſtablo his conditionibus tranſegiſſe, ut relicta Bulgaria domum rediret: ſed in reditu ipſum et Roſſos omneis, Pazinacarum inſidiis exceptos, ad internecionem caeſos eſſe. Haec Zonaras; quae cum iis, quae de Rurici expeditione Ruſſici annales memorant, mire conveniunt; et in alterum annum Imperii Zimiſcae, hoc eſt, in Chriſti IↃ CCCCLXXII annum incidunt: quo tempore Baſilius Scamandreus, poſt Theophylactum Romani Lecapeni filium patriarcham, Conſtantinopolitanae eccleſiae praefuit; a quo et Ruſſorum annales nomen Ruſſicum ad religionem Chriſtianam perductum [γ] tradunt. Sequentibus temporibus Andreas dux [d] Suſdalienſis ab Vlodomiri ſtirpe profectus, foedere cum XI cognatis icto, Miciſlao dejecto, qui Kioviam tenebat, ſedem primus [δ] [e] Vlodomiriam tranſtulit, et Imperium in Suſdalienſi domo firmavit. Quamvis in alios agnatos duces principatum minime exerceret, magni tamen ducis uſurpato nomine, hoc etiam obtinuerat, ut illi comiter majeſtatem ſuam colerent. Sed, cum Tatari, de quibus poſt dicemus, impreſſione in Ruſſiam facta Cottianam [f] Poloſciorum ducem et Miciſlaum Romani filium [g] Siernavienſem ducem atque alios compluireis auxilio evocatos, die XVII Maii anni CCXXIV ſupra milleſimum, et, ſicuti annos

Ruſſi

VAR. LECT. [α] Vladimiro *P. D.* o. f. d. [β] Jaropolcho *P. D.* o. [γ] tradunt. Verum, his omiſſis, ad ulteriora pergamus. Sequentibus *P. D.* o. [δ] Vladomiriam *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] Turcis *Romelia*, vulgo *Romagna*. [b] *Driſter*. [c] *le Danube*. [d] *de Suſdalie*. [e] *Wlodzimierz*. [f] *Poloskie*. [g] *Siernavie*.

NOT. [1] Lege *Baſilii Porphyrogeniti et Conſtantini imperatorum ſororem uxorem*. Baſile & Conſtantin étoient freres, fils de Romain le jeune. *Put.*

Ruſſi ab orbe condito numerant, VI CIↃ IↃCCXXXII, inſigni clade profligaſſent, et rurſus XIII annis poſt, duce Batti, domitis Roſaneoſibus et Vlodomirenſibus ceteriſque fere ducibus, Ruſſiam omnem, impoſito provinciae tributo, in poteſtatem redegiſſent, ab eo tempore magni Ruſſiae duces a Tataris peti coeperunt, qui fere a [a] Suſdalienſibus dabantur. Tandem anno Chriſti CIↃ CCCIV, Andrea Alexandri filio mortuo, cum Michaël Jaroſlai filius [b] Tuerenſis et Georgius Danielis filius Moſcoviae dux de magno Vlodomiriae principatu contenderent, et uterque eam a Tataro peterent, primum ſecundum Michaëlem pronunciatum fuit: ſed, interjecto aliquanto tempore, Georgius eandem, rejecto Michaële, obtinuit, anno juxta Graecorum calculum VI CIↃ IↃCCCXXV; qui Imperii ſedem Moſcoviam tranſtulit, et magnum principatum poſteris ſuis reliquit, adverſantibus initio Ruſſis univerſis, qui hunc honorem Suſdalienſi familiae reſtitui a Tataro debere contendebant. A Georgio illo Joannes Danielis filius, niſi idem ſit, profectus, primus Moſcoviae caſtrum condidit; cui Joannes alter, et Joanni Demetrius, ac Demetrio Baſilius, qui Sophiam Vitoleni Lithuaniae ducis filiam uxorem duxit, ordine ac directa ſerie ſucceſſere. Hujus Baſilii filius Baſilius, conjuratione a Demetrio Siemacha Georgii fratris filio duce [c] Suerienſi, Joanne Andreae filio [d] Moſaicenſe, et Boriſſo Alexandri filio Tuerenſe ducibus facta, regno pulſus et luminibus orbatus fuit: ſed Novogardienſium ope adjutus regnum poſtea recuperavit; et pacate uſque ad mortem tenuit. Huic Joannes filius ſucceſſit; qui ſe univerſae Ruſſiae principem primus appellavit, Magni nomen ob id ſortitus. Is ducem Tuerenſem, ex cujus domo uxorem duxerat, ultionis paternae praetextu principatu exuit: nec multo poſt Novogardiam magnam fraude interceptam ſui juris fecit: ceteroſque fere Ruſſiae principes, ex ipſorum diſſenſionibus occaſione captata, in ordinem redegit; ac tandem Tatarorum jugum, a quibus majores ſui jus et inaugurationem petebant, excuſſit, a Sophia e Palaeologorum gente ingentis animi foemina, quam, mortua Tuerenſi, duxerat, perſuaſus: ſemper fere victor et felix, ſi cladem in Livonia et ad Pleſcoviam paulo ante obitum acceptam excipias, quam L annorum induciis reſarciit. Eadem felicitate uſus Baſilius ejus filius noſtra aetate [α] [e] Smolecenſem principatum ac quidquid [β] Siverenſis ditionis ſupererat Imperio adjecit, [f] Caſanenſeis mari ac terra oppugnavit, agnatiſque omnibus ſuis regni poſſeſſione, quam adhuc tenebant, exturbatis, Pleſcovienſem civitatem in ſervitutem redegit, ac Ciarii, quod lingua Sclavonica regem ſonat, cum alii [g] Kneſios ſe tantum appellaſſent, nomen ſibi ſumpſit. Huic anno hujus ſaeculi XXV decedenti Joannes filius ſucceſſit; qui aſtum, induſtriam et ſeveram diſciplinam in propagando Imperio ad majorum artes adjecit: [γ] effecitque, ut ab iis accepta non ſolum retinuerit, ſed etiam magna acceſſione locupletaverit. Nam Caſanenſe et Aſtracanenſe regna a patre ſummis viribus tentata, novo et iis populis incognito belli genere uſus, in poteſtatem redegit: ac, fere omni Caſpio mari ſui juris facto, Imperium in Perſidem uſque protulit; multis aliis praeclare, non ſine tamen crudelitatis infamia, geſtis; ut in ſequentibus dicemus. Porro Moſcis cum Tataris [δ] Praecopenſibus, Crimiſcis Nogaiſque ac Turcis continua bella ſunt; quibus defuncti in Lithuanos ac Livonos arma vertunt. Princeps eorum ingentem exercitum diu ſuſtentare poteſt; quippe qui militi ſtipendium minime largiatur, ſed, agris exiguo pretio elocatis, militis operam, tanquam beneficio addicti, demeretur. Ita autem delectus fiunt. Conſcripti milites coram principe ſinguli comparent, et nummum unum, quem patrio nomine [h] Dungam vocant, unius groſſi Polonici aeſtimatione, ei dant, quem reverſi ex bello repetunt. [ε] Atque ita

VAR. LECT. [α] Smolocenſem *P. D.* o. f. d. [β] Suerienſis *P. D* o. f. Suerenſis *D.* d. [γ] quibus effecit *P. D.* o. f. d. [δ] Praecopienſibus *P. D.* o. f. [ε] atque *deeſt* *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *de Suſdalie.* [b] *Twer,* al. *Tweren.* [c] *Suerien.* [d] *Moſaicen.* [e] *Smolensko.* [f] *ceux de Caſan.* [g] *Knez.* [h] *Eyn Denninck.* Verſ. Germ p. 563. & Schard. Tom. 3. p. 1994.

ita de infectorum aut mortuorum numero principi certo conſtat, cum ille deficientium nummos retinet. Per ſingulas quoque provincias extra eum numerum tenuloris fortunae hominum delectus habet, et ex occaſione belli cenſum eorum quotannis inſtituit, qui exiguo ſtipendio accepto militant. Sed majore ſeveritate erga nobilitatem ac proceres utitur: nam, quemcunque penes ſe evocat, aut in militiam ire jubet, aut longinquam legationem obire, id ille ſumptibus ſuis facere cogitur. Cum vero mandatum literis conſignatum a principe accipit, ſi prandentem eum vel coenantem aut etiam dormientem tabellarius offenderit, nulla mora interpoſita, in tabellarii conſpectu arma poſcit, et equo conſcenſo cum armigero ſuo in viam ſe dat: non parentes praeſenti poena ac diro cruciatu necantur. Nemo principum erga ſuos in poenis exigendis crudelior: nemo majorem ſuorum fidem ac charitatem experitur; ac ne ii quidem, qui humanitate et indulgentia majore in ſubditos utuntur. Cujus rei rationem quaerentibus praeter poenarum ſeveritatem haec a finitimis redditur: primo quidem, quod omneis, qui ab illis in religione diſſentiunt, etiam eos, qui Romanam, quam profitemur, ſequuntur, barbarorum loco habent ac deteſtantur: propterea que princeps, qui ſubditis in hac opinione praeit, quoties legatos externos in colloquium admittit, in pelvi aquam paratam habet, qua, dimiſſis legatis, ſtatim manus quaſi eorum contagio pollutas abluit. Accedit ad hoc, quod ex ſuae religionis inſtitutis Moſci eandem, quam Deo omnipotenti deferunt, fidem ſe principi ſuo debere exiſtimant: ut non minus conſtantiam eorum laudent, qui fidem ad extremum principi ſervarint, quippe quos, anima ex corporibus evolante, mox ad coeleſtem vitam rapi credunt, quam diſcipulorum Chriſti, (vide hominum inſaniam) qui in ſingulari erga omnium Servatorem fide ac pietate ad vitae uſque finem perſeveraverunt. Eam vero opinionem imperii ſeveritate alunt principes, qui ſuos cum externis commercia promiſcue agitare minime ſinunt, nec ad externas nationes quenquam ex ſuis commeare patiuntur, niſi quos in legationem mittunt: quibus tamen cuſtodes apponunt, ut eis, niſi cuſtodibus praeſentibus, cum quoquam colloqui liberum non ſit: quo fit, ut aliorum principum humanitatem ignorantes, nec libertatis guſtata dulcedine, praeſentia melioribus, cognita dubiis anteponant. Praeterea hanc cautionem adhibent principes, ut, quos in legationem militiamve mittunt, aut alicui muneri praeficiunt, eorum chariſſima pignora, ut liberos ac conjuges, obſidum loco penes ſe retineant; in quos omnia exquiſitorum ſuppliciorum exempla edunt, ſi quid illi deliquerint, aut non ad nutum ac voluntatem ipſorum ſe compoſuerint. Sic generoſus quiſque, quo libertatis appetentior, aut injuriae minus patiens, religione ſeu metu poenae ac ſuorum periculo admonitus, in officio continetur.

IX. Joannes ergo, cum inducias a patre, poſt ingenteis illas cladeis, quas memoravimus, pactas anno hujus ſaeculi L exituras videret, et antiquas inter archiepiſcopum Rigenſem et ordinis Livonici magiſtrum ſimultates renovari intelligeret, eam proferendorum finium occaſionem minime praetermittendam ratus, jam ab eo tempore omnia ad bellum neceſſaria comparaverat. Verum Jodoci [a] Reki epiſcopi Torpatenſis, a Joanne Reko ordinis magiſtro creati, ut periculo propioris, diligentia ac ſolertia induciae in quinquennium his legibus a Moſco impetratae ſunt: ſi Moſcorum templa [b] Rigae, [c] Revaliae ac Torpati deſtructa ſarcirentur; et tributum e provincia Torpatenſi pendi, ut aiebat, ſolitum, in poſterum ſine fraude penderetur; querelisque aliis ſatisfieret. Quae omnia ſi bona fide ſervarentur, Moſcus, quinquennalibus induciis exactis, XV annorum pacem promittebat. Exeuntibus igitur induciis, rurſus ab ordinis magiſtro et Hermanno epiſcopo Torpatenſi mittuntur legati, qui cum Moſco agerent, ut illae prorogarentur. Sed, cum Moſcus initio recuſaret, quod Germanos pactis minime ſtetiſſe diceret; neque enim

INTERPR. [a] *Reck.* [b] *Riga.* [c] *Revel & Derpt.*

CIϽIϽLVIII.
HENRICUS II.

enim templa diruta inſtauraſſe aut conventum tributum pependiſſe; tandem iiſdem legibus triennales induciae conceſſae; imperata praeterea in ſingula capita in Torpatenſi ditione ſingularum marcarum penſione, exceptis religionis Catholicae ſacerdotibus, quos vafer ille princeps ad alendas domeſticas Livonum diſſenſiones ab hac praeſtatione exemerat. Hac conditiones ſacramento et oſculo crucis coram legatis ſuis a Livonis firmatae, neque tamen ſervatae ſunt. Itaque mox, elapſo triennio, Moſcus bellum Livonis denunciat miſſo diplomate, quo ordinis magiſtro, Rigenſi antiſtiti, epiſcopo Torpatenſi ac ceteris praeſulibus et univerſis Livonis pactorum violationem exprobrabat: cautum fuiſſe, ut, quidquid injuſte contra ſe ac ſuos moliti eſſent, id reſtituerent ac reſarcirent; Moſcis negotiatoribus liberum commercium permitterent; omniſque mercium generis, cerae, ſebi, loricarum et armorum permutationes facerent: ut epiſcopus Torpatenſis praeteritorum annorum omnium, quod in ſua dioeceſi deberetur, tributum cogeret, et ex ſingulis capitibus marcam Germanicam tertio pacis conventae anno mittendam curaret; quod uno quoque deinceps anno ſine dilatione facere teneretur: ut omnibus, ex quacunque natione in Moſcoviam venientibus, ut principi operam ſuam addicant, aut alterius rei cauſa commeantibus, liberum acceſſum citra ullum impedimentum praebeant: regi Poloniae et duci Lithuaniae, et quicunque in eorum locum ſuffectus fuerit, nullas ſuppetias aut ulla auxilia ullo modo ferant: has conditiones toties jurejurando, crucis oſculo, dextris porrectis et literis ſigillo utriuſque gentis munitis firmatas cum violaverint, ſe coactum arma ſumere, ut injuriam Deo ac ſibi factam ulciſcatur, poſtquam eos fruſtra ſaepius monuerit, ne committerent ut ſanguis innoxius effunderetur, a quo, ut Chriſtianum principem decet, maxime omnium abhorreat: ſperare autem ſe, quando haec culpa minime ſua ſit, ſed eorum qui fidem feſellerint omnino, futurum, ut Deus in mali auctorum capita poenam rejiciat. Hoc diploma menſe Novembri datum, anni, uti numerant, [1] LXVII ſupra milleſimum, poſtquam accepere Livoni, animo, ut par erat, valde conſternati ſunt. Nam, cum induciis exſpirantibus Willelmus Furſtembergus ordinis magiſter VI Germanorum vexilla, quibus adverſus Poloniae regem uſus fuerat, penes ſe haberet, miſſis in Moſcoviam legatis, ſcitatum an inducias produci placeret, reſponſum tulerat; ut militem dimitteret, ſi pacem vellet: nolle enim videri Moſcos ad pacem compelli. Qua de re in concilio Livonûm cum deliberaretur, variatum erat ſententiis, cum plerique non ſolum retinendum eſſe militem, ſed novum conſcribendum cenſerent: alii, in quibus erat Furſtembergus, ne belli occaſio Moſco daretur, dimittendum eſſe dicerent: ſi quid deinde moliatur Moſcus, ſupereſſe vireis et animos, quibus conatus ejus impediri poſſint. In quam ſententiam cum itum eſſet a Proteſtantibus, qui numero vincebant, legatio ampliſſima decernitur. Oratores, in iis praecipui erant *Elardus Cruſius* et Nic. [a] Francus, qui magna pompa venerant, majore excepti ſunt. Moſcus in atrio ſumma magnificentia ornato ſolio aureo cum corona ac ſceptro ſedit, palla ſacerdotali indutus; cui ad latus ſiniſtrum juxta menſam deauratam XII Kneſii ſeu praecipui conſiliatii erant veſtibus aureis more Levitarum amicti. Coram interpretibus duobus ſtare juſſi linguae Germanicae ſimul et vernaculae gnaris; per quos Moſcus oratores ſuperbe interrogat, an pacem peterent: reſpondentibus illis, veniſſe ſe, ut de pace agerent, et ſcyphos deauratos a Livonici ordinis magiſtro et epiſcopo Torpatenſi miſſos offerentibus, ille ſtatim ſcyphos in triclinium proximum deferri jubet. Tum perfidia Livonis in os exprobrata, qui toties pacta violaſſent, nec quicquam eorum, quae religioſe promiſerant et ſigillis firmaverant, ſervaſſent; dein commemorata majorum religione, fide ac fortitudine, quantum ipſi ab eorum pietate ac virtute degeneraverint,

INTERPR. [a] *Franck.*

NOT. [1] Dele LXVII *ſupra milleſimum:* lege VIICIϽLXVII ſelon le calcul des Grecs, que ſuivent les Moſcovites, qui content leurs années depuis la creation du monde. *Put.*

degenetaverint, verbis artificioſe rem augentibus oſtendit: nam cultum receptum abrogaſſe, baſilicas evertiſſe, virorum ac virginum coenobia profanaſſe ac ſpoliaſſe: non eos eccleſiaſticos principes, ſed feriſſimis barbaris immaniores, ac proinde indignos eſſe, quibus pax concedatur. Livoni ad haec, ſe, evolutis diligenter majorum commentariis, et putatis rationibus, minime comperire aiunt, ullum tributum Moſco deberi: quod pacem deneget, apud Caeſarem, in cujus clientela ſunt, conqueſturos eſſe. Ad Caeſaris nomen riſit Moſcus; quippe qui ſciret ejus auxilia ſera fore. Inde tamen ſumpta rurſus occaſione Livonis impietatem ſuam exprobrat; et fruſtra illos Caeſaris gratiam et opem imploraturos dicit, qui ejus imperia tam impudenter contempſerint, deſtructis ac violatis templis et ſacerdotibus injurioſe habitis. Si tamen XL CIↃ [1] Joachimicorum pro ſuperiorum annorum debitis exſolverent, et CIↃ [a] Hungaricos deinceps ſingulis annis pro ditione Torpatenſi penderent, ſe pacem conceſſurum declarat. Sed paucis poſt diebus, quaſi gratiae poeniteret, mittit ad legatos, qui ſummam imperatam exigerent: quam cum illi praeſentem ſe non habere dicerent, verum paratos datis vadibus ei cavere, nec ante diſceſſuros, quam numerata eſſet, Moſcus, qui occaſionem quaereret, renunciari legatis jubet, ſe toties deluſum perfidorum hominum amplius fidem ſequi non poſſe: proinde in patriam quam primum redirent; mox ſe ſecuturum, et ipſum pecuniam promiſſam ab iis ablaturum. Ita contumelioſe dimiſſi legati, atque a viarum ducibus deluſi, non niſi ſub Februarii exitum domum pervenere. Quod aſtu a Moſco factum, ut interea impetum in ignaros et imparatos faceret. Nam, ſtatim ingenti exercitu contracto, V Eid. Febr. ante legatorum reditum in agrum Torpatenſem deſcendit; et, cum neminem, qui reſiſteret, obvium haberet, cuncta ferro ac flammis vaſtat, granaria incendit, homines trucidat, greges et armenta, quae abigi non potuerunt, mactat. Pueri intra decimum annum necantur: qui XX annum attigerant, Tataris tanquam mancipia addicuntur: ſupra XX juvenes nulla miſericordiae ſpe jugulantur, flammis relucentibus paſſim pagis, et fumantibus reliquiis, tum puerorum ac foeminarum ejulatu ſylvis late reſonantibus. Eadem facies et foedum ubique ſpectaculum; a quo, ſi paucas arces et [b] Torpatum excipias, nihil immune fuit, XVI et amplius milliarium ambitu. Sed praecipue in Germanos ſaevitum: quibus deprehenſis, brachia viris truncabant, foeminis ubera abſcindebant; interdum ipſas in fruſta diſſecabant, et membra adhuc palpitantia per vias ad horrorem ſpargebant. Qui furorem evaſere, Torpatum ſe conferto agmine cum conjugibus ac liberis recepere; quornm cum civitas capax non eſſet, ultra X CIↃ in foſſas urbis ſeſe abdiderunt; ubi cum diu aſpera admodum hyeme ſub dio nudi cum frigore, gelu, nivibus et poſtremo inedia conflictati eſſent, tandem coeli injuria et fame majorem partem conſumpti ſunt. Quibus morbi et incommoda alia pepercerant, Moſci ſupervenientes, minime parcendum rati, in foſſam irruunt, et inermem plebem lanceis, gladiis et ſagittis fodiunt, jugulant et transfigunt, oppidanis nequaquam egredi auſis, ſed intra vallum ſe continentibus, et tantum crebra tormentorum diſploſione in hoſtem fulminantibus. Repulſi Moſci in ditionem magiſtri ordinis per [c] Lettenſe territorium invadunt, et eadem rabie graſſantur, nt multorum annorum iram et ultionem explete eos diceres. Demum, circuitu per [d] Narvenſem agrum, [e] Viriam ac Rigenſis ditionis partem facto, longe lateque omnia incendiis deformant; atque inde praedis ac ſpoliis onuſti domum redeunt. Ad damnum acceptum acceſſit et novus terror ex ingenti illo cometa, qui oblongo ac terribili crine ardens ſub id tempus apparuit: quod cum tanquam gravioris in poſterum fortunae

augurium

CIↃ IↃ LVIII.

HENRICUS II.

INTERPR. [a] *Ducats d'Hongrie d'or.* [b] *Derpt.* [c] *Letten.* [d] *territoire de Nerva.* [e] *Virlandt & Riga.*

NOT. [1] Ce ſont Thallars battus ſous l'electeur de Saxe, de la vallée de Joachimſtal és confins de la Miſnie & de la Boheme, qui peuvent valoir environ 50 ſols; pieces d'argent. Lyſimachici, dont il parle au 9e livre, p. 324, eſtoient medailles d'or de Lyſimachus, trouvées en Tranſilvanie, & portées au cardinal Georges Martinuſius. *Put. L.*

CIↃIↃLVIII. HENRICUS II.

augurinm captaretur, omnes provinciae ordines [a] Wendam conveniunt, qnid agendum in commune conſultaturi. Heic ultione ob cladem recentem ardentibus animis, initio pleriſque placebat, ut immiſſo in hoſticum exercitu damnum damno et vaſtatio vaſtatione tependeretur, parique crudelitate innoxius ſuorum ſanguis vindicaretur. Alii minus honeſto ſed tutiore in praeſens conſilio injuriam ferendam, et, ne gravius damnum acciperent, pacem ab avaro hoſte redimendam pecuniae praeſtatione cenſebant: eaque ſententia communibus ſuffragiis obtinuit. Moxque veredarius ab ordinis magiſtro ad Moſcum mittitur, qui quadrimeſtreis inducias et liberum in Moſcoviam acceſſum legatis de pace acturis depoſceret. Annuente Moſco, mittuntur legati ſub Maii initium: ſed longinqnum iter emetientibus, nam CL milliaria Germanica [b] Torpato ad Moſcam uſque principis regiam numerantur, caſus ſupervenit, qui ſpem de pace impetranda conceptam conturbavit. In Narva Livonica ex adverſo Ruſſicae ſita CCC praeſidiarii erant cum CL equitibus, qui ſedulo excubias habebant, ne ab hoſte tam vicino opprimerentur. Ii conſpicari inſolitam Ruſſorum turbam in propinqua Narva, ſeu invaſionis metu, ſeu vino furentes, duabus colubrinis diſploſis infeſtos ictus in Ruſſos dirigunt: quibus exauditis, vicini Livonûm praeſidiarii, inducias ruptas rati, Narvenſium exemplo arma expediunt, et diſploſis tormentis pleroſqne ex hoſtibus interficiunt: qui, ne inducias violarent, nihil contra moliti, ſtatim ad Moſcum mittunt, et quid actum ſit oſtendunt. Querela eodem tempore ad Joannem delata, quo Livoni legati ad eum introducti ſunt. Itaque ille, id conſilio, non imprudentia, neque inſciis legatis factum cauſatus, exprobrata denuo perfidia et a recepto cultu defectione, ejurata ſcilicet majorum religione, Livonos ſimul fidem ac pudorem exuiſſe dictitans, re infecta legatos dimittit, et cum pecunia, quam aſportaverant, multis probris oneratos domum redire jubet: ſtatimque ingentem exercitum educit, in quo CCC hominum CIↃ fuiſſe memorantur, videlicet IV Ruſſorum agmina, II Tatarorum, et ultimum haſtatorum et ſcloppetariorum, quod XII CIↃ armatorum complectebatur. His omnibus propter principis abſentiam praeerat Petrus quidam pirata famoſus, qui, quod cum VI majoribus triremibus diu in mari Enxino piraticam feciſſet, ex eo cognomentum [c] Siſegalenderi ſumpſerat: alii eum [d] Zer-ſigalem vocant. Cum his copiis atque inſuper magno tormentorum egregie inſtrnctorum apparatu, recta Narvam Germanicam petit: in quam octavo poſtquam obſideri coepta eſt die ignem artificioſum ejaculatur; qui nutrimentum, utpote in oppido fere ex materia conſtructo, nactus momento omnia pervaſit, incenſiſqne portis aditum irrumpentibus patefecit. Oppidani in arcem cum auxiliaribus confugerunt; qui, commeatu deficiente, deditionem fecere, pacti vitam et res ſalvas ſibi ac Germanis militibus: dedita nihilominus arce, omnibus facultatibus exuti ſunt, fruſtra Commendatore loci praefecto fidem datam implorante. Qui in oppido remanſerunt, in Moſci fidem adacti ſunt. Vaſtato Narvenſi territorio, exercitus in agrum Torpatenſem invadit, et ad [e] Niheuſium epiſcopi arcem XVIII a Torpato milliaribus caſtra ponit. Ad eundem locum ante CXXI circiter annos inſigni clade Moſcum afflictum inter Livonos conſtans fama erat. Nam, cum ad extremas anguſtias, qui arcem tuebantur, eſſent redacti, praefectus, implorato Dei auxilio, arcum expedit, et emiſſa in hoſtium caſtra ſagitta ipſum principem transfigit: quo caſu territi milites, tanquam coelo miſſum telnm eſſet, cum damno turpiter ab obſidione diſcedunt. Id verumne an religioſe confictum fuerit, non dixerim. Certe arcus in majore civitatis templo ad perpetuam rei memoriam ſuſpenſus aſſervabatur. Sed nequaquam parem exitum obſidio haec habuit: quam cum municipes et LX circiter praeſidiarii fere menſem ſuſtinuiſſent, nuſquam comparentibus auxiliis, quippe Livonicus magiſter VI abhinc milliaribus ad [f] Kieriepum caſtrum jam totos XX dies ſedebat,

INTERPR. [a] *Wenden.* [b] *Derpt.* [c] *Siſegaleider.* [d] *Zer-ſigal.* [e] *Neuhaus,* al. *Newhaus.* [f] *Kieripe.*

ſedebat, ulterius progredi non auſus, tandem ſe dedunt, vitam ac libertatem ſibi ac foeminis pacti. Quo audito, magiſter impar numero ſe ad provinciae interiora recipit. Mox, diffugientibus praeſidiariis, [a] Weſenberga, [b] Tolsburgum, [c] Watnebeca, [d] Novodomum et Ringenum Ruſſis patuerunt: qui XXX milliaria progreſſi, vaſtato circum agro, VI a Torpato milliaribus caſtra metantur; et ad majorem terrorem quoſdam Germanos comprehenſos ac foeminas truncatis brachiis et uberibus abſciſſis dimittunt, quorum exemplo ceteri admonerentur, ni imperata facerent, fore, ut pari jure ſecum ageretur. Epiſcopus intra urbem centurionem Groëningenſem cum LX militibus acceperat, cui et ob virtutis opinionem ſummum imperium detulerat. Sed diſſidebant in urbe ob religionem cives: nec epiſcopo ac ſacris ſodalibus cum conſulibus civitatis, qui potentia ſuperiores erant, bene conveniebat. Nam hi templi foreis claudi, nec niſi ritu a Proteſtantibus recepto ſacra adminiſtrari volebant: illi contra majorum pietatis tenaces aliorum conſilia ut exitioſa deteſtari, ſenatus voluntati obſtrepere; ac palam dicere, ex quo religio mutaſſet, cuncta in pejus ruiſſe, neque alio referendas eſſe cladeis a Ruſſis acceptas. Tandem haec concordiae via inita eſt; ut, quando non de fide, ſed pro patria aris ac focis certamen erat, cuique liberum eſſet in religione, quam veram et ſibi ſalutarem exiſtimet, conſtanter permanere. Hiſque ita conventis, fidem obſtringunt, ad ultimum vitae ſpiritum pro communi ſalute pugnaturos, nec deditionem Moſco facturos eſſe. V Eid. Quintil. nebuloſi aëris opacitate defenſi hoſtes propius urbem accedunt, et vallum ad Andreae portam ducunt. Ibi, ut fit, levibus proeliis toto quatriduo certatum fuit; multique ex equitibus Ruſſis interfecti et vulnerati, majoribus tormentis ex urbe diſploſis. Tum admota tormenta ab hoſte, nec in murum initio directa, ſed in altum ſublati ictus; ut globi, quos vix duo lecti viri e terra ſuſtuliſſent, pondere ſuo in aedium tecta fere materia conſtrata procidentes foeminas ac pueros repentina ruina opprimerent. Tandem cunei ad Andreanam portam acti; et violenta ac continua verberatione pulſati muri XVI Kal. Sextil. dum effuſi per plateas pueri ac foeminae cum ejulatibus ac lachrimis omnia complerent. Senatus, qui de exitu vereretur, epiſcopum ac ſacros ſodaleis adit; et, quo in ſtatu res ſint, oſtendit; impareis ſe obſidioni ſuſtinendae, nec expectandum, dum ad extrema conſilium ex neceſſitate capiant: praevertendum mature periculo, ut aequioribus conditionibus cum hoſte tranſigatur. Cum illi recuſarent, et contra fidem datam ſenatum facere dicerent, ſenatus, qui epiſcopum tractabiliori ingenio virum in ſuam ſententiam pertraxerat, ad hoſtem legatos mittit, qui de deditione agerent, et vitam ac res ſalvas pacti imperata ſe facturos promitterent. Conditiones ſolemnes a Moſco proponi ſolitae hae ſunt; ut pontifici et Imperio Romano renuncietur: in quas cum jurare paratos Torpatenſeis dicerent legati, exercitus Ruſſi dux pacem ſpondet. Sed, re per urbem evulgata, ingens tumultus ac ſeditio a ſacris ſodalibus et praefecto, qui LX milites circa ſe habebat, exoritur: cum illi ſe a Proteſtantibus proditos clamarent, qui, a Catholica religione ad Lutheraniſmum deſeciſſe minime contenti, nunc ad Moſcum non minore impietate quam perfidia transfugiant: ſe, quaecunque fortuna dabitur, extrema cuncta pati paratos; nec commiſſuros, ut religione avita, libertate ac patriae charitate vitam potiorem habuiſſe apud poſteros accuſari poſſint. Cognita oppidanorum diſſenſione, Moſcus quanquam admodum laetaretur, quo minus tamen ſolido gaudio frueretur, illud impedimento erat, quod verebatur, ne, ex alterius partis deſperatione, ceteri etiam diſſentientes periculi proprii metu ad ſuſtinendam obſidionem cogerentur. Itaque conditionem illam remittit; obſeſſiſque denunciat, neminem ſe coacturum, ut, ejerato pontifice et Imperio Romano, in ſua verba fidem obſtringant: civitate ſe, vel invitis vel

CIƆIƆLVIII.
HENRICUS II.

INTERPR. [a] *Weiſſemberg.* [b] *Tolsburg.* [c] *Werbeck, ou Warneback.* [d] *Neuhaus & Ringen.*

CIƆIƆLVIII. HENRICUS II. vel volentibus oppidanis, omnino potiri velle: qui Moſco fidem addicere detrectent, eis liberum eſſe, ut per univerſum Ruſſicum exercitum ſecure in Germaniam abire poſſint: qui ſub jus ſuum tranſire parati ſint, iis vitam et res ſalvas fore: qui neutrum horum fecerint, illos exitium certiſſimum manere: poſtridie ſub horam matutinam portas apertas fore: interea, quid facto opus ſit, deliberent. Tandem xv Kal. Sextileis fit deditio, cum pertinaciſſime praeſidiarii, qui cum Groëningenſi erant, et ſacri ſodales reſtitiſſent. In hoc quoque propter religionem ingens certamen fuit. Nam cc omnino viri ex praecipua nobilitate et totidem foeminae, quam pontificem ejerare et Moſci jugum ſubire, patria carere maluerunt. His diſcedentibus, lamentabile admodum ſpectaculum ob oculos obverſabatur, cum maritus ab uxore divelletetur, ſoror fratrem relinqueret, liberi a parentibus, cognati a propinquis deſererentur. Ceteri, quibus minus moleſtum erat pontifici, quem non agnoſcerent, renunciate, quamvis in reliquis capitibus cum Moſco minime convenirent, neceſſitati potius parere quam patrios lares deſerere elegerunt. Tatari id aegre admodum cernebant; quippe qui jam oppidi praedam ſpe devoraverant. Itaque in Livonos publica fide accepta egreſſos arcus expediebant, cum, exaudito foeminarum et imbellis ſexus ejulatu, dux exercitus lituo ſtatim inſonat, et Tatarorum impetum cohibet. Miſeri exſules per medios hoſteis traducti, evitatis in itinere Tatarorum inſidiis, Revaliam incolumes pervenerunt; unde quidam Lubecam ſe contulerunt. Hermannus [a] Weſalienſis [α] ex Rhekorum familia, qui urbis epiſcopus erat, in [β] [b] Falkenalba coenobio aliquantiſper aſſervatus, poſtremo in Ruſſiam abducitur. Ita [c] Torpatum, olim Ruſſici juris, a Volquinio ordinis magiſtro vi captum, et in quo anno ſalutis ccxxx ſupra milleſimum epiſcopi ſedes ab Hermanno conſtituta fuerat, anno cccxxvii poſt ſub Moſci poteſtatem rediit. Tantae cladis a Moſco illatae invidia cum altera alteram pars onerarent, hoc eſt ſacerdotes et iis addicti in equites, et eos qui Auguſtanam confeſſionem amplectebantur, tot calamitatum cauſam rejicerent, non deerant qui utroſque in culpa eſſe dicerent; quippe qui in licentiam ac libidines effuſi eas ſoluto coelibatu alerent, perditoque luxu diffluerent: cui cum propriae opes minime ſufficerent, miſeram plebem deglubere, angariis ac tributis vexare, flagellis ac fuſtibus caedere, omnique impotentis dominatus genere opprimere non ceſſabant; ac denique cuncta facere, quibus juſta Numinis ad ultionem lento pede feſtinantis iracundia provocatur. Territae hoc ſucceſſu ceterae provinciae urbes, cum propriis viribus diffiderent, nec ulla ſpes in Imperii opibus eſſet, externorum principum auxilia implorare coactae ſunt. Revalienſes, quibus paulo ante Moſcus minaciſſimis literis bellum denunciaverat, una cum dioeceſis nobilitate ad Chriſtianum III Daniae regem legatos mittunt, qui urbem et Harriae, Viriae et Eſtoniae ditionem regiae illius majeſtati ac patrocinio offerrent: et vero, ut id faciant, non ſolum neceſſitate compelli, ſed pietate et grata beneficiorum a Danis acceptorum memoria admoneri: nam Revaliam a Waldemaro II conditam; et Eſtonenſi ac Virienſi nobilitati praecipua privilegia ab eo conceſſa eſſe. Verum moderati animi princeps jam ſenex et morti proximus ſe excuſavit, imbecillitatem aetatis cauſatus, quae tantae ſolicitudini minime par eſſet: [γ] aliena ſe minime expetere; nec tantum praeſidii in ſe eſſe, quantum ſperaverint, ut populos longe diſſitos contra tam potentem hoſtem tueri poſſit. Itaque aliquot aureorum millibus et commeatu ac pulvere tormentario, quo maxime egebant, donatos amice dimiſit. Interea Megalopolenſis, qui Willelmo archiepiſcopo Rigenſi ſuffectus erat, a Friderico [δ] [d] Volkerſamo confirmatus, reſumptis animis, copias cogit, et in Torpatenſem agrum ingreſſus ad [e] Toreſetam pagum Moſcos profligat, et [f] Ringenum arcem recuperat. Verum, adverſa ultra modum propter hyemis

VAR. LECT. [α] ex Rhekorum familia *deſunt* P. D. o. f. d.
[β] Valkenda *P. D.* o.
[γ] aliena non expetere *P. D.* o. f. ſocdi.
[δ] Volcerſamo *P. D.* o.

INTERPR. [a] *de Weſel.* [b] *Falkenau.* [c] *Derpt.* [d] *Wolkerſam.* [e] *Toreſer.* [f] *Ringen.*

foçditatem tempeſtate, ulterius progredi minime potuit: moxque contraria excurſione Ruſſi in Rigenſem agrum facta, jam concretis gelu fluminibus, initio anni ſequentis eam injuriam ulti ſunt. CIↃIↃLVIII. HENRICUS II.

X. [a] TANDEM morbis attenuatus XI Kal. Octobr. qui dies B. Matthaeo ſacer eſt, deceſſit Carolus Philippi parens; cum Februario ante Helionora ſoror, quae primum Emmanueli [a] Luſitanorum, dein Franciſco I Fraocorum regi nupſerat, fatis conceſſiſſet. Ante Caroli mortem cometa Eid. Sextilibus ſub veſperam ſub coma Berenices apparuit, cauda ad Hiſpaniam directa; qui paulatim ad ortum vergens Noo. Septembribus evanuit. In eo principe cum virtute certavit fortuna, ut illius meritis ſupremum felicitatis faſtigium imponeret. Neque vero ullum perfecti magis et ad omnem virtutem expreſſi principis exemplar noſtra et retro ſaeculorum memoria reperiri poſſe arbitror, quod iis, qui ad imperium virtutis via graſſantur, ad imitandum proponi queat. Nam, quid ei ad ſummam utriuſque laudem defuit, ſive ingenium et prudentiam in conſiliis ſpectes, ſive conſtantiam in adverſis, io proſperis moderationem, praeſentiam animi in periculis, temperantiam, et, quae omoium in principe virtutum culmen ac cumulus eſt, juſtitiam? Vita ejus fere jam a primis pueritiae initiis ſeria fuit, maximis negotiis et variis expeditionibus exercitata. Atque, in ipſo praecipuum pietatis ſtudium fuiſſe, poſtquam ad Imperium evectus eſt, citra adulationem dicere poſſumus: eoque omnia ferme, quae ille pace et bello fecit, referri debere: nimirum, ut concilium legitimum celebraretur, et per illud concordia in eccleſia ſarciretur; quod, ſive pontificum in eo negorio non bona fide verſantium ambitione ſive ob bella noſtra toties infeliciter renovata impeditum fuit, ſemper ab eo poſtea repetitum eſt: ut mirari nemo debeat, illius conſilia, dicta ac facta praeſenti Numinis auxilio uſque illuſtrata fuiſſe, qui tam ſanctum propoſitum habuerit. Et vero, qui ita ſe tota vita geſſerit, ad pietatem et juſtitiam ſemper collimaverit, et his virtutibus ſuo exemplo innutritis conſiliariis ſubnixum imperium filio reliquerit, mirum, niſi eandem felicitatem, quam in vita expertus eſt, in familia tam egregiis virtutum documentis inſtructa propagaverit. Cautior tamen interdum Caeſar, et ſupra quam in illa fortuna decuit verſutior, pleriſque viſus eſt; ob idque lectione hiſtoriae Ludovici XI a Philippo Cominaeo prudentiſſimo equite ſcriptae delectatus fuiſſe perhibetur: in qua, ut multa prudentiae praecepta tradi inficias non ierim, ita plura minus ingenui atque adeo parum regii animi exempla reperiri minime negari poteſt. Itaque reprehenditur in Caeſare vulpinus ille per Gallias tranſitus, cum ad Gandenſium motus componendos properaret: in quo Annae Momorantio impoſuit, qui porro a Caeſare deceptus Franciſcum ludificatus eſt, ob idque poſtea domum relegatus: quanquam hoc etiam ſuas excuſationes habet. Sed objicitur praecipue Philippi Heſſorum principis captivitas, qui totum quinquennium contra datam fidem cavillatoriae ſcripturae obtentu in arctiſſima cuſtodia Hiſpanorum ludibrio expoſitus fuit; quod non ſolum Caeſari pudendum, qui ea in re alieno potius, hoc eſt, [b] Albani et [c] Granvellani conſilio uſus eſt, quam ſuo, ſed etiam poſtremo damnoſum; Mauritio, quem praecipuum in conſtituenda per Germaniam auctoritate adjutorem habuerat, ab ipſo ob id deficiente, et ei tot annorum ac victoriarum fructum eripiente: quem caſum mox infelix obſidio [d] Metenſis et anno ſequenti ambigua ad [e] Rantiacum pugna ſubſecuta eſt. Verum hi velnti mortalitatis iofirmae oaevi io pulchra et immortali laude digna fortuna haud adeo deformes ſunt. Cum vero nulla ejus vitae pars non ſumme laudabilis ſit, nulla re magis animi magnitudinem oſtendit, quam vitae clauſula; qua vir alios vincere aſſuetus ſeipſum vicit, vitaeque tot caſibus obnoxiae, jam potiorem mente agitans, antequam moreretur, renunciavit, et, qui reipublicae vixerat, ſibi ac Deo coepit vivere.

Itaque

VAR. LECT. [a] Paulo ante, XI Kal. *P. D.* o f. d.

INTERPR. [a] *Portugal.* [b] *le duc d'Albe.* [c] *de Granvelle, evêque d'Arras.* [d] *de Mets.* [e] *de Renty.*

CIↃIↃLVIII. HENRICUS II. Itaque toto biennio, quod mortem praeceſſit, in Hieronymianorum fratrum ſodalitio, monitore uſus Conſtantino quodam, qui ei a ſacris confeſſionibus erat, praecipue B. Bernardi noſtratis lectione ſe ſolabatur; et toto pectore in Deum revolutus ſic ratiocinabatur; ſe quidem indignum eſſe, qui propriis meritis regnum coelorum obtineret, ſed Dominum Deum ſuum, qui illud duplici jure obtineat, et patris hereditate et paſſionis merito, altero contentum eſſe, alterum ſibi donare; ex cujus dono illud ſibi merito vindicet; hacque fiducia fretus minime confundatur: neque enim oleum miſericordiae niſi in vaſe fiduciae poni: hanc hominis fiduciam eſſe a ſe deficientis et innitentis Domino ſuo: alioqui propriis meritis fidere, non fidei, ſed perfidiae eſſe: peccata remitti per Dei indulgentiam; ideoque credere nos debere, peccata deleri non poſſe, niſi ab eo, cui ſoli peccavimus, et in quem peccatum non cadit, per quem ſolum nobis peccata condonantur. Ita, cum ſenſim ad lentam tabem febris acuta acceſſiſſet, imaginem Chriſti cruci affixi identidem in oculis, ulnis, ore et tota mente complexus, in eo ſolo ſe omnem ſalutis ſuae ſpem collocare declaravit; ſumptoque viatico, In me mane, inquit, dulciſſime Servator, ut ego in te maneam: in quae verba deficiens animam glorioſiſſima heic vita defunctam Deo, qui dederat illam, reddidit, cum vixiſſet annos LVIII, menſeis VI, dies XXV; regna hereditaria annos XL, Imperium XXXVI tenuiſſet. [α] Ante decennium cum [a] Auguſtae Vindelicorum eſſet, poſt Germaniae principes in ordinem veluti coactos, jam tum mortalitatis memor teſtamentum condiderat; quo filium abſentem hortabatur ad capeſſendum imperium, pietatis ante omnia ſtudium ei commendans: et, cum ad diſſidia religionis componenda nullum aliud remedium idoneum poſt cuncta alia tentata reperire potuerit, quam concilii celebrationem, praecipiebat, ut, ſi quid ipſi humanitus contingeret, daret operam cum Ferdinando Caeſare aliiſque Chriſtianis principibus, ut tam laudabile a ſe inchoatum opus ad Dei gloriam feliciter perageretur. Pacem colendam a Deo tantopere hominibus commendatam, neve in bellum niſi aegre et juſtiſſimas ob cauſas ac coactus conſentiret, filium monebat. Tum ſtudioſe praecepta tradebat, quomodo ſe gerere deberet cum Romanorum rege ac filiis ejus, cum Imperii ceteris principibus, cum Germanis denique et Helvetiorum pagis, cum ſereniſſima Venetorum republica, cum Flnrentiae, Ferrariae ac Mantuae ducibus, cum Genuenſium et Senenſium republica, cum Franciae rege, ac denique cum pontificibus, ob Caſtellae pragmaticam et controverſa regni Neapolitani [β] ac Siciliae jura infeſtis aut ſuſpectis; quorum ad mores non reſpiciendum, ſed ad ſanctae ſedis reverentiam obſequium flectendum, aiebat, multa de Paulo III queſtus, cujus bonam fidem in concilii celebratione procuranda requirebat. Tum praecipiebat, quid in cauſa ducis Sabaudiae ejuſque filii facere eum deceat, ut in antiquam ditionum ſuarum poſſeſſionem uterque reſtituatur; cum Anglis foedus ſervandum et cum Scotis colendam amicitiam; cum Daniae rege nihil pnpter veteres cum deceſſore injurias expoſtulandum; Indias per proreges viros probos et ab omni avaritia et rapacitate alienos, quo a principe ſuo remotiores, eo majore ſolicitudine regendas et adminiſtrandas. Dein de filiarum matrimonio agebat: ipſique Philippo uxorem ducendam ſuadebat, aut regis Franciae filiam, aut [b] Labretanae ſamiliae heredem, virginem firma valetudine, egregia indole, ad virtutem natam ac liberali ingenio praeditam; haec enim elogia ei tribuebat, ea lege, ut de jure ſuo conveniret. Nam id unum cogitabat prudentiſſimus princeps, ut ſimul de injurioſa regni Navarrae occupatione Labretanis ſatisfaceret, et eam Hiſpaniae portionem ceteris regnis indiſſolubili conjunctione adjungeret: itaque Joannam in poteſtate habere cum bona patris Henrici gratia cupiebat. Poſtea morti proximus codicillum fecit, in teſtamento Philippi filii repetitum; quo praefatus, putare

VAR. LECT. α *Lineae* 37 *hic deſunt, uſque ad* Reliquit tres liberos *P.* β ac Siciliae *deſunt* *D* o f.

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *d'Albret.*

putare ſe non niſi juſtas ob cauſas Navarram a Ferdinando Aragonio avo in poteſtatem redactam, nihilominus ut iis, quibus adempta erat, de ea ſatisfieret, Philippum rogabat; iis tamen conditionibus, quae, ſive jam tunc eo conſilio appoſitae, ſive poſtea ſubtilius, quam bona fides patiebatur, interpretatione detortae, in cauſa fuerunt, ut juſtam de illius regni recuperatione ſpem non ſolum a regibus noſtris, ſed iis quorum magis intererat, conceptam Hiſpani hactenus ludificati ſint. Reliquit treis liberos ex Eliſabetha [a] Luſitana; Philippum regnorum heredem, Mariam Auguſtam Maximiliani II propioris ſobrini uxorem, et Joannam, quae Joanni Luſitanorum principi nupſit, ex qua natus Sebaſtianus poſthumus, qui avo in regnum ſucceſſit. Ante matrimonium ex contubernio Margaritam ſuſcepit, quae Alexandro Medici primum, dein Octavio Farneſio Parmenſium duci nupſit: et, cum uxorem diu ante mortem amiſiſſet, poſtremo Joannem Auſtrium ex foemina Ratiſponenſi quoque ſuſcepit. Qua in re tanta verecundia uſus eſt, ut niſi a penitiſſimis matris Margaritae nomen ignoraretur; de Joanne vero nunquam, niſi paucis ante mortem diebus, locutus ſit, cum eum per amicos Philippo filio commendavit; memorabili in primis principibus documento, quorum vita ſuis pro exemplo eſt, ut, ſi quid peccent, clam et in occulto peccent. Caroli mortem mox Mariae Hungaricae dilectiſſimae ſororis mors ſecuta eſt XV Kal. Novembr. quae non totum menſem fratri ſuperſtes fuit, antiqui moris et gravitatis foeminae, ad haec ſupra ſexum fortiſſimae; quae, cum impudicitiae acerrima vindex tota vita fuerit, a noſtris tamen, incurſionum odio, quae frequenter a Caeſarianis, dum Belgio praeeſſet, fiebant, dicteriis et militari laſcivia compoſitis cantilenis falſo inſimulata fuit, quaſi cum Barbanſono formoſo admodum viro, ſed in quo virtus ac fides plus forma pollebant, conſueſceret; tam ab hoc crimine abhorrens, ut nunquam a Caeſare exorari potuerit, ut cuidam ex primaria nobilitate juveni fratri percharo, qui unam ex domeſticis ipſius virginibus corruperat, culpam condonaret, palam interminata, ſicubi illum nanciſceretur, vel in fratris comitatu, fore, ut extremo ſupplicio affici juberet. Parenti non ſolum de ſe ſed de republica Chriſtiana optime merito Philippus magna pompa [α] Bruxellis juſta fecit, nave miro artificio fabricata, quae a Spe in prora ſtante, Fide, quae ſolio ad malum cum cruce aſſidebat, et Charitate clavum tenente regebatur; hac figura id quod jam dixi ſignificans, non aliud optimo principi in hoc humanae vitae crebris tempeſtatibus jactatae ſalo propoſitum fuiſſe, aut alio labores ejus pertinuiſſe, quam ut gloriam Dei quibus poſſet rationibus promoveret et amplificaret.

XI. FUIT et hic annus doctrina illuſtrium virorum morte inſignis. Nam XII Kal. April. Joannes Bugenhagius, [b] Julini in Pomerania natus, moderato ingenio et eruditione rara excultus, obiit Witembergae, cum annum aetatis ageret LXXIII: et ſexto poſt die apud nos Joannes [c] Fernelius [β] Ambianus, [γ] natus LII annos, regis archiatros, Lutetiae ad B. [d] Jacobi in macello ſepultus; qui, cum plureis annos in philoſophicis ac mathematicis ſtudiis ſumma cum laude exegiſſet, demum ſe medicinae totum mancipavit, quam et feliciter fecit, et univerſam doctiſſimis et politiſſimis ſcriptis complexus eſt: quae etſi morte praeventus non edidit omnia, ut nec propriarum obſervationum deſideratiſſimos libros, tantum tamen verae gloriae iis quae publicata ſunt Europa tota eſt adeptus, ut tanto viro diſciplinae ſuae alumno ſchola medicinae Pariſienſis aeternum ſit jure gloriatura. Eum et eodem anno ſecutus eſt Janus Cornarius [e] Zuicavienſis, et ipſe medicus inſignis; qui pleriſque antiquorum philoſophorum,

VAR. LECT. [α] Antuerpiae *P.* [β] Ambianenſis *P.D.o.* [γ] cum LII annos exegiſſet *P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *de Portugal.* [b] *Wollin*, urbs epiſcopalis, ſed ſedes inde Caminum tranſlata. [c] *Fernel d'Amiens.* [d] *S. Jacques de la boucherie.* [e] *de Zwiccau au marquiſat de Miſnie.*

CIƆIƆLVIII.
HENRICUS II.

philoſophorum, medicorum ac theologorum [1] ſcriptis Graecis editis ac Latio donatis a ſtudioſis non mediocrem inivit gratiam. Obiit in patria [α] XVII Kal. April. cum annos cum ſaeculi hujus curſu numeraret. [β] Ante eum Jac. Micyllus, [a] Argentinae anno hujus ſaeculi III natus, ſumma cum Joachimo Camerario neceſſitudine conjunctus, cum diu humaniores literas Heidelbergae ſecunda fama profeſſus eſſet ee ſcriptis variis illuſtraſſet, hoc anno V Kal. Februar. denatus eſt. Paulo poſt Joannes Pena, [b] Aquis-Sextiis familia ſenatoria natus, rara mathematicarum artium cognitione inſignis, quarum amorem et guſtum Petro Ramo, dum in [c] Praelaea ſchola Lutetiae doceret, inſtillaverat, multis Euclidae non ante viſis monumentis evulgatis et Latinitate donatis et explicatis, atque catoptricis praecipue, in quorum praefatione de uſu cylindrici ſpeculi multa dictu vix credibilia, et quae pleroſque in errorem ſuperſtitioſos induxerunt, doctiſſime demonſtrat; cum plura ab admirando ejus ingenio expectarentur, in ipſo aetatis flore, XXX tantum annos natus, violenta febre ereptus eſt, X Kalend. Septembr. ad Carmelitarum in porticu ſepultus. [γ] Eodem menſe Romae obiit, annum agens LXIX, Romulus [d] Amaſaeus; [e] Utinae, quae [f] Robortello et [g] Luiſino patria fuit, natus, ſed origine [h] Bononienſis; qua in urbe diu literas Graecas Latinaſque magna cum laude profeſſus eſt; et uxorem ex [i] Vaſta-villanorum familia duxit, ob idque jure poſtliminii antiquae patriae reſtitutus priſtina jura et immunitates meruit: poſtea et ſub Paulo III Alexandri cardinalis nepotis pueritiae erudiendae admotus, etiam honorificas legationes ad Caeſarem, ceteros Germaniae principes et Poloniae regem obiit, et ſub Julio III, jam [δ] conjuge elata, principem locum inter literatos in illa aula tenuit: quam laudem multis ſcriptis editis teſtatam reliquit, et Pompilio filio moriens, quaſi jure hereditario, tranſcripſit. Poſtea XII Kal. Novembr. Julius Caeſar Scaliger anno aetatis LXXV [k] Aginni in Nitiobrigibus, ubi uxorem duxerat, deceſſit: vir, quo ſuperiorem antiquitas vix habuit, parem certe haec aetas non vidit. Nam, ut nobilitatem omittam, de qua inter omneis conſtat, ingenio animi et corporis robore ſimul omneis aequaleis ſuos facile ſuperavit. Prima adoleſcentia militaribus muniis obeundis maxima cum fortitudinis ac ſolertiae laude decurſa; et, quamvis ſero ad ſtudia applicato animo, tamen ingenii felicitate tantum profecit, ut ad exactiſſimam omnium philoſophiae partium ſcientiam, etiam linguarum, Graecae praeſertim ac Latinae, ſummam peritiam addiderit, atque in iiſdem uſum, ſive pedeſtri ſive numeris aſtricta oratione ſcriberet, quo in utroque genere [ε] excelluit. Acerbius contra Eraſmum, fortaſſe juſtam ob cauſam, ſed quae tamen taleis viros inter ſe committere non debuit, invectus eſt, non ſolum ea oratione quae per omnium manus volitat, ſed altera, quae rarius reperitur, qua ſe prioris auctorem profitetur, non minore acerbitate ſcripta. Sed virum a gente vere generoſum poſtea praecipitis impetus poenituit; ſibique dolere ſcripto teſtatus eſt, quod non ante mortem cum eo reconciliatus eſſet, cujus ſummam doctrinam cum ſingulari pietate

conjunctam

VAR. LECT. [α] XVII Kal. April. *deſunt* P. D. o. f. d.
[β] *Jac. Micylli elogium deeſt* P. D. o. f. d.
[γ] *Romuli Amaſaei elogium deeſt* P. D. o. f.
[δ] viduus D d.
[ε] excelluit. *Ab hoc verbo ad* Hic vir divinus *deſunt, ſententia de Scaligeri contra Eraſmum ſcriptis omiſſa* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Strasbourg.* [b] *Aix en Provence.* [c] *College de Preſle.* [d] *Amaſeo.* [e] *Udine.* [f] *Robortello.* [g] *Luiſino.* [h] *de Bologne.* [i] *Guaſta Villani.* [k] *Agen.*

NOT. [1] *Scriptis Graecis.*] Cornarius medicinam Graecorum ſectatus eſt, ſpretis et neglectis medicis Arabibus. Tunc enim praelegebatur in Lycaeis Avicenna, qui totius artis princeps habebatur; Raſis deinde, praeſertim nonus ipſius ad Almanſorem liber, in quo abſoluta curandorum omnium morborum ratio proponi ferebatur: Albucaſis, Avenzoar, Meſuas et reliqui Arabes vix citra taedium nominandi. Allegabantur interim alii ab aliis faciendae medicinae, ſive, ut ipſi vocant, practicae ſcriptores recentiores: Bertruccius, Gatinaria, Guaincrius, Valeſcus et alii, innumerabilis turba: ſed inter praecipuos producebatur Arculanus, quem alii Herculanum vocant. Graecorum autem medicorum ratio habebatur nulla, nec nati multi ſciebantur; nec nominibus ſuis juſtis ſatis noti erant principes, cum vulgo Hippocras et Galienus a pleriſque omnibus appellaretur. Scriptorum Hiſpanorum et Gallorum extabant tamen tranſlationes quaedam corruptiſſimae; et a paucis magni theſauri loco poſſidebantur. Hippocratis Aphoriſmi tunc et Prognoſtica praelegebantur; ſed corruptiſſima et barbariſſima. *Melch. Adam. Vit. L.*

conjunctam et exquiſitum in literis et de literis judicium atque adeo par numinibus CIↃIↃLVIII.
ingenium ſupra omnes admirabatur. Hic vir divinus cum veteribus comparatus, HENRICUS II.
cum nemo unus eſſet, qui eum, ſive ingenium ſive fortitudinem ſpectes, exprimere poſſet, Xenophonti et Maſſaniſſae citra vanitatem componi meruit. Ex [a] Andieta Rupia Lobejaca nobili foemina, cui annos XIII natae jam provecta aetate nupſit, plureis liberos ſuſtulit; ex quibus ultimus hodie ſuperat Joſephus Juſtus Scaliger, qui ſecundum patrem nunc inter literatos et in re literaria principem ſine controverſia locum tenet, vere eruditorum Phoebus, ut politiſſimi ingenii vir eum indigitavit. De hoc ut plura dicam, nec pudor ejus patitur, nec per ingentia ipſius erga me merita licet; quanquam minime vereor, ne propterea minus vera de eo praedicare videar; cum quidquid dixero opinione omnium vero minus ſit. Sed potius eſt ut, tanti viri nomen per tranſennam appellaſſe contenti, cultum, quo divinum ejus ingenium cum rara morum probitate conjunctum, pro jure amicitiae quae mihi cum illo intercedit, proſequimur, venerabili ſilentio, ut in ſacris fieri amat, obſignemus: [α] tantum addam, eundem, qui patris, fuiſſe filii de Eraſmo et hoc, de quo modo dixi, diſſidio ſenſum. Funeſtum et hunc annum fecit mors Aloiſii [b] Lipomani, primum Methonenſis, dein Veronae, et poſtremo [c] Bergomi epiſcopi, vitae integritate et eruditione praeſtantis; qui, variis legationibus ſumma prudentiae laude defunctus, literarum ſtudium et ſcribendi diligentiam non intermiſit, catena laborioſiſſima in Geneſim et Exodum et Pſalmos inter occupationes illas elucubrata. Sub exitum anni et Andreas [d] Tiraquellus, Fontenaii in Pictonibus loco honeſto natus, ultimum diem clauſit, cum vario literarum genere excultus, tum celeberrimus noſtra aetate juriſconſultus, eaque ſola commendatione in Burdigalenſem ſenatum ſub Franciſco I, dein in Pariſienſem ab Henrico II cooptatus, ubi magna cum laude conſenuit, atque ingenii ut corporis numeroſa foecundus prole, cum ſingulis annis ſingulos libros ac liberos reipublicae daret, magno non ſolum in praeſens patriae ſuae ornamento; quae praeter Tiraquellos item Imbertos, Briſſonios, Vietas et Rapinos rara juris-prudentiae, mathematicarum artium et politioris literaturae lumina protulit, ſed ad ſempiternam Galliae gloriam, quae, quod a Fontenaio accepit, in univerſum orbem Chriſtianum, ubicunque doctrinarum ſplendor refulget, benigna diſpenſatione dividit. [β] Ante eos [e] Toleti, in majore templo, cujus ipſe canonicus erat, Joannes Vergara, annum LXIV ſupergreſſus, diem ſupremum obiit, IX Kal. Mart. cum Franciſcum fratrem Graece Latineque doctiſſimum ante XIII annos eodem menſe extuliſſet. Uterque egregiam operam in Complutenſi bibliorum editione cum Ferdin. Pinciano et Antonio [f] Nebriſſenſi navavit.

XII. IN Scotia hoc anno is ſtatus fuit, ut magis pax non eſſe quam bellum eſſe videretur. Nam praedis abigendis et villarum incendiis utrinque certatum eſt: incurſionibus tamen non incruentis aliquot factis, duo nobiles captivi ab Anglis abducti, Gulielmus [g] Kethus comitis Martialis filius et Patricius [h] Graiorum familiae inter Scotos princeps. Eodem tempore Angli cum claſſem, duce Jo. [i] Claro equite, ad infeſtanda Scotiae litora miſiſſent, eaque ad [k] Orcadas exſcenſionem feciſſet, [l] Cracoviacam, epiſcopi [γ] in [m] Pomonia inſularum illarum maxima ſedem, ſolumque in ea gente oppidum, cremavit. Nec diu facti ultio dilata eſt. Nam ſaeviſſima procella repente exorta naveis ab ora in altum rejecit, antequam qui in terram fuerant expoſiti conſcendere poſſent: ubi cum vadis ac ventis diu conflictatae retro in Angliam vela dederunt: qui remanſerunt ad unum omnes ab inſulanis occiſi ſunt. Hoc et anno

VAR. LECT. [α] *Duae ſequentes lineae cum Lipomani elogio deſunt* P. D. o. f. d. [β] *Jo. Vergarae elogium deeſt* P. D. o. f. d. [γ] in Pomonia inſularum illarum maxima *deſunt* P. D. o.

INTERPR. [a] *Andiete de Rocques Lobejac.* [b] *Lipomano, evêque de Modon.* [c] *de Bergame.* [d] *Tiraqueau de Fontenay en Poictou.* [e] *Tolede.* [f] *de Lebrixa.* [g] *Keith, fils du comte Mareſchal.* [h] *Grey.* [i] *Clare.* [k] *Orkney.* [l] *Kirkwall.* [m] Ab incolis dicitur *Mainland.*

CIƆIƆLVIII. HENRICUS II. anno religionis negotium agitatum magis quam explicatum fuit. Nam, dum eccleſiaſtici quorundam poenis, ut Walteri [a] Millii, qui ab Alex. [b] Sommervalio denunciatus, et extremo ſupplicio affectus eſt, et Pauli [c] Meſanii, cui aqua et igni interdixerant, vexatione auctoritatem tueri et plebem coërcere conantur, alii, qui diſſentiebant, licentioſis vocibus et ad ſeditiones vergente laſcivia contra eccleſiaſticos utebantur; ſicuti accidit in pompa ſolemni Edimburgi Kal. Septembribus, qui dies B. Aegidio ſacer eſt; in qua Aegidii feretrum, ex bajulantium humeris vi detractum, in lutum provolutum eſt; quo facto cum priſtinam potentiam labaſcere illi ſentirent, tamen, non ſecus ac ſi prioris dignationis vires manerent, conventum Edimburgi VI Eid. Novembr. indicunt, periculum facturi, an fiduciae ſimulatione rebus ſuis deploratis remedium aliquod afferre poſſent. Contra, qui Proteſtantium cauſae favebant, et inter hos quidam nobiles e [d] Fifa praecipue et Anguſia, nec non aliquot oppidorum cives, per omneis regni praefecturas diſperſi, hortantur univerſos, puriorem, ſic illi loquebantur, divinae legis promulgationem amplecterentur; nec ſe ſuoſque amicos eorundem ſacrorum participes a paucis et infirmis opprimi ſinerent: ſi jure agere inimici velint, ſe ſuperiores; ſin vi contendere, non impareis fore. Quibus haec placuere, tabulas ea de re confectas ac ſubſcriptas offerunt. Hi primi congregationis nomen ſibi ſumpſerunt. Secundum haec a congregationis foederatis poſtulata conficiuntur; quibus ad reginam ferendis Jacobum [α] [e] Sandilandium Calderanum jam aetate provecta equitem ſeligunt; qui ad illam profectus, legationis mittendae neceſſitate excuſata, nam alioqui nullam eccleſiae faciem futuram, et multitudinem a ſeditione contineri non poſſe, inter alia hoc petiit; ut in precibus publicis et in ſacramentorum adminiſtratione miniſtri eccleſiae populari lingua, quae ab omnibus intelligi poſſet, uterentur; ac miniſtrorum ipſorum electio juxta antiquam eccleſiae conſuetudinem penes populum eſſet. Ibi poſt magnas altercationes regens, quamvis Pontificiorum cauſam foveret, eiſque clam, ubi ſe daret occaſio, ſuam opem et operam ſponderet, tamen, cum aliquid tempori condonandum exiſtimaret, tumultum verita, adverſam factionem patrio ſermone preces facere, ſacramenta populo exhibere, ceteroſque ritus obire jubet. Eadem poſtulata ad theologos, qui Edimburgi erant, per nobilitatem delata fuerunt. Ad quae, ſuper electione hoc reſponſum; juris canonici ac ſynodi Tridentinae decretis ſtandum eſſe. Cum ergo illi ſe maxime aliena adverſus Proteſtanteis voluntate eſſe oſtenderent, mittitur Joannes [f] Areskinus Dunenſis, homo doctus, ad eorum animos aliqua ex parte placandos: qui, pro ea, qua cuncti erga Deum pietate, erga homines charitate affici debent, ipſos oravit, ut ſaltem non gravate ferrent, ſi, populo ad preces conveniente, Deus juxta praeceptum ſuum vernaculo ſermone coleretur: quod a theologis nihil de priſtina ſeveritate remittentibus omnino rejectum eſt; ab iiſque perſuaſa regens, ſive ob acceptum de corona matrimoniali decretum novum quodammodo ingenium induiſſe viſa eſt, priſtina illa cunctis grata comitate in imperioſam et omnibus odioſam degenerante arrogantiam. Quod magnarum tempeſtatum ſequenti anno, qui LIX ſupra IƆ et CIƆ

CIƆIƆLIX. fuit, excitatarum ſeu praetextus ſeu cauſa extitit. Nam, cum Sterlinum conventus indictus eſſet, in VI Eid. Maii, miſſi ad [g] eam a nobilitate, quo dignitate hominum res impetrabilior fieret, Alexander [β] [h] Cunigamius Glencarniae comes, et Hugo [i] Cambellus eques illuſtris. Ibi regens cum apud ſe decreviſſe diceret, majeſtatem ſuperiorum temporum licentia amiſſam recuperare, ultroque minas intentaret iis, qui religionis ſpecie rebellarent, et concionatores in exilium ſe pulſuram palam jactaret, illi ſupplices contra, ut promiſſa in memoriam revocaret, orarent; poſtremo illa ſubjecit,

VAR. LECT. [α] Sandelandium *in Edd. omnib.* [β] Cunigamus *in Edd. omnib.*

INTERPR. [a] *Mill.* [b] *Sommervaile.* [c] *Methuen,* ou *Meſſen.* [d] *Fiſe & Angus.* [e] *Sandilands, ſieur de Calder.* [f] *Erskine, ſieur de Dun.* [g] *la regente d'Ecoſſe.* [h] *Cunningham, comte de Glencairn.* [i] *Campbel, ſheriff d'Aire.*

ſubjecit, promiſſorum fidem a principibus exigeodam, quatenus eam praeſtari iis expedit. Tum legati, Ergo tibi omoe obſequium et parendi neceſſitatem renunciamus; quod quanrum incommodorum poſtea importaturum ſit, tuum eſt cogitare. Hoc reſpoofo fiduciae et audaciae pleno perculſa ſe cogitaturam dixit: et videbatur nonnihil reſediſſe primus irae impetus, cum allatum eſt, [a] Perthanos Proteſtantium cultum publice recepiſſe. Tum vero commota ſupra modum, coocepta inde coorra Patricium [b] Ruvenum oppidi praefectum indignatione, ut animum aliqua ex parte expleret, Jacobum [c] Haliburtooum Taoduni praefectum jubet Meſanium, qui in eo oppido perfugium ſecurum oactus fuerat, comprehenſum ad ſe adducere. De cetero ad conventus ſeribit, ut more ſolito Dominicae reſurrectionis diem proximum celebrareot. Cum nemo paruiſſet, miniſtros omneis [d] Sterlini in jus vocat ad VI Eid. Maii. Ibi majore numero, quam ſperaverat, confluentibus, non ſolum miniſtris, ſed etiam illis, qui eorum cauſae patrocinabantur, verita regens, ne a multitudine opprimeretur, cum [e] Areskino Duoenſi, qui auctoritate plurimum apud eos valebat, agit, ut multitudinem non neceſſariam domum remitteret; pollicita nihil in abſeoteis gravius decretum iri. Ubi vero Dunenſis vidit, nihilominus iis, qui citati noo reſpondiſſent, tanquam contumacibus contra fidem datam igni et aqua interdictum eſſe, ſe ſubducit; et ad proceres, qui adhuc Perthi erant, cootendit; et, quid de fide et animo regentis inexplabili odio adverſus Proteſtanteis ardente ſperare debeant, demonſtrat, cum illa nullam aequi, recti, honeſti ratiooem habeat, et promiſſorum fidem praeſeoti tantum commodo metiatur. Tum decretum inter eos, quando res amplius per ſimulationem tranſigi non poſſint, vim adverſus vim parandam eſſe. Jam per ſe ſatis accenſis procerum ac multitudinis animis facem ſubjecit Joannes Knoxius luculenta ſed vehementi apud ſuos habita oratione: qua peracta, cum proceres pranſum diſceſſiſſent, majore moltitudinis parte adhuc ira per templum aeſtuante, ex compacto inter ſacerdotem ſacrum celebraturum et adoleſceotem rixa excitatur, ex cujus occaſione multitudo furens, ſacrifico male mulctato, in ſtatuas ac reliquas aras involat, et omnia templi ſimulacra momento temporis comminuit. Eodem furoris impetu mox ad Franciſcanorum et Dominicanorum coenobia diſcurrunt; et, dejectis ſtatuis et aris, tenuiores ad praedam vertuntur, quam opimam admodum ioibi nacti ſunt. Carthuſienſium item monaſterium a paupere plebe direptum; in quo hominum militarium quanta a praeda abſtinentia, tanta in demoliendis laxiſſimis illis aedibus et exportandis celeritas fuit, adeo ut intra biduum vix fundamentorum veſtigia ſupereſſent.

XIII. Hoc facto regens, ut par erat, inflammata, non potuit ſibi temperare, quin ſancte juraret, ſe tantum ſcelus civium ſanguine et oppidi ioeendio expiaturam; eoque magis, quod Perthorum exemplum jam per alia oppida ſerpebat, et [f] Cuprenſes Fifani ſimulacra in templis confregerant. Coactis igitur per Hamiltonium, [g] Argatheliae atque Atholiae comites copiis, ſtatim Perthum petere ſtatuit, lente incedente exercitu, quod nondum tormenta ahenea adveoerant. Qui Perthi erant, ad amicos ſcribunt; et quanto in periculo religio ac ſalus publica verſetur, niſi mature auxilia ſummittantur, oſtendunt. Horum cum iocredibile ſtudium fuit, tum omnium longe conatus ac feſtioatiooem ſuperavit Alexander [h] Cunigamius, qui ſtatim II CIϽ IϽ partim pedites partim equites collegit, et per avia noctem diei cootinuans facto itinere et vitatis regentis caſtris Perthum incolumis pervenit. Regens, quae contrariam factionem firmiorem eſſe videret, quam quae vi opprimi poſſet, quippe per exploratores

INTERPR. [a] *ceux de Perth.* [b] *le lord Ruthven, prevoſt* ou *maire de Perth.* [c] *Haliburton, prevoſt de Dundee.* [d] *Sterling.* [e] *Erskine, ſieur de Dun.* [f] *ceux de Couper en Fife.* [g] *Argyle & Athol.* [h] *Cuningham, comte de Glencairn.*

tores cognoverat in Proteſtantium caſtris ſupra VII CIↃ hominum fortium eſſe, [a] Jacobum Stuartum et [b] Gileſpicum Cambellum mittit, qui, licet Proteſtantium cauſae faverent, cum regente remanſerant, quod amice potius quam armis rem componi publicae ſalutis intereſſe exiſtimarent. Ii cum Cunigamio et [c] Areskino agunt; et in has conditiones conveniunt; ut, dimiſſis utrinque copiis, oppidum regenti pateret, donec laſſitudinem ex itinere contractam paucorum dierum quiete ipſa comiteſque reſecisſent; oppidanorum nemo damno vel injuria afficeretur; Gallorum nullus oppidum ingrederetur, neque propius III CIↃ paſſuum accederet, ceteris controverſiis in proxima comitia dilatis. Ita citra ſanguinem compoſito tumultu, regens oppidum ingreditur, honorifice excepta: ſed cum militis inſolentia honeſti cujuſdam civis filius interemptus eſſet, et allato cadavere non admodum commoveretur regens, ex eo conventorum fidem non diu duraturam plerique conjecere. Nec augurio eventus defuit. Nam triduo poſt omnia in oppido miſcuit, aliis ſpoliatis, aliis exilio mulctatis, magiſtratibus item arbitrio ſuo commutatis, impoſitoque praeſidio mercenariorum Scotorum, et reſtitutis ante omnia ſacerdotibus. Inde Sterlinum verſus iter ingreditur.

XIV. COMMODITATE loci illecta regens non multum curare viſa eſt fidei datae religionem: ſiquidem Perthum in meditullio regni ſitum et tantum muris cinctum civeis habebat bellicoſos et a recepta religione alienos; de cetero ad terreſtrium et maritimarum copiarum ſubvectionem valde opportunum, per [d] Taum amnem, qui urbem alluit, aeſtu maris ſe inſundente, exterarumque nationum commerciis aditum praebente: praeterea id unum fere eſt, quod ab illius uſque regni finibus undique terreſtri itinere adiri poteſt. Ad cetera enim longis aeſtuariis a mari immiſſis viae multiſariam interciſae ſunt, et per ea lente inceditur, quod nuſquam ea ſit naviculaum copia, ut uno commeatu magnam multitudinem tranſmittere queant: quin ſaepe fit, ut aut ventis reflantibus aut tempeſtatum violentia dies complureis retineantur viatores. Has ob cauſas locum per ſuos tueri volebat regens; ex quo tamen facto non tantum emolumenti, quantum ex violata Induciarum fide invidiae ſibi conciliavit; dieſque is poſtremus ei benevolentiae priſtinae et primus publici odii ac contemptus fuit. Nam Jacobus Stuartus et [e] Argathelius, qui cum ea hactenus fuerant, quod ſe auctoribus induciae factae eſſent, ſuam fidem laedi exiſtimantes, protinus regente relicta, ſe ad contrariae factionis ſocios adjungunt: cumque regentis conſilium eſſe dicerent, ut cum Gallicis copiis [f] Cuprum ac Fanum-Andreae occuparet, quo facto Fiſanis eccleſiis extremum diſcrimen immineret, omiſſa conſilia repetunt; et, impetu primo in [g] Caraliam facto, quod eſt in extremo Fiſae angulo ſitum oppidum, aras et ſimulacra evertunt: dein ad Andreae-fanum progreſſi, ſpoliatis ceteris templis, etiam Franciſcanorum et Dominicanorum coenobia demoliuntur in ipſius archiepiſcopi conſpectu; qui, licet aliquo equitum numero ſuccinctus eſſet, cum vulgi ſtudium ac concurſum cerneret, minime mutire auſus ad ſuos in [h] Falcolandiam ſe contulit. Quo intellecto, regens jam furenter irata ſine ulteriore deliberatione Gallorum copias quam citiſſime poteſt colligit; et in diem ſequentem ſummo mane ad tubae ſonum iter Cuprum verſus pronunciat. Erant in ejus caſtris II CIↃ Gallorum, duce Henrico [i] Clutinio Oiſellio; CIↃ Scotos ducebat Jacobus Hamiltonius nuper prorex et tunc [k] Caſtri-Heraldi in Pictonibus dux vulgo dictus.

XV. PROTESTANTES, cognito regentis conſilio, jam Cuprum primi venerant: inde poſtridie adductis copiis, quibus CIↃ [l] Taoduni ſe conjunxerant, et mox Patricius [m] Lermonthius Fani-Andreae praefectus cum IↃ civibus armatis, interjecto modico

INTERPR. [a] *Jacques Stuart, prieur de St. André.* [b] *Archibald Campbell, comte d'Argyle.* [c] *Erskine, ſieur de Dun.* [d] *Tay r.* [e] *le comte d'Argyle.* [f] *Couper & St. André.* [g] *Craile.* [h] *Falkland.* [i] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [k] *Châtelleraült en Poitou.* [l] *Dundee.* [m] *Learmouth, al. Lermont.*

modico amne, Oiſellianos et Hamiltonios circumſiſtunt, exporrectis ordinibus, ac relictis poſt ſe calonibus et impedimentis, qui e longinquo ſpectantibus numeroſi exercitus ſpeciem praeberent. Eo factum, ut regens, quae Falcolandiae ſubſtiterat, a ſuis monita periculoſum eſſe cum tam firmis et alacritatem prae ſe ferentibus hoſtium copiis rem proelii aleae committere, conſenſerit, ut III e primoribus ab Hamiltonio mitterentur; atque ex iis maxime, qui propinquos ac liberos in hoſtium exercitu haberent. Tum regens ſuo periculo experta eſt, quanti principum interſit fidem promiſſam minime violare. Nam, cum ſummopere optaret res amice componi, nullae rationes pacis incundae inveniri potuerunt; cum Proteſtantes toties deluſi, ut aiebant, pactionibus ullis fidem habere nollent; regens vero non haberet tum, aut ſi habuiſſet, e dignitate ſua non exiſtimaret, aliud fidei firmamentum dare. Et aliae difficultates ſuberant. Nam, cum foederati peterent, ut peregrini regno excederent, regens id, inconſulto rege Galliae, praeſtare nou poterat: inducias vero non ad inflectendos ad concordiam animos ſed ad auxilia accerſenda peti apparebat. Itaque media via a Jacobo Stuarto inventa eſt, ut regens Perthum, deducto praeſidio, liberum relinqueret: nam ejus rei invidiam in ſe, qui foederis auctor fuerit, recidere, et hos motus ex ea cauſa manaſſe. Cum neutiquam id regenti placeret, Proteſtantes eo iter convertunt, ab oppidanis invitati, qui a [a] Kinfanio a regente impoſito ſupra modum vexari ſe querebantur, permiſſa omni militi licentia. Igitur oppidum obſeſſum, et paucis interjectis diebus deditum; pulſoque Kinfanio, praefectura Patricio [b] Ruveno, qui eam ante obtinebat, reddita eſt. Inde [c] Sconam exercitum ducunt: quod oppidum, ob unum e Proteſtantibus contra fidem interfectum, direptum et incenſum eſt. Cumque reſciviſſent, regentem Gallorum praeſidium [d] Sterlinum introducere decreviſſe, ut qui ultra [e] Forthae aeſtuarium erant a ſociis excluderentur, ejus conſilium ut praevenirent Stuartus et Cambellus, multa jam nocte ſummo ſilentio Pertho movent, et Sterlinum occupant, coenobiis mendicantium ibi ſtatim ſolo aequatis, et deſtructa per cetera ſacraria ſtatuis et aris. Triduoque poſt, viam, quae Edimburgum ducit, ingreſſi, [f] Limnuchum in itinere ſitum oppidum veniunt; et cultum divinum in eo mutant, conſtitutis paſſim concionatoribus, qui novo ritu ſacra adminiſtrarent. Dumbarum receſſerant noſtri cum ſuis impedimentis, opperientes, dum ſeditionis procella deferveſceret, cum allatum eſt de morte Henrici, de qua poſtea dicemus. Tum, effuſis in laetitiam Proteſtantium animis, vires eorum, tanquam metus cauſa abeſſet, paulatim dilabi coepere: qua occaſione arrepta, regens, ubi hoſtium nimia fiducia elatorum induſtriam minui videt, Edimburgum cum iis, quas habebat, copiis recta tendit: et, cum res ad certamen deducta videretur, Hamiltonii ducis et Jacobi [g] Duglaſſii Mortonii interventu impetratum, ne eo die confligeretur. Tandem poſt longam diſceptationem induciae factae IX Kalend. *Sextil.* quae in IV Eid. Januar. proxime exirent; his conditionibus; ut nemo cogeretur religione ac cultu, quem nollet, uti; ne praeſidium militare Edimburgi imponeretur; ne ſacerdotibus fieret impedimentum, quo minus vectigalibus ſuis libere uti frui poſſent, templave demoliri aut in alium uſum transformare cuiquam liceret; item, ut poſtridie illius diei typos cudendae monetae et palatium regium cum omni ſupellectile regenti reſtituerent. Haec pacta eo impenſius ſibi ſervanda duxit regens, quod ſuperiorum violatione in ingenteis ſe nuper conjectam anguſtias [α] meminiſſet.

VAR. LECT. [α] meminiſſet: ſed tectius rem gerebat, occultis artibus eos oppugnans, quos aperta vi ad imperata facienda cogere non poterat. P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Charters, ſeigneur de Kinfauns.* [b] *le lord Ruthven.* [c] *Scone.* [d] *Sterling.* [e] *le frith de Forth.* [f] *Linlithgow.* [g] *Douglaſs, comte de Morton.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

CHRISTIANUS III *Dauiae rex Coldingae moritur: ejus mores et praeclare facta; cum Chriſtierno captivo, qui et ſub id moritur, reconciliatio.* II. *Belli Dithmarſici hoc anno geſti origo. Dithmarſiae ſitus: indigenarum ingenium: provinciae ab antiquo domini.* III. *Meldorpae expugnatio; in qua Wolſangus Schonouveſius occumbit. Brunsbutelum capitur. Tilebruga in poteſtatem Danorum venit. Heida poſt acre certamen expugnatur.* IV. *Inde campeſtri regione capta, victores in paluſtrem ducunt; iu quam ſenes et omnis imbellis ſexus ſe et ſua coutulerant: cum quibus tandem poſt menſem a coepto bello tranſactum conditionibus victori honorificis, ipſis ſalutaribus; quas Ferdinandus Caeſar poſtea ratas habuit.* V. *Romae magna mutatio ſecuta, alienato moroſi pontificis a ſuis animo, quibus et diguitates abrogantur.* VI. *Novi epiſcopatus in India, et in Belgio non ſine noſtra injuria conſtituti; quod ſecutis in ea florentiſſima Europae provincia motibus cauſam praebuiſſe creditur.* VII. *Ad comitia Auguſtana miſſi a rege Imbertus Platerius Bordillonius et Carolus Marillacus Vienneuſis archiepiſcopus, qui de foedere antiquo renovando agerent, et, ſi pro tribus civitatibus a rege ex foedere cum Mauritio inito occupatis controverſia moveretur, apud Imperii ordines parteis ſuas interponerent. Ferdiuandi ad eorum orationem benignum reſponſum; qui, de civitatibus reſtituendis mentionem injeciſſe contentus, de cetero non multum pugnavit, et ab amicitia regis ordiues miuime diſceſſuros reſpondit. Exequiae Caroli* v *a fratre magna pompa celebratae, et Wormatienſis conventus ſuper religione acta publice recitata: ex quibus cum uulla reconciliationis ſpes eſſet, Caeſar Oecumenicae Synodi inſtaurationem ſe procuraturum recepit; ac, ut ejus decretis parituros ſe omnes promittant, clementer depoſcit. Cum contra Proteſtantes Paſſavienſem conventum et Auguſtanum de religionis pace decretum urgerent, et leges celebrando in Germania concilio nou impetrabileis proponerent, interimque, ut Trideutinae Synodi tanquam vitio contractae cuncta decreta et acta reſcinderentur, peterent, Caeſar, cum aliud non poſſet, Auguſtanum ultimum decretum confirmavit. Livoni fruſtra auxilia a Caeſare contra Moſcos efflagitant: ea ſpe dejecti Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem adeuut; et jam tum fundamenta ſecutae poſtea in ea militia mutationis jaciunt,* [1] *Gotardo Ketlero, qui poſt Gulielmum Furſtembergium, adhuc ſuperſtitem, ordinis princeps creatus fuerat, a propoſitis in arcano conditionibus miuime ſe alienum oſtendente. Cauſa Finalii ab Alfonſo Carretto in iiſdem comitiis agitata.* VIII. *Davidis Georgii Delphenſis, ex Auabaptiſtica ſecta praecipui praeſtigiatoris, poſt mortem ejus detecta fraus et publico judicio revicta, cadavere effoſſo et cremato. Ejus deteſtanda dogmata.* IX. *Poſt mortem Mariae Auglae, de Caleto, Philippo non admodum pugnante, conveutum: mox et de Senenſi ditione, eluſa miſerorum exſulum de libertate ſpe concepta;*

NOT. [1] *Dele* Gotardo Ketlero, qui poſt Gulielmum Furſtembergium, adhuc ſuperſtitem, ordinis princeps creatus fuerat, a propoſitis in arcano conditionibus minime ſe alienum oſtendente. *Ceci n'arriva que l'année 1561, & eſt recité au livre 28. Put.*

concepta ; et poſtremo de Sabaudica. X. *In arcano de ſectario malo exſtirpando actum ; in idque indictus Mercurialis conventus, qui, pro diſciplina olim inſtitutus, malo latenti in apertum educendo occaſionem praebuit. Interveniente rege, ſententiae variae dictae ; et ſenatores primarii in carcerem conjecti ; in iiſque Annas Burgus, cujus cauſa per crebras appellationes ventilata.* XI. *Rex in haſtiludio lethali vulnere feritur ; nec vocem mittit : ejus ingenium, mores, recte et ſecus facta.*

Ex Auctoribus,

Davidis Chytraei Vandalia, Chriſtiano Cilicio Cimbro ſive potius Jo. Ranzovio, Aſc. Centorio Hortenſio, Jo. Baptiſta Hadrianio, Alexandro Andrea, Baſilenſis academiae relatione, Joach. Camerario, Joanne Placio, Joanne Serrano, Thoma Cormerio, Actis curiae Pariſienſis.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

CIↃIↃLIX.
HENRICUS II.

JANUARIO ineunte Chriſtianus Daniae rex, Friderici, qui Chriſtierno a ſuis ob immanitatem expulſo ordinum regni decreto ſuffectus fuerat, filius, princeps ſumma animi aequitate ac moderatione, ſatis conceſſit [a] Coldingae Cherſoneſi Cimbricae oppido, cum annos LVI, menſes III, dies XX vixiſſet, ac XXIV annos regnaſſet. Ejus maxime memorabilia haec ſunt : quod Clementem piratam [b] Jutiae vaſtatorem ceperit, et capitis damnatum quatuor rotis impoſuerit : Lubecenſium et Chriſtophori [c] Oldenburgi inſtructiſſimas copias, quae ditionem paternam invaſerant, ad [d] Aſniam [e] Fioniae urbem edita ingenti ſtrage profligaverit : parta pace, S. Biblia in Danicam linguam transferenda curaverit : [f] Hafnienſem ſcholam et in ea bibliothecam inſtituerit. Paulo antequam moreretur, patruelem captivum perhumane inviſit : cumque multa in familiari colloquio ambo ſimul contuliſſent, deprecati alternas inimicitias invicem ſibi injurias condonavere. Ex conjuge Dorothea Magni Saxonis filia Chriſtianus V liberos ſuſcepit ; Fridericum regni heredem, Magnum, qui [g] Opſalienſis epiſcopus in Livonia fuit, et Joannem ; Annam, quae Auguſto Saxoni ſeptemviro nupſit, et Dorotheam matri cognominem, quae Henrico Luneburgenſi elocata eſt. Paucis poſt diebus, X Kal. Febr. [β] Chriſtiernus, annos LXXVII natus, patruelem ſecutus eſt, cum ab anno hujus ſaeculi XXXII carcere detentus fuiſſet, egregio regibus ac principibus documento et exemplo, ut, ſi recte ac feliciter imperare velint, ſuis affectibus moderentur, nec nimia dominandi libidine abrepti ſibi indulgeant ; perſuaſumque habeant, praeſto eſſe ultorem Deum, qui vel maxime ſuperbos, ſi quidem potentia ſibi commiſſa abutantur, de ſolio deturbare amet.

II. Daniae rege mortuo, ab omni ambitione et alieni ſive adipiſcendi ſive invadendi cupiditate alieno, arma in [h] Dithmarſos a Friderico ejus filio, ab agnatis ſive impulſo ſive coacto, verſa ſunt. Quo de bello antequam dico, de regione et gentis origine ac ſtatu quaedam praemittenda ſunt. Ultra [i] Albis aeſtuarium ſeptentrionem verſus inter Britannicum ac Germanicum mare longus terrae tractus excurrit, peninſulae ſpecie, qui in longitudinem XII dierum itinere, in latitudinem VI porrigitur. In eo Cimbri, geſtis cum Romanis periculoſa alea bellis celebres, ſedem habuere,

VAR. LECT. [α] a Scoticis rebus coepto anno, Ineunte Januario *P. D. o. f.* nunc cetera in ſeptentrionali ora geſta exequamur. [β] Chriſtiernus ille, de quo diximus *P. D. o*

INTERPR. [a] *Coldingen.* [b] *Jutland.* [c] *d'Oldenburg.* [d] *Aſcens.* [e] *Fuynen.* [f] *l'univerſité de Copenhague.* [g] *d'Hapſel.* [h] *Dithmarſen.* [i] *l'Elbe.*

habuere, cum Cimmeriis, qui a Graecis dicuntur, iidem, eandemque originem referentes: qui videlicet ex Aſia, in qua de ſuo nomine Cimmerium Boſphorum dixerunt, trans Maeotidas paludes delati Cimbricam Cherſoneſum a ſe vocatam occuparunt. Crebris eruptionibus et ſuſceptis in Galliam et Italiam expeditionibus poſtea attenuati, poſt varias cladeis, qui aliena ante appetebant, aliorum incurſiooibus patuerunt, externo tandem imperio ſubjecti, Saxonibus conterminis io vicinam regionem invadentibus, a quibus Albi, [a] Travena et Bilena fluviis dividitur. In eo tractu Dithmarſi et [b] Holſati ſunt, hodie a poſitu ita dicti; quod hi editiora atque aridiora loca teneant, a ſaltibus ac ſylvis, quas incolunt, cognominari; illi, quod depreſſiora loca, nempe paludes uliginoſas limoſaſque voragines inhabitent, in quibus ab aquarum inundationibus contra praeterlabentis fluvii impetum ſe ductis aggeribus et praealto vallo muniverunt. Holſatia autem undique IV fluminibus circundatur; Bilena ab ortu, ab occaſu [c] Stora, [d] Albi a meridie, a ſeptentrione [e] Eidora, qui fluvius vetus Daniae limes exiſtimatur; quanquam alii, et in iis Aimooius biſtoriae noſtrae ſcriptor, pro limite vallum illud ſtatuant, hoc etiam tempore muris et aggeſta terra inſigne, quod vulgari nomine Danorum opus vocatur, a Godofrido rege contra Caroli magni exercitum adventantem a [f] Slue ſinu Oceani [α] Balthici haud procul [g] Slevico et Gotborpa uſque ad [h] Hollingiſtadium, quod ab Eidora in mare caput demittente alluitur, ſumma diligentia ſtructum ac perductum. Dithmarſia vero VII in loogitudioem milliaribus pauloque minus in latitudinem patet, ſitu naturaque loci egregie munita; ab ortu Eidora flumine, ab occaſu Oceano Britannico, ab Aquilone foſſis et aggeribus, quos dixi, a meridie denique Albi cincta. Eam provinciam poſt Cimbros tenuere Saxones; rurſus poſt Saxones in ea comites ab indigenis creati rerum potiti ſunt, a ferocibus populis male plerumque babiti: ac Dedo quidem popularium ſeditione interemptus eſt; cujus uxor Ida, Sueva, ultionis avida et propter generis ſplendorem magoos ſpiritus gerens, quippe cui Heoricus III Caeſar patruus, Leo VIII pontifex Romanus avunculus eſſet, cum Eiclero comiti poſtea nupſiſſet, eandem calamitatem in novi mariti domum intulit: nam et ipſe a Dithmarſis trucidatus eſt; et paulo poſt Rodolfus marchio, qui regionem illam hereditario jure poſſidebat, ac filius ipſius eandem fortunam experti ſunt; eo majore eootumelia, quod Dithmarſi, non contenti utriuſque caede, [i] Bocelenburgum arcem, in qua caedes patrata eſt, demoliti ſunt, et [β] Walburgim Rodolfi conjugem naribus et auribus inhoneſto vulnere mutilatam in profluentem abjecerunt. Qua immanitate perculſus [k] Hartvicus Rodolfi frater et heres accepta compenſationis titulo [l] Stadenſi ditione jus omne in Ditbmarſia ſuum Bremenſi antiſtiti reſignavit. Poſtea Dithmarſia ab Henrico Leone ſubacta eſt; cujus et liberalitate conceſſi aliquot pagi [γ] praeſuli Stadenſi, quorum ratione debitam penſionem cum repoſciturus is veniſſet, eadem feritate a colonis interfectus eſt. Ab Adolfo deinde III ex [m] Schouenburgiorum comitum familia, quae Hermanni [n] Billingi poſteritati in Holſatiae principatu ſucceſſit circa annum Chriſti CIƆCXXXI, Dithmarſi LV poſt anno in ordinem redacti: ſed mox rebellantes omnem inde nobilitatem expulere. Poſtea in poteſtatem Hartvici antiſtitis Bremenſis conceſſere; a quo imperioſe babiti ad Daniae regem defecere; in cujus fide nequaquam diu permanſere. Nam circa annum Chriſti CIƆCCXXVII, cum Waldemarus rex juxta [o] Bornbavedem pagum acri proelio cum Adolfo IV Holſatiae comite et Lubecenſibus confligeret, a Dithmarſis libertatem et immunitatem ab Holſato pactis nefanda perfidia proditus ac deſertus eſt. Libertatem vel fidei diſpendio adepti, eam LXII annis integram eo uſque tenuerunt, donec Henricus Holſatiae ac [p] Stormariae,

et

VAR. LECT. [α] Britannici *P.D.o.* [β] Valpurgum *P.D.o.* [γ] Abbati *P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *le Trave & la Bile.* [b] *Holſtein.* [c] *Stor r.* [d] *Elbe r.* [e] *Eyder r.* [f] *Slue ſur le grand Belt.* [g] *Sleſwick & Gottorp.* [h] *Hollingſtadt.* [i] *Bolkelnburg.* [k] *Hartwig.* [l] *de Staden.* [m] *Schaumburg.* [n] *Billing.* [o] *Bornhouede.* [p] *Stormar.*

et Joannes [a] Wagriae comites, jus antiquum a Dithmarſis repetituri, in eorum regionem armati deſcendere; a quibus caeſi et magna clade accepta turpiter in fugam verſi ſunt. Intercedente dein xxxi annorum ſpatio, ſuborta inter Holſatiae comites diſſenſione civili, Dithmarſi, occaſione arrepta, magno impetu in vicinam oram impreſſione facta, ad [b] Chilonium uſque progreſſi ſunt; abductaque ingenti praeda, cum domum reverterentur, in itinere non procul a Bornhavede vico, ſupervenient Gerardo Holſatiae comite ex improviſo circumventi ac male mulctati ſunt. Nam ex ſuis ad IƆ ferro interfectos amiſere: plerique in vicinum ſtagnum impulſi, aut ipſi ſe praecipiteis dedere, et aquis hauſti ſunt. Quo ſucceſſu inflatus Gerardus, de invictis hactenus populis victor, biennio poſt, aſcito in ſocietatem Henrico [c] Megalopolenſi, bellum parat; et, in meditullium hoſtilis orae ingreſſus, bis frontem obvertere auſos fugat, ac, IƆCC ex iis occiſis, poſtremo in vicinam aedem ſubitariis pro tempore operibus muniram compellit: ad quam comportata mox materia cum in eo eſſet ut ignem admoveret, territi periculo agreſtes deditionem, ſi veniae ſpes ſit, ac deinceps Holſatiae comitum imperata ſe facturos pollicentur. Verum Gerardus, ſive ſuperbia ſive quod promiſſis indomitorum hominum fidem non haberet, cum, conditionibus rejectis, peteret, ut ſe arbitrio ipſius permitterent, jamque, laminis plumbeis, quibus templi culmen conſtratum erat, incendio propiore liquefactis ac per ruinas ſtillantibus, tectum undique intus perflueret, obſeſſi ex deſperatione conſilium capiunt, et extremum impetum facturi erumpunt, tanta ferocia, ut Holſatos nimia fiducia ſecuros nacti ex iis ad II CIƆ interfecerint, et in his XII primarios duces. Aliquot annis poſt ad [d] Titperſtum acri pugna conflixere: ex qua cum aequali damno utrinque accepto diſceſſiſſent, moderatiores inde effecti inducias ſigillis firmatas pepigerunt; quibus inter alia cavebatur, ut neuter alterius partis hoſtibus receptum daret: ad quae Holſatiae comites etiam heredes ſuos obligaverunt. Verum populi innata ſuperbia ferocientes, cum inducias ab Alberto Holſato violatas cauſarentur, ob impreſſionem ab Erico Saxoniae duce Alberti ſocero in ipſorum agrum factam anno CIƆ CCCCIV, et ipſi contraria excurſione injuriam ulti eſſent, rurſus res ad arma deveoit, vim initio deprecantibus Dithmarſis, qui cum paria retuliſſent ad quietem inclinare videbantur. Fortuna in eo bello Holſatis primum arriſit, capta [e] Meldorpa et Delſiburga atque [f] Hannerovio in [g] Dithmarſorum finibus magna operum vi munitis, unde et ex [h] Tilcburgo ac Suaveſtadio magna damna agreſtibus illata. Verum, Alberto in [i] Northammeo illius orae tractu ex equi lapſu, dum ab expeditione redit, paulo poſt decedente, Gerardus, potiundae regionis fraterno ſanguine imbutae fiducia plenus, impreſſionem in agreſteis fecit; in qua dum effuſi ſui longius et majore licentia ac ſecuritate, quam decuit, vagantur, conglobati illi ſaltuum anguſtias inſedere, dumque Holſati redeunt, palanteis improviſo aggrediuntur, occiſoque ipſo Gerardo, qui nihil tale ſuſpicatus, detracta capiti galea, ad pueri armigeri ejulatum accurrerat, undique circumfuſi Holſatos ad internecionem caedunt. Biſſeni ex equeſtri ordine, CCC ex nobilitate deſiderati; atque, ut ipſe Chriſtianus Cilicius ſcripſit, quidquid lectiſſimorum hominum in [k] Sleviceni principatu et Holſatia univerſa fuit, floſque adeo robuſtae juventutis hoc proelio exſtinctus eſt. Saevitum etiam inaudita crudelitate in cadavera; vixque impetratum pretio et lachrimis a defunctorum viduis ac propinquis, ut oſſa legerentur, et in proximo coenobio terrae mandarentur. Delſiburga deſtructa, rurſus foederibus antiquis renovatis inter infeſtos populos tranſactum eſt. Verum anno decimo poſt ex hac occaſione denuo inter eos bellum recruduit. Friſii aliquot homines facinoroſos et latrociniis infameis, uti jactabatur, Dithmarſos extremo ſupplicio affecerant. Id ad contumeliam ſuam ſpectare exiſtimantes Dithmarſi, totis pagis ad arma conclamari jubent; et, clade initio accepta, eo efferatiores

in

INTERPR. [a] *Wagrien.* [b] *Kiel.* [c] *de Mecklenburg.* [d] *Tirperſt.* [e] *Meldorp & Delffbruck.* [f] *Hannerow.* [g] *Dithmarſen.* [h] *Tielbruck & Swaverſtede.* [i] *Northamme.* [k] *Duché de Sleſwick.*

CIↃIↃLIX. HENRICUS II.

in Friſios eunt, et obvia quaeque ferro ac flamma crudeliter vaſtant. Damnum illatum CC marcarum CIↃ aeſtimatum fuit. Tandem, ingenti ab obnoxiis populis pecunia exacta, etiam iniquas pacis conditiones addunt: inter quas haec recenſetur; ut, quoties inter eos et Friſios controverſia eſſet, delecti ex ſuo numero XX, ex Friſiis unus ſolummodo eam dirimerent. Tulit id indigne Adolſus Holſatiae comes: ſed, quod illi tunc cum Daniae rege de Slevicenſi ditione contentio eſſet, injuriam diſſimulare et eam in commodius tempus rejicere coactus eſt. Illo in diſſidio Dithmarſi, tot ſucceſſibus elati, eo arrogantiae provecti ſunt, ut inter regem et Holſatum ſe arbitros interponerent: verum poſtea malo eorum fato Chriſtiernus I Daniae rex ex Adolfi ſucceſſione Holſatiam adeptus eſt, eamque ducatus non jam comitatus titulo Friderici III Caeſaris beneficio accepit: a quo tempore Dithmarſi, quippe qui ut et [a] Stormarienſes Holſatiae ambitu comprehendantur, non amplius Holſatos ſed Daniae reges hoſteis habuere. Is igitur Chriſtiernus Caeſaris auctoritate ac propria potentia fretus anno CCCCLXXIV ſupra milleſimum, cum Dithmarſos, ut in ſua verba jurarent, [α] [b] Rendesburgum evocaſſet, illi, antiquiorem Bremenſi antiſtiti fidem olim datam cauſati, recuſavere. Quo factum, ut Joannes Chriſtierni filius, poſt ſubactam [c] Sueciam, cum et parentis et majorum ſuorum injurias, nam Holſatis factas ad ſe pertinere exiſtimabat, ulciſci decreviſſet, bello denunciato, cum ingentibus copiis anno XXVI poſt Dithmarſiam invaſerit. In exercitu praeter populareis ſuos exterorum ſtipendiariorum VI CIↃ, et II CIↃ equitum habebat. Ita inſtructus, caſtris ad Meldorpam poſitis, oppidum capit. Sed, cum agreſtes ſe contra vallo muniviſſent, inſelici ſucceſſu rex in loca paluſtria et anguſtias ſaltibus et aviis ſylvis impeditas impreſſione facta, ab agreſtibus, Friſii cujuſdam exquiſitis cruciatibus, ut de ſtatu Holſatorum ignaros edoceret, torti indicio, inter Meldorpam et [d] Hemmingiſtadium interceptus ac caeſus eſt cum univerſo exercitu. Deſiderati ad IV CIↃ omnis generis; et in iis Adolfus et Otho Oldenburgici comites, Breda [e] Ranzovius, Joannis, de quo poſtea ſermo erit, frater, ac praeterea LX ex praecipua Holſatorum nobilitate. Vix periculo ſubducti Joannes rex et Fridericus frater Holſatiae dux, inter ingenteis jacentium cadaverum acervos via ad evadendum inventa. Joanni paulo poſt Chriſtiernus II ſucceſſit; is, qui ob immanitatem a ſuis pulſus eſt; in cujus locum ſubſtituto Friderico patruo, bella in Cimbrica Cherſoneſo aliquandiu quieverunt, quod novus rex, qui a Carolo Caeſare Chriſtierni ſororio metueret, nihil ſibi in regno et cum vicinis movendum exiſtimaret. Friderico Chriſtianus III filius ſucceſſit; miti ingenio princeps, et qui, ſive tenerioris conſcientiae morſu, ſive adverſae valetudinis admonitu, ſemper ab armis abhorruit; nec quoad vixit ab Adolſo fratre Holſatiae duce, vindicandae majorum injuriae jam a prima adoleſcentia cupidiſſimo, perſuaderi potuit, ut in bellum Dithmarſis inſerendum conſentiret: et, quamvis a Caeſare, ſororii captivi injuriam aut oblito aut diſſimulante, anno hujus ſaeculi XLVIII beneficii a Friderico III conceſſi, de quo diximus, diploma novum Adolfus impetraviſſet, nihilominus rex fratris toto animo in eam curam incumbentis conſilia ac conatus ſemper impedivit. Nam ille ante ſexennium ab obſidione Metenſi diſcedens, in qua Caeſari militaverat, Georgium [f] Hollenum et Hildemarum [g] Monninchauſenum nobileis militum praefectos conduxerat, et, ut ſibi in Bremenſium finibus praeſto eſſent, diem conſtituerat: ſed, rege fratre adverſante, belli apparatus fruſtra fuere. Igitur, eo mortuo, antequam Fridericus II rex deſignatus regno inaugurauretur, inſcio eo primum et ejus fratre Joanne, cuncta ad bellum neceſſaria ſummo ſilentio comparat, adhibitis tantum in conſilium Mauritio Ranzovio et Adamo [h] [1] Truzigero, ac re prius, ut creditur, cum Henrico

VAR. LECT. [α] Regensburgum *P. D. o.*
INTERPR. [a] *Stormaren.* [b] *Rendsburg.* [c] *la Suede.* [d] *Henningſted.* [e] *Rantzow.* [f] *de Holle.* [g] *Moninchauſen.* [h] *Trazigev.*
NOT. [1] Trazigero *Put.*

Henrico Brunſvico, ad quem ob id in arcem ipſius Wolfenbutelum venerat, communicata. Tum per Danielem Ranzovium arcis [a] Penenſis praefectum et rei militaris ſcientia praeſtantem virum conducendos curat Wolfangum [α] [b] Schonouvezium veteranum ducem cum legione una, et Joachimum [c] Blacenburgum cum equitum turma: ac, ne a re pecuniaria laboraret, commodum accidit, ut ſolemnis nobilitatis Holſaticae conventus tunc temporis [d] Chilonii haberetur, in quo, praedibus pignoribuſque ac cautionibus acceptis, ditiores ſingulis annis pecuniam iis, qui mutuo ſumere volunt, elocant, et elocatae vel pretium annuum uſurae nomine vel ſortem ipſam a debitoribus recipiunt. Eo profectus Adolfus omnem pecuniam emptionis cujuſdam praetextu, re vera in belli futuri ſumptus, undique corradit: brevique tempore ingenti ſumma conflata, de belli gerendi ratione ſerio cogitare coepit; ſed quam occultiſſime potuit initio, quod Dithmarſos homines ſagaces ac pugnaces imparatos opprimere conſtituiſſet. Neque tamen res ita tegi potuit, quin per tumuſculos fama illius ad Joannis Ranzovii aures et Henrici ejus filii, per Holſatiam regis vicarii, emanaverit: qui continuo datis ad Fridericum regem literis eum de Adolfi conſilio certiorem faciunt; petuntque, ut ſibi cum bona ipſius venia eum eo agere et rem amplius diſcutere, auditis et penſitatis utrinque rationibus, liceat. Itaque ad [e] Novum-monaſterium Joannes Ranzovius et Bertramus [f] Seſtedius, Adolfo a conſiliis ab hero miſſus, conveniunt. Cumque Joannes rei conficiendae difficultates propoſuiſſet, ſi Adolfus ſolus tantae molis bellum ſuſciperet; habiturum quippe eum formidoloſos hoſtes Dithmarſos, deinde regem conſanguineum fratremque minime aequo animo laturos, ſi, ſe ignaris, arma in Dania moveantur; praeterea vero ſimile fieri, maritimas civitates Hamburgum et Lubecam ac denique Luneburgum ei adverſas fore, qui primus in vicinia bellum exciraverit; Seſtedius Ranzovii affinis, et qui Ranzovios ab hoc bello minime abhorrere ſciret, dilutis, quae contra afferebantur, rationibus, Joannem, ut ſui memor eſſet, admonet; quippe qui olim Adolfo ſe huic bello, cum ejus [β] inſerendi commoda et honeſta occaſio daretur, ducem obtuliſſet; quod Joannes ne tunc quidem omnino recuſavit, dum rex et Joannes Adolfi frater in eam expeditionem conſentirent: quibus ut conſilium ſuum patefaceret Adolfus, ne qua inter proximos principes ob id offenſio ſuboriretur, et ad bellum communibus copiis ac ſumptibus pro majorum injuriis ulciſcendis et regni aſſerenda dignitate gerendum hortaretur, auctor fuit; quod mox Adolfus fecit. Secundum haec, Henricus Ranzovius et Andreas [g] Barbeus Lubecenſium epiſcopus ac regis cancellarius, re inter ſe communicata, etiam rege inſcio, quem aſſenſurum ſciebant, delectus haberi curant: idque negotii dant Antonio comiti Oldenburgico, Joanni [h] Barnero praefecto [i] Pinnenbergenſi, et Franciſco [k] Bulovio; deque Adolfi conſilio Auguſtum Saxonem ſeptemvirum certiorem faciunt, et, ſuper ea re ut ſententiam ſuam expromere dignetur, rogant. Ipſe Adolfus, Jo. Ranzovii conſilium ſecutus, ad regem ac Joannem fratrem dat literas; et ex compacto H. Ranzovius et Andreas Barbeus eodem tempore ad regem contendunt, ut de ea expeditione deliberaturo adeſſent, et ipſum in illa ſententia confirmarent. Re igitur in conſultationem deducta, ſic illi diſſerebant: regi e tribus unum, quod optimum factu et e dignitate magis ſua ſit, eligendum eſſe: aut enim patrui conſiliis temere et contra ſuam auctoritatem initis reſiſtendum eſſe, aut quieſcendum; aut denique in belli, quod per ſe juſtum exiſteret, ſocietatem veniendum eſſe: periculoſum eſſe patrui viribus jam paratis contrarias conſcribere, ac poſtremo opponere: nam ita inteſtino bello, quod conflatu facile, reſtinctu difficillimum ſit, portam aperiri; cujus is exitus futurus ſit, ut, atritis ac colliſis utriuſque

CIƆIƆLIX.

HENRICUS II.

VAR. LECT. [α] Schouvezium *ubique* P. D. o. f. [β] gerendi P. ferendi D. o. f.

INTERPR. [a] *fort de Peim* [b] *Schonweſen.* [c] *Blanckenburg* [d] *Kiel.* [e] *Nieumonſter.* [f] *Seſted.* [g] *Barbey* [h] *Barneru* [i] *de Pinneberg.* [k] *Bulow.*

utriuſque viribus, Dithmarſi, quos armis, quae Adolfus paret, opprimi ſpes ſit, vireis et animos priſtinos ad majora audenda, etſi nunc fortaſſe ab ea cogitatione alieni, ex tanta opportunitate ſumant: quod ſi quieſcendum exiſtimet, videndum eſſe, ne parum dignitati ac rerum ſuarum commodo conſuluiſſe videatur, ſi ſubactae hujus provinciae emolumentum ac gloriam Adolfo ſoli concedat: itaque relinqui, ut conjunctis cum patruo opibus bellum hoc, quaſi ipſe ejus gerendi praecipuus ab initio auctor fuerit, alacriter ſuſciperet; quod et regi tandem perſuaſum eſt: miſſuſque Joannes Seſtedius Bertrami frater ad Joannem Adolfi fratrem, qui eum de regis ſententia certiorem faceret, et in belli ſocietatem pertraheret. Tandem IV Kal. Maias, miſſis undecunque legatis, ad [α] [a] [1] Notorpam colloquio habito, in has conditiones conventum eſt: ut ante omnia ſumptus in belli apparatum facti, qui ad XXC talerorum CIↃ aeſtimati ſunt, Adolfo refunderentur: quae deinde impenſae fierent, in commune cederent: ſi Dithmarſia in poteſtatem veniret, in III aequaleis portiones univerſa divideretur, et quam quiſque acciperet ſorte dirimeretur. Inito foedere, dux bello cum ſummo imperio deligitur Joannes [b] Ranzovius, quamvis ſe ob inclinatam aetatem ab initio excuſaret: ei legatus attributus, recuſante id onetis B. Seſtedio, Franciſcus Bulovius. Bini item a principibus ſingulis deliguntur, qui copiarum, quae [β] convenerant, delectum haberent; a rege Nic. Ranzovius et [c] Holgerus Roſencranzius, a Joanne Otho [d] Tinnenſis et Gaſpar [e] Bocvoldius, ab Adolfo Ranzovii duo, Nicolaus cognomento luſcus et Paulus Joannis filius. IV legionum praefecti etiam adhibiti; Wolfangus [f] Schonouveſius, quem dixi, Willelmus [g] Walterumbius, Reimarus [h] Waldeſius, vetuſque ille militum dux Chriſtophorus [i] Wrisbergius, qui [k] Dracemburgenſi proelio, quamvis adverſam fortunam expertus, inclaruit. Tum, munitis in limite locis opportunis, et nobilitate per Jutiam Fioniamque in armis eſſe juſſa, ac diſpoſitis ad Albis fauceis navibus militari paratu inſtructis, in omnem eventum a belli ducibus proſpectum eſt; ut et in Dithmarſiam vim facere et impetus externos, ſi qua parte fierent, propulſare poſſent. Perſcriptum inſuper ad A. Oldenburgicum comitem, ut, cum commode id facere poſſet, XV militum cohorteis Albim traduceret. VI campeſtria, II majora tormenta ſubminiſtrata, CIↃ item foſſores conducti, ponteſque navales comparati. Copioſus praeterea in plureis menſeis proviſus commeatus ab Holſatiae praefectis, ejuſque ſubvectio ſummo ſtudio ac diligentia procurata, quod annonae a maritimis civitatibus huic bello haud ſatis aequis convehendae ſpes non eſſet. Superabat, ut rex ad Notorpam, uti convenerat, in colloquium veniret: id quo minus tam cito fieret, obſtiterunt quidam, qui apud eum plurimum poterant; rem periculi plenam dictitantes, regem inermem ad hoſtem armatum, ita Holſatum vocabant, contendere: nam ſibi de machinationibus clam contra regem initis abunde indiciis ac literis etiam ſcriptis conſtare. Horum rationibus aliquandiu retardatus rex, ut ſunt fere aures principum ad obtrectationes et calumnias audiendas apertae, tandem ab H. Ranzovio regni vicario in propoſito de expeditione ſuſcipienda confirmatus, cum prius, interceptis iis, de quibus dixi, literis, de mendacio ac calumnia conſtitiſſet, in viam ſe dedit; ac, ne parum ſecuritati privatae conſulere aut ſuorum conſilia omnino neglexiſſe videretur, IↃ equitibus ſtipatus venit. Adolfus contra, qui de rumuſculis illis inaudiverat, ut omnem ſuſpicionis occaſionem tolleret, eodem cum II tantum vehiculis contendit. Inde, conſtitutis communi conſilio rebus, illi diverſi abeunt: ac rex per Segebergam arcem habito itinere [l] Coldingam [m] Jutiae oppidum, curribus, quos cantherii terni ad majorem celeritatem trahunt, venit; ibique nobilitatem fere omnem, quae ex Jutia et [n] Fionia ad militiam

VAR. LECT. [α] Notorpiam *D. f.* [β] confluxerant *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Norrorp* [b] *de Ranzow.* [c] *Holger Roſencrantz.* [d] *de Tinnen.* [e] *Bockwolden.* [f] *Schonweſen.* [g] *Walterthumb.* [h] *de Walde.* [i] *Wrisberge.* [k] *de Drakenburg.* [l] *Coldingen.* [m] *Jutland.* [n] *Fuynen.*

NOT. [1] Nortorpam. *Put.*

citata convenerat, cum offendiſſet, gratiis pro tam prompto obſequio actis, omneis, CIↃIↃLIX. quod eorum opera in hoc bello uti nollet, dimiſit. Tum, rebus ita domi ordinatis, HENRICUS II. ut a tergo pacata relinqueret omnia, luſtrato ad [a] Segebergam exercitu, ac perſolutis ſtipendiis, [b] Novum-monaſterium venit; ubi praetoriam alam ſuam recenſuit, et munia ex praecipuis e [c] Dania atque Holſatia viris diſtribuit: ac XVI Kalen. Junii ad pagum, cui Hohenveſtedo nomen, omnes ſimul conveniunt. Poſtridie conſentientibus ſuffragiis decretum, ut quinto poſt die in Dithmarſiam impetus hoſtiliter fieret. Interea literae confectae ac tribus ſigillis firmatae, quibus bellum Dithmarſis denunciabatur. Iis priſcarum injuriarum memoria teſticabatur; quarum tamen non tam ultionem his armis perſequi, quam in eos tanquam in ſubditos rebelleis et rebellione ſua vicinis incommodanteis animadvertere decreviſſe ſe principes teſtabantur. Literae per hominem morti ob maleficium deſtinatum, alioqui reluctantem, quod a violentia agreſtium ſibi timeret, tanquam per fecialem perlatae ad XLVIII viros, qui [d] Heidae munitiſſimo regionis oppido conventum habebant. Triduo poſt reſponſum datur; quo ſuperbi adeo antea populi illi, quaſi de belli exitu male ominarentur, ſupplicibus verbis vim deprecabantur; et, quamvis ſe ſubditos Daniae regibus negarent, et antiqua cum Bremenſibus praeſulibus pacta obtenderent, ad omne aequitatis juriſque arbitrium ſe offerebant; de cetero Deum conteſtati, qui innocenteis protegit ac principum menteis moderatur, ut eorum corda flecteret, et ab injuria inferenda averteret, aut vireis et animos ſibi daret, quibus illatam propulſare et ſe contra injuſta arma tutari poſſent. Accepto reſponſo, rex et agnati XI Kal. Jun. caſtra ad Storam fluvium juxta [e] Oetichoſtorpium pagum metantur: eoque ordine exercitus incedebat, ut poſt praecurſores, qui ex ſingulis legionibus delecti erant, Mauritius [f] Ranzovius cum equitum ala primum agmen duceret, cum foſſotibus ac campeſtribus tormentis; quorum veſtigiis inſiſtebant W. [g] Schonouveſii et R. [h] Waldeſii legiones. In medio erant rex cum praetoria ala, et agnatorum turmae equitum egregie inſtructae. Extremum agmen claudebant W. [i] Walterumbii et Joachimi [k] Blacenburgi legiones cum turma equitum Theodorici [l] Hollii. His et acceſſere XV cohortes, ductore Antonio comite [m] Oldenburgico. Ita incedentes ſub ſolis occaſum ad [n] Alveroſtorpium pagum in Dithmarſiae finibus venerunt. Primo boves abacti, et praedae factae; capti praeterea ex agreſtibus aliquot, qui tormentis ſubjecti ſunt, ut ex iis de hoſtium ſtatu cognoſceretur. Tum Walterumbius cum legione ſua et Blacenburgus cum equitum ala in hoſticum ingreſſi, qui de captivis audita, an ita ſe haberent, coram oculis ſpecularentur. Tria erant omnino in tota ea regione propugnacula, ab agreſtibus vallo et foſſa munita, ad eas anguſtias exſtructa, quibus ex campeſtri regione in paluſtrem iter erat. Primo rex [o] Tilebrugam petit, non ita firmum oppidum; cui diffidentes agreſtes pretioſiora omnia ſua ex eo deducta in interiora abſportaverant. Heic, Joannes Ranzovius, qui vereretur ne militum alacritas ac fervor in nullius momenti oppido capiendo frangeretur, ad alia in poſterum ſegnior, eo relicto, auctor fuit regi, ut [p] Hammam ſitu ipſo et incolatum operibus omnium Dithmarſiae munitiſſimum propugnaculum aggrederetur.

III. SED poſtea rei difficultate revocatus poſt longam et acrem diſceptationem, cum diſſentiret Breda Ranzovius, et Tilebrugam tentandam eſſe contenderet, tandem tenuit, ut [q] Meldorpam duceretur: cujus oppugnatio quo commodius inſtitueretur, exploratis transfugarum indicio aditibus, eodem tempore copias Hammam et Tilebrugam mittunt, ut, incertis agreſtibus, qua primum parte impetus fieret, et cui primum loco occurrendum eſſet, vires eorum interea diſtraherentur et conſilia turbarentur. Nec aſtus exitu caruit. Nam agreſtes, qui Tilebrugae metuerent, protinus

ad

INTERPR. [a] *Segeberg.* [b] *Nieumonſter.* [c] *Dannemarck & Holſtein.* [d] *Heiden.* [e] *Oerichſtorp.* [f] *de Ranzow.* [g] *Schonwueſen* [h] *Reimarus de Walde.* [i] *Walterthumb.* [k] *Blanckenburg.* [l] *Holle* [m] *d'Oldenburg.* [n] *Alverſtorp.* [o] *Tielbruck.* [p] *Hamme.* [q] *Meldorp.*

CIƆIƆLIX.

HENRICUS II.

ad Meldorpanos ſcribunt, et ut opem vicinis ferant rogant; qui cccc ex ſuis anxiliarios ſummiſere; et ita, quantum [α] Tilebruganis ex eo inutiliter acceſſit, tantum [β] Meldorpanis ad ſuſtinendam obſidionem detractum eſt. Tribus locis circumductae copiae ad eam obſidendam. Miſſi [a] Schonouveſius, [b] Waldeſius ac Walterumbius cum ſuis ac foſſoribus, nec non Theodoricus Hollius equitum ductor, qui a parte, quae ſeptentrionem ſpectat, irruptionem faceret, duce viae Bertoldo [c] Petro transfuga. Oldenburgicus cum Franciſco [d] Bulovio ad partem auſtralem contendit, relicto ad latus [e] Wintebergo pago; quem Mauritius Ranzovius cum turma ſua ſubſequi jubetur. Principes cum II ſignis contra oppidum provecti intra tormentorum jactum conſtitere. Tum convecti navales pontes et crates LX, ut, quia locus paludibus impeditus eſſet, earum ope copiae, quae diverſis itineribus eo profectae erant, ubi ad locum veniſſent, ſeſe invicem adjuvarent, et, cum occaſio poſceret, praeſto eſſent. Sub id tempus Sebaſtianus [f] Erſamenus a Lubecenſibus miſſus in caſtra ad principes venit, ſi qua concordiae ratio iniri poſſet: ſed, cum videret nihil ſpei ſubeſſe, re infecta, ad ſuos reverſus eſt. Primus pontem per noctem jacere cum inſtituiſſet Schonouveſius, dum propius munitionem accedit, forte retrogreſſo Bertoldo viae duce, ut equum, quem a tergo reliquerat, conſcenderet, cum a tormentis vehementer infeſtaretur, quo eorum ictus declinaret, in caecas ac profundas voragines praecipitavit; ex quibus milites collo tenus exſtantes vix emergere poterant, ut parum abfuerit, quin vel vadis abſorpti vel ab agreſtibus ad unum omnes trucidati fuerint. Sed mature ſubveniente laborantibus Hollio agreſtes repulſi ſunt, inutili tamen ad pugnam pedite; qui madefactus, corruptis imbre ſcloppetis, ſatis habuit mortis periculum evaſiſſe. Ipſe Schonouveſius, nimia feſtinatione periculi auctor, cum omne optimi ducis ſimul ac fortiſſimi militis munus impleviſſet, dum ſariſſa ante alios ſtrenue rem gerit, aheneo tormento trajicitur, ex quo vulnere quatriduo poſt deceſſit. Ejus legioni poſtea praefuit [g] Wrisbergius. Tum incenſae molatrinae, cujuſmodi iis locis vento circumagi ſolitae admodum frequentes occurrunt: et ab H. Ranzovio ſignum datum, ut omnes ſimul, ſicuti convenerat, nam omneis jam adveniſſe vero ſimile erat, impetum facerent. Dum haereret miles, et Schonouveſiani adhuc laborarent, Jo. Ranzovius in pedes deſcendens pudore atque aemulatione ſuos confirmat; diſploſiſque univerſis tormentis, IV cohortes ſuo exemplo incitatas trans foſſas ad vallum ducit, ab agreſtibus cum vaſtitate ac membrorum robore tum animorum obſtinatione formidandis defenſum, quibus accedebat potentiſſimum in hominum animis telum, patriae charitas ac libertatis amor. Nec mulieres officio deerant, quae viris immiſtae virilia munia exſequebantur; viſaque una eo die, quae unum et alterum militem cultro confodit. Tandem numero victi agreſtes vallum, quod corporibus potius quam armis tamdiu tenuerant, poſtremo deſerunt: quo propugnatorum corona nudato, protinus Ranzoviani irruunt, portiſque refractis, Adolfus cum IV equitibus et mox rex cum praetoria et Henrico Ranzovio ſubſecutus eſt. Prima irruptione nulli ſexui aut aetati parcitum, paſſim ſanguine exundantibus vicis: interfectique ex indigenis cccc; ex regiis c ceciderunt: et, ſi quidem eodem tempore omnes ſimul impetum feciſſent, nec ceſſatum eſſet, procul dubio cuncti, qui in oppido erant, in victoris manus veniſſent. Verum ceteri locorum gnari X ſigna explicata et XX grandia tormenta ſecum trahentes averſa oppidi parte elapſi ſunt; quorum tamen plerique, cum in Oldenburgicos et Mauritii Ranzovii alam, qui adventabant, incidiſſent, intercepti ccc ex ſuis amiſerunt, ac XXV machinas omnis generis, pulveriſque tormentarii magnam vim. Ita Meldorpa impetu capta eſt III Non. Junii. Vix in

dividenda

VAR. LECT. [α] Tilebrugianis *P. D. o. f.* [β] Meldorpianis *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Schonowejen.* [b] *de Walde.* [c] *Peters.* [d] *Bulow.* [e] *Windberg.* [f] *Erſam.* [g] *Wrisberge.*

dividenda praeda a certamine inter victores temperatum, dum pedites perienli oſtentatione victoriam ſuam faciunt, excluſis equitibus, qui propter loci ſitum eqnis inacceſſum nulli nſui in ea expugnatione eſſe potuerant. CIↃIↃLIX. Henricus II. Sedato utcunque tumultu, conſtirutum, nt poſtridie univerſae copiae [a] Brunsbutelio admoverentur. Miſſi R. Waldeſius cum cohorte et [b] Blacenburgus cum ala equitum, qui, longo per Holſatiam circnitu facto, ſe ad Nic. Ranzovium jam Albis ripas renentem adjungerent, et agreſteis, ne ſuppetias ferrent, impedirent. Ipſe Jo. [c] Ranzovius locum a fronre aggredi ſtatuit, cum [d] Wrisbergio et [e] Walterumbio, Mauritio item Ranzovio, ulterius ſecundum [f] Albim VII Eid. Junii provectus loco ſabuloſo ac ſolido, quo copiae citra periculum tranſvadari poſſent: quo animadverſo, agreſtes, relictis munitionibus, fugam arripiunt; caeſique ex iis eo die ab inſequentibus Ranzovianis circiter CCCC: ſignum I captum: recepta et pleraque plauſtra commeatu onuſta, quae illi ſuperioribus diebus interceperant. Mox Ranzovius cum legione Oldenburgica Brunsbutelium occupat paene deſertum: nam agreſtes in regionis interiora aufugerant. Miſſi deinde Blacenburgi legatus et M. Ranzovius cum delecta CCC equitum turma, qni fugienteis aſſequerentur; ex quibus CCCC circiter remanſerant cum foeminarum ac puerorum imbelli turba, qui e via ad tuguria ſua ſe receperant, eaque, loco confiſi palude et uliginoſis aquis undique circumfuſo, ductis foſſis et tumultuariis exſtructis operibus, carris item junctis, centonibus, ſtragulis, culcitris ac materia obvia, quam ſors obtulerat, muniverant, intraque ea vitam ac libertatem defendere parabant: verum, ubi ſe omni ex parte quaſi indagine clauſos viderunt, abjectis armis, ſine certamine victoris arbitrio ſe permiſere. Cum deliberaretur, quid de extrema commeritis agendum eſſet, Breda Ranzovius auctor fuit, nt iis vita condonaretur, crudele dictitans inermem turbam ac dediritios trucidare: cui ſenrenriae et rex acceſſit. Itaque promiſcua multitudo cnm liberis ac conjugibus acervatim navibus impoſita ultra Albim, juramento prius accepto, deportati ſunt: primores in Holſatiam miſſi, et per diverſas arces cuſtodiae traditi, arque ad exitum belli ſervati ſunt. Rurſus aliquam moram in caſtris attulit renovata de praeda contentio: qua compoſita, ne deinceps hujnſmodi pernicioſae altercationes inciderenr, praefecti militum decurionibus denunciant, praedam ejus fore, qui illam ex hoſte cepiſſet, ea conditione, ut non prius ad praedam diſcurreretur, quam hoſtis omnino profligatus eſſet. Dein in concilio placuit, ut [g] Tilebrugam exercitus duceretur: negotiumque datum Oldenburgico, ut cum Mauritio Ranzovio [h] Meldorpa in caſtra regia contenderet, et in itinere [i] Hemmigiſtadium aggredi ſe velle ſimularet, quo loco recenti adhuc hominum memoria Joannes Daniae rex a Dithmarſis caeſus fuerat: quo fiebat, ut facile ſibi perſuaderet Ranzovius, agreſteis crædituros de eo capiendo regios ſerio cogitare, ut antiquam injuriam ulciſcerentur, et cladem inibi acceptam expiarent. Ita Tilebruga nullo negotio capta, quippe quae a paucis tenebatur: nam, fama de Hemmigiſtadio ſparſa, praeſidiarii fere omnes eo confluxerant. Inde progreſſus Ranzovins, caeſis in itinere aliquot agreſtibus et occupato amniculo, qui [k] Heidam et Tilebrugam interjacet, copias omneis traducit: quo facto, cum Heidam praeſidio vacuam crederet, jam de hoſpitiis diſtribuendis agebatur: praemiſſi tamen Jacobus Blacenburgus et Aſcanius [l] Hollius volonum equitum ductores, qui propius adequitantes ex obviis mulieribus viros in urbe eſſe intelligunt: moxque eminus IV ſigna agreſtium conſpiciuntur, qui eo audacius in regios invecti ſunt, tormentis etiam ſecum adductis, quod ab exploratoribus decepti certo ſibi perſuaſerant, CC tantum nec amplius equites ex Holſatis adventare: nec fraudem primo occurſu agnoſcere potuerunt, quippe cum regii poſt collem laterent. Itaque temere

INTERPR. [a] *Brunsbuttel.* [b] *Blanckenburg.* [c] *de Ranzow.* [d] *Wrisberge.* [e] *Walterthumb.* [f] *l'Elbe.* [g] *Tielbruck.* [h] *Meldorf.* [i] *Henningſtad.* [k] *Heiden.* [l] *Holle.*

CIƆIƆLIX. HENRICUS II.

temere congreſſi funduntur. Rex ipſe cum praetoria ſecundum collem, ad cujus laevam palus ſubjecta erat, progreditur; rectaque ad eum locum tendit, ubi tormenta ab agreſtibus depoſita fuerant. Latera ejus tegebant Joannes et Adolfus patrui. Joachimus autem Blacenburgus, capto retrorſum ſpatio, Adolfi turmas oblique circumvectus inter oppidum et praetorianos ſe medium oppoſuerat, ita ut aditus in urbem oppidanis intercluderetur. Igitur fere omnes trucidati: c circiter in paludem ſe praecipiteis dedere, et locorum peritia elapſi ſunt; non ſine Holſatorum damno. Nam Joannes et Nic. α a Trucii Dani praecipuo loco viri graviter vulnerati; Ericus b Podesbuchius et Andreas c Friſius interfecti ſunt, ſcloppetariorum culpa ſegniter rem gerentium, et, dum palanteis agreſteis avidius inſequuntur, diſploſis in regiam turmam imprudenter ictibus. Vix finitum erat certamen, cum nova ſe agreſtium ſigna in conſpectum dant; quos ut Ranzovius ad proelium eliceret, poſt colleis, tres omnino oppido imminent, equites collocat, diuque ſuos continuit, ut ſpatium effundendi ſe oppidanis erumpentibus daret: demum impetus a peditatu ſimul et equitatu factus, equite ad laevam oppidum praetervecto, ut hoſtem intercluderet. Heic agreſtes, quamvis ſe circumventos viderent, minime animum deſpondent; ſed in prato aggere et foſſa vallato conglobati fortiter et impigre pugnam capeſſunt, regiosque irruenteis contis ac fariſſis repellunt, uni ex iis adempto ſigno. Cunctanteis ſuos ubi videt Adolfus, cum paucis, quos ad corporis cuſtodiam penes ſe habebat, advolat; et, manu prehenſis ſigniferis, ut ora in hoſtem vertant, admonet: non aliam dedecoris effugiendi aut ſalutis expediendae viam ſupereſſe: ſegnities ipſorum quanto exercitui nuper conſtiterit, ſcire omneis; cujus ſi memoriam obliterari et egregio facinore gloriam ac patriae pacem quaerere principumque ſuorum eadem opera gratiam demereri velint, in manibus eorum poſitum eſſe: tantum audeant; et meminerint ſibi rem eſſe cum agreſtibus, quos viciſſe non tam laudi quam ab iis vinci ignominiae vertat. Quibus verbis cum parum ſuos permoveri cerneret, ipſe ultro ante alios, ut ſaltem eos exemplo incitaret, procurrit, ac militem forte obvium trajicit, qui vulnere nequaquam tardatus in Adolfum jam praetervectum contum ferratum intorquet, et in dorſo ſupra coxendicem graviter vulnerat: nam Adolfi corpus, armis propter immodicum aeſtum exutis, ad ictus patebat. Ille ſtatim trijugo currui impoſitus abſportatur. Eo caſu miles, qui neque periculo proprio aut dedecoris metu nec fortiſſimi principis ultro ſegnitiem increpantis vocibus permoveri potuerat, exacerbatus animos ſumit; et, quamvis diei aeſtu ac labore viae feſſus, cui faciendae nocti diem continuaverat, denuo irruit, vallumque perrumpit. Agreſtes, qui ab ipſis interfecti non ſunt, aut trans aggerem praecipitaverunt, aut in equites inciderunt; ita ut pauci eo die elapſi ſint. Dum pugnatur, equites praedae avidi mala fide in oppidum fere praeſidio vacuum penetrant; verum cum damno repelluntur, deſiderato β d Marco Romanavio. Superveniente mox M. Ranzovio, quem ad e Hemmigiſtadium iviſſe diximus, agreſtes, qui hactenus reſtiterant, jam ſalute deſperata, pars regiis permiſti vim fecerunt, donec a Ranzoviano equitatu excepti fere omnes deleti ſunt. ccc caeſi. Sed in eo certamine Theodoricus f Hollius lethali vulnere confoſſus eſt. Rurſus qui ex clade ſuperfuerant agreſtes, in angulum ſitu firmum ſub veſperam collecti, ſe ad ſuſtinendam regiorum vim comparant: quibus equitatus opponitur. Ranzovius vero vir impiger, ne ſpatium colligendi ſe et animos confirmandi hoſtibus daret, quamvis reclamantibus pleriſque, copias et tormenta Heidae admovet. Heic rurſus atrox pugna committitur, quae non niſi conflagrante oppido et cum oppido occiſis aut igne abſumptis propugnatoribus deſiit. Capto oppido, quod illuſtri regionis emporio ac ſenatu, ad haec, aedificiorum ſtructura tota

Dithmarſia

VAR. LECT. α Truzii *P. D.* o. f. β Marcardo Ramovio *P. D.* o. f. d.

INTERPR. a *Truzen.* b *Podesbuch.* c *Frieзen.* d *Marquard Rennaw.* e *Henningſtad.* f *Holle.*

[a] Dithmarſia celeberrimum erat, poſtquam miles cerviſia ac mulſo inibi reperto ſe aliquantum refecit, regredi a Ranzovio jubetur, et ad tormenta ſe recipere. Is ſiquidem verebatur, ne homines praefractae audaciae, qui ſuſque deque haberent utrum aequo an iniquo loco pugnarent, deſperatione adacti noctu incautos atque ut in victoria ſecuros aggrederentur. Itaque diligenter ſtationes diſpoſitae, ne quid inopinati, quod tantae victoriae, tribus eodem die conſertis proeliis inſignis, laetitiam conturbare poſſet, ex negligentia ſuboriretur. Ex agreſtibus III CIↃ numerati ſunt, qui ea die occubuerunt; praeter ſaucios et eos qui per noctem reptando evaſere. Ex regiis fere CCC; et in iis clari nominis Georgius [b] Aleueltius, Adolfi praetoriae alae vexillifer, qui glande per lumbos trajectus ex eo vulnere [c] Rendesburgi nono poſt die deceſſit. Plerique ex proceribus ſauciati. Inde [d] Hammam promota caſtra; in quae revectus Adolfus adhuc dubia valetudine, quem rex humaniſſime inviſit.

IV. SUPERATA campeſtri Dithmarſia, ſupererat paluſtris, [a] [e] Marſlandia dicta; in quam, ut aditu impeditiorem, quos mars reliquos fecerat, ad haec imbellis ſexus, ſenes, pueri, foeminae cum pretioſiore ſupellectile ſe receperant, de ſumma periclitaturi. Dum de invadendae illius ratione deliberatur, ſacerdotes duo legati ad principes in caſtra veniunt, bacillum album uterque manu geſtantes, et epiſtolam ſupplicem bacillo affixam, ſed apertam et nullo ſigillo obſignatam, cum inſcriptione, qua Danos principes Dithmarſiae principes agnoſcebant; quod, ne juri ſuo ac libertati praejudicium facerent, non ſolum huc uſque minime ipſis tribuerant, ſed etiam audacter impugnaverant. Mandatorum haec ſumma erat; ut dignarentur principes legatos ſuos audire, et per illos iis idonee cavere, quos de pace ac deditionis conditionibus acturos miſſuri ſint, ut libere ac tuto ire ac redire liceat. Poteſtas facta Joanni Ranzovio ſummo belli duci, ut principum nomine Dithmarſis diplomate commeatus ultro praebito caveret. Secundum haec triduo poſt V ex XLVIII viris ſupplices in caſtra ad principes XVII Kal. [1] Junii veniunt, qui, ſalvis ſuorum corporibus ac bonis, imperata ſe facturos oſtenderunt. Diu in concilio agitatum fuit de conditionibus: cui Adolfus, quamvis non bene adhuc confirmata valetudine, interfuit: eoque factum, ut minus liberae eſſent initio conſiliariorum ſententiae; quippe qui irritatum eum de gente penitus exſcindenda cogitare crederent. Dum dubitant, ipſe primus praeter adſtantium opinionem praeivit; et ut negotium humaniore via componeretur ſibi placere declaravit. Itaque conditiones in hunc modum tandem perſcriptae: ut Dithmarſi ante omnia debitae fidei ſponſione ac jurisjurandi religione ſe principibus aliorum inſtar obſtringerent: vexilla praetoria, olim Joanni Daniae regi ac Friderico [f] Holſatiae duci regis fratri [2], et quidquid ex caſtrenſi ac pretioſa omni ſupellectile apud ipſos reliquum ſit, bona fide reſtituant: ſumptus belli, qui ad IↃ C aureorum CIↃ excurrunt, rependant: omne merum ac miſtum imperium, territorium item jus ac dominium, venationes ac piſcationes atque ejuſmodi jura in univerſa Dithmarſia penes principes remaneant: principibus jus ſit treis arces ac munitiones, quibus locis velint, in Dithmarſia ope et operibus incolarum aedificare; quarum praeſidiariis alendis ac locis tuendis agreſtes tantum agri, prati, paſcuorum ac nemorum conferant, quantum opus erit; ac de more gentis operas faciant et angarias praeſtent: cetera omnia propugnacula diruantur ac ſolo aequentur: quidquid tormentorum ac machinarum bellicarum habebunt Dithmarſi, armamenta item omnia et arma tam ſingulorum quam publici uſus in unum locum comportata principibus tradant: ex agris et paſcuis tantum quotannis principibus pendant, quantum in uſum belli nunc accipiunt: imperialia ac pontificia et aliorum cujuſcunque ordinis ac dignitatis principum diplomata, quae in poteſtate habent, bona fide, ſacramento interpoſito,

VAR. LECT. [a] Marſlandia dicta *deſunt* *P. D.* o. f. d.
INTERPR. [a] *Dithmarſen.* [b] *ab Alevelt.* [c] *Rendsburg.* [d] *Hamme.* [e] *Marſland* [f] *Holſtein.*
NOT. [1] Julii *Put.* [2] *Supple* ablata.

CIƆIƆLIX.
HENRICUS II.

poſito, exhibeant; quaeque non exhibita fuerint, eorum ſigilla ac literas inducant, irritaque et invalida per ſcripturam faciant: juriſdictio in provincia a principibus conſtituatur, a qua ad ipſos ſit provocatio: exactiones, tributa precaria, penſiones, ſicut alii Holſatiae et Stormariae incolae, praeſtare teneantur: foederibus quibuſcunque cum quibuſvis contractis renuncient, nec alia porro ineant: poſtremo ſupplices ſolemni ritu principibus ſe ſiſtant, et culpam confeſſi veniam expoſtulent, appenſiſque ad literas ſigillis fidem obligent: donec eae impleantur conditiones, VIII ex XLVIII viris, ac XVI praeterea ex gente praecipuos dent obſides. Ita remiſſi legati, et a Fr. [a] Bulovio atque H. [b] Ranzovio in pacatum deducti ſunt. Triduo poſt, tantum temporis ſupplicibus ad deliberandum conceſſum fuerat, legati redeunt; et porrecto ad ſingula capita reſponſo conditiones fere univerſas accipere ſe paratos oſtendunt: ceterum, de belli ſumptibus ſatisfacere, in ſua poteſtate non eſſe: proinde orant, ut egeſtatis ſuae ac calamitatum eo bello acceptarum ratio habeatur. Excuſant item, quod de praeſidiariis alendis et arcibus ſuo ſumptu exſtruendis additum eſt, quodque de praeſtatione ex agris exigatur. Obſecrant, ut eadem libertate, qua [1] [c] Friſii, [d] Crempermarſi et Wilſtermarſi ipſis ſubditi gaudeant, potiri ſibi liceat; et ab operis faciendis et angariarum onere, ſicut illi, immunes ſint. Poſtremo, quod ad juriſdictionem, petunt, ut cum bona principum gratia ſenatus [e] Eiderſtadii collocetur, qui ex jure ſcripto liteis dirimat, et jus dicat, ſalva ad ipſos provocatione. Poſt aliquot dierum diſceptationem, mitigatis ex procerum ſententia ac praecipue Joannis Ranzovii, qui ſummae rei per principum abſentiam praepoſitus fuerat, conditionibus, tandem pax facta: dieſque dicta ad XI Kalend. Quintil. qua quidquid armamentorum bellicique apparatus reliquum erat traderent, et ſupplices culpam ſibi condonari peterent. Id eo modo actum. Principes Joannes et Adolfus, nam rex aberat, campo patenti cum conſiliariis locum medium occupabant. Hos circum Dithmarſi capite nudo et in genua procumbentes jacebant; inter quos, qui arma ferre poſſent, vix IV CIƆ numerabantur, ex ſuperiore clade ſuperſtites; quibus equitatus et univerſus exercitus circumfundebatur; ut plerique ex agreſtibus ſpectaculo eo territi paratam ſibi laniénam crederent. Venia ſuppliciter petita, ſignis, armis, tormentis, quae C omnino erant, et mox Meldorpam aſportata, atque inter principes, uti convenerat, diviſa ſunt, traditis: obſides etiam XXIV dati; quibus, ut [f] Rendesburgi ſe ſiſterent, imperatum fuit. Pleriſque, quo ſe adverſus militum licentiam tueri poſſent, etiam victoris permiſſu frameae et haſtae reſtitutae. Tum diviſae pedeſtres copiae, quae praedae inhiare videbantur, et in Holſatiam ſparſim ablegatae, tormentis ademptis, ne quid ſimul junctae numero audaciores molirentur. Ita bellum, ſpecie, ſi memoria priſci temporis repetatur, ingens, intra unius fere menſis ſpatium felicitate ſumma ac celeritate confectum eſt, quod tanto tempore olim Holſatiae principibus ac Daniae etiam regibus detrimentoſum fuerat, pro patriae libertate gnaviter ſe initio defendentibus Dithmarſis; qua poſtea inſolenter abuſi illi, et ſuperbia nimia caeci multa proterve, multa contumelioſe in Deum ac vicinos perpetravere: quibus concitata Dei, quem adeo propitium hactenus experti fuerant, ira, et auctis hoſtium viribus, potentiam majorum virtute quaeſitam ſecordi ferocitate momento amiſere. Pacta deinde inter eos ac principes inita Ferdinandus inſequenti anno rata habuit, et auctoritate Caeſarea firmavit.

V. CUM in eo ſtatu res toto orbe eſſent, initio anni magna Romae mutatio facta eſt, alienato pontificis a ſuis animo; quorum jampridem imperium omnibus inviſum, poſtremo ipſi etiam patruo odioſum eſſe coepit. Ii ſiquidem elati animi et injuriae impatienti ſeni auctores belli, pontificiae ſedi et toti adeo [g] Latio calamitoſi, fuere:

INTERPR [a] *Bulow.* [b] *Ranzow.* [c] *Friezen*, ou *Vorſt Friezen.* [d] *Crempermarſch & Wilſtermarſch.* [e] *Eyderſtadt.* [f] *Rendsburg.* [g] *Campagna di Roma.*

NOT. [1] *Friſii*] Eſt et provincia dicta Friſia ultra Albim in Dania, vulgo *Strandt Friezen.* *Put. L.*

fuere: ex cujus occaſione multa avare, multa intemperanter et contumelioſe acta, inconſulto et inſcio pontifice, qui exhauſto aerario gravia et extraordinaria tributa indicere iis inſtigantibus et exigere coactus eſt. Montes quippe, ita vulgo vocant, IV inſtituti: II in novennium perpetuae ſolutionis beſſalibus uſuris; alter ſpiritus ſanl xenodochio, alter Thoma [a] Marino Genuenſi fidejuſſoribus: totidem [1] non perpetui; unus ex [b] Peruſiae et Umbriae vectigalibus, alter ex reditibus aluminum quae apud [c] Tolfam coquuntur. Seſquicenteſimam item bonorum aeſtimatorum, et duas decimas omnium ditionis eccleſiaſticae ſacerdotiorum imperavit. Et, ne quid intactum relinqueretur, officia eorum, qui jus dicunt in cauſis capitalibus, et alia venalia propoſuit, menſtrua omnium officiorum penſione in fiſcum redacta, et addicta religioſorum ordinum ad terrea munimenta, quae paſſim ob belli neceſſitatem conſtruebantur, opera. Tandem, pace cum Philippo facta, cum, ſedato mentis ira atque ultione ardentis impetu, ad ſe rediiſſet pontifex, ab Hieremia quodam, ex illorum ſacerdotum ſodalitio, qui ab ipſo Theatini vocabantur, monitus, Caraſas et cardinalem in primis, eo ignaro, plurima perperam agere, ex eo attentior ad civilem adminiſtrationem eſſe coepit, et diligentius in ſuorum mores inqnirere. Accidit et ſub id tempus, ut Coſmus pleroſque tam ſacris initiatos quam ſolutae conditionis reos per cuſtodias haberet, qui ſe fori ſacri exceptione tuebantur. Itaque ille, ut ſaluti publicae, quae impunitis criminibus periclitatur, proſpiceret, et eadem via diuturni carceris invidia ſe exoneraret, ſaepius ante cum pontifice egerat, ut virum gravitate ac probitate conſpicuum delegaret, qui de reorum cauſis cognoſceret. Offendebatur praeterea Coſmus Carafarum inſolentia, qui, non contenti in proprio, hoc eſt, in pontificio territorio cuncta pro libidine agere, etiam per omnem Italiam atque in Etruria praecipue xenodochiis, coenobiis ac ſacris perſonis gravia tributa privata auctoritate imperabant. Ob id [d] Bonjano Bonſiliacio oratori ſuo negotium dederat, ut ea de re querelam apud pontificem inſtitueret: ſed, quo minus ille ad colloquium admitteretur, ſedulo hucuſque effecerant Carafae: quo factum eſt, ut Coſmus per literas id tentaverit; quae a cardinali Vitellio, Carafarum faſtum et inſolentiam exoſo, pontifici redditae ſunt. Quibus lectis, moroſus ſenex praecedentium monitorum memor ſtatim Hieremiam evocat; et, ut ex Vitellio Carafarum conſiliorum gnaro plenius rem intelligat et ad ſe referat, jubet. Id vero hominis imperioſi et dignitatis pontificiae ſupra modum retinentis animum ſumme exulceravit, quod cardinalis Carafa [e] Paliani, quod ipſe omnino retinere in animo habebat, ob idque, ut [2] Jo. Baptiſtae [f] Carbonis cognati fidei ac cuſtodiae committeretur, conſenſerat, compenſationem a Philippo fratrem accepturum promiſerat; eaque de re, ſe inſcio, cum Albano convenerat. Itaque, depoſito ſtatim omni privatae charitatis affectu, cardinalem ex Vaticano, in quo habitabat, diſcedere jubet; et ne in conſpectum ſuum veniat graviſſima interminatione denunciat. Tum frequenti patrum ſenatu, qui VI Kal. Febr. celebratus eſt, eum a rerum cura et [g] Bononiae legatione ſummovit. Paliani duci eccleſiaſtici exercitus imperium abrogavit, adempta etiam triremium praefectura. Marchionem [h] Montis-belli denique palatii Vaticani cuſtodia privavit; in eorum licentiam vehementi adeo oratione invectus, ut cardinaleis quoſdam animnm ejus commotum ſedare atque illos excuſare conanteis compoſito ad ſeveritatem vultn graviter increpuerit; et, ad Ranutium Farneſium cardinalem, qui aderat, converſo ſermone, conſultius facturum fuiſſe avum ipſius dixerit, ſi ſuo exemplo proprias charitates paſtorali muneri poſthabuiſſet, ac ſevera in patrem ejus animadverſione inſtituta ſcelera ipſius et

abominandas

INTERPR. [a] *Marini.* [b] *Perugia & la Romagna.* [c] *Tolfa.* [d] *Bongianni Buonfiglianzi.* Je croy qu'il faut *Gianfiglianzi.* [e] *Paliano.* [f] *Carbone.* [g] *Bologna.* [h] *Monte-bello.*

NOT. [1] Lege *perpetui cum centeſimae ſolutione, unus ex*——Sic Onuphrius, unde locus deſumptus. *Put.*

[2] Dele *Jo. Baptiſtae*: lege *Bernardini* *Put.*

CIƆIƆLIX.
HENRICUS II.

abominandas libidines, quarum horrore urbis univerſus fremebat, impunitas non fuiſſet. Igitur, adulatorias cardinalium pro Carafis deprecantium voces averſatus, longe acerbiora, niſi quamprimum omnes urbe excederent, minatur: et cardinalem quidem [a] Lavinium, [b] Paliani ducem [c] Galeſium nuper ab ipſo a Julio [d] Roboreo emptum caſtellum, [e] Montis-belli marchionem in [f] Umbriam, omni auctoritate exutos, relegavit; et, cunctis iis, quibus ipſi aliquos magiſtratus et munia publica mandarant, dignitate ac loco pulſis, quibuſdam etiam in carcerem conjectis, novos in eorum locum ſuffecit. Portoria item quaedam ac nova vectigalia, quaſi ſe ignaro indicta, abolevit: et urbis ac palatii cuſtodiam Camillo [g] Urſino Nomentano commendavit; in cujus mox demortui locum Antonium Urſinum Gravinae ducis fratrem ſublegit, triremium praefectura Flaminio Urſino [h] Stabiae commiſſa. Collegium demum xx cardinalium et minorum aliquot officialium Palatinorum conſtituit, qui publica audientia ſemel per ſingulas hebdomadas inſtituta ſecum omneis pontificiae ditionis controverſias cognoſcerent, aequitatis ac juſtitiae his omnibus factis affectata opinione, et omnium praeteritarum rerum culpa in ſuos derivata. Cum vero propter adverſam valetudinem aſſiduus intereſſe non poſſet, [i] Tranenſem, [j] Spoletinum ac [k] Conſiliarium cardinaleis delegit, qui ſuam vicem fungerentur, et cauſas ſumma ac regia plane poteſtate cognoſcerent. Edictum etiam propoſuit, qui magiſtratuum ac praefectorum injuria damni aliquid fraudiſve paſſi fuiſſent, iis ſe ex aequo jus redditurum. Tum a curis belli vacuus totum ſe Inquiſitionis muneri, quod ſanctiſſimum vocabat, mancipavit; quam in omneis ſevere admodum exercuit. Huic ut praeeſſet, Michaëlem [l] Giſlerium Alexandrinum nuper a ſe in cardinalium collegium cooptatum ſumma auſteritate ac morum aſperitate virum delegit: et in hoc tribunali non haereſeos ſolum, ſed aliquot etiam crimina, quae aliorum judicum ſententiis definiri ſolebant, agitari voluit. Poſtea edicto cavit, ut monaſticam ac religioſam vitam ſemel profeſſi omnes in monaſteria, ex quibus quacunque de cauſa exiiſſent, nulla excuſatione admiſſa, redirent; qui non obtemperarent, ſatellitum cuſtodiis adhibitis, tota pontificia ditione partem in carceres, alios in triremeis conjecit: qua in re tanta ſeveritate uſus eſt, ut, cum nullae exceptiones aut praeſcriptiones admitterentur, plerique ſolum mutare coacti ſint, quibus Venetiae opportunum ac tutum ad tempus perfugium fuere. Urbis etiam penuriam magno pietatis exemplo levavit, tritici rubro, quod menſurae genus eſt, octonis aureis empto, et egenae plebi quinis divendito: qua liberalitate L aureorum CIↃ abſumpſit.

VI. EODEM tempore et haec memoria digna ab eo acta. In aliquot Indiarum oppidis, quae [m] Luſitaniae regi parent, ſedeis epiſcopaleis conſtituit; Malacae, et [n] Cochini: [o] Goënſem vero ab archiepiſcopi [p] Oliſſiponenſis obedientia ob locorum longinquitatem exemit; et metropolitanam eam fecit, erectis novis epiſcopis. Idem ab eodem in [q] Belgio factum, pluribus in eo inſtitutis novis ſedibus, et antiquis a Gallica juriſdictione avulſis, magno nominis Francici dedecore ac jactura: quod a pleriſque improbae cardinalis Lotharingi [r] Remorum archiepiſcopi praevaricationi tributum eſt; qui tacitum foedus nuper cum Hiſpano initum hac conniventia quaſi obſignaverit. Quanquam Lotharingi culpam excuſat quodammodo, quod eadem pontificis gratia contra Imperii ac Germaniae majeſtatem perinde uſus eſt Philippus. Nam, ut [s] Cameracenſis, [t] Tornacenſis et Atrebatenſis dioeceſes juriſdictioni Remenſi exemptae ſunt, ita eae [t] Colonienſis, [u] Oſnabrugenſis, [x] Monaſterienſis et Paterbornenſis dioeceſeum partes, quae in Philippi ditione erant, ab illis avulſae ſunt, et ſedibus nuper in Belgio ordinatis attributae. Rei color quaeſitus, quod rarae in

ea

INTERPR. [a] *Lavinia.* [b] *Paliano.* [c] *Galeſe.* [d] *della Rouere.* [e] *Monte-bello.* [f] *la Romagna.* [g] *Orſino da Lomentano.* [h] *da Stabbia.* [i] *da Trani.* [j] *di Spoleto.* [k] *Conſiglieri.* [l] *Ghiſleri dal Boſco, dit le cardinal Alexandrin.* [m] *Portugal.* [n] *Cochin.* [o] *de Goa.* [p] *de Lisbonne.* [q] *Pays-bas.* [r] *Reims.* [s] *de Cambray.* [t] *Tournay & Arras.* [t] *Cologne.* [u] *Oſnabrug.* [x] *Munſter & Paderborn.*

ea regione epiſcoporum ſedes ab initio eſſent, tunc infrequenti, nunc vero oppidorum et hominum numero florentiſſima; cui proinde ad tantam meſſem colligendam operariis pluribus opus ſit. Itaque [a] Mechliniam, [b] Antuerpiam, [c] Harlemum, [d] Daventrieum, [e] Leovardiam, [f] Groeningam, [g] Mildeborgum, [h] Silvam-ducis, [i] Namurcum, [j] Audomari-fanum, [k] Ipras, [l] Gandavum, [m] Brugas, florentiſſima Atuaticorum, Batavorum, Friſiorum, Mattiacorum, Pleumoſiorum et Morinorum oppida, [n] Cameracenſi, [o] Trajectenſi, [p] Tornacenſi, [q] Leodicenſi et Tarveonenſi epiſcopis olim ſubjecta, a ſua quodque eorum dioeceſi ac provincia exemit; et epiſcoporum ſedeis in illis ordinavit. Treis item metropolitanas ex iis conſtituit, Mechliniam, Cameraeum et Trajectum; quibus reliquas epiſcopaleis ſedeis ſubeſſe voluit: quod ſecus poſtea a Belgis acceptum, qui non ob dignitatem aut regionis utilitatem a pontifice eam novorum epiſcoporum creationem factam interpretabantur, ſed ut durum ſervitutis atque adeo Inquiſitionis jugum per illos veluti inſpectores liberis cervicibus imponeretur. Et vero diploma pontificium hanc etiam cauſam praeferebat; quod, cum Belgium omni fere parte cinctum ſit et quaſi obſeſſum a ſchiſmaticis populis, propter aſſiduas ſectariorum inſidias, dolos, fraudeis et pravas doctrinas catholica illic fides et animarum ſalus ſummopere periclitaretur. Ea re maxime inter alias adductum Philippum conſtat, ut tantopere ad pacem inclinaret, quod perſuaſum illi eſſet a ſuis, ſi diutius bellum traheretur, fore, ut paulatim per licentiam, quae ſemper major, bello ardente, eſſe ſolet, neglecta civili adminiſtratione, ex Germanorum, qui neceſſarii auxiliares erant, aſſidua ac frequenti conjunctione ſectarum contagia inter Belgas ſerperent. Quod poſtea Henricus Gulielmo [r] Naſſovio Arauſionis principi, cum ad ipſum legatus veniſſet, imprudenter inter venandum aperuit; hoc addito, propoſitum Philippo eſſe, pacatis rebus, ſectas in Belgio pullulanteis omnino extirpare, et arma deinde nobiſcum, ſi poſſet, conjuncta laudabiliori conatu in ſectarios vertere. Quod idem jam tum Belgis ab Arauſionenſi detectum occaſionem dedit, ut communicatis conſiliis ſe contra ſuperbum Hiſpanorum dominatum munirent, et inſolentia poſtulata, de quibus poſtea dicemus, Philippo in Hiſpaniam abeunti proponerent. Id vero ex compacto cardinalis Lotharingi et Antonii Perrenoti [s] Atrebatum epiſcopi inſtigatione [α] agi hinc inde plerique interpretabantur: nam eo pertinere edicta ſuperiori anno a rege in ſenatu promulgata, et conventum [t] Mercurialem hoc anno habitum, Galliae ac regi funeſtum; ut nimirum religionis tuendae praetextu Gallorum libertas opprimeretur, et in Belgio, amotis hoc colore a rerum gubernaculis provinciae proceribus tam bene de ſuo principe meritis, Hiſpanorum potentia conſtitueretur.

VII. Ita certis de pace mox tranſigenda regibus, praeter controverſiam de Caleto, quae tamen Mariae morte quaſi compoſita videbatur, ſuperabat aliud, quod utriuſque principis animos diverſa ratione anxios tenebat; de [β] [t] Divoduri videlicet, [u] Viroduni ac Tulli imperialium civitatum hoc ultimo bello a noſtris captarum reſtitutione futura contentio. Nam ad Philippi exiſtimationem ac ſecuritatem pertinebat, quo de Imperii principum atque ordinum dignitate ſolicitum ſe approbaret, controverſiam de iis movere; et noſtros de illis retinendis pertinaciter pugnaturos apparebat. Neque tamen tam Philippi, cui aliunde honorificis et opimis conditionibus conſultum erat, de civitatibus reſtituendis contendere, quam Gallorum eas retinere intererat. Itaque utrinque ad Imperii comitia mittuntur legati; a rege [v] Bordillonius et Carolus [x] Marillacus archiepiſcopus Viennenſis; a Philippo [y] Barbanſonus

VAR. LECT. [α] hinc inde agebatur. Nam demum anno habitus——funeſtus *P.* eo pertinebant——et conventus Mercurialis hoc [β] Divioduri *P. D o.*

INTERPR. [a] *Malines.* [b] *Anvers.* [c] *Harlem.* [d] *Deventer.* [e] *Leeuwarde.* [f] *Groningue.* [g] *Middlebourg.* [h] *Bois-le-duc.* [i] *Namur.* [j] *St. Omer.* [k] *Ypres.* [l] *Gand.* [m] *Bruges.* [n] *de Cambray.* [o] *Utrecht.* [p] *Tournay.* [q] *Liege & Terouenne.* [r] *de Naſſau, prince d'Orange.* [s] *Arras.* [t] *la Mercuriale.* [t] *Metz.* [u] *Verdun & Toul.* [v] *de Bourdillon.* [x] *de Marillac, archevêque de Vienne.* [y] *de Barbançon, comte d'Aremberg.*

CIↃIↃLIX. HENRICUS II.

nus Arembergius, officii in ſpeciem cauſa, ne Imperii cauſam deſerere videretur. His comitiis, quae v Kal. Mart. [a] Auguſtae Vindelicorum coepta ſunt, ante omnia Caroli v exſequiae magna pompa celebratae, laudante funus [b] Ludovico Madrutio electo epiſcopo Tridentino, qui poſtea in cardinalium collegium cooptatus eſt. Funeri interfuere praeter Imperii principes et ordines ex tota fere Europa principum ac procerum legati. Peractis ceremoniis, colloquii Wormatienſis de religione acta coram Imperii ordinibus publice recitata ſunt: ex quibus cum nulla ſpes conciliationis affulgeret, Ferdinandus Caeſar oecumenicae ſynodi inſtaurationem ſe procuraturum promittit; ac, ut ejus decretis parituros ſe omnes recipiant, clementi et moderata admodum oratione depoſcit. Verum, contradicentibus Saxonis ſeptemviri ac conjunctorum principum legatis, et, quando per concilium pontificium nulla concordiae ſarciendae ſpes eſſet, Paſſavienſem conventum et Auguſtanum de pace decretum urgentibus, Caeſar cum in propoſito perſeveraret, illi ſe quoque liberum et univerſale in Germania concilium non impedituros oſtendunt; dum legitime celebretur, et non a Romano pontifice ſed ab imperatore indicatur; dum pontifex in eo non tanquam praeſes et judex, ſed partis loco ſedeat, et ſe concilio ſummittat, praeſulibuſque ac theologis jusjurandum, quo ipſi devincti ſint, remittat, ut libere citra metum dicere poſſint ſententias; dum pro norma judicii ſit ſacra ſcriptura ac ſolum verbum Dei, rejectis traditionibus humanis, conſuetudinibus cum Dei verbo pugnantibus, et Romanae eccleſiae conſenſu; dum theologi, qui confeſſionem Auguſtanam amplectuntur, non ſolum audiantur, ſed in controverſiis decidendis ſententias dicant; eiſque idonee caveatur, ut non tantum ſecure eo accedere poſſint, ſed libertas illis decreto Auguſtano conceſſa citra fraudem ſalva maneat; capita controverſa non ſecundum ſuffragiorum numerum, ut in civilibus cauſis fieri conſuevit, decidantur, ſed juxta divini verbi regulam ac praeſcriptum ſanciantur; ante omnia Tridentinae Synodi ut vitio coactae acta cuncta ac decreta reſcindantur, et denuo retractentur. His conditionibus in concilium conſentire ſe paratos demonſtrant Proteſtantes: quod ſi a pontifice obtineri nequeat, ut religionis pax et Paſſavienſis conventus decreta ſerventur, ſubſidiarie a Caeſare petunt. Ille igitur, qui de concordia his legibus ſarcienda deſperaret, denuo, quod unum ſupererat, religionis pacem confirmat. Tum de moneta ſolemnis quaeſtio proponitur, ut juſti valoris ac ponderis in Imperio locum habeat. Decernitur etiam adverſus publicae pacis perturbatores, ut ratio coërcendae eorum audaciae in ſingulis Imperii circulis ineatur. Poſtea auditus Gul. Furſtembergii ordinis Livonici magiſtri legatus Georgius [c] Segebergus; qui, deplorata Livoniae ſuperiore anno a Moſcis immaniter vaſtatae calamitate, opem et auxilia ab Imperii ordinibus petit, ſuffragante ei in agnati ſui gratiam Joanne Alberto [d] Megalopolenſi duce. Cum juſta petere videretur, c aureorum CIↃ decernuntur ad exercitum contra Moſcos pro provinciae defenſione conſcribendum: quae ſumma cum Imperii majeſtate et periculo ac temporum neceſſitate minor videretur, Livoni priſtinos ſpiritus adhuc retinentes ſuperbe eam neglexere, ne in tenui et exili ſubſidio fiduciam temere poſuiſſe viderentur. Itaque ea ſpe dejecti Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem adeunt; et, ut Livoniae defenſionem ſuſcipiat, ſalvo Imperii jure, rogant, pro belli ſumptibus IX arces ac praefecturas pignoris loco pacti, quas poſtea IↃC aureorum CIↃ provinciae ordinibus redimere jus eſſet. Ea de re publica inſtrumenta confecta et jurisjurandi utrinque interpoſiti religione firmata ſunt. Tunc ſuſcepta a Gotardo [e] Ketlero, cui dignitatem Furſtembergius eodem tempore conceſſit, expeditio adverſus Moſcos cum Chriſtophoro Megalopolenſi: et [f] Torpatum obſeſſum, ſed irrito conatu, tantumque inibi levibus proeliis certatum. Inde [g] Vellinam arcem, quam Furſtembergius ſervatam ſenectuti ſuae ſepoſuerat, reducta tormenta;

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *Louis de Madruce, evêque de Trente.* [c] *Segeberg.* [d] *de Mecklenburg.* [e] *Ketler.* [f] *Derpt.* [g] *Vellin.*

CIↃIↃLIX. HENRICUS II.

tormenta; quae anno ſequenti, arce a Moſcis capta, in hoſtium poteſtatem devenere. Queſti ſunt et in Imperii comitiis Livoni de Lubecenſibus; ac in primis Riga ac [a] Revalia civitates, quae commercia hactenus ab iis Revaliae exerceri ſolita [b] Narvam Moſcorum tranſlata dolebant, quod nova et inuſitata navigatione Narvenſi importatis omnis generis mercibus, commeatu, armis ac bellico apparatu Moſcos communeis hoſteis adverſus Livoniam Romani Imperii provinciam juvarent. Itaque publico programmate prohibitum, ut armorum ſic commeatus ne ſubvectio ad Moſcos ulla fieret. Quod decretum poſtea ob eas, quas dicemus, cauſas, abolitum eſt. Auditus et Alfonſus [c] Carrectus [d] Finalii in Liguribus marchio, a Finaliis ipſis ob ſaevitiam [α] ejus rebellantibus oppido expulſus, qui de Genuenſium injuriis apud Caeſarem conqueſturus Ratiſponam venerat. Is extremo anno ſuperiore a Genuenſibus, duce Andrea [e] Lomellino, in arce ſua obſeſſus fuerat, fruſtra ſenatum dehortante Andrea [f] Auria, qui arcta adfinitate cum Carrectis conjunctus erat, jam ob ſenium ſuis civibus deſpicabili, et Gomeſio Figueroa Philippi oratore totam belli molem in Finalium verſam tam alieno tempore aegre ferente: quippe cum metus eſſet, ne, dum in alieno invadendo illi laborarent, de proprio amittendo periclitarentur. Nam noſtri paulo ante [g] Florentii-ſanum in Corſica occupaverant ac locum firmaverant, infeſta circum reddita navigatione; ad [h] Baſtiam vero exſtructum propugnaculum vi ceperant, [i] Calvioque imminentes brevi tota inſula potituri videbantur. Tandem, cum Auria ad vim propulſandam, ni abſiſterent, ſe compararet, et Figueroa Philippi nomine apud ſenatum de injuria proteſtatus Conſalvum [k] Cordubenſem Sueſſae ducem mox cum exercitu venturum minaretur, Genuenſes certis conditionibus obſidionem ſolvere. Verum hoc totum negotium ſibi Caeſar ſervavit. [β] Legati noſtri dein v Kal. April. introducti ſunt: et, poſtquam luculenta habita oratione regis egregiam erga Caeſarem et Imperii proceres atque ordines voluntatem prolixe declararunt, ut regni antiquum cum Imperio foedus renovaretur, et arctiore in poſterum amicitia firmaretur poſtremo petiere. Ad haec Caeſar gratias oratoribus agit; et regem Imperii principum et ordinum aut ſuam denique amicitiam nunquam deſideraturum dicit, modo facta dictis reſpondeant, et nuper ablatae Imperio civitates ab ipſo reſtituantur: quod ſi fiat, non videre quid impedimento eſſe poſſit, quo minus ſincera amicitia inter ipſos coire poſſit. Hcic legati, de civitatibus quod proponatur, nihil ſe in mandatis habere reſpondent; ceterum ea de re ad regem relaturos: petere interea, ut regis amicitiam ipſis delatam pari benevolentia remetiantur. Ita ſolutum comitium, et honorifice accepti ac dimiſſi legati: quibus et clam inſuſurratum, non potuiſſe Caeſarem de reſtitutione civitatum mentionem non facere; ceterum neque ipſum propterea neque Imperii principes et ordines a regis amicitia, etiam ſi illae non reſtituantur, diſceſſuros. Decreta et ampliſſima ad regem legatio; cui obeundae deſtinati cardinalis Auguſtanus et Chriſtophorus dux Wirtembergicus.

VIII. Antequam Germania egrediar, ratio poſtulat, ut de famoſi praeſtigiatoris impoſtura tunc temporis detecta aliquid dicam. Is fuit David Georgius, [l] Delfis in Batavorum inſula natus ignobilibus parentibus, patre quippe ludione et matre vilis conditionis foemina, de cetero literarum rudis, et linguarum, praeter vernaculam, qua plura ſcripſit, omnino ignarus; ſed ingenio praefracto et tamen in ſpeciem moderato, ut virum bonum ac candidum eum omnes crederent. Nam erat in eo pulchra oris ac liberalis in vultu dignitas, et totius corporis motus et ſtatus et inceſſus decens, et qui ad omnem probitatem videretur compoſitus. Igitur ille pernicioſae ſectae

VAR. LECT. [α] ejus, ut aiebant, *P. D.* o f. April. poſtquam introducti ſunt, et luculenta *P.* [β] Nunc ad noſtros legatos venio; qui v Kal. *D* o f.

INTERPR. [a] *Revel.* [b] *Nerva.* [c] *del Carretto.* [d] *Finale nella riviera di Ponente de Genoua.* [e] *Lomellini.* [f] *Doria.* [g] *San Fiorenzo.* [h] *la Baſtia.* [i] *Calvy.* [k] *de Cordoua, duc de Seſſa.* [l] *Delft.*

CIƆIƆLIX.
HENRICUS II.

ſectae apud ſuos Batavos, jam Anabaptiſtarum praeſtigiis praeoccupatos, auctor, cum tanquam in ſolo ad peſtiferam ſementem excipiendam egregie praeparato monſtroſae doctrinae virus ſumma arte ac ſilentio ſparſiſſet, contractis inde ingentibus opibus, veritus, ſi diutius in provincia, in qua natus erat, et veluti principatum in ſectarios ſuos uſurpaverat, moraretur, ne, quod tegi volebat, cunctis innoteſceret, ſecedendum a patria ſibi exiſtimavit; et, quod praeſentia ſua alii faciunt, id abſentia tanquam tutiore ad colligendas vireis ac firmandum imperium via perfecit. Itaque cum ſuis aliquot ſectariis et ſplendida admodum familia, jam proprio mutato et aſſumpto Joannis [a] Brukii nomine, [b] Baſileam Rauracorum Kalend. April. anno hujus ſaeculi XLIV venit: et, cum idoneum eum locum ad pernicioſa conſilia ſua tegenda videret, a ſenatu gravi habita oratione petit, ut ſibi ob religionem profugo apud eos receptus daretur, in quo uxorem, liberos, familiam ac fortunas omneis tanquam in tutiſſimo portu collocare poſſet. Cauſa, perſona, ſermo mire inter ſe conſentiebant; animus in alto receſſu latebat; anteacta vita ignorabatur; patria procul erat; quae narrabat a vero non abludebant, praeſertim cum, quae accidiſſe ſibi diceret, eadem multis aliis quotidie accidere conſtaret. Ita in civitatem recipitur VIII Kal. Septembr. praeſtito de more juramento; ubi ſic vixit, ut, cum cultu erga magiſtratum, in civeis humanitate, officiis erga omneis, religionis praeterea ritus diligenter ſervando et obeundo nihil reliqui faceret, id quoque effecerat, ut nemo facile ſiniſtri quidquam de eo ſuſpicari poſſet, et talis tantuſque a pleriſque crederetur, qualis quantuſque videri volebat, atque a ſuis habebatur. Eadem erat ipſius ac ſuorum vivendi ratio et tranquilla domi adminiſtratio; in qua ut magis lateret, tria ſibi perpetuo ſervanda propoſuerat: primum, ne Davidis Georgii nomen nimis in Batavia ac Friſia notum quiſquam in vulgus proderet: deinde, cujuſnam in patria conditionis extitiſſet; quo fiebat, ut alii eum claro genere ortum, et qui ob id celari vellet, exiſtimarent; alii nobilem quendam ac locupletem mercatorem eſſe crederent, qui terra marique per procuratores ac inſtitores negociaretur: poſtremo cavebat, ne ad ſectam ſuam Baſiliae ac vicinis locis quenquam pelliceret, martes muſtellaſque imitatus, quas ferunt eorum gallinis, quorum hoſpitio utuntur, parcere, hanc ſaltem hoſpitibus ſuis gratiam referenteis, ſive ut tutius habitent, ſive ut habeant latibula, ad quae, cum aliis nocuerint, ſeſe recipiant. Sic David iſte ſuam ſectam in Belgio et apud ſuos Batavos aliiſque locis longinquis per literas, libros, nuncios fovere non ceſſabat; ab Helvetiis abſtinebat, ne, ſi feciſſet, aliquo indicio proderetur. In hac diſſimulatione [a] VI annis placide exactis, ſupervenit quiddam, quod prodigioſae ſectae auctoris quietem aliquantum turbavit, unius ex ſectariis defectione, qui tam abſurda dogmata melius conſultus repudiavit, et a magiſtri ſui fide alienum ſe omnino oſtendit. Aedes quoque ejus in urbe et praedia quaedam de coelo tacta non ſolum inclinatae fortunae ſed inſtantis mortis praeſagia fuere. Sed nihil illi aeque moleſtum accidit, quam cum intellexit, e Belgio veniſſe in urbem quendam fide perſpecta, qui civibus Baſileenſibus Davidem et ejus familiam omnem deſcripſiſſet. Ex hac cogitatione in rerum ſuarum deſperationem et ex deſperatione in graviſſimum morbum ipſe et uxor ejus inciderunt, quae prior deceſſit; mox et uxorem vir ſecutus eſt VIII Kal. Septembr. anno LVI. Hic exitus praeſtigiatoris fuit, qui ſe Chriſto diviniorem et majorem atque adeo immortalem finxerat, in aede B. Leonardi honorifice ſepulti; deducentibus funus ejus filiis, filiabus, nuribus ac generis, clientibus inſuper et ſervis, cum magna civium utriuſque ſexus multitudine. Praecipua ejus dogmata haec fuere: doctrinam hactenus per Moſem, prophetas, ipſumque Chriſtum ejuſque apoſtolos ac diſcipulos promulgatam imperfectam eſſe et inutilem ad veram ac perfectam felicitatem conſequendam; ſuam vero perfectam eſſe et efficacem ad hominem, qui eam ſedulo

conceperit,

VAR. LECT. [a] XI P. D. o. f.
INTERPR. [a] *Bruck.* [b] *Baſle.*

CIↃIↃLIX. HENRICUS II.

conceperit, beandum: ſe verum Chriſtum ac Meſſiam eſſe, patris dilectiſſimum filium, non ex carne, ſed Spiritu ſancto et ſpiritu Jeſu Chriſti ſuſceptum; qui ſpiritus Chtiſti, carne ejus in nihilum redacta, quodam in loco ſanctis omnibus ignoto hactenus ſervatus, nunc Davidi Georgio totus eſt traditus et in ejus animam infuſus: ſe eum eſſe, qui domum Iſraëlis veroſque Levi filios, eos autem intelligebat qui dogmata ſua ſincera fide amplectebantur, una cum vero Dei tabernaculo ſit ſpiritu inſtauraturus, non cruce, rebus adverſis aut morte, quemadmodum alter ille Chriſtus, qui a patre miſſus in carnem venit, ut homines veluti pueros ac parvulos neque dum perfectae doctrinae capaces umbratili doctrina ac ſacramentorum ceremoniis in officio contineret, verum clementia et Spiritus ſancti amore ac gratia, qui ſibi a patre ſit datus. His addebat, quo majorem divinitatis opinionem ſibi arrogaret, et ſe Chriſto digniorem ac praeſtantiorem probaret, omne peccatum in Patrem ac Filium admiſſum condonari; quod autem in Spiritum ſanctum perpetratum fuerit, hoc eſt, in Davidem Georgium, nunquam, neque in hoc neque in altero ſaeculo, remitti. Erat et hoc ipſius dogma ad fallendos licentiae dulcedine animos ex Catabaptiſtarum officina ingenioſe confictum: nimirum matrimonium liberum eſſe, eoque neminem uni mulieri obligari; proinde liberorum procreationem communem eſſe debere iis, qui Davidis ſpiritu renati ſint. Monſtro hoc exſtincto, valde perculſi ſunt animo ejus diſcipuli, qui magiſtrum nunquam moriturum arbitrabantur, quanquam eorum ſpes ſive credulitas eos ſuſtentabatur, quod ab illo moriente dictum ferunt, triennio exacto revicturum ſe, eaque perfecturum, quae iam prolixis promiſſis reſponderent. Sed pluteis ea opinio inſedit, meras impoſturas eſſe, quaecunque ille ſuos, dum viveret, docuerat, et de ſe poſtremo pollicitus fuerat. Interea mutati nominis et adulterinae religionis, quae, Davide vivo, inter privatos parietes delituerat, fama latius evagari et inter viros doctos diſſeminari coepit; videlicet Joannem Brukium ſive ª Binningenſem, ſic enim et a praediis quibuſdam, quae in Rauracis coëmerat, cognominabatur, Davidem illum Georgium Batavum eſſe, perverſae ſectae auctorem ac principem, qui ſe regem et Chriſto majorem magna Chriſti nominis contumelia fecerit. Reque ad ſenarum delata, hoc anno quaeſtio ſevere habita eſt: et IV Eid. Mart. demortui Davidis filii, generi, et quotquot erant virilis ſexus, clientes etiam et amici coram magiſtratu ſiſtuntur. XI numero erant; qui a tribuno plebis ſimul interrogati de defuncti nomine, gente ac doctrina, cum eadem, quae ille vivus praeceperat, reſponderent, ſenatus ſeparatim eos in cuſtodiam tradi mandavit: interimque ſcrinia ac libri omnes et chartae eorum undique conquiſitae, et theologis, qui, ſi quid in iis, quod religioni adverſetur, comperiant, ſenatum monerent, traditae ſunt; rurſuſque ſigillatim interrogatis reis, cum quidam ex iis variare ac titubare viderentur, a ſeptemviris diligentior quaeſtio haberi coepit. Tum Davidicae doctrinae capita academiae et concionatorum ob id convocatorum cenſurae ſubjecta ſunt VI Kal. Maias; qui, iis accurate lectis et expenſis, uno ore atque una voce pronunciant, illa eſſe a recta fide aliena, ſacroſanctis literis prorſus contraria, denique pernicioſa et contumelioſa in Dei ac Jeſu Chriſti majeſtatem, ac proinde a tota Chriſti republica exterminanda. Mox de captivis lata ſententia; qui e carcere, in quo jam alterum menſem erant, dimiſſi ſunt his legibus: ne quas poſſeſſiones extra urbis moenia ſine ſenatus conceſſu emant: peregrinos nullos, ac ne conſanguineos quidem, ex Belgio hoſpitio accipiant, ſed ad publica diverſoria remittant: Davidicos omneis libros, ſive typis excuſos ſive manu ſcriptos, quos apud ſe habent, mox domum reverſi in curiam ferant; librumque nullum lingua Batavica ſcriptum legant habeantve: liberos ſuos nulli niſi Baſileenſi ſcholae erudiendos tradant: mulctam pecuniariam, ſi quam irrogabit ſenatus, pendant: ac poſtremo ſe cum mulieribus et omni familia

INTERPR. ª *Beiningen.*

Digitized by Google

CIↃIↃLIX. HENRICUS II.

familia in ſummo urbis templo die dicta ſiſtant; ibique vetam religionem profiteantur, ac Davidicam deteſtentur. Biduo poſt in ipſum demortui cadaver fertur ſententia in haec verba: Quoniam David Georgius pernicioſiſſimae ſectae auctor ac fautor extitiſſet, et majeſtatis divinae ac violatae religionis reus peractus eſſet, placere, ut ejus cadaver ſive oſſa et quidquid reliquiarum in ipſius ſepulchro reperiretur effodiatur, et extra portam lapideam in locum, in quo de damnatis ſupplicium ſumi mos eſt, una cum libris ac effigie ejus in haſta alte ſuſpenſa plauſtro impoſitum a carnifice atque omnia ſimul rogo injecta in cineres redigantur, haud ſecus atque cum ipſo Davide Georgio ex jure Caeſareo fieret, ſi ipſe ſuperſtes eſſet: praeterea bona ejus, ut impii, quaecunque et ubicunque eſſent, publicata in aerarium publicum referantur; ſolemni ſanctione addita, ſi quis contra rectiſſimum hoc judicium dicto factove ierit, ut eodem judicio eademque poena teneatur. His actis, ad ſepulchrum itur; loculoque a carnifice ſoluto, cadaver intus repertum eſt ſatis integrum; praeſertim barba, quae, ut erat flava, hauddubie hominem indicabat. Ita autem compoſitus fuerat. In capite villoſum e ſerico galerum purpura ſuffultum habebat, et e rore marino corollam. Haec illi inſignia regia. Capiti non ignobiles pulvilli ſuppoſiti erant: reliquum corpus undulata toga ac pura ſindone involvebatur. Productum cadaver publice cum libris et effigie in ejus aedibus reperta, bieunio et VI menſibus poſtquam ſepultus erat, comburitur, magna adſtantium admiratione, qui hominem cum tanta dignitate apud ſe vixiſſe meminerant, et honorifice ſepultum eſſe, nunc vero eundem terra effoſſum ac publico judicio contumelioſae in Deum impietatis damnatum cremari cernerent.

IX. INTEREA apud nos Februario ineunte delegati, quos diximus, ab utraque parte ad [a] Cameracenſe caſtellum, quod VI a [b] Cameraco milliari abeſt, de pace acturi conveniunt. Ibi magna ſuper [c] Caleti reſtitutione rurſus contentio fuit; quae, tandem extra conventum compoſita eſt. Nam Eliſabetha Henrici VIII ex Anna [d] Bolena filia, quae Mariae ſorori ſucceſſerat, cum ante felicibus auſpiciis Londini urbe regia ex regni conſuetudine ſolemnibus ceremoniis XVIII Kal. Febr. inaugurata eſſet, verita, ſi Hiſpanorum potentiae inniteretur, ne aut illi ſe deſererent, aut implorato eorum auxilio ac patrocinio rem Anglico nomine indignam faceret, foemina virilis animi et ſupra ſexum prudentiae ſeparatim cum rege ſibi agendum exiſtimavit: tandemque inter eos his legibus tranſactum eſt: ut Caleti ac vicini territorii poſſeſſio penes regem eſſet, quam octennio exacto rex Anglis reſtituere teneretur, aut eorum loco IↃ aureorum CIↃ dependeret; quod facturum ſe rex bona fide confirmaret; et ex univerſa nobilitate Gallica, quos regina optaſſet, obſides daret. Nec multo poſt religio in Anglia mutavit. Nam in primis regni comitiis procerum ac nobilitatis praevalente potentia obtinuit, ut acta et decreta Mariae de religione omnia abolerentur; Edvardi fratris edicta ac decreta reſtituerentur: ſancitumque, ne pontifex Romanus in poſterum obtemperetur. Mox imagines omnes e templis, delubris, ſacellis magno populi concurſu ſublatae; excepta Chriſti cruci affixi effigie, quam in domeſtico ſacrario ſervavit regina, publiceque oſtentari paſſa eſt. De cetero paſſim, recepto a patre ac fratre titulo, [1] eccleſiae caput per Angliam coepit appellari, novis inſtitutis epiſcopis, et coenobiorum ac reliquorum collegiorum opimis poſſeſſionibus in fiſcum redactis; parte etiam nobilitati diſtributa: unde patrimonium regium ad CCC aureorum CIↃ annuarim excreviſſe creditur. Quae vero ſuper Caleto cum Anglis conventa ſunt, ubi per Guidonem Cavalcantium

INTERPR. [a] *Chaſteau Cambreſis.* [b] *Cambray.* [c] *Calais.* [d] *Bollen.*

NOT. [1] Thuanus communi extraneorum errore hic hallucinatur. Pater quidem Henricus VIII et frater Edvardus VI hunc titulum ſibi arrogarunt: Maria ſoror denique regni initio eodem, ut ex primi parliamenti aliiſque actis publicis conſtat, titulo deſignata eſt: Eliſabetha autem hunc ſtilum nunquam uſurpavit: officioſe delatum ſemper aut improbavit aut repudiavit. C.

[a] Cavalcantium patritium Florentinum, qui egregiam in eo negotio operam navaverat, delegatis innotuere, magnam ad cetera peragenda facilitatem attulerunt. Proxima fuit de [b] Senenſi ditione, quae a noſtris tenebatur, controverſia, non tam publice diſcuſſa, quam occultis conſiliis et diverſorum intercesſionibus exagitata. Nam Coſmus, qui ſciret quam aegre in Senenſis rei traditionem conſenſiſſet Philippus, et Hiſpanis potentiam ſuam ſuſpectam eſſe cerneret, veritus, ne Senenſium exulum precibus exoratus aut rei difficultate avocatus, cum aliunde ipſi cumulate cautum eſſet, cauſam ſuam deſereret, per oratores ſuos Chapinum Vitellium et Bernardetum [c] Minarbetium epiſcopum Arretinum apud Philippum inſtabat, ne pateretur, ut [d] Etruria, quae ſua ac parentis liberalitate in Medicea familia eſſet, divideretur, et beneficium in ditionis Senenſis traditione a ſe conceſſum membratim diſcerperetur. Contra, Senenſes exules miſſis Bernardino [e] Boninſignio et Achille [f] Bonſignorio e ſenatu oratoribus ſupplices regem orabant, ne ſe deſereret, neve libertatem ac cauſam ſuam hoſtibus proderet: hoc egregia ſe fide ac conſtantia de regia majeſtate meritos: ne igitur eam pigeret, in republica Senenſi memorabile poſteritati teſtimonium relinquere, adflictis principibus ac civitatibus fidum ac tutiſſimum ſemper apud Gallos perfugium fuiſſe. Clam et per Guiſianos agebat Ferrarienſis, ut, quae in Etruria noſtri tenebant, pro belli ſumptibus pignoris loco ſibi traderentur: quod et factu facile exiſtimabat, Cornelio Bentivolio, penes quem, decedente ſub id tempus e provincia Franciſco Ateſtino, ſummum armorum in Etruria imperium erat, rebus ſuis propitio: ob idque ſtatim poſt celebratas Florentiae nuptias Alfonſus filius in aulam ad regem evolaverat, ut praeſentia ſua negotium adjuvaret. Verum Philippus, qui non tam Coſmi quam ſuam rem agi perſuaſum haberet, quippe ad exiſtimationem pertinere, beneficium ſemel conceſſum ſine ulla deliberatione integrum et inviolatum manere, in propoſito conſtanter perſeveravit; ut eorum omnium, quae Galli ultimo bello cepiſſent, vacuam poſſeſſionem relinquerent: quo conſtituto, conſequens erat, ut Etruria omnino decederent, cujus portionem Senenſium [a] defectione occupaſſent. Supererat ultima controverſia de ditionis Carolo Sabaudiae duci et Emmanueli filio a Franciſco et poſtea ab Henrico ademptae reſtitutione, quam ultra belli jus etiam ex aviae ſucceſſione ad ſe pertinere rex contendebat. Itaque, dum lis jamdudum ſupra ea re mota finem acciperet, ejus poſſeſſionem volebat retinere. Tandem media via a delegatis inventa eſt, qua et reſtitutio Sabaudo fieret, et jus ſuum regi ſervaretur; ut nimirum rex quaedam oppida pignoris loco retineret, quae intra certum tempus, lite deciſa, reſtituere teneretur. Sed, cum Philippus, niſi conſentiente et approbante Sabaudo, conditionem accipere nollet, ut cui bene vellet ac multum deberet, eum ſevocat; et eo rem deductam eſſe demonſtrat, ut de ipſius tantum cauſa ſit controverſia, eaque ſola impedimento ſit, quo minus conveniatur; itaque videret, quid tandem ſuper ea re fieri vellet: nam, quod ad ſe, potius bellum optaturum, quam commiſſurum, ut dilectum ac de ſe optime meritum propinquum deſerere videretur. Tum Sabaudus, qui haec honeſtius quam verius a Philippo dici ſentiret, quem alioqui ad pacem propendere ſciebat, poſtremo aſſenſit; hoc addito, nolle ſe invidia non factae pacis, quae tantopere ut toti Chriſtiano orbi neceſſaria exoptetur, gravari. Dum delegati utrinque diſceptarent, rex Claudiae ſecundae filiae nuptias cum Carolo Lotharingiae duce, quem adhuc puerum jam ante in Galliam ſecum adduxerat, Lutetiae magna pompa celebravit Non. Februar. Tandem in has conditiones conventum eſt: ut pacta conventa inter Carolum ac Franciſcum regis

VAR. LECT. [a] rebellione *P. D.* o. ſ. d.

INTERPR. [a] *Cavalcanti.* [b] *de Siene.* [c] *Minerbetti, veſcovo d'Arezzo.* [d] *la Toſcane* [e] *Buoninſegni* [f] *Buonſignorio.*

CIↃIↃLIX.
Henricus II.

regis ac Philippi parentes [a] Madriti, atque illud imprimis, quod [b] Vallicellis factum ſit, ſerventur, niſi ſi quid hac nova pactione mutetur aut innovetur: pax firma ac concordia, qualem eſſe inter fratres decet, ſincere ac citra fraudem inter reges coëat, quae nihil habeat inſidiarum ſive externarum ſive domeſticarum, cuique nullatenus per conventicula, occultas foederationes aut per amicitiam cum Turcis et Aſiaticis principibus derogetur, aut ullo modo praejudicetur: reges fidem ſuam interponant, ſerio ſe compoſitis civilium controverſiarum motibus operam daturos, ut quam primum oecumenicum concilium ad Dei gloriam et conſcientiarum pacificationem celebretur: ab utraque parte praeteritorum oblivio ſanciatur; nec fraudi cuiquam in poſterum ſit, ab alterutrius regum partibus ſtetiſſe, bonorum ob id occupatorum aut publice venditorum antiquis ac legitimis dominis reſtituta poſſeſſione; a qua tamen gratia excepti cenſeantur Neapolitani, Siculi et [c] Inſubres exſules ac proſcripti: oppida ac civitates octennio ab hinc utrinque captae invicem reſtituantur; atque a rege quidem [d] Mariaburgum, [e] Danvillarium, [f] Ivodium, ac Mommedium in Belgio; in Inſubribus [g] Valentium cum omnibus arcibus ac caſtellis ei ſubjectis integra ac ſalva Philippo reſtituantur; [*] Ivodium in [h] Tarvennae deſtructae ſolatium moenibus nudetur: contra Philippus [i] Auguſtae Veromanduorum, [l] Caſtelli, et Hanae, ac ditionis eorum univerſae poſſeſſione, Tarvennenſi praeterea dioeceſi cedat; ita tamen ut urbs ſemel diruta inſtaurari aut ullo modo communiri in poſterum non poſſit: Philippus [k] Carolatenſem ditionem et [l] Hedini praefecturam, tanquam antiquum patrimonium; rex Delfinus viciſſim [m] Crepacordium in limite cum ditione ei ſubjecta citra juris praejudicium, quod in eo [n] Crunigii domino competit, ſtatim poſt pacis promulgationem poſſeſſum eant: arctioris amicitiae firmandae cauſa Philippus Eliſabetham undecennem grandiorem natu regis filiam uxorem ducat, cui dos cccc aureorum CIↃ dicta: rex Emmanueli Philiberto Sabaudiae duci ditionem omnem citra tranſque Alpeis a Franciſco parente et a ſe occupatam reſtituat, praeter [o] Auguſtam Taurinorum, [p] Pinarolum, [q] Clerium, [r] Clavaſſium et Villam-novam in Aſtenſi agro, quae oppida pignoris loco retineat, donec de jure, quod propter aviae ſucceſſionem in iis illi competit, plene cognoſcatur; et eo uſque viciſſim Philippus [s] Vercellas et Aſtam in Sabaudi ditione praeſidio ſervet: alterutrius partis ne ſit Sabaudus, cui Margarita regis ſoror uxor detur, attributis ei in dotem ccc aureorum CIↃ, et principatus [t] Bituricenſis uſufructu: rex omnibus oppidis et arcibus, quae in Etruria tenet, excedat, et ex iis praeſidia deducat, ea lege, ut patritiis Senenſibus et aliis, qui ad [u] Ilcini-montem ſe receperunt, praeteritorum memoria condonetur, et obtemperantibus omnia bona reſtituantur: in Corſica et [x] Liguribus occupata rex item reſtituat, eadem lege, ut iis, qui regi militaverint, proſcriptionis poena remittatur, et ſenatus Genuenſis ea, qua debet, demiſſione regis amicitiam in poſterum ſe cociturum promittat: [v] Bullionia arx [x] Leodicenſi antiſtiti reſtituatur, negotio Sedanenſi nihilominus reſervato: [y] Luſitana infans bonis maternae dotis nomine ei aſſignatis libere fruatur: uterque rex, quod in Monferratenſi agro tenet, Willelmo Mantuae duci reſtituat; ita ut in utriuſque arbitrio ſit, arces et munimenta a ſe exſtructa integra relinquere, aut, ſi velit, demoliri: [z] Fani-Pauli ditione Maria Borbonia libere fruatur, ſalvo partium jure, et, quae de ea motae ſunt ac moveri poſſunt, actionibus: rex prior pacta exſequatur, et intra trimeſtre cuncta reſtituat; quo facto, Philippus intra menſem fidem liberet, interimque obſides det regis arbitrio: ii fuere Albanus,

VAR. LECT. [*] tantum Ivodium *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Madrid.* [b] *Vaucelles.* [c] *ceux de Lombardie.* [d] *Marienburg.* [e] *Danvilliers.* [f] *Ivoy & Montmedy au Pays-bas.* [g] *Valenza.* [h] *Terouenne.* [i] *St. Quentin.* [l] *le Caſtelet & Han.* [k] *comté de Charolois.* [l] *bailliage de Hedin.* [m] *Crevecoeur.* [n] *le Sr. de Cruningben.* [o] *Turin.* [p] *Pignerol.* [q] *Chieri.* [r] *Chivas & Villeneufve d'Aſt.* [s] *Vercelli & Aſti.* [t] *duché de Berry.* [u] *Montalcino.* [x] *l'Etat de Genes.* [v] *Chaſteau de Bouillon.* [x] *l'evêque de Liege.* [y] *l'infante Marie de Portugal.* [z] *comté de St. Paul.*

Digitized by Google

[a] Albanus, [b] Araſcotius, [c] Arauſionenſis, et Egmondanus. Hac pacificatione comprehenſi ab utraque parte pontifex, Caeſar et Imperium, ſeptemviri, omnes civitates et Imperii ordines, Poloniae, Daniae, Sueciae ac Scotiae reges cum Eliſabetha Angliae regina, Venetorum reſpublica, [d] Helvetiorum ac Rhaetorum pagi, Sabaudiae, Lotharingiae, Ferrariae, Mantuae, Urbini, Parmae ac Placentiae duces, Genuenſis ſenatus et Lucenſes; ut non inter Gallos et Hiſpanos tantum, ſed inter omneis orbis Chriſtiani principes ac civitates concordia ſarta videretur. Verum ea mox perverſo utriuſque regis judicio ac miniſtrorum conſilio in Galliae et Belgii perniciem vertit, exortis inteſtinis motibus bello externo longe deterioribus. Nam ab eo tempore renovata ſunt cardinalis Lotharingi et [e] Granvellani Atrebatenſis epiſcopi clandeſtina de requirendis ac ferro puniendis ſectariis conſilia; cujus rei occaſione foedera occulta utrinque inita ſunt, quae, religionis favore in Gallia ſive imbecilla noſtrorum principum aetate ſive ſecordia diu diſſimulata et excuſata, tandem in apertum contra regiam majeſtatem bellum eruperunt. Additum tunc pactis, ut ea Delfinus rex et Carolus Philippi filius rata haberent ac jurejurando firmarent; tum ut per omneis regnorum utriuſque principis curias promulgarentur, et in acta referrentur. Haec acta in [f] caſtello Cameracenſi, quod vocant, III Non. April. et quatriduo poſt Lutetiae Pariſiorum promulgata, ſupplicationeſque publice habitae, ac poſtea Romae a pontifice laetitiae ſigna edita. Facta pace, quanquam iniquis, ſi regem ſpectes, conditionibus, toto terrarum orbe, etiam apud nos, cuncti bellorum ſuperiorum taedio feſſi ſe ad quietem componebant: ſoli Senenſes ſive retinendae ſive recuperandae libertatis cupidi inani ſpe ſe ſuſtentabant, et bellum quam pacem adempta libertate malebant; idque a rege ſibi promiſſum fingebant: nam ita pacificationis capitibus, quae ad rem Etruſcam pertinebant, quod id ad regis decus ſpectaret, etiam ex Philippi voluntate verborum lenitate mollita fuerant, ut miſeri homines, a ſuis oratoribus, quos in Gallia habebant, decepti, ſalvam ſibi libertatem ac rempublicam fore ſomniarent: idque ſaltem ſe conſecuturos ſperabant, ut, ſi a rege desererentur, tamen liberi dimitterentur, liberumque ipſis eſſet cujus vellent ſe principis patrocinio ſummittere. Itaque a Corn. Bentivolio ſolicitati id agebant, ut in [g] Ferrarienſis clientela eſſent; et Ferrarienſis ipſe in ſpem rei conficiendae venerat, Guiſianorum apud nos favore ſubnixus; nec dubitabat, quamvis jam inclinata eſſet aetate, ad Philippum in Belgium profectionem adornare ea fiducia, ut, moras trahente in Etruria Bentivolio, Hiſpanorum gratiam praeſentia ſua demereretur, quos ſciebat invitos in Senarum traditionem conſenſiſſe, et aegre ferre, Coſmi fortunam in tantum, non ſine finitimorum principum metu et occulta Philippi ipſius invidia, amplificatam. [a] Coſmus contra miſſo ad regem Leone [h] Ricaſolio belli neceſſarii obtentu praeterita excuſabat, et in poſterum firmam amicitiam ac promptum obſequium ſpondebat. Apud Philippum vero miſſo Pandolfo [i] Stufa urgebat, ut de ditione Senenſi promiſſa antiqua atque ultima pacificatione firmata ſervarentur: hoc enim ad potentiſſimi regis, et qui armis pacem univerſo orbi Chriſtiano peperiſſet, exiſtimationem pertinere. Et [k] Briſſacus quidem in [l] Subalpina regione jam ſe ad diſceſſionem parabat, qui, quae armis cepiſſet, ab alio quovis atque adeo a ſucceſſore ſuo, quam a ſe, reddi malebat: et Philippus [m] Sueſſano Mediolani praefecto mandaverat, ut, ſi Senenſes pactis inter ſe ac regem conventis parere detrectarent, Coſmo cum viribus, quas penes ſe habebat, praeſto eſſet, et imperata facere cogeret. Quod ad vanum terrorem incutiendum a Coſmo fieri Senenſes rati, nihilominus in propoſito de libertate retinenda perſtabant; et, quando a rege desererentur, nec in Ferrarienſi ſatis

VAR. LECT. [a] Nec ceſſabat interea Coſmus; qui miſſo *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *le duc d'Arſcot.* [c] *le prince d'Orange, & le comte d'Egmond.* [d] *les Suiſſes & les Griſons.* [e] *de Granvelle, evêque d'Arras.* [f] *Chaſteau-Cambreſis.* [g] *le duc de Ferrare.* [h] *da Ricaſoli.* [i] *della Stufa.* [k] *le mareſchal de Briſſac.* [l] *Piedmont.* [m] *le duc de Seſſa, gouverneur de Milan.*

CIↃIↃLIX.
HENRICUS II.

ſatis praeſidii eſſe judicarent, miſſis Romam oratoribus Nicodemo [a] Forteguerra et Germanico [b] Bandino, [c] Ilcini-montem ac cetera oppida, quae Senenſium reipublicae fortuna reliqua fecerat, pontifici patrocinio ſuo ſervanda offerunt. Verum is, jam non amplius a ſuis obſeſſus, animo a bello prorſus alieno erat; quamvis a Jo. Antonio Urſino, qui Camillo [d] Nomentano nuper mortuo ſucceſſerat, ne Senenſium preces negligeret, et ad eorum juſtam cauſam ſuſcipiendam animum adduceret, a ſacro item collegio ac pleriſque Italiae principibus, qui tantam magnitudinem ex illa acceſſione Coſmo invidebant, hortatibus, literis ac legationibus invitaretur. Itaque non aliud reſponſum Senenſes tulere, quam nolle pontificem univerſi orbis pacem turbare; proinde ſibi conſulerent: recte autem ſibi conſulturos, ſi Philippo ac Coſmo, quando ita inter reges convenerit, ſe morigeros praeberent. Hoc reſponſo confuſos arte ac moroſa tergiverſatione ſua nihilominus lactabat Bentivolius, et ſemper in poſterum aliquid a Gallorum ſubſidio ſperare jubebat: et, quamvis jam Chapinus [e] Vitellius ac Jo. Gevara e Belgio rediiſſent, cum mandatis, ut Senenſis ditionis oppida e noſtrorum manibus aut ab ipſis relicta reciperent, ad regem rurſus, ne quid intentatum relinquerent, Camillum [f] Spanochium mittunt; cui mandatum erat, ut, ſi nihil opis propter pacta in regis patrocinio reperiret, ad Philippum inde tranſiret, et ipſum enixis precibus reipublicae Senenſis nomine oraret, ut ſibi ſub tanti principis umbra majorum libertatem tueri liceret. Verum haud paulo plus legatione illa quam antea profectum. Cum tamen Coſmus quidvis ſibi potius faciendum, quam ad vim deveniretur, exiſtimaret, per Vitellium ac Gevaram cum Bentivolio, qui unus pervicaciam Senenſium affectata diſſimulatione ſua alere videbatur, ac per Ludovicum [g] Doaram agit, ut rem amice componi ſineret, neque committeret, ut, pacatis regibus, rurſus ad arma deſcenderetur: jam ſatis diu ipſum dulci Senenſium inſaniae illuſiſſe; poſt irritos Ferrarienſis conatus, nunc ſerio agendum eſſe: neque enim ignorare Bentivolium aliam regis mentem eſſe; ſed viciſſim ſcire ſe, Bentivolium honeſte cupere, ut ſine aliquo operae pretio [h] Etruria non excedat: id vero antea ſatis providiſſe, cum [i] Lotterium Pandolfi Sinolfi arcem ipſi a rege donatam feſtinatis operibus muniri, et comportatis nuper tormentis, pulvere, globis, commeatu denique allato firmari intellexit: neque vero recuſare, quin ejus laborum ac meritorum in ea re quoque ratio habeatur, modo ne ſeorſus ſuos reducere dubitet, et, omni ludificatione omiſſa, rem ſemel confici patiatur. Cum excuſaret Bentivolius, quod mandatum a rege nullum haberet, ſupervenit Joannes [k] Eberardus Sanſulpitius cum XIII triremibus, qui, ad Ombronis fauceis jactis ancoris, Bentivolium ac Senenſeis, qui ad Montem-Ilcini erant, certiores facit, veniſſe ſe cum pecunia, ut, diſſoluto ſtipendio, militem ac machinas ſecum reduceret.

X. JAMQUE omnia fere, quae in Belgio et Subalpina regione tenebamus, reſtituta fuerant, et res in eo erant ut cetera Etruriae oppida reſtituerentur, remanentibus tantum penes regem Caleto et III Lotharingiae civitatibus, exiguo tot laborum, ſumptuum ac periculorum praemio, cum reges, parta domi quiete, et belli externi cura ſoluti, in religionis negotium totis animis incubuere; quod jam biennium inter nos agitatum, ac deinde [α] omiſſum, hoc demum tempore inter pompas ac nuptialeis ludos reſumptum eſt. Nam [l] Valentina, quae ex proſcriptionibus ac damnatorum bonis lucrum, et Guiſiani, qui ex ſectariorum punitionibus gratiam apud populum aucupabantur, regis aures hac opinione occupant, paſſim per Galliam ſectariorum virus ſpargi, nec vere regem in iis provinciis regnare, in quibus malum illud regnet: quo imbutorum tantam impudentiam eſſe, ut non jam in aurem, ut antea, inſuſurrent,

VAR. LECT. [α] omiſſum, uti diximus *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Forteguerra.* [b] *Bandini.* [c] *Montalcino.* [d] *Orſino da Lamentano.* [e] *Vitelli & Guevara.* [f] *Spanocchi.* [g] *Luigi da Doara.* [h] *la Toſcane.* [i] *Ottieri, château du Seigneur Pandolfo Sinolfi.* [k] *Ebrard de St. Sulpice.* [l] *la ducheſſe de Valentinois.*

inſuſurrent, ſed palam ac publice toto regno audiantur; qua re et Dei nomen contumelioſe proſcindi, et majeſtatem regiam haud dubie convelli: nam, ubi divina jura fuerint confuſa, cui dubium relinqui, quin ſimul et humana omnia ſubvertantur? Id quo magis regi perſuaderent, Aegidium [a] Magiſtrum ſenatus [α] principem, Joannem [b] Santandreanum, Antonium [c] Minarium, curiae praeſides, et Aegidium [d] Burdinum cognitorem regium adhibent; et his adminiſtris, ac praecipue Aegidio Magiſtro magno et acri ingenio homine, regis aliena potius fraude quam proprio conſilio ea in re peccantis patientiam irritant; et parum pace foris parta profectum oſtendunt, ſi externis armis crudelius multo bellum domi exoriatur: nam eo malum perveniſſe, ut, ſi diutius diſſimuletur, non jam magiſtratus gladio ac regni legibus coërceri, ſed juſtis exercitibus ac regiis auſpiciis, ut olim Albigeorum temporibus accidit, illud debellari ſit neceſſe: rem hactenus infeliciter cecidiſſe, judiciorum ſeveritate in plebem ac promiſcuam multitudinem tantum graſſante, unde odium ad omneis, exemplum ad paucos pervenit: ab iis ipſis initium ducendum nunc eſſe, qui judiciis praeſunt, quorum alii occulto in ſectarios ſavore, alii gratia et amicorum commendatione, utrique conniventia malum alant, et impunitum ſinant, poenas pro arbitrio ſtatuentes: hanc mali radicem eſſe; fruſtraque laborare illum, qui tam pernicioſae rei obviam ire decreverit, niſi eam ſtirpitus evellat: proinde opus facto videri, ut rex in ſenatum, quem per conventus [e] Mercurialis occaſionem coactum nacturus ſit, nec opinato veniat. [β] A Carolo VIII cenſura in regni curiis inſtituta eſt, edicto ea de re in ſenatu promulgato anno ſalutis CIↃCCCCXCIII; quod a Ludovico XII ſucceſſore, cujus ſacroſancta apud nos memoria etiam nunc in animis hominum viget, [1] anno quinto poſt ampliatum fuit; conſtitutumque, ut bis aut ſemel minimum in menſe curiae praeſides, et ii qui claſſibus Inquiſitoriis praeſunt, Martis ſeu Mercurii die hora pomeridiana conveniant, cum duobus ex ſingulis claſſibus conſiliariis; ibique, cognitore et advocatis regiis intervenientibus, de iis, qui negligentia, inobedientia, ſolutiore vita, et ſi quid pejus incidit, contra dignitatem et ſenatoriam gravitatem peccaverint, cognoſcatur, et delinquentes amice moneantur, ac, ſi res exigat, ad curiam referatur, iique gravibus poenis, etiam dignitatis ad tempus aut in perpetuum abrogatione, mulctentur; atque horum omnium acta [γ] conficiantur et ad regem perferantur. Poſtea [2] a Franciſco primo, anno hujus ſaeculi XXXIX decretum fuit, ut ſingulis trimeſtribus Mercuriales conventus, ſic enim ab illa die, quae iis celebrandis deſtinata eſt, deinceps appellati ſunt, haberentur: mandaturque cognitori regio et advocatis, ut in eos, qui quid indignum munere ſuo admiſerint, accuſationem inſtituant; eamque nulla mora interpoſita in jure perſequantur: qua in re ſi negligentiores fuerint, ipſis dignitas eodem edicto abrogatur: [3] ejus vero rei mox regem aut ipſius cancellarium certiorem facere jubentur. In poenis ſectariorum conſtituendis diſſidebant a Magiſtro et aliis conſilii cum rege capti conſciis ceteri curiae praeſides; quorum auctoritate veritus Magiſter, ne rex natura ſua mitis et indulgens permoveretur, eos apud ipſum in invidiam adduxerat, quaſi

VAR. LECT. [α] principem, de quo ſupra demonſtravimus, *P.*

[β] A Ludovico XII, cujus ſacroſancta apud nos memoria etiam nunc in animis hominum viget, cenſura in regni curiis inſtituta eſt, eaque de re edicto in ſenatu anno ſalutis CIↃCCCCXC promulgato ſtatuitur, ut bis aut ſemel *P. D.* o.

[γ] confirmentur *P. D.* o.

INTERPR. [a] *le Maiſtre.* [b] *de St. André.* [c] *Mınart.* [d] *Bourdin, procureur general.* [e] *la Mercuriale*

NOT. [1] CIↃCCCCXCVIII. *Put.*

[2] Dele *a Franciſco primo, anno hujus ſaeculi* XXXIX: lege *ab Henrico II, anno hujus ſaeculi* LI. Ce fut Henry II qui ordonna que les Mercuriales ſe feroient de trois mois en trois mois. car François I par ſon Ordonnance de 1539 veult qu'elles ſe faſſent de mois en mois. Voiez la Conference des Ordonnances lib. 1, titre 7, p 62. *Put.*

[3] Dele *ejus vero rei mox regem aut ipſius cancellarium certiorem facere jubentur.* Ces mots ne ſe trouvent point dans cette Ordonnance de Henry II; mais bien dans celle de Charles IX poſterieure. *Put.*

CIↃIↃLIX. Henricus II. quaſi ſectariorum fautores; conſiliumque dederat, ut illos in privatum colloquium evocatos, renudata voluntate ſua, a libertate in dicendis ſententiis permiſſa deterreret. [* Chriſtophorus Thuanus, ut ex ipſo ſaepius audivi, in arcanum admiſſus, qua erat libertate et candore, acriter cum rege altercatus eſt, ut eum a ſuſcepto conſilio ipſi ac Galliae fatali, quod jam tum vir prudentiſſimus augurabatur, dimoveret; ob idque poſtea Mercurialeis conventus, pro cenſura ſenatus olim ſalutariter inſtitutos, quam diu vixit, ᵃ averſatus eſt.] Ita capto conſilio, rex in ſenatum venit XVII Kal. Quintil. qui tunc ad Auguſtinianorum habebatur, majore urbis palatio, in quo jus dicitur, pompis ac nuptialibus apparatibus occupato. Jam ante coepta fuerat conſultatio de certa in ſectarios ſtatuenda poena. Dum in dicendis ſententiis patres pergerent, rex intervenit, comitantibus eum principibus Borboniis, Franciſco Lotharingo Guiſio, Anna Momorantio, ac Lotharingo et Guiſiano cardinalibus. Heic cum rex de religionis ſtudio ac publica tranquillitate eo temperamento verba feciſſet, ut potius iram premere quam ſedatum animum in curiam intuliſſe videretur, poſtremo ſe pacem filiae ac ſororis nuptiis ſancitam Chriſtiano orbi peperiſſe dicit, ac ſperare, ut ea populo utilis et aeternum permanſura ſit: ceterum angi ſe non mediocriter, quod religionis cauſa, cujus praecipua cura apud bonos principes eſſe debet, bellorum occaſione a quibuſdam turbide ac ſeditioſe agitata fuerit: proinde optare, ut reipublicae Chriſtianae in poſterum conſulatur: et, quia audiat, hujus rei ergo ſenatum conveniſſe, hortari, ut rem integris animis dijudicent; Dei quippe cauſam agi, cui perinde ac cunctis cogitationibus noſtris et conſiliis humanis praeſentem ipſum intereſſe procul dubio ſit. Tum juſſi per procancellarium ſenatores, ut pergerent: et, quanquam manifeſtum eſſet, ad introſpiciendas judicum mentes et libertatem ſuffragiorum reprimendam adductum regem, tamen reperti ſunt, qui palam ac ſub principis oculos vel capitis periculo priſcam ac ſenatoriam libertatem retinerent, et, multa in curiae Romanae mores ac pravos uſus, qui poſtremo in pernicioſiſſimos errores degeneraverint ac ſectis paſſim pullulantibus cauſam dederint, invecti, mitigandas poenas et inhibendam judiciorum ſeveritatem cenſerent, donec ex concilii oecumenici auctoritate religionis diſſidia, emendata eccleſiae diſciplina, componerentur: quae fere optimi cujuſque ſententia erat; ad quam firmandam Baſileenſis et Conſtantienſis ſynodorum decretum de concilio ſingulis decenniis habendo in medium adducebant. Hujus ſententiae auctor fuerat Arnoldus ᵃ Ferrerius claſſium inquiſitoriarum praeſes, vir probitate ac gravitate conſpicuus, tum juris ſcientia vel ex eo clariſſimus, quod eum Jacobus Cujacius aevi noſtri ſingulare ornamentum praeceptorem unicum agnoverit. Ferrerium ſecutus fuerat Antonius Fumeus,

P. [* *Id quo ſecretius fieret, regi breviculum manu propria exaratum porrexerat; nam amanuenſis fidei diffidebat; in quo et conſilii rationes exponebantur, et nomina ſuſpectorum continebantur, additis eorum dignitatibus, beneficiis, quae vocant, ac poſſeſſionibus, quarum pars eaque opimior vulturiis aulicis deſtinabatur, partem illi filiis ſuis poſcebant. Ac memini ſaepius audiviſſe a Chriſtophoro Thuano parente meo, ab omni livore, maledicentia ac vanitate, quod omnes norunt, alieniſſimo, cum ad regem ea de cauſa admiſſus eſſet, et qua erat libertate ac candore cum rege audacter in occulto altercaretur, ut eum a ſuſcepto conſilio ipſi ac Galliae fatali, quod jam tum vir prudentiſſimus augurabatur, dimoveret, regem, cum quid reſponderet non haberet, breviculum illud e ſinu prompſiſſe, ut memoriam adjuvaret; in quod cum parens meus oculos conjeciſſet, regem, an cognoſceret cujus manu id ſcriptum eſſet, eum interrogaſſe; cumque ſe Magiſtri manum optime internoſcere diceret, regem id aegre intellexiſſe, et mox ſcriptum ſuppreſſiſſe.*]

VAR. LECT. ᵃ deteſtatus eſt. *D.o.f.d.*

INTERPR. ᵃ *du Ferrier, preſident aux Enqueſtes.*

[a] Fumeus, Paulus [b] Foxius, gentis claritate et ingenii omni ſcientiarum genere exculti nobilitate inſignis, Nic [c] Valla, Euſtochius [d] Porta, alii. Idem eo die, quo rex in ſenatum venit, coram eo cenſuit Claudius [e] Viola, et poſt eum Ludovicus [f] Faber, vir acri et generoſo ingenio praeditus, qui poſtremo addidit, inter omneis quidem conſtare, religionis diſſidium turbis cauſam praebere; ſed videndum eſſe, quis vere turbarum auctor ſit, ue, quod Achabo olim turbas objectanti exprobravit Helias, in re ſimili nunc reſpondeatur, [1] Tu quis es, qui conturbas Iſraël? Tum Annas [g] Burgus, multa de aeterna Dei providentia, cui cuncta parere neceſſe habeant, praefatus, ubi in rem ventum eſt, ſubjecit, plurima eſſe hominum flagitia ac delicta legibus damnata, quibus neque laqueus neque ſerviles eruciatus ſufficerent, contumelioſa in Deum dejeramenta, frequentia adulteria, profuſas libidines, crebra perjuria, quae non modo diſſimulentur ſed propudioſa licentia foveantur: contra, nova quotidie adverſus eos ſupplicia parari, quos nullius mali criminis reos adhuc haec aetas viderit. An enim laeſae majeſtatis, quibus nulla principis mentio niſi inter vota ac preces? An, quod leges violaverint, civitatum fidem tentaverint, provincialium animos ad ſcelus corruperint, accuſantur? atqui ne cogitaſſe quidem illos ab exquiſitis teſtibus huc uſque extorqueri potuit: an potius, quod ruentis Romanae potentiae pudenda et adulta vitia ſacrae Scripturae admota face revelaverint, et nunc demum emendari expoſtulent, ſeditioſius egiſſe arguuntur? Poſtea ordine praeſides ſententiam dixere: et Chriſtophorus quidem [h] Harlaeus et Petrus [i] Segulerius graviter, ſed modeſte, in judiciis hujuſmodi capitalibus rite ac recte hactenus defunctam curiam coram rege aſſeruere; ac porro fore, ut ſemper ſui ſimilis, prout antea fecerit, munere ſuo optime defungatur ad Dei gloriam, nec regem populumve ejus porro poenitere poſſit. Chriſtophorus autem [k] Thuanus liberius cognitorem et advocatos regios nota dignos pronunciavit, qui curiae decreta ſugillare et eorum auctoritatem in diſcrimen vocare auſi eſſent. Renatus [l] Balietus, homo bonus, [*] cenſuit decreta, de quibus querela inſtitura eſſet, denuo retractanda, et plenius de iis cognoſcendum eſſe. [m] Minarius paucis verbis, ut invidiam molliret, regia edicta ſervanda dixit. Poſtremo [n] Magiſter ſenatus princeps [**] vehementer admodum contra ſectarios peroravit, exemplo Albigeorum in medium prolato, ex quibus ad IↃC uno die Philippi Auguſti juſſu exuſti fuere; item Valdenſium, qui partim in domibus ſuis, partim in ſpeluncis ac lapicidinis, in quibus latebant, fumo ſuffocati ſunt. Hoc facto, [o] procancellarius ad regem in ſublimiori ſolio ſedentem adit; et, ſevocatis, qui cum eo venerant, proceribus, conſultat: cumque omnes rurſus conſediſſent, procancellarius [p] Sangermanum curiae notarium, qui ſenatorum ſententias perſcripſerat, accerſit, et chartam, in qua illae perſcriptae erant, ſibi tradi jubet, moxque regi porrigit. Rex, ea accepta, verba rurſus ad ſenatum fecit; et, oblique perſtrictis patribus, quod relationem, ſe ignaro, de ſumma republica incepiſſent, ſibi, quod ante diverſis rumoribus acceperat, nunc liquido conſtare ait; quoſdam videlicet inter ipſos eſſe, qui pontificis ac ſuam auctoritatem deſpiciant: paucorum eam culpam eſſe; quae tamen toti ordini probro, auctoribus exitio futura ſit: proinde hortari ceteros, ut in officio permaneant. Tum conſurgens, Fabri maxime ac Burgi, exemplum Achabi et adulteriorum frequentiam objectantium, oratione exacerbatus, Momorantio, ut illi comprehenderentur,

P. [*] *ſed ſecors,*

P. [**] *et conſilii machinator*

INTERPR. [a] *Fumée.* [b] *de Foix.* [c] *du Val.* [d] *de la Porte.* [e] *Viole.* [f] *du Faur.* [g] *du Bourg, neveu de feu Antoine du Bourg chancelier de France.* [h] *de Harlay.* [i] *Seguier.* [k] *de Thou.* [l] *Bailiet.* [m] *le preſident Minart.* [n] *le Maiſtre, premier preſident.* [o] *Bertrand, cardinal de Sens, garde des ſceaux.* [p] *de St. Germain, ſecretaire de la cour.*

NOT. [1] *Tu quis es?*] Dictum Achabi imputatur Eliae. Fuit enim Achab, qui dixit Eliae, Tu quis es &c. 3 *Reg.* 18. 17. Corrige locum, et ſic lege: *Ne, quod Achabus olim, turbas objectans, exprobravit Eliae, in re ſimili nunc reſpondeatur, Tu quis es, qui conturbas Iſraël?* Put.

CIↃIↃLIX.

HENRICUS II.

henderentur, imperat: qui mox ejus mandatu a Gabriele [a] Mongomerio comite uno ex regii ſtipatus praefectis capti et in [b] Baſtiliam ſub cuſtodia incluſi ſunt. Capti et ſtatim in ſuis quiſque aedibus Paulus [c] Foxius, Antonius [d] Fumeus et Euſtochius [e] Porta. Ferrerius, [f] Valla et Viola ab amicis celati praeſenti periculo ſe ſubduxere. Haec plerique, ut erant varie affecti, aut in bonam aut in malam partem accipiebant. Sed rerum prudentiores indignabantur, regem aliena voluntate impulſum in ſenatum venire, ut ſuarum legum, quas tueri debuiſſet, ſubverſor eſſet: et tamen parum eſſe, quod in curiam venerit, quod extremae tantum cognitioni interfuerit; at vero ſuffragia legi, non numerari; incipi ſenatus conſultum, non perfici; arripi tabellam ſententiarum indicem, minas et carcerem adhiberi, vinciri ſenatores; quis non credat principem nimis facilem, dum haec audet, alienae libidini turpiter inſerviiſſe? quis non illos merito oderit, qui notabili dedecore proditis curiae arcanis in magnatum gratiam inſigni perjurio conſcientiam foedaverint? quis non haec denique tanquam ſiniſtra periculoſae ac prodigioſae mutationis auguria interpretetur? Poſtridie, rurſus convocatis curiae claſſibus ex regis mandato, de Jacobi [g] Spiſamae epiſcopi Nivernenſis, qui tum forte, ducta clam uxore, aberat, et Genevam ſe contulerat, cauſa cognoſci coepit: probationibuſque publice recitatis et deliberatione habita, decretum fuit, ut comprehenderetur. Nec ſecius paulo poſt, quaſi res periculo careret, reformatarum, uti ſe appellabant, eccleſiarum miniſtri, ſpreto certae necis metu, ad urbem conveniunt [1] IV Kal. Quintil. in [h] Fani Germani ſuburbio. Conventui praefuit Franciſcus [i] Morellus; in quo multa conſtituta de ſynodis et earum praeſidibus, de principatu ex eccleſia tollendo, miniſtrorum electione ac munere, de diaconis, presbyteris, ac cenſuris, de gradibus conſanguinitatis et adfinitatis, de contrahendis matrimoniis et eorum diſſolutione: quae tamen ad tempus decreta, neque ita pro ratis habita, ut non pro variis cauſarum figuris ac temporibus, uti commodum eccleſiae videbitur, mutari poſſint, modo non unius aut alterius arbitrio, ſed ex conſenſu ac conſilio univerſae ſynodi id fiat. Eodem tempore legati a Proteſtantibus Germaniae principibus ad regem venere cum literis Friderici comitis Palatini, Auguſti Saxoniae ducis, Joachimi Brandeburgici, ſeptemvirorum, Chriſtophori Wirtembergici, et Wolfangi [k] Weldentii comitis manu ſubſcriptis: quarum haec ſumma erat; intellexiſſe ſe magno ſuo cum dolore, pleroſque viros pios ac pacis ſtudioſos, qui eandem, quam ipſi, religionem profiteantur, in Gallia tanquam ſeditioſos ac publicae quietis turbatores in carcerem trudi, bonis exui, in exilium agi, atque etiam ſupremo ſupplicio affici: ea de cauſa ad regem miſiſſe, Chriſtiana charitate et amicitia, quae ipſis cum rege ac regno Galliae intercedit, impulſos; ac rogare, ut de cauſa hac, in qua Dei nomen ac ſalus tot animarum vertitur, penſitatis maturo judicio rationibus, decernat, nec ullo praejudicio mentem praeoccupari patiatur: ſe, et de [illegible] gloria, ut pios principes decet, et de ſua ac ſuorum ſalute ſolicitos, non minus quam regem, exortis de religione tumultibus, rationem, qua res componi poſſent, diligenter iniviſſe; ac, dum ſerio in id incumbunt, comperiſſe, multa ſenſim per avaritiam et ambitionem in eccleſiam irrepſiſſe, quae ad Dei contumeliam vergant et offenſionis cauſam praebeant, quaeque proinde ſacrae Scripturae teſtimoniis argui debent, et ex antiquorum conciliorum decretis ac prioris aevi patrum auctoritate emendari: neque vero heri aut nudiuſtertius de curiae Romanae corruptis moribus et depravata diſciplina inſtitutas querelas eſſe; uam jam ante multos annos in Gallia audita et nota eſſe, quae Gulielmus Pariſienſis, Joannes Gerſo, Nicolaus [l] Clemangius, [m] Wiſellius Groeningenſis, Ludovico XI rege, academiae Pariſienſis inſtaurator,

INTERPR. [a] *le comte de Montgomery, un des capitaines des gardes.* [b] *la Baſtille* [c] *de Foix.* [d] *Fumée.* [e] *de la Porte & du Ferrier.* [f] *du Val & Viole.* [g] *Spiſame, evêque de Nevers.* [h] *Fauxbourg St Germain.* [i] *Morel.* [k] *Weldentz.* [l] *de Clemangis.* [m] *Weſſel de Groningue.*

NOT. [1] v Kal. Jun. *Pot.*

inſtaurator, et alii theologi de iis ſcripſerint: id providiſſe beatae memoriae Franciſcum regis parentem, qui optime conſultus negotium de conciliandis religionis diſſidiis et eccleſiaſtica diſciplina corrigenda aliquando ſuſceperit: eam curam rege tanto parente prognato digniſſimam eſſe: ac proinde orare, operam det, ut, quando ab armis externis Gallia quieſcat, diſſenſiones domi propter religionem exortae ejus auctoritate et interventu amice ac pacate componantur: cujus rei non aliam rationem videant, quam ſi rex quam primum viros idoneos et tranquillitatis amanteis deligat, qui de hac cauſa citra odium cognoſcant, et fidei confeſſionem, quam ipſi exhibeant, ad ſacrae Scripturae ac veterum patrum regulam exigant et examinent: interea judiciorum ſeveritas intermittatur; qui in carceris paedore conſeneſcant, emittantur; exules revocentur; bonis exuti reſtituantur: ita regem rem Deo acceptam, ſibi honorificam ac regno utilem, ipſis vero, qui deprecatum pro miſeris hominibus tanquam pro communi cauſa legatos ad eum miſerint, gratiſſimam, et cujus ratione non parum illi debituri ſint, facturum. Rex legatos benigne admodum excepit; et, lectis literis, miſſurum ſe propediem ad eos reſpondet; ac ſperare, ut ipſorum votis abunde ſatisfiat. Dimiſſis legatis, cum vix ad regni limitem perveniſſent, ignis, qui ipſorum adventu quaſi reſtinctus putabatur, eorundem diſceſſu violentius inflammari coepit. Nam XIII Kal. Quintil. judices a rege delegantur, qui de ſenatorum carceri mancipatorum cauſa cognoſcerent. Ii fuerunt Joannes [a] Santandreanus praeſes et inſtigator, uti diximus, Joannes Jacobus [b] Memmius libellorum ſupplicum magiſter, Ludovicus [c 1] Gigas, Robertus [d] Boetius, conſiliarii, Euſtochius [e] Bellaius nuper ſenator, tunc vero epiſcopus Pariſienſis, et Antonius [f] Demochares, fidei, ut vocant, inquiſitor. Interrogatus eodem die a Santandreano, [g] Burgus reſpondere detrectat: id enim juris eſſe ſenatoribus, ut niſi coram univerſa curia coactis in unum cunctis claſſibus in capitis judicio cauſam dicere cogi non poſſint. Tum novum diploma [h] Burdinus a rege impetrat, quo Burgus jubebatur coram delegatis illis judicibus reſpondere: niſi faceret, pro convicto haberetur, et perduellionis poena teneretur. Ita Burgus, propter criminis atrocitatem, uti vulgo jactabatur, ſenatorio privilegio indignus habitus, ne regis, cui ſe in omnibus obedientem profitebatur, imperium detrectare videretur, proteſtatione prius facta, ne fraudi ſibi eſſet, aut inde privilegio ſuo praejudicium quaereretur, tertio poſt die coram judicibus de fidei ſuae confeſſione interrogatus ad ſingula capita fere conſentanea cum Lutheranis ac Zuinglianis, in quibus minime a ſe illi diſſentiunt, reſpondet. Itaque, non adhibitis aliis probationibus, ab epiſcopo Pariſienſi haereticus declaratur: ſtatuiturque, ut ſacerdotali charactere tanquam indignus privaretur; quo facto, brachio ſaeculari, ita magiſtratum regium vocant, puniendus traderetur. A qua ſententia poſtea Burgus appellavit ad archiepiſcopum [i] Senonenſem.

XI. DUM paſſim miſeri homines ob religionis cauſam ad tribunalia rapiuntur, et tam frequenti accuſatione fautores, amici, et qui liberiorem vocem mittere auſi eſſent, in periculi partem vocantur, triſti ubique ſilentio, longe diverſa rerum facies in aula erat; in qua cuncta ad apparatus nuptialeis inſtructa plauſibus ac laetitia perſtrepebant; quae tamen mox lamentabili exitu mutavere. Haſtiludium inter alios paratus inſtitutum fuerat: et in eam rem hippodromus opere tumultuario magnifice extructus, haud longe a Baſtilia arce, in qua captivi ſenatores aſſervabantur; qui a [k] Turriculis, in quibus habitabat rex, ad equilia regia pertingebat, et [l] vicum S. Antonii tranſverſus

INTERPR. [a] *le preſident de Sᵗ. André.* [b] *de Memme.* [c] *Gayant.* [d] *Bouete.* [e] *du Belay.* [f] *Demochares, ou de Mouchy.* [g] *du Bourg.* [h] *Bourdin, procureur general.* [i] *de Sens.* [k] *les Tournelles.* [l] *rue St. Antoine.*

NOT. [1] *Gayant* olim pronuntiabatur, fortaſſe, flexionis anſam praebuiſſe ſuſpicor. *Pot. L.* ut nunc *Geant*; quod et illuſtr. Thuano hujus in-

tranſverſus dividebar, ſedilibus ab utroque larere per gradus in altum recedentibus ac cellulis undique clauſus, theatri ſpecie, in quo magnates armati adverſis utrinque haſtis, medio ſepto ligneo, concurrerent. Cum dies aliquot equeſtri ludicro tranſacti eſſent, rex III Kal. Quintil. dum frequenti ac laeto ſpectaculo cum Mongomerio comite concurrit, confractis utrinque haſtis, infelici caſu, aperta forte caſſide, in oculo ex trunci ictu ſecundaria percuſſione vulnus accepit, ex quo titubans ex equo a ſuis exceptus eſt ac Turriculas relatus. Ferunt, cum efferretur, ad Baſtiliam adverſam reſpexiſſe, et ſenatorum, qui in ea nuper capti detinebantur, recordatum ſaepius dixiſſe, vereri ſe, ne injuriam innocentibus hominibus feciſſet: ad quas voces cardinalem Lotharingum, qui aderat, ſubiratum, monuiſſe regem, eam mentem illi a maligno ſpiritu et generis humani hoſte immitti; a quo proinde ſibi caveret, et conſtantiam in fide ſervaret. Id verum necne ſit, non affirmaverim, certa, et quae tantum in confeſſo ſint, ſcripturus. [α] Certe rei medicae periti negant in tali vulnere vocem mitti potuiſſe; quippe, concuſſo cerebro, ſive concuſſionis violentia ſede ſua motum fuerit, ſive a ſanguinis, vena rupta, in ejus teneram medullam exundantis ſtillicidio ſideratum putruerit, ſive craſſae meningis pariter eliſae in ipſum totum illapſu oppreſſum conciderit: nam, quibus ex quacunque cauſa cerebrum ictum fuerit, eos confeſtim ac neceſſario mutos fieri. Ad famam rei mox Andreas [a] Veſalius excellens medicus et egregio de corporis humani fabrica opere clariſſimus Bruxellis a Philippo ſumma celeritate mittitur, ut vel hoc ultimo et inani officio propenſam erga ſocerum voluntatem teſtaretur. Verum is ſero venit, et fruſtra fuit: nam, icto cerebro et abſceſſu inde contracto, rex [1] VII Non. Quintil. deceſſit, cum annos XL, menſes III, dies XI vixiſſet, XII vero annos, menſes III regnaſſet. Feſtinatae, antequam moreretur, Margaritae ſororis et Emmanuelis Philiberti Sabaudiae ducis nuptiae; ac ſine ulla pompa in palatii ſacello celebratae. In varios ſermones ea mors incurrit. [* Nam alii vitam ejus ultra modum extollebant;] [β] regem bellicoſum ac praeferocem, ex quo imperium accepiſſet, proſpero ſemper fere marte regni limites protuliſſe, ſubjugata maxima Italiae parte, Scotia ac Corſica in poteſtatem redactis; atque ita utroque mari quaſi vallato imperio: fugatum ad [b] Rantiacum Carolum V, dein pactis induciis fortunae ſeneſcentis taedio ad vitam privatam adegiſſe: tum rara pietate erga Romanam eccleſiam renovatum bellum, quo Paulo IV laboranti ſuccurreret: revocatum tandem exercitum, cum Philippus Hiſpaniarum rex et Maria Angliae regina conjunctis armis regnum invaſiſſent, tot hoſtium copiis objeciſſe: poſtremo pacem, ſi non aequis conditionibus, at regno populoque utilem ſanxiſſe; filiaeque ac ſororia nuptiis publicae tranquillitati proſpexiſſe. Ultimo loco addebant; fortem regem, liberalitate inſuper et comitate admirandum, inter arma, relicto ſui incredibili deſiderio, occubuiſſe. Alii contra dicebant; regem, proſpera prius fortuna uſum, partam juſtis armis gloriam violatarum induciarum infamia foedaviſſe: quanquam non tam id ipſius crimen eſſet, quam eorum, a quibus impulſus infelici ſe bello implicuiſſet: hac expeditione immenſas regni opes profuſas, et praecipuum robur attritum; cladeis dictu memoriaque deformeis ſecutas: regi Galliaeque proceribus per Caraſarum ſuperbiam ac perfidiam illuſum; deletumque prope Gallorum in Italia nomen: paucos, occidioni exemptos et prope fame enectos, quo rebus extremis ſubveniretur, in Galliam revocatos:

pacem

P. D. o. [* *cum alii fortunae ludibrium mirarentur: regem militiae ac ſeriis proeliis aſſuetum, rebus foris compoſitis, dum aliis ſpectaculo eſſe vellet, domi in ludicro certamine ſibi exitio fuiſſe; alii vitam ejus ultra modum extollerent;*]

VAR. LECT. [α] *Hinc ad verba* Ad famam *quinque circiter lineae deſunt* P. D. o. [β] regem nimirum bellicoſum P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Veſale.* [b] *Renty.*

NOT. [1] VI Eid. *Put.*

pacem quidem, quod ſumme optandum erat, factam, ſed probroſam; nuptiiſque nihil aliud actum, quam ut dedecus velaretur: tandem [* regem, ſeriae militiae foris aſſuetum, in gregarii militis modum inter ludos jocoſque domi, dum aliis ſpectaculo eſſe vult, ſibi exitio fuiſſe.] Nec domeſtica eelabantur: pellicem uxori ſuperinductam, quae veneficiis ſuis faſcinato regis animo et regia occupata, quamdiu is vixit, regnaverit: inde prodigentiam ac luxuriam exortam, quam inexplebilis aulicorum avaritia ſecuta eſt. Nec inter poſtrema corrupti ſaeculi teſtimonia recenſebantur poëtae Galli, quorum proventu regnum Henrici abundavit; qui ingenio ſuo abuſi per foedas adulationes ambitioſae foeminae blandiebantur, juventute interim corrupta, pueriſque a veris ſtudiis ita abductis, ac poſtremo ex virginum animis pudore et verecundia per laſcivarum cantionum illecebras eliminata. Ut citra amorem et odium dicamus; Henricus princeps fuit bellicoſus; et idcirco, pacis conſiliis, quae illi ſubinde inſinuabat Momorantius, repudiatis, belli occaſiones, quamdiu per fortunam licuit, ſemper amplexus; alioqui mitis ac facilis, et qui alieno potius quam ſuo ingenio regeretur. Qui tunc futurorum magis providi erant, non niſi publico malo extinctum rebantur; quippe, relictis filiis paene pueris ſub parente imperii cupida, et factionibus diviſa aula, non diu duraturam pacem conjectabant, tempeſtateſque domeſticas, niſi obviam mature iretur, bellum externum mox ſecuturas. Genus ac tempus mortis a Luca * Gaurico mathematico Pauli III perfamiliari praedictum conſtat, cum Catharina uxor futuri anxia foemina eum ſuper viri ac filiorum fato conſuleret: fore nimirum, ut in duello caderet, vulnere in oculo accepto: quod irriſum a multis ac pro tempore neglectum fuit, quaſi regis conditio ſupra duelli aleam poſita eſſet. Annotatumque poſtea a curioſis, regem, qui ſerium duellum, rem Chriſtiana religione vetitam, infauſtis regni auſpiciis adprobaſſet, in ludicro duello vitam amiſiſſe. Nunc, omiſſis majorum ac prioris aevi egregie bello et pace dictis ac factis, ad domeſtica mala atque adeo vitia noſtra, quae jam fere XL. annos florentiſſimum hoc quondam regnum vexant ac diſtrahunt, deveniemus; prius praefati, nos ex actis ipſis, et iis, quae jam tum quidem, recentibus adhuc odiis, ſcripta ſunt, verum ad optimorum poſtea virorum fidem a nobis expenſa, citra livorem et amorem, ſequentia perſcripturos; petita interim venia, ſi quorundam ambitio, avaritia, perfidia, fraudes et pernicioſa adverſus rempublicam conſilia interdum perſtringentur. Nam veritatem profeſſis ea lege, ſed temperate ac citra maledicentiam, hiſtoria ſcribenda eſt. Me vero, ut ſpero, longinquitas temporis ab odii ſuſpicione facile liberabit: et qui motus ac varii caſus poſtea inciderunt, vanitatis necne arguendus ſim, apud poſteros fidem plenam facient.

P. D. o. [* *regem, in gregarii militis modum, dignitatis ſuae oblitum, inter ludos jocoſque periſſe.*]

INTERPR. * *Gaurico.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

FRANCISCO II *in regem inaugurato, magna in aula mutatio ſecuta.* II. *A. Momorantius equitum magiſter, a rerum gubernaculis remotus, graviter monet reginam matrem, ne juvenilem animum domeſticis diſcordiis aut aliquo adverſus ſuos odio imbueret.* III. *Valentina aula pellitur. Fr. Olivarius in aulam revocatur. Santandreanus Guiſianis, ut dignitatis priſtinum locum ſervaret, fidem addicit.* IV. *Navarrus a Momorantio fruſtra monitus, ut in aulam veniret, dum cunctatur, occaſionem rei gerendae amiſit; et tardius veniens ſuſpicionem fecit conſiliorum occultorum, quorum ab aemulis inſimulabatur. Intempeſtivus Vindocini conventus. Andelotus jam carcere elapſus; et Colinii cum Carolo Borbonio Rupiſurionio Condaei interventu reconciliati. Juſtis Henrico* II *factis, Momorantius domum ablegatur, rerum publica adminiſtratione penes Franciſcum Lotharingum Guiſium et Carolum Cardinalem fratrem manente: Condaeus et Rupiſurionius ab ea excluduntur. Navarrus deluſus et indigne in aula habitus; et, injectis ſuſpicionibus, poſt regis inaugurationem Benearnum concedere cogitur.* V. *Interea perſuaſa regina parens, ut contra motus impendenteis regem ſeque ac ſuos Philippi generi patrocinio muniret.* VI. *Quaedam ab optimo legiſlatore ad publicam ſecuritatem et utilitatem egregie decreta.* VII. *Rex Durocortori Remorum ſolemni ritu inauguratur. A. Momorantius primaria magiſtri palatii dignitate, quam a morte Renati Sabaudi ſoceri multos annos tenuerat, et a Guiſio ambiri ſciebat, ſponte ſe abdicat, ne coactus id facere videretur. Equeſtris ordinis inſigni, quod meritis ſolis antea dabatur, plerique gratioſe donati.* VIII. *Renovatae quam antea ſeveriores in ſectarii mali ſuſpectos ubique inquiſitiones: et, quia clam ac noctu conveniebant, aſſeveranter paſſim jactatum, quaſi ad promiſcuam libidinem ſpecie religionis coetus illos celebrarent: id Catharinae reginae perſuaſum; quae ab eo tempore, cum antea indulgentiorem ſe praebuiſſet, ab illis alienari coepit. Subſellii fratres ex Andina nobilitate adverſus lictores in Sangermano ſuburbio vim faciunt.* IX. *Accenſis odiis hinc Proteſtantium, quorum in dies creſcebat numerus, hinc eorum qui novae adminiſtrationi invidebant, ſparſi primum in Catharinam et Guiſianos libelli; et diſſertatione de libero Francogallorum imperio inſtituta eorum poteſtas in dubium revocatur. Contra quam Jo. Tilius curiae protonotarius juris noſtri peritiſſimus edito de regis majoritate ſcripto diſputavit. Replicatum altero libello ab adverſa parte; et exempla ac teſtimonia a Tilio adducta, prout ſciſſa tunc erant hominum ſtudia, contrariis rationibus confutata. Contentioniſque is exitus fuit, ut ex eo Tiliano ſcripto ſumma auctoritas conciliata ſit, quod et hodie pro certa et rata regni lege inter conſtitutiones regias relatum legitur. Exhauſto belli ſumptibus et largitionibus aerario utcunque vel cum publica indignatione conſultum.* X. *Suſpecta regis valetudine, varii et indigni de ea rumores maligne diſſeminati. Verae morbi, poſtremo lethalis, contra quam ferebatur,*

cauſae

Digitized by Google

cauſae detectae. XI. Annae Burgi, poſtquam variis protelationibus ejus cauſa fuit agitata, ſupplicium et ultima verba, ex actis publicis. XII. Aliorum ſenatorum, Pauli a Fuxo, Euſtochii Portae, Ludovici [a] Fabri, in carcerem conjectorum, cauſa examinationi a delegatis ſubjecta; qui cum per reſponſiones nihil a doctrina recepta alienum dicerent, contra quam fecerat Burgus, tamen, quod de emendatione craſſorum, qui temporis lapſu in eccleſiam irrepſerant, errorum in dicenda ſententia mentionem feciſſent, et alioqui ſuſpecti eſſent, vita ſalva, loco tantum contumelioſe moti ſunt: eoque ſeverius cum iis actum, Antonii Minarii praeſidis caede, ut creditur, a Proteſtantibus patrata; quod non mediocriter judicum animos exacerbavit. XIII. Sequuntur externa. Galli tota Italia exterminati. Coſmus in Etruria univerſae ditionis Senenſis, quae a noſtris tenebatur, potens. XIV. Philippus, e Belgio in Hiſpaniam diſcedens, Margaritam Parmenſem provinciae praeficit, Hiſpanorum valido praeſidio ei tanquam ad tuendum limitem deſtinato; re vera, ut Proteſtantium, a quibus ſibi plus quam a noſtris tunc temporis metuebat, molitionibus obviam iretur. Arauſionis princeps, cui de ea re Henricus antea aliquid, dum apud ipſum eſſet, inſuſurraverat, idque proceribus Belgii renunciaverat, et Egmundanus comes acriter repugnant. Philippus, cum Zelandia ſolviſſet, periculoſo naufragio in Galeci-portus conſpectu conflictatur. In ejus adventum reſervati, qui ob ſectarium malum ad mortem damnati erant; in iiſque aliquot ex B. Iſidori Hiſpalenſis coenobio ſocii; et Hiſpali et poſtea Pinciae magna pompa ad ſupplicium producti. XV. Pauli IV obitus, et noviſſima verba. Mortuo eo, ſumma intemperie in ſtatuas ejus a plebe ſaevitum, effractis per interregnum Inquiſitionis carceribus: et in ejus memoriae contumeliam Carafarum inſignia paſſim confracta ac dejecta. XVI. Principum virorum mortes intra unius anni ſpatium, pontificis, Caeſaris, Franciae regis, II Daniae regum, item Laurentii Priuli Venetorum principis, Othonis Henrici Palatini ſeptemviri, Herculis Ateſtini Ferrariae ducis, Othonis Luneburgici ducis et Willelmi Hennebergici principis, III reginarum, Helionorae Franciae, Mariae Hungariae, et Bonae Sfortiae Poloniae. XVII. Georgii Recrodi obitus: item literis clarorum Franc. Duareni, Aemari Ranconeti, Joachimi Perionii, Roberti Stephani, Lucae Gaurici, Jo. Bapt. Folengii, Jacobi Milichii. XVIII. Coſmi per interregnum in Etruria geſta. XIX. Pucciana conjuratio Florentiae detecta; in qua Bernardus Corbinellius cum ſe miſcuiſſe deprehenſus eſſet, et fuga periculum praevertiſſet, inevitabili poſtea fato apud nos periit. XX. Eliſabetha Philippi uxor ad limitem magna pompa deducitur, et a Navarro non minore ceremonia in Philippicorum procuratorum manus tradita eſt, addita proteſtatione, ut, quando traditionem in utriuſque regni finibus fieri debere conveniſſet, et in medio tamen Navarrae regno, quod ad ſe jure pertineat, facta eſſet, nullum ea re juri ſuo praejudicium factum eſſe intelligeretur. Inſtat poſtea Navarrus, miſſo in Hiſpaniam Jo. Claudio Levio Odoſio, pro regni reſtitutione; et eluditur. XXI. Factionum aeſtus Romae in pontificiis comitiis: tandem electus Joannes Angelus Medicinus, qui Pius IV dici voluit. Ejus gens. Auſpiciis ſuis veniam praeteritorum fecit; acta a ſuo deceſſore reſcidit; edicta revocavit; cauſas monachorum, eorum item qui ob ſectarium malum poſtulati fuerant, denuo addito temperamento cognoſci voluit; cardinalem Moronum et Thomam Sanfelicium ob id in carcerem conjectos ab injuria vindicavit; poſtremo, quod ſummae prudentiae tributum eſt, Imperatoriam dignitatem in Ferdinandum a Carolo fratre tranſlatam, quam Paulus IV improbaverat, ratam habuit.

Ex

NOT. [a] Fabri, Antonii Fumaei, in carcerem Put.

Ex Aucтoribus,

Jo. Placio curiae vectig. P. P. Ludovico Renerio Plancio, Jo. Serrano, Joannis Huralti Boëtallerii comment. MS. Actis curiae Pariſ. Jo. Bapt. Hadrianio, Aſc. Centorio Hortenſio, Conſalvo Montano, Onufrio Panvinio, Navarri et Sebaſt. Albaſpinaei Lemovicum epiſcopi et regii in Hiſpania oratoris literis.

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

CIƆIƆLIX.
FRANCISCUS II.

HENRICO inter nuptialia orgia et haſtiludia nec-opina morte extincto, Franciſcus [a] Guiſius et Carolus cardinalis Lotharingus, Alfonſo [b] Ateſtino Ferratienſi et Jacobo [c] Sabaudo Nemoroſio comitantibus, Franciſcum regem ſalutant, curruique impoſitum [d] Luparam ſecum ducunt: eodemque mox Catharinam ᵅ parentem Nemoroſius ſiſtit, ad corporis demortui cuſtodiam relicto per ludibrium Momorantio; a quo ſtatim injurioſe repetitum regis ſigillum, miſſo ad eum Claudio [e] Albaſpinaeo a ſecretis epiſtolis. Corpus in xyſto, ex materia in [f] Turriculis fabricato, ad choreas et pompas paulo ante deſtinato, tunc demum longe in diverſum uſum pannis lugubribus velato, deponitur; ubi XL. totos dies de more ſacra ac preces peractae ſunt.

II. Dum peraguntur, Momorantius Luparam ad regem ſalutandum venit: initoque cum regina colloquio eam admonet, ut egregie capeſſendi a filio imperii conſilia ſumeret, nec juvenilem animum diſcordiis domeſticis aut aliquo adverſus ſuos odio imbueret, eamque principatus formam praeſcriberet, quae Gallicae nobilitati ceteriſque regni ordinibus probaretur: id futurum, ſi quiſque dignitatem ſuam antiquaque munia retineat: meminiſſet, praeeſſe ſe genti, quam ſuorum regum ac principum imperii nunquam, alieni ſemper taedeat. His adjicit demiſſas preces: operamque ſuam ac ſtudium regi atque ipſi defert. Illa benigne exceptum et promiſſis ingentibus oneratum dimittit. Cum vero ſagaciſſimus ſenex ex regis morte repentem mutationem imminere cerneret, ſtatim, eo vulnerato, [g] Mareſium cubicularium regium ad Antonium Borbonium Navarrae regem et regii ſanguinis primarium principem miſerat, qui tunc in [h] Beneatni pago erat; cumque monuerat, ut quam primum in aulam veniret, publicam adminiſtrationem, ſi quid regi humanitus contingeret, ſumpturus. Verum homo ab ambitione alienus, et alioqui Momorantio ᵝ ſuccenſus, quod in ultima pacificatione ab ipſo facta nulla ſui ratio habita fuiſſet, recte monenti minime obtemperavit: ſed modicis itineribus [i] Vindocinum venit, ibique aliquandiu ſubſtitit; atque ita pulcherrimam rei bene gerendae occaſionem elabi paſſus eſt: quod magnorum deinde tumultuum cauſa extitit. Nam poſtea Ludovicus Condaeus Navarri frater, vir animis et ingenio praeſtans, cum potentiam omnem ad reginam parentem ac Guiſianos contra regni leges tranſlatam doleret, quod Navarrus jure ſuo facere potuiſſet, id ipſum generoſius quam tempeſtivius aggreſſus eſt, cauſa ſemel per fraternam patientiam ambitionis ac perduellionis praejudicio damnata. Igitur Catharina imperii ultra modum cupida Lotharingis fratribus reginae nurus avunculis, quos et ob id filio percharos et ſibi, nondum perſpecto ipſorum ingenio, obſequentiores fore perſuaſum habebat, ſe protinus, amoto Momorantio, adjungit. Illi vero, quod totis votis jampridem expectabant, ſpe

citius

VAR. LECT. ᵅ parentem *deeſt* *P. D.* o. f. d. ᵝ ſuccenſens *P. D* o. f. d.

INTERPR. [a] *le duc de Guiſe.* [b] *d'Eſte, prince de Ferrare.* [c] *de Savoye, duc de Nemours.* [d] *le Louvre.* [e] *de l'Aubeſpine.* [f] *les Tournelles.* [g] *la Mare, valet de chambre du roy.* [h] *Bearn.* [i] *Vendoſme.*

citius conſecuti, omnem dabant operam, ut fortunae beneficio uterentur, et, familia amplificata, potentiam ſuam in regno firmarent. Haec animo agitanteis multa quaſi invitabant: opportuna regis pueri ad res novas aetas, in quo par animi ac corporis imbecillitas erat; uxoris favor, quae ſupra aetatem ambitioſa avunculorum arbitrio viri ingenium circumagebat: matris denique gratia, a Momorantio Guiſianorum aemulo alienatae, offenſione nuper ex eo renovata, quod paulo ante Henrici mortem cum [a] Valentina illa ſaepius commemorata adfinitatem contraxerat; quam alioqui, ut regi gratificaretur, quamdiu is vixit, demiſſo infra dignitatem obſequio ſemper coluerat. Et ita, unde periculum Momorantio creatum eſt, inde Guiſiani compendium fecere: quorum frater Claudius [b] Aumalius minorem natu filiam Valentinae jam ante uxorem duxerat, accepta ingenti dote ex regia profuſione ac bonis damnatorum undique corraſa. Nam Guiſius ac cardinalis frater poſt regis mortem, Valentina protinus deſerta, cui ſerviliter adeo nuper ancillati fuerant, reginae viduae operam ſuam addicunt, et in ejus gratiam inviſae pellici bellum indicunt; initio renitente Aumalio fratre: cujus nimis propenſum erga ſocerum ſtudium increpans Carolus cardinalis frater, ei ſatis eſſe debere aiebat, quod ampliſſimum patrimonium ex eo matrimonio et cum eo gratiam ad tempus conſecutus eſſet; nunc, rege exſtincto, tantum ex illo odium ac dedecus ſupereſſe, quod remota illa ab aulae conſpectu paulatim ſepeliri et in animis hominum exſtingui decoris illuſtriſſimae familiae intereſt: praeterea cogitare illum oportere, non niſi cum graviſſima Catharinae offenſione, cujus gratia nunc potiſſima eſſe debeat, eam retineri poſſe: ex cujus amicitia ſi quid olim ad ipſorum amplitudinem non citra notam acceſſerit, nunc operam ſedulo dandam eſſe, ut eam conciliata reginae viduae gratia honeſtius tueantur et augeant.

III. HIS rationibus placato utcunque Aumalio, Valentina ignominioſe aula exigitur, regia gaza ac gemmis ingentis pretii, quas illa penes ſe habebat, non ſine exprobratione repetitis: quod inſigne fluxae aulicorum fidei teſtimonium fuit. Nam ex iis omnibus, quos, dum rerum potiretur, multos ſed fere indignos ad honores evexerat, nemo unus repertus, qui jacentis et a ſuis relictae fortunam ſublevaret, praevalente adverſus beneficia privata odio publico. Quin et vexationem, quam a Catharina metuebat, [c] Cenoncellis aedibus, elegantia ac ſitu, nam ſupra [d] Carim ponte ſubſtrato poſitae ſunt, et hortorum per utramque ripam porrectorum amoenitate conſpicuis, olim ab [e] Aſtremonio Boierio et Catharina [f] Briçoneta exſtructis, et poſtea a [g] Sanſergio Aſtremonii filio vanitatis ſtolidae homine ipſi donatis, redimere coacta eſt, accepta compenſationis titulo [h] Caldimontana arce ad Ligerim. Tum ab aula pulſi ex nobilibus et qui arma tractaverant, quos Momorantii rebus favere rumor erat; propinqui item et adfines remoti nulla certa de cauſa, ut quiſque infeſtus aut Guiſiorum potentiae minime aequus putabatur. Ceteri fortunam, quo ſe inclinabat favore, proſequebantur. Pulſus mox Joannes [α] [i] Bertrandius procancellarius, nuper in cardinalium collegium ipſius Guiſii commendatione cooptatus; qui [k] Toloſa Lutetiam advectus, omnibus honorum gradibus [l] ſaltuatim decurſis, ſummum togae faſtigium Valentinae favore [*] adeptus fuerat. Eo pulſo, priſtinae dignitati reſtituitur Franciſcus [m] Olivarius; vir ſuavitate ingenii, prudentia, rerum uſu et integritate clarus: quod a cardinali Lotharingo factum, ut moderati imperii ſub optimo legum moderatore ſpem faceret, ac vulgo res fere perſonarum praejudicio metienti fucus fieret. Sed nulli magis illuſum eſt, quam ipſi Olivario; qui, nullius ſervilis

ſententiae

P. [* *et impellente Aegidio Magiſtro, uti diximus,*]

VAR. LECT. [α] Bertrandus P. D o. f.

INTERPR. [a] *la ducheſſe de Valentinois.* [b] *le duc d'Aumale.* [c] *Chenonceaux.* [d] *le Cher r.* [e] *Aſtremoine Bohier* [f] *de Briçonet.* [g] *le baron de St. Sergе.* [h] *Chaumont ſur la Loire.* [i] *Bertrand, garde des ſceaux.* [k] *Toulouſe.* [l] *legerement & en paſſant, ſans demeurer beaucoup dans une charge.* [m] *Olivier.*

CIↃIↃLIX. ſententiae ſponte auctor, cum libertatis ſervandae fiducia in aulam ſe a quiete retrahi paſſus eſſet, longe foediſſimam ſervitutem ſervire coactus, vitae quod ſupererat inter ludibria ac pericula ſub impotenti dominatu toleravit. Nam ultra modum inſolens ac vehemens erat Caroli cardinalis animus: Guiſii longe moderatior: ſed, cum ambitio moderationem et aequitatem neſciat, aut a fraterna violentia rapiebatur, aut raptari ſe patiebatur: nam ex illius fere ingenio conſilia proveniebant, quae deinde Guiſius magni animi ac ſolertiae vir ſedulo exſequebatur. Joannes Avanſonius, ſecreti Guiſianorum conſcius, quia timebatur, et eorum conſiliis accommodus videbatur, in aula retentus eſt; ablata tamen aerarii, quam ſub Valentina tenuerat, praefectura. At Franciſcus [a] Turnonius cardinalis, vir profundae prudentiae ac longo rerum uſu perſpectus, qui, a Franciſco extremis temporibus rerum ſummae cum Claudio [b] Annebaldo admotus, poſtea eo mortuo ab aula remotus et [c] cancellarii ordinis conchyliati dignitate a cardinali Lotharingo exutus fuerat, in aulam revocatur, Catharinae inſtigatu, quae ejus, ut neutris partibus addicti, conſilio uti volebat. Refragabantur initio Lotharingi: ſed, cum eum Momorantio infeſtum ſcirent, et recentis beneficii memoriam ſervaturum ſperarent, poſtremo aſſenſere. Nec parum animi angebatur Jacobus [d] Albo Santandreanus, equitum tribunus, homo magni animi et ingenii, ſed effraenati luxus perditaeque libidinis; quam ut expleret, a nulla injuria temperaverat. Is, gratia apud Henricum potens, cum Lotharingis ac Momorantio, neutris obnoxius, certaverat: tum vero veritus, ne, ſi aula pelleretur, juſtis multorum, quos bonis ſpoliaverat, querelis atque immenſo aere alieno, quod favoris fiducia contraxerat, opprimeretur, turpi admodum pactione cum Guiſio tranſegit, oblata unica filia, utri ex filiis vellet, deſpondenda, et ejurata ampliſſimorum bonorum, quae per ſcelera ac fraudes paraverat, proprietate, uſufructu tantum ſibi et uxori ſervato. Ita aula quaſi in poteſtatem redacta, Lotharingi rerum in regno potentes erant. Nam nobilitas, quae turbatis rebus plurimum in Gallia poteſt, ſuperiorum bellorum taedio ad ſua fere otii domeſtici avida redierat, omni reipublicae cura abjecta: plebs vero tributorum ob continua bella indictorum onere preſſa levamentum poſcebat; de cetero, quis in aula dominaretur, parum ſolicita. Reſtabat ſacer ordo, dignatione et opibus potens; cujus benevolentiam ſtudioſe conciliaverat Guiſius, praetexta antiquae religionis defenſione et vehementis in ſectarios odii oſtentatione: ex quo ordine cum magnam partem ſupremae regni curiae conſtent, fiebat, ut iis in conſeſſibus, qui ſecundum regis ſecretius concilium potiſſimam in regno auctoritatem obtinent, et ipſi plurimum poſſent, pleriſque ex ſenatoribus praemiorum ſpe in eorum parteis propendentibus; aliis offenſionis metu tacentibus, recenti adhuc Mercurialis conventus memoria, quo ſuffragiorum libertas adempta, et ſententiam publice dicentibus os quaſi infibulatum videbatur. Tum vero, ut magis omnibus conſtaret, potentiam, quam variis artibus ac munimentis firmabant, non uſurpatam, ſed a rege ex Catharinae voluntate ſibi ut bene meritis delatam fuiſſe, cum ſenatus Pariſienſis delegatos e ſuo ordine, ut moris eſt, ad regem miſiſſet, qui obſequium ſuum deferrent et imperia ipſius acciperent, eis a rege ſignificatum eſt, Guiſium et Carolum cardinalem avunculos a ſe ex chariſſimae parentis conſilio delectos, quibus regni univerſi negotia committeret; ita ut ille quae ad bellum ſpectarent, hic rem pecuniariam curaret: proinde eos in poſterum adirent ac conſulerent: ſic enim velle ac jubere.

FRANCISCUS II.

IV. HAC regis declaratione cum ſatis intelligeret Momorantius ſibi ex aula abeundi ac ſecedendi neceſſitatem imponi, rem tamen initio diſſimulavit: et, ſolicitato interea Navarro, ut in aulam veniret, hoc agebat, ut regii ſanguinis principes injuſtae

INTERPR. [a] *de Tournon.* [b] *d'Annebaud* [c] *chancelier de l'Ordre de St. Michel.* [d] *d'Albon, mareſchal de St. André.*

injuſtae Guiſianorum dominationi opponeret; et ita dignitatem retineret. Verum ille, alioqui offenſus, extracto per moras tempore dum deliberat, ad eum Condaeus frater et [a] Rupiſurionius agnatus Vindocinum, ubi ſubſtiterat, cum plериſque ex primaria nobilitate venere: ubi, multa de Guiſianorum ſuperbia ac pernicioſis conſiliis queſti, ad faciendam fidem recens hoc exemplum in medium protulere: Guiſium nuper, cum primum rex poſt lugubria ſumpta in publicum prodiret, quod fit magna pompa, eo inſolentiae provectum, ut regalis veſtis praelongum ſyrma, quod primarii principes ſoli geſtare conſueverunt, medius inter ipſos, quaſi dignitate par, apprehendere atque eodem officio defungi auſus fuerit. Eodem venerat [b] Franciſcus Colinius Andelotus, qui Condaei interventu cum Rupiſurionio reconciliatus eſt, quo conjunctiores ad ſuſtinendam adverſariorum vim et propulſandas injurias in poſterum eſſent. Condaeus Helionoram [c] Roiam uxorem duxerat, Magdalenae [d] Maliiae Coliniorum uterinae ſororis filiam. Utrorumque communis parens erat Aloiſia Momorantia Annae magiſtri equitum ſoror, quae primum Friderico Mallio limitis Belgici regulo, dein Gaſpari [e] Colinio Caſtellionaeo equitum tribuno nupſerat, qui ad [f] Aquas Tarbellicas, cum [g] Fontem-Aragi [h] Cantabriae oppidum cum exercitu peteret, ante XXXVII annos obiit: quo fiebat, ut Momorantii ac Colinii Condaeum arctiſſima adfinitate contingerent; nobilitate, clientelis, opibus ac virtute bellica praecellentes viri. Cauſa autem offenſionis Rupiſurionii ex eo erat; quod, cum [i] Lavallae heredis nuptias ambiret, Andelotus Momorantii avunculi favore ei praelatus fuerat; delatumque ad ipſum fuerat, voces inſolenteis ac deſpectus plenas de ſe ab illo jactatas eſſe. Itaque, dum [k] Germani-fano [l] Lutetiam commearet Andelotus, jam tranſmiſſo [m] Sequana, qui aliquoties compendioſiorem viam illac habentibus tranſmittitur, ubi vidit Rupiſurionium ſpe celerius adventare, quaſi ad ſe perſequendum feſtinaret, cum nollet ad conflictum cum primario principe, cui omnem obſervantiam deberet, cogi, ut tranſitum ejus moraretur, pontonis funem enſe [a] praeciderat: quod ille injurioſe factum interpretatus, cum contra ut neceſſitate factum Andelotus excuſaret, eo irritatiore erga ipſum animo ab eo tempore fuerat. Tunc vero Navarri ac Condaei interventu ac rogatu cum Coliniis in gratiam rediit: quod Lotharingi moleſte admodum tulere, qui inter eos inimicitias alere omni arte ſatagebant. Secundum haec [n] Vindocini conſultatum fuit, qua ratione Guiſianorum jam tum ſupremam auctoritatem ad ſe trahentium conatus impediri poſſent. Multa generoſe, multa prudenter dicta; quae [*] cunctatione innata Navarrus eludens, priuſquam ſe in viam daret, expectandum cenſuit, dum exſequiarum ſolemnia peracta eſſent: tunc enim liquido conſtiturum, quo animo Guiſiani in Momorantium affecti ſint, ex eoque conſilium rebus ſuis utile ſumpturum. Juſtis factis et corpore ad Dionyſii-fanum in majorum ſepulchrum illato, eodem die Guiſiani, quaſi urbis frequentiae pertaeſi, quo magis in poteſtate eum haberent, Germani-fanum regem ducunt; quo et Catharina eos ſecuta eſt, praecipitato contra morem receptum XL dierum luctu, quo magnatum viduae publico abſtinere et domi ſe continere conſueverunt. Eodem Momorantius, qui in funere procurando hactenus occupatus fuerat, venit, alieniore primum vultu a rege, ſic enim juſſus fuerat, exceptus. Poſtridie, petito poſt prandium colloquio, ante omnia Colinios ſororis filios regi commendat; et, ut eorum opera uti ac dignitatem tueri velit, enixe rogat. Nec abnuit rex, Gaſparis Colinii mentione delectari viſus;

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

P. [*] *ſocordiane an*

VAR. LECT. [a] praecidit P. D. o. f.

INTERPR. [a] *le prince de la Roche-ſur-Yon, frere du duc de Montpenſier.* [b] *François de Coligny de Chaſtillon, ſieur d'Andelot.* [c] *de Roye.* [d] *de Mailly.* [e] *de Coligny, ſieur de Chaſtillon.* [f] *Acqs.* [g] *Fontarabie.* [h] *Biſcaye.* [i] *Laval.* [k] *St. Germain.* [l] *Paris.* [m] *la Seine* [n] *Vendoſme.*

CIƆIƆLIX.
FRANCISCUS II.

viſus; quem et egregio praeconio cohoneſtavit, et praecipuo loco habitutum recepit. Tum de ſe locuturum Momorantium interfatus, eadem, quae ſenatus Pariſienſis delegatis dixerat, confirmavit; nimirum, ſe ſenectutis ejus levandae cauſa armorum curam Guiſio, rem pecuniariam cardinali Lotharingo demandaſſe, ſumma rerum iis, ut digniſſimis ac de ſe regnoque optime meritis, credita: ceterum ei ſe honorificum locum in conſiſtorio reſervaſſe, cui, cum licebit per valetudinem, interfuturus ſit. Ad quae Annas, quaedam de aetate praefatus ac valetudine, adjecit, inſta dignitatem ſuam eſſe, ſi, quibus hactenus imperaverit, iis nunc ſubdat ſe, ac propterea conſiſtorio intereſſe non poſſe: nihilominus ſemper paratum fore, animo ac corpore, ut imperata faciat: nec vero ſe adeo effocto corpore ac mente delira eſſe, ſicuti ab inimicis jactetur, quin et armis tractandis et reipublicae adminiſtrandae, cum jubebitur, robore et induſtria ſufficere poſſit. Quidam ſcripſere, cum a Catharina commeatum peteret, ei ab illa falſis aemulorum criminationibus irritata et diſſidii cauſam quaerente exprobratum eſſe, quod Henrico marito olim per jocum dixiſſet, nullum e liberis ipſi ſimilem eſſe, praeter [a] Dianam ex [a] Subalpinae mulieris contubernio ſuſceptam, quae F. Momorantio grandiori natu filio nupſerat: quibus verbis et pudicitiam ſuam notatam et regiae familiae injuriam non tolerandam factam querebatur: cujus tantae injuriae ſi memoriam ad animum revocare velit, et eam pro merito ulciſci, effecturam eſſe, ut Annas tam impudens mendacium capite lueret: ſed ſibi tam charam mariti memoriam eſſe, ut illius contemplatione privatas offenſiones ei libenter ſit condonatura: ceterum videre ipſum debere, ut conditionibus a rege propoſitis aequo animo acquieſcat: nam, quod ad ſe attinet, daturam operam, ne quid detrimenti per abſentiam ſuam accipere poſſit. Tum Annas verborum illorum, tanquam per calumniam maligne ab inimicis ſibi affictorum, invidiam amoliri; ac reginam rogare, ut, quando inter reos ad ipſam delatus eſſet, ſibi aurem alteram ſervaret: meminiſſe illam debere potius laborum pro rege et univerſo regno per tot annos exantlatorum, quam inimicis hominibus aures tam faciles praebere, vitae ſuae ac bonis jampridem inhiantibus: quorum tamen non ita facile obventura ſint conſilia, ſicuti jam ſpe et avido ultra modum animo conceperint. Quae ſi vera ſunt, a Catharina rem de induſtria confictam vero ſit ſimile, occaſionem ab amicitia Momorantii diſcedendi quaerente: quippe quae optime ſciret, prudentiſſimum ac linguae caſtigatiſſimae virum haud temere hujuſmodi quidquam prolaturum fuiſſe. Ita demiſſus Momorantius [b] Cantiliam ſeceſſit. Amoti et tum ab aula ad tempus Condaeus et Rupiſurionius; uterque honorificae ad Philippum legationis ſpecie; cum ille, ut pacem nuper ab Henrico factam Franciſci nunc regis nomine juramento firmaret, miſſus eſſet; hic, ut conchyliati ordinis torquem more ſolemni ad eundem deferret. Attributum Condaeo CIƆ aureorum tantum viaticum, exili adeo ſumma a cardinali Lotharingo rei nummariae praefecto contumelioſe adnumerata, ut, dum falſo aerarii levandi ac farciendi praetextu liberalitas regia parcius diſpenſatur, eo injurioſius viro magnanimo, verum egenti, in tam neceſſaria regiae ac ſuae magnificentiae oſtentandae occaſione, denegato maligne ſubſidio illuderetur. Amotis Borboniis, et Anna matre, antequam Navarrus adveniret, hoc enim diligenter Guiſiani caverant, domum relegato, reliquum erat, ut eodem modo habitum Navarrum et ipſum aula expellerent. Mos eſt, ut primariis principibus in aulam venientibus obviam eatur, et hoſpitium ſecundum dignitatem aſſignetur: verum Navarro venienti non ſolum minime obviam proceſſit Guiſius, aut ex ea familia ullus; ſed regem ad venationem ex compacto per diverſa itinera, ne obviam haberet Navarrum, eo die deduxit: et, cum primarium hoſpitium, quod Navarro debebatur, ſibi ſumpſiſſet Guiſius, non ſolum illud non obtulit Navarro, ſed clara voce teſtatus

eſt,

VAR. LECT. [a] Dianam ſpuriam *P. D. o f*
INTERPR. [a] *Piedmontoiſe.* [b] *Chantilly.*

Digitized by Google

eſt, paſſurum ſe potius ſibi vitam quam honorem hunc a rege meritis ſuis delatum eripi. Ita Navarrus hoſpitii honore contumelioſe excluſus, cum in eo eſſet ut pudendo diſceſſu decori conſuleret, ultro commodatis a Santandreano aedibus uſus eſt; qui et rem apud eum excuſavit, et tenuit, ut, cum initio hac injuria ſupra modum exacerbatus eſſet, ſenſim mitigaretur, frementibus cunctis, qui Navarri patientia adverſariorum ſuperbiam et audaciam ali ac foveri indignabantur. Navarrum ad fortiter capeſſendam rempublicam et perrumpendos adverſariorum conatus plerique e proceribus, tum ante alios [a] Vidus Cabotius Jarnacius, vir generoſus, quotidianis ſermonibus, [α] oblatis priſcae nobilitatis opibus, incitabant. Sed hominem natura cunctabundum remorabantur domeſtici conſiliarii, qui apud eum conſuetudine multum poterant; Joannes [b] [a] Angutius Mimatenſis epiſcopus, cardinalis [c] Pratenſis nothus filius, Franciſcus [d] Scarſius [*], et Almericus [e] Bucardus libellorum ſupplicum magiſter et Navarri ipſius cancellarius: qui, ſeu periculi metu, ſive in Guiſianorum gratiam, recrudeſcenteis injuriarum plagas mollibus ſermonibus leniebant, et juſtae indignationis vim atque aciem injecta mora frangebant. Tamen, ut exiſtimationi ſuae et importunis procerum querelis, qui in eum conjectos omnium oculos ac vota dicebant, priſtinaeque libertatis ac nominis Gallici vindicem optabant, aliqua ex parte ſatisfaceret, Lutetiam venit, ut ſenatorum ac primorum urbis menteis ac voluntates per homines idoneos periclitaretur. Id ei a pravis conſultoribus conſilii datum fuerat, ut ejus impetum eluderent, et interea tempus ducerent. Nec conſilium eventus fruſtratus eſt. Nam, cum eadem mora, qua infractus fuerat, amicorum in urbe adſectus ac propenſionem labefactatam videret Navarrus, prorſus animo concidit, et alienum ab omni generoſo conſilio ſe in poſterum oſtendit; tanto magis inflatis Guiſianis, qui ſubverſis Navarri opibus ac conatibus jam ſibi de univerſa Borboniorum familia, quae ſola adoleſcenti ipſorum potentiae reſiſtebat, triumphare videbantur.

V. Ad hanc novam rerum faciem cuncta in aula querelis perſonabant: quas Lotharingi ut comprimerent, et liberis vocibus exitum obſtruerent, aliis minas intentabant, alios ingentibus promiſſis, quos rebus ſuis utileis rebantur, ineſcabant: ac, ne quid intactum aut inexpertum relinquerent, quod ad res eorum ſtabiliendas pertineret, Catharinae ambitioſae foeminae, cujus ingenio abutebantur, auctores fuere, ut Philippi nomine atque auctoritate ſuam communiret, conſilio juxta pudendo et jam tum initarum cum Hiſpanis in nominis Gallici perniciem molitionum ſuſpecto: quod illa cum avide amplexa eſſet, ea de re ad Philippum perſcripſit, ope ejus muliebri impotentia per ſummum dedecus adverſus regni perturbatores, ut aiebar, implorata. Is vero ſupra modum gaviſus ſe arbitrum regni, quod turbatum quam pacatum mallet, a Catharina deligi, eam optimam Gallos inter ſe committendi occaſionem ratus, operam omnem pollicetur, datis ad regem literis, ſuperbis admodum, nec ferendis concordi adhuc genti et antiquae libertatis memori; quibus ſororii chariſſimi res ſibi perinde ac ſuas commendatas eſſe, ejuſque regni tutelam propenſo animo ſuſcipere decreviſſe teſtabatur: et adverſus eos, ſi qui tam temerarii forent, quicunque tandem eſſent, qui regi atque adminiſtris ab eo ſummae rerum praepoſitis parere detrectarent, opes, arma ac potentiam omnem expedire paratum ſe demonſtrabat; ita ut ſe acerrimum contemptae majeſtatis regiae vindicem et ſeverum audaciae ac temeritatis illorum caſtigatorem experirentur. Literae eae coram Navarrae rege recitatae ſunt, quod iis oblique perſtringeretur, eo conſilio, ut, ſuarum rerum

contra

P. [*] *cujus nobilitatem avaritiae ſordes obſcurabant,*

VAR. LECT. [α] et oblatis *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Guy Chabot, ſieur de Jarnac.* [b] *Nicolas d'Angu, evêque de Mende.* [c] *du Prat.* [d] *d'Eſcars.* [e] *Aimery Bouchard.*

NOT. [a] Dele *Joannes Angutius*: lege *Nicolaus Danguius.* Put.

contra Hiſpanos defendendarum ſolicitudine injecta, omnis de regni adminiſtratione cura ex ejus animo expelleretur. Nec ſpe Lotharingi falſi ſunt. Nam ille, qui Bearno timeret, ab uxore perſuaſus, illuc protinus contendendum duxit, oblatam a Lotharingis reginae Hiſpaniarum ad Philippum maritum deducendae conditionem minime aſpernandam ratus; ut inde honeſte ex aula diſcedendi quaeſito colore abſentiae ſuae infortunium tegeret, eademque opera Philippi ſibi, ut credebat, infeſti et a Guiſianis in ſuam perniciem incitati animum placaret, ejuſque benevolentiam honorifico officio hoc demereretur.

VI. Nec in civili adminiſtratione interea ceſſabatur. Nam primis regni auſpiciis publicae ſingulorum ſecuritati variis edictis ab optimo [a] legum cuſtode Olivario proſpectum eſt. Prohibita [b] ignita tela ac ſcloppeti breviores, uti olim pugiones et acinaces, quibus ex improviſo cominus certi nec evitabiles ictus infligi poſſent: uſus item longiorum palliorum et laxiorum caligarum, quibus tela hujuſmodi ad certam perniciem fabricata tegi ac celari ſolerent, poena gravi appoſita interdictus: quanquam hoc plerique cardinalis Lotharingi rogatu factum dicebant, hominis meticuloſi, et cui multarum offenſionum conſcio multos quoque metuere neceſſe erat. Haud multo poſt revocatae omnes patrimonii regii alienationes perperam et in fraudem factae, licet penſionis aut alterius cujuſvis donationis etiam remuneratoriae titulo firmatae: a qua lege poſſeſſiones eae exceptae, quae regum filiabus penſionis loco aut in dotem datae ſunt: exceptae et eae, quae Helionorae Philippi amitae donationis ob nuptias cauſa attributae ſunt, quibus Luſitana infans tunc fruebatur. Sed juxta gravis et aequitatis pleni edicti gratiam minuit, quod, cum eo regii ſanguinis principes ac proceres bene de ſuperioribus regibus meriti beneficio olim accepto privarentur, poſtea tamen eodem plerique minoris dignitatis nulla alia de cauſa excepti ſunt, quam quod Guiſianorum favore ſublevarentur: quod invidiam illis, ut indignis, beneficii auctoribus regia liberalitate ad libidinem abutentibus odium conciliavit.

VII. Interea Guiſiani ſolemnem inaugurationem [c] Durocortori Rhemorum more recepto celebrandam accelerant, qua regi, cujus jam mentem ac voluntatem poſſidebant, majorem apud vulgum dignationem quaererent. Eo conſilio per [d] Villeriam in Retia ſylva facto itinere cum rege ac Catharina [e] Nantolium venere, arcem nuper a Guiſio ipſo [f] Lenoncurianis veteribus ac bene meritis de Lotharinga familia amicis minus honeſta ratione ademptam. Rege Nantolii haerente, Guiſius Colinio, quicum adhuc amicitiam in ſpeciem colebat, ut eum a Borboniorum amicitia alienaret, in aurem inſuſurrat, Condaeum, clam ipſo, qui Picardiae praefecturam cum peninſulae Franciae provincia obtinebat, quod ambas retinere non poſſet, alteram, nimirum Picardiam, quam parens ejus ac frater Navarrus nuper adminiſtraverat, ambire. Id Colinii animum primo pupugit, ad deſpectum ſuum pertinere exiſtimantis, ſi Condaeus, ſe ignaro atque adeo invito, Picardiae praefecturam obtineret. Verum, ubi meram calumniam eſſe et rem aſtu Lotharingi cardinalis confictam intellexit, id molientis ut diſcordiam inter bene convenienteis amicos ſpargeret, eo ſibi diligentius agendum putavit, ut arctiore nodo ſe cum Condaeo conſtringeret. Cumque videret jam ſermonem injectum eſſe, quaſi ambas praefecturas retinere non poſſet, id eo pertinere arbitratus vir ſagax, ut ad alteram dimittendam cogeretur, conſilia adverſariorum praevertenda duxit; et, antequam ab ipſis cogeretur, Picardiae praefectura ſe ſponte abdicat, plus ſibi oneris impoſitum dictitans, quam ferendo par eſſet: quod ea ſpe ac fiducia fecerat, ut ea Condaeo demandaretur; quam ille eodem tempore ex compacto apud regem ambiebat. Verum ambo ſpe ſua falſi ſunt. Nam

Guiſiani,

INTERPR. [a] *le chancelier Olivier.* [b] *armes à feu & piſtolets* [c] *Rheims.* [d] *Villiers Coſteretz.* [e] *Nanteuil.* [f] *de Lenoncourt.*

Guiſiani, qui parum actum exiſtimabant, ſi Colinii abdicatione provincia Condaeo attribueretur, apud regem et Catharinam pervicerunt, ne quod petebat impetraret, praefectura ea in Briſſacum alioqui ſummae virtutis atque de nomine Gallico optime meritum ducem tranſlata. Quo facto et potentiam Condaeo injurioſe repulſo oſtentarunt, et Briſſacum ingenti beneficio ſibi devinxerunt, qui ab eo tempore ſemper Ipſorum partibus addictus fuit. [a] Nantolio rex [b] Durocortorum tendit, quo et Carolus Lotharingiae dux et Claudia ſoror honoris cauſa ad eum venere. Magna ibi pompa ac celebri procerum frequentia peractae de more ceremoniae; quibus interfuere praeter Lotharingos Navarrus nondum in [c] Aquitaniam profectus, A. Momorantius, Odetus cardinalis et G. Colinius fratres. Rex inauguratus eſt ſacra faciente cardinali Lotharingo Rhemorum antiſtite, XII Kal. Octobr. Dum Durocortori eſſent, Catharina, ne ullum a turbis vacuum tempus elaberetur, Odeti et Colinii interventu cum Momorantio agit, et ipſi perſuadere conatur, ut [d] magiſtri palatii dignitate, quae ipſi ab aula remoto inutilis eſſet, et jam a Guiſio exerceretur, in Guiſii gratiam ſe abdicaret: rem enim regi ac ſibi gratiſſimam facturum. Id ubi per Colinios ad avunculum perlatum eſt, ille initio ſe excuſare, et eam dignitatem Henrici beneficio in filium collatam dicere: ac proinde invitum facere, ut filii, cujus fortunae amplificandae ſtudere debeat, dignitas ſe auctore minuatur. Cum contra urgeret Catharina, et inde minis occultis, hinc ſpe facta, ut Franciſcus natu grandior Annae filius, qui jam ea dignitate a marito ornatus fuerat, tribunus equitum crearetur, quod aetati ejus convenientius erat, ille cogitaturum ſe, et, cum primum domum revertiſſet, reſponſurum pollicetur. Igitur, ubi [e] Cantiliam venit, re cum amicis conſultata, cum vim paratam videret, et exiſtimationis ſuae intereſſe arbitraretur, ne cogi videretur, filio auctor fuit, ut conditionem acciperet; et, poſtquam tribunus equitum creatus eſſet, magiſtri palatii dignitatem in regis manus, non in Guiſii gratiam, ne ab adverſario neceſſitatem ſibi impoſitam agnoſceret, ejeraret. Ille igitur [f] Bloëſas, ubi tum rex erat, profectus, priore dignitate abdicata, alteram ſuſcepit; et tribunus equitum extra ordinem creatus eſt. Tunc et una cooptatione XVIII equites creati ſunt, Guiſianorum ambitione, quo plureis homines ſibi obſtringerent, majore quam uſquam antea numero poſt primam ordinationem a Ludovico XI anno [α] CIƆCCCCLXIX factam; [β] honore illo, qui virtuti ac meritis prius tanquam eximium operae gnaviter militaribus ſtudiis inſumptae pretium ac praemium dabatur, ſenſim vileſcente; adeo ut Carolus [g] Tiercellinus Rupimanius antiqui moris eques mordaci dicterio indignabundus ſaepius diceret, torquem conchyliatum, poſtquam indignis promiſcue communicari coepiſſet, non jam eſſe fortium virorum inſigne, ſed omnium beſtiarum collare. Peractis inaugurationis atque ordinis ceremoniis, rex Barrum venit: atque ibi jam tum, Catharina ac Guiſianis auctoribus, actum eſt, ut rex ſupremum jus ac imperium in [h] Barrenſi principatu in Lotharingiae ducis ſororii gratiam a ſe abdicaret, detrimentoſo ac perfidioſo conſilio, quo imperii Gallici majeſtas manifeſte minuebatur ac convellebatur. Barro [i] Catalaunum ad Matronam, et inde [k] Fontembellaquaeum ventum; ubi aliquanto tempore rex ſubſtitit.

VIII. DUM ſenatorum Henrico rege in carcerem conjectorum Franciſci auſpiciis cauſa renovata agitaretur, paſſim per urbem in plebem ac miſeros homines Card. Lotharingi juſſu anquirebatur; [l] Santandreani vero praeſidis ac Antonii [m] Democharis opera, qui, ut toto regno terrorem ſui ſpargerent, Id in regia urbe agi ad exemplum maxime pertinere arbitrabantur. Praecipui ad eam rem adminiſtri erant

Ruſſangius

VAR. LECT. [α] CIƆCCCCXCIV P. [β] ita honore P. D. o. f d.

INTERPR. [a] *Nanteuil.* [b] *Rheims.* [c] *Guienne.* [d] *Grand Maiſtre de la maiſon du Roy.* [e] *Chantilly.* [f] *Blois.* [g] *Tiercelin de la Roche-du-Maine.* [h] *le duché du Bar.* [i] *Chaalons ſur Marne.* [k] *Fontainebleau.* [l] *le préſident de S. André.* [m] *de Mouchy.*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

[a] Ruſſangius qnidam et Claudius [b] David aurifices, Georgius [c] Renardus ſartor, olim novam religionem profeſſi, ac proinde rerum harum gnari. His acceſſere, ſpe lucri an poenae metu, juvenes duo, qui opificibus, ut fit, artis addiſcendae gratia operam pretio addixerant, a quibus mercedis defectu aut maleficii cauſa male mulctati transfugerant; et apud curionem quiſque ſuum illicitas coitiones in urbe fieri confeſſi fuerant, delatione inſigni mendacio cumulata. Nam non ſolum nocturnos conventus haberi, ſed etiam in iis promiſcuos concubitus, extinctis lucernis, exerceri aiebant: quoque majorem fidem facerent, iis ſe, cum forte in aedibus cujuſdam advocati in [d] Mauberti platea, qno magnus virorum ac foeminarum omnis conditionis numerus confluxerat, haberentur, interfuiſſe; et poſt appoſitum atque Paſchalis agni inſtar a ſingulis deguſtatum porcum lactentem, ſublato lumine, cunctos in vagam libidinem effuſos: et unum quidem ex ipſis cum advocati illins filia bis terque rem habuiſſe impudenter affirmabant. Iis quamvis turpitudinem ſuam fatentibus fides habita: ex eoque longe maximum odium in Proteſtanteis apud nos conflatum, accepta pronis auribus calumnia. Ita illi ſive teſtes ſive accuſatores a plebanis ſuis producti, et a Demochare auditi atque interrogati, poſtremo a Santandreano ad Card. [e] Lotharingum introducuntur; qui, re in majus exaggerata, eos coram Catharina ſiſtit, deteſtandi criminis horrore obſtructis omnium auribus, ne veritati contra calumniam audiendae paterent. Conſtat certe ab eo tempore commotam adeo Catharinam, ut ſemper alieno a Proteſtantibus animo fuerit. Tandem capto advocato, uxore ac filia, et teſtibus repertis atque inter ſe adverſus reos [f] Olivarii juſſu, cui de calumnia ſuboleverat, commiſſis, variare illi, dein et a vero diſſentanea dicere coeperunt, ac poſtremo vanitatis fraudiſque nefariae convicti ſunt. Inultum tamen eorum crimen manſit, praevalente adverſus reorum innocentiam publico odio. Antequam calumnia detegeretur, ex iis quippe cognitum fuerat quibus in locis clandeſtini illi coetus haberentur, conferto agmine viri foeminaeque in vincula conjectae fuerunt: multi, ut periculum anteverterent, fuga ſaluti conſuluere; quorum bona annotata et mox ſub haſta publicata ſunt. Ac videre erat paſſim per urbem omnis generis variam ſupellectilem praeconis voce divendi; abſenteis reos tribus edictis citari; vacuas aedeis proſcribi, in qnibus tantum relicti fuerant pueruli infantes, qui, quod fugitivorum fortunae comites eſſe non potuerant, lamentabili ejulatu vicos ac plateas paſſim rumpebant: quo ſpectaculo nemo non vel Proteſtantium cauſae infeſtiſſimus ſummopere commovebatur. Urbe diligenter excuſſa, reſtabat [g] Sangermanum ſuburbium, qnod vulgo parvam Genevam vocabant, quod poſtremae veſtigationi ſepoſitum erat. In eo aedeis conductas habebat [h] Vicecomes quidam nomine, tutum de religione ſuſpectis receptaculum, in vico [i] paludum dicto, ad quas Geneva et ex Germania hoſpites frequenter divertebant. Ad eas primus impetus factus, prius lictorum et apparitorum corona cinctas et obſeſſas, praeſente Thoma [k] Bragelono capitalium cauſarum quaeſitore. Cum ad menſam ſederent, qui intus erant, circiter XVI, fere omnes ad ſtrepitum irrumpentium huc illuc diſperſi, nec reſiſtere auſi, fuga dilabuntur: ſoli [l] Subſellii fratres ex nobilitate Andina, Navarrae regis domeſtici, ſubitam vim vi contraria repulerunt, ſtrictiſque gladiis multos ex imbelli vulgo illo vulnerarunt, ac ceteros in fugam verterunt. Vix periculo exemptus ipſe Bragelonus opera Vicecomitis, qui ſuo ac ſociorum capiti ex eo periculum procul dubio creatum iri providebat; quod minime vitavit. Nam ob id cum uxore ac liberis comprehenſus eſt: et, quia dies Veneris erat, quo carnium eſu interdicitur, praelatus ante eos capus lardi haſtulis confixus, ut populus ſpectaculo magis accenderetur. Ductus cum omni familia Vicecomes et in

tetrum

INTERPR. [a] *de Ruſſanges.* [b] *David.* [c] *Renard tailleur.* [d] *Place Maubert.* [e] *le cardinal de Lorraine.* [f] *le chancelier Olivier.* [g] *fauxbourg S. Germain.* [h] *le Viſcomte.* [i] *rue des Marets.* [k] *Bragelonne, conſeiller au Chaſtelet.* [l] *Soubſelles d'Anjou.*

tetrum carcerem conjectus paedore et ſqualore miſerabiliter periit. Interim dilapſis [a] Subſelliis, lictores, qui foris remanſerant, in vacuas aedeis invadunt, ac praeda a ſociis relicta potiuntur. Exinde, ſumpto ab urbe principe exemplo, per ceteras Galliae urbeis eadem agitabantur; ac praecipue [b] Auguſtoriti Pictonum, [c] Toloſae in Septimania, [d] Aquis Sextiis, ac paſſim per Narbonenſem provinciam, Georgio [e] Armeniaco cardinale, ut ſuſpecti comprehenderentur, omnem operam ac diligentiam adhibente. Quibus irritamentis novam religionem profitentium, qui jam numero audaciores redditi erant, et qui Lotharingorum dominatum ferre non poterant, accenſis animis, multa in Catharinam ac Lotharingos, qui rerum potiebantur, et regem ipſum, quamvis adultum, ſed qui ſub eorum veluti tutela erat, licentioſa et artificioſe quaſi pro publica libertate compoſita paſſim audiebantur. Sub id tempus Subſelliorum fratrum alter, Navarri familiaris, qui apparitorum ſtragem in Vicecomitis aedibus ediderat, in aulam venerat; et, gratia caedium in conflictu illo inopinato lictorum potius quam ſua culpa patratarum in Navarri gratiam impetrata, res ſuas in direptione aedium amiſſas contra publicos graſſatores magna contentione repoſcebat: quod iniquo animo ferens cardinalis, ut ſuis conſuleret, et importunas Subſellii querelas contra eos inſtitutas eluderet, ſive quod viri audaciam ſuſpectam haberet, quadam die in regis coenaculum ingreſſum a regiis ſtipatoribus comprehendi et in [f] Vicennarum caſtrum duci jubet: quo nuper [g] Araniae comitis juniorem filium includi juſſerat, quaſi fugae majoris natu fratris adminiſtrum et conſcium, qui inde evaſerat, et motibus contra reginam in Scotia excitatis, uti rebatur, cauſam dederat. Ibi et captivus adtinebatur [h] Coëſardus Aniani-fani juridicus praefectus, cum libellis aliquot in Catharinam ac Lotharingos ſcriptis deprehenſus, qui Navarro, ut et Subſellii fratres, res novas molienti conſilium dediſſe arguebantur; eoque diligentius cuſtodiebantur.

IX. Jamque palam et in circulis de Catharinae ac Lotharingorum poteſtate, an publicae adminiſtrationis jus illis eſſet, diſceptabatur; pleriſque per vim ac contra regni leges eam ab ipſis uſurpatam arguentibus: ſic enim edito ea de re libello, extremo Octobri, diſſerebant: Francogallorum imperium ab initio legitimum fuiſſe, nulla adhuc dominandi libidine corruptum: ſiquidem populos eos, armis ac virtute in alieno parta quia ſine rectore tueri non poterant, regem elegiſſe, in cujus familia ſucceſſores haberent. Nec vero illi, ut libitum erat, imperitabant, legum fraeno coerciti, quibus ipſi obtemperabant: iis vero in primis cautum fuiſſe, ut ſucceſſio ſemper ad proximos maſculos deferretur, excluſis foeminis earumque poſteris; quas homines militares et libertati aſſueti non ſolum a regni ſucceſſione removerunt, ne ſcilicet per earum connubia exterorum principum dominationi ſubderentur, verum etiam ab omni publicorum negotiorum procuratione abſtinere voluerunt; parum decori ac ſecuritati ſuae ſucceſſionis excluſione proſpectum exiſtimantes, ſi impotentium ingeniorum arbitrio regerentur: itaque, ſi regis aetas rerum agendarum capax non eſſet, proximioribus agnatis, ad quos ſucceſſionis ſpes pertinebat, quouſque rex adoleviſſet, regiae adminiſtrationis onus regni legibus mandatum fuiſſe: ac, ne interea regni opes et publicum aerarium exhauriretur, ex eoque libera gens tributorum collatione gravaretur, ordinum conventus, quos vulgo regni ſtatus vocant, prudentiſſime inſtitutos, ut unius potentia, plerumque nimia, procerum regni conſilio, tanquam optimatum imperio, temperaretur: ita effectum, ut, indictis ſolemni more totius gentis comitiis, in iiſque auditis omnium querelis, ſubſidia graveſcentibus malis publicis pararentur: inde eſſe, ut, quia univerſi ſe veluti reipublicae participare cernerent, ſummo obſequio imperium domeſticum colerent, regemque ſuum

praecipue

INTERPR. [a] *Soubſelles.* [b] *Poictiers.* [c] *Toulouſe en Languedoc.* [d] *Aix.* [e] *d'Armagnac.* [f] *Vincennes.* [g] *Jacques Hamilton, comte d'Arran, duc de Chaſtellerault.* [h] *Coiffard, bailli de St. Aignen*

praecipue venerarentur, ita ut nulla major populorum reverentia ac fides erga principes ſuos hiſtoriarum monumentis celebretur: inde tantum parendi amorem ſub aequabili principatu; qui ſi mutaret, vi externa aut ambitione labefactatis regni legibus, iniquum juxta Francis ac intolerabile id ſemper viſum: exempla in medio eſſe: nam, Ludovico Pio et Carolo Simplice clavum tenentibus, dein ſub Philippo I, B. Ludovico et Carolo VI Capevingis, cum palatii magiſtrorum et aliorum poteſtate abutentium libidine cuncta circumagerentur, civilibus prope diſcordiis florentiſſimum hoc regnum everſum fuiſſe: quid enim aequius eſſe, quam ut, qui rebus ſuis per aetatem ſupereſſe non poſſunt, ac praecipue reges, cum ſuos in poteſtate habere non poſſint, ipſi in aliena ſint, et ſalutari multorum conſilio regantur? ſic Ancum Martium filio Tarquinium tutorem reliquiſſe; ſic M. Antonium cognomento Philoſophum praecipuos ex amicis ac proceribus Commodo filio attribuiſſe; ita Theodoſium magnum impuberes filios Arcadium et Honorium in Stiliconis ac Rufini tutela reliquiſſe: idem Arcadium rurſus factitaſſe; et Iſdegerdem Perſarum regem teſtamento rogaſſe, ut Theodoſii junioris tutelam ſuſciperet vellet. Quid contra abſurdius, quod vulgo jactetur, regem interea regni tutelam parenti ac Lotharingis uxoris avunculis commiſiſſe? quaſi pupillo jus ſit ſibi tutores conſtituere, quodque jure inter privatos conſtitutum eſt, non multo magis in regis perſona locum habere debeat; cujus bona ac mala ad univerſos pertinent, et ex cujus recta adminiſtratione ſalus publica pendet: ſic uſum eſſe in Gallia; et, ſi quid juris ad ullos ea in re pertineat, id ad regii ſanguinis non ad externos principes porrigi debere, quos, illis rejectis, ad regni gubernacula admoveri non ſolum iniquum ſed etiam probroſum ſit: luculenta ea de re in noſtris annalibus exempla ſuppetere: nam, cum Carolus Pulcher anno CIƆCCCXXVII deceſſiſſet, [a] Joanna Ebroicenſi uxore gravida relicta, et incertum eſſet maſculum an foeminam paritura eſſet, gravem de ventris ac regni tutela exortam controverſiam fuiſſe, cum Edvardus III Angliae rex, Eliſabethae Caroli defuncti ſororis filius, eam ad ſe tanquam proximum pertinere contenderet, contra Philippus [b] Valeſius Caroli patruelis propter ſpem ſucceſſionis eandem ſibi arrogaret; tandem litem Ordinum regni decreto diremptam eſſe, et ventris cuſtodiam ac regni adminiſtrationem Philippo adjudicatam, rejecto Edvardo, quod extraneus eſſet: poſtea Carolum V, qui merito Sapientis nomen meruit, cum Carolum filium impuberem moriens relinqueret, teſtamento condito ordinaſſe, ut is apud Ludovicum Borbonium uxoris fratrem, ex regio quidem ſanguine, ſed ſucceſſionis ordine remotiorem, educaretur; regni adminiſtratio Ludovico [α] [c] Andium duci fratri demandaretur, quo uſque Carolus XIV annos impleviſſet, et ſolemni ritu in regem inauguratus fuiſſet: cum vero, qua erat prudentia, quod et ſuo ipſius periculo didicerat, provideret, innumeris turbis portam aperiri, ſi regnum alienis et non propriis auſpiciis regeretur, tranſlata, quamvis ad tempus, in eum, qui heres non exiſteret, poteſtate, regentis abolito nomine, in poſterum edicto ſanxiſſe, ut regii principes, quacunque aetate ad regni ſucceſſionem vocarentur, reges exiſterent, et regnum ipſorum auſpiciis adminiſtraretur: neque tamen omnino ejus voluntati ab regni Ordinibus obtemperatum fuiſſe: nam abolitum quidem regentis nomen, et regni curam Ludovico tanquam proximo commiſſam; ſed ea lege, ut illud ex concilii procerum ſententia adminiſtraret: nec prius Carolum VI tutela liberatum, quam XXII annum attigiſſet; quod tamen raro beneficio ac privilegio ei tributum annales memorant, ob amorem publicum et formae decus, quod in illo principe eminebat, ut ante XXV annum exactum regni per ſe adminiſtrandi capax judicaretur. Nec minores diſſenſiones ac motus in Gallia exarſiſſe, ſi quando foeminae rerum clavo admotae

VAR. LECT. [α] Andegavenſium *P.D.o.f.*

INTERPR. [a] *Jeanne d'Evreux.* [b] *de Valois.* [c] *Anjou.*

motae ſunt: ſiquidem ante LXXX circiter annos, poſt Ludovici XI mortem, qui regni heredem Carolum VIII paene infantem reliquerat, cum de tutela ejus et regni adminiſtratione diſceptaretur, eamque Anna ſoror grandior natu inde ad ſe traheret, hinc Ludovicus [a] Aureliani dux tanquam proximus agnatus ſibi arrogaret, regni ordinum [b] Caeſaroduni in Turonibus congregatorum decreto conſtitutum eſſe, ut rex apud Annam ſororem educaretur, ceterum ipſa a regni procuratione removeretur: Aurelianenſi vero, quod nondum XXIII annum exceſſiſſet, regentis munus, quod ambiebat, denegatum; ac decretum, ut ex regiorum principum ac procerum communi ſententia reſpublica adminiſtraretur: proinde neminem mirari debere, ſi Catharinae, ſi denique Guiſianorum potentia omnibus bonis adeo intoleranda videatur, ac praecipue Caroli cardinalis; quippe cum regni legibus prudenter a majoribus proſpectum ſit, ne ſacris addicti et pontifici obnoxii ſummam rerum in Gallia teneant: ea de cauſa olim Joanni [c] Dormanio Bellovacorum epiſcopo ac Franciae cancellario adempta ſigilla a Joanne, quod in cardinalium collegium cooptatus duobus dominis ſervire non poſſet: ob eandem cauſam Joannem [d] Baluam et Thomam [e] Wolſaeum cardinaleis a Ludovico XI et Henrico VIII Anglorum rege male mulctatos eſſe, quod per eos magnas calamitates regnis utriuſque importatas conſtaret: Venetum ſenatum, qui merito omnis civilis prudentiae officina vocari debeat, id diligenter cavere; apud quem ſacris initiati nullam reipublicae partem attingunt: memoria vero patrum noſtrorum pervulgatum, quid cardinalis [f] Ambianenſis Joannes a Grangia, Carolo VI rege, molitus ſit; qui, majore patientia quam decuit toleratus, poſtremo Francia excedere coactus eſt, ablatiſque ingentibus theſauris, potentia in regno parta non minus abſens pernicioſe uſus eſt, quam praeſens fecerat: duos tantum extitiſſe cardinaleis apud nos, Georgium [g] Amboſium et Antonium [h] Pratenſem, qui regni amplitudini ſtuduerint: ſed eorum tamen opera caute uſos prudentiſſimos principes, Ludovicum XII et Franciſcum I; ut, cum ſcilicet de pontificis cauſa ageretur, nunquam in ſecretius conſiſtorium admitterentur: ita illorum auctoritatem regno minus noxiam fuiſſe: qua in re tamen pleroſque maximorum principum prudentiam deſideraſſe: Lotharingorum vero potentia quam ſuſpecta eſſe debeat, neminem latere; quippe non jam in aurem ſed palam genus ad Carolovingorum gentem referentium, quibus ab Hugone Capeto illuſtriſſimae gentis, quae tot annos in Gallia feliciter regnat, ſtipite, hereditario regno pulſis injuria facta fuerit: ad has falſas et contra hiſtoriae veritatem confictas origines, non obſcurum eſſe quid nuper adjecerint, [i] Andium principatum ſibi injuſte ereptum et [k] Provinciae comitatum paſſim clamitantes, aſſumpto etiam Andegavenſium nomine et inſignibus, ut ſic paulatim homines externi ſe familiae regiae quaſi inſerant: atqui jure prohibitum eſſe, ne qui ad pupilli tutelam admittantur, qui actiones contra eum habeant; quod inter privatos legibus conſtitutum multo magis in regnorum adminiſtratoribus locum habere, quippe in quibus majus periculum et ad pluteis pertineat: nam ea ſpecie tranſlata plerumque regna: notam Tarquinii Priſci in Anci Martii liberos perſidiam: nota Cleandri, et eorum ipſorum, qui jam memorati ſunt, Rufini et Stiliconis pernicioſa conſilia contra ſalutem Imperii defectionem molientium: ſed inſigne Hieronymi Siciliae regis in primis exemplum eſſe, quod a T. Livio proditur: ei ſiquidem XV annos nato ab Hierone parente XIV praecipuos ex amicis teſtamento attributos, qui cum Athenodoro patruo pupillare regnum adminiſtrarent: Athenodorum vero, qui eadem cognationis praerogativa, qua Guiſiani tument, potentiam venditabat, jam ne-

ſas

CIƆIƆLIX.
FRANCISCUS II.

INTERPR. [a] *d'Orleans.* [b] *Tours.* [c] *de Dormans, evêque de Beauvais.* [d] *de Baluë.* [e] *Wolſey.* [f] *Jean de la Grange, cardinal d'Amiens.* [g] *d'Amboiſe.* [h] *du Prat.* [i] *Anjou.* [k] *Provence.*

CIƆIƆLIX. FRANCISCUS II.

fas animo agitantem Hieronymo puero perſuaſiſſe, ſi rex eſſe vellet, ut tutorum importunam turbam ſummoveret, et ipſe per ſe regnum gereret: atque illum quidem, inter adulationes et in licentia enutritum, male ſuadenti patruo faciles aures praebuiſſe, et, amotis pueritiae ſuae a bene conſulto patre datis moderatoribus, ſe totum Athenodoro mancipaſſe, qui ex ea occaſione mox in ipſum conjuraverit, voto procul dubio potiturus, niſi nobilitas ejus inſidias mature detectas praevertiſſet: quo vero pertineat tam comis erga pontificem ac Romanam ſedem obſervantia ac cultus, neminem non videre; nimirum, ut iiſdem artibus, quibus olim Carolus Martellus ac Pipinus, ad quos illi falſo genus ſuum referunt, ad regni faſtigium graſſati ſunt, a Capevingis, a quibus majores ſuos ſpoliatos muſſitant, illud extorqueant: ea ſpe ac conſilio cardinalem violandarum induciarum Henrico auctorem exſtitiſſe, ut, fratre cum potenti exercitu ad regni Neapolitani expeditionem profecto, ſi caſus ferret, mortuo interim pontifice, ipſum in ejus locum ſuffici, fratri regnum Gallicis auſpiciis in poteſtatem redactum pararet: quam vero id toti regno exitioſum fuerit, ſcire omneis: nam, flore nobilitatis ac robore Gallico fere omni in Italiam abducto, regnum viribus exhauſtum, irritato hoſti ac validis opibus ſubnixo ad praedam relictum atque adeo proditum: eo ſiquidem [a] Sanquintinianam cladem referendam eſſe, et alteram [b] Gravelinganam, cujus itidem culpa in Guiſii affectatam poſt captum [c] Theodonis-villae oppidum moram rejici debet: ita regni viribus attritis ad turpem juxta ac damnoſam pacem poſtremo regem adactum eſſe; pacem, quae bello pejorem temporum conditionem ac triſtiorem faciem induxerit: his de cauſis periculoſum videri, ſi contra regni leges rerum ſumma eorum fidei committatur, qui erga regem adeo male affecti, et iniquas ſpes jampridem animo conceptas, ſi diutius ferantur, in communem perniciem propediem exſecuturi ſint. Adverſus hos rumores ac publicas querelas Guiſiani, qui rem verbis agi cernerent, opus facto exiſtimantes, Italorum cuſtodias, quod aſſuetis non ſatis fiderent, adhibent, ſui potius quam regis munimento. At, quod iis ſermonibus etiam Catharinae auctoritas ſugillaretur, Jo. [d] Tilius curiae protonotarius, juris noſtri apprime ſcieus, ſed obnoxius, edito libello, cui de regis majoritate titulum fecit, rationes eas convellere conatus eſt, compilatis ſtatutorum municipalium pleriſque capitibus; quibus demonſtratur, apud nos tutelam fere pubertatis annis finiri, neque ultra XV annum extendi: itaque licuiſſe ſemper ac licere regibus noſtris in ea aetate, quos vellent, ſummae rerum praeficere et conſiliarios penes ſe habere. Tum prolatis exemplis probat, regni tutelam non ſemper ad proximum agnatum delatam fuiſſe: nam ſic Henricum I, ſpreto Roberto fratre, Philippum filium Balduini Flandriae comitis ſororii ſui curae commiſiſſe: Ludovicum item juniorem Philippi Auguſti filii tutelam [e] Rhemorum archiepiſcopo, poſthabitis fratribus, detuliſſe, donec is XV annum attigiſſet; ita enim in ipſius teſtamento perſcriptum eſſe: denique Ludovicum VIII Ludovico IX filio Blancam matrem, poſthabito Philippo fratre, tutricem dediſſe, eamque regni regentem dixiſſe: reges vero VII et IX Ludovicos, cum ad ſacrum bellum proficiſcerentur, ſaepius [f] Dionyſii-ſani coenobiarchas per ſuam abſentiam ſummae rerum praepoſuiſſe, ac regenteis nominaſſe. Ultimum argumentum ab edicto Caroli V petebatur. Addebatque, durum alioqui videri, ut rex, quod regni legibus ac per ſe poſſit, externorum ac finitimorum arbitrio concilium ſibi deligat; in eo haud obſcure Proteſtanteis ſugillans, qui Germanos principes confeſſionis Auguſtanae ſocios ſollicitaverant, ut ſe rebus noſtris interponerent, quo legitimum in Gallia concilium conſtitueretur. Tum aperte Proteſtanteis inſectatur, [α] et auctorem ſcripti in primis, quem Achitophelem alterum appellat, quaſi harum turbarum ac rumorum auctores:

miniſtroſque

VAR. LECT. [α] et auctorem ſcripti in primis, quem Achitophelem alterum appellat *deſunt P.*

INTERPR. [a] *de St. Quentin.* [b] *de Graveline.* [c] *Thionville.* [d] *du Tillet, greffier du parlement* [e] *de Rheims.* [f] *les Abbés de St. Denis.*

miniſtroſque ſeditionum tubicines vocat, adverſus quos tanquam ſectarios arma jure ſumi poſſe ac debere dicit. Huic libello mox contrarius publicatus eſt; et ad argumenta illius reſponſum: et, quod ad jura municipalia attinet, ea ad privatas perſonas, non ad reges ac regni ſucceſſionem porrigi, vel ipſius Tilii, qui ea producit, teſtimonio: Henrici vero exemplum minime ad rem facere; quippe cum Robertus frater ejus majeſtatis crimine teneretur, ut qui regnum Henrico eripere conatus fuiſſet: ideoque, ſuſpecto illo, jure alteri tutelam demandatam fuiſſe: et conſtare annalium noſtrorum fide, Vaſcones, quo minus ad regni adminiſtrationem Robertus admitteretur, interceſſiſſe, quod ejus fidem ſuſpectam haberent, ſicuti nunc de Guiſianorum fide omnes boni merito dubitant: longe diverſam eſſe rationem, cum pater liberis tutores teſtamento dat, atque cum liberis, patre inteſtato mortuo, tutores a lege dantur: falſum eſſe, quod de Ludovico juniore affertur: nam, ſi hoc eſſet, nunquam Rhemorum antiſtes regno praefuiſſet; quippe cum Philippus Auguſtus eo tempore, quo pater ejus deceſſit, jam XVI annum exceſſiſſet: fratres vero illius propterea ab hoc munere excluſos fuiſſe, quod partim in vitam ſolitariam conceſſiſſent, partim rebus ſuis ipſi ſupereſſe non poſſent: verum neque illud, neque Ludovici VIII exemplum quidquam ad rem pertinere; quippe cum hi tutores filiis ſuis dederint, idque regni ordines poſſe comprobaverint: at Henricum nuper mortuum nullos liberis tutores reliquiſſe; ac proinde rem ad regni ordines devolutam, ex quorum ſententia juxta regni leges legitimum concilium conſtitui debeat: jam, quod de Ludovico VII ac IX proponatur, qui profecturi in Syriam non proximos agnatos ſed plerumque abbates in Gallia regenteis reliquerint, minus ad rem facere; nam illos, quod teſtamento potuerint, multo magis ſuperſtites facere potuiſſe: porro edictum Caroli V ita tenuiſſe, ut nihilominus non prius Carolus VI regni heres ad publicam adminiſtrationem admiſſus ſit quam XXII annos expleviſſet, contra quam edicto illo ſanciebatur; ſed ad id uſque tempus penes legitimum concilium, quod ex regni principibus ac proceribus conſtabat, ſummam poteſtatem fuiſſe, atque id ipſum regni ordinum decreto [a] Caeſaroduni convocatorum obtinuiſſe: proinde non recte facere auctorem libri de regis majoritate, qui, cum noſtri juris maxime peritus ſit, et regia jura tueri debeat, ingenio ſuo ad injuſtam potentiam in publicum exitium ſtabiliendam turpiter abutatur; nec ad id reſpondeat, quod tanquam praecipuum urgeatur, nimirum Guiſianos, utpote externos ac ſuſpectos, ab adminiſtratione regni removendos eſſe: ſed, eorum mentionem tanquam ſcopulum maligne praetervectus, venalem calamum in Proteſtanteis veluti publicae quietis turbatores ſtringat, Achitophelem ab ipſo in extremo libro ſuo memoratum verbis et ingenio gnaviter exprimens; atque, ut ille fidelem populum praepoſtero recti ac juſti ſtudio ad fundendum ſanguinem accendebat, ſic et ipſe ſeditionibus ac caedibus promiſcuis ducem ſe atque incentorem praebens. Is liber pro tempore Guiſianorum odio, in quorum gratiam editus [a] ferebatur, in multas reprehenſiones incurrit; qui mox, Carolo IX rege puero, mutata rerum facie, in uſum revocatus fuit a Michaële [b] Hoſpitalio, poſtquam, factionibus ſciſſo regno, eorum ambitione, qui ſummam potentiam ad ſe trahebant, reſpublica periclitari coepit; tantumque auctoritatis meruit, ut inter conſtitutiones regias referretur. Praecipua tunc cura Guiſianorum erat, ut aerarium bellis ſuperioribus exhauſtum omni ratione vel cum aliena injuria ſuppleretur, ſalubri in ſpeciem conſilio; verum, ut adverſarii jactabant, quo privatis libidinibus eo amplificato plenius indulgerent. Nam ex cunctis fere regni provinciis ad novum regem confluebant, qui debita, remunerationes, beneficia importunis flagitationibus exigebant: quibus cum ſatisfieri non poſſet, ut eorum petitiones unica reſponſione expungerentur, CIↃIↃLIX. FRANCISCUS II.

praefracti

VAR. LECT. [a] fuerat *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *le chancelier de l'Hoſpital*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

praefracti juxta et inhumani conſilii regi, qui adhuc ad [a] Fontem-bellaqueum erat, auctores fuere, ut, patibulo erecto, edictum proponeret, quo omnes, cujuſcunque conditionis eſſent, qui quavecunque de cauſa vel debiti vel remunerationis aut beneficii a rege impetrandi in comitatu eſſent, intra XXIV horas aula excederent; ni parerent, ignominioſe patibulo ſuffigerentur. Id ab ingenio cardinalis profectum utriſque fratribus maximum odium conflavit; quorum ludificationes permulti utcunque animo aequo tuliſſent, tam atroces injurias haud aeque perferre potuerunt: militares viri praecipue, qui egregie bellis ſuperioribus navatae operae hanc mercedem rependi indignabantur.

X. JAMQUE rex longa ac taedioſa quartana ſolutus ſic in dies magis creſcebat, ut ex corporis habitu jam aptus regno adminiſtrando videretur: quod ut Guiſianorum vota adjuvabat, ita adverſariorum querelae ut minus ponderis apud multos haberent efficiebat. Sed dubia nihilominus regis valetudo Guiſianos anxios tenebat: nam, primo pallida ac livida facie cum eſſet, repente foedis ruboribus ſuffundi coepit. Igitur mutandi aëris cauſa ex medicorum conſilio [b] Bloëſas, ut liberiore et a teneris familiari ſibi coelo frueretur, proficiſci ſtatuit. Ubi Bloëſas venit, ex dubiae valetudinis occaſione impudens juxta ac malignum commentum ſpargi coepit, regem elephantiaſi laborare: repertique homines cum ſecretis, uti ferebatur, mandatis miſſi, qui inhumana audacia pueros infra ſex annos per regiones Ligeri circumpoſitas matrum gremio avulſos tanquam victimas ad certam necem raperent; ut ſcilicet calenti eorum ſanguine rex in hauſtu ac balneo ad vitioſum ſanguineae maſſae habitum corrigendum uteretur: ſic enim praeſcribere medicos. Id an a Guiſianorum inimicis an ab ipſis Guiſianis confictum eſſet, incertum [α] ferebatur, qui jam tum viam ad majora ſtruentes familiam regiam populo inviſam reddere, et, interim rejecto in Proteſtanteis tanquam nefandae calumniae architectos odio, regis animum in illorum perniciem exacerbare ſatagebant. Certe tunc Proteſtantes ſcriptis editis id ex cardinalis Lotharingi officina prodiiſſe aiebant, non tam regis odio, ſub quo rerum potiebatur, comminiſcentis, quam ea re Gallorum, quatenus impotentem ipſorum dominatum ferre poſſent, patientiam periclitantis. Capti ex emiſſariis illis nonnulli et extremo ſupplicio affecti; atque in iis unus, qui animo uſque ad ultimum vitae ſpiritum obſtinato, ejus rei mandatum a Card. Lotharingo habere ſe, pertinaciter aſſeveravit. Utcunque ſit, ſane conſtat, regem ex matre ſero admodum menſtruas purgationes paſſa prognatum ab infantia male affecta valetudine fuiſſe: ut qui, per nareis mucore nunquam emiſſo, raro per os excreatu purgaretur, decumbente interim in auriculam excrementorum colluvie, ac per eam praeter naturam exonerante ſe cerebro; quod tandem lethali putrefactioni cauſam praebuit.

XI. INTEREA Annae [c] Burgi ac ceterorum, qui carcere detinebantur, ſenatorum cauſa urgebatur a Guiſianis; qui ſe hoc facto vulgi gratiam captare et invidiam de ipſorum violento dominatu amoliri arbitrabantur. Burgus, antequam ad [d] Senonenſem [β] archiepiſcopum appellaret, more apud nos recepto a ſententia epiſcopi Pariſienſis perperam lata tanquam abuſiva ad curiam provocaverat: quod regni ſecretum ad aſſerendam religionem et regiam majeſtatem tuendam contra ſacerdotalem juriſdictionem, ſi quando poteſtate legitima eam abuti contingit, a majoribus inventum eſt, et laudibili conſuetudine atque eventu jam multos annos in Gallia feliciter uſurpatum. In curia cauſa publice diſceptata, praeſentibus Lotharingo et Senonenſi cardinalibus, licet a Burgo, tanquam ſuſpectis, libello ſupplice rejectis, appellatio frivola declarata eſt: atque ita cauſa ad Senonenſem devoluta epiſcopi Pariſienſis ſententia confirmatur: rurſuſque ad curiam abuſus obtentu reditur, ubi

frivola

VAR. LECT. [α] ferebatur *deeſt P.* [β] archiepiſcopum *deeſt P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Fontainebleau.* [b] *Blois.* [c] *du Bourg.* [d] *de Sens.*

ſrivola itidem appellatio prioris placiti praejudicio declaratur. Tandem a [a] Lugdunenſi antiſtite, is erat tunc cardinalis Turnonius, Senonenſis ſententia confirmatur: et ita tribus conſentientibus ſententiis damnatus [b] Burgus ad epiſcopum ſuum, hoc eſt, Pariſienſem remittitur; a quo ſacerdotali charactere cum tanquam indignus ritu recepto privaretur, lituram hanc ſe libenter ac laeto animo pati teſtatus eſt, quod, ita ſigno beſtiae, cujus in Apocalypſi fit mentio, [*] deleto, nihil ſibi porro cum antichriſto futurum commune eſſet. Hoc longo appellationum ſufflamine protelata in complureis menſeis cauſa, multi a Burgo effugium quaeſitum interpretabantur. Nam interrogatus initio ambigue de religionis capitibus reſponderat; et amici eum monebant, ut temperatis reſponſionibus judices molliret, ac ſe judicio ſubduceret. Contra, qui confeſſionem novam amplectebantur, miſſo e ſuo ordine paſtore, in ſententia ut perſtaret, hortabantur, neu torpi tergiverſatione Dei cauſam desereret, qui ipſum minime deſerturus eſſet: plus in Deo quam hominibus praeſidii poſitum; tantum perſeveraret, neque vitam temporariam contra ſempiternam beatitudinem aeſtimaret: ſi conſtantiam retineret, caſuros judicibus quantumvis infeſtis animos; et, ſi quidem Deus aliter decreviſſet, manere eum aeternam gloriam, et ipſum coram Deo cum angelis et felicium coetu triumphaturum, relicto apud homines egregio virtutis omni conditioni anteferendae exemplo: proinde amicorum hortatus miſſos faceret, qui corpori ejus, non animae et exiſtimationi conſulerent; ac ſe conſtantiae ad certamen forti et intrepida conſcientia capeſſendum accingeret. Praevaluere adverſus amicorum conſilia hae voces: et Burgus ſcriptis ad coetum Pariſienſem literis teſtatur, ſe non vitae conſervandae ac producendae cauſa his juris remediis uſum; ſed ne quid praetermiſiſſe videretur, quod ad jus ſuum tuendum pertineret, et ut, quo pluries cauſa diſceptata eſſet, eo magis veritas illuſtraretur. Igitur porrecto curiae libello priorem confeſſionem ut ambiguam revocat, et novam prorſus cum Helvetica ac Genevenſi congruentem proponit; in qua, vehementer contra pontificem debacchatus, ſe vivere ac mori paratum demonſtrat. Sub id tempus venere a Friderico Palatino ſeptemviro ad regem literae; quibus a Burgo extremum ſupplicium deprecabatur, et eum ſibi tradi ſummi beneficii loco poſtulabat. Nec multo poſt XVIII Decembris Antonius [c] Minarius praeſes, dum palatio domum, quae longius aberat, redit, obſcura jam nocte inſidiis exceptus ſcloppeto tranſverberatur. Eadem, ut poſtea compertum eſt, fortuna [d] Magiſtrum et Santandreanum manebat, ſi eo die hora pomeridiana in ſenatum veniſſent. Minarius praecipuus Henrici incentor et alioqui vitae ſolutae [**] homo a Burgo tanquam ſuſpectus fuerat rejectus, addito, niſi rogatus ſponte abſtineret, fore, ut ex alia cauſa coactus judicio non intereſſet: quod a praeſaga potius quam conſcia mente profectum, tamen ita acceptum eſt, quaſi Burgus de inſidiis illis aliquid cognoviſſet. Caſus is maturandae ejus necis cauſa extitit, verito cardinali, qui judicium urgebat, et hoc ad Henrici memoriam pertinere [*** aiebat,] ne rex Palatini precibus expugnari ſe pateretur, et in ejus gratiam Burgum liberaret, et alioqui audaciae paucorum, qui tam immane facinus in Minarii caede patraſſent, inſigni ſeveritatis exemplo obviam iri debere cenſente. Itaque triduo poſt a delegatis judicibus Burgus ad mortem damnatur. Sententia, ut fit, coram ipſo recitata, nullum conſternati animi ſignum dedit; ſed ignoſcere ſe judicibus dixit, qui ſecundum conſcientiam, non ſecundum ſcientiam et veram Dei ſapientiam judicaſſent. Tum multa de aeterno

Dei

P. [*] *et quam pontificem Romanum interpretabatur,*
P. [**] *atque ad voluptates projectae*
P. [*** *blaterabat*]

INTERPR. [a] *de Lyon.* [b] *du Bourg.* [c] *Minart.* [d] *le Maiſtre & de St. André.*

Digitized by Google

Dei judicio, et quaſi converſa ad judices oratione, praefatus, tandem commotior in haec verba deſiit; Jam tandem igneis veſtros et incendia reſtinguite, atque ad Deum emendata priore vita mentes convertite, ut peccata vobis condonentur ac deleantur. Iniquus derelinquat viam ſuam, omiſſiſque perverſis conſiliis, ad Dominum convertatur, et ipſe ejus miſerebitur. At vos vivite et valete, o ſenatores, et in Deo ac de Deo indeſinenter cogitate: ego libens ad mortem pergo. His dictis, [α] quae ex actis publicis tranſcripta ſunt, plauſtro impoſitus, magna equitum ac peditum armatorum caterva ſtipante, quaſi periculum ſubeſſet, ubi ad S. [a] Joannis plateam venit, qui locus erat ſupplicio deſtinatus, pauca apud populum, uti receperat, prolocutus, evangelii ſe cauſa nimirum, non tanquam latronem ad mortem damnatum, ipſe ſe veſte exuit: et, cum in altum attolleretur, aliquoties auditus eſt haec verba pronuncians, Deus mi, ne me derelinquas, ne ego te derelinquam. Eliſis mox laqueo faucibus, corpus in ignem conjicitur. Hunc exitum habuit Annas Burgus, cum XXXVIII annos vixiſſet; [β] [b] Rigomagi praecipuo in Arvernis oppido natus, honeſta ac locuplete familia, ex qua olim [γ] [c] Antonius Burgus Franciae cancellarius ſub Franciſco I prodiit. Cum vero magna cum laude juris ſcientiam [d] Aureliani profeſſus eſſet, inde Pariſienſis ſenator majore integritatis gloria in eo ordine claruit, multorum votis ac precibus, dum in carcere eſſet, etiam eorum, qui ipſius de religione ſententiam minime probabant, adjutus et commendatus, ac poſt mortem veris lachrimis deploratus. Illorum vero, [* qui a majorum ſacris defecerant,] animos partim conſtantia ſua ita confirmavit, partim exacerbavit, ut ex ejus cineribus ampla defectionum ac conjurationum ſeges enata credatur; quae regnum antea florentiſſimum diu poſtea male habuit.

XII. SECUNDUM haec, de reliquis ſenatoribus delegati recuperatores cognovere. Diſſidebant inter ſe magna, quam vocant, camera, et [e] rerum capitalium claſſis, in poenis contra ſectarios ſtatuendis: et illi quidem extremo ſupplicio, hi cum iis exilio ac mitioribus poenis agendum cenſebant: idque cauſam Mercuriali conventui dederat. Eapropter Euſtochius [f] Porta, dum ſententiam diceret, horum prudentiam ſupra modum extulerat, illorum oblique ſugillata ſeveritate. Itaque recuperatorum judicio coram univerſo ſenatu declarare juſſus eſt, placita ſe magnae camerae ut juridica nec in dubium revocanda laudare et omni reverentia proſequi. [g] Foxius vero, quod in poenis decernendis diſtinctionem adhibendam cenſuiſſet; nimirum eos, qui rem ipſam in religionis myſteriis negant, gravius puniendos; illos, qui formam tantum ac modum, mitius; itidem cunctis claſſibus convocatis declarare juſſus eſt, in altaris ſacramento formam a materia inſeparabilem eſſe; nec alia forma ſacramentum illud exhiberi poſſe, quam qua in Romana eccleſia exhibetur. Decreto inſuper additum, ut annum a ſenatu abſtineret. In Ludovici [h] Fabri cauſa majus negotium fuit, cum ille generoſe admodum ſe defenderet, et eo animoſius ab inimicis oppugnaretur. Nam libello curiae porrecto ſibi miraculoſe revelatum dicebat, (his verbis rem expreſſerat, ne quenquam nominare cogeretur, et ex eo illi periculum crearet,) [i] Santandreanum, qui judicio praeerat, non ſolum ſingulos judices prenſare, ſed etiam intentato metu ac minis eos a libere dicenda ſententia deterrere; ac proinde, ut rejiceretur, rogabat. Sed, cum teſteis minime nominaret, tandem damnatur, quod perperam ac temerario auſu dixiſſet, ad extirpandas haereſeis ſynodi oecumenicae celebrationem optimum et unicum remedium eſſe, interim capitalibus poenis in ſectarios minime animadverti debere. Ob id veniam

a

P. D. o. [* *qui a pontifice defecerant,*]

VAR LECT. [α] quae ex actis publicis tranſcripta ſunt *deſunt P. D. o.*
[β] Rionii P.
[γ] Ludovicus P.

INTERPR. [a] *S. Jean en Greve.* [b] *Riom en Auvergne* [c] *Antoine du Bourg.* [d] *Orleans.* [e] *la Tournelle.* [f] *de la Porte.* [g] *de Foix.* [h] *du Faur.* [i] *le preſident de St. André.*

a Deo, rege ac juſtitia implorare, et quinquennium a ſenatu abſtinere juſſus eſt, addita 10 librarum Francicarum mulcta in pauperes erogandarum: quod ideo adjectum eſt, ne, cum ad tempus tantum munere privatus eſſet, nihilominus infamia notatus intelligeretur. Additum inſuper, ut decretum coram univerſo ſenatu recitaretur, et executioni demandaretur. Quod dum fit, Faber, ut erat animo intrepido, de ſententia tanquam vitio lata ac per vim et metum judicibus injectum a Santandreano expreſſa proteſtatus eſt. Et quidem factum de vi, quod palam erat, contra ſententiam propoſitum minime rejiciendum cenſebat [a] Thuanus, violentiae ac molitionum illatum pertaeſus. Verum, cum de eo quaereretur, graviſſimae altercationes exortae ſunt, ſciſſo ſenatu, et acribus utrinque ſtudiis pugnante, donec rex cauſam totam, quod ſenatores, inter quos ſumma concordia ac modeſtia eſſe debebat, invicem digladiari peſſimi exempli judicaret, ad ſe revocat; ejuſque cognitionem ſenatui interdicit. Id gratiae in ſpeciem Santandreani datum; qui tamen, urgente Fabro et aſſiduis precibus apud Carolum cardinalem expoſtulante, citatus, quamvis jam ſenio gravis, in aulam venire compellitur; ubi, re in principis conſiſtorio diſceptata, poſt acreis contentiones ad curiam cauſa remittitur, in qua denuo retractatur, ac de ea plenius cognoſcitur: tandemque prius placitum revocatur; decerniturque, ut ex curiae archivis deleretur, Fabro priſtinae dignitati ac ſenatorio muneri reſtituto. Strata per generoſam Fabri ſolertiam contra violenta illa decreta ad reſtitutionem via, Foxius eodem beneficio poſtea uſus, ut ipſe reſtitueretur, et decretum contra ſe factum induceretur, obtinuit, Thuano in ejus gratiam ſatagente, ut, quod praepoſtera paucorum ambitione peccatum fuerat, ab univerſo ſenatu maturo judicio emendaretur. Verum is, multis et honorificis legationibus poſtea magna cum laude prudentiae ac ſolertiae defunctus, ac poſtremo Romam miſſus inſtigante Nic. [b] Pellevoo tunc cardinali, a Gregorio XIII indigne ob id habitus eſt, dum prioris decreti potius ab affectatis judicibus contra ſenatorum privilegia facti, quam alterius, quo ab univerſa curia abſolutus eſt, rationem habendam putat. Reſtabat A. [c] Fumeus; qui, ut ultimus, jam ſatiatis odiis, et a diverſis judicibus, nam fere delegati ab eo rejecti a judicio abſtinuerant, interrogatus, ita diverſam ab aliis fortunam ſortitus eſt: quod etiam Catharinae tributum eſt, quae in gratiam Joannis [d] Parthenaei Subiſae reguli ſibi perchari et Fumeo amiciſſimi ſua commendatione apud judices illius cauſam non parum ſublevaſſe creditur. Carcere liberatus ac dignitati reſtitutus Fumeus ubi primum in curiam venit, gratias ſenatui egit, quod poſt foediſſimas delationum tempeſtates, quae judicibus lucem eripiebant, tranquillatis animis ac ſerenitate reddita tantam judicum aequitatem expertus eſſet. Praecipuum in hoc judicio ut et in prioribus ſtudium Thuani praeſidis fuit, qui ſolus innocentia ſua fretus invidiam in tuenda tot clarorum virorum ſalute quamvis periculoſis temporibus ſuſtinere non dubitavit. Nec propterea ceſſabant ſanguinarii incentores, qui [e] Minarii caede irritati Guiſianos ad poenas de ſuſpectis ſumendas incitabant. Ac [f] Burdinus in primis cognitor regius [g] Cruciarium quendam [*] emiſſarium ſuum curiae nomine ad regem mittit, qui probationes penes eam eſſe affirmaret, quibus patebat, quendam Scotum nomine Robertum Stuartum cum aliis conjuratis de ſpargendis huc illuc per urbem ignibus conſilia nefaria iniiſſe; ut, occupata in reſtinguendis incendiis plebe, inde captata occaſione cuſtodiarum publicarum portas effringeret, et ob religionem vinctos liberaret. Eo inſtigante diploma [h] Campoburgi, ubi tunc rex erat, emittitur, quo curiae mandatur, ut ſevere in ſuſpectos animadvertat, et omni diligentia cauſis eorum judicandis ſine intermiſſione incumbat. Quatuor ex univerſo

P. [*] *dignum nomine hominem,*

INTERPR. [a] *Chriſtophle de Thou.* [b] *de Pellevé.* [c] *Fumée.* [d] *de Parthenay, ſieur de Soubize.* [e] *le preſident Minart.* [f] *Bourdin, procureur general.* [g] *des Croiſettes,* ou *Croiſé.* [h] *Chambor.*

CIϽIϽLIX.
FRANCISCUS II.

verſo ſenatu conſtitutae extra ordinem claſſes, quae id negotii accurarent: brevique earum feſtinatione effectum eſt, ut carceres evacuarentur, aliis ad mortem damnatis, aliis crimen ignominioſe fateri et veniam petere juſſis, aliis relegatis et alio poenarum genere mulctatis. Ipſe Stuartus, qui interim captus fuerat, poſtquam reginae ut agnatae fidem et opem fruſtra imploravit, et illa in gratiam avunculorum agnationem inficiata eſt, cum ſatis validae adverſus eum probationes non eſſent, tormentis ſubjicitur: quibus cum nihil ab ipſo extorqueri potuiſſet, in carcere tamen, quia metuebatur, retentus eſt. Occiſus et tunc quidam Lotharingorum emiſſarius haud longe a Campoburgo, nomine Julianus Firminus, qui literas eorum ad complureis habebat; quod maxime ipſorum animos accendit. Mentione comitiorum regni maxime offendebantur Catharina ac Lotharingi; veriti, ne comitiorum auctoritate in uſum revocata ipſorum potentia in ordinem cogeretur. Itaque eos, qui ordinum conventus urgebant, tanquam perduelleis ac ſeditioſos inſimulabant: ad quos cum viderent Proteſtanteis, qui jam magno numero erant, ſe aggregare, ut eos dividerent, renovanda paſſim per Galliam contra ſectarios ſupplicia cenſuerunt, inventis artibus ac paratis veluti foveis, in quas etiam inſontes et ignari praecipitarent. [1] Nam ubique, ac Lutetiae praeſertim, erectae Sanctorum ac B. Virginis Mariae locis profanis per vicos ac compita imagines, ad quas omni cultu exornatas candelae interdiu accendebantur, et cantica more inſolito a turpibus perſonis, lixis, bajulis et aquatiis, non ſine ſacrae diſciplinae et ſacerdotalis ordinis dedecore decantabantur, appoſitis per vias arculis, in quas tranſeuntes pecuniam ad cereos ac candelas in eum uſum coëmendas erogare importunis hominum ad id deſtinatorum prenſationibus cogebantur. Quod tributum ſi quis pendere recuſaret, aut eas imagines inſalutatas, quamvis incogitanter, pertranſiiſſet, aut non denique ad inſuaveis illos modos venerabundus ſubſtitiſſet, in eum tanquam ſuſpectum impetus a plebe fiebat; belleque is ſecum actum putabat, ſi tantum pugnis caeſus ac pedibus in coeno conculcatus, ceterum ſalva vita, in carcerem truderetur. Quibus rebus non ſolum non infracti, ſed irritatiores utrique redditi, ex eoque conjunctiores effecti juxta audaci et maxime omnium, quae annalium monumentis uſquam conſignata leguntur, memorabili facinore conjurationem aggreſſi ſunt; de qua libro ſequenti dicemus. Nunc externa perſequemur.

XIII. [a] MARIABURGO, [α] et in agro [b] Lucemburgenſi [c] Theodonis-villa, [d] Ivodio, [e] Monmedio, ac vicinis caſtellis reſtitutis, cum [f] Briſſacus, deductis [g] Valentio tormentis, oppida, quae reſtitutioni per pacificationem ſubjecta erant, paratum ſe tradere oſtenderet, nihilominus [h] Senenſes, inſano libertatis retinendae ſtudio decepti, ex morte Henrici in novam ſpem erecti ſunt, quamvis Jo. [i] Everardus Sanſulpitius jam [k] Ilcini-montem veniſſet, et Jo. [l] Gevara urgeret, ut [m] Etruriae oppida ex pacto in Philippi poteſtatem venirent. Itaque Coſmus, ne res diuturniore mora detrimenti quid acciperet, contra cunctationes vim parat; et Chapino [n] Vitellio negotium dat, ut, ſi Senenſes, deducto Gallorum praeſidio, in obſtinata contumacia perſtarent, Philippi nomine eos armis ad obedientiam cogeret, miſſo interim [o] Leone Sanctio, qui cum Corn. [p] Bentivolio ageret. Huic modicum tot laborum praemium permiſſu Coſmi, qui quam primum rem confectam cupiebat, conceſſum [q] Malianum cum omnibus vectigalibus, ea lege, ut [r] Loterium caſtellum Pandolſo Sinolfo antiquo domino reſtitueret; quod et ille ſe facturum recepit, modo ſumptuum in illo muniendo

factorum

VAR. LECT. [α] et *deeſt P. D.* o. ſ d. *et Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Marienbourg.* [b] *le duché de Luxembourg.* [c] *Thionville.* [d] *Ivoy.* [e] *Montmedy.* [f] *le mareſchal de Briſſac.* [g] *Valenza* [h] *ceux de Siene.* [i] *Ebrard de St. Sulpice.* [k] *Montalcino* [l] *Guevara.* [m] *la Toſcane.* [n] *Vitelli.* [o] *Leone Santi.* [p] *Bentivoglio* [q] *Magliano.* [r] *Ottieri, château de ſignor Pandolfo Sinolfi.*

NOT. [1] Origine des petites Noſtres-Dames & des petites Images de Saints, qui ſont au coin des rues de Paris. *Put.*

factorum ratio haberetur. Suberat et aliud incommodum; quod praeſidiariis Gallis plurium menſium ſtipendia deberentur, quae nec exſolvere regi in promptu erat, et, iis non perſolutis, nequaquam quieturos illos apparebat. Et allatum erat, Vaſcones, qui Groſſeti erant, ex ea occaſione praefecto loci paulo minus manus injeciſſe: illum vero, ut periculo praeverteret, in arcem confugiſſe. Radicofani idem fecere noſtri: deducta nihilominus Ilcini-monte, [a] Cluſio, [b] Monticello et Orciana valle tormenta cum praeſidio. Nec ſecius Senenſes exſules, ſive inſito libertatis amore, ſive a Nicolao [c] Petiliani comite perſuaſi, cui Coſmi tam vicini magnitudo ſuſpecta erat, [d] Groſſeti ac Radicofani praeſidiarios clam incitabant, ſpe facta, ſi in incepto perſtarent, futurum, ut eis debita ſtipendia adnumerarentur. Igitur miſſus Vitellius cum VII peditum ſignis et CL equitibus, qui jam ad [e] Bonconventum venerant; et, [f] Salis turre, quae maritimae orae imminet, capta, oppidum obſidione cingit. Quod ubi videre Senenſes, penes quos Ilcini-montis et Cluſii arces remanſerant, ipſe omni deſtituti, cum per ſe Philippi et Coſmi viribus ad reſiſtendum impares eſſent, oratores e ſuo ordine ad Coſmum legant, Marcellum [g] Palmerium et Franciſcum [α] [h] Bellantium, quibus adjungunt Robertum [i] Serigardium et Caeſarem [l] Ptolomaeum, conditionibus cum eo acturos, quarum obtinendarum ſpem illis fecerat Bentivolius, qui jam cum Coſmo convenerat. Dum in eo eſſent, et metus foret ne ad arma deveniretur, [k] Moreti legatus, qui [l] Montem-piſcalium tenebat, pretio, ut creditur, corruptus, locum [m] Ingileſco Caleſatio a Vitellio miſſo tradit; et ipſe [n] Burianum [o] Plombinenſis ditionis caſtellum, in quo Moretus erat, concedit. Mox Radicofanenſes, occiſo ordinum ductore qui illis praeerat, locum deſerunt. Quo facto, qui Groſſeti erant deditionem et ipſi paciſcuntur: areique impoſitus [p] Ceccus Sperellius Peruſinus cum XXV praeſidiariis. Superabat, ut ordine inſtituto loca a Gallis relicta in manus Gevarae, qui, ut ea Philippi nomine acciperet, venerat, a Senenſibus conſignarentur, eademque rurſus a Gevara, ſicuti convenerat, Coſmo traderentur. Itaque, quo res ritu ſolemni perageretur, die condicta Bonconvento proficiſcuntur Jo. Gevara Philippi procurator et Angelus [q] Nicolinus Senarum praeſes ac Fridericus [r] Montacutus arcis praefectus cum Franciſco Montacuto Coſmi nomine. Iis obvii facti in itinere Nic. [ſ] Spinellius et Alfonſus Ptolomaeus cum cohorte juvenculorum Senenſium, manibus olivae ramos praeferentium, et pacem ac Mediceum nomen paſſim ingeminantium. Eo comitatu Ilcini-montem veniunt; et in aedeis publicas ab Alexandro [s] Vannocio populi duce magna pompa deducuntur. Ibi alta voce recitatis Philippi mandatis, Senenſes Gevarae, qui inter populi ducem et reipublicae praepoſitum medius ſedebat, Ilcini-montis ratione ac reliquorum locorum denuo obſequii fidem obſtringunt, traditis urbis et arcis more ſolemni clavibus: quo facto, Gevara, tanquam locorum dominus traditione illa effectus, cum aliquanto tempore huc illuc per urbem commeaſſet, et fidem de ſervandis, quantum ad Senenſeis attinet, conditionibus pacificatione inter reges comprehenſis interpoſuiſſet, mox poſſeſſionem ita captam Nicolino et Montacuto tradit, et in Coſmum ditionis Senenſis poſſeſſionem ac plenum dominium transfert: ſtatimque in arcem introducitur Franciſcus Montacutus cum CC praeſidiariis. Id actum prid. Non. Sextil. qui menſis Coſmo fatalis erat. Protinus ab Aſcanio [t] Bertinio miſſus [u] Bombalinus Aretinus, qui Cluſii, et Simeon [v] Roſſerminius, qui Groſſeti, Francia [x] Gotacius, qui Radicofani poſſeſſionem Coſmi nomine acciperent. Ita, excepto [y] Herculis-portu, [z] Telamone,

VAR. LECT. [α] Ballantium P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Chiuſi.* [b] *Monticchiello & Valdorcia.* [c] *Pitigliano.* [d] *Groſſeto & Radicofani* [e] *Buonconvento.* [f] *Torre del Sale* [g] *Palmeri.* [h] *Ballati.* [i] *Sergardi* [l] *Tolomei.* [k] *Moretto.* [l] *Monte-peſcali.* [m] *Ingleſco Caleſati.* [n] *Buriano.* [o] *le territoire de Piombino.* [p] *Checco Sperelli da Perugia.* [q] *Niccolini.* [r] *da Montauto.* [ſ] *Spinelli.* [s] *Vannocci.* [t] *Bertini.* [u] *Bombagliono d'Arezzo.* [v] *Roſſermini* [x] *Goracci.* [y] *Porto-Ercole.* [z] *Telamone.*

mone, [a] Orbitello et Argentatio monte, quae loca penes Philippum remanebant, tota ditione Senenſi potitus Coſmus, cum aegre ferret [b] Solanam tantum in [c] Petiliani poteſtate eſſe, quam ille tanquam avitum patrimonium, ſed defectione oppidanorum reipublicae Senenſis effectum, ardente inter reges bello nuper interceperat, per [d] Gevaram interpellat Petilianum, ut oppidum juxta pacta reſtitueret. Verum ille jus ſuum in eo cauſatus cum reddere recuſaret, Coſmus, qui cum bona regis gratia de eo olim obtinendo, pacatis rebus non deſperaret, accepto [e] Buriano a [f] Moreto Calabro, ac [g] Plombini domino, cujus illud erat, reſtituto, pro tempore quievit. Mox Monſerratenſi principatu ac Corſica omni deductis Gallorum praeſidiis, et [h] Subalpina omni denique provincia, exceptis quinque oppidis, quae diximus, pacata fere Italia fuit: eoque magis, quod ſub idem tempus de induciis a Ferdinando cum Solymano factis allatum eſt. Solymanus enim rebus Aſiae intentus, ubi filii inter ſe digladiabantur, et, vivo ſe ac ſuperſtite, paternam quaſi hereditatem ferro cernebant, orientem verſus, relicta a tergo Europa, vires ſuas converterat. Itaque jam tum Philippus pace nobiſcum facta a belli curis vacuus de Tripolitana expeditione cogitare coepit, quae in ſequentem annum dilata eſt: de quibus ſingulis deinceps ordine dicemus.

XIV. INTEREA, cunctis ad profectionem in Hiſpaniam paratis, Philippus [i] Gandavum venit; ibique equitum velleris aurei concilium cogit, allectis inter alios in collegium Mantuae et Urbini ducibus, et reſtituto Parmenſium duci Octavio torque, quem ille, accepto a rege conchyliati ordinis inſigni, ſuperiorum bellorum temporibus abjecerat. Inde in Zelandiam deſcendit, commiſſa prius Margaritae ſorori Octavii uxori Belgii univerſi praefectura cum III CIↃ IↃ Hiſpanorum praeſidio, qui per limitem noſtrum diſtribuerentur. Siquidem is, conſtituta domi pace, a [k] Granvellano Atrebatum epiſcopo, quem praecipuum conſiliarium ſorori adjunxerat, monitus, cum non mediocriter a Lutheri ſectariis ſibi metueret, qui nimium quam multi ſunt illis regionibus propter Germaniae viciniam, praeſidium Hiſpanorum in Belgio relinquere inſtituerat, quamvis in ſpeciem ut limitem tueretur: odiique minuendi cauſa eorum curam Willelmo [l] Naſſovio Arauſionenſi, qui cum Henricum de conſilio occulto contra ſectarios capto imprudenter ſermones conſeruiſſe ſupra diximus, et Lamorallo [m] Egmondano, viris dignitate ac recentibus meritis tota provincia praecipuis, commiſerat: qui eam generoſe recuſarunt, pace nuper facta, quam Belgae ipſi ſua virtute et armis quaeſiviſſent, parum profectum dictitantes, ſi, depulſo foris hoſte, intus externo jugo ſerviliter premerentur. Inſolentem libertatem compoſito in praeſens vultu tulit Philippus, cum nollet a Belgio diſcedens proceres optime de ſe meritos cum offenſionis opinione a ſe dimittere: ſed compreſſum tunc dolorem poſtea renudavit et ultus eſt, quamvis fortaſſe minus tempeſtive, ut ſuo loco videbimus. Certe, tunc omiſſo de relinquendis in Belgio Hiſpanis conſilio, menſe Septembri totus in belli Africani curam intentus ſolvit: cumque in [n] Galeci portus conſpectum veniſſet, foeda tempeſtate jactatus, vix tandem incolumis appellere potuit, amiſſa fere reliqua claſſe, et cum ea ingentis pretii ſupellectile regia, quam ſecum aſportabat in Hiſpaniam; in ea certum domicilium, quod ſub Carolo parente quodammodo vagum fuerat, in poſterum fixurus. Itaque joculari dicterio jactabatur, ipſum ac Carolum patrem exuviis fere totum terrarum orbem ſpoliaſſe, ut inde oceanum ditarent. Philippus certe ſe ſingulari Dei beneficio ereptum periculo dicebat, in id ſervatum, ut propagandae ejus gloriae ac Lutheraniſmo extirpando inſerviret: quod ut facto comprobaret, ſtatim, ubi in Hiſpaniam venit, a ſectariorum caſtigatione initium fecit: et, cum antea ſinguli aut plures,

INTERPR. [a] *Orbitello & Monte Argentaro.* [b] *Soana.* [c] *il conte di Pitigliano.* [d] *Guevara.* [e] *Buriano.* [f] *Moreto Calavreſe.* [g] *Piombino.* [h] *Piedmont.* [i] *Gand.* [k] *de Granvelle, eveque d'Arras.* [l] *de Naſſau, prince d'Orange.* [m] *le comte d'Egmond.* [n] *Laredo.* Vid. Cabrera, p. 235

plures, ut caſus tulerat, ob pravas de religione opiniones poſt condemnationem mox CIↃIↃLIX.
carnifici traderentur, in ejus adventum ſervati paſſim tota Hiſpania damnati, et [a] Hiſpalim ac Pinciam deducti ſunt, quibus locis theatrali pompa ad ſupplicium producerentur. FRANCISCUS II.
Primus actus Hiſpali celebratus fuit VIII Kalend. Octobr. in eoque ante alios quaſi in triumphum ex [b] Triana arce eductus Joannes [c] Pontius Legionenſis Roderici Pontii [d] Bailenii comitis filius; iſque pro haeretico Lutherano pertinaci, ſub hoc enim elogio ducebatur, combuſtus eſt: huic ut vitae ſic et mortis ſocius additur Joannes Conſalvus concionator; quem ſecutae ſunt Iſabella [e] Vaenia, Maria [f] Viroeſia, Cornelia et [g] Bohorquia, plenum inde miſericordiae, inde invidiae ſpectaculum, ex eo auctae, quod Bohorquia ceteris aetate minor, vix enim XXI annum attigerat, ſumma conſtantia mortem ſubiit. Quod autem Vaeniae aedes coetibus ad ſacras faciendas preces patuiſſent, eadem, qua illa damnata eſt, ſententia a fundamentis dirui juſſae ſunt. Poſt eas productus Ferdinandus a [h] Fano-Joannis, et Julianus [i] Ferdinandus ob corporis exiguitatem vulgo Parvus dictus, Joannes Legionenſis, qui primo ſartoriam Mexici in nova Hiſpania exercuerat, dein in B. Iſidori collegium cooptatus, in quo ſodales puriori doctrinae, uti illi jactabant, in occulto ſtudebant. Auxit et eorum numerum Franciſca [k] Chaveſia, ex B. Eliſabethae coenobio virgo Deo dicata, quae, a Jo. Aegidio concionatore [l] Hiſpalenſi inſtructa, eandem poenam magna quoque conſtantia pertulit. Ex eadem ſchola etiam prodiit Chriſtophorus [m] Loſada medicus, et Chriſtophorus [n] Arellanius ejuſdem B. Iſidori coenobii monachus, ac tandem Garſias Arias, qui primus in illud Iſidori ſodalitium ejuſdem doctrinae ſcintillas intulit aſſiduis ſuis monitis ac concionibus, ex quibus ingens ille rogus accenſus eſt, et coenobium ipſum ac bona pars urbis opulentiſſimae paene conflagravit. Is, rarae eruditionis vir, ſed parum conſtantis ſibi ingenii, plerumque mutabat; et, quae ſuis perſuaſerat ac praeſcripſerat, cum ex eo illis ab Inquiſitoribus periculum creabatur, ipſe acutus in diſputando diſceptator refellebat et evertebat. His artibus cum multos in errorem inductos manifeſto periculo objeciſſet, ſe vero deteſtando fidei violatae piaculo obligaſſet, a Jo. Aegidio, Conſtantino Pontio et Varquio aliquando monitus, quod parum ſincere in amicorum atque adeo idem cum ipſo ſentientium cauſa verſaretur, ille praevidere ſe reſpondit, brevi fore, ut tauros in ſublime ſpectaculum productos cernere cogeretur; Inquiſitorium theatrum hoc ſermone ſignificans. Ad quae verba retulit Conſtantinus, ſi ita Deo placeret, non eum e ſublimi ludos deſpecturum, ſed ipſum in arena futurum. Nec Conſtantini augurio eventus defuit. Nam Arias mox poſtulatus eſt, et, ſive ſenectute ſua audacior, ſive repentina mutatione ex meticuloſo, qui hactenus fuerat, jam fortior effectus, inexpectata conſtantia Inquiſitorii tribunalis aſſeſſores acerbiſſimis verbis objurgavit, aptiores eſſe aſſerens, qui vili agaſonum munere fungerentur quam qui fidei, quam turpiter ignorabant, cenſuram impudenter ſibi ſumerent. Praeterea vehementer dolere teſtabatur, quod veritatem, quam tunc tueri ſe aiebat, ſciens ac volens adverſus pios illius defenſores ſaepe coram ipſis oppugnaſſet: quam poenitentiam, quamdiu in vivis eſſet, ex animo nunquam deponeret. Ita in triumphum ductus ac vivus flammis uſtulatus Conſtantini augurium firmavit. Reſtabant Aegidius et Conſtantinus ſcenae choragi, qui ultimum pompae agmen clauderent; verum utrumque mors anticipata vivum ſpectaculo invidit: ſiquidem ille, ob eximiam pietatis et eruditionis opinionem cum a Caeſare Philippi parente epiſcopus [o] Droſſenſis eſſet deſignatus, poſtea poſtulatus eſt, et, recantato ſeu aſtu ſeu hortatu Dominici a Soto publice errore, concionandi munere ac ſacris ad tempus interdictus eſt,

INTERPR. [a] *Seville & Valladolid.* [b] *Triana.* [c] *Ponce de Leon.* [d] *le comte de Baylen.* [e] *Venia* [f] *Viroes.* [g] *Bohorckés.* [h] *San Juan.* [i] *Hernandez.* [k] *Chaves.* [l] *de Seville.* [m] *Loſada* [n] *de Arellanio*

NOT. [o] *Droſſenſis.*] Ce nom d'eveſché ne s'eſt encore peu trouver. *Lege* Derthonenſis, *de Tortona*: alii legunt Dertuſenſis, *de Tortoſa.* *Put.*

CIↃIↃLIX. eſt, et aliquanto tempore ante actum illum obiit. Sed, cum Inquiſitores mitius cum
FRANCISCUS II. illo actum putarent, cadaver in jus vocant, et mortuum ad mortem damnant: cumque tanquam ex machina excitatum ad ſpectaculum ſiſtunt ſtraminea effigie. Conſtantinus vero, qui a ſacris confeſſionibus diu Caeſari, eique in ſolitudine ſua poſt Imperii ac regnorum abdicationem ac poſtremo animam agenti ſemper praeſto fuerat, ad idem mox tribunal raptus, in tetro carcere paulo ante exſpiraverat. Sed, ne theatrum Conſtantino careret, ejus quaſi concionantis effigies circumducta eſt; atque ita terribile per ſe ſpectaculum, quod primo pleriſque adſtantium lachrimas excuſſerat, larvis his in ſcenam productis, riſum multis ac poſtremo indignationem movit. Eadem ſeveritate poſtea [a] Pinciae Octobri inſequenti cum aliis ejuſdem criminis inſimulatis actum eſt; ubi, ſpectante ipſo Philippo, XXVIII ex praecipua regionis nobilitate palis alligati ac cremati ſunt. [α] Quanquam alii id in menſem Maium extremum potius rejiciunt: quod ſi ita eſt, potius ſpectante Carolo principe Philippi filio, et, ut alii addunt, ejus ſorore Joanna principis [b] Luſitaniae vidua, id actum eſt. Nam Philippus nondum [c] Belgio exceſſerat; qui IV Kalend. Sextil. velleris aurei ordinem [d] Gandavi celebravit; ac tum demum, relicta Margarita Parmenſi, quae Belgio imperaret, in Hiſpaniam diſceſſit.

XV. Ante aliquot menſeis Paulus pontifex ſenio effoetus, aegritudine ex regis morte, quam lachrimis palam teſtatus eſt, contracta, regni illius vicem ſe dolere dictitans, aqua intercute laborare coepit; ex qua, creſcente morbo, cum ſalus ejus deplorata eſſet, [1] XI Kal. Septembr. cardinaleis in cubiculum arceſſi jubet, et admirabili eloquentia integris ſenſibus ac ſana adhuc mente orationem coram iis habuit; praefatuſque, ſe viam univerſae carnis ingredi, ac diutius vixiſſe quam ſperare potuiſſet, ab iis petiit, ut, ſi negligentior in ſenatu cogendo fuiſſet quam ratio officii poſtulare videretur, id aetati et adverſae valetudini condonarent: deinde ipſos hortatus eſt, ut in optimo ſucceſſore deligendo vota conjungerent: poſtremo, ut ſanctiſſimum, ſic illud vocabat, Inquiſitionis officium, quo uno ſacrae ſedis auctoritatem niti affirmabat, commendatum haberent. Dimiſſis patribus, cum Bartholomaeus Cueva cardinalis Hiſpanus, qui remanſerat, caſum ſe reipublicae Chriſtianae, ſi tali paſtore tali tempore orbaretur, dolere diceret, pontifex Hiſpanica lingua reſpondit, ſe ita vitae curſum inſtituiſſe, ut, quoties ex hac mortali vita abeundum eſſet, Deum vocantem aequo ac propenſo animo ſequeretur; tum hac ſe fiducia ſolari, quod eum Catholicae fidei defenſorem a Deo optimo datum relinqueret, Philippum innuens, de cujus conſiliis in religionis negotio ante cognoverat; quo vindice rempublicam Chriſtianam quantumvis afflictam recreari et in priſtinum ſtatum reſtitui poſſe minime dubitaret. Tandem deceſſit XV Kalend. Septembr. hora XXI, aetatis ſuae anno XXCIII, menſe uno, diebus XXII, pontificatus quarto ſupra menſem ſecundum et diem vigeſimum quartum. Eo jam animam agente, apertae ſunt ſtatim vetere inſtituto omnes urbis cuſtodiae, et a furente populo, qui per urbem quaſi lymphata mente diſcurſabat, incenſus eſt carcer novus Inquiſitionis, iis, qui eo attinebantur, emiſſis: vixque cohiberi plebs potuit, quin incendium in Dominicanorum aedem ad Minervam intentaret, odio Inquiſitionis, cui exercendae illi a pontifice praepoſiti fuerant. Nec ſatiatum ea re odium. Nam, ſtatim quorundam impulſu in Capitolium impetu ab amenti plebe facto, caput cum dextera manu ejus ſtatuae, quae in palatio e marmore Pario nobilis artificis manu a ſenatu populoque Romano magno ſumptu poſita ei fuerat, praeciſum, ac toto triduo per urbis vias ſummo ludibrio provolutum eſt: quod tandem, ubi publica rabies elanguit, bonorum quorundam miſericordia, ne diutius ſpectaculo tam foedo hominum oculi aſſueſcerent, in Tiberim

VAR. LECT. [α] *quae ſequuntur 5 lineae, uſque ad* Ante aliquot, *deſunt* P
INTERPR. [a] *Valladolid.* [b] *de Portugal.* [c] *Pays-bas.* [d] *Gand.*
NOT. [1] XIX. *Put.*

berim projectum fuit. Dein cautum populi Romani edicto, ſed incerto auctore, promulgato, uti Carafae familiae inſignia ex urbe tollerentur, adjecta in eos, qui non obtemperaſſent, perduellionis poena. Nuſquam major in ſumma licentia parendi alacritas: nullumque fere eo die Carafarum inſigne in urbe reliquum fuit. Interim demortui cadaver collegis B. Petri ſuccollantibus in Baſilicam Vaticanam tenui pompa illatum eſt, et praeter morem militari manu metu populi aliquandiu ſervatum, ac latericio tandem tumulo ad tempus conditum. Demum ſeptimo poſt mortem ejus anno Pius v, ut bene de ſe merito pontifici gratiam referret, magnificum e nobili marmore monumentum ad Minervae, Pyrrhi [a] Ligorii Neapolitani opera, in majorum ſuorum ſacello exſtruendum curavit. CIƆIƆLIX. FRANCISCUS II.

XVI. PRIDIE quam Paulus moreretur, Laurentius [b] Priulus Venetorum dux obiit; in cujus locum Hieronymus frater ſuffectus eſt raro fortunae beneficio, in ea praeſertim republica, in qua ſummopere cavetur, ne dignitates potius jure hereditario quam virtute ac meritis concedi videantur. Id virtutum ipſius Hieronymi opinioni tributum eſt; quae tantum apud ſenatum valuit, ut ab eo exemplum reipublicae pernicioſum incipere non poſſe creditum ſit. Poſtea [1] v Non. [a] Septembr. Hercules [c] Ateſtinus Ferrariae dux viridi adhuc ſenecta fatis conceſſit, cum annos LI egiſſet. Huic pater Alphonſus fuit, qui ancipiti diu fortuna ob pontificum odia et ambitionem jactatus, tandem ſumma felicitate non ſolum quae amiſerat recuperavit, ſed magna acceſſione amplificatum imperium filio moriens reliquit. Hercules vero cum ad paternas opes etiam longe illuſtriſſimam adfinitatem junxiſſet, ducta Renata Ludovici XII filia et Claudiae, quae Franciſco I nupſit, ſorore, atque, ſuſcepta ex eo matrimonio formoſiſſima ſobole, imperium diu pacatum tenuiſſet, jam inclinata aetate, ſive praepoſtera ambitione incitatus, ſive a [*] genero perſuaſus, ſe injuſtiſſimo bello, quod, ruptis induciis in Italia Carafarum inſtigatu, geſſimus, implicuit, ac ducem praebuit: verum in eo patre felicior, quod, cum Philippum potentiſſimum regem nulla ſibi injuria obnoxium ſponte laceſſiviſſet, honorificis admodum conditionibus cum eo reconciliatus eſt, et bello, quod adeo Galliae detrimentoſum ac probroſum fuit, ſe, ſalva exiſtimatione ac ſine diſpendio, majore ſolertia an felicitate incertum, poſtremo expedivit. His addetur Otho Henricus Baioarus Palatinus, Ruperti filius, Philippi nepos; qui paucis annis poſt Fridericum II patruum ſeptemviratum tenuit; et, cum ipſe ſine liberis prid. Eid. Febr. deceſſiſſet, ſucceſſorem habuit Fridericum III longo intervallo agnatum, a Ruperto Caeſare communi utriuſque ſtipite, qui anno CIƆCCCCX obiit, graduum enumeratione facta. Nam a Ludovico Barbato ſeptemviro Ruperti Caeſaris filio, et Stephani [d] Bipontini ducis fratre, a quo Fridericus genus ducit, X gradus interjacent. Is vero Otho moriens Wolfango Bipontino alteri agnato totidem gradibus a ſe diſtanti [e] Neoburgenſem ad Danubium ditionem teſtamento legavit. Ut vero obſcurioris nominis principes commemorem, Franciſcus Otho dux Luneburgicus tertio poſt celebratas cum Magdalena Joachimi II Brandeburgici filia nuptias menſe, hoc quoque anno, obiit III Kalend. Maias. Et ante eum Willelmus princeps [g] Hennebergicus IX Kalend. Febr. octogenario major. Annotatum a curioſis, unius anni ſpatio, quamvis illud in diverſos annos incurrat, Carolum V Caeſarem, II Daniae reges, Franciae regem, Veneti ſenatus principem, pontificem, Palatinum ſeptemvirum, Ferrariae ducem, III praeterea reginas, Helionoram Franciae, Mariam Hungariae, ac denique Bonam Sfortiam Poloniae, ultimum vitae diem clauſiſſe.

P. [*] *Guiſio*

XVII. SUB

VAR. LECT. [a] Octobr. *P.D.o.f.* [g] Hannebergenſis *P.D.o.*

INTERPR. [a] *Ligori.* [b] *Priuli, doge de Veniſe.* [c] *d'Eſte, duc de Ferrare.* [d] *le duc de Deux-Ponts.* [e] *de Neuburg.*

NOT. [1] IV Non. Septembr. *Put.*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

XVII. [a] SUB id Georgius Recrodus, belli dux ſtrenuus, cujus honorifica adeo paſſim mentio facta eſt, tot periculis tota vita rara felicitate devitatis, morbo in arce ſua [a] Herleſhuſiana haud longe ab [b] Iſenaco IV Kal. Decembr. exſtinctus eſt. Eodem anno, ut viros quoque doctrina claros commemorem, Franciſcus [c] Duarenus Brioci-fano in Armorica loco nobili natus, cum vix L aetatis annum attigiſſet, deceſſit; juris ſcientia ſecundum Andream Alciatum, quem [d] Avarici Biturigum Cuborum jus civile profitentem audiverat, ſua aetate clariſſimus: ad quam et politioris literaturae et exactam antiquitatis cognitionem a magiſtro ſuo edoctus adjunxit: atque in eadem poſtea ſchola ipſe profeſſus eſt, magna frequentia ac celebritate cum Eguinario [e] Barone populari ſuo; qui, ut erant tunc tempora, non mediocrem ſui famam excitaverat. Hujus tamen nunc nomen obſcurum; ſcripta paene hominum memoria exciderunt. Duarenus vero jam provecta aetate magnas et acreis contentiones cum Jacobo Cujacio tunc juvene habuit; ex eoque non obſcurae ſimultates inter auditores exortae ſunt, ita ut ſchola Bituricenſis in parteis ſcinderetur, ob idque majus periculum immineret, niſi ceſſiſſet Cujacius et [f] Valentiam [g] Segalaunorum migraviſſet; quo nomine poſtea ſe Duareni memoriae plurimum debere praedicabat, cujus aemulatione factum eſſet, ut juris profeſſionem, quam tunc juvenis, ſeu praepoſtero parentum conſilio, ſeu aetatis levitate, deſerere potuiſſet, ſemel apprehenſam mordicus retinuiſſet, et ad eam exornandam tam ſedulam et aſſiduam tota vita operam impendiſſet. Duareni nunc opera in magno pretio, uti debent, apud doctos habentur; eaque Cujacius ipſe plurimi ſemper fecit, cum ex quatuor Franciſcis, qui eadem aetate eandem ſcientiam profitebantur, unum Duarenum ſibi placere, ceteros jus tantum deligurire diceret. Sed ſcriptis illius accidit, quod ne ſuis accideret, ſummopere ſemper veritus eſt Cujacius; ut nimirum praelectiones ex ore recitantis in ſchola perperam plerumque ab auditoribus exceptae, quaeque non eo conſilio fiebant ut ederentur, poſt ipſius mortem reliquis ejuſdem operibus, quae vivus publicaverat, nullo delectu admiſtae ſint: in quo inſignem doctiſſimi viri manibus injuriam factam indignabatur Cujacius; eamque, me ſaepius appellans, et aliis, qui ſub eo meruerant, a ſe ac ſcriptis ſuis deprecabatur. Duareno adjungam Aemarum [g] Ranconetum, Veſuna Petracoriorum ortum, qui Duareno ipſi ad multa in jure adinvenienda facem praetulit; virum omni politioris literaturae et antiquitatis, ſeu profanae ſeu ſacrae, ac ſcientiarum genere excellentem, nec ſine miraculo dicendum; quippe qui unus ſimul omnia exacte habuerit, quae ſingula ſingulos poſteritati commendare potuerunt. Nam et primus veros juris Romani ſonteis aperuit, et humaniores literas ex utriuſque linguae ſcriptoribus illuſtravit; tum omnis philoſophiae et mathematicarum artium arcana percaluit: ac denique abſolutam omnium rerum cognitionem acri judicio adhibito percepit, et primum ſenator [h] Burdigalenſis, dein et in Pariſienſi curia alterius inquiſitoriarum claſſium praeſidis munus magna cum laude exercuit; donec, perturbatis hoc anno ob religionem rebus, eadem, quae permultos alios, fortuna diris publicae calamitatis nexibus irretivit, et ipſum una involvit; quamvis ob longe diverſam a religione cauſam in periculum vocaretur. Itaque in [i] Baſtiliam arcem conjectus, quod ex aſtrorum judicio, ſcientiae etiam illius, quam cum Hieronymo Cardano excoluerat, apprime peritus, jampridem eventurum praeſagiverat, ſexagenario major exquiſito mortis genere obiit. Nihil fere ſcripſit, ſed uberem ſcribendi aliis materiam praebuit, copioſa et omni librorum tam editorum quam manu ſcriptorum ab ipſo ſumma diligentia annotatorum ſupellectile relicta; unde doctiſſimi hujus aetatis viri, laudato plerumque auctore, aliquando etiam ſuppreſſo, multa et

ad

VAR. LECT. [a] *narratio de Recrodi morte deeſt* P D. o. [g] Cavarum P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Herleſhauſen.* [b] *Eyſenach.* [c] *Duaren de St Brieu en Bretagne.* [d] *Bourges.* [e] *Baron.* [f] *Valence en Dauphiné.* [g] *de Ranconnet de Perigueux.* [h] *de Bourdeaux.* [i] *la Baſtille.*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

ad ſuum decus et in publicum valde utilia hauſerunt. Raro autem homo, etiam rebus agendis natus, interdiu literis operam dare viſus eſt. Ita quippe ſtudiorum rationem inſtituerat, ut, levi cibo ſumpto, temporius cum ſe quieti dediſſet, nocte concubia primoque ſomno exacto ſurgeret, eadem fere hora, qua coenobitae noſtri (quorum mores et inſtituta, in iis [α] praecipue quae ad vitae rationem et valetudinem tuendam pertinent, ſummopere laudabat) ad preces matutinas fundendas quotidie ſurgunt: et cucullo perinde, ut illi, caput obnubebat, veſtimento ad frigus ab humeris, cervice et auriculis arcendum accommodato. Tum quatuor horas continuas lectioni ac meditationi impendebat; quo ſpatio mirum quantum ſe proficere aiebat, defaecato poſt primam quietem ingenio, et ſilentio ac noctis obſcuro adjutus; nemine item meditationem interrumpente, quod interdiu contingere non poteſt. Tum hoc maxime ad valetudinem conferre aſſerebat: ſiquidem poſt primum ſomnum pituita ſupernatante, ſi ſurgas, eam excreare facile eſt, quae, ſi continuato ſomno redormias, denſatur, et ventriculo adhaeret, tractuque temporis noxios humores gignit, qua re maxime ſtudioſorum valetudo infeſtatur. Tum rurſus ſe ad quietem componebat; et, quod plerumque priore meditatione ingenioſe inchoaverat, ſtatim ab illo placido ſomno expergefactus feliciſſime perficiebat. Inde ſe ad munia diurna conferebat. Graece ac Latine elegantiſſime ſcribebat; ita ut libri ab eo annotati, qui innumeri, diſſipato poſt ejus mortem ampliſſimo illo omnis eruditionis reconditioris penu, per manus ſtudioſorum etiam hodie paſſim volitant, non minus pulchritudine ſcripturae legentium oculos capiant, quam rarae doctrinae ſparſis ubique notis ingenium paſcant et inſtruant. [β] Paulo poſt Joachimus [a] Perionius animam de literaria republica bene meritam Deo reddidit; [b] Cormeriaci in Turonibus natus, et in coenobio illius loci valde opulento, cui ſtatim a pueris dicatus eſt, educatus et poſtremo mortuus. Is, cum Ariſtotelem, hactenus a Joanne Argyropylo fideliter potius quam ornate verſum, auribus Latinis proponendum ſtatuiſſet, dum elegantioris ſtyli potius quam veri rationem plerumque Ciceroni ſuo addictus habet, in contrariam ab Argyropylo reprehenſionem incidit; et Nic. Gruchii viri doctiſſimi et poſtea Gul. Guerentaci cenſuram expertus eſt, et cum Ludovico Strebaeo literariis velitationibus ob eandem cauſam ſe exercuit. Sed major illi pro Ariſtotele contentio fuit cum Petro Ramo; quem eodem tempore Antonius Goveanus Luſitanus, ſed qui quidquid ad politiorem literaturam et philoſophiam ac juris prudentiam illuſtrandam attulit, (contulit autem ille plurima,) non tam patriae, quam Galliae, in qua bonas literas a puero imbibit et ad extremam aetatem permanſit, debebat, elegantiſſimis orationibus, quae editae ſunt, oppugnabat. Multa et Perionius ex patribus Graecis pari elegantia in Latinam linguam tranſtulit; et lucubrationes plurimas alias, quae in manibus hominum habentur, publico dedit, quibus nominis famam ſatis inter ſui aevi homines claram ad poſteritatem propagavit. Eodem anno vivis exemptus eſt Robertus Stephanus Pariſienſis typographus regius, ſecundum Aldum [c] Manutium Romanum, qui Venetiis, et Johannem Frobenium, qui [d] Baſileae eandem [γ] artem ſumma laude exercuerunt, clariſſimus: quos ille longo ſpatio ſupergreſſus eſt, acri judicio, diligentia accurata, et artis ipſius elegantia: cui ob id non ſolum Gallia ſed univerſus Chriſtianus orbis plus debet, quam cuiquam fortiſſimorum belli ducum ob propagatos fineis patria unquam debuit; majuſque ex ejus unius induſtria, quam ex tot praeclare bello et pace geſtis, ad Franciſcum decus et nunquam interitura gloria redundavit. Sed, migrante ad Deum optimo non ſolum principe, ſed literarum fautore ac parente eximio, indigna bene merito de patria civi tot editis Hebraicis, Graecis et Latinis libris gratia repenſa eſt a theologorum noſtrorum collegio, qui hominem,

reipublicae

VAR. LECT. [α] praecipue *deeſt P.* [γ] operam *P.*
[β] Eodem fere tempore *P. D. o. f.*
INTERPR. [a] *Perion.* [b] *Cormery en Touraine.* [c] *Manucci.* [d] *Baſle.*

CIƆIƆLIX. FRANCISCUS II.

reipublicae invigilantem et quaſvis aequas conditiones accipere ſe paratum demonſtrantem, non deſierunt laceſſere, donec ille, vexationum injuſtarum pertaeſus, ex neceſſitate conſilium cepit, et, relicta patria, Genevam ad extremum ſe contulit; ubi tanta prudentia publicam ſimul et privatam rem curavit, ut, quamvis tot adverſitatibus conflictatus et incommoditatibus, quae ſolum vertentibus neceſſario perferendae ſunt, tamen in opere aſſiduus ad ultimum vitae ſpiritum laudabile rei literariae adjuvandae propoſitum conſtanter tenuerit, ac tandem, cum LVI annum vitae ageret, VII Eid. Septembr. fatis conceſſit, foris gloria dives, et domi liberis, qui Genevae manerent, relicta opulenta ſupellectile. Hanc enim legem ingratae patriae pertaeſus, non tam ejus odio, quam juſtae, ut putabat, ultionis ratione, in teſtamento dixit. Itaque Robertus filius, qui eandem artem Lutetiae ſumma cum laude pro facultatibus exercuit, ab hereditate paterna omnino excluſus eſt: quam Henricus tanto patre digniſſimus filius crevit, qui typographicam non ſolum longo tempore itidem poſtea exercuit; ſed multa ad juvandam rem literariam propria induſtria contulit, inter alia edito aemulatione patris, qui linguae Latinae penum olim condiderat, linguae Graecae copioſiſſimo et multorum principum gazis praeferendo theſauro. Idem annus et ante eum abſtulerat prid. Non. Mart. Lucam Gauricum [a] Geophanenſem LXXXII annos natum, [α] Pauli III familiarem et ipſum mathematicarum artium callentem, atque illius partis praecipue, quae ex aſtrorum poſitu de vita et fortunis hominum decernit. Aliquanto poſt Mantuae in patria deceſſit Jo. Baptiſta [b] Folengius, profeſſione Benedictinus, fere ſexagenarius; vir inſigni pietate ac charitate praeditus, et moribus, ut ſcriptis, politiſſimus; quae neminem legiſſe unquam poenitebit. Virum optimum de emendatione eccleſiae et ſciſſura tollenda ſerio cogitantem, et Iſidori [c] Clarii epiſcopi Fulginatis ante quadriennium defuncti, de quo ſuperius ſuo loco diximus, veſtigiis eo in negotio inſiſtentem, mors placida in eodem, in quo profeſſus fuerat, coenobio ad meliorem vitam tranſtulit, III Non. Octobr. Nec praetermittendus videtur Jacobus [d] Milichius, Friburgi Briſgoiae honeſto loco natus, philoſophiae ac medicinae ſtudiis clarus, ſuavitate item morum, quam oris ſpecie praeferebat, omnibus acceptus; qui, cum annos complureis Witembergae ſumma cum laude docuiſſet, poſtremo ibidem ex apoplexia obiit IV Eid. Novembr. anno aetatis LVIII.

XVIII. JUSTIS mortuo pontifici more ſolito perſolutis, dum patres in conclavi eſſent, occaſione capta, ut fit, Coſmus, qui in armis erat, [e] Pondium caſtellum [f] Ubertini Ubertinenſis in Etruriae et [g] Umbriae limite, quod legitimo domino ademptum Carafae Malateſtis [h] Soliani comitibus attribuerant, in poteſtatem redigere ſtatuit; ejuſque rei negotium Chapino Vitellio dat, qui Caſtrocaro profectus deditionem initio facere recuſanteis praeſidiarios poſtremo tormentis admotis in fidem accipit, et ad cuſtodiam Ubertinenſi ex Coſmi voluntate committit: nec ſegnius Joannes Franciſcus [i] Balnei comes, implorato Coſmi auxilio, cui ſemper militaverat, ad ſua in Umbria recuperanda animum intendit, quae pontifex, uti ſupra diximus, ob perduellionis crimen tanquam commiſſa Antonio Carafae donaverat. Itaque mox Vitellii ductu receptum [k] Glacialium prope [l] Galeatam, quod Hieronymus [m] Bellus tenebat; qui, deditionem facere juſſus cum primum recuſaret, a ſuis coactus poſtremo locum dedidit, et ipſe tanquam perduellis Florentiam perductus eſt. Inde [n] Gateum itum, quod ſtatim venienti patuit. [o] Mons-bellus in praeſens omiſſus eſt, quod majoris molis negotium videretur, quam ut paucis diebus confici poſſet. Tum ad [p] Sophiae-fanum promotae copiae; de quo [q] Planimeletenſes comites cum nuper Romae

VAR. LECT. [α] Pauli III pontificis Romani P. D. O.

INTERPR. [a] *de Giſoni nella Marca d'Ancona.* [b] *Folengio.* [c] *Clario, evêque de Fuligno.* [d] *Milich de Fribourg en Briſgau.* [e] *caſtel di Pondo.* [f] *Ubertino de gli Ubertini.* [g] *Romagna* [h] *Sogliano.* [i] *Bagno.* [k] *Ghiaggiuolo.* [l] *Galeata.* [m] *del Bello.* [n] *Gatteo.* [o] *Monte-bello.* [p] *Santa Sophia.* [q] *Fiandemeleto.*

Digitized by Google

CIƆIƆLIX.
FRANCISCUS II.

Romae litem moviſſent, Joannes Franciſcus Gonzaga, qui illud Coſmi nomine tenebat, Vitellii cardinalis inſtinctu, qui plurimum apud Carafas tunc poterat, dejectus et tanquam majeſtatis reus Romam ductus et in carcerem conjectus fuerat; ex quo excitata poſt Pauli IV mortem populi ſeditione liberatus eſt. Id P. Philippi Pandolfini, qui III peditum ſigna habebat, ductu captum, et Balnei comiti reſtitutum eſt. Captus et [a] Mons-rotundus. Interea Chapinus Vitellius, [b] Empoli, [c] Burgo, [d] Stephani-fano, [e] Mugello coactis copiis, cum VIII vexillis [f] Montonium verſus copias ducit, quod Vitellii patrueles injurioſe detinebant. Caſtellum illud a Leone X [g] Vitellotio et Nicolao Vitelliis eorumque ſucceſſoribus donatum, cum ad Camillum cardinalis fratrem deveniſſet, iſque, filio notho ſuperſtite, deceſſiſſet, cardinalis ejus tutelam ſuſceperat, et a Paulo IV pupilli nomine beneficiarium illud rurſus acceperat, excluſis Paulo et Chapino legitimis Nicolai filiis: unde illi indignatione in cardinalem patruelem concepta totis animis in id intendebant, ut interregni tempore locum in poteſtatem redigerent. Burgo et [h] Arretio ſummiſſa tormenta; quibus admotis et aperto muro, praeſidiarii, quos [i] Angela Roſſia Camilli parens et pupilli avia habebat, territi huc illuc per avia diffugiunt; quos inſecutus Chapinus multos ex iis occidit, plureis cepit. Antonius Maria [k] Peruſinus inibi deſideratus; capta IV ſigna, quae in oppido erant: moxque arx Vitelliis fratribus deditur. Dein [l] Pallanterii interventu res compoſitae; qui, quamvis ſacri collegii nomine ad eos ante locum captum veniſſet, tamen, ut ab obſidione diſcederent, obtinere non potuerat. Demum, Montonio capto, impetratum, ne ulterius progrederentur; conventumque, ut comitis Balnei recepta oppida apud ſequeſtrem deponerentur, donec novus, qui propediem creandus eſſet, pontifex de re tota decerneret. Nec invitus fecit Coſmus, ut occaſione tam honeſta oblata a moleſtis armis diſcederet, amicorum tuendorum cauſa ſuſceptis; quos ne videretur deſerere exiſtimationis ſuae intereſſe judicabat. Itaque ex ipſorum voluntate poſita arma, et res ad futuri pontificis voluntatem reſervata.

XIX. EODEM tempore ingens conjuratio Florentiae detecta eſt, quae longo tempore latuerat. Ejus princeps fuit Pandolfus [m] Puccius, Roberti filius, qui inter familiae decora III cardinaleis numerabat. Is homo, magnis opibus, excellenti ingenio ac jucunda oris ſpecie cunctis gratioſus, in Coſmi et ejus uxoris amicitiam facile ſe inſeruerat, ex qua uberes ac multipliceis fructus perceperat. Verum acceptae olim injuriae memoria adverſus recentia beneficia praevalebat: is ſiquidem aliquot ante annis ob inanem ſuſpicionem in ſecretum carcerem conjectus fuerat: quam injuriam ut ulciſceretur, familiaritatem cum Coſmo poſtea contractam pro occaſione accipiens, conſilium de eo interficiendo ceperat; ejuſque conſcios [n] Aſtoldum Cavalcantium Thomae filium et Laurentium Medicem fecerat; quibus et adjunxerat [o] Ricardum Mediolanenſem, Bernardum [p] Corbinellium, et [q] Pucelium Puccium unum ex octoviris. Diu in Gallia cum Farneſio cardinali Pandolfus fuerat; et poſtea rem cum exſulibus Florentinis, qui Romae erant, contulerat. Conſentientibus cunctis, diſcordes de tempore et ratione patrandi facinoris erant ſententiae. Itaque res ſaepius tentata, nec unquam exſecutioni demandata fuit. Senis captis, quoniam tempus urgebat, et Coſmi magnitudo exſulibus in dies ſuſpectior reddebatur, placuit, ut quam primum res conficeretur. Aliis videbatur, ut Pandolfus, dum in interiore conclavi cum Coſmo pro familiaritate conſueta eſſet, ipſum interficeret. Sed Pandolfi ſolius cum Coſmo iiſdem armis cincto congreſſus periculoſus exiſtimabatur; nec ſpes erat alios conjuratos ad idem ſecretum admiſſum iri.

INTERPR. [a] *Monte ritondo.* [b] *Empoli.* [c] *Borgo.* [d] *Santo Stefano.* [e] *Mugello* [f] *Montone* [g] *Vitellozze.* [h] *Arezza.* [i] *Angiola de' Roſſi.* [k] *da Perugia.* [l] *Pallantiero* [m] *Pucci.* [n] *Aſtolfo Cavalcanti.* [o] *Ricciardo del Milaneſe.* [p] *Corbinelli.* [q] *Puccio Pucci.*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

iri. Itaque ſatius viſum, ut, dum Coſmus per urbem equitaret, ex feneſtra ſclopeto peteretur. Dum in eo ſunt, et licentioſae ac minus honeſtae vitae interea nimis ſecure indulgent, Coſmus de conjuratione aliquid ſubodoratus, ſed de perſonis adhuc incertus, ex nefariis libidinibus occaſione capta, Cavalcantium et Medicem in carcerem trudi jubet. Cum nihil expiſcari potuiſſet, illum monitum, ut vitam mutaret, carcere emiſit; Medicem in arce Piſana aſſervari juſſit. Nec propterea Florentiae abſceſſere conſcii, tantum aut patrandae caedis deſiderium aut ſecreti fiducia fuit. Tandem, cum per amicos, quos Romae habebat, etiam nomina conjuratorum didiciſſet Coſmus, Cavalcantius ac Medices rurſus in carcerem conjiciuntur, elapſis Mediolanenſi ac Corbinelho: captuſque Pandolfus, et a Laurentio [a] Corbolio octovirorum miniſtro interrogatus, ſpe veniae a Coſmo impetrandae, ſi ſeriem facti vere explicaret, ſtatim rem totam ſcripto complectitur, quo et de ea cum Juliano [b] Hieronymiano et Laurentio Librio contuliſſe aiebat: ſed illum rem averſatum, ut et Franciſcum [c] Naſium [d] Lutocii filium: Librium vero nihil de conſilio reſciviſſe; ſed tantum rogatum, ut, ſi ejus opera ipſe egeret, eam commodare ne gravaretur. Tandem, cum Pandolfi confeſſione Cavalcantius et Medices convicti eſſent, et tormentis ſubjecti rem ipſi poſtremo confiterentur, octovirorum ſententia Pandolfus damnatur; decretumque, ut ei publice laqueo gula frangeretur: Cavalcantius et Medices eodem judicio ſecuri percuſſi: in Mediolanenſem et Corbinellium fugitivos ac contumaces tanquam perduelleis pronunciatum. Naſius, qui Venetias abierat, paulo poſt abſolutus. Hieronymianus, quod conjurationem non revelaſſet, in arce Volaterrana vitae quod ſupererat peragere juſſus. Librius denique, ut facti ignarus, dimiſſus eſt. Franciſcus Medices ac Leonardus [e] Nobilis ob ſuſpicionem comprehenſi, dein Coſmi juſſu liberati ſunt; qui, ſatis exemplo proſpectum ſecuritati ſuae arbitratus, ad leniendam tot clarorum virorum morte adfectorum invidiam, bonorum Pandolfi, quae ampliſſima erant, liberis gratiam fecit: cumque lex eſſet Florentiae, ut majeſtatis damnatorum bona fiſco addicerentur, et, ſi quidem filii-familias ii eſſent, pars ea, quae ipſis ex bonis paternis ſeu maternis obventura eſſet, quamvis adhuc ſuperſtitibus parentibus, jam tum fiſco vindicaretur, Aſtoldi Cavalcantii portionem, quam ex bonis Thomae patris tunc in vivis agentis capere poterat, Joanni Baptiſtae Aſtoldi fratri reſtitui juſſit.

XX. JAMQUE tempus inſtabat, quo Eliſabetha ad virum in Hiſpaniam deducenda erat. Eam rex ac Catharina [f] Eraldi Caſtrum et Auguſtoritum uſque ineunte Decembri proſecuti ſunt: ac poſt amplexus et oſcula atque ultimum vale dictum non ſine lachrimis dimiſerunt. Diverſi poſtea, rex [g] Bloëſas redit, ipſa ſe in viam dedit; et cum Carolo Borbonio cardinali, [h] Rupiſurionio ac primaria nobilitate ad id deſtinata [i] Burdigalae a Navarro ſumma magnificentia excepta eſt, cui illius in Hiſpanorum ad id a Philippo delegatorum manus perducendae onus demandatum fuerat. Convenerat, ut Kal. Januar. proximis in Franciae atque Hiſpaniae regnorum limitibus ad [k] Pinnonium in Pyrenaeo traditio illius fieret: ſed aſpera admodum hyeme, qualis iis locis eſſe ſolet, et nivium importunitate effectum eſt, ut Eliſabetha ac Navarrus ad Roncivallenſe coenobium ſibi ſubſiſtendum putarent, ibique Philippi procuratores opperirentur: moroſitate tamen Hiſpanorum quinque circiter dies inutiliter conſumpti ſunt, ultro citroque commeando, dum [α] utrinque decorum ſcrupuloſa anxietate ſervant. Tandem delegati [l] Spinalio, quod inde II leucis abeſt, [m] Roncivallium venere magno numero ac pompa, in qua II CIↃ IↃ equites egregie ornati numerati ſunt. Principes legationis fuere Mendociae familiae tota Hiſpania illuſtriſſimae quaſi columina, [n] Infantatiorum dux et cardinalis [o] Burgenſis frater; quorum

VAR. LECT. [α] utrinque P. D o. f. d

INTERPR. [a] *Corboli.* [b] *Girolamo & L. de' Libri.* [c] *Naſi.* [d] *Lutozzo.* [e] *de' Nobili.* [f] *Chaſtellerault & Poitiers* [g] *Blois.* [h] *le prince de la Roche-ſur-Yon.* [i] *Bourdeaux.* [k] *le Pignon.* [l] *Eſpinal.* [m] *Roncevaux.* [n] *del Infantado.* [o] *de Burgos.*

quorum in comitatu erant marchio [a] Zenetae, Tendillae comes, [b] Montis-clari marchio, [c] Saldagniae, [d] Ribaldaviae ac Ribadei comites, Didacus Urtadus [e] Cagneti marchionis filius, Didacus Urtadus et Joannes Urtadus, hic Venetiis, ille nuper Romae orator, Joannes [f] Urtadus [α] Fraxineus, Franciſcus denique Zenetae marchionis filius, omnes ex Mendocia familia, et alii ex primaria nobilitate. Infima aula atris Navarri aulaeis ut in luctu velata erat, ad cujus limen cardinalis Borbonius, nam in ſuperiore Eliſabetha cum Navarro erat, delegatos cum CCC circiter nobilibus excepit, et humaniter acceptos ad uraniſcum perduxit: ſub quo cum paulum conſediſſent, Philippi diploma, quo de accipienda e Navarri manibus Eliſabetha a delegatis mandatum continebatur, ad facem, quod locus obſcurus eſſet, perlectum eſt; eoque perlecto ſurrexere. Initio quidem medius a Burgenſi et Infantatiorum regulo collocatus erat Borbonius; ſed, quia Burgenſis prius Borbonio in cardinalium collegium cooptatus fuerat, Borbonius modeſte delatum honorem recuſavit, et ita, praecedente Infantatiorum regulo, Burgenſis, qui ad dextram Borbonii primum incedebat, priorem locum ſumpſit; eoque ordine ad Eliſabetham in ſuperiorem aulam perrexere, magnificis aulaeis et uraniſco regaliter inſtructo ornatam; in qua loco undique ſepto ſedebat Eliſabetha, et ad dextram ejus Navarrus, et infra Navarrum Rupiſurionius: laevum latus illuſtres matronae, atque in iis Anna Monpenſerii filia, [g] Riuſia et [h] Claromontia tegebant: pone Eliſabethae ſolium ſtabat Lopezius Guſmanus magnus palatii magiſter, qui adventantium nomina edebat. Poſtquam Hiſpana nobilitas, quae anteibat, reginae ſuae manus de genibus oſculata eſt, jam propinquantibus delegatis, Navarrus et Rupiſurionius aſſurrexere: Eliſabetha ipſa Infantatiorum regulum ad oſculum manus properantem et in genua procumbentem ſurgens ſublevavit; et eum ac cardinalem fratrem perhumane excepit. Habita a Burgenſi ad ipſam oratione honorificis verbis et ad obſequium compoſitis plena, acceptoque ipſius reſponſo ſumma oris ſubridentis ſuavitate ac gravitate ſimul pronuntiato, delegati ad Navarrum tranſiere; et poſt mutuas ſalutationes, prolato diplomate, reginam ſibi a Navarro exhiberi poſtularunt. Tum Navarrus, non lecto diplomate, de quo ſibi abunde ſatisfactum eſſe teſtatus eſt, ſe a longe omnium orbis univerſi rege maximo illuſtriſſimam hanc heroinam accepiſſe dixit, ut eam in illuſtriſſimi omnium, qui ſunt, regis manus aut ipſius procuratorum traderet: proinde ſponte ac libenti animo, uti juſſus ſit, eam ipſis tradere, digniſſimis videlicet, quorum curae ac fidei pretioſiſſimum hoc pignus crederetur: interim orare, ut eam et ejus valetudinem commendatam habeant, quod ipſos ſedulo ac diligenter facturos minime dubitet: de indole ac virtutibus ejus nullum verbum apud eos facere, quorum ſpecimen praeſentia ſua ac facto ipſo datura ſit, et effectura, ut nullum majus unquam virtutum lumen aut tantum pudicitiae atque honeſtatis inſtar retro ſaeculis in Hiſpania illuxiſſe omnes in poſterum fateantur. Tradita Eliſabetha, Navarrus pro ſe pauca locutus eſt; nimirum pacis foedere et mandato, quod penes ſe habeat, perſcriptum eſſe, ut regina in utriuſque regni confinibus ſiſteretur, ibique delegatis a Philippo traderetur: id vero minime obſervatum fuiſſe; quippe cum is locus, in quo ſint, longe ab utriuſque limite abſit, quippe in medio Navarrae regno, quod ad ſe jure pertineat, ſitus: proinde proteſtari, nihil eorum, quae tunc acta ſint, juri ſuo in poſterum praejudicare poſſe. Ad ea ſobrio ab Hiſpanis dato reſponſo, utrinque amice diſceſſum eſt. Mediam reginam comitari Burgenſis et Infantatiorum dux lecticae imponunt; et eodem die [i] Spinalium, unde venerant, deducunt. Inde triumphali pompa et apparatu [k] Mantuae ac Pinciae Carpetanorum, [l] Toleti item, ac poſtremo [m] Guadalajarae, quam Numantiam fuiſſe [β] exiſtimant,

CIↃIↃLIX.

Franciſcus II.

VAR. LECT. [α] Fraxinus *P.* [β] plerique exiſtimant *P. D. o. f.* excepta

INTERPR. [a] *Cenete.* [b] *Montes Claros.* [c] *Saldenna.* [d] *Ribadavia & Ribadeo.* [e] *Canete.* [f] *Hurtado de Mendoça, ſenor del Freſno de Torrote.* [g] *de Rieux.* [h] *de Clermont.* [i] *Eſpinal.* [k] *Madrid & Valdolid.* [l] *Toledo.* [m] *Guadalaxara.*

CIƆIƆLIX. FRANCISCUS II.

excepta eſt: ubi et conſummatae nuptiae extremo Januario inſequenti. Quae omnia, fuſe ab aliis, quibus otium fuit, deſcripta, ad ſeria magis properantibus ſuperflua et otioſa nobis viſa ſunt. Nec multo poſt Philippus, ne novis nuptiis novos affectus in legitimae ſucceſſionis praejudicium induiſſe videretur, convocatos [a] Caſtellae ac reliquarum Hiſpaniae provinciarum ordines in Caroli, quem ex Maria [b] Luſitana ſuſtulerat, tanquam legitimi regnorum paternorum heredis verba jurare juſſit. [α] Cum Eliſabetha miſſus fuerat Ludovicus [c] Sangelaſius Lanſacus, antea legatione Romana ſumma cum prudentiae laude defunctus, eique tanquam intimus adminiſter ac veluti moderator, donec Hiſpanis moribus inſueviſſet, attributus. Statim poſt Philippi in Hiſpaniam appulſum Navarrus regis permiſſu Petrum Navarrum familiae illius nothum ad eum miſerat, ut de regni Navarrae reſtitutione ageret; qui a petitionis limine quaſi excluſus, quod et regnum ad ſe optimo jure pertinere et firmiſſimum Hiſpaniae contra Gallias propugnaculum eſſe diceret Philippus, poſtremo impetravit, ut compenſationem ejus acciperet, ea lege dicta, ut neque in Hiſpania neque in Indiis eam accipere teneretur; et, quae darentur, ea cum ſupremo imperio teneret, neque ſuperiorem dominum agnoſceret. Tum de Sardiniae regno injecta primum mentio: a qua petitione non ſe multum alienum oſtendebat Philippus; ſed, recenti ſuo in paterna regna adventu excuſato, amplius ſe deliberaturum recepit; et rem ad regni curias, ſic comitia vocant, propediem Toleti celebrandas rejecit. Id actum menſe Octobri. Poſt Eliſabethae autem in Hiſpaniam deductionem, Navarro, quaſi injuria adempti regni non ſufficeret, inſigni contumelia illuſum eſt ab Alfonſo [d] Cueva Albuquercii duce, qui amicitiam cum ipſo ſimulabat, et per emiſſarium quendam [e] Leſcurium nomine, qui, licet [f] Benearni pago, in familia Albuquercii erat, et hinc inde commeans exploratoris partibus fungebatur, ei perſuaſerat, ſi ſalutandi Philippi occaſione in Hiſpaniam, commeatu accepto, veniret, fore, ut ei de Navarrae regno ſatisfieret. Igitur, ſive nimia credulitate ſive ut ſpei toties factae extremum periculum faceret inductus, non monito prius rege aut oratore regio, is tunc erat Seb. [g] Albaſpineus Lemovicum epiſcopus, [β] Joannem Claudium [h] Levium Odoſium virum illuſtri loco natum cum literis ad Philippum mittit; quibus petebat, ut ſibi uxorique ſuae cum bona ejus gratia in Hiſpaniam venire liceret, et coram de regno Navarrae cum ipſo tranſigere. Philippus tunc Toleti erat; qui, acceptis literis, cognitoque quid Odoſius in mandatis haberet, de uxoris valetudine, quae nondum Guadalajaram appulerat, diligenter Odoſium percontatus eſt, gratiaſque ſe Navarro habere dixit, qui uxori in Hiſpaniam venienti tam officioſe operam navaſſet; de cetero, cum amplius deliberaſſet, ad alia mandata reſponſurum. Id coram Lemovicum epiſcopo actum, quem, dimiſſo Odoſio, mox in arcanum Philippus ſeducit: et, cum ab eo, an rege ipſove conſcio id ageretur, quaeſiiſſet, et ille nulla ſe a rege mandata hac de re habere reſpondiſſet, biduo poſt ad venationem profectus per [i] Curtevillam a ſecretis epiſtolis Odoſio literas reddendas curat, cum hoc amplius reſponſo; Navarrum, quando de Navarrae rebus cum ipſo agere cuperet, melius facturum, ſi ſe uxoremque ſuam inutili profectione minime vexaret: nam nihil aliud ad ejus petitiones reſponderi poſſe, quam quod Caeſar ipſius parens olim deceſſoribus ejus et ipſe nuper [k] Sercani delegatis reſpondit. Ita dimiſſus Odoſius ad Albuquercium, cujus fiducia venerat, expoſtulabundus perrexit; qui, re intellecta, ut ſe excuſaret, Odoſium monuit, ſi mandatis, quae ad Philippum habebat, addidiſſet, cupere Navarrum in Hiſpaniam venire, ut inſigni aliquo

VAR. LECT. [α] *Tota haec de Lanſaco, Navarro & Varga narratio, 73 circiter lineis uſque ad verba* Cum poſt Pauli IV mortem *omiſſa, deſ. P.* [β] Joannem Claudium *deſunt D. o.*

INTERPR. [a] *Caſtille.* [b] *de Portugal.* [c] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [d] *de la Cueva, duc d'Albuquerque.* [e] *Leſcure.* [f] *Bearn.* [g] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [h] *de Levis, ſieur d'Odoux.* [i] *Cortevilla.* [k] *Sercamp.*

aliquo facto ipſius gratiam demereretur, futurum ut pleniore cum ſatisfactione auditus fuiſſet. In quo, majorene injuria affectus fuerit Navarrus per tam praeruptum reſponſum, omni ſpe de regni dotalis reſtitutione praeciſa, an cum ad turpe obſequium, cum dignitatis et fidei violatae diſpendio, virum generoſum et illuſtriſſima totius orbis Chriſtiani familia ortum adigere voluerint, in ambiguo Hiſpani reliquerunt.

XXI. Jam aliquot menſibus vacabat Romae ſedes, manifeſta Hiſpanorum invidia, qui poſt Gallos tota Italia veluti exactos hoc unum agebant, ut is pontifex crearetur, qui aut ipſorum partibus addictus eſſet, aut tam humili loco exiguiſque clientelis ſubnixus, ut in eo faſtigio conſtitutus nihil temere auderet, et in Italia cum Italiae principibus pacem coleret. Dum igitur in ſuſpectis rejiciendis a Varga oratore Philippico gnaviter laboratur, totum trimeſtre effluxerat; longiuſque interregnum fore apparebat, cum undique in aula expoſtulationes Chriſtianorum principum auditae ſunt, finem huic diſſidio, quod aliis ob religionem exorientibus paſſim turbis cauſam praebeat, imponi petentium. Et [a] Lemovicum epiſcopus orator regius ſolemnem querelam apud Albanum inſtituit: a quo id reſponſi tulit non ſine aliqua animi commotione, [b] Vargam hominem ſtolide ambitioſum regis ſui nomine eo in negotio abuti: nam nihil aliud Philippum cupere, quam ut quam primum is pontifex liberis cardinalium ſuffragiis eligatur, ſive is Hiſpanus, Germanus, Italus aut Gallus eſſet, qui ea ſit pietate ac prudentia, ut, ſemoto omni privato affectu, Deique gloriam tantum prae oculis habens, paci eccleſiae ubique turbatae et Chriſtiani orbis tranquillitati mature conſulat: Vargam Philippo e [c] Belgio in Hiſpaniam proficiſcenti impoſuiſſe, cum homo tanto munere indignus tam honorifica legatione ornatus eſt; idemque antea feciſſe, majore audacia an perfidia incertum, cum aſtu ſolito pervicit, ne Joannes Figueroa a rege Romam miſſus a pontifice admitteretur; quo ſcilicet ipſe, qui jam Romae erat, eo excluſo, in ejus locum ſufficeretur; ob idque a ſe, qui tunc in Italia cum ſummo imperio erat, fraudis convictum in carcerem conjectum fuiſſe: itaque Philippum decreviſſe eum revocare, et debita caſtigatione mulctare: interea [d] Mondejarae marchionis filio, qui Romae eſt, ſedulo mandaſſe, curaret, ne huic negotio Vargas ullo ſe pacto interponeret, omnemque illi auctoritatem ſuo nomine abrogaret, et de libera pontificis electione in conclavi coram cardinalibus publice proteſtaretur. Albanus praeterea rei culpam in cardinalem Caraſam rejiciebat; qui, ut aiebat, privatis rebus ſtudens publicam libertatem impediebat. Cum poſt Pauli IV mortem ſedes vacaſſet menſeis IV, dies VII, Johannes Angelus [e] Medicinus in pontificem tandem electus eſt VII Kalend. Januar. inter ſeptimam et octavam ejus noctis quae diem natalitium inſecuta eſt, ſuffragantibus ex XLIV cardinalibus, qui comitiis intererant, praecipue Carolo et Alfonſo Caraſis, Alexandro Farneſio, Guidone Aſcanio Sfortia et Ludovico Guiſio; dein Epiphaniae feſto de more coronatus eſt: et ita unus meruit, quod non temere alii eveniſſe conſtat, ut tribus celeberrimis anni feſtivitatibus, nimirum Paſchatis naſceretur, natali Chriſti pontifex crearetur, ac demum eo die ſupremae dignitatis inſignia caperet. Huic pater Bernardinus fuit, humili loco [f] Mediolani natus, vectigalium redemptor; qui ex Caecilia [g] Serbellona XIV liberos ſuſcepit; quorum natu maximus Joannes Jacobus fuit [h] Meleniani marchio, de quo ſupra locuti ſumus, et quem ſubinde pontifex frater, cum acclamationibus ſolitis ex conclavi in B. Petri Baſilicam deduceretur, ex circumſtantibus amicis non ſine flagrantiſſimi deſiderii ſignificatione, ubi eſſet, requirebat: poſt eum Pius IV, ſic enim appellari voluit: tertius

Joannes

INTERPR. [a] *Limoges.* [b] *de Vargas.* [c] *Pays-bas.* [d] *Mondejar.* [e] *Medicino.* [f] *Milan.* [g] *Serbellone.* [h] *de Marignan.*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

Joannes Baptiſta, qui ante xv annos obiit: ac poſt eum rurſus Auguſtus Meleuiani, Joanne Jacobo mortuo, marchio, pontifici admodum inviſus: ac noviſſimus [a] Gabriel, qui anno CIↃIↃXXXV in obſidione oppidi [b] Leuci, bello quod cum ejus fratre Franciſcus Sfortia [c] Inſubrum dux geſſit, ictu tormenti ad [d] Mandellum interfectus eſt. E ſororibus natu grandior Clara Wolfio [e] Altempſio nobili Germano in dioeceſi Conſtantienſi nupſit; ex quo matrimonio nati Marcus [f] Siticus cardinalis, Hannibal et Gabriel comites: minor Margarita, Gilberto Borromaeo [α] [g] Aronae comiti conjux data, Carolum cardinalem vitae ſanctimonia apprime clarum et Fridericum comitem genuit: Camillam praeterea, quae Caeſari Gonzagae Ferdinandi filio nupſit. Pontificatus initio Pius, ut quae nomine pollicitus fuerat re praeſtaret, ſumma clementia uſus eſt, condonata populo Romano omnium, quae in Pauli IV ſimulacrum, gentis inſignia et Inquiſitionis contumeliam, vacante ſede, admiſerat, venia, hac lege, ut damna ac detrimenta illata, quoad poſſet, ſuis ſumptibus ſarciret. Sed mox mutavit; quique hactenus humanus, patiens, beneficus, gratus, mitis ac pecuniae minime cupidus habitus fuerat, alios mores repente induiſſe viſus eſt. Acta fere omnia deceſſoris ſui reſcidit, alio inſtituto ordine: edicta revocavit: monachorum ac fratrum mendicantium, quos in coenobia, unde facultate a ſuperioribus pontificibus facta exierant, Paulus redire coëgerat, cauſas iterum cognoſci voluit: eorum item, quos haereticae doctrinae nomine ſuſpectos idem Paulus carcere attinuerat, cauſa denuo per Inquiſitionem, ſed adhibito temperamento, cognita, ab injuria vindicavit; inter quos praecipui ſuere Joannes Moronus cardinalis et Thomas [h] Sanfelicius Cavenſis epiſcopus, arctiſſima quondam cum Reginaldo [i] Polo neceſſitudine conjuncti. Inter alia vero, quae primis auſpiciis fecit, ſummae hoc prudentiae tributum eſt, quod imperatoriam dignitatem in Ferdinandum a Carolo V fratre tranſlatam, quam Paulus improbaverat, ratam habuit; ejuſque tanquam legitimi ac catholici imperatoris legatos perhumane et honorifice excepit.

VAR. LECT. [α] Mediolanenſi Aronae P.

INTERPR. [a] *Gabrio.* [b] *Lecco.* [c] *de Milan.* [d] *Mandello.* [e] *d'Altemps*, Germ. *Hoken Embs.* [f] *Sittick.* [g] *Arona.* [h] *San Felice, evêque de Cava.* [i] *le cardinal Pole* ou *Polus.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

RES Turcicae a Muſtafae et Zeangiris morte repetuntur. Diſſidia inter fratres Selimum et Bajazetem ex Roxolana ſuſceptos, ſuperſtite patre. II. Pſeudo-Muſtafae res ad Euxinum Pontum ſupra Byzantium novantis infelix exitus. Duſmes alter poſt Mahametis I mortem idem auſus dubiam de regni ſucceſſione controverſiam Amurathi II fecit. III. Bajazetes, qui ſuppoſiti Muſtafae motibus cauſam praebuiſſe arguebatur, Solymano patri interventu matris reconciliatur. IV. Achomates, qui poſt Ruſtanum loco motum in porto principem locum tenebat, quod in arcano rebus Bajazetis ſtudere ſuſpicionem feciſſet, in Divano Sultani juſſu ſtrangulatur. Hinc deſperatione Bajazeti injecta, poſt biennium, matre exſtincta, inter fratres diſſidia recrudeſcunt; ita primo a patre prudentiſſimo compoſita, ut, ablatis, quas conterminas obtinebant, provinciis, alias utrique adtribueret, et Selimum Iconium, Bajazetem Amaſiam, infauſto fraternae necis omine damnatam, migrare juberet. V. Tergiverſante ob id Bajazete, et interim pecuniam et militem Ancyrae cogente, haud occulto praetorianorum favore, pater, conſulto Mophti, cum Bajazetem reum divinae et humanae majeſtatis eſſe comperiſſet, vim contra vi ſe defendentem parat; et, Iconio occupato, idoneas copias Selimo ſummittit, cum quibus ille pugna ad Iconium cum fratre commiſſa ſuperior evaſit. VI. Bajazetes poſt rem fortiter ſed infeliciter geſtam elapſus in Perſiam iter infauſtum ingreſſus eſt; ratus Tecmaſen, Solymani injuria irritatum, qui fratrem ejus Elcoſem transfugam receperat, non gravate facturum, ut par pari rependens tutum ſupplici perfugium apud ſe concederet. VII. Eluſis in itinere ſtructis inſidiis, tandem ad Tecmaſem cum liberis accedit; a quo perbenigne initio accipitur, facto ſpe de jungenda matrimonio filia cum Orcane ipſius filio. Mox ex ſuſpicione, ſive Solymani metu, qui cum ingenti exercitu advenire nunciabatur, mutata voluntate, Tecmaſes, ſociis huc illuc per diverſa loca ablegatis, ubi condicta die ſinguli interfecti ſunt, hoſpitem inter ſacra menſae vinculis onerat, et liberos cuſtodia includit. Repoſcenti patri filium, et recuſante Perſa, quippe ultionem generoſi adoleſcentis, ſi elaberetur, metuente, tandem conſultius viſum, ut Tecmaſis permiſſu Bajazetes cum filiis necaretur. VIII. Miſſus ob id Haſſan praeguſtator Caſminum, qui, muneribus ad Perſam allatis, triſtis carnificis officio defunctus eſt: et, ne quid reliquiorum ſupereſſet, minimus natu, quem fugiens pater miſericordiae ovi reliquerat, Pruſiae ab eunucho juſſu Solymani ſtrangulatus eſt. IX. In Scotia Jacobus Stuartus nothus Moraviae comes quaſi defectionum in regno auctor regis literis inſimulatur. X. Miſſae e Gallia regenti auxiliares copiae, duce Broſſio, et cum eo Nic. Pellevaeus Ambianorum epiſcopus cum aliquot Sorbonicis doctoribus, ut religionis cauſa motus exortos componeret. XI. Foederati ea re irritati ſuperbo reſponſo Regentis imperio et auctoritatem detrectant, et foedus cum Eliſabetha Anglorum regina icunt. XII. Scriptum ab Angla publicatum; quo in Guiſianos invehitur, et invidiam foederis nuper initi diluit,

diluit, ſeque paratam militem e Scotia deducere oſtendit, ſi pace facta e Scotia Galli in ea militantes deducantur, et Guiſiani regis et Gallorum opibus abutentes deinceps injuriam a vicinis abſtineant, neque ſe per Scotorum latus petant. XIII. Per Michaëlem Seureum regis apud Anglam oratorem de revocandis e Scotia Anglis actum; et utrinque allatae rationes et honorifice diſceptatae, miſſo etiam Jo. Monlucio Valentiae epiſcopo in Scotiam, qui Pellevaeo gratioſior foederatis ſpem in futurum faceret regiae benevolentiae, modo ab armis diſcederent, et obedientiam regi reginaeque debitam praeſtarent. XIV. Interea miſſus Sebaſtianus Lucemburgicus Martigius, et poſt eum Renatus Ellebovii marchio regentis frater, qui Kethae inſulae obſeſſae et Lethae omni commeatu intercluſae ſuppetias ferrent. XV. Repulſis cum damno Anglis, et regente ad pacis conſilia inclinante, ac ſic cenſente, non aliter antiquam religionem ſervari poſſe, quam ſi libera ſua Scotis relinqueretur, venere ab Eliſabetha Gulielmus Cecilius et Nic. Wottonus; et Valentini epiſcopi et Caroli Rupifulcaudii Randani interventu tranſactum eſt. Sed Mariae regentis virtute incomparabili foeminae obitu interveniente paene res conturbata fuit; de qua poſtea convenit, magnoque plauſu, cum utroſque belli taederet, pax certis legibus promulgata, ſancita praeteritorum oblivione, et Lethae ac Dumbari munitionibus dirutis. Haec Sextili menſe acta, jam Amboſiana conjuratione detecta. XVI. Annus apud nos a laudabili lege in ſenatu promulgata incepit, de cooptandis in regni curiis et inferioribus ſubſelliis judicibus, ut gratiae et ſordis nundinationibus obviam iretur; quae aulicorum importunitate et malitia tandem obſolevit. XVII. In Guiſianos rerum potenteis initur conjuratio. Ejus origo, cauſae, praetextus. Conſultationes de ea inter Proteſtanteis theologos habitae. XVIII. Dux in arcano delectus Ludovicus Borbonius Condaeus; eique ſubſtitutus Godofridus Barrius Renaudius. Ejus gens, ingenium, adflicta fortuna, ſpecie litis privatae Condivicinum Namnetum adventus, et oratio vehemens ad conſcios; in quam conjecta ſunt omnia, quaecunque amarulente et invidioſe in Guiſianos tunc temporis per libellos et in coetibus privatis jactabantur: quae res ex fide narrantis, cum reticenda non eſſent, ita referuntur, ut ab inimicis hominibus ſtudioſe congeſta, et ad accendendos animos per convitium plerumque pronunciata intelligantur. Summam ſecundarii ducis fiduciam non minor ſuorum conſtantia ac fides in tanto facinore ſecuta eſt. XIX. Res tandem detecta ab homine minime malo, et qui ſolo conſcientiae ſcrupulo ad facti horrorem trepidantis attinebatur. XX. Gaſpar Colinius ſeveritatem ſuppliciorum, quibus Proteſtantes paſſim vexabantur, coram Catharina et Olivario cancellario deprecatur. Ex conſenſu Guiſianorum edictum ea de re conditum; quo praeteritorum gratia fiebat, excluſis ab ea novis concionatoribus, et qui religionis praetextu in regem, reginam, fratres ac primarios principes conjuraſſent. XXI. Nihilominus pergit Renaudius; qui, rei per Ligerum conficiendae ordine explicato, et die ac nominibus conſciorum per Ligerinum editis, in Caſtri-Reginaldi ſilva Pardallanium obvium interficit, et a famulo ejus in veſtigio ipſe occiditur. Captus interim Caſtelnous, Mazera, Villemongius, alii, ſupplicio mox adfecti. Hugonoti unde dicti. XXII. Malnius junior, qui de occidendo propria manu Guiſio fidem obſtrinxiſſe dicebatur, a Condaeo ne faceret prohibitus, elabitur. Ex indicio conſciorum et confeſſionibus damnatorum Condaeus merito ſuſpectus, tamen ſe ſumma fiducia in regis conſiſtorio tuetur; et, cum ſe vel certaminis alea objectas criminationes diluere paratum oſtenderet, Guiſius egregia diſſimulatione ſe quoque paratum oſtendit pro Condaei innocentia commune periculum ſubire. XXIII. Navarrus et in conſcientiam criminum occultis delationibus pertrahitur. XXIV. Fr. Olivarii mors, elogium. Optimo legum moderatori digniſſimus ſucceſſor Michaël Hoſpitalius deligitur.

Ex

Ex Auctoribus,

Augerio Giſlenio Busbequio, Annalibus Turcicis, Joan. Leunclavio, Jo. Leſlio Roſſenſi epiſcopo, Georg. Buchanano, Jo. Placio, Lud. Renerio Plancio, Jo. Serrano, Jo. Huralti Boetallerii commentariis, Literis et Actis publicis.

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

CIƆIƆLIX.
Franciscus II.

TURCICAS res, quarum ſparſim hactenus mentio facta eſt, nunc tempus eſt, ut continua narratione exſequamur. Praeter auxiliarem claſſem ad infeſtandam Italiae oram ex foedere ſingulis annis in mare Tyrrhenum miſſam, nihil dictu memorabile a Solymano geſtum audivimus jam a multo tempore, atque adeo ex quo nefandis [a] Roxolanae uxoris artibus et pernicioſo Ruſtani conſilio deceptus Muſtafam de medio ſuſtulit. In cauſa fuit exortum inter filios diſſidium, quod initio occultum, dein in manifeſtas inimicitias ac poſtremo in apertum bellum erupit: quod quamdiu duravit, tamdiu ab hoſte tam formidabili ſecurus Chriſtianus orbis quievit. Id nunc, re a principio repetita, explicabimus. Sublato Muſtafa ac mortuo Zeangire, nam Mahometes, uxore ducta, jampridem deceſſerat, cum ſupereſſent tantum duo ex Roxolana ſuſcepti, Selimus natu major voluntate patris ad imperium deſtinabatur; Bajazetes ſtudio ac pietate matris, ultro ipſum, ſi ſuo arbitrio ſtetur, fratri praelaturae et in imperio collocaturae, ſuſtentabatur. Et erant quidem in eo multa, quae illum non ſolum matri ſed omnibus amabilem reddebant: in ore comitas et ad obſequium compoſiti mores, atque adeo animus, ſicuti tunc apparebat, ad quietem et literarum otium inclinans. His accedebat vultus paternam imaginem referens, cum nulla paterni oris ſimilitudo in Selimo fratre appareret; qui multo gravis abdomine, tumentibus buccis, facie indecora, rubedine ſuffuſa, ut militari verbo polenta ſaginatus diceretur, vita inſuper inerti, quam per vinum ac ſomnum fere traducebat, cunctis faſtidio et odio erat: ad haec, in ſalutando nequaquam comis, nec beneficio demerendis hominibus natus; quippe qui palam profiteretur, nolle ſe populari gratia colligenda animum patris offendere et in ſuſpicionem ſui adducere. Hujus, qui patri uni charus ceteris inviſus erat, comparatione Bajazetes per ſe cunctis acceptus longe acceptiorem ſe Turcis reddiderat, qui, ſeu commiſeratione inevitabilis exitii, quod miſero a fratre impendebat, ſive ob indolem et propenſam de omnibus bene merendi voluntatem, ei impenſe favebant. Igitur Bajazetes, matris Ruſtanique gratia, qui ad tempus a gubernaculis remotus, ut Muſtafae mortis invidiam leniret, in eo erat ut rurſus rerum ſummae admoveretur, fretus, dum circumſpicit qua ratione neceſſitatis vim declinare ac certam perniciem cum imperio commutare poſſet; honeſtiusque exiſtimat, de imperio contendentem cadere, quam fratris juſſu ac carnificis manu inglorium jugulari; haec cogitanti non incommoda occaſio ſe obtulit iſta. Magnum ſui deſiderium reliquerat [a] Muſtafas, ita ut multos poſt eum vivere taederet: quidam ultionis ſtudio incendebantur: plures conſcientia attonitos habebat; qui, quod rebus ejus ſtuduiſſent, ut periculum averterent, rerum novarum cauſas quaerebant: dux tantum deſiderabatur. Muſtafas in vitam revocari non poterat: vivus fingi poterat; praeſertim conſtanti adhuc memoria et exemplo alterius

VAR. LECT. [a] Muſtafa P. D.o f ubique [illegible]

INTERPR. [a] *la Roſſa*

CIƆIƆLIX.
FRANCISCUS II.

rius Muſtafae, qui ob id Duſmes in annalibus Turcorum, quaſi ſuppoſitum dicas, appellatus anno Chriſti CIƆCCCCXXIII poſt Mahumetis I mortem ſe Bajazetis Gilderunis filium, qui tamen jam ante [a] Temuriano proelio interfectus fuerat, dictitans, magnos motus in imperio Turcico excitavit, et de regni ſucceſſione controverſiam dubio belli eventu Amurathi II fecit.

II. ERGO per Bajazetis emiſſarios homo vili loco ſed prompta ac projecta audacia ſuſcitatur, qui, ob ſtaturae, vultus ac reliqui habitus conformationem haud multum a Muſtafa abſimilem, ſe Muſtafam profiteri auſus, in ea parte, quae ſupra [b] Byzantium eſt ad [c] Iſtri fauces ſe oſtendere coepit. Ibi cum paucis, quos ſibi adjunxerat, comitibus, percunctantibus quis eſſet, initio timide Muſtafam ſe eſſe reſpondit, qui patris iram fugiens ſe aſtu e manibus ejus eripuerit: et, ut mendacio fidem faceret, narrabat, cum a patre accerſeretur, non auſum in conſpectum ejus venire, ſed ex conſilio amicorum quendam ſui ſimilem multis promiſſis oneratum pro ſe miſiſſe, cujus periculo de patris animo certior fieret: hunc, priuſquam ad Solymanum admitteretur, indicta cauſa, ſtrangulatum et ante tentorium projectum, propter mortis acerbitatem, dum cum carnificibus colluctatur, confuſis oris lineamentis multos feſelliſſe, qui Muſtafam vere interfectum credidere: ſe vero nihil cunctatum protinus fugam arripuiſſe, et facto ſupra Pontum per [d] Boſphoranos populos itinere huc incolumem perveniſſe. Haec tum in occulto; mox, ut pronis auribus ab iis populis accipi cognovit, palam concionabundus edifferebat, factum exaggerans, et invidiam in novercam derivans ac Ruſtanum ejus generum, qui deliri ſenis animum philtris excantatum ad libidinem circumagerent. Tum fidem hominum et opem adverſus injuſtam vim implorabat: et, ne inani rerum ſuarum deploratione apud homines qui felices potius quam calamitoſos colunt, eorum animos potius ad fortunam ſuam commiſeratione proſequendam quam auxilio ſublevandam incitaret, ſpes ſuas magnifice oſtentat: neque enim juſtae cauſae animos neque amicos ſibi defuturos, quorum ope ex hoc ſqualore emergat, et de inimicis poenas repoſcat: a ſe ſtare praetorianos, praecipuum imperii robur, et magnam familiae paternae partem; et quocunque nunc, quem mortuum falſo opinantur, lugeant, qui permulti ſint, ad auxilium vivo ferendum magno concurſu advolaturos. Quae res tanto artificio gerebatur, ut multi ob jucundam Muſtafae memoriam facile decepti fidem mendacio haberent; multi, qui Muſtafam vivum cognoverant, et mortuum in tapete jacentem viderant, odio praeſentis ſtatus fucum oculis ſuis fieri paterentur; plerique promiſſis ac donis Pſeudo-Muſtafae, nam in eam rem Bajazetes per ſuos emiſſarios pecuniam ſubminiſtrandam curaverat, prenſationibus denique ac blanditiis illecti ei in occulto faverent, et palam nomen militiae darent. Ita brevi tempore et magni illis regionibus motus excitati et numeroſae copiae undique collectae, jam juſti exercitus inſtar, ad ſigna convenere. Quibus de rebus certior factus Solymanus ſtatim negotium dat provinciarum praetoribus, ut malo graſſanti obviam eant, et, antequam vireis colligat aut latius ſerpat, conjunctis copiis opprimant; increpita interim eorum ſocordia, qui eo rem devenire paſſi eſſent: inſuper ad eos ex purpuratis [e] Pertaum, cui maxime fidebat, mittit, cum non ita magna manu, ſed ex fido quoque tribuno, centurione, ac decurione collecta, veritus, ne praetoriani, vel ſtudio partium vel donis ac largitionibus corrupti, ad eum ſigna transferrent, contra quem venerant. Mandatis acceptis, praetores haud ſegniter vireis jungunt, et terrore ac denunciatione periculi copias hoſtileis advenienteis diſtinent; quae jam convenerant, diſſipant: tum, ſuperveniente Pertao, ulterius procedunt; et jam non multum ab hoſtibus aberant, cum, ut in tali caſu ſolet, nondum ſatis confirmatum ac celeritate preventum

INTERPR. [a] *pugna contra Timurem, al. Tamerlanem* [b] *Conſtantinople.* [c] *Danube r.* [d] *les peuples qui habitent le long du Boſphore de Thrace,* hodie *le Canal de la Mer Noire,* al. *Mer Majeure.* [e] *Pertau Baſſa.*

Digitized by Google

tum Pſeudo-Muſtafae militem terror inceſſit ; ita ut primo pauci, mox omnes quaſi facto agmine promiſſorum immemores, poſito pudore ac deſerto duce, diffugerent. Captus Pſeudo-Muſtafas, dum poſtremus de fuga cogitat, et cum eo praecipui fraudis architecti, ac ſub cuſtodia ſtatim [a] Byzantium miſſi ; ubi, diligenti ac ſevera per exquiſita tormenta quaeſtione habita, de occultis Bajazetis conſiliis Solymanus cognoſcit. Fuerat illi in animo, poſtquam copiae, quantas deſtinaverat, conveuiſſent, ad eas ſe cum bona manu adjungere, et vel Conſtantinopolim recta, vel ad fratrem opprimendum, uti ſe occaſio in manus daret, ſuos ducere. Merſi omnes mari intempeſta nocte Solymani juſſu, minime e re ſua judicantis horum quidquam in vulgus efferri, ne domeſtica vulnera ſua principibus finitimis retegerentur ; interim Bajazeti facinus auſo graviter ſuccenſentis : quod uxorem ejus ſagacem foeminam minime latuit, quae, injecta rei apud maritum mentione, excuſata adoleſcentiae imprudentia et collectis majorum exemplis, primo delicto ignoſci petiit, et impetravit, precibus, lachrimis ac blanditiis remollito ſene plus juſto uxori obnoxio ; ita ut ille filio parcere decreverit, veniret tantum et ſua juſſa praeſens acciperet. Non deeſt officio mater, quae per literas occulte Bajazetem monet, ut quam primum accerſitus veniat : nihil fore periculi : nam patrem opera ſua omnem offenſionem ex animo depoſuiſſe. Bajazetes, etſi ad Muſtafae recens exemplum reſpectaret, tamen matris, a qua ſe non mediocriter diligi ſentiebat, fiducia fretus, ad locum colloquio deſtinatum accedit haud longe ab urbe. Ibi ex equo deſcendenti praeſto adſunt patris famuli, qui gladium et pugionem ponere jubent ; quod, in aliis uſitatum, in filio male conſcio timorem non mediocriter auxit : verum praeſentis matris ex feneſtella, linteo obducta, praeter quam venienti tranſeundum erat, voce confirmatus, depoſito metu, coram patre ſe ſiſtit, in genua procumbens. Heic Solymanus, poſtquam aſſidere eum juſſit, crimen ipſius multis verbis exaggerat, qui fratrem atque adeo parentem armis petere auſus eſſet : neque enim ſtetiſſe per ipſum, quo minus religionis ſtatus convelleretur, Othomanorum familia, cui ſoli hodie innitatur, per domeſticas diſſenſiones in extremum periculum adducta. Tamen ſtatuiſſe ei parcere dicit. Tum, multa de Dei providentia prolocutus, monet, ut deinde rerum futurarum curam relinqueret Deo, cujus arbitrio ac nutu regna transferuntur : nam, ſi ita fatum ſit, ut poſt mortem ſuam ipſe regni potiatur, id ratum fore ; neque in poteſtate cujuſquam eſſe inevitabilem fatorum ordinem turbare ; ſin aliter Deo viſum eſſet, inſani eſſe contra divinam voluntatem obniti : proinde tumultuari deſineret, neu fratrem quietum inceſſeret, neu ſenectuti paternae olim moleſtus canos ſuos ante diem veluti ad tumulum deduceret. Ad haec Bajazetes pauca pro tempore reſpondet, ut magis culpam deprecaretur quam purgaret ; ſeque in poteſtate patris futurum in poſterum pollicetur : ſtatimque parens jam ſereniore vultu poculum afferri jubet, ac filio porrigit. Bajazetes vero, qui vereretur, ne id ſibi ſupremum eſſet, tamen recuſare non auſus, quamvis maluiſſet, paulum ex eo hauſit : verum pater ſtatim ex eodem poculo bibens filium animi anxium hoc metu liberavit. Ita meliore fortuna, quam ſperaverat, cum patre congreſſus Bajazetes et in gratiam acceptus ad praefecturam ſuam remittitur.

IV. NEC multo poſt Achomatis, qui poſt veri Muſtafae mortem, Ruſtano ad leniendam facti invidiam dignitate moto, principem locum in aula obtinebat, mors ſecuta eſt. Huic crimini data, occultum olim in Muſtafam ſtudium et nuper in Pſeudo-Muſtafae ac Bajazetis conſiliis deprehendendis negligentia : quamvis non aliam ob cauſam eum interfectum multi exiſtimant, quam ut vacuus ademptae dignitatis locus Ruſtano relinqueretur : nam promiſiſſe Achomati Solymanum, ſigillum ſuum ab eo, dum viveret, non ablaturum ; cum autem Roxolana uxor inſtaret, ut

INTERPR. [a] *Conſtantinople.*

CIↃIↃLIX. FRANCISCUS II. ut id Ruſtano reſtitueretur, ne quid fieret contra promiſſi fidem; morte ejus mendacio occurrendum fuiſſe. Ac ferunt, tum Solymanum dixiſſe, mitius cum eo agi videri, ſi ſemel, quam ſi millies moreretur; quod futurum eſſet, ſi vivus indeſinenter ereptae dignitatis et in alium tranſlatae moerore cruciaretur. Itaque, cum mane in Divanum, is locus concilii eſt, horum omnium ignarus veniſſet, confeſtim affuit qui ei Solymani nomine mortem denunciaret: quo nuncio, qua erat animi magnitudine, haud valde commotus eſt; tantum carnificem a ſe removit, manibus pollutis attrectari non ferens. Cumque ad aſtanteis circumtuliſſet oculos, nihil turbato vultu unum ex iis amicum ſibi rogavit, ut hoc ſibi magni ac poſtremi muneris loco daret, ut ejus manu necaretur. Cui ille tandem exoratus morem geſſit: nervoque adducto et non una vice aſtricto, ſed remiſſo, ut ſemel reſpirare adhuc poſſet, ſic enim mandaverat, quaſi ſe mori ſentire vellet, ſuffocatus eſt; homo latrociniis et vita neſarie anteacta infamis, ſed ob fortitudinis admirationem et rei militaris peritiam ad ſummos honores evectus. Ea mors varie accepta, ut cuique mens erat, maxime omnium Bajazetem perculit: ſed benevolentia matris tutus eum dolorem diſſimulavit, et a perniciosis conſiliis, quamdiu illa vixit, temperavit: qua mox poſt biennium extincta, illa reſumpſit; et novam tempeſtatem, quae tandem in ejus caput recidit, magno ſuo malo excitavit. Tunc enim, quaſi nulla ſpe reliqua, omnibus pietatis vinculis ſolutis, veteres ſimultates cum fratre acerbius quam antea exercere coepit, modo ſtructis ex occulto vitae ejus inſidiis, modo vi aperte intentata, ſaepe incurſatis ejus provinciae finibus: nam Selimus Magneſiam, Bajazetes [a] Chiateam, conterminas provincias, obtinebat: et, ſi quos deprehendere poterat ex fratris domeſticis, male mulctabat: denique nihil reliqui faciebat, quo ejus exiſtimationem, quando vitae nocere non poterat, minui arbitraretur. Res etiam novas per emiſſarios homines ſibi addictos in urbe moliebatur: quibus de rebus a Selimo aemulo pater diligenter monebatur: curam haberet ſuae ſalutis: nam errare eum, niſi iſtas Bajazetis nefariorum conſiliorum proluſiones in caput ſuum verſuras intelligeret: non minus incolumitatem patris ipſius, quam fratris, indomitae cupiditati illius obeſſe: paterno ſe periculo, non ſuo, quod facile vitare poſſit, moveri. His rationibus accenſus Solymanus ad Bajazetem dat literas, et eum officii commonefacit; ac memorem eſſe jubet, non fore ſemper veniae locum: fratrem injuriis laceſſere, ſibi moleſtiam creare deſinat, cui breve tempus vitae ſuperſit; quo exacto, fore Deo curae, quae ſit amborum fortuna. Quae quamvis ſurdis auribus canerentur, tamen ille ad paterna juſſa non incommode reſpondebat: ſed facta dictis non conveniebant. Itaque, cum nihil de ſuſcepto conſilio remittere Bajazetem videret prudentiſſimus ſenex, alia ſibi ratione [illegible] disjungendoſque invicem fratres corporibus eſſe, quo animis inter ſe conjunctiores eſſent, quando vicinia, quae inter alias perſonas amorem conciliat, inter eos ſimultates exacerbaret. Itaque Selimum [b] Iconium, Bajazetem Amaſiam, infauſto fraternae necis omine damnatam, migrare jubet: et, quamvis nihil fecerat Selimus propter quod patri ſuſpectus eſſe poſſet, ne tamen cauſa maturaretur Bajazeti deſcendendi ad extrema, ſi ſolus praefectura moveretur, ex aequo parens aequus filios habitos videri voluit.

SELIMUS, qui ſciret haec in gratiam ſuam facta, mox paruit. Bajazetes contra, qui opportuniorem ad res moliendas praefecturam et urbi propinquiorem mallet, tergiverſabatur; modo lamentabilem fraternae necis memoriam cauſatus; modo poſtulabat, ut ſibi ſaltem in iis regionibus hybernare bona eum ipſius gratia liceret, aut in eam, ex qua Selimus decedebat, provinciam tranſire. Dum cunctatur, Selimus circuitu facto, [c] Pruſiadem ex adverſo [d] Byzantii in litore Aſiatico poſitam Bithyniae

INTERPR. [a] *Chiatea.* [b] *Cogni*, Belmo: *Conia* Leuncl. [c] *Burſa* ou *Burſia*, *Oſman-ili* Leuncl. [d] *Conſtantinople.*

Bithyniae urbem tendens, ei a tergo apparuit: quod criminari conatus apud patrem Bajazetes, tanquam id vitae patris ac ſuae inſidiandi conſilio actum eſſet, fruſtra fuit; quippe cum, patre conſcio, id Selimus feciſſet. Itaque ad miſeras preces rurſus revolvitur, ut omen infelicis provinciae vitaret, et ſibi de praefectura ex qua frater migraret, aut quacunque alia, parens gratificari dignaretur. Cum in ſententia perſtaret Solymanus, et de praefectura mutari non poſſe reſponderet, Bajazetes moras nectens patris voluntatem eludebat: non autem in milite legendo et armando, pecunia cogenda et apparatibus faciendis, qui ad ſui defenſionem et fratris oppugnationem pertinerent, tempus ſibi perire patiebatur. Quae quamvis non ignoraret infelix parens, tamen, cum ſciret omnium gentium oculos in hoc filiorum diſſidium verſos, leniter ſibi agendum exiſtimabat, ut, ſi fieri poſſet, citra ſanguinem minimo cum ſtrepitu hae turbae componerentur. Eo conſilio miſſi Mehemetus ad Selimum, [a] Pertaus ad Bajazetem, praecipui ex purpuratis, cum mandatis, ut ſtatim eorum uterque in provinciam ſibi attributam concederet: iiſque negotium datum, ne a fratrum latere prius digrederentur, quam illi provincias ſuas attigiſſent; ac Pertao imprimis, ut interim Bajazetis conſilia ac facta obſervaret. Mehemeti adventu laetus Selimus morem patri non gravate geſſit. Contra Bajazetes, qui alienum a rerum ſuarum rationibus duceret affixum habere unum ex fidis patris miniſtris, ſimulata in Amaſianam provinciam profectione, Pertaum fruſtra renitentem dimittit, praefatus velle ſe patrono eo apud patrem uti; cui et referre jubetur, ſemper praecipuam ſibi futuram mandatorum ejus auctoritatem, ſi per fratrem liceat, cujus injurias et non occultas inſidias amplius tolerare vix queat. Ex hoc reſponſo cum ſatis Solymano de Bajazetis mente conſtaret, ille confeſtim Graeciae praetorem, quamvis podagra laborantem, cum equitatu ad Selimum feſtinare et ei ſubſidio eſſe jubet: moxque reverſum Mehemetum cum fidiſſimis praetorianorum in Aſiam tranſire eadem de cauſa imperat, quos et ipſe ſubſequi ſtatuiſſe videri volebat. Sed reclamabant praetoriani et inviti ad ſigna conveniebant; fraterna arma ut ſceleris ac piaculi plena abominati: bellum hoc minime neceſſarium dictitantes, quo proinde ſuperſederi poſſit. Nam in quem ferrum ſtringerent? Bajazetem et ipſum imperii heredem, cujus conatus neceſſitate defenderetur. Haec non occulta murmura cum ad Solymani aures perveniſſent, ut erat religioni deditus, ſummum ſacrorum antiſtitem, Mophtim vulgo vocant, conſulit, quo numero habendus ſit, qui, ſe vivo, pecunias et militem cogat, oppida expugnet et imperii quietem turbet; item qui ejus caſtra ſequuntur, et talia molienti auxilio ſunt; item ii, qui contra talia patranteis arma capere detrectant, et nihil eum peccare defendunt. Ad haec Mophtis, eum hominem et qui ei favent et auxilio ſunt quovis ſupplicio dignos; qui autem contra eum arma ferre recuſant, tanquam religionis deſertores pro inteſtabilibus habendos reſpondet. Quo religioſo reſponſo Solymanus religione hactenus retardatus abunde dubitantibus ſatisfactum ratus, id in publicum efferri jubet; et opera praefecti cubiculariorum ad Bajazetem perferendum curat. Sub id tempus unum e cubiculariis Bajazetes cepit; poſteaque in urbem dimiſit, patri nunciaturum, cuncta ſibi cum eo pietatis officia conſtare, et, cum nulla arma contra ipſum moverit, non recuſare quin ei in omnibus dicto audiens ſit: cum fratre ſibi de vita ac dignitate certamen, cujus ferro aut ſibi neceſſario cadendum ſit, aut illi ſuo: huic diſſidio finem imponere nunc decreviſſe: proinde orare eum, ne ſe certamini huic ſuo interponat, ſed arbitrium ejus Deo relinquat. Additae minae a feroci juvene et jam viribus ex multis locis ad ſe confluentibus ſuperbo, ſi pater mare trajiceret, ut ſuppetias Selimo fratri ferret: nam ſibi exploratum perfugium eſſe; ſed non prius ex Aſia abiturum,

INTERPR. [a] *Pertau.*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

abiturum, quam ferro et flammis eam totam quaſi alter Tamerlanes vaſtarit ac deſolaverit. Quid perfugii nomine intelligeret, nimirum ad Perſam juratum Turcici nominis hoſtem defectionem, non latebat Solymanum; quem tamen eo tempore, quo nondum fratres ferro rem creverant, cum incertum eſſet in quem victoria inclinaret, ea cura maxime angebat, ne Bajazetes, intercepto Iconio, in Syriam penetraret, et inde in Aegyptum vicinam deſcenderet, apertam, nec ſatis in obſequio confirmatam, adhuc recenti Circaſſorum ac Mamaluchorum imperii memoria, ac proinde ad res novas opportunam: ex qua, ſi ſemel pedem in illa poneret, eum ejicere magnae molis negotium futurum erat, tam propinquis Arabibus, ad omnem motum, unde ſpes praedae eſſet, intentis, et trajectu ex ea in quamcunque Chriſtianae ditionis oram expedito. In ea cogitatione haerenti Solymano affertur, Axuar oppidum, cui Selimus filius praetoris titulo praeerat, a Bajazete captum eſſe, exactaque ingenti pecunia, foedum in modum direptum. Eoque ſibi magis maturandum ratus ille Selimum jubet quam primum Iconium occupare, et fratris conſilia celeritate antevertere, caſtriſque ante moenia poſitis, ibi paternis auxilia manere. At Bajazetes, non ignarus quantum operis ſuſcepiſſet, ad eas, quas jam habebat, novas vireis quotidie adjungebat: ac magnum praeſidium in Gordiaeo praecipue milite, Chiurium vulgo appellant, ponebat; qui quo die in caſtra venit, equeſtris pugnae ſimulacrum editum eſt, tanta ſimilitudine veri, ut multi utrinque caderent, plures vulnerarentur. Caſtra porrectis in campis ad Ancyram metatus fuerat Bajazetes, urbem ad omnes commoditates maxime opportunam, et pellices cum liberis in arce depoſuerat. Convenerant ad eum, qui matris, qui ſororis, quae Ruſtano nupſerat, beneficio eminebant; denique Muſtafae et Achomatis clientes, viri fortitudine et armorum peritia inſignes. Multos ſibi egregia oris praeſentia, vultus comitate, liberalitate, opinione virtutis ac ſuavitate morum ipſe conciliaverat, qui commiſeratione indignae fortunae movebantur; et indignabantur, cur pater talem hunc ſuam ſpirantem imaginem abdicaret, et ventrioſum inertem, nihilque paternae indolis referentem ei anteponeret: nam nullam in armis culpam eſſe, quae neceſſitate impellente ſumantur: idem feciſſe Selimum horum avum, quem non ſolum contra fratrem ſe armare, ſed etiam patris fatum accelerare vis neceſſitatis coëgerit: Solymanum ab eo acceptum regnum nunc legitime poſſidere: ſed longe diverſam illius ac Bajazetis cauſam eſſe; quippe qui patrem minime oppugnet, quem ut diu ſuperſit optet, minime fratri ipſi nociturus, ſi per eum quieto ac ſecuro eſſe liceat. His copiis ita animatis ſubnixus Bajazetes recta ad fratrem ducit, paternis opibus, peritis armorum ducibus, machinarum aenearum ingenti numero ac omni re ad bellum neceſſaria inſtructum: cum quo tamen non dubitavit proelii aleam ſubire, adhortatus ante ſuos, ut pugnam fortiter capeſſerent, nec numero terrerentur: nam, quos viderent paternos milites illinc corporibus ſtare, animis ſecum facere; et, ut ſerio pugnent, eorum felicitati Selimum obſtare, hominem ſecordem et inviſum, et qui tantum ipſorum ſanguinem ſitiat. Signis mox illatis, acriter utrinque certatur. Bajazetes ipſe diu inter primos verſatus et a ſuis conſpectus nullum non ſtrenui ducis ac militis munus obivit. Tandem, machinarum opportunis locis diſpoſitarum fulmine diſſipatis ſuis et a majore numero obrutis, poſtquam magna pertinacia et incerto diu eventu pugnatum eſt, multique ex hoſtibus cecidere, receptui ſignum dare cogitur: ſed ſenſim ſe recepit, victoria fratri relicta, ceterum inſigni virtutis laude etiam ab hoſtibus reportata, palam dictitantibus, meruiſſe eum ut vinceret. Et quidem Selimus, loco potitus, minime ſe movit, abeuntium terga ſpectare contentus. Figmentum adſtruunt ſuperſtitioſi Turci, e vicino veteris herois ſui delubro magnam vim exortam, quae tantum pulverem in ora militum Bajazetis tulerit, ut paene lucis uſu privarentur, et tanquam oculis capti huc illuc ſolutis ordinibus palantes

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

tes facile ab hoſtibus caeſi ſint. Solymanus, ubi de proelii eventu accepit, ſtatim urbe exit Nonis Junii hujus anni, et mare tranſmittit, haud longe a litore diſcedens, ut tantum e longinquo Selimi rebus adſpiraret, quem imperii heredem deſtinaverat, ſemper fidum et obſequentem expertus, cum contra Bajazetem ut contumacem et imperio, etiam ſe vivo, inhiantem averſaretur: quem et eo majore odio proſequebatur, quod ex illo quamvis adverſo proelio plus admirationis ac gratiae apud omneis ſibi conciliaſſet. Itaque tanto ad eum perdendum incitariore animo ferebatur, ne, quod Selimo parenti acciderat, formidoloſior victus evaderet, quam integer nuper feciſſet.

VI. FAMA illius tranſitus, quam ad perterrefaciendos Bajazetis amicos valituram rebatur Solymanus, effecit, ut Bajazetes, qui, patris contempto imperio, dolori ſuo et juvenili cupiditati obſecutus fuerat, conſilio depulſus, et itinere, quod affectaverat, deſperato, jam non falſo ſe Amaſiam cum ſuis reciperet, ibi quieturus ſi pater permitteret; cujus idcirco per literas et homines idoneos animum ſedulo periclitabatur, ſi qua ratione eum placatum habere poſſet. Nec ſe multum a reconciliatione alienum oſtendebat pater, admiſſis initio haud gravatim filii nunciis et literis ejus lectis; neque reſpondebat inclementer; ut fama jam totis caſtris ſpargeretur, veniam datum iri aetatis infirmitati, et patri cum filio tandem conventurum: quod ſumma diſſimulatione et artificio ab ipſo et a purpuratis fiebat, ut interea Bajazetem ea ſpe lactatum veluti indagine clauſum in poteſtatem redigerent. Siquidem verebatur Solymanus, ne Thamus ſive Tecmaſes, is tunc Perſis imperabat, memor [a] Elcaſem fratrem ad ſe profectum ac ſuis opibus ſuſtentatum pernicioſo bello cauſam dediſſe, parem gratiam referre vellet, et filium, ſi in ejus regni fineis ſemel penetraſſet, non ſine magna molitione ſibi extorqueri pateretur, ex eoque longius bellum oriretur, cujus occaſione Perſae amiſſa recuperarent: ideo omnem operam dabat, ut, antequam eo perveniret, opprimeretur. In eam rem praefecti continuis nunciis monebantur, ut diligenter omneis in Perſiam exitus ſervarent. Sed nulla diligentia aut cuſtodia ejus celeritatem antevertere quivit; qui, dum adfectata Solymani lenitate luderetur, cum reſciviſſet, quoſcunque pater nanciſci poterat ſavoris et ſtudii erga ſe ſuſpectos, eos tormentis graviſſimis ſubjectos in caput ſuum interrogari, moxque e medio tolli, ac multos jam, qui in ejus manus inciderant, eandem fortunam expertos eſſe, non amplius cunctandum ratus, de perfugio, quod ante Iconienſem pugnam animo agitaverat, ſerio cogitare coepit; et cum expedito comitatu iter inauſpicatum in Perſiam ingreſſus eſt, abductis ſecum liberis, unico excepto, quem recens editum ac proinde inſontem cum matre avi clementiae permittere, quam aerumnoſae ac miſerabilis fugae comitem aſſumere maluit. Eum ab initio Solymanus, dum de patris fortuna ex eventu conſtaret, Pruſiae educari curaverat: qui, altero, poſtquam Bájazetes Amaſia exceſſit, die, cum ita filium undique cinctum exiſtimaret, ut elabi non poſſet, quo magis eum falleret, reditum exercitui ſuo Conſtantinopolim indixerat, poſtridie Paſchatis. Nam etiam ceremonias Paſchaleis Turci celebrant, auctore non ſolum impiae ſed toti jam orbi Chriſtiano formidoloſae ſectae Mahometo, qui ex Judaica et Chriſtiana, quae Judaicam excepit, religionem novam ac prorſus monſtruoſam, confuſis divinis et humanis ceremoniis, quaſi ſaturam commentus eſt. Ubi ergo de profectione filii pater cognovit, quod praeter opinionem accidiſſet, mirum in modum commotus eſt, poenam capitis praetoribus, praefectis ac purpuratis interminatus, niſi vivum aut exſtinctum ſtitiſſent. Itaque illi conjunctis viribus, quam citiſſime poſſunt, veſtigiis fugientis inhaerent. Contra ille tanta celeritate utebatur, ut adventus ſui famam pleriſque locis anteverteret. Ac [a] Sebaſtopolitano quidem

VAR. LECT. [a] Elcam P. D. o. f. d.
INTERPR. [a] *le beglierbey de Sivas, al. Sevuar.*

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

quidem purpurato mira calliditate illuſit. Nam, cum duae viae eſſent, quarum una intercluſa, quam purpuratus ille inſederat, magnam itineri ejus remoram afferebat, miſit quoſdam ſpecie transfugarum, qui indicarent, jam altera via Bajazetem praetergreſſum: quod dum imprudenti probabile fit, anguſtiis, quas tenebat, protinus relictis, copias deducit; et, dum veſtigia quaſi antecedentis perſequitur, liberum ei tranſitum a tergo reliquit. [a] Erſerumenſi item purpurato pari aſtu impoſuit. Nam, praemiſſis qui ei ſalutem ſuo nomine nunciarent, ſeque protinus eodem venturum ſignificarent, ut dierum aliquot quiete equos apud ipſum reficeret, et ſolcas iis calceandis compararet, ipſe, dum ſpe adventus ſui purpuratum allas imparatum et propterea benigne reſpondentem paſcit, interea minime intermiſſo itinere noctem diei continuat; et tandem trans imperii paterni fineis evadit. Rem tamen ſecus de Erſerumenſi interpretatus eſt Solymanus, quaſi ille a filii partibus non alienus ejus fugam adjuviſſet: ideoque praefectura motus, et poſtea interfectus eſt a Selimo, cum duobus filiis, deteſtandum in modum prius conſtupratis. Impetus primo fuit furenti patri cum milite praetoriano et equitatu, quem habebat, accurrere, et bellum e longinquo Perſis oſtentare: ſed furentem retinuere ſuorum monita, quantum diſcriminis imperio impenderet demonſtrantium, ſi praecipiti audacia Bajazetes ſupra Pontum ac [b] Maeotidem paludem reflexo itinere ſe in urbem retuliſſet, et ſerviria ac tirones rerum novarum cupidos ad libertatem vocaſſet; praeterea metum ab infido milite ſpe praedae ac ſtipendiorum incitato ingerentium. Nam, quacunque iter habuerat Bajazetes, hoſpitiorum poſtibus inſcriptum reliquerat, ſe duplex ſtipendium militi, qui ad ſe tranſiiſſet, numeraturum: quae res ſuſpectos ducibus milites reddebat.

VII. TANDEM ubi [c] Araxem, qui Perſici et Turcici imperii fineis diſcriminat, trajecit Bajazetes cum ſuis, cum nec ſic ſecurus eſſet, quo tranſitu praetores inſequenteis prohiberet, cuſtodias in ripa diſponit: ſed, iis mox a praetoribus nullo negotio dejectis, et in regni penetralia ingreſſis, occurrere a Perſa ſatrapae, qui non aequum facere Turcos oſtenderent, quod contra foederis leges extra ſuos limites armati excurrerent. Cum Turci factum excuſarent, neque hoſtili animo in alienos fineis, ſed ut imperatoris ſui transfugam filium repeterent, ingreſſos ſe dicerent, excuſatione minime accepta, retro pedem vertunt, ſpe a Perſis facta, regem ſuum de Bajazete quod ſe deceret facturum, neque officio defuturum. Ita domum remiſſis Turcis, proxima Thami cura fuit, ut de Bajazetis fugae cauſis, ac numero ſociorum, quos ſecum adduxerat, cognoſceret. Fraternas inſidias et injuſtam patris iram obtendenti, ſupplicique ſibi perfugium dari obſecranti initio reſponſum, parum eum conſiderate feciſſe, qui ad ſe venerit, cui cum patre ipſius amicitiam intercedere ſciret, iis legibus ſancitam, ut eoſdem hoſteis et eoſdem amicos haberent: mox additum, ut, quando ita caſus tuliſſet, accederet, bonis avibus dextram jungeret, et hoſpitale tectum ſubiret. Ita cum Thamo congreſſus infeliciter Bajazetes, nulla tamen inſidiae aut alienae mentis indicia primo deprehendere potuit. Nam ſpes facta de reconciliatione cum parente; injecta et adfinitatis mentio, promiſſa Orcani Bajazetis filio una de Thami filiabus, reque denuo Bajazeti confirmata, non quieturum Perſam, donec Solymanus vel [d] Meſopotamiae vel [e] Babyloniae aut Erſerumi praefecturam ei dediſſet, in qua ſine ullo fratris metu longe a patre ſummotus aetatem agere queat: ſi quid durius ingruat, a tergo habiturus aſyli loco ſoceri fidem, cujus praeſidio ab omni caſu tutus ſit. Ex iis ſermonibus paſſim evulgatis tantam fiduciam ceperat Bajazetes, ut nihil inclementius de Thamo ſuſpicaretur; et, cum is oratorem ad Solymanum de reconciliatione, ſicuti jactabatur, Conſtantinopolim mitteret, per illum nunciari

INTERPR. [a] *le baſſa d'Erzerum* [b] *Mar delle Sabacche*, Arab. *Mar el azach.* [c] *Achlat*, ſive *Ares.* [d] *Diarbekir.* [e] *Bagdad.*

Digitized by Google

nunciari jubet, ſe quidem unum illic patrem amiſiſſe, ceterum in Perſia alterum reperiſſe. Dum haec fiunt, ſive jam ante de Bajazete perdendo cogitaverat Thamus, ſive ex ſuſpicione, quaſi Bajazetes cum ſuis hoſpitalis fidei immemor inſidias ſibi ſtrueret, mutata voluntate, tunc demum de eo in poteſtatem redigendo conſilium inivit. Patri virtute bellica diſpar Thamus otio et inerti vitae deditus intra regiae parietes clauſus cum pellicibus conſeneſcebat, deſidioſis obiectamentis tempus terens, exigua interim juris inter ſuos adminiſtrandi ac reipublicae cura. Eo fiebat, ut bellicoſi juvenis virtutem reformidaret, non ſolum in praeſens, ſed etiam in poſterum, ſi patri in imperio ſuccederet; ac proinde vereretur, ne ſerpentem in ſinu aleret; denique comitum ejus conſilia ſuſpecta haberet: nam auditae fuerant eorum plenae ſceleris voces, haereticum interficere, ſic Perſam vocabant, et imperium ejus occupare fas eſſe, blaterantium. Rem vi tentari periculoſum videbatur: pugnacium ſiquidem hominum et ad quodvis facinus ex deſperatione promptorum delectam manum ſecum adduxerat Bajazetes. Itaque id aſtu confieri conſultius exiſtimatum eſt: in eamque rem ſermo ex compacto injicitur, nimis anguſte eam multitudinem hoſpitari, nec ſuppetere tanto numero annonam: magis e re futurum et ad copiam commeatus et ad alias commoditates, ſi per loca circumjacentia diſtribueretur. Cui conſilio, quamvis cordatis viris et longius proſpicientibus ſuſpecto, refragari non potuit Bajazetes: quippe cui parendi neceſſitas incumberet, nec ulla ſpes aliunde reliqua in eo loco eſſet, ubi alieno nutu de lucro vivebatur, et de hoſpitis fide dubitare confeſſae perfidiae imputari poterat. Ita ſocii omnes in diverſa loca, haud unquam poſt illa inter ſe viſuri, deducuntur; in quibus captato tempore paucis poſt diebus pauci a multis circumventi interficiuntur. Eodemque fere momento Bajazeti inter ſacra menſae et hoſpitaleis epulas vincula indita, et ejus liberi cuſtodia incluſi. Tum multi hinc inde commeare. Nuncius etiam a Thamo quidam oratoris titulo ad Solymanum venit cum muneribus; inter quae erat formica Indica canis mediocris magnitudine, animal mordax ac ſaevum. Legato reſponſum, velle omnino Solymanum, quando id per foederis leges debeat Perſa, ut ſibi Bajazetes vivus tradatur: et ita, poſtquam honorifice acceptus eſt, dimittitur orator. Cum cunctaretur Perſa, Solymanus ſe ad bellum comparat, limitem Perſis vicinum praeſidio valido firmat, Mehemetum purpuratum et [a] Graeciae praefectum, de quo diximus, cum [b] praetorianis ad ea loca procedere jubet. [α] Nec non et Georgiani ſolicitantur, ut arma ſocia jungant; et Hyrcaniae reguli, qui quinque ex Tamerlanis poſteris ſuperabant. Ipſe Alepum Syriae [β] urbem, quam Berrhoeam fuiſſe autumant, venire decreverat: ſed averſa militum voluntas, bellum ut funeſti ominis deteſtantium, eum deterrebat: quippe multi a ſignis dilapſi et injuſſu ducis in urbem reverſi fuerant; qui, quamvis revocati rediiſſent, hoc tamen facto teſtatum relinquebant, quo animo futuri eſſent, ſi quis caſus aut mutatio incidiſſet. Cum nulla ratione filium vivum a Thamo extorquere poſſet Solymanus, ultionem quippe tam graviter offenſi hominis, ſi qua elaberetur, metuente, ſibi ſequendum, quod proximum erat, judicavit, ut illic Thami permiſſu necaretur. Idque ab eo impetrari poſſe ſpem faciebat, quod, cum ad ſe ſcriberet, ſemper conqueſtus fuerat, quod negligenter de ea re per nuncios ac literas tantum egiſſet, de qua ut ſemel tranſigi poſſet, opus eſſe, ut viros optimates ac praecipuae auctoritatis legaret, additis his verbis, non ſibi nihil cum debere, qui Bajazetem retinuerit: magno ſibi detrimento illius adventum fuiſſe, magnos ſumptus factos, quorum rationem haberi aequum ſit.

VIII.

VAR. LECT. [α] Diverſa parte Georgiani *P. D. o. f.* [β] urbem, ad Euphratem ſitam, venire *P.*
INTERPR. [a] *le beglierbey de la Romelie.* [b] *les Janiſſaires.*

CIↃIↃLIX.

FRANCISCUS II.

VIII. CUM igitur conſultius cenſeret Solymanus cum Perſa pecunia pugnare, quam hoc aetatis periculoſo ac minime neceſſario bello ſe involvere, miſſus Haſſan Aga cubiculariorum princeps, alii Solymani praeguſtatorem faciunt, a primis pueritiae annis cum Bajazete educatus, qui captivum videret, ne forte alius ejus loco ſupponeretur; eique comes additur purpuratus [a] Mataſſienſis aetate emerita clarus. Illi cum ampliſſimis mandatis media fere hyeme ac difficillimo itinere, deſideratis pluribus ex ſuis, [b] Caſminum ad Thamum proficiſcuntur: viſoque Bajazete, nam id ante alia legati poſtulaverant, ſitu ac paedore carceris deformato, ut niſi capillo raſo agnoſci non poſſet, convenit, ut, poſtquam Thamo de detrimento ac ſumptibus ab ipſo factis ſatisfactum eſſet, accepto praeterea munere tanta gratia digno, facultas eſſet Solymano interficiendi Bajazetis. Moxque eodem difficillimo itinere ac tempore recurrit Haſſan, et quid egerit hero ſuo renunciat; qui mutuus cum pecunia, ad quam damna et ſumptus aeſtimati fuerant, ad Perſiae fineis ſub firmo praeſidio deduci curat. Cum eo remiſſus Haſſan infortunati Bajazetis deſignatus carnifex: nam, ne fraus interveniret, eum ut propriis manibus ſtrangularet mandaverat Solymanus. Heic ubi in rem praeſentem ventum eſt, cum rogaret Bajazetes, ut ſibi ante mortem videndorum filiorum et dividendorum inter eos noviſſimi amoris oſculorum gratia fieret, non impetravit; ſed, juſſus agere quod inſtaret, injecta fidicula necatur; et poſt eum quatuor ejus filii, quos ſecum adduxerat, quorum corpora [c] Sebaſtiam deportata ſunt, atque ibi more recepto ſepulta. Nam minimus natu, avi juſſu, qui eum, cum adhuc incertum eſſet quem exitum ſortiturae eſſent Bajazetis res, Pruſiae educari imperaverat, miſſo ad id fido ſibi eunucho extinctus eſt. Accidit autem, ut is, cum teneriore eſſet animo, ſibi de janitorum numero quendam animi ad quodvis facinus obfirmati adſciſceret, cujus opera uteretur. Sed janitor ille, quantumvis ferox, ad conſpectum pueri viſo laqueo arridentis et apertis ulnis oſculum ferre geſtientis ita commotus eſt, ut ſtatim, anima linquente, conciderit: moramque admiratus eunuchus, qui foris adſtabat, cum ſe intuliſſet, et hominem in pavimento jacentem offendiſſet, ipſe officio, quod tantopere averſabatur, functus eſt, et propriis manibus infantis animulam eliſit. Multum tribuunt praedeſtinationi Turci, qui res quocunque conſilio inſtitutas, ſi feliciter cadant, ad Deum auctorem referunt. Idcirco non miſericordia nepoti eo uſque pepercerat Solymanus, ſed quod expectandum duceret, quorſum Bajazetis conata evaderent, ne, ſi poſtmodum res melius vertiſſent, Dei voluntati obniti voluiſſe videretur: nunc autem, illo divinae ſententiae praejudicio veluti extincto, nihil cauſae eſſe putabat, cur filio parceretur, in quo inde paternae culpae exemplum, hinc necis ultio metuebatur. Hic exitus turbidorum Bajazetis conſiliorum fuit, eo citius in exitium praecipitati quo magis vitatum cupiebat: ex quo apparuit, quam non ſolum nefario ſed inauſpicato conſilio et exemplo Roxolana, dum ſuis imperium parat, privigno necem maturaverit; cum mox occulta juſti Numinis ultione capitale odium inter fratres, ſublato utriuſque aemulo, exarſerit; cujus haec finis fuit, ut pater ſemel fundendo ſuorum ſanguini aſſuetus porro in eos ſaevire non dubitaverit, et illum ipſum, quem mater alteri praelatum maluiſſet, interfecerit. Sed quanto felicior mater fuit, quae, antequam vita excederet, certam ſpem tranſlati in ſuos imperii vidit, nec Bajazetis, quem tantopere diligebat, necem morte praeventa eluxit; tanto infelicior pater cenſendus eſt, cui longa vita hanc poenam dederit, ut duorum egregiae indolis ac magnae ſpei filiorum, totque praeterea nepotum cruore, quo uxori ſatisfaceret, et imperium tueretur, manus commaculare coactus ſit, nec aliam domi ac foris tranquillitatis conſtituendae, quam per ſuorum caedeis, rationem repererit.

IX.

INTERPR. [a] *le baſcha de Maraſch* [b] *Caſmin* ou *Casbin*. [c] *Siwas*

Digitized by Google

CIↃIↃLIX.
FRANCISCUS II.

IX. DIVERSA parte in Scotia, cum jam exercitus in eo eſſent ut confligerent, pactis [a] VIII Kalend. Sextil. in menſem Januarium ſequentem induciis, quietae res aliquandiu fuere, regente eo impenſius curante ne induciae violarentur, quod in ſuperiorum temporum promiſſis vulgo levitatis argueretur. Clam tamen ſparſi rumores, quaſi ſpecie religionis id ageretur, ut, ſtirpe legitima exſtincta, Jacobus nothus [a] Moraviae comes regnum in ſe transferret. Additae et literae a rege Franciſco et Maria uxore miſſae, quae idem praeferebant, regentis cura ad Jacobum perlatae. In iis poſt beneficiorum exprobrationem graviſſimae minae continebantur, niſi ipſe defectionis abjecto conſilio ad officium rediret. Quas criminationes ille contrariis literis diluit, et extra cauſam religionis, quam deſerere ſalva conſcientia nequeat, ſe ac reliquos, quibus invidioſum rebellionis crimen impingitur, in aliis rebus fore obſequentiſſimos dicit. Sub id tempus CIↃ auxiliares Galli [b] Letham appulerunt; quorum adventu regens priſtinos animos reſumit, de coërcendis defectoribus, ut ſibi perſuaſerat, jam certior. Inter haec [c] Araniae comes Jacobi Hamiltonii nuper gubernatoris filius, e Gallia elapſus, in Scotiam ad procerum conventum, qui Sterlini habebatur, venit. Is quod liberius cum Guiſio, mentione de religione ac rebus Scoticis injecta, eſſet locutus, ad [d] Eraldi-caſtrum in Pictonibus, ubi habitabat, capi juſſus, et ad inferiorum terrorem morti deſtinatus: id ſubodoratus erat ex cardinalis Lotharingi verbis ad ipſum delatis; qui in ſenatu Pariſienſi, cum in ſectarios vehementius inveheretur, addiderat, omneis propediem ſpectaturos ſupplicium hominis, qui, primoribus dignatione par, dignas ſua temeritate poenas lueret, et ceteris exemplo eſſet. Itaque ope amicorum fuga ſibi conſuluerat, et tunc praeter exſpectationem domeſticis tumultibus interveniens ad defectorum parteis ſe adjunxerat, idemque patri ut faceret perſuadere conatus fuerat. In eo conventu foederati, cum Letham a noſtris muniri cernerent, et milite ac commeatu firmari, ut ibi in rebus adverſis receptum, in proſperis portum ſuſcipiendis auxiliaribus haberent, accitis undique copiis locum obſidione cingere decernunt. Sed magnis difficultatibus implicatum erat negotium; quippe cum quidquid aeneorum tormentorum in regno erat, penes regentem et arcis Edimburgenſis praefectum, qui nondum cum illis ſe conjunxerat, eſſet; neque eas vireis haberent, quibus oppidum, ab una parte mari circumdatum ac fluvio, juſta obſidione claudere poſſent.

X. DUM in eo ſunt, [e] Broſſius conchyliati ordinis eques, et Guiſianorum partibus addictus, ab ipſis miſſus cum II CIↃ peditum in Scotiam deſcendit: cum eo venit Nic. [f] Pellevaeus epiſcopus [g] Ambianorum et aliquot doctores Sorbonici, qui de religionis controverſiis, ſi opus eſſet, diſceptarent. Cum ii diem ad explicanda mandata petiiſſent, a proceribus, qui [h] Edimburgi erant, non ſolum non admiſſi, ſed, quaſi bellum minarentur, non autem pacem quaererent, rejecti ſunt; hoc addito, ſi, milite dimiſſo, diſceptatum veniſſent, fore, ut audiantur, et omnes intelligant, ſe non tam vi compelli quam rationibus adduci potuiſſe: ceterum mirari, qui factum ſit, ut regens nullis injuriis laceſſita a pactis conventis tam cito diſceſſerit, ac, veteribus Lethae incolis expulſis, novam peregrinorum coloniam in ea collocaverit, arce ad legum ac libertatis interitum cunctorum cervicibus impoſita. Eadem fere qui Edimburgi erant poſt menſem ad regentem reſcripſerunt, hac inſuper petitione ſubjuncta, ut, munitionibus novis deſtructis, peregrinos alioſque mercenarios oppido emigrare juberet. Ad quae a regente per fecialem principem, quaſi inter hoſteis res ageretur, reſponſum eſt; praeter opinionem accidiſſe ſibi, ut alius quiſpiam ſit, qui praeter generum ac filiam ſuam, unde pendeat omnis ſua auctoritas, imperandi in

INTERPR [a] *Murray* [b] *Leith.* [c] *Jacques, appellé comte d'Arran, comme étant fils aîné de Jacques Hamilton duc de Châtellerault.* [d] *Châtelleraut en Poictou.* [e] *de la Broſſe, chevalier de S. Michel.* [f] *de Pellevé* [g] *Amiens.* [h] *Edimburg.*

NOT. [a] Dele VIII; lege IX *Vide* l. 21, *ad finem*

CIↃ IↃ LIX.
Franciscus II.

in Scotia poteſtatem habeat: [a] Caſtri Eraldi ducem in memoriam revocare debere, quae ſibi verbis, quaeque Galliae regi per literas pollicitus ſit; ſe regi dicto audientem non ſolum fore, ſed curaturum, ne filius ſe Scotiae turbis immiſceat: quae gerantur, parum promiſſis reſpondere: neque vero ſe de legum ac libertatis everſione cogitare; multo minus de regno per vim adquirendo: cur enim illud quaereretur, quod jam filia jure hereditario teneat? ſe publicae tranquillitatis cauſa facturam quidquid cum pietate erga Deum et obſervantia in reges minime pugnet: arma ſumpta contra eos, qui conjuratione palam ſacta legitimum imperium aſpernantur, ſeque inconſulta, quae ſupremi magiſtratus auctoritatem obtineat, ſtatum publicum pro arbitrio convellunt, captis urbibus, et cum veteribus regni inimicis ſoedere icto, quos etiam domi ſuae habeant: non abhorrere interea a pacis conſiliis, modo honeſtae rationes incantur; nec obſtare Gallos, quod illi obtendant, qui, regis ſui juſſu huc appulſi, jamdudum extra Scotiam forent, ſi per eorum molitiones licuiſſet: quapropter poſtulare ac pro poteſtate, quam habeat, imperare caſtri-Eraldi duci ac ceteris proceribus aliiſque cujuſcunque ordinis civibus ut ab armis ſtatim diſcedant; ſin minus, denunciare, eos perduellionis teneri.

XI. Ad haec mandata poſtridie, qui fuit x Kal. Novembr. factionis principes reſponſo admodum audaci ac ſuperbo dato regenti, ut male adverſus pietatem in Deum, Scoticae gentis publicum commodum ac libertatem animatae, praefecturam aut quocunque alio imperii titulo publicam rerum adminiſtrationem ſub regum nomine uſurpatam, corundem regum nomine, quorum ſe conſiliarios natos praedicant, ſuſpendunt et inhibent: et tamen pro reverentia, quam ei ut Scotorum reginae matri debent, orant, ut [b] Letha excedat; unaque ſecum intra xxiv horarum ſpatium mercenarios omneis milites, quorum ſanguini ob veterem, quae Scotis cum Francis intercedit, amicitiam libenter ſint parcituri, eos item, qui legatorum ad res diſceptandas aut gerendas nomen ſibi vindicant, oppido educat. Decreto facto, legationem regenti a genero ac filia datam inhibent, et magiſtratum omnino abrogant, eamque pro imperio quicquam agere vetant, uſque ad univerſorum ordinum conventum proxime loco commodo indicendum. Decreto omnes, qui aderant, ſubſcripſere. Ac biduo poſt fecialem Letham mittunt, qui Scotis denunciaret, ut intra xxiv horas oppido excederent, ſeque a publicae libertatis everſoribus ſegregarent. His actis, initio in foederatorum caſtris cuncta valde confuſa erant; in primiſque eos male habebat ducis imbecillitas, quem propinqui ita terrore impleverant, ut ejus timor multorum animos labefactaret. A re pecuniaria praecipue laborabatur, tumultuantibus paſſim ob non ſoluta ſtipendia mercenariis; cui malo ut mederentur, viſum eſt, ut vaſa ſingulorum argentea conflarentur: ſed ſublatis typis, incertum cujus fraude, id fruſtra fuit. Ab Anglis incerta ac lenta ſpes erat. Miſſus tamen clam Joannes [α] [c] Cocburnus Ormiſtonius, qui exiguam pecuniam ab Anglis quibuſdam [d] Bervici degentibus mutuam ſumeret. De cujus profectione cum cognoviſſet regens, per [β] [e] Bothuelium comitem, a quo ſibi minime metuebant foederati, Ormiſtonium cum pecunia redeuntem ex inſidiis aggreditur et vulneratum capit, fruſtra [f] Aranlae comite cum Jacobo [g] Stuarto, ut Ormiſtonium Bothuelio eriperent, Edimburgo ad auxilium ferendum egreſſis. Eodem die praefectus [h] Taodunanus temere cum mercenariis ac voluntariis Letham verſus progreditur; et adducta ſecum tormenta in colle proximo locat, ratus ſubſidio ſocios adfuturos. Verum noſtri, cognito hoſtilem equitatum longe abeſſe, ſtatim cum aliquot cohortibus exeunt, et mercenarios in ſugam vertunt. Clamore autem exorto, Gallos breviore via progreſſos ad portam urbis a tergo tendere, ut eos excluderent, ad eam vocem tanta perturbatio ſecuta

VAR. LECT. [α] Cocburnius *P. D. o. f.* [β] Botuelium *in Edd. omnibus.*
INTERPR. [a] *Chaſtelleraule* [b] *Leith.* [c] *Cockburn, ſieur d'Ormiſtoun.* [d] *Berwick.* [e] *le comte de Bothwell.* [f] *Arran.* [g] *Stuart, puis comte de Murray.* [h] *le provoſt de Dundée.*

ſecuta eſt, ut cuncti, qua proxime poterant, in tutum vagi diffugerent. Nonis deinde CIↃIↃLIX.
Novembrib. egreſſi, ut noſtros, qui commeatum Edimburgum importanteis inter- Franciſcus II.
cepturi exierant, reprimerent, acrius quam prudentius invecti et ab Edimburgo paene excluſi temeritatis ſuae poenas luerunt. Nam, cum hinc paludes, illinc ſepti voluptarii proximus murus iter anguſtum et ſcloppletariis noſtris obnoxium reddidiſſet, pedites partim a ſuis, partim ab equitibus obterebantur. Multi in eo conflictu deſiderati; pluresque procul dubio periiſſent, niſi Araniae comes et Moravius, equis relictis, aequato cum ceteris periculo, in tempore ſuis adfuiſſent. Tanta tamen trepidatio fuit, ut mox de urbe relinquenda conſultatum fuerit. Quod ubi a proceribus decretum eſt, de ſecunda vigilia iter ingreſſi, nulla decoris habita ratione, fugientibus ſimiles [a] Sterlinum tendunt. Inde quod impares ſe noſtris ſuſtinendis viderent, in Angliam Gulielmum [b] Maetellanum mittunt, qui auxilia a regina peteret, vel ea maxime ratione, quod Scotorum periculum ad Anglos ejuſdem inſulae civeis pertineret; nec dubium eſſet, ſi Galli in Scotia operibus ac praeſidiariis loca opportuna muniant, quin facilior via pandatur ad Anglorum vireis infringendas. Decreta poſt rem diu diſceptatam ab Anglis auxilia. Foederati interea in duas parteis diverſi abeunt: alteri [c] Glaſcuam petunt; alteri [d] Fifam miſſi. Noſtri de decretis auxiliis certiores, priuſquam advenirent, antevertendum rati, in eos primo, qui Fifam inſederant, faciendum cenſent impetum: atque in hoc itinere [e] Limnuchum et Hamiltoniorum poſſeſſiones vaſtant. Dein Sterlinum profecti, in eoque minimum commorati pontem tranſeunt; et, ſecundum flumen ducto exercitu, litus illud vicis et oppidis frequens legunt; et, direptis, quaecunque occurrebant, poſtremo [f] [a] Kingorninm veniunt. Cum Scoti ex adverſo [g] Deſertum, id nomen oppidulo eſt, cum paucis inſediſſent, ibi per XX dies levibus proeliis dimicatum fuit. Sed praecipue in domos ob ſociorum pertinaciam ſaevitum, ac Gulielmi [h] Kircadii inter alias; qui ut vindictam ſumeret, animadverſo [i] Baſtium Allobrogem cum ſua centuria ad praedas faciendas egreſſum eſſe, tam diu in inſidiis latuit, dum ſupra CIↃ paſſus Galli a praeſidio ſuo abeſſent: tum, miſſo equite, ſe medium interponit, et noſtros a ſuis excludit, qui in proximam vallem ingreſſi ſe maceria ſepibuſque tueri conantur. Tandem numero victi, cum ſe dedere nollent, loco vi capto, L ex iis interficiuntur; ceteri [k] Taodunum mittuntur, cum prius eruptione facta Baſtius cum paucis evaſiſſet. Buchananus falſo ſcripſit, ducem inibi occiſum, qui nunc adhuc, cum haec ſcribo, in vivis eſt. Interea delecti ex omni foederatorum numero, qui ad ſcribendum cum Anglis foedus [l] Bervicum proficiſcerentur. Foedus Bervici ictum XXVII Februarii anni ſequentis: cujus hae leges fuere: uti adverſus pere- CIↃIↃLX.
grinos, ſiqui belli faciendi cauſa in inſulam deſcenderent, ſibi invicem auxilia ſuppeditarent, Scotis in Anglia, Anglis in Scotia militantibus: Eliſabetha ſtipendium ſolveret; id Scotorum egeſtati datum: praeda viciſſim omnis Anglis cederet: oppida et arces ſtatim antiquis dominis reſtituerentur: Scoti obſides darent, qui, conſtante Franciſci cum Maria Scotorum regina matrimonio, atque eo ſoluto, in Anglia manerent.

XII. Nec multo poſt Eliſabetha, ut ſuſceptae Scotorum defenſionis cauſas redderet, et violati nuper icti cum Gallis foederis invidiam amoliretur, ſcriptum Londini publicat IX Kalend. April. et per Galliam diſſeminandum curat; quo ſe, quamvis graviſſimis injuriis affectam, titulis et inſignibus ſuis a Maria Scota uſurpatis, nunquam tamen in animum inducere potuiſſe dicebat, ut haec regis Galliae et uxoris ejus, qui ambo juvenes ſint, et per aetatem harum rerum, ut apparet, ignari, neque regii ſanguinis principum aut regni ordinum conſenſu ac conſilio fieri crederet; ſed potius

VAR. LECT. [a] Kingernium *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Sterling.* [b] *Maitland.* [c] *Glaſcow.* [d] *Fyfe.* [e] *Linlithgow.* [f] *Kinghorn.* [g] *Dyſert.* [h] *Kirkaldy, ſieur de Grange.* [i] *la Baſtie de Savoie.* [k] *Dundee.* [l] *Berwick.*

potius Guiſianorum hominum ambitioſorum artibus ac machinis, qui regnorum turbas ſuum compendium ducant, novandi ſtudio bella ex bellis ſerentes; quod ſe tranquillis rebus diutius illegitima potentia, qua ad amplificandam familiam abutuntur, frui poſſe deſperent. Nam quorſum titulos et inſignia Angliae, niſi in ſuam perniciem, aſſumi? aut cur ſpecie religionis arma in Scotia parari, niſi ut, diſtractis Galliae viribus, quorſum res interim inclinarent, omen captarent, ſi qua occupandi Britanniam occaſio daretur? Itaque cum iis ſaepius egiſſe, ut nomina illa ac titulos delerent, neque paterentur ex tam iniqua cauſa rurſus odiorum ſemina prope exſtincta ſuccreſcere: operam item darent, ut tumultus in Scotia ob religionem exorti, quos ob viciniam ac cauſae conjunctionem negligere non poſſit, amice componerentur: id autem commode fieri poſſe, ſi milites Galli inde deducerentur; quo facto, et ipſa ſuos revocatura ſit: atque, ut omnes intelligant quantopere tranquillitatis publicae et otii, cum inter ſuos tum inter vicinos populos, ſtudioſa ſit, recipere ſe effecturam legatorum ſuorum interventu, ut tumultus ſedentur, et debita reginae ſuae obedientia a Scotis praeſtetur: verum haec hactenus fruſtra fuiſſe, quod ſibi admodum doleat: nihilominus pacta nuper cum Gallis inita rata ac firma cupere, idque velle cunctis notum eſſe: ac propterea ſuis imperare, ut amicitiam ac commercium, uti antea, religioſe ac libere colant, de Gallis honorifice loquantur, nihilque committant, quo pacis leges violaſſe merito dici poſſint: optare viciſſim, ut Guiſiani regis et Gallorum opibus abutentes injuriam a vicinis abſtineant, neque ſe per Scotorum latus petant: quod ſi nihilominus perſeverent, non poſſe ſe officio deeſſe, et ſalutem amicorum ac ſuam in praeſenti diſcrimine ac tam neceſſario tempore deſerere: ac futurum ſperare, ut juſta a ſe arma ſumpta Deus juſtae cauſae vindex proſperet, ſeque ac ſuos adverſus iniquas hoſtium ſpes ac vireis ope praeſenti tueatur.

XIII. Eo ſcripto cum ſe magna invidia onerari cernerent Guiſiani, per Michaelem [a] Seureum equitem Melitenſem regis in Anglia tunc oratorem agunt, ut Eliſabetha copias in Scotiam miſſas revocet, neque homines natura praeferoces auxiliis ſuis contumaciores et erga legitimum regis ac reginae imperium magis inobedienteis reddat. Intervenere item rogati [b] Aquilae epiſcopus Philippi apud Anglum orator et [c] Glaionus magnus rei tormentariae praefectus. Miſſus et extra ordinem Joannes [d] Monlucius Valentiae epiſcopus, vir rerum Scoticarum non ignarus, et alioqui, quod Proteſtantium cauſae favere diceretur, minus Eliſabethae et foederatis in Scotia ſuſpectus. Verum, cum Angla in propoſito perſtaret, et niſi prius eductis e Scotia Gallis ſuos ſe non revocaturam confirmaret, Seureus denuo, commemoratis regis erga Anglos officiis, ut ita, purgato apud exteros principes rege, renovati belli invidiam in Anglos derivaret, non aliam regis mentem eſſe dicit, quam ut pacem a parente Henrico cum Anglis factam ſervet: copias in Scotiam eo conſilio miſſas, ut rebelleis ad officium cogeret: quo in negotio, antequam ad arma deveniretur, Eliſabethae amicam operam imploraſſe; ac nunc etiam cupere, ut ipſa mediam ſe interponat: neque enim armis ſuis aliud quaerere, quam ut aequa pax in Scotia conſtituatur, et obſequium regibus debitum reddatur; quod ſi Anglae interventu fieri poſſit, magnas ei gratias habiturum regem, et ſuas copias inde protinus deducturum: id ipſi jam per Valentiae epiſcopum ſignificaſſe; eoque mirari magis, quod nihilominus non ſolum auxilia rebellibus in Scotia miſerit, ſed etiam adverſus regem palam ac paſſim hoſtiliter ſe gerat: proinde, ut ſe a belli conſiliis rex alienum probet, denuo declarare, non aliud ſe velle, quam ut rebelles in Scotia ad officium redeant, et veniam deprecati regibus ſe obſequenteis in poſterum futuros promittant:

INTERPR. [a] *de Seurre, chevalier de Malte.* [b] *Aquila* [c] *Glaion.* [d] *de Montluc, évêque de Valence en Dauphiné.*

tant: quo facto, ipſum praeteritorum oblivionem ac delictorum gratiam ſancitu-rum, et vireis omneis, niſi quae ad ſuam et reginae uxoris dignitatem neceſſariae judicabuntur, inde deducturum pollicetur: quod ſi nihilominus Angli rebellibus Scotis praeſto eſſe ac ſuos oppugnare non deſinant, proteſtari, non ſponte ſed coactum ſe ad arma, quamvis juſta, deſcendere. Haec ſcripto comprehenſa Seureus reginae exhibet; et XII Kal. Maii paſſim publicanda curat. Dum res ultro citroque verbis geritur, noſtri, [a] Deſerto ac Vemio vaſtatis, [b] Cuprum petunt: cumque paulum ſecundum litus eſſent progreſſi ad promontorium, cui [c] Kingragio nomen, conſpecta claſſe, ſuos rati, magna laetitia perfuſi ſunt: verum, ubi Anglicam eam eſſe compertum eſt, et rumoribus allatum pedeſtreis eorum copias haud longe a Scotorum finibus abeſſe, mutato ſtatim conſilio, ſublatis ſignis, pars [d] Kingornium, alii [e] Fermelinodunum, plerique prae feſtinatione impranſi, retro abeunt. Jamque, ſive ſtatus praeſentis taedio, ſive Guiſianorum odio, multi, qui pacem ac libertatem quam bellum ac ſervitutem malebant, plerique etiam quod a Proteſtantium cauſa non alieni eſſent, minus aequos regiis ſe partibus oſtendebant; eoque magis, quod magna incommoda a noſtris patiebantur, praedis undique licentia nimia abactis. Ad hoc acceſſit vanus ſed tamen creditus rumor, id Gallis conſilii eſſe, ut, confecto bello, omnis nobilitas proſcriberetur, in quorum praediis mille cataphracti equites Galli collocarentur. Id ex ore [f] Broſſii ſcilicet exceptum et literis ejus ad regem ac Guiſianos interceptis, uti jactabatur, immane quantum Gallorum odium jam ob alias cauſas natum inflammavit. Itaque Fifani fere omnes, partim hoſtium metu, partim ſociorum injuriis coacti, in foederatorum parteis tranſierunt.

XIV. VERE adpetente, Sebaſtianus [g] Lucemburgus Martigius, perilluſtri loco [a] nec minore virtute adoleſcens, CIↃ pedites et aliquot equites duabus navibus e Gallia advexit: ſed, exſcenſione facta, dum naves negligentius cuſtodiuntur, nocte a Scotis fuerunt captae. Subſequebatur Martigium [h] Renatus Ellebovius regentis frater, qui VIII navibus pecuniam et alia neceſſaria portabat: ſed adverſa tempeſtate jactatus, unde ſolverat reveсtus eſt. Angli, nova claſſe ad priorem miſſa, firmiores jam toto freto libere volitantes [i] Ketham inſulam obſeſſam tenebant, et [k] Letham omni commeatu maritimo prohibebant. Diverſa parte, qui [l] Fifae erant, [m] Perthum profecti et cum [n] Huntilaeo collocuti ſeptentrionalem plagam ſolicitant et totam fere ad ſuas parteis pertrahunt, edicto propoſito ut ad Martii finem adeſſent. Cum ad [o] Limnuchum fere omnes conveniſſent, Kalend. April. [p] Hadinam profecti Anglis occurrunt, in quorum exercitu VI CIↃ peditum, II CIↃ equitum erant. Cum iis ad [q] Praeſtonium caſtra ponunt. Eodem die regens, quae ab extremis conſiliis ſemper aliena fuerat, et moderato imperio Scotos potius quam ſeveritate in officio continendos cenſuerat, ad haec fratres monuerat, ut, ſi religionem antiquam ſalvam cuperent, liberam ſuam Scotis relinquerent, partim ut ab incertis abeſſet, partim ut ſe a belli conſiliis alienam probaret, in [r] arcem Edimburgenſem cum paucis domeſticis conceſſit, ea in re uſa conſilio Henrici [s] Clutinii Oiſellii, cui illa plurimum tribuebat, celeri ingenio viri, ſed probo et uſu rerum exercitato, qui ad aequitatem potius quam ad Guiſianorum libidinem conſilia ſua dirigebat, et rerum amice componendarum ab initio auctor fuerat, novorum conſiliariorum violentiam, ut ad praeſentem rerum ſtatum minime accommodatam, palam deteſtatus. Arcem Edimburgenſem tenebat Joannes [t] Areskinus, vir innocentiae ac diligentiae ſpectatae; eamque hac lege ex publici concilii decreto cuſtodiendam acceperat; ut nemini niſi ejuſdem concilii juſſu

VAR. LECT. [a] nec minore virtute *deſunt P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Dyſert & Weeme* [b] *Couper.* [c] *Kincraig.* [d] *Kinghorn.* [e] *Dunfermling.* [f] *la Broſſe.* [g] *de Luxembourg, ſieur de Martigues.* [h] *René de Lorraine, marquis d'Elbœuf* [i] *Inch-keith.* [k] *Leith* [l] *Fife.* [m] *Perth.* [n] *le comte de Huntley.* [o] *Linlithgow.* [p] *Hadington.* [q] *Preſton.* [r] *le château d'Edimbourg.* [s] *Clutin ſieur d'Oiſel.* [t] *le lord Erskine, depuis comte de Marr.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

juſſu illam redderet: et, quamvis id unum ſummopere caveret, ne vi ſibi dolove ea eriperetur, regentem tamen tali tempore excludere noluit; ſumma prudentia in eo uſus, ut et officio non deeſſet, et tamen arcem in poteſtate retineret. Id ubi cognovere foederati, etſi regenti jam magiſtratum abrogaverant, tamen de eventu belli incerti, longe moderatiori oratione prid. Non. April. ad eam [a] Dalketho ſcribunt; et ſupplices orant, ut Gallos metum ſervitutis intentanteis regno emigrare jubeat, et deſperatae plebis animos concepta formidine liberet: iiſdemque literis proteſtantur, quamvis graviſſima patiantur, nullo periculo coactum iri ſe, ut ab obſequio erga reginam diſcedant, aut regi ejus marito ulla in re, quae non ad patriae libertatis interitum, aut ſuum poſterûmve exitium ſit ſpectatura, reſiſtant. Biduo poſt noſtri [b] Letha egreſſi, ut vicinum collem, in quo caſtra metaturum hoſtem opinabantur, occuparent, poſt longum certamen numero victi, in oppidum compulſi ſunt, inter haec ſaepius tentatis, ſed fruſtra, colloquiis, donec [c] Valentiae epiſcopus XI Kal. Maias in caſtra Anglorum et inde in arcem Edimburgenſem ad regentem venit, cumque ea biduum collocutus, ad foederatos rediit, ſed irrito itidem ſucceſſu.

XV. AB eo tempore nihil fere memorabile geſtum in Lethae obſidione uſque ad Non. Maii; niſi quod Angli, cum viderent globorum e longinquo venientium impetus evaneſcere, caſtris trans Letham fluvium poſitis, propius oppidum tormenta admoverunt, ut inde certiores ac validiores ictus dirigendi et cominus ac ſaepius cum noſtris confligendi facultas eſſet. Tum, igne forte in urbe accenſo, certatum fuit, dum crebra diſploſione noſtros, quo minus incendium reſtinguerent, prohibent, et eodem tempore impetum in murum facere conantur: quod cum non ſucceſſiſſet, IV Non. Maii molatrinae fere omnes, quae juxta oppidum erant, ab iis igne conſumptae ſunt. Demum Non. Maii ſcalis admotis Angli impetum fecere magna vi, ſed majore a noſtris repulſi ſunt: deſideratique ex hoſtibus ferme CC: quod, ut noſtris animos fecit, ita haud dubie foederatorum conatus infregit; quamvis [d] Norfolcius e ſua [i] provincia, quae latiſſimis finibus inter [e] Tuedam et [f] Trentam in limite porrigitur, promiſſis auxiliis Anglos ad continuandam obſidionem confirmaret. Nec defuit promiſſis fides, II CIↃ peditum mox ſummiſſis. Sed eodem tempore Gulielmus [g] Cecilius, cujus conſilio jam tum res Anglica nitebatur, et Nic. [h] Wottonus Eliſabethae juſſu de pace acturi in Scotiam venere: quorum adventu relangueſcere utrinque impetus coepere; cum noſtri ſpe omni auxilii praeciſa, commeatibus in dies arctioribus ac non diu ſuffecturis in extremam prope deſperationem veniſſent, et Angli diuturna et incommoda obſidione fracti, non minus quam Galli omnium rerum inopes, belli finem cuperent; Scoti denique, quod ſine ſtipendiis militabant, ideoque in caſtris contineri difficilius poterant, cum ſuo damno bellum, quicunque tandem ejus exitus futurus eſſet, geri viderent, concordiae mentionem pronis auribus univerſi accipere. Angli cum Carolo [l] Rupifulcaudio Randano et epiſcopo Valentino egerunt. Nam rex et Maria regina e dignitate ſua minime eſſe exiſtimabant, in aequam diſceptationem cum civibus ſuis venire. Cum jam res tranſacta crederetur, et ordinum conventus in Quintilem proximum indictus eſſet, mors regentis taedio ac moerore confectae, quae in IV Eid. Junias incidit, prope pacem conturbavit; quod, ea exſtincta, foederati turbidiora conſilia ſumptum iri metuerent. Erat enim excellenti ingenio praedita et animo ad aequitatem admodum propenſo; genteiſque ferociſſimas et extremos inſularum incolas virtute et conſilio ad officium perduxerat: et, qui remoto omni affectu ſincerius res exiſtimabant, ſic judicabant, nullum ei cum Scotis bellum fuiſſe futurum, ſi arbitrio ſuo res moderari licuiſſet;

INTERPR. [a] *Dalkeith.* [b] *Leith.* [c] *Valence en Dauphiné.* [d] *le duc de Norfolk.* [e] *Tweed.* [f] *Trent.* [g] *Cecil.* [h] *Wotton.* [l] *de la Rochefoucaud, ſieur de Randan*

NOT. [i] *provincia*] ſcilicet Norfolcio, utpote locum-tenenti generali in partibus Borealibus Scotiam verſus conſtituto, demandata. C.

licuiſſet: ſed, cum ex aliena, hoc eſt fratrum, voluntate penderet, et tantum precarium in Scotia imperium obtineret, quippe cui de ſummis rebus reſponſa tanquam oracula ex aula petenda eſſent, fiebat, ut interdum fidem minime ſervare et parum ſibi conſtare videretur. [a] Corpus in Galliam Caroli cardinalis fratris cura et ſumptibus tranſlatum, et [a] Durocortori Rhemorum ad S. Petri, cujus coenobii antiſtita erat Renata reginae defunctae ſoror, inſigni monumento in medio templi choro conditum eſt. Ejus morte etſi res mutaturas appareret, diligentia tamen legatorum noſtrorum effectum eſt, et Anglorum honeſtam ab armis damnoſis diſcedendi occaſionem quaerentium ſolertia, ut tandem incredibili omnium conſenſu VIII Eid. Quintilis die pax ſit promulgata, his fere conditionibus: ut Galli intra viceſimum diem, ſalvis impedimentis, enavigarent; naveis ad id, quoniam Gallicae ad tantam multitudinem tranſportandam non ſufficerent, Angla commodaret: Lethae muri diruerentur, ac [b] Dumbari munitiones dejicerentur: his peractis, Angli copias reducerent: Maria Scotorum regina, conſentiente marito, oblivionem omnium, quae in Scotia geſta aut patrata fuerant a V Eid. Mart. anni praecedentis ad Kal. uſque Sextileis hujus anni, ſanciret; eaque ſanctio in proximo ordinum conventu, qui in menſem Sextilem differebatur, approbaretur: conventuique habendo regis Mariaeque conjugis auctoritas accederet; quibus liceret, ne totius regni poſſeſſione dejecti viderentur, [c] Ketham inſulam et Dumbarum cum LX praeſidiariis Gallis retinere. Secundum haec, habito Edimburgi conventu, legatus in Galliam decernitur Jacobus [d] Sandelandius eques Melitenſis; qui paulo poſt in aulam venit, ut officio juxta pacis leges defungeretur. Is aſperrime a Guiſianis increpitus, quod, cum ſacrae militiae addictus eſſet, hominum execrabilis ſectae veneno infectorum mandata ad regem perferenda ſuſcepiſſet. Atque haec fere in id tempus inciderunt, quo rex gravius aegrotare coepit. Itaque ille ſine reſponſo dimiſſus ubi Lutetiam venit, inde in patriam rediturus, ibi eum nuncius de regis morte Eidib. Decembr. deprehendit.

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

XVI. VERUM jam tempus eſt, ut noſtra a principio hujus anni repetita contexam. Kal. Januarii, ut felicibus auſpiciis annus inciperet, lex promulgata, qua, ut judices ſpectatae integritatis et eruditionis in ſupremis regni curiis et inferioribus ſubſelliis conſtituerentur, edicebatur, ut in poſterum penes ipſos judices jus eſſet, cum aliquis in locum demortui ſufficiendus eſſet, treis probitate et juris ſcientia conſpicuos nominandi, ex quibus quem vellet rex deligeret. Id ſancte ac ſalutariter decretum Franciſci [e] Olivarii ſuaſu, ac multoties poſtea repetitum, quo minus locum habuerit, aulicorum ambitione et avaritia effectum eſt, qui, emolumentum ex muneribus publicis ac dignitatibus pretio irreligioſe aeſtimatis et turpiter divenditis captantes, ad augendum, ſicuti jactabant, principis aerarium pravis edictis judicum numerum in immenſum multiplicarunt. Et ita clariſſimus ordo, quem honorificum ſervari ad omneis regni ordines in officio continendos reipublicae intererat, paulatim coepit viloſcere, gliſcente ſordium veneno, quo indigni homines, nullis meritis, ſed opum fiducia aut aulicorum beneficio ad eos honores provecti, facile ſe corrumpi paſſi ſunt.

XVII. INTERIM querelis crebreſcentibus de publica regni adminiſtratione a regii ſanguinis principibus et ordinum concilio, ad quos jure et antiquis Franciae legibus pertinebat, ad Guiſianos tranſlata, conjuratio adverſus eos occulte iniri coepit, in quam plurimi nomen dederunt: alii praeſentem rerum ſtatum et inſolentem, ſicuti jactabant, Guiſianorum dominationem pertaeſi; alii religionis obtentu, cujus libertatem

VAR. LECT. [a] *De regentis corporis tranſlatione narratio deeſt, 3 lineis omiſſis,* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Rheims.* [b] *Dunbar.* [c] *Inch-keith.* [d] *Sandilands.* [e] *le chancelier Olivier.*

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

libertatem opprimi, et eos, qui illam profitebantur, crudelibus ſuppliciis quotidie lacerari indignabantur; alii denique rerum novandarum ſtudio, quos egeſtas, judiciorum pro factis metus, et conſcius flagitiorum animus exagitabat; iique quam plurimi erant, cum jam corruptis moribus regnum olim florentiſſimum et optimis legibus fundatum fatali converſione ad exitium inclinaret. Quaeſitus juſtitiae color; quod Guiſiani ſummum in regno imperium, ſpreta ordinum auctoritate, uſurpaſſent; quod regis imbecilli aetate abutentes armorum ad ſe contractam vim ad privatas opes firmandas verterent, aerarium expilarent, patriae libertatem opprimerent, religionis emendationem profeſſos vexarent, denique omnia conſilia ad reipublicae everſionem conferrent. Atque, ut cuncta jure et ſervato juris ordine agi viderentur, confecta acta ac probationes ſecretae, quoniam publice non poterat: habitae inſuper de ea re deliberationes et conſultationes clariſſimorum illius aetatis in Germania ac Francia juris-peritorum: exquiſitae et theologorum Proteſtantium ſententiae, an ſalva conſcientia citra violatae majeſtatis ac legitimi magiſtratus crimen liceret pro patriae ſalute ac libertate arma ſumere, Franciſcum Guiſium et Carolum cardinalem fratrem capere, atque ad uſurpatae adminiſtrationis ac geſtionis ſuae rationem reddendam adigere. Et illi quidem, ſecundum ea quae proponebantur, licere reſpondebant vim contra illegitimam Guiſianorum dominationem opponere, modo accederet regiae ſtirpis principum, qui in his caſibus legitimi ſint ac nati magiſtratus, aut unius ex iis auctoritas, et ex ordinum regni aut majoris ac ſanioris eorum partis conſenſu id fieret: quippe ſuperfluum aſſe regem ea de re monere, qui ob aetatem et nullum rerum uſum rebus ſuis ſupereſſe non poſſit, et a Guiſianis quaſi captivus teneatur, ut ordinariae juris rationi minime locus ſit.

XVIII. HIS animati rationibus quicunque tandem auctores fuerunt, de deligendo tam audaci facinori duce conſultare coeperunt. Nec diu quaerendus fuit. Nam Navarrae rex, ſive inſita remiſſione animi, ſive ſuorum metum intentantium, ſi ſe turbis miſceret, conſilio territus, ſatis habebat privatae ſecuritati ad tempus proſpicere. Itaque omnes ſtatim in Ludovicum Condaeum fratrem oculos ac vota conjecere, magni animi virum, et qui Guiſianorum inſolentiam exoſus, et alioqui egeſtate domeſtica preſſus, injuriam inferre quam pati mallet. Nomen tamen ejus initio non editum: ſed, more eorum qui delectus ſecretos per Germaniam habent, dux mutus jam tum conſtituitur; eique ſubſtituitur Godofridus [a] Barrius Renaudius, alias Foreſtus dictus, antiqua ac nobili familia in [b] Petrocoriis ortus, juvenis impiger; qui diuturna ac moleſta lite de ſacerdotio, quod avunculus ipſius in [c] agro Engoliſmenſi tenuerat, et a Jo. [d] Tilio Pariſienſis curiae protonotario vindicabatur, vexatus, cauſa tandem exciderat, et ob falſi crimen, quod forte incurrerat, ut fere evenit in hujuſmodi negotiis, grandi pecunia mulctatus ac poſtremo ad tempus relegatus fuerat: quo tempore, dum Lauſannae ac Genevae eſſet, multorum amicitias, qui ob religionem ſolum verterant, familiaritate conſecutus, eorum animos et aliorum, dum varias regni provincias diſſimulata perſona exſul pervagaretur, exploraverat: homo manu promptus et ingenio efficax, ad haec ultione ardens, et qui facinore inſigni judicii infamiam, quamvis ob alienum potius quam ſuum crimen damnatus eſſet, eluere vellet. Is igitur ducem ſecundarium quaerentibus operam ſuam ultro pollicitus eſt; negotiumque in ſe ſuſcepit provincias obeundi, et per ſe ac ſuos eorum animos, quos jam cognoverat, quorumque nomina ipſi data fuerant, conciliandi; quibus diem ad Kal. Februarias dicit, quo ad [e] Condivicinum Namnetum omnes convenirent, ea in re [α f] Garaenii nobilis Aremorici, qui ipſi Renaudio ſuccenturiatus fuerat, opera uſus. In ea tum civitate provinciae ſenatus habebatur:

et

VAR. LECT. [α] Garinii *P. D* o. f. d. *ubique.*

INTERPR. [a] *du Barry, ſieur de la Renaudie,* dit *la Foreſt.* [b] *Perigort.* [c] *l'Angoulmois.* [d] *du Tillet, greffier du parlement de Paris.* [e] *Nantes.* [f] *la Garaye Breton.*

et commodum viſum eſt, ut litis magni momenti obtentu, cui etiam matrimonii, quod inter nobileis frequenti amicorum et adfinium coetu celebrari aſſuevit, occaſio acceſſerat, conventus ille ſine ſuſpicione perageretur. Ubi igitur ſocii in urbem magno numero convenerunt, Renaudius per hoſpitia ſingulos inviſit; et eorum rurſus animos per Garaenium periclitatur, an in propoſito perſeverarent, et fortunam, quaecunque eveniret, pro tam juſta cauſa ſubire parati eſſent. Deinde in certum locum univerſos cogit; et, qua erat loquendi ac faciendi audacia, poſt mutuos complexus ac ſalutationes tali apud eos oratione uſus dicitur. Renidens illa, quam in frontibus veſtris, ſocii ac commilitones chariſſimi, et univerſa coetus facie cernere videor, vultus ſerenitas et animorum quies non ſolum inſolitam alacritatem teſtatur; ſed etiam in negotii, quod inſtat, explicandi ratione ſummam fidem ac conſtantiam ſpondet, nec dubitare nos ſinit, quin proſperos exitus habiturum ſit, quod tanta voluntatum ac ſtudiorum conſenſione pro republica ſuſcipitur. Enimvero, cum aetate florentes, prudentia maturi, rerum experientia exercitati, et, quod pluris faciendum exiſtimo, ſummo ſilentio ex longinquis locis huc conveneritis, ad id ſingulari ac raro Dei beneficio delecti, mirandum non eſt, ſi nec rei difficultatibus, nec periculi magnitudine, nec poenae, quam noxii timent, metu perterriti vitam ac ſanguinem ultro parati ſitis profundere, ut patriam in libertatem aſſeratis, et imminentem cervicibus liberis peſtem depellatis. Et, quanquam apud viros forteis et utraque fortuna ſpectatos verbis minime opus ſit, tamen, ut de rei peragendae loco, tempore ac ratione certius decernatur, et, ſi quis ſcrupulus, quaſi arma, quae pro republica ſumimus, minus juſta ac legitima ſint, *in generoſis mentibus haeret adhuc*, penitus evellatur, de re ipſa pauca dicere operae pretium exiſtimavi. Jampridem cunctis, ut arbitror, conſtat, contra regni leges ac dignitatem factum eſſe, ut Guiſiani, homines peregrini, amotis a reipublicae clavo regii ſanguinis principibus, ſummum Imperium in Gallia uſurpaverint: idque vobis et rationibus et libris ea ſuper re editis abunde perſpicuum eſſe puto. Quo autem eorum pernicioſa ac bonis omnibus merito ſuſpecta conſilia ſpectent, neminem, uti credo, latere poteſt, qui ſaltem cognitum habeat, quibus initiis, progreſſu, artibus ac machinis fatalis gens ſe Galliae inſinuaverit, et per adfinitates paulatim ad hoc faſtigium aſcenderit. Quod ut clarius fiat, rem, quia ad propoſitum facit, altius ducto initio repetam. Joannes dux Lotharingiae, quam Galliae regno ablatam hodie ea gens Imperii Germanici beneficiaria tenet, Carolum et Fridericum filios ex Sophia Wirtembergica reliquit: quorum ille cum ex Margarita Roberti [a] Baioari comitis Palatini filia complureis liberos ſuſtuliſſet, Iſabella, mortuis fratribus ac ſororibus, praelata Renato Ludovici [b] Andium ducis filio, Joannis regis pronepoti, denupſit, et Lotharingiae principatum pro dote in mariti domum intulit. Ex eo matrimonio Iolanda nata; quae, Renato parente a Philippo Burgundione capto, poſt diuturnum in [c] Divionenſi arce carcerem, Friderico [d] Valdemontio Antonii filio, Joannis Lotharingiae ducis pronepoti, nupſit. Mortuo deinde Ludovico grandiori natu fratre, Renatus in regnum Neapolitanum et [e] Provinciae principatum ſucceſſit: demum regno Neapolitano ab Arragoniis depulſus, poſt Iſabellae uxoris mortem, Joannem filium in Lotharingia, quae ei ex matris hereditate obvenerat, reliquit. Joanni morienti filius Nicolaus ſucceſſit, qui, antequam uxorem duceret, deceſſit, Renato ſuperſtite, qui in Provincia et Andibus vitae reliquum exegit. Joannis et ejus filii morte Renatus Friderici Valdemontii filius Lotharingiae et [f] Ambarorum hereditarios principatus crevit anno ſalutis CIↃCCCCLXXIII, a Provinciae ſucceſſione ab avo excluſus, in quam ille Carolum [g] Cenomanorum comitem, Caroli fratris filium, ſe extincto, [α] Andinae familiae

VAR. LECT. [α] Andegavenſis P. D. o. ſ. *abſque*.
INTERPR. [a] *de Baviere.* [b] *d'Anjou.* [c] *le château de Dijon.* [d] *le comte de Vaudemont.* [e] *Provence.* [f] *Bar.* [g] *du Maine.*

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

familiae futurum principem, ſuccedere maluit, quam Iolandam filiam et ex ea nepotes, tanquam externos, quos ob elocatam Friderico tunc hoſti filiam, non ſponte, ſed ut ſe diuturni carceris moleſtia liberaret, minus diligebat. Renatus is gratiam, quam Philippo Burgundiae duci debebat, cujus opibus ſubnixus Fridericus ipſius parens Iolandam duxerat, et per illam adfinitatem in ſpem Lotharingiae recuperandae venerat, abunde Carolo Philippi filio retulit, cum eum per deteſtandam ingratitudinem apud [a] Nanceum oppreſſit, ac perfidioſe interficiendum curavit. Is poſtea, cum irritam in Italiam expeditionem ſuſcepiſſet, quaſi in regnum Neapolitanum ſucceſſurus, et mox de Provinciae comitatu quaeſtionem Ludovico XI moviſſet, qui eam ex Caroli Cenomani ſine liberis mortui teſtamento jure legitimo poſſidebat, injuſtos tamen titulos vana pro tempore oſtentatione, ſed iniqua in poſterum ſpe, retinuit, et ad poſteros tranſmiſit. Ille idem, cum primo ſimulatis nuptiis Margaritam Gulielmi [b] Haricuriani [c] Tancarvillae comitis filiam, et ampliſſimorum bonorum, quae Lotharingi hodie in [d] Caletenſi agro poſſident, heredem, duxiſſet, et tabulis dotalibus ad donationem illorum bonorum adegiſſet, poſtea deformitatem et ex deformitate ſterilitatem cauſatus miſeram foeminam repudiavit, et tamen bona retinuit, ac, priore illa uxore ſuperſtite, Philippam Caroli [e] Geldriae ducis ſororem ſuperinduxit, ex quo matrimonio plureis liberos ſuſcepit: ſed ſuperſtites patri fuere Antonius, Claudius et Joannes, qui duo in Francia primi larem fixere. Et Claudius quidem ingrati patris filius, ut paternam ingratitudinem impietate cumularet, quaſi ingratitudo ad impietatem gradus eſſet, Antonium fratrem, quod is, viva Margarita, ex Philippa natus eſſet, tanquam ex adulterio procreatum Lotharingiae ſucceſſione dejicere voluit, ne communis quidem matris pudori parcens: quod cum fruſtra tentaſſet, et in patria impius eſſe non poſſet, ſpes iniquas ſecum in Galliam, aſſumpto jam tum, ſed clam, Andini nomine, attulit, et, uxore ducta Antonia Borbonia, Navarri et Condaei amita, [f] Campaniae ac Briae praefecturam Joannis cardinalis fratris, qui gratia apud Franciſcum pollebat, commendatione obtinuit. Et, quanquam ſub rege generoſo, et qui majeſtatem laedi aut illudi ſibi non facile patiebatur, inſitam ambitionem ſumma diſſimulatione tegeret, praevalente tamen natura ingenium tandem renudavit, cum Antonio, ab Anabaptiſtis, uti aiebat, infeſtato, injuſſu regis ex praefectura ſua auxiliareis copias adduxit: quod adeo impatienter tulit Franciſcus, qui his praeludiis patientiam ſuam tentari interpretabatur, ut, niſi in Joannis fratris et Annae Momorantii, qui factum excuſavit, gratiam, nunquam eam injuriam condonaturus fuiſſe credatur: quam tamen ea lege remiſit, ut Claudius in poſterum aula abſtineret, neque in ſuum conſpectum veniret. Ejus rei memoria cum tenaciſſime in Franciſci prudentiſſimi principis animo, quamdiu vixit, haeſiſſet, moriens ille inter ſalutaria praecepta, quae de poſteritate ac regno ſolicitus Henrico filio dedit, in primis eum monuit, ut ſibi a Guiſianorum ambitione caveret, ac proinde eos publicae rei gubernaculis ne admoveret. Sed quorſum haec? nimirum ut omnes intelligant, quibuſcum res nobis ſit; cum iis videlicet, qui hereditaria ambitione et quaſi tradita per manus aliena invadendi cupiditate flagrantes nihil aliud mente agitent, quam regis ac regiae ſtirpis perniciem, patriae libertatis oppreſſionem, reipublicae denique univerſae everſionem; neque quidquam penſi faciant, dum per neces, criminoſas ac calumnioſas accuſationes et proſcriptiones privatam libidinem exſatient, et antiquum poſtremo nominis Gallici decus homines peregrini omnino aboleant. Nunc ad illos reſpice, qui Claudio procreati apud nos rerum potiuntur. Henricus monitorum patris immemor ubi Lotharingos publicis muneribus praefecit, quid illi non auſi, non ſtatim moliti ſunt? quo non inſolentiae genere denique graſſati fuere? A Momorantio ipſo, cui parens incolumitatem debebat, initium

INTERPR. [a] *Nancy.* [b] *de Harcourt.* [c] *Tancarville.* [d] *pays de Caux.* [e] *Gueldres.* [f] *Champagne & Brie.*

initium fecere; quem magiſtri palatij dignitate exuere conati ſunt, edicto propoſito, ut, qui duo munera ſimul tenerent, altero dimiſſo, alterum optarent. Quod cum ab Henrico impetrare non potuiſſent, ne fruſtra edictum ſuaſiſſe viderentur, cardinalis Lotharingus Turnonium collegam cancellarii conchyliati ordinis dignitate ſpoliavit, et, adfinitatis cum [a]Valentina, quae apud regem veneficiis devinctum cuncta poterat, contractae beneficio uſus, res in aula et paſſim in regno miſcendi conſilium dedit. Ita expulſus Petrus Lizetus; qui, licet purioris doctrinae cultoribus infeſtus, ſumma innocentia, quod ejus inopia abunde teſtata eſt, locum ſupremum in ſenatu Pariſienſi totos xx annos tenuerat: eique crimini datum, quod non eum honorem Lotharingis proceribus tribuiſſet, quem ſolis regiae ſtirpis principibus deberi ille contendebat. Mox et Franciſcus [b] Olivarius ejus quoque inſtigatu a Valentina domum relegatus eſt, quod eum ad priſcam ſeveritatem jus dicturum ſciret: quem tamen ille, ut facti invidiam purgaret, otio ſuo, quo felix domi vivebat, nuper ereptum, in turbas retraxit, ut eſſet non tam rebus ſuis opportunum, quam honeſtum illegitimae potentiae contra regni leges uſurpatae velamentum. Ille ipſe cardinalis ſtatim poſt Henricum regno inauguratum Romam profectus, nomine [c] Andini aſſumpto, jam ſe in regiam familiam inſerere cogitabat: ſed Momorantius, quo conſilia ambitioſae gentis tenderent ſubodoratus, regi auctor fuit, ut Lotharingos moneret, Andinis inſignibus contenti eſſent, nomine abſtinerent. Tunc et a Guiſianis ſchedula reddita, quam ab Henrico, cum Delfinus eſſet, blanditiis et pravis artibus extorſerant; qua princeps facilis de reſtituendo [d] Provinciae principatu, cum primum ad regnum veniſſet, fidem interpoſuerat. Quo quid audacius aut impudentius fingi vel dici poteſt? At Guiſii in regem et Galliam egregia merita praedicantur. Age vero de iis, ſepoſito omni affectu, videamus. [e]Metim a Momorantio ſumma ſolertia captam contra potentiſſimum Caroli v univerſas Germaniae vireis ſecum trahentis exercitum feliciſſime tutatus eſt. Qui rem in majus extollunt, felicitatem in eo non virtutem Guiſii laudant; cui urbis munitiſſimae, Gallicae nobilitatis flore ac delecto peditatu firmatae, defenſio commiſſa ſit adverſus clariſſimum olim imperatorem; quis enim negaverit? ſed tunc decrepitum et ex deſperatione rerum ſuarum, potius quam conſilio, eam obſidionem aggreſſum; ut ſcilicet Germanorum amiſſam benevolentiam ſibi conciliaret, et acceptam nuper in turpi et inopinata ex [f] Oeniponte fuga ignominiam aliquo operae pretio elueret: cui in illa obſidione plus negotii ac certaminis cum adverſa tempeſtate et foeda hyeme, cum familiari arthritide, quam cum Guiſio ac noſtris fuit; qui interea a coeli injuria tuti domi ſedebant, et irritos hoſtium conatus de exitu ſecuri ridebant. Quod a Momorantio dici ſolitum, qui haud longe hinc aberat ad omneis caſus praeſto futurus, cum ad Guiſium relatum eſſet, hominem gloriae ultra modum cupidum maxime pupugit, veteres ſimultates jampridem cum aemulo exercentem. Sed laudem Metenſi obſidione partam [g] Rantiaca pugna paene obliteravit: in qua Guiſius cum longius a certamine [*] abreptus eſſet, a [h] Caſtellionaeo officii admonitus et in viam reductus eſt. A quo tempore ille odio implacabili, et quod ſola morte finiri queat, [** monitorem importunum proſecutus eſt.] Quanquam de homine aliis bellis ſpectato nihil [α] tale pronunciare velim; ſatiſque habeo perniciosa ejus ac Caroli cardinalis fratris conſilia in medium proponere, eaque vobis examinanda relinquere. Sed demus omnia a Guiſio praeclare bello geſta eſſe; an tanti ea ſunt, ut contra damna

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

P. [*] *parum decore*
P. [** *monitorem tanquam dedecoris ſui oculatum teſtem proſecutus eſt.*]

VAR. LECT. [α] tale *deeſt* P.

INTERPR. [a] *la ducheſſe de Valentinois.* [b] *le chancelier Olivier.* [c] *d'Anjou* [d] *Provence.* [e] *Mets,* [f] *Inſpruck.* [g] *de Renty.* [h] *de Coligny, ſieur de Chaſtillon, amiral de France.*

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

damna ac cladeis, quae hujus ambitione in regno acceptae ſunt, quaeque viam malis impendentibus et ultro ab illis accerſitis ſtraverunt, in compenſationis rationem venire poſſint? Induciis ante quinquennium pactis cum res noſtrae in Italia et Belgio vigerent, hoſtium attritae eſſent, omnes in ſpem pacis honorifice in regno conſtituendae venerant: quod ſi eveniebat, ſpes illorum per bella ac turbas graſſantium omnino evaneſcebant. Itaque non prius quievere, quam defendendi pontificis praetextu, deliri plane ſenis et fratris filiorum ad libidinem ſe circumagi patientis, pacem turbarent, et ruptis alieno tempore induciis, abductoque ſecum in Italiam praecipuo regni robore, Galliam hoſti proderent. Quae mala inde conſecuta ſint, omnes ſcimus; nec niſi cum lachrimis recordari poſſumus; quae tamen illi, ex publicis cladibus privatum commodum aucupantes, in laetitiam occultam vertunt. Nam, interfectis tot [α] generoſis ducibus et capto cum pleriſque aliis ad [a] Quintini-fanum Momorantio, Guiſius, qui male rem in Italia geſſerat, quod unum votis omnibus optaverat, ut aemulo videlicet ſublato ſummam rerum teneret, ſpe citius conſecutus, quaſi parto triumpho [β] in Galliam advolat; et, amoto ab armorum praefectura [b] Nivernio, [c] Caleti obſidionem jam diu a [d] Senarpontio deſignatam, et quam Momorantius, niſi captus fuiſſet, exſecuturus erat, ſuſcipit, loco prius a P. Strozzio luſtrato et firmitudine ejus diligenter explorata. Ex cujus oppidi expugnatione magnam famam meruit: et, quamvis praecipua opera [e] Andeloti et [f] Eſtraei uſus eſſet, malam gratiam alteri retulit, quem per fratrem cardinalem ad regem delatum quaſi ſectariae pravitatis veneno infectum carceri mancipandum curavit, peditatus Gallici praefectura Monlucio Lotharingis addicto attributa. Eandem fortunae gratiam expertus eſt eodem anno, cum [g] Theodonis-villam, cujus obſidionem jamdudum [h] Vetus-villa urgebat, ex Strozzii itidem conſilio ad turrim facto impetu cepit. Sed, cum conveniſſet, ut ſtatim, ea urbe capta, Guiſius ſe cum Paulo [i] Thermo conjungeret, qui ea fiducia in [k] Pleumoſios deſcenderat, ille, qui Thermi optimi viri ac fortiſſimi ducis gloriae invideret, tempus reficiendo militi, ut aiebat, inutiliter contrivit, et affectata xx amplius dierum mora Thermum hoſti ad internecionem delendum tradidit; hoc ſcilicet jam tum mente agitans, ut, amotis omnibus belli ducibus, ipſe ſolus armorum potentiam ad ſe ac ſuos contraheret. Tunc ex publicae calamitatis occaſione repetitum de magiſtri palatii dignitate a Momorantio captivo extorquenda conſilium; ſed fruſtra, praevalente adverſus Guiſianorum machinas apud indulgentiſſimum principem Momorantii quamvis abſentis gratia. Quid nunc memorem ſecreta cum Hiſpanis colloquia, et occulta cum cardinali [l] Granvellano, dum pax agitaretur, inita conſilia, ad bellum domeſticum, externo ſopito, religionis praetextu in Gallia alendum? nam eo referri debet ſanguinaria illa, quae [m] Mercurialis conventus nomine magis cognita eſt, ſtatim pace facta, Lutetiae in ſenatu habita deliberatio; cui Guiſianorum inſtigatu rex inopinato intervenit, ut aliorum efferatam rabiem praeſentia ſua confirmaret, aliorum in dicendis ſententiis libertatem labefactaret: cujus conventus is exitus fuit, ut in eos, qui de ſententiis judicium ferebant, tanquam ſectariorum fautores judicium ferretur; et ita, detracta ampliſſimo ordini auctoritate, in miſeros homines graſſandi licentia cuivis de plebe concederetur. Atqui, ſi, Henrico ſuperſtite, pollente apud eum Momorantio, turbulenta ſua conſilia exſequi Guiſianis perſuaſum fuit, quid eos nunc facturos remur, cum, domum amandato Momorantio ac regiae ſtirpis principibus in ordinem coactis, ſub rege puero et uxore cognata rerum potiuntur? Nunc igitur, quaeſo, quid jam fecerint et quid porro facturi ſint ad animum revocemus; ex iiſque judicium faciamus, quid

VAR. LECT. [α] generoſis *deeſt P. D. o. ſ. d.* [β] vitulabundus in *P. D. o. ſ. d.*

INTERPR. [a] *St. Quentin.* [b] *le duc de Nevers.* [c] *Calais.* [d] *de Senarpont.* [e] *d'Andelot.* [f] *d'Eſtrées.* [g] *Thionville.* [h] *de Vieilleville.* [i] *le mareſchal de Thermes.* [k] *Flandres.* [l] *de Granvelle.* [m] *la Mercuriale.*

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

quid ſtruant, et quorſum tam nefanda conſilia evaſura ſint, niſi mature obviam eorum conatibus eatur. Mortuo ſtatim Henrico, ubi clavum tenuerunt, Momorantium, expulſis regi conſanguineis principibus, ab omni publica adminiſtratione removerunt. Verum hoc excuſari potuit, quod, ſalva eorum auctoritate, ſuam ſtabiliri poſſe diffiderent. Sed, cum ita comparatum ſit, ut ambitio modum neſciat, nec intra modeſtiae ac rationis limites, adde etiam pietatis cancellos, coërceri queat, tandem eum magiſtri palatii dignitate, quam fruſtra hactenus eripere tentaverant, exuunt: et, inde facto initio, cunctis terrore ſui injecto, impune ſaeviendi licentiam arripiunt, nova rerum facie inducta; et, antiquis regni miniſtris depoſitis, alios in eorum locum ſuffecerunt; et, quod omnem ſaevitiam ſuperat, bene meritis bello et pace viris, cum alii ſua debita exigerent, alii pro egregie, ſed damnoſe, navata opera regis beneficium imploraſſent, pro ſolutione crucem, pro beneficio patibulum ſuffigi juſſerunt. Et hoc, ſtante republica, videmus ac ſcimus: quid, everſa, fiet? quid, ſacerdotali ordine expilato, exſtincta nobilitate, oppreſſa judicum libertate, denique plebe ad extremam inopiam redacta? An vero cuiquam parſuros eos credimus, qui omneis metuunt, qui tot homines offenderunt? Quid igitur expectamus? an, ut miſeria noſtra Franciſci optimi ac ſapientiſſimi principis augurio et verbis meis fidem faciat; dum ſaevi domini cervicibus noſtris impoſiti amplius excuti non poſſint? Quid ergo moramur? aut cur non potius expergiſcimur, ut regem periculo, patriam metu, nos duriſſima ſervitute eximamus? Sed obſtat regium nomen, quo iſti praedones, in ſuos impii, in noſtros ingrati, in cunctos ſaevi, tanquam umbone tuti ſuperbiunt; et bonis viris, qui eorum illegitimam potentiam impugnant, et ordinum regni auctoritatem aſſerunt, rebellionis notam inurunt. Hic ſcrupulus multos tenet ex praejudicata falſi obſequii opinione, qui nunc ratione ex animis hominum evellendus eſt. Regibus parere etiam iniqua imperantibus vox Dei jubet: eoſque, qui poteſtatibus a Deo conſtitutis minime obediunt, Dei voluntati reſiſtere extra dubium eſt: quo magis nobis elaborandum eſt, cum etiam bonos et innocenteis calumniis obnoxios videamus, ne quid committamus, quo legitimum magiſtratum violaſſe videamur. At nobis minime cum rege res eſt; ſed contra perduelleis, hoc eſt, contra regis ac patriae hoſteis, eo periculoſiores, quod intra viſcera habitant, et regis pueri et ignari opibus ac nomine ſubnixi regem ipſum ac patriam impune oppugnant. Nunc apud vos mature perpendite; an regium nomen iis prodeſſe aequum ſit, qui regi perniciem machinantur, qui libertati, vitae ac fortunis Gallorum inhiant, qui denique ad evertendam rempublicam omnia ſua conſilia ac cogitationes conferunt. Nam quo pertinere putatis ſiniſtros de adverſa regis valetudine ac pudendo morbo ab ipſis de induſtria diſſeminatos rumores, quorum tamen invidiam in nos rejiciunt, niſi ut patientiae noſtrae periculum faciant, et oſtendant ſibi in animo eſſe, regnum, quod ſub rege puero quaſi in manus traditum tenent, eo ſublato et exſtincta regia familia, ac ſummis capitibus decuſſis, per vim retinere? quod dum cogitant, quis vitam regis ac ſuorum ſub his rectoribus ab injuria ac periculo tutam exiſtimare poſſit? Cum vero regem brevis aevi dicunt, quod avertat Deus, ſatis declarant, quam iniquas ſpes animo conceperint; quas niſi fortuna adjuvet, etiam praeter fatum ultro acceleraturi ſint. At nos, quem illi brevis aevi dicunt, ei vitam longiſſimam, uti debemus, et auguramur et precamur, proque ejus incolumitate aſſidue vota fundimus; optatum ſcilicet diem illum praeſtolantes, quo, adminiſtrandi per ſe imperii capax, juſtas querelas noſtras benigne exaudiat. Interim, quando vita ejus in diſcrimine verſatur, et cum vita principis ſalus publica periclitatur, nec res moram pati poteſt, nos, niſi officio ac nobis ipſis deeſſe et Gallici nominis decoctores videri volumus, fidei, quam regi ac patriae debemus, religione obligamur, vitam, operam ac fortunas omneis impendere, quo peſtem

CIϽIϽLX. FRANCISCUS II.

peſtem a regis capite avertamus, et Guiſianos, qui ejus vitae ac toti familiae regiae inſidiantur, ab aula removeamus. Quod ut ſalva conſcientia fieri poſſit; ipſe vobis de ſinceritate animorum ac fideli obſequio Deum conteſtantibus praeibo, ac palam proteſtabor, me nihil contra regem, reginam parentem et regis fratres alioſque regiae ſtirpis principes dicturum, facturum cogitaturumve; ſed eorum majeſtatem ac dignitatem, patriae libertatem, legum auctoritatem a peregrinorum hominum violentia ac tyrannide ſartam tectam aſſerturum. Idne vellent, intelligerent, probarentque, cum deſinens [a] Renaudius adſtanteis rogaſſet, cuncti magno conſenſu aſſurgentes pedibus in ſententiam perorantis iere; nec ullus repertus eſt, qui, negotii adeo impediti difficultatibus territus, amplius deliberandum cenſeret. Tum perſcripta proteſtationis formula, qua ſe illi tutos exiſtimabant; exhibitis item actis, probationibus, et juriſperitorum ac theologorum conſultationibus, de rei peragendae ratione agi coepit: et placuit, ut ante omnia magna hominum multitudo ſed inermis et invalida praemitteretur, quae regi porrecto ſupplici libello vim a conſcientiis deprecaretur, et liberam religionis profeſſionem concedi peteret: interim delecti equites ad eandem diem Bloëſas, ubi tum rex erat, circumirent, et a conſciis intra urbem accepti nova poſtulata adverſus Guiſianos proponerent; et, ſi quidem illi aula ſecedere adminiſtratique regni rationem reddere detrectarent, in eos ferro graſſarentur: tumque demum Condaeus, qui nomen ſuum eo uſque celari volebat, ſe ducem ſociis praeberet. Dies dicta Eid. Mart. qua univerſi convenirent. Sed, antequam a Namnetibus diſcederent, provincias, ex quibus auxilia adducerent, inter ſe ſortiti ſunt. Et Jacobo [b] Motae Caſtelnoo Chaloſſiorum regulo Vaſconia, [c] Mazerae nobili ordinum ductori [d] Benearni pagus obvenit; [e] Petrocorii ac Lemovices [f] Menilio, [g] Mallaeo Brezaeo [h] Pictones [i] Eugoliſmenſes ac Santones, [k] Quercetano [l] Andes ac Cenomani attributi ſunt. [m] Sammarianus [n] Neuſtriam, [o] Coccavilla Picardiam, [p] Ferretius Malinius junior Campaniam Briam et Franciae peninſulam, [q] [*] Caſtellovius denique [r] Provinciam ſibi ſumpſit. Diſpoſiti et paſſim per regnum viri ex nobilitate delecti, qui viderent, ne ad tumultus famam oppidanorum animi commoverentur; quique impedirent, ne auxilia Guiſianis ſummitterentur.

XIX. INDE diverſi ad ſua quiſque, eadem taciturnitate qua venerant, abiere. Ipſe Renaudius Lutetiam proficiſcitur, ut Antonium [s] Chandeum eccleſiae Pariſienſis paſtorem, qui poſtea Sadaël dici maluit, conveniret, et quid in Namnetibus actum eſſet coram exponeret. Ac mirandum ſane in ea conjuratione fuit, tantum Guiſianorum odium potuiſſe, ut, regno nullis adhuc internis motibus quaſſato, majeſtate regis integra, magiſtratuum ac praefectorum auctoritate ſalva, nondum plebe rebellionibus, nobilitate defectionibus aſſueta, firmo denique hactenus obſequio, tot homines ex diverſis regni partibus coierint, et, cum tot eſſent, fides ac ſecretum inter eos ſervatum ſit, et prius ex Germania Italia et Hiſpania ad Guiſianos, quam ex muſcis, ſic emiſſarios per provincias diſpoſitos vocabant, paſſim circumvolitantibus, occulti facinoris fama pervenerit; vixque unus in omni Gallia repertus ſit, qui, licet Proteſtantium doctrinam profeſſus, ad rem inauditam, et pernicioſi, ut ſibi videbatur, exempli cohorreſcens, conſcientia potius urgente quam praemii ſpe factum evulgaverit. Is fuit P. [t] Avanella cauſidicus Pariſienſis, homo non ineruditus, qui aedeis in [u] Sangermano ſuburbio habebat. Apud eum Renaudius, ut magis lateret, diverterat. Ille vero, ex frequenti hinc inde confluentium ad hoſpitem ſuum hominum turba ſuſpicatus quod erat, poſtremo in familiare colloquium cum Renaudio devenit;

INTERPR. [a] *la Renaudie.* [b] *la Motte Caſtelnau, ſieur de Chaloſſe.* [c] *Mazeres.* [d] *Bearn.* [e] *Perigort & Limouſin.* [f] *du Meſnil.* [g] *de Maillé Brezé.* [h] *Poictou.* [i] *Angoûmois & Saintonge.* [k] *de la Cheſnaye.* [l] *Anjou & Maine.* [m] *de St. Marie.* [n] *Normandie.* [o] *Coqueville.* [p] *de Ferrieres Maligny.* [q] *Châteauneuf.* [r] *Provence.* [s] *Chandieu.* [t] *Avenelles.* [u] *Fauxbourg St. Germain.*

NOT. [*] Dele *Caſtellovius*, lege *Caſtelnovius.* *Pat. L.*

CIϽIϽLX. FRANCISCUS II.

devenit; reque ab eo intellecta, cui ſe initio favere ſimulabat, cum eam apud ſe diu agitaſſet, magnitudine negotii ac periculo territus, et quod id licere ſalva conſcientia minime crederet, Stephanum [a] Alamantium Vozacum libellorum ſupplicum magiſtrum, qui ſecretiora Lotharingi cardinalis negotia tractabat, adit, et coram [b] Mileto Guiſii ab epiſtolis conjurationem detegit. Vix iudicio habita fides: ſed, quia ex longinquis locis quotidie nuncii ad Guiſianos veniebant, paratas contra ipſos inſidias, a quibus, niſi mature caverent, extremum exitium inſtare, Vozacus minime negligendum indicium cenſuit; ex ejuſque ſententia Miletus, abducto ſecum Avanella, ad Guiſium per diſpoſitos equos contendit, qui jam cum rege [c] Bloëſis diſceſſerat, [d] Amboſiam petiturus, oppidum anguſtum, quodque propterea minore praeſidio egeret, ad haec, arce ampliſſima ac munitiſſima firmum. Quae inopina mutatio ſociorum conſilia non mediocriter conturbaſſe creditur. In itinere Avanella cum cardinali colloquitur: cumque nobilem quendam inter conjuratos nominaſſet, qui fratrem in aula habebat, cardinalis ejus opera alterum ſeducit; et ex illo minis ſeu blanditiis corrupto ordinem rei vix ante creditae ediſcit; quod ad conjuratos ſeparandos atque intercipiendos non parvum momentum attulit. Interim Avanella retentus, et ſub cuſtodia Amboſiam Guiſii juſſu praemiſſus, ut, ſi falſum indicium eſſet, calumniae cauſae ex ipſo intelligerentur; ſin ex eventu verum fuiſſe appareret, ipſius ad convincendos complices teſtimonio uterentur.

XX. TOTA aula trepidabatur, ſuſpenſis omnium animis quorſum res evaderent. Tum jubetur F. Momorantius equitum tribunus R. Stuartum, Anſelmum [e] Subſellium, et [f] Fani-Aniani praefectum, qui in caſtro Vicenarum captivi attinebantur, quod facti participes crederentur, ad regem ſub firma cuſtodia mittere: et illi perſonati ac ſingulares, ne inter ſe colloquerentur, aut ab ullo agnoſcerentur, Amboſiam mox deducti ſunt. Et, quia de [g] Colinio maris praefecto et [h] Andeloto fratribus dubitabatur, an et ipſi cum conjuratis conſilia agitaſſent, Guiſiani, qui eorum opes ac potentiam ſed multo magis virtutem reformidabant, Catharinae auctores fuere, ut eos ſpecie conſilii in re magni momenti capiendi literis prolixae benevolentiae plenis in aulam evocaret. Ii confeſtim ad ipſam cum cardinali fratre venere: et, poſtquam in ſecretum a Catharina admiſſi ſunt, Colinius coram F. [i] Olivario, copia dicendi facta, in novam ac violentam rerum adminiſtrationem vehementer invectus eſt, ac pleroſque eam ob cauſam irritatos ac male animatos eſſe affirmavit: quos tamen ad officium reduci et placari poſſe non deſperet, ſi ſupplicia, quibus paſſim per Galliam in miſeros homines ſaeviatur, intermittantur, et libertas conſcientiis concedatur, donec ex legitimi ac liberi concilii ſententia controverſiae ob religionem excitatae componantur. Id avide ex Colinii ore exceptum Olivarius vir eccleſiaſticae emendationis ſupra modum ſtudioſus, et qui alioqui judiciorum ſeveritatem in hujuſmodi cauſis averſaretur, ad Guiſianos defert; et mitigandis animis optimum remedium dicit, ſi edicto propoſito praeteritorum gratia ſanciatur, permiſſaque interim conſcientiis libertate concilii liberi propediem celebrandi ſpes fiat. Probarunt conſilium Guiſiani ſedandis motibus, qui inſtabant, accommodatum. Itaque mox edictum in eam rem conditur, excluſis ab ea gratia concionatoribus, et quicunque religionis praetextu in regem, regis parentem, fratres ac reliquos principes miniſtroſque, in regiam denique majeſtatem conſilia iniiſſent, quique captos reos ex apparitorum manibus eripuiſſent, literas ac diplomata regia intercepiſſent, eorumve latores retinuiſſent; et ad ſenatum mittitur; ubi, Aegidio [k] Burdino cognitore regio inſtante, [*] quia Guiſianorum literae acceſſerant, nulla mora interpoſita, promulgatum

P. D. o. [*] *antea ſectariis ſemper infeſto,*

INTERPR. [a] *l'Allemant, ſieur de Vouzay.* [b] *Milet.* [c] *Blois.* [d] *Amboiſe.* [e] *Soubſeller.* [f] *St. Aignan.* [g] *de Coligny.* [h] *d'Andelot.* [i] *le chancelier Olivier.* [k] *Bourdin, procureur general.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

mulgatum fuit [t] IV Eid. Mart. ſecreto facto ſenatus-conſulto, ad quod, cum de edicti executione ſive interpretatione porro ageretur, recurrendum eſſet. Nec ceſſabat interea Guiſius, miſſis ubique per provincias, qui delectus haberent, et nobilitatem ad arma pro rege capeſſenda hortarentur. Datae et in eam rem ad praefectos literae; quibus mandabatur, ut quoſcunque in armis ſive equites ſive pedites [a] Amboſiam tendenteis nanciſci poſſent, eos captivos ſiſterent.

XXI. MISSUS [b] Aurelianum Philibertus [c] Marſilius Sipetra, quo mox Condaeus venit in aulam proficiſcens; cumque ibi de conjuratione detecta cognoviſſet, nihilominus inſtitutum iter perſequitur. Nec [d] Renaudius ipſe, homo animi pervicax, quanquam idem ſciret, a propoſito dimoveri potuit: eandemque omnium ſuorum conſtantiam ac fidem expertus eſt. Cum vero is IV Non. Mart. [e] Carreleriam in agro Vindocino veniſſet, haud procul ab Amboſia, ſociis undique confluentibus, diem [s] Kal. XVI April. condicit, quo omnes convenirent. Nam, mutato loco, ſicuti diximus, et mutari tempus neceſſe fuit. Equites circiter ID ex nobilitate et peditum turmam ſepoſuerat Renaudius, quos ex majore numero delectos loco Amboſiae vicino venire juſſerat. Ita vero ordo compoſitus; ut [f] Malinius junior ſecum delectos LX nobileis ac duces in oppidum ad Condaeum adduceret, et, quia hoſpitia admodum arcta erant, eos in locis ſubterraneis aut ſuperioribus coenaculis occultaret. Alter, cujus non editum nomen eſt, XXX ducendos ſumpſerat, et in arce collocandos. Renaudius, quem praecipui duces [g] Caſtelnous et Mazera ſecuturi erant, pridie indictae diei [h] Nozaeum haud procul ab Amboſia cum ceteris copiis ſub veſperam venire debebat; quas mane exiguis agminibus, ut agnoſci non poſſent, in oppidum miſſurus erat. Ipſe ſub horam prandii Amboſiam ingredi decreverat, parte ſuorum ad occupandas arcis portas, parte ad Guiſianos comprehendendos deſtinata: quo facto, ſignum in ſumma arce ſtatui debebat; ad cujus conſpectum reliquae copiae, quae in ſylva vicina latebant, accurſurae et per voluptarii ſepti portam in arcem ingreſſurae erant. Ex iis, quibuſcum res communicata fuerat, erat [i] Liguerius ordinum ductor, qui et fidem dederat: verum is, ſive facti poenitentia, ſive pretio corruptus, Amboſiam ſub id tempus venit, remque Catharinae aperit; et, ultimo rei conficiendae ordine explicato, ducum nomina edit, et loca, per quae ſinguli venturi erant, et hoſpitia indicat. Hujus indicio de inſidiarum ratione jam certiores Guiſiani, ad quos magnus armatorum numerus, ut eſt praecipua Gallorum in principem ſuum fides, regis periculo, quem peti exiſtimabant, territi, undique concurrebant, per loca deſignata mittunt, qui catervatim incedenteis et per ſylvam noctu perreptantes ſingulos fere interciperent. Ante omnia [k] Fredoneriam itum, locum primo conventuris copiis deſignatum, cum res [l] Bloëſis agi debere putabatur: ſed [α] Franciſcus et [m] Magdalenus Conſtantii loci domini cum omnibus amicis diffugerant. Captus [n] Davinius cum XX circiter ex ſociis, qui, quod rem detectam viderent, occulte dilabebantur. Capti et plerique alii; qui gregatim mox Amboſiam deducti ſunt. Intus vero, ut ſecuritati ſuae proſpicerent, Guiſiani regias cuſtodias mutaverant, et ſepti portam obſtrui juſſerant. Tum, ut urbes vicinae in officio continerentur, [o] Caeſarodunum Turonum Ludovicus [p] Buellius Sancerrae comes, Aurelianum Franciſcus [q] Scepeus Vetus-villa, Paulus [r] Thermus equitum tribunus Bloëſas, [s] Monpenſerius [t] Andegavum, C. [u] Rupifulcaudius Barbezius [x] Avaricum Biturigum, C. [y] Cucius Buria [z] Pictavium extemplo mittuntur. Nec id ſine

VAR. LECT. [α] Franciſcus et Magdalenus Conſtantii *deſunt* P. D. o. f.

INTERPR. [a] *Amboiſe.* [b] *Orleans.* [c] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [d] *la Renaudie.* [e] *Carreliere en Vendoſmois.* [f] *de Maligny.* [g] *de Caſtelnau & Mazeres.* [h] *Noizay.* [i] *Liguerres.* [k] *Fredonniere.* [l] *Blois.* [m] *Magdelen Couſtances.* [n] *Davvines.* [o] *Tours* [p] *de Beuil, comte de Sancerre.* [q] *de Scepeaux, ſieur de Vieilleville.* [r] *le mareſchal de Thermes* [s] *le duc de Montpenſier.* [t] *Angers.* [u] *de la Rochefoucaud, ſieur de Barbeſieux* [x] *Bourges.* [y] *de Coucy Burie.* [z] *Poictiers.*

NOT. [t] V Eid. Mart. *MS. Samm.* [s] XVII Kal. April. C

ſine aſtu factum. Nam fere ſuſpecti Guiſianis ad urbeis, a quibus ſibi mioime metuebant, quaſi relegati ſunt: ſicque honeſta hinc petita occaſione a regis et eorum conſpectu amoti. Secundum haec, cum Buellius [a] Caeſaroduni in ſuburbio, qua [b] Pleſſium itur, homines armatos conveniſſe intellexiſſet, eo cum ſuis advolat: cumque ibi Caſtelnoum et Mazeram loricis, quas pallio velabant, tectos offendiſſet, quo tenderent interrogavit. Cum illi ad regem proficiſci reſpondiſſent, Buellius, non eum pacatorum habitum et inceſſum dictitans, exhibito regis mandato, quo omnes in armis iter facientes comprehendi jubebantur, eos captivos ſiſtere voluit. Verum illi ope ſuorum non ſolum ſe periculo eripuerunt, ſed Buellium iotra oppidum citra ſanguioem compuleruot; qui fruſtra ad arma cooclamans et regis majeſtatem laedi teſtatus, cum neminem ex aedibus auxilio prodire conſpiceret, ſuſpicatus oppidanos cum foederatis conſpirare, jam plus ab urbe ſibi quam a [c] Caſtelnoo metuens, continuo ad Guiſianos perſcribit; et, quid ſibi Caeſaroduni cum Caſtelnoo et oppidanis acciderit, demonſtrat, atque auxilia ſummitti petit. Itaque eo miſſus Santandreanus, qui fruſtra fuit. Nam Caſtelnous jam ſuos retro [d] Salmutiam remiſerat, et ipſe, tranſmiſſo fluvio, ad [e] Nozaeum, uti convenerat, cum Mazera ſe contulerat. Nec de nihilo ſuſpecta erat Caeſaroduoenſium in ea re fides, quippe quorum plerique novam religionem amplectebantur, adeo ut ab eo loco tunc primum [a] Hugonoti ridiculum ſimul et odioſum nomen innotuerit, quo, qui antea Lutherani dicebantur, paſſim poſtea in Gallia vocari coepere. Hujus autem haec origo fuit, quod, cum ſingulae urbes apud nos peculiaria nomina habeant, quibus mormones, lemures, manducos et cetera hujuſmodi monſtra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac ſimplicibus foeminis terrorem vulgo indigitant, Caeſaroduni Hugo rex celebratur, qui noctu pomoeria civitatis obequitare et obvios homines pulſare ac rapere dicitur. Ab eo Hugonoti appellati, qui ad ea loca ad conciones audiendas ac preces faciendas itidem noctu, quia interdiu non licebat, agminatim in occulto coovenuebant. Rex, ubi Caſtelooum ac ſocios, quamvis conjuratione detecta, Nozaeum veniſſe intellexit, ſtatim eo Jacobum [f] Sabaudum Nemoroſii ducem ex Guiſianorum conſilio, quibuſcum ille arcta admodum neceſſitudine conjunctus erat, mittit, ut homines, ſi poſſet, interciperet, aut quoquo modo conatus eorum impediret. Nemoroſius, Nozaeum cum rapta manu profectus, [g] Mazeram ac [h] Ranaeum ante arcem ambulanteis opprimit. Caſtelnous, miſſo qui [i] Renaudium de caſu ſociorum edoceret, ſe continuo in arcem cum ſuis includit, quam Nemoroſius diſpoſitis ſtationibus uodique cingit; et inde Ranaeum ac Mazeram captos [k] Amboſiam ſecum abducit, ſtatimque poſt prandium eodem redit cum 10 circiter equitibus, ea omni domeſticorum regiorum confuſa multitudine. Tandem Caſtelnoum ad colloquium adigit; qui, fruſtra miſſo ad Renaudium tabellario, cum auxilia in tempore ſummitti oon poſſe cerneret, verbis non ferro ſibi agendum ſtatuit. Heic Nemoroſius ſocios interrogat, ecquid veniſſent; et populi deſideria non per ſeditionem ac turbas ad regem perferenda eſſe admonet: nam, ſi quae ſint, in quibus ſibi ſatisfieri poſtulent, cur non potius pacate ac ſuppliciter regem adeant, quam contra morem obſequii, cognitamque tot annos Gallorum erga ſuos principes fidem, arma et vim meditentur? diſcederent ergo ab armis, et vireis coactas dividerent, ne temere arrepta arma nocentiores facerent, et ioaudito hactenus ſcelere Gallica gens apud poſteros traduceretur. Ad haec, ſi arma ponerent, fidem ſuam, facilem ad regem aditum et omnia tuta pollicetur. Haec dicenti reſponſum eſt a multitudine,

CIƆIƆLX.
Franciscus II.

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *Pleſſis les Tours.* [c] *de Caſtelnau.* [d] *Saumur.* [e] *Nouzay.* [f] *de Savoye, duc de Nemours.* [g] *Mazeres.* [h] *Raunay.* [i] *la Renaudie* [k] *Amboiſe*

NOT. [a] Les Huguenots pretendent que ce nom leur eſt honorable, puiſqu'ils defendoient la poſte- rité de Hugues Capet contre les Guiſes *Pat.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

multitudine, Caſtelnoo data mandata, quae ad regem perferret. Tumque Caſtelnous orditur; et, de obſequio erga regem ac fide proteſtatus, nihil turbidum aut ad civilem diſcordiam inter ſocios ſpectare dicit: ſed multa eſſe, quae coram rege ipſo, ſi per Guiſianos liceat, proloqui cupiat: nec deſperare, quin apud novum principem, ſi aliena ira non impellatur, locum habiturae ſint juſtae tot bene de regno meritorum ſubditorum preces. Dein Guiſianorum inſolentiam, ſuperbiam ceteraque privatum modum ſupergreſſa et ad ſpem uſurpandi regni adſumpta exagitat; ob idque ſocios conveniſſe dicit, ut de ipſorum injuriis apud regem expoſtulent: arma contra eos, non contra regem ſumpta; idque jure factum affirmat: nam, quando auſuros remedia expoſcere, niſi naſcentem et jam luxuriantem eorum potentiam mature vi et armis antevertant ac coërceant, aut quod in poſterum levamentum ſperare queant, quam ſi juxta priſcas regni leges adminiſtrationis publicae ratio ineatur? Ad quae verba multitudo, quae aderat, Nemoroſium circumfundit; oratque, perſuaderet regi, ut tot miſerorum et innocentum hominum querelas exciperet, legumque praeſidium, quod novorum dominorum iniquitas eriperet, reſtitueretur. Poſt varias hinc inde voces confuſo rumore jactatas, poſtremo, accepta a Nemoroſio fide, nihil incommodi paſſuros ſi ad regem ſecum venirent, nec ulla ſub cuſtodia futuros, [a] Caſtelnous cum ſuis [b] Amboſiam pergit; ubi, cum ſocii ad regem admitti rogarent, fidemque Nemoroſii implorarent, minime auditi ſunt; ſed vinculis inditis in carcerem conjiciuntur. Interea Renaudius, qui jam in via erat, de Ranaei ac Mazerae caſu edoctus, nam tabellarius a Caſtelnoo miſſus ſumma diligentia uſus fuerat, cum ſuis qua potuit celeritate iter perſequitur, ut et Caſtelnoum periculo eriperet, et Amboſiam, qua milite, uti putabat, vacua facile ſe potiturum ſperabat, occuparet. Id incidit in Eid. Mart. Poſtridie pedites, qui parvis agminibus per ſylvam incidebant, ab equitibus diſpoſitis, qui de re omni per indicia cognoverant, antequam convenirent, oppreſſi aut caeduntur, aut ſinguli fere nullo negotio capiuntur; vinctique et ad equorum caudas alligati, in oppidum quaſi in triumphum perducti, gratum quibuſdam, pleriſque miſerabile ſpectaculum praebuere: ex quibus e veſtigio complures ad pinnas arcis, vix interrogati, ut erant ocreati cum calcaribus, laqueo vitam finiere. Duces ad ſupplicium depoſcebant Guiſiani; et ad exemplum pertinere dicebant, ut quamprimum id fieret: ſed repugnabat [c] Olivarius, qui exitum expectari volebat. Verum, arrepta inde occaſione, Guiſius diploma impetrat, quo rex ei ſummum armorum imperium ac ſupremam regni praefecturam tanquam bene merito ac digniſſimo concedebat; praefatus, initio benignitate et indulgentia contineri ſuos quam ſeveritate coërceri maluiſſe; ſed eandem fortunam cum parente ſuo expertum eſſe; et, eo contumaciores pleroſque redditos cum videat, legitimae potentiae praeſidium adverſus ſeditioſos adhiberi neceſſarium duxiſſe; ut, quomodo idem ille parens ſuus [d] Burdigalenſeis tumultuanteis compreſſiſſet, ſic et ipſe adverſus eos, qui in deteſtandum perduellionis crimen delapſi clementia ſua uti neſciviſſent, jure ſuo uteretur. Diploma a Florimondo [e] Roberteto Fraxinco a ſecretioribus epiſtolis conſcriptum cum formula, Ex concilii ſententia, cum ad Olivarium, ut ſigillo firmaret, allatum eſſet, ille, qui de re nihil intellexiſſet, et alioqui Guiſianorum violentiam pertaeſus eorum potentiam augeri aegre ferret, ſigillum apponere primo recuſavit. Verum, urgente Guiſio repulſae impatienti, Olivarius obtemperavit, prius tamen impetrato, ad mitigandam illius diplomatis invidiam, ut eodem die, qui XV Kal. April. erat, edictum proponeretur, quo venia iis, qui religionis ergo ſimplicitate potius quam conſilio

INTERPR. [a] *de Caſtelnau.* [b] *Amboiſe.* [c] *le chancelier Olivier.* [d] *ceux de Bourdeaux.* [e] *Robertet, ſieur de Freſnes.*

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

ſilio armati coiiſſent, conceſſa eſt, modo ab armis diſcederent, et intra XXIV horas domum quiſque ſuam remearent; nec majore comitatu, ut omnis ſuſpicio maleficii tolleretur, quam duorum aut trium hominum iter facerent: liberum nihilominus iiſdem eſſet, ubi arma poſuiſſent, regem adire et preces ac ſupplices libellos, quos haberent, ei offerre. Die ſequenti [a] Renaudius, qui magnis itineribus Amboſiam tendebat, in [b] Caſtri-Reginaldi ſylva [c] Pardillanum eo a rege cum delectis equitibus ad conjuratos capiendos miſſum obvium habuit; et admiſſo equo in ſe ruentem, cum diſploſus Pardillani ſcloppetus ignem non concepiſſet, gladio occupat ac tranſverberat: ſed mox a Pardillani famulo ſcloppeti ictu in ſe directo, dum cum hero congreditur, petitus occiditur. Corpus in urbem delatum, et in ponte patibulo ſuſpenſum cum titulo ad collum appenſo, Duci rebellium; deinde, cum ſatis diu oſtentui fuiſſet, diſcerptum; et membra mortui extra urbem palis affixa. Capti fuerunt et duo ex ejus domeſticis: quorum unus nomine [d] Bigna, qui magnam conſiliorum domini notitiam habere dicebatur, quaeſtioni ſubjicitur, et chartas literis ignotis ſcriptas citra fraudem explanare compellitur. Ille, vi tormentorum coactus, rem, ut erat, aperit, et conſilii contra Guiſianos initi rationem explicat. Chartis illis continebatur proteſtatio in [e] Namnetenſi conventu perſcripta; et libellus nomine eorum, qui Lutherani vulgo appellabantur, regi in regni comitiis offerendus; quo judiciorum duritiam mitigari et poenas remitti petebant, ante omnia de fide et obſequio erga regem honorifice praefati. De conſciis ac primariis conjurationis ducibus, praeter eos qui capti fuerant, in [f] Navarri et Condaei caput interrogatus Bigna, cum eos minime nominaſſet, ſed de Condaeo inaudiviſſe diceret, ſi fortuna conatus adjuviſſet, eum ſe ducem conjuratis praebiturum, inde Guiſiani conjecturam fecere, quando Condaeus ſe rei miſcuiſſet, G. [g] Colinium et Andelotum arcta cognatione et voluntatum conſenſione cum ipſo conjunctos conſilii procul dubio participes eſſe, quamvis Catharina contra aſſereret: quo magis metuebant, ne primum motum utcunque oppreſſum major alius exciperet: et ea propter opus eſſe exemplo dicebant, ut minorum ducum poena potentiorum audacia coërceretur. Sed, dum cunctatur Olivarius, ecce ſocii, quamvis conjuratione jam revicta, animos reſumunt; et, dato negotio [h] Mothae cuidam ordinum ductori, fidos aliquot, cum iis quos in oppido cauſae in occulto favere noverat, ſecum duceret, ut ſigno dato arma caperent, [i] Cocavilla et [k] Campenſis ad ſuburbium, quo [l] Vindocinum itur, venire jubentur, pontem occupaturi, dum Bertrandus [m] Chandeus Antonii paſtoris frater [n] Bloeſis cum delecta manu ad [o] Paulianorum coenobium accederet, et per oſtiolum amnem verſus admodum debile, et quod calcis ictu perfringi poſſet, nam id notatum fuerat, in urbem impetum faceret. Sed ſerius et jam illuceſcente die cum veniſſet Chandeus, ad hominum armatorum et faſcias albas tranſverſas gerentium conſpectum ad arma toto oppido conclamatum eſt; et, diſpoſitis ſtatim ad portas excubiis, ultimus ſociorum conatus fruſtra fuit. Obſeratis tamen portis, nam intus cuncta trepida erant, ſatis temporis illi habuere, dum ſe ad ſua reciperent. Capti tantum aliquot, qui pedibus iter faciebant; et mox in flumen merſi. Eo caſu exaſperatis Guiſianis, et praeciſa Olivario factum excuſandi ratione, gratia ultimo edicto facta revocatur, diplomate ea de re emiſſo; quod conjurati iri crimen, quod illo remittebatur, relapſi, ejus beneficio indigni eſſent: et miſſi rurſus, qui huc illuc diſperſos perſequerentur, et quamvis domum abeunteis comprehenderent, et Amboſiam adducerent. In iis captus [p] Villemongius junior [q] Bricomotii frater. Et, quia

INTERPR. [a] *la Renaudie.* [b] *Château-Regnaud.* [c] *de Pardaillan.* [d] *la Bigne.* [e] *de Nantes.* [f] *le roy de Navarre, & le prince de Condé.* [g] *de Coligny & d'Andelot.* [h] *la Mothe.* [i] *Coqueville.* [k] *des Champs.* [l] *Vendoſme.* [m] *Chandieu.* [n] *Blois.* [o] *les Minimes.* [p] *Villemongey.* [q] *de Bricquemaut.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

quia non occulta multorum murmura audiebantur, tot homines quotidie in carcerem trudi et ad ſupplicia rapi indignantium, juſſus Amboſianae ditionis [a] ſaltuarius ſylvam circumvolitare, et, quoſcunque in armis nactus eſſet, nulla quaeſtione habita, interficere. Capti hoc colore plerique mercatores, qui ſpoliati et trucidati ſunt. Tum et regis juſſu Condaeus, qui in arce erat, ſiſtitur; et aula exire ſine ejuſdem regis licentia prohibetur: quod ille ſumma prudentia diſſimulavit. Inſtituta et nova equitum ſcloppetariorum cuſtodia, quibus praepoſitus eſt Antonius [b] Pleſſiacus Richelius, vulgo dictus Monachus, quod eam vitam olim profeſſus fuiſſet, dein, voto ejerato, omni ſe licentiae ac libidinis genere contaminaſſet. Hoc a Guiſianis tanquam ſalutis regiae ſtudioſis factum: plures, quo privatae ſecuritati conſulerent, excogitatum interpretabantur. Tum de vinctis quaeſtiones haberi coeptae: ſed praecipitata multorum judicia ac ſupplicia; cum alii noctu ad pinnas arcis ſuſpenderentur; alii, quorum ſpectaculo homines permoveri poſſe metus erat, in profundum mergerentur: interdiu vero permulti ad ſupplicium more inſolito rapiebantur, ſine elogio ac criminis titulo, et ſine vocali carnificis praeconio, denique nominibus damnatorum ſuppreſſis: ita ut flumen cadaveribus ſupernataret, oppidi vici ſanguine exundarent, plateae hominum patibulis ſuffixorum ſylva horreſcerent. Duces ultimi ſervati, ut per tormenta ex eorum ore conjurationis conſcii noſcerentur. Primus productus [c] Ranaeus; qui, intellecta [d] Bignae confeſſione, ubi omnem rei ordinem detectum vidit, incolumitate, ut fit, a recuperatoribus promiſſa, ſi quae ſciret ingenue fateretur, Bignae teſtimonio ſubſcripſit: verum interrogatus, an non et rex ipſe a ſociis ad caedem peteretur, conſtanter pernegavit; et, quamvis graviſſimis tormentis excruciatus, tantum de Guiſio ac Lotharingo cardinali occidendis conſilium initum eſſe affirmavit. Inde cum [e] Mazera committitur: et ille quidem, quae Ranaeus dixerat, tanquam vera agnovit: moxque in Navarri et Condaei caput tortus, an non et ipſi conſcii eſſent, de Navarro conſtanter item pernegavit; ceterum de Renaudio intellexiſſe, Condaeum conjurationi, ſi exitum ſortita eſſet, ſe ducem praebiturum fuiſſe. Reſtabat Caſtelnous, qui, cum Ranaeo ac Mazera commiſſus, probatis in jure rationibus utriuſque teſtimonium rejecit, cum Mazeram hominem inſanum ac parum ſibi mente conſtare diceret, idque variis inſaniae exemplis confirmaret; cum Ranaeo vero ſibi antiquas ſimultates, et quarum occaſione ad arma deveniſſent, interceſſiſſe. Tum variis de religione interjectis ſermonibus, cum ille aliquot Scripturae loca proferret, Olivarius, mirari prae ſe ferens, qui homo militiae a puero innutritus tam cito theologus evaſiſſet, per jocum rogat, ubinam ſacris literis operam dediſſet. Ad quae verba Caſtelnous reſpondit, ſe ſacrorum librorum lectione, dum nuper captivus in Belgio attineretur, carceris taedium levaſſe; idque cum poſt reditum Olivario in [f] Leonvillano ſuo, quo honoris cauſa eum inviſerat, narraret, ipſum vehementer laudaſſe: proinde viciſſim mirari, quomodo vir ſpectatae probitatis ac prudentiae, quod modo domi ab ambitione procul laudabat, id nunc in aula in Guiſianorum gratiam turpiter mutata ſententia improbaret, et, cum prope eſſet ut Deo vitae ſuae rationem redderet, hominibus quam Deo ipſi placere mallet. Hic Lotharingus cardinalis, quaſi, cum de theologicis quaeſtionibus ageretur, partes ſuae eſſent, ſermonem excipit; et cum Caſtelnoo perſequitur, obmuteſcente Olivario, qui religionis cauſae in occulto [a] favebat, ſed ſubditorum, qui ob id arma contra principem ac magiſtratum ſumerent, licentiam damnabat. In magna erat apud aulae proceres gratia Caſtelnous. Itaque Helionorus [g] Aurelianus Longavillae dux, [h] Colinius et Andelotus, ac poſtremo [i] Aumalius ipſe Guiſianorum frater homini crimen condonari

VAR. LECT. [a] favebat, et de eccleſiae emendatione ſerio cogitabat, ſed P. D. o. f.

INTERPR. [a] *maiſtre particulier des eaux & foreſts.* [b] *du Pleſſis, ſieur de Richelieu.* [c] *Ranay.* [d] *la Bigne.* [e] *Mazeres.* [f] *Leonviller.* [g] *d'Orleans, duc de Longheville.* [h] *de Coligny & d'Andelot.* [i] *le duc d'Aumale.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

condonari a rege enixis precibus petebant: neque enim malo animo, ſed religionis calore ſeductum conjurationi nomen dediſſe; alioqui ducem ſtrenuum et fide ac prudentia conſpicuum. Ad haec decus ſamiliae et majorum merita addebant; renovata etiam nondum obliterati facti memoria, ut ei veniam a rege impetrarent. Siquidem ante aliquot annos Carolus Aureliani dux eo ipſo in oppido delecta juvenum nobilium manu ſtipatus, in quibus [a] Caſtelnous et ipſius frater erant, cerdonibus, qui manu prompti credebantur, feſto die comeſſantibus, cum diſſimulata perſona interveniſſet, tanta per laſciviam rixa excitata eſt, ut hominum vino calentium et injuria irritatorum numero ſeu vi, repulſis ac diſſipatis ſuis, ipſe inter vicorum anguſtias paene oppreſſus, mortis diſcrimen adierit, vixque Caſtelnoorum fratrum, fruſtra regis filium eum eſſe quem illi peterent inclamantium, ope protectus ſit: quorum alter, dum ſe medium furentibus opponit, antequam exaudiretur, a circumfuſa turba interfectus eſt; alter, qui tunc reus peragebatur, graviter vulneratus tandem periculo ſuo Caroli vitam ſervaverat. Sed nec propterea ei venia, quamvis Catharina, facti memor, et eorum, quos dixi, precibus victa, aſſentiri videretur, a rege impetrari potuit; reclamantibus Guiſianis, qui ad exemplum pertinere et regiae incolumitatis intereſſe dicebant, ne tanti criminis gratia fieret. Cum ergo ſententia recitaretur, qua Caſtelnous tanquam laeſae majeſtatis reus damnabatur, vir contumeliae impatiens ori temperare non potuit; et, Hujus, inquit, criminis innocens ſum, qui neque in principem, neque in parentem, uxorem fratresve ejus et agnatos, quos lex majeſtatis amplectitur, ullius mihi ſceleris conſcius ſum: in Guiſianos homines peregrinos contra regni leges adminiſtrationem publicam uſurpanteis arma ſumpſiſſe ſi majeſtatis crimen eſt, eos prius reges renunciari oportuit; quod ne illi olim affectent, videant qui poſt me erunt: nam me hac formidine mors propinqua et melioris vitae cogitatio ſolvit. Quibus dictis, cervicem ſecuri ſubjecit. Poſt ejus mortem repertus libellus in caligis occultatus, quo inſidiarum in Guiſianos ſtructarum ordo continebatur, addita proteſtatione, qua ſocii regis nomen ſibi ſacroſanctum fore pollicebantur. Eodem die plerique extremo ſupplicio affecti, qui ad Deum, quoniam ad homines non licebat, appellantes divinae ultionis auxilium implorabant. Inter eos [b] Villemongius, de quo ſupra demonſtravi, cum bella, caedeis, vaſtitates et extremum exitium a Guiſianorum ambitione regno impendere praeſagiiſſet, eadem proteſtatione uſus, poſtremo ſociorum ante ſe ſupplicio affectorum cruori immerſas manus ad coelum tollens, En tuorum innocentem ſanguinem, inquit, Deus Opt. Max. quem non inultum ſines. Quae ſuprema vox morienti fuit. Huic ſpectaculo ut intereſſent regis fratres curaverant Guiſiani, ea mente, ſicuti plerique factum indignati jactabant, ut eos jam a pueris ſundendo ſuorum ſanguini aſſuefacerent. Proceres item et totum aulae gynaeceum in feneſtris ad ſpectaculum ſtabat. Sola Anna [c] Ateſtina Guiſii uxor, miti ingenio foemina, et quae a teneris annis Ferrariae ſub Renata parente ei doctrinae, quae tunc exagitabatur, innutrita fuerat, Olympiae Moratae lectiſſimae et eruditiſſimae foeminae conſuetudine ad id uſa, lachrimas non tenuiſſe dicitur, ultroque Catharinam monuiſſe, ut, ſi regem ac regnum ſalvum vellet, ab innocentum ſuppliciis abſtineri juberet.

XXII. In ſuſpicionem venerat [d] Malinius junior, quaſi conjurationi participaſſet: idque ex damnatorum confeſſionibus liquebat: et quidem de occidendo manu propria Guiſio, dum ſe in arce ex regis cubiculo profunda jam nocte in ſuum fere ſolus reciperet, detecta jam conjuratione, impetum cepiſſe dicebatur; quod cum Condaco aperuiſſet, ab ipſo prohibitus eſt. Is igitur, commodato a [e] Vallio nobili Condaci

INTERPR. [a] *de Caſtelnau.* [b] *Villemongey.* [c] *d'Eſte.* [d] *de Ferrieres Maligny.* [e] *de Vaux, eſcuyer du prince de Condé.*

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

daci equitio praepoſito pernici equo, ſibi metuens ſe periculo eripuit: moxque, ubi de ejus fuga, et cujus ope elapſus eſſet, conſtitit, Vallius regis juſſu capitur; ex coque tractus in crimen Condaeus jam ante ſuſpectus, quem, cum Guiſiani palam non auderent, ſecretis criminationibus apud Catharinam inſectabantur. Cardinalis in primis confeſſiones damnatorum, ſuſpiciones, praeſumptiones et occultum in Lutheranos favorem urgebat, inſtabatque, ut impendentibus malis mature obviam iretur: quippe diductam civilibus diſcordiis Galliam; jamque eſſe, qui ſe partium Condaei vocarent: niſi tempeſtiva remedia adhibeantur, brevi fore, ut in plures factiones regnum ſcindatur. Ad haec adjiciebat, in aedibus ejus occultata arma, et ſuos armatos regiam quotidie circumire: huic licentiae medendum eſſe exemplo, quod, quanto illuſtrius ſit, tanto majore formidine in ceteros diſperſum iri. Indicium, quod cum ſuo periculo conjunctum eſſet, non aſpernata Catharina aedium Condaei abdita ſcrutari jubet, miſſo Nicolao [a] Bellovaſio Brichanteo. Ille cunctos aedium ejus angulos atque etiam arcas curioſe perſcrutatus cum nihil repetiſſet, quod unum ſupererat, Catharina cardinalis ſuaſu Condaeum ad ſe vocat, et vulgi rumorem ac tacita ſuſpicionum aperit; monetque, ne ſe in poſterum cum ſeditioſis ac perditis miſcendo contaminet. Aderat cardinalis, qui palam compoſito pudore et amicum animum ſimulans Catharinae ſermonem excipit; et, ut monitis prudentiſſimae reginae fidem aſtrueret, obteſtatus, Condaeum rogat, velletne, ut rei, qui adhuc capti tenebantur, producerentur, et, dum ipſe poſt aulaea lateret, ut exaudire poſſet, a regina interrogarentur. Verum conditionem recuſavit Condaeus, cum diceret; non cum eſſe ſe, cui decorum ſit latere, neque de quo quaeſtio haberi poſſet. Poſtea tamen, conſultatione inter ſuos habita, tentaretne defenſionem, an vulgi rumores ac credulitatem tempore vaneſcere ſineret, primo quidem rem diſſimulandam cenſuerat; verum, cum ſibi idem a rege ipſo exprobratum doleret, et legatorum, qui circa regem erant, miſſis ad ſuos principes literis eam famam diſſeminatam intelligeret, decoris memor et infamiae atrocitate perculſus publicum regis colloquium expoſcit, et coram ipſa Catharina, Guiſianis et externorum principum oratoribus, poſtquam ſe, qua erat dicendi facultate, compoſitis ad tempus rationibus magna fiducia purgavit, ſubjecit, ſi quis exiſteret, qui urbium fidem ſolicitatam, Gallos in regis perniciem corruptos, aut ſe conjurationis auctorem argueret, paratum innocentiam ſuam armis, depoſita omni dignitatis praerogativa, tueri. Loquentis adhuc verba excipit Guiſius; proclamatque, minime ferendum, tantae dignationis principem falſi criminis infamia traduci; ſe quoque paratum, ſi certaminis conditio detur, pro ejus innocentia commune cum ipſo periculum ſubire. His utriusque dictis, majorene Condaei fiducia, an Guiſii diſſimulatione, incertum, cum nemo comparetet qui conditionem acciperet, Condaeus quam potuit demiſſiſſime regem rogavit, ne in poſterum hujuſmodi calumniis aures praeberet, ſed ſe fidi ſubditi et obſervantiſſimi agnati loco haberet.

XXIII. CONJURATIONIS et participaſſe arguebatur Navarrus, occultis criminibus et ipſe a Cardinali petitus; fidemque faciebat, quod [b] Mazera ex conjuratis unus, ipſius favore ſublevatus, locupletem uxorem in [c] Benearni pago duxerat, et inter eius domeſticos numerabatur: ſed ſuſpicionem revicit, quod eodem tempore II CIƆ militum, qui, [d] Renaudio inſtigante, in [e] Aginnenſi agro arma ſumpſerant, regis ac Catharinae juſſu fuderat. Jo. [f] Ferterius, vulgo Malinius major dictus, tanquam arcta cum Navarro familiaritate conjunctus, et ipſe in ſuſpicionem venit; aulaque, ut ſibi conſuleret, excedere coactus eſt. [g] Avanella vero, poſt diſſipatum eum tumultum,

INTERPR. [a] *de Brichanteau, ſieur de Beauvais.* [b] *Mazeres.* [c] *Bearn* [d] *la Renaudie* [e] *Agenois.* [f] *de Ferrieres, dit Maligny.* [g] *des Avenelles.*

tum, ſive ſibi metuens, ſive poenitentia ductus, ut ſe oculis eorum, quos tam graviter offenderat, eriperet, voluntarium ſibi exilium indixit, et in Lotharingiam conceſſit; juridica municipii cujuſdam praefectura, in qua induſtriam ſuam exerceret, Guiſii commendatione a Lotharingiae duce remuneratus: homo bonus alioqui et doctus, et qui Proteſtantium doctrinam tota vita amplexus eſt; ob eamque cauſam Gallos ſaepius ſolum mutanteis, cum illac iter haberent, opibus ſuis juvit, et quibus potuit officiis ab eo tempore, quo fere Gallia abſtinuit, ſemper ſublevavit; ut cum conſcientia ductum potius, quod coitiones omneis et clandeſtina conſilia in regno legitimo illicita exiſtimaret, quam ſpe aut pecunia corruptum rem in ſuorum perniciem detexiſſe appareat.

XXIV. SUB id tempus [a] Olivarius, ſtatus praeſentis pertaeſus, neque tam ſenio confectus, quam ex moerore animi, in lethalem morbum incidit; cum quo dum luctatur, cardinalem cum officioſe inviſentem averſo vultu excepiſſe et tergum obvertiſſe fertur, exprobratorias voces identidem repetens, quibus ſibi vim ab eo illatam intelligi volebat: atque ita inter ſuſpiria ac gemitus optime meritam de republica animam Deo tradidit: vir procul dubio tanto faſtigio digniſſimus, ſi meliori ſaeculo natus, aut aequiores optimis conſiliis ſuis eos, qui regum animos ac fraena moderabantur, nactus eſſet. Mortuo eo, de deligendo ſucceſſore aliquandiu in aula conſultatum fuit: delato honore, Joannes [b] Morvillerius Aurelianenſis epiſcopus ſe excuſavit, Guiſianorum favore ſublevatus; ceterum prudenti ac miti vir ingenio: quod non tam modeſtia, quam malorum, quae impendebant, praeſagus feciſſe dicitur; quibus ſuſtinendis cum ſe minime parem agnoſceret, onus a ſe rejecit. Sed verius eſt, eum, delata dignitate contentum, excuſatione inanem modeſtiae laudem affectaſſe, quod de ea adipiſcenda, quam alteri a rege deſtinatam ſciebat, deſperaret: Is fuit Michaël [c] Hoſpitalius, modicis natalibus ſed ingenti virtute et animo vir; qui, cunctis togae honoribus ſumma cum prudentiae, doctrinae ac probitatis laude decurſis, gravis ſenator, poſtea diſpungendarum rationum curiae praepoſitus, dein libellorum ſupplicum extra ordinem magiſter, ac tandem in ſacri conſiſtorii conſiliariorum ordinem, cum is honos nondum numero vileſceret, aſcitus, tunc vero Margaritam cum Sabaudiae duce marito profectam [d] Nicaeam uſque proſecutus fuerat, tanquam ejuſdem cancellarius. Id autem factum Jacobae [e] Lonvianae Monpenſerii uxoris commendatione, quae in Catharinae amicitia praecipue florebat, excelſo ingenio mulier, et quae creſcentem Guiſianorum potentiam ſuſpectam habebat. Illa Catharinam Guiſianorum violentiam jam expertam proprio metu incendebat, et ad imperium anhelanti certiſſimam viam oſtendebat, ſi aliquem deligeret, cujus ſalutaribus monitis eorum pernicioſa conſilia revinceret. Commodum vero accidit, quo res facilius confieri poſſet, ut is cardinali Lotharingo etiam percharus eſſet; quippe cum Hoſpitalius antea ſedulo coluerat; regi vero non ingratus virtutis verſuumque fama, quos nuper ille formandae regiae juventuti luculentos ediderat. Itaque occupat Catharina, et Hoſpitalio hanc dignitatem a rege impetrat, Guiſianis, jam re confecta, aſſentientibus: eique clam ſignificari curat, ſua non Guiſianorum commendatione rem confectam, ac proinde futurum ſperare, ut plus regis ac ſui quam illorum, quorum ambitionem jam cuncti deteſtantur, porro rationem habeat. Nec fefellit Catharinam opinio. Neque enim alius multis retro ſaeculis extitit tanto magiſtratu dignior, qui majore virtute ac conſtantia ambitioni et avaritiae in aula graſſantibus ſe oppoſuerit. Sed antiquo Galliae decori inſtaurando, juvenibus regis annis ac moribus

INTERPR. [a] *le chancelier Olivier.* [b] *de Morvilliers, evêque d'Orleans.* [c] *de l'Hoſpital.* [d] *Nizza, ou Nice en Provence.* [e] *de Longuic.*

CIↃIↃLX.
Franciscus II.

ribus aulae moderandis intento, adeo conjurata vecordia potentiores obſtitere, ut jam tum fatalem regno inclinationem imminere prudentes rerum vel ex co conjectare potuerint. Nuncio accepto, Hoſpitalius, qui ſciret Joannem [a] Bertrandium, tunc cardinalem et in Italiam profectum, hac lege domum relegato [b] Olivario, [c] procancellarium creatum, ut, ſi prior Olivarius decederet, ei in [d] ampliſſima dignitate ſuccederet, eaque de re miſſum a rege Henrico diploma in ſenatu promulgatum, non prius ingredi magiſtratum voluit, quam Bertrandius juri per curiae decretum quaeſito renunciaſſet.

INTERPR. [a] *Bertrand.* [b] *le chancelier Olivier.* [c] *garde des ſceaux.* [d] *chancelier.*

FINIS TOMI PRIMI.



LONDINI, Imprimebat Henricus Woodfall.

KALENDARIVM ROMANVM.

Omnes, quibus hoc Kalendarium in uſu erat, ſtylum Julianum uſque ad menſem Octobrem A. C. MIƆLXXXII *ubique obſervarunt.*

IANVARIVS.	FEBRVARIVS.	MARTIVS.
1. *Kalendae* Januariae	1. *Kalendae* Februariae	1. *Kalendae* Martiae
2. IV. Nonas	2. IV. Nonas	2. VI. Nonas
3. III Nonas	3. III. Nonas	3. V. Nonas
4. pridie Nonas	4. pridie Nonas	4. IV. Nonas
5. *Nonae* Januariae	5. *Nonae* Februariae	5. III. Nonas
6. VIII. Idus	6. VIII. Idus	6. pridie Nonas
7. VII. Idus	7. VII Idus	7. *Nonae* Martiae
8 VI Idus	8. VI. Idus	8. VIII. Idus
9. V. Idus	9. V. Idus	9. VII. Idus
10. IV Idus	10. IV. Idus	10. VI. Idus
11. III. Idus	11. III. Idus	11. V. Idus
12. pridie Idus	12. pridie Idus	12. IV. Idus
13. *Idus* Januariae	13. *Idus* Februariae	13. III. Idus
14. XIX Kalendas Februarias	14. XVI. Kalendas Martias.	14. pridie Idus
15. XVIII Kal Febr.	15. XV. Kal. Mart.	15 *Idus* Martiae
16. XVII. Kal. Febr.	16. XIV. Kal. Mart.	16. XVII. Kalendas Apriles
17. XVI Kal. Febr.	17. XIII. Kal. Mart.	17. XVI Kal. April.
18. XV. Kal. Febr.	18. XII. Kal. Mart.	18. XV. Kal. April.
19. XIV Kal. Febr.	19 XI Kal. Mart.	19 XIV. Kal. April.
20. XIII. Kal. Febr.	20. X. Kal. Mart.	20. XIII. Kal. April.
21. XII Kal Febr.	21. IX. Kal Mart.	21. XII. Kal. April.
22. XI Kal. Febr.	22 VIII. Kal. Mart.	22. XI. Kal. April.
23. X Kal. Febr.	23. VII. Kal. Mart.	23. X. Kal. April
24. IX Kal. Febr.	24. VI. Kal. Mart.	24. IX Kal. April.
25. VIII Kal. Febr.	*Ann. communi,*	25. VIII. Kal. April.
26. VII Kal Febr.	25. V. Kal Mart.	26. VII. Kal. April.
27. VI. Kal Febr.	26 IV. Kal. Mart.	27. VI Kal. April.
28. V. Kal. Febr.	27 III. Kal. Mart.	28. V. Kal. April.
29. IV Kal. Febr.	28 pridie Kal Mart	29. IV. Kal. April.
30. III. Kal Febr.	*Ann. biſſextili,*	30. III. Kal. April.
31. pridie Kal. Febr.	25. *bis* VI Kal. Mart.	31. pridie Kal. April.
	26. V Kal Mart.	
	27. IV. Kal. Mart.	
	28 III Kal. Mart.	
	29 pridie Kal. Mart.	

APRILIS.	MAIVS.	IVNIVS.
1 *Kalendae* Apriles	1. *Kalendae* Maiae	1. *Kalendae* Juniae
2 IV. Nonas	2. VI. Nonas	2. IV. Nonas
3. III. Nonas	3. V. Nonas	3. III. Nonas
4. pridie Nonas	4. IV. Nonas	4. pridie Nonas
5. *Nonae* Apriles	5. III. Nonas	5. *Nonae* Juniae
6. VIII. Idus	6. pridie Nonas	6. VIII. Idus
7. VII. Idus	7. *Nonae* Maiae	7. VII. Idus
8 VI. Idus	8. VIII. Idus	8. VI. Idus
9 V. Idus	9. VII. Idus	9. V Idus
10. IV. Idus	10. VI. Idus	10. IV. Idus
11. III. Idus	11. V. Idus	11. III Idus
12 pridie Idus	12. IV. Idus	12. pridie Idus
13. *Idus* Apriles	13. III. Idus	13. *Idus* Juniae
14 XVIII. Kalendas Maias	14. pridie Idus	14. XVIII. Kal. Quint. *five* Jul.
15. XVII. Kal. Mai.	15. *Idus* Maiae	15. XVII Kal. Jul.
16 XVI. Kal. Mai.	16. XVII Kalendas Junias	16. XVI. Kal. Jul.
17 XV. Kal. Mai.	17. XVI Kal Jun.	17. XV. Kal. Jul.
18 XIV. Kal Mai.	18. XV Kal. Jun.	18. XIV. Kal. Jul.
19 XIII. Kal Mai.	19. XIV. Kal. Jun.	19. XIII. Kal. Jul.
20 XII. Kal. Mai.	20. XIII Kal. Jun.	20. XII. Kal. Jul.
21. XI Kal. Mai.	21. XII. Kal Jun.	21. XI. Kal. Jul.
22. X. Kal. Mai.	22. XI. Kal Jun.	22. X. Kal. Jul.
23 IX Kal. Mai.	23. X Kal. Jun.	23. IX. Kal. Jul.
24 VIII Kal. Mai.	24. IX Kal Jun.	24. VIII. Kal. Jul.
25. VII. Kal. Mai.	25. VIII Kal. Jun.	25. VII Kal. Jul.
26 VI. Kal. Mai.	26. VII Kal. Jun.	26. VI. Kal. Jul.
27. V. Kal Mai.	27. VI. Kal Jun.	27. V Kal Jul.
28 IV. Kal. Mai	28 V. Kal. Jun.	28. IV. Kal. Jul.
29. III. Kal. Mai.	29. IV Kal. Jun.	29. III. Kal. Jul.
30. pridie Kal. Mai.	30. III. Kal. Jun.	30. pridie Kal. Jul.
	31. pridie Kal Jun.	

Kalendarivm Romanvm.

Qvintilis, *qui et* Ivlivs	Sextilis, *qui et* Avgvstvs.	September.
1. *Kalendae* Quint. *ſive* Jul.	1. *Kalendae* Sext. *ſive* Aug.	1. *Kalendae* Septembres
2. VI. Nonas	2. IV. Nonas	2. IV. Nonas
3. V. Nonas	3. III. Nonas	3. III. Nonas
4. IV. Nonas	4. pridie Nonas	4. pridie Nonas
5. III. Nonas	5. *Nonae* Sext. *ſive* Aug.	5. *Nonae* Septembres
6. pridie Nonas	6. VIII. Idus	6. VIII. Idus
7. *Nonae* Quint. *ſive* Jul.	7. VII. Idus	7. VII. Idus
8. VIII. Idus	8. VI. Idus	8. VI. Idus
9. VII. Idus	9. V. Idus	9. V. Idus
10. VI. Idus	10. IV. Idus	10. IV. Idus
11. V. Idus	11. III. Idus	11. III. Idus
12. IV. Idus	12. pridie Idus	12. pridie Idus
13. III. Idus	13. *Idus* Sext. *ſive* Aug.	13. *Idus* Septembres
14. pridie Idus	14. XIX. Kal. Septembres	14. XVIII. Kal. Octobres
15. *Idus* Quint. *ſive* Jul.	15. XVIII. Kal. Sept.	15. XVII. Kal. Oct.
16. XVII. Kal. Sext. *ſive* Aug.	16. XVII. Kal. Sept.	16. XVI. Kal. Oct.
17. XVI. Kal. Aug.	17. XVI. Kal. Sept.	17. XV. Kal. Oct.
18. XV. Kal. Aug.	18. XV. Kal. Sept.	18. XIV. Kal. Oct.
19. XIV. Kal. Aug.	19. XIV. Kal. Sept.	19. XIII. Kal. Oct.
20. XIII. Kal. Aug.	20. XIII. Kal. Sept.	20. XII. Kal. Oct.
21. XII. Kal. Aug.	21. XII. Kal. Sept.	21. XI. Kal. Oct.
22. XI. Kal. Aug.	22. XI. Kal. Sept.	22. X. Kal. Oct.
23. X. Kal. Aug.	23. X. Kal. Sept.	23. IX. Kal. Oct.
24. IX. Kal. Aug.	24. IX. Kal. Sept.	24. VIII. Kal. Oct.
25. VIII. Kal. Aug.	25. VIII. Kal. Sept.	25. VII. Kal. Oct.
26. VII. Kal. Aug.	26. VII. Kal. Sept.	26. VI. Kal. Oct.
27. VI. Kal. Aug.	27. VI. Kal. Sept.	27. V. Kal. Oct.
28. V. Kal. Aug.	28. V. Kal. Sept.	28. IV. Kal. Oct.
29. IV. Kal. Aug.	29. IV. Kal. Sept.	29. III. Kal. Oct.
30. III. Kal. Aug.	30. III. Kal. Sept.	30. pridie Kal. Oct.
31. pridie Kal. Aug.	31. pridie Kal. Sept.	

October.	November.	December.
1. *Kalendae* Octobres	1. *Kalendae* Novembres	1. *Kalendae* Decembres
2. VI. Nonas	2. IV. Nonas	2. IV. Nonas
3. V. Nonas	3. III. Nonas	3. III. Nonas
4. IV. Nonas	4. pridie Nonas	4. pridie Nonas
5. III. Nonas	5. *Nonae* Novembres	5. *Nonae* Decembres
6. pridie Nonas	6. VIII. Idus	6. VIII. Idus
7. *Nonae* Octobres	7. VII. Idus	7. VII. Idus
8. VIII. Idus	8. VI. Idus	8. VI. Idus
9. VII. Idus	9. V. Idus	9. V. Idus
10. VI. Idus	10. IV. Idus	10. IV. Idus
11. V. Idus	11. III. Idus	11. III. Idus
12. IV. Idus	12. pridie Idus	12. pridie Idus
13. III. Idus	13. *Idus* Novembres	13. *Idus* Decembres
14. pridie Idus	14. XVIII. Kal. Decembres	14. XIX. Kal. Januarias
15. *Idus* Octobres	15. XVII. Kal. Dec.	15. XVIII. Kal. Jan.
16. XVII. Kal. Novembres	16. XVI. Kal. Dec.	16. XVII. Kal. Jan.
17. XVI. Kal. Nov.	17. XV. Kal. Dec.	17. XVI. Kal. Jan.
18. XV. Kal. Nov.	18. XIV. Kal. Dec.	18. XV. Kal. Jan.
19. XIV. Kal. Nov.	19. XIII. Kal. Dec.	19. XIV. Kal. Jan.
20. XIII. Kal. Nov.	20. XII. Kal. Dec.	20. XIII. Kal. Jan.
21. XII. Kal. Nov.	21. XI. Kal. Dec.	21. XII. Kal. Jan.
22. XI. Kal. Nov.	22. X. Kal. Dec.	22. XI. Kal. Jan.
23. X. Kal. Nov.	23. IX. Kal. Dec.	23. X. Kal. Jan.
24. IX. Kal. Nov.	24. VIII. Kal. Dec.	24. IX. Kal. Jan.
25. VIII. Kal. Nov.	25. VII. Kal. Dec.	25. VIII. Kal. Jan.
26. VII. Kal. Nov.	26. VI. Kal. Dec.	26. VII. Kal. Jan.
27. VI. Kal. Nov.	27. V. Kal. Dec.	27. VI. Kal. Jan.
28. V. Kal. Nov.	28. IV. Kal. Dec.	28. V. Kal. Jan.
29. IV. Kal. Nov.	29. III. Kal. Dec.	29. IV. Kal. Jan.
30. III. Kal. Nov.	30. pridie Kal. Dec.	30. III. Kal. Jan.
31. pridie Kal. Nov.		31. pridie Kal. Jan.

A01 1469539

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google